BIBLIOTECA
160
F
4.
BIB.NAZ.NAPOLI

BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
160
F
4

107
E
31.

XIV. D. 10

Digitized by Google

PROLEGOMENA,

ET

DISSERTATIONES

IN OMNES, ET SINGULOS

SACRÆ SCRIPTURÆ LIBROS.

AUTHORE

R.P.D. AUGUSTINO CALMET

ORDINIS S. BENEDICTI,

Congregationis SS. VITONI, & HIDULPHI.

Opus Gallice primum ab Authore, nunc vero Latinis Literis traditum

A JOANNE DOMINICO MANSI

LUCENSI, CONGREGATIONIS MATRIS DEI.

TOMUS SECUNDUS.



VENETIIS, MDCCXXXIV.

APUD CHRISTOPHORUM ZANE SUB SIGNO S. IGNATII.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

TABULA GENERALIS
PROLEGOMENON
ET
DISSERTATIONUM
JUXTA SERIEM LIBRORUM
NOVI TESTAMENTI.

❖❖❖❖

TOMUS SECUNDUS.

IN Libros Novi Teſtamenti Prolegomenon, pag. 1.
In Evangelium S. Matthæi Prolegomenon, pag. 6.
Harmonia quatuor Evangeliſtarum, vel Synopſis Vitæ Jeſu Chriſti Chronologico ordine deducta, pag. 10.
Diſſertatio in Evangelia Apocrypha, p. 40.
Diſſertatio in Magos, qui Jeſum adoraturi venerunt, pag. 47.
Diſſertatio de noviſſimo Paſchate Domini noſtri Jeſu Chriſti, pag. 52.
De Tenebris in obitu Jeſu Chriſti Diſſertatio, pag. 322. Append.
De Reſurrectione SS. Patrum, quo tempore Chriſtus rediit ad vitam, ad Matth. 27. 51. 52. Ibid. pag. 327.
In Evangelium Sancti Marci Prolegomenon, pag. 52.
Diſſertatio de Phariſæis, Sadocæis, Herodianis, Eſſenis, pag. 62.
Diſſertatio de Baptiſmo, pag. 74.
Diſſertatio de peccato in Spiritum Sanctum, pag. 80.
In Evangelium Sancti Lucæ Prolegomenon, pag. 84.
Diſſertatio de conciliatione Genealogiarum Jeſu Chriſti apud S. Matthæum & S. Lucam, pag. 86.
Diſſertatio in bonos maloſque Angelos, pag. 94.
Diſſertatio in tres Marias, pag. 106.
De S. Joſepho S. Mariæ Virg. conjuge, Diſſertatio, pag. 332. Append.
De ſudore Sanguinis Jeſu Chriſti in horto Olivarum, ad Luc. 22. 43. 44. Ibid. pag. 337.
De obſidentibus & poſſidentibus corpora Dæmonibus, Ibid. pag. 342.
In Evangelium Sancti Joannis Prolegomenon, pag. 113.
Diſſertatio in obitu Sancti Joannis Evangeliſtæ, pag. 115.
In Acta Apoſtolorum Prolegomenon, pag. 120.
Tabula Chronologica in Acta Apoſtolorum, pag. 122.
Diſſertatio de Epigraphe Aræ Athenienſis, *Ignoto Deo*, ad Act. 17. 22. pag. 123.
Diſſertatio de Baptiſmo, Jeſu Chriſti nomine collato, pag. 125.
Diſſertatio in electionem per ſortes, pag. 129.
De Simone Mago Diſſertatio, pag. 350. Append.
De Actis Pilati ad Tiberium Imperatorem miſſis in cauſa mortis Jeſu Chriſti, Ibid. pag. 356.
In Epiſtolam S. Pauli ad Romanos Prolegomenon, pag. 131.
Diſſertatio in Prædeſtinationem & reprobationem hominum, pag 135.
Diſſertatio de Circumciſionis effectibus, pag. 147.
Diſſertatio an Gentiles, quibus neque de lege Moyſis, neque de Evangelio aliquid innotuit, ſalutem obtinere potuerint, pag. 152.
An S. Paulus Epheſi cum beſtiis pugnaverit? pag. 361. Append.
In primam Epiſtolam ad Corinthios Prolegomenon, pag. 158.
Diſſertatio de Baptiſmate pro mortuis, ad 1. Cor. 15. 29. pag. 159.
Argumentum ſecundæ Epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli ad Corinthios, pag. 165.
In Epiſtolam S. Pauli ad Galatas Prolegomenon, pag. 166.
Diſſertatio, an Cephas, quem Paulus Antiochiæ redarguit, alius fuerit a S. Petro, ad Galat. 2. 11. pag. 167.
Diſſertatio de Anti-Chriſto, pag. 174.
Diſſertatio de fine & mundi ſtatu poſt judicium, pag. 183.
Diſſertatio de Mortuorum Reſurrectione, pagin. 191.
In Epiſtolam S. Pauli ad Epheſios Prolegomenon, pag. 198.
In Epiſtolam S. Pauli ad Philippenſes Prolegomenon, pag. 200.
In Epiſtolam S. Pauli ad Coloſſenſes Prolegomenon, pag. 201.
In primam Epiſtolam S. Pauli ad Theſſalonicenſes Prolegomenon, pag. 202.
In ſecundam Epiſtolam S. Pauli ad Theſſalonicenſes, pag. 359. Append.
In primam Epiſtolam S. Pauli ad Timotheum Prolegomenon, pag. 203.
In ſecundam Epiſtolam S. Pauli ad Timotheum Prolegomenon, pag. 204.
In Epiſtolam S. Pauli ad Titum Prolegomenon, pag. 205.
In Epiſtolam S. Pauli ad Philippenſes Prolegomenon, pag. 206.
In Epiſtolam S. Pauli ad Hebræos Prolegomenon, pag. 207.
Diſſertatio de Melchiſedecho, pag. 214.

In

Digitized by Google

Tabula Generalis.

In Epiſtolas Canonicas Prolegomenon, pag. 219.
In Epiſtolam Catholicam S. Jacobi Prolegomenon, pag. 220.
Diſſertatio de itinere Romano S. Petri, ad 1. Petr. 5. 13. pag. 223.
Diſſertatio de Librorum Sacrorum inſpiratione, ad 2. Petr. 1. 21. pag. 228.
Diſſertatio in illud: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt*, ad 1. Jo. 5. 7. pag. 233.
Diſſertatio de Moyſi obitu & ſepultura, ad Epiſt. Judæ verſ. 9. pag. 240.
In primam Sancti Petri Epiſtolam Prolegomenon, pag. 244.
In ſecundam S. Petri Epiſtolam Prolegomenon, pag. 245.
In primam Sancti Joannis Epiſtolam Prolegomenon, pag. 247.
In ſecundam S. Joannis Epiſtolam Prolegomenon, pag. 248.
In tertiam S. Joannis Epiſtolam Prolegomenon, pag. 249.
In Epiſtolam Sancti Judæ Prolegomenon, pag. 250.
In Apocalypſim Prolegomenon, pag. 251.
Diſſertatio, qua Hebræorum hiſtoria ceterarum Nationum Hiſtoriis præſtare oſtenditur, pag. 259.

IN

Digitized by Google

IN LIBROS
NOVI TESTAMENTI
PROLEGOMENON.

M*Ultifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis loquutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit hæredem univerſorum, per quem fecit & ſæcula* (1). Loquutus eſt ad Patres noſtros in Veteri Teſtamento, loquutus eſt & in Novo. Moyſes vetuſti fœderis conciliator eſt, Prophetæ miniſtri; hic Legem rogavit, hi Meſſiæ adventum prænunciarunt. Lex & Prophetæ alio plane ſpectabant, nec illud cujus priores tantum rudioreſque lineas duxerunt, perficere unquam permiſſi ſunt (2); non datum ipſis conſentire, quod tantum permittebant; neque omnibus numeris abſolvere, quod veluti delineatum repræſentabant. Hominum vota promovebant tantum, non implebant.

Sed Jeſu Chriſto in mundum tandem veniente, & novo fœdere in veteris locum ſuccedente, ſtatim umbræ depulſæ, figuræ & Prophetarum oracula impleta. Lex perfecta, novus populus pro veteri, novumque tempus ſucceſſit, quo juxta Jeremiæ 36. 31. vaticinium: *Feriam Domui Iſrael* (dicit Dominus) *& domui Juda fœdus novum. Non ſecundum pactum, quod pepigi cum Patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Ægypti, pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit quod feriam cum Domo Iſrael poſt dies illos: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam, & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.*

Fœdus in monte Sinai initum uni tantum domui Iſrael favebat; novum æque omnes filios hominum complectitur. Primum obſignatum eſt cruore arietum & taurorum; novum Filii Dei ſanguine. Poſterius illud fœdus ſupremi Legislatoris primam curam occupabat (3); huc omnia, quæ in Libris Veteris Teſtamenti leguntur, ſpectabant. Spiritus timoris & ſervituris veterem Legem tenebat; amoris novæ erat decus & privilegium. Illa ſtato tempore duratura; hæc æterna, ut omnia æquaret ſæcula atque per omnes gentes diffunderetur, præmia pollicebatur æterna pariter & infinita; cum peritura tantum Lex illa vetus conferret.

Eccleſia Chriſtiana promiſſorum omnium, quibus Deus fidem ſuam obſtrinxerat Synagogæ, hæres, pretioſum ſibi commiſſum Scripturarum Veteris Teſtamenti depoſitum ſancte cuſtodit, veluti inſtrumentum poſſeſſionis ſuæ & electionis, ſicut æmulæ ſuæ Synagogæ reprobationis. Sed majori quadam cura & veneratione ſervat Libros Novi Teſtamenti, quibus veluti fides conſtet, adoptionis ſuæ & tamquam pignus felicitatis; veluti publicas aliquas Tabulas late demonſtrantes Domini & parentis ſui voluntatem; tamquam codicem vitæ, prodigiorum, & doctrinæ Dei ſui, ac tandem tamquam regulam rerum morumque directricem.

D. N. Jeſus Chriſtus nihil ipſe per ſe poſteritati ſcripſit (4), neque vitam ſuam & doctrinam, ut litteris mandarent, Apoſtolis unquam præcepit. Contentus tantum voce populos ſive pro concione ſive privatis colloquiis inſtruxiſſe, cetera neglexit. Antequam tamen homines præſentia ſua deſereret, miſſurum ſe inviſibilem quemdam Præceptorem ſpopondit (5), quo interius docente, & veritatem diſcerent omnes, tum & quæ maxime quiſque & præſtare & dicere teneretur, pro nata quacumque occaſione illos inſtrueret.

Hujus promiſſionis fidem impleturus S. Spiritum quinquageſimo poſt Reſurrectionem ſuam die ad Apoſtolos miſit, cujus illapſo ſubito lumine irradiati, novoque ardore incalentes, & Sancta Evangelia, & ceteros Novi Teſtamenti Libros ſcribere aggreſſi ſunt; quos ſane Libros non immerito nos tamquam ipſa Jeſu Chriſti Opera, digito Dei ſcripta, ſuſpicimus (6). *Non dicamus: O' illi felices qui eum videre potuerant: quia multi in eis, qui viderant, occiderant: Multi autem in nobis, qui non viderunt crediderunt. Quod enim pretioſum ſonabat de ore Domini, & propter nos ſcriptum eſt, & nobis ſervatum eſt, &* pro-

(1) *Hebr. 1. 1. 2.* (2) *Hebr. 7. 19. Nihil ad perfectum adduxit Lex.* (3) *Auguſ. contra duas Epiſtolas Pelag. l. 3. c. 4. n. 7.* (4) *Vide Auguſt. lib. 1. de Conſen. Evang. cap. 7. & 9. & lib. 28. con. Fauſt. Manich. cap. 4. Epiſ. 237. Nov. edit.* Sermo ibi de hymno Jeſu Chriſto adſcripto, ex quo nonnulla referuntur. Meminit etiam alterius Operis ejuſdem J. C. nomine inſcripti ad Sanctos Petrum & Paulum. Liber erat Magicus. Scitum eſt quid de Epiſtola J. C. ad Abgarum fertur. Sed hæc omnia ab Eruditis rejecta.

(5) *Joannes 14. 26. & 16. 13.* (6) *Auguſtinus lib. 1. capit. 35. de Conſenſu Evangeliſtarum. Non aliter accipiet, quod narrantibus Diſcipulis Chriſti in Evangelio legerit, quam ſi ipſam manum Domini, quam in proprio corpore geſtabat, ſcribentem conſpexerit.*

propter nos recitatur; & propter poſteros recitabitur, donec ſæculum finiatur.

Nec major Apoſtolis ſcribendi ſollicitudo; prius enim illi, Præceptoris ſui exemplum ſequuti, docendos ſibi inſtituendoſque viva voce populos ſuſceperant. Altè enim menti impreſſas habentes, quas ore loquentis Præceptoris veritates audierant, futurum ut aliquando illorum obliviſcerentur, numquam timebant; quos inſuper tutos in ea re faciebant ejuſdem Magiſtri promiſſiones, de aſſerendo nempe illis Spiritu ſuo, a quo numquam desererentur. Succeſſu vero temporis pium Fidelium ſtudium ab illis tandem extorſit, ut quæcumque ab illis voce auſcultarant, hæc litteris mandata de ſcripto legerent. Hujus rei gratia Sanctus Matthæus ſcribere aggreſſus; nec facile alio conſilio S. Marcus id ſibi ſuſcepit, ut ſynopſim operis ejuſdem S. Matthæi daret, nonnullis adjectis, quæ ipſe aliorum relatione haberet explorata.

S. Lucas eam ſe habuiſſe ſcribendi cauſam prodit [1], quod ſcilicet plures de vita & doctrina Jeſu Chriſti ex ore loquentium Apoſtolorum exceptos Libros in vulgus ſpargi animadvertiſſet; ſe vero, ait, omnia quæ ſcriberet, teſtium de viſu relatione comperiſſe; rem autem Eccleſiæ maxime utilem ſe præſtiturum confidere, ſi ordine omnia digereret, quæ ab ipſo rerum exordio contigiſſe veriſſime noſſet. Docent tandem Patres [2], S. Joannem ad Evangelium ſuum litteris mandandum exortas hæreſes Cerinthi, & Nicolaitarum Jeſu Chriſti divinitatem negantium impuliſſe.

Ad Acta Apoſtolorum quod ſpectat, continuatio ſunt Evangelii S. Lucæ, & hiſtoria rerum geſtarum ab exordio Eccleſiæ Jeroſolymis aduſque S. Pauli ad Chriſtiana ſacra tranſeuntis; quibus deinde accedit hiſtoria rerum ab eodem Apoſtolo geſtarum uſque ad primum ejus iter Romanum. Nihil ferme refert in eo Opere S. Lucas, quod ipſe oculatus teſtis non exploraſſet, quippe qui comes in omnibus ejuſdem Apoſtoli, qua in laboribus, qua in viciſſitudinibus, qua tandem in prædicationibus fidus hæſiſſet. Pro varia rerum opportunitatibus, & cum maxime e re Eccleſiæ cenſeret, S. Paulus Epiſtolas ſuas ſcripſit, non quidem eo conſilio ut veritates omnes, quas ipſe prædicatione docuerat, uno veluti ſcripto ad poſteritatis memoriam complecteretur; quamquam divinæ providentiæ diſpoſitione factum ſit, ut quæ ipſe fortuito caſu ſcriberet, hæc poſteritati tamquam ſupplementum quoddam Evangeliorum inſtruendis populis maxime utile commendarentur. Eadem ceteris Apoſtolis, quorum manent Epiſtolæ, fuit ſcribendi ratio, quo nimirum utilitati Eccleſiarum, ad quas litteras dabant, ſervirent; quamquam id certo noſſent futurum, ut tandem ceteris Eccleſiis communicarentur; tantum enim Apoſtolicis ſcriptis dabatur; & eo uſque pium Fidelium ſtudium conſervandis illis doctrinæ & pietatis pretioſiſſimis monumentis devenerat.

CANON NOVI TESTAMENTI.

Nihil in præſentia moramur, tum Sacrorum Librorum Novi Teſtamenti authoritatem, cum eorum Librorum ſive Auctores, ſive ſcribendi finem, tempus, & occaſiones, quæ omnia ſingularibus ad ſingula illa Scripta Prolegomenibus fuſius proſequemur. Sunt in utroque Teſtamento Opera, quorum omnibus retro ſæculis aſſerta fuit authoritas; ſunt de quibus in particularibus Eccleſiis dubitatum eſt aliquamdiu; quamquam nullus Scripturæ Liber hodie in Canone recenſetur, quem ſanior veterum Eccleſiarum pars ſuffragio ſuo non probaverit. Fruſtra veteres Hæretici ſive fictis Evangeliis procudendis, ſeu veris corrumpendis laborarunt; integra ſemper fides Originalium in Eccleſia Catholicis manſit; & ſucceſſu temporis corruptis eorum Exemplaribus in oblivionem Eccleſiarum ſollicitudine, proſcriptione & damnatione traditis, veritas obtinuit.

Quo anno Canon Librorum Novi Teſtamenti abſolveretur certo definiri vix poteſt; ſed ſatis expreſſus jam inde a ſecundo Eccleſiæ ſæculo legitur. Cum ab Aſiaticis Epiſcopis tria Evangelia ſcripta jam & publici juris facta S. Joanni Evangeliſtæ exhiberentur; recepiſſe illa & probaſſe narrat Euſebius [3]; ſupplendis autem quæ illis deeſſe videbantur, alterum ipſum ſcribere aggreſſum eſſe, addit idem Euſebius, quo geſta omnia in exordio prædicationis Jeſu Chriſti ab aliis omiſſa expreſſa ſunt. Ita Canon Evangeliorum conſtitit. Tria illa priora Evangelia laudantur in Epiſtola S. Clementis ad Corinthios, quæ Evangelio Sancti Joannis vetuſtior eſt. Sanctus Polycarpus in ſua ad Philippenſes Epiſtola quinquies vel ſexies uſurpat Evangelia Sancti Matthæi, & Lucæ, nomine tamen illorum ſuppreſſo. Crebro legas quatuor Evangeliſtas in Epiſtola S. Barnabæ laudatos; idem obſerves in ſeptem Epiſtolis S. Ignatii, in quibus maxime ad Evangelium Sancti Joannis alluditur.

Commentaria Apoſtolorum legas apud S. Juſtinum Martyrem [4], quo nomine deſignat Evangelia *ab Apoſtolis*, ait ille, ſive ab eorum Diſcipulis ſcripta. Tertullianus contra Marcion. l. 4. cap. 5. hæc habet: *Si conſtat id verius, quod prius; id prius, quod & ab initio; id ab initio, quod ab Apoſtolis; pariter utique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum.* Addit idem Auctor l. 4. cap. 4. antiquitatem Evangeliorum ex corruptis eorum Codicibus ab Hæreticis maxime demonſtrari: *Itaque dum emendat utrumque confirmat & noſtrum anterius; id emendans, quod invenit, & id poſterius, quod de noſtri emendatione conſtituens ſuum, & novum fecit.* Novis Hæreticorum ſcriptis vetera, & probata Apoſtolorum originalia opponit Sanctus Irenæus [5], quatuor Evangelia ſimul agnoſcens, & congruas ejuſdem numeri rationes aſſerens [6].

Ex his, quantum arbitror, demonſtratur, exeunte primo ſæculo, & ineunte ſecundo, & tertio, canonem quatuor Evangeliorum receptum, agnitumque fuiſſe, cui authoritas ex ipſis Apoſtolis conſtabat; cum S. Joannes tria Evangelia viderit, probaritque; & S. Paulus Evangelium pleruмque juxta S. Lucæ textum laudet. Porro canon iſte non in cœtu aliquo publico, vel Concilio digeſtus eſt: ſed Eccleſiarum conſenſu, & de ſententia Epiſcoporum, quorum pleтique cum Apoſtolis, & Diſcipulis familiarem conſuetudinem habuerunt.

Epiſtolarum Apoſtolicarum nec authoritas minor habenda eſt, nec earum collectio quatuor Evangeliis multo recentior. S. Polycarpus diſerte laudat Epiſtolas S. Pauli, S. Petri, & S. Joannis. Nihil quidem apud illum de Epiſtola ad Hebręos, ſecunda S. Petri, ſecunda, & tertia S. Joannis; ſed ideo facile, quod in priori illa Epiſtolarum collectione deſiderarentur. Habebat enim Eccleſia jam inde ante Marcionem [7] in unum corpus collecta Evangelia, & Epiſtolas, ejuſque exemplo hęreticus procudit Codicem ſuum Evangeliorum, & Apoſtolorum, nempe Apoſtolicarum Epiſtolarum. S. Ignatius in ſua ad Philadelphienſes Epiſtola non obſcure deſignat Scripturarum corpus ex Evangelio, Apoſtolis & Prophetis collectum: *Confugiens ad Evangelium, tamquam ad carnem Jeſu Chriſti; & ad Apoſtolos, velut ad Eccleſiæ presbyterium. Prophetas etiam diligo, ut qui Chriſtum annunciarunt.* Apoſtolicarum Epiſtolarum Autographa ſua adhuc ętate alicubi ſervari Tertullianus de pręſcription. cap. 36. teſtatur: *Authenticæ ipſæ litteræ Apoſtolorum ſonantes vocem, & repreſentantes faciem uniuſcujuſque.*

De Panthęno Philoſopho Chriſtiano, qui Alexandrię circa A. C. 184. Scholam moderabatur, legimus apud Euſebium [8] oſtendiſſe nimirum illum apud Indos

(1) *Luc. 1. v. 2.* (2) *Iren. lib. 1. cap. 11. Hieron. de viris Illuſt. cap. 9. Victorin. Pictav. in Apocal.* (3) *Euſeb. lib. 3. cap. 24. Hiſt. Eccleſ.* (4) *Juſt. Apolog. 2.* (5) *Iren. lib. 5. cap. 30.* (6) *Iren. lib. 3. cap. 11. n. 7. & 8.* (7) *Paruit Hæreticus ille A. S. C. 127.* (8) *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 5. cap. 10.*

Indus Hebraicum Evangelii S. Matthæi exemplar, en, uti ferebatur, a S. Bartholomæo delatum. Porro exemplar illud Alexandriam retuliſſe Panthænum S. Hieronymus, & Rufinus eſt author. Addit inſuper idem S. Hieronymus in Catal. cap. 3. exemplar hebraicum S. Matthæi Cæſareæ in Bibliotheca Pamphyli ſervatum fuiſſe; ex quo facilis conjectura Alexandria Cæſaream Exemplar illud tranſlatum; niſi ſi forte Codex Cæſarienſis ex Alexandrino deſcriptus credendus eſſet. S. Petri Alexandrini ætate, labente ſcilicet ſecundo ſæculo ſive tertio ineunte, Autographum S. Joannis ipſa ejus manu deſcriptum religioſiſſimo ſervabatur [1]. Nihil ego impræſentia de Codice Veneto tamquam Originali, S. Marci habito, cum de illo fuſius in Prolegomeno ad illud Evangelium differere conſtituerim. In Inſula Cypri ann. 488. ſuper ipſum S. Barnabæ corpus poſitum, Evangelii Exemplar inventum eſt; quod ipſa ejus Apoſtoli manu in ligneo axe pretioſo æque & ſolido deſcriptum ferunt; illud autem, addunt, diutius Conſtantinopoli ſervatum, ubi pariter ſingulis annis feria quinta majoris hebdomadæ legi conſueverit.

Hæc quidem ſatis ſuperque dicta arbitror, quo ora obſtruantur dictitantium; Canonem Librorum Nov. Teſt. non niſi ſæculo ſecundo, & ſerius etiam digeſtum fuiſſe; ſicut eorum, qui autumant, numerum Evangeliorum & Epiſtolarum non niſi ſerius determinatum. Quamquam enim prioribus Eccleſiæ ſæculis plures obtinerent Apocryphi, ab Hæreticis procuſi, ſive eorum opere corrupti Libri; æque tamen conſtat, certum Sacrorum & Canonicorum Librorum numerum ab aliis quibuſque diſcretum, ſuam habuiſſe, alterius plane ab omnibus aliis ordinis, auctoritatem.

TEXTUS ORIGINALIS N. T.

TExtus Originalis Librorum N. T. Græcus eſt. S. Matthæi Evangelium Hebraice [2] primum ſive potius vernaculo tum temporis apud Hebræos ſermone Syriaco deſcriptum eſt: citiſſime tamen Græcis literis traditum, conſtat. Servabatur etiam Hebraicus iſte Originalis Textus SS. Epiphanii & Hieronymi ætate; dein prorſus interdicit. Corruptus enim Ebionitarum aliorumque hæreticorum fraude, contemptui primum, dein oblivioni traditus eſt. Græca verſio, qualis hodie extant, atque originalis locum uſurpat, vetuſtiſſima eſt, & S. Jacobo a nonnullis [3], ab aliis vero Joanni tribuitur; nec minoris eſt, ſive fidei, ſive exactitudinis, ſive vetuſtatis Latina verſio Authoris incogniti.

Suſpicabantur olim nonnulli, S. Marcum Latinis litteris Opus ſuum tradidiſſe, quorum tamen ſententia hodie aſſertore caret. Non deſuerunt, qui crederent, Epiſtolam ad Hebræos Hebraice primum ſcriptam in Græcum deinde tranſlatam fuiſſe. Sed temere prorſus illi; ejuſque Exemplar, niſi Græcum ſpectaſſe neminem conſtat. Cum vero Librorum N. T. Authores Judæam referrent originem, & Hebraicæ vel Siriacæ linguæ ab ineunte ætate aſſueviſſent, vernaculi illius ſermonis genium ſervant; nihil præferunt illius elegantiæ & cultus, qui in probatis quibuſque ejuſdem ætatis Græcis Authoribus ſentitur. Nec ab his nævis prorſum immunis eſt S. Lucas, quamquam majori eloquii puritate niteat. Sed minimum illum defectum rerum granditas & majeſtas ſatis compenſet; eoque magis prodigium Evangelicæ prædicationis ſpectandum eſt, quo admiranda plurima patrata intelligimus: *non in doctis humanæ Sapientiæ verbis, ſed in doctrina Spiritus.*

VERSIONES NOVI TESTAMENTI.

CUM ab ipſis crepundiis Eccleſia longe lateque per orbem diffunderetur, factum eſt, ut ab ipſo pariter ejus initio variorum ſermone tradita Evangelia vulgarentur. Euſebius (*) de ſua ætate, quarto nempe ſæculo, teſtatur, omnium ſermone & characteribus deſcriptos Sacros Libros nullam gentem latere. Cum vero inter omnes linguas Latina maxime & Syriaca poſt Græcam latius obtinerent, Verſiones illæ N. T. omnium primæ non immerito reputantur.

VERSIO SIRIACA.

PErſuaſum eſt apud Syros, vernaculam N. T. Verſionem ad ætatem Regis Abgari pertinere; quem Regem ferunt nuncios ad Jeſum Chriſtum miſiſſe, illum invitaſſe, ut ad Urbem Edeſſam Regni ſui Metropolim confugeret. S. Thadæus eo a Jeſu Chriſto miſſus, in eam Verſionem laboraſſe fertur. Sed cum eorum omnium fides apud Eruditos noſtræ ætatis notet, nihil exinde certi, ne quid gravius dixerim, pro hiſtoria ejuſdem Verſionis deduci poſſe arbitror. Valtonius tota ea diſcuſſione omiſſa ad ætatem Apoſtolorum Verſionem illam cenſuit pertinere, eo potiſſimum ductus argumento, quod in ea Codice nihil legatur, tum de ſecunda Epiſtola S. Petri, cum de ſecunda S. Joannis, S. Judæ, & Apocalypſi; unde facilis conjectura, opus illud adornatum, antequam hæc omnia in Canonem reciperentur. Verum eos omnes Libros, non ſecus ac reliquos, in Canonem Syri recipiunt; eorumque Verſiones ejuſdem Valtonii opera in Polyglottis Londinenſibus inſertæ ſunt. Si in nonnullis Syris Codicibus deſiderantur, ideo contigiſſe credendum eſt, quod Operum illorum minor eſſet uſus, ſive raritas major.

Sunt qui Verſionum illarum Authorem conſtituunt Thomam Heracleenſem, cujus tamen opera potius recenſitos Sacros Codices cenſemus; cum Exemplaria Syriaca pluribus ſæculis antea obtinerent, quam Ille Ægyptum peteret, corrigendis Codicibus illis ad normam Græcorum Monaſterii S. Antonii. Poſt eam ætatem, receptum eſt apud Syros, ut Codices ſuos ad Exemplaria ejuſdem Thomæ emendarent, utpote quæ omnium potiſſima haberentur [4].

Syrorum nonnulli autumarunt [5], S. Marcum poſt ſcriptum Latine Evangelium ſuum, Hebraice vel Syriace, quæ vernacula erat tum temporis Hebræorum lingua, reddidiſſe; idemque deinde & cum aliis Libris N. T. ab ipſo eodem Authore præſtitum. Simonius [6] arbitratur, Syriacam illam Verſionem neque Antiochiæ, neque in regione illa, quæ peculiari nomine Syria appelletur, ubi Græcus ſermo vernaculus habebatur, ſed potius in Tranſeuphratea, ubi Syriacus, adornatam fuiſſe. Huic conjecturæ multum deeſt ad perſuadendum; quamquam enim Græcus ſermo Antiochiæ & in floretiſſimis ejus regionis Urbibus volgo obtineret; in agro tamen & in reliqua Syria priſtina loquendi ratio familiaris haberi potuiſſet. S. Ephrem quarto ſæculo, & Moyſes Bar-cepha decimo, in ea regione verſantes, Syriace ſcripſerunt; nec infrequentes occurrunt Epiſcopi in Conciliis, qui Syriace tantum loqui norant.

Vidmanſtadius & Guido Fabricius in ea fuerunt ſententia, Originale S. Matthæi apud Syros manſiſſe; nec ſane ulla fuit ratio, quare ſcriptum Syriace Opus Syriace verteretur. Verum ut perſuadeamur, Syriacam S. Matthæi Verſionem e Græco expreſſam, nihil præſtendum nobis, quam ut utrumque ſimul exemplar conferamus. Regnat in Syro Exemplari Græcum genius; errata plurima deprehenderunt, quæ non niſi ex Græco ſubrepſerunt; & ſane expreſſam eam

(1) *Fragmen. M. S. Petri Alexand. de Paſchate apud Petavium*, (2) *Papias apud Euſebium lib. 3. cap. 29. Hiſt. Eccl. Iren. Origen. Euſeb. Cyril. Jeroſolymit. Epiph. Hieronym. alii*. (3) *Synopſ. S. Script. ſeu Author. additiom. in ſ. Synopſ. Cujus tamen verba deſignare etiam poſſunt, S. Jacobum Evangelium illud Fidelibus explicaſſe.* (*) *Euſeb. in Iſa. 45. 20.* (4) *Euſeb. Renaudot in Addend. ad Biblioth. Sac. P. Le Long pag. 659.* (5) *Guillel. Poſtel. ut narrat Guido Fabric. Boderian. in Præfat. to. 5. Polyglott. Antuerp.* (6) *Simon. Hiſt. Critic. N. T. p. 162.*

Verſionem conſtat e Græco vetuſtiſſimo, unciali charactere, Exemplari, antequam accentuum uſus ſuper vocales literas obtineret: ejuſdemque Græci Codicis voces inter ſe non ſatis diſtinctas fuiſſe oportet; ſunt enim plura in Syriaco menda, quæ non niſi ex varia legendi accentus, & puncta adſcribendi, ac tandem diſtinguendi voces Græcas ratione, referenda videntur [1].

Aliud etiam animadverſione dignum occurrit, Syriacum ſcilicet proſus congruere cum Græco, quod ſibi vertendum Auctor Vulgatæ propoſuerat, ut Syriacus ſemper cum Vulgata in his quoque locis conveniat, in quibus illa a Græcis impreſſis ſive MSS. diſſidet. Ea porro eſt utriuſque Verſionis affinitas, ut D. Millio [2] ſuſpicionem moverit, num Syriacus ad Latinam Verſionem reformatus fuiſſet; ſed cum paulo diligentius rem examinaſſet, ſuam hanc conjecturam futilem inanemque deprehendit.

VERSIO LATINA.

LAtina N. T. Verſio originalibus ipſis pene coæva, ad tempora Apoſtolorum ſpectat, quamquam certum ejus tempus & Author ignoratur. Cum Romani Imperii ditio late per orbem porrecta eſſet, iiſdemque fere finibus, quibus Imperium illud, Lingua Latina terminaretur, qui iiſdem literis Verſionem Scripturæ traderent, plures fuerunt. Ex quo enim quiſpiam de lingua Græca & Latina aliquid norat, ſatis ſibi eſſe in cenſu arbitrabatur, cur portionem aliquam N. T. vertendam ſuſciperet. Hinc inundarunt adeo Verſiones, ut earum copia numerum vinceret, juxta ac S. Auguſtinus obſervat [3]: *Qui ſcripturas ex Hebraica Lingua in Græcam tranſtulerunt, numerari poſſunt; Latini autem Interpretes nullo modo; ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, auſus eſt interpretari.*

Hinc copia illa variantium in omnibus Latinis Exemplaribus [4], quæ deinde Damaſum Pontificem impulit, ut a S. Hieronymo novam verſionem precario obtineret. Porro inter priſcas illas Verſiones eminebat & generali aſſenſu probabatur Italica Verſio [5] quam alio nomine Communem, Vulgatam [6], & Veterem [7] appellabant; cujus illud ferebatur elogium [8] *Verborum tenacior, cum perſpicuitate ſententiæ.* Poſt verſionem S. Hieronymi, vetus hæc Italica nullibi locorum integra in Mſs. reperitur. Extant tantummodo collecta quædam fragmenta, ſive ſcripta nonnulla, veluti Evangelium S. Matthæi, Epiſtola S. Jacobi, Job, Pſalmi, aliique quidam Libri publici juris facti in nova Editione S. Hieronymi, & ſeorſum in exiguæ molis Libello, Priſcam V. T. Vulgatam reſtituendam in ſua Romana Editione Nobilius ſuſcepit; ſed cum Patres, e quibus longa ille fragmenta deſcripſit, non raro dictante memoria ſcriberent, an integer Veteris Vulgatæ Textus in ejus Opere maneat, ambiguum eſt & incertum. Manuſcriptum tamen Corbejenſe quatuor referens Evangelia, ſpem de reliquis tandem in publicum proferendis facit.

Cum de S. Hieronymo fertur, Verſionem illum N. T. ſuſcepiſſe, *Novum Teſtamentum Græcæ reddidi authoritati* [9], non eſt continuo reputandum, novam illam Verſionem adeo molitum fuiſſe, ut nihil ex Italica retineret. *Ita*, ait ille Præfat. in quat. Evang. ad Damaſ. *calamo temperavimus, ut his tantum quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua pateremur manere ut fuerant* [10]: quæ S. Doctoris cautio ejus Verſioni toti Eccleſiæ approbandæ ac veteri abolendæ magnopere contulit. Plura tamen ſuperſunt monumenta Veteris Italicæ, qua in Vulgata, qua in operibus PP. & Mſs. uti in Claramontano, Sancti Germani Pratenſis Græco & Latino, in quibus omnibus, quæ ex Veteri Interprete, quæ vero ex S. Hieronymo, ſatis diſcernuntur.

D. Millius integram Latini Interpretis S. Matthæi fidem ad religionem uſque recognoſcit, quem dicit non raro ipſi Syntaxeos regulis neglectis, ipſos in Textu ſuo caſus, genera & modos nominum ac Græcorum verborum expreſſiſſe. Cenſet Verſionem Latinam S. Marci alterius eſſe a Latina S. Matthæi Authoris; illi enim eidem rei exprimendæ aliæ ab iſto voces uſurpantur; a quo pariter fœlicius vis Græcorum vocum exprimitur. Adhuc autem & Interpretem S. Lucæ alium cenſet ab illis; ſicut & alium S. Joannis, quod iiſdem conjecturis demonſtrat. Vereor tamen, ne viri docti critica ſubtilior ſit quam res tulerit. Quis, rogo, Latinus Interpres iiſdem ſemper vocibus utitur? Quis eumdem retinet ſtylum, cum ad literam vertendos ſuſcipit Scriptores, qua ſtilo, qua ſcribendi genio adeo diverſos, quantum inter ſe S. Matthæus, S. Lucas, & S. Joannes diſcrepant.

VERSIO ARABICA.

AN Verſio Arabica N. T. e Græco ſive e Syriaco expreſſa ſit, non ſatis convenit inter Authores. E Syriaco defendit Simonius [11] e Græco Badvellus, & Valtonus [12]. D Millius [13], qui Syriacum & Arabicum cum Græco ſedulo contulit, egregie demonſtrat, Arabicum ex aliis deducendum fontibus, quam e Syriaco, cum duo illa Exemplaria frequenter inter ſe diſcrepent, maxime in lectione propriorum nominum locorum, Urbium, & provinciarum. Erpenius perſuaſum habuit, quatuor Evangeliſtas e Græco in Arabicum tranſtuliſſe Neſjulamanum quemdam filium Azaikefar; reliquum vero N. T. e Syriaco Exemplari ignotum alium Authorem vertiſſe [14]; quod ſuffragio ſuo viri alii Eruditi nonnulli confirmant.

VERSIO ÆTHIOPICA.

GRæco Alexandrino optimæ notæ Exemplari Verſionem Æthiopicam N. T. debemus [15], cujus tamen Author non ſatis interdum in reddenda vi Græcarum vocum fœlix eſt, ſive quod Græcas literas minus calleret, ſive quod oſcitans ſcriberet. Quæ ſtili varietas in variis N. T. Libris animadvertitur, totum opus pluribus Authoribus deberi ſatis demonſtrat [16]. Quatuor Evangeliſtarum Verſio correctior eſt reliqua, & exactior; in reliquis enim Author interpretationes quaſdam de ſuo addere religioni non ducit. Subinde quædam in Codice deſiderantur, quibus ſupplendis ab Editoribus ad Græca & Latina Exemplaria confugiendum fuit.

Tempus & Auctor ejus Operis æque ignorantur: ſpectat facile ad exordium annunciati apud Æthiopes Evangelii; quod alii factum credunt ſæculo quarto S. Athanaſii ætate; alii, ſexti dimidio Juſtiniano imperante. Sunt qui opus credant Monachorum, quos Frumentius ad Æthiopes ad Chriſtiana Sacra tranſlatos duxit [17]; nec deſunt, qui eidem Frumentio tribuant. Obſervatum eſt, Verſionem hanc Æthiopicam plurimum congruere cum vetuſtiſſimo Mſ. Alexandrino, noſtra ætate in Anglia ſervato. Menda

(1) *Vide Prolegom. D. Millo Prolegom.* 1237. *& ſeq.* (2) *Mill. Prolegom.* 1249. 1250. (3) *Auguſt. lib.* 2. *cap.* 11. *Doctrin. Chriſt.* (4) *Hieron. Præfat. in quatuor Evangeliſt. Tot enim ſunt Exemplaria pene, quot Codices.* (5) *Auguſt. lib.* 2. *de Doctrin. Chriſt. cap.* 15. (6) *Hieronym. in Iſai.* 19. *&* 49. (7) *Gregor. Magn. Præfat. Moral.* (8) *Auguſt. de Doctr. Chriſt. lib.* 2. *c.* 15. (9) *Hieronym. ad Lucinium Epiſt. olim* 28. *nunc* 52. *nova Edit.* (10) *Vide etiam Ep. ad Sun. & Fretell. Noluimus ergo immutare quod ab antiquis legebatur, quia idem ſenſus erat* . . . . . . *Et nos antiquam interpretationem ſequentes, quod non nocebat mutare noluimus.* (11) *D. Simon Hiſt. Critic. N. T. cap.* 18. (12) *Badvel. in Epiſt.* 1. *Joann. ad calcem Valton. Prolegom. cap.* 14. *num.* 23. (13) *Mill. Prolegom.* 1295. (14) *Erpenius Præfat. in N. T. Arab. editum Leid.* 1616. (15) *Mill. Prolegom.* 1472. (16) *Idem Prolegom.* 1188. (17) *Vide Ludolf. Hiſt. Æthiop. l.* 3. *c.* 4. *& Epiſt. ad Hottinger. & Hottinger. Diſſert.* 3. *de tranſlatione Bibl. in ling. vernac.*

da etiam nonnulla deprehenduntur, non aliunde quam ex veteri iſto vel alio ſimili Codice derivanda.

D. Abbati Renaudot (1) remota illa Verſionum Æthiopicarum, qualia vulgo aſſeritur, vetuſtas non perſuadetur. Expreſſas enim credit Verſionibus Cophticis ſive Ægyptiis, quæ pariter originem ſuam referunt ex vetuſtis Mſs. Græcis in Ægypto vulgatis, unde repetenda affinitas illa inter codicem Æthiopicum & Mſs. Alexandrinum. Ceterum operæ pretium eſt animadvertere, Æthiopicam linguam, qualis Verſione illa exprimitur, non vernaculam eſſe hodie apud eos populos obtinentem, ſed vetuſtiorem alteram hodie abolitam (2), & olim ante deſertam ab Æthiopibus urbem Axumam, vulgarem.

VERSIO COPHTICA.

Verſio Cophtica ſive Ægyptiaca, numquam, quamvis maxima omnium Orientalium excuſatum Verſionum mereretur, typis vulgata eſt. Minus ſane præ illa curandæ fuerant reliquæ, veluti Arabica & Perſica, quarum hæc poſtrema nonniſi ex alia priori Verſione expreſſa eſt. Porro Verſio hæc Cophtica e vetuſtis probatiſque Mſs. eſt adornata. Varianta plura, ex variis Mſs. Codicibus Cophticis ſtudio D. Mareſchalli collecta, Millius in ſua Editione N.T. vulgavit; quorum pariter alia non pauca in N. T. Oxonienſi ann. 1675. publici juris facta ſunt.

Suſpicantur nonnulli (3), ipſa S. Antonii ætate, tertio nempe ſæculo exeunte & ineunte quarto, Ægyptiam Verſionem aliquam jam obtinuiſſe; vir enim ille Sanctus, qui nonniſi Ægyptium ſermonem noverat (4), majorem Scripturarum partem memoria complectebatur, & data occaſione in colloquiis ſuis earum ſententias apte laudabat. P. Kircherius (5) cenſet, circa medium quarti ſæculi cœptam Verſionem Cophticam adornari; quam ille opinionem probat ex fide vetuſti Cophtici Martyrologii, referentis, Monachos ejus ætatis in vertendis ex Græco, Hebræo & Chaldæo in Cophticum Sacris Libris potiſſimum occupari. D. Pik (6) Verſiones Cophticas non niſi ab octavo ſæculo vel prius aliquanto revocat. Ceterum Cophticus ſermo inter priores illas & matrices linguas habetur; vetus eſt enim Ægyptius, quamvis maxime corruptus.

VERSIO PERSICA.

Duæ circumferuntur Perſicæ Verſiones; recentior ex Græco adornata, cura Abrahami Wheloch, linguæ Arabicæ Cantabrigiæ profeſſoris, publici juris facta eſt: vetuſtiorem & melioris notæ e Syriaca expreſſam, Valtonius in ſuis Polyglottis (7) impreſſit. Poſterior hæc ſatis fidelis quidem, interdum tamen a Textu recedit, & gloſſas quaſdam minus neceſſarias addit.

VERSIO ARMENA.

Verſionem Scripturarum ſuam Armeni ad S. Chryſoſtomi ætatem ſpectare arbitrantur (8); adornatam vero autumant duplicis Scriptoris opera, Moyſis ſcilicet Grammatici, & Davidis Philoſophi. Ex Græco tota tam quoad Vetus, quam ad Novum Teſtamentum expreſſa eſt. Prodiit Antuerpiæ primum ann. 1666. deinde alibi pluries. Sunt qui illam tribuant S. Chryſoſtomo (9), dum in exilio ſuo Cucuſæ detineretur; alii vero tradunt (10) B. Meſropam conſilium agitantem tradendi gentilibus ſuis Armenam Scripturarum Verſionem, miſiſſe ſub Theodoſio juniori duos e Diſcipulis ſuis, Eznat & Joſephum, ad urbem Edeſſam, ubi juncta ſimul opera Verſioni incumberent: Adornarunt igitur Opus ex Syriaco Textu. Sed utraque hæc opinio ejuſdem eſt fidei & authoritatis. Conſtat ſane, Armenam Verſionem e Græco repetendam (11), quo tamen Authore, incertum.

VERSIO GOTHICA.

Ulphilas, qui circa annum J. C. 360. Epiſcopum Gothorum agebat (12), Gothicæ Verſionis eſt Author. Ab eo viro inventos characteres Gothicos tradunt Socrates, Sozomenus, & Philoſtorgius; addentes, vertiſſe illum pariter univerſam Scripturam, ſolis Libris Regum exceptis. Id autem eo conſilio a viro præſtitum, quod timeret, ne tot bellorum, quæ in Libris Regum leguntur, lectione, bellicoſa gens & fera plus nimio animaretur.

Porro Verſio iſta longa oblivione ſepulta manſit, donec fragmenta quædam Mſs. in Abbatia Werdinienſi, non longe a Colonia, reperta ſunt. Codex erat membranaceus vetuſtiſſimus, argenteis ſcriptus characteribus, quin & aureis initialibus literis ornatus; hinc nomen inditum Exemplari, *Codex argenteus*. Emptum eſt 500. ducatis pretioſum illud vetuſtatis monumentum a D. de la Gardie Sueciæ Cancellario, quod deinde exſcribens Franciſcus Junius, publici juris fecit Ann. 1665. additis Notis D. Mareſchalli, & Lexico.

Ulphilas Arianam ſectam profitebatur: verum ſive opus adornavit antequam a fide deſciſceret, ſive ea, quam profitebatur, ingenuitate, ſive metu ne doli mali convinceretur, illud plane conſtat, loca omnia, quibus maxime hæreſis impugnatur, integra fide in ejus Verſione ſervari. Unus eſt in cap. 13. S. Joannis Textus, qui ſuſpicandi anſam præberet; ſed facta ejus cum altero ejuſdem Interpretis loco collatio, ab omni illum fraudis ſuſpicione liberat. Fidem ſecutus eſt veteris & probatiſſimi Græci cujuſdam Codicis, cujus ille ſinceritati ſinceritate ſua adeo reſpondit, ut periiſſe reliqua hujus pretioſiſſimi monumenti ægre feramus.

Maxima omnium, quæ ex Verſionibus hiſce utilitas deducitur, illa eſt, nimirum conſtare ex illis quam ſecuti ſint legendi rationem veteres codices, unde Verſiones illæ exprimuntur; alioquin enim in ſcientia Græcæ Linguæ noſtra ætate nihil vetuſtis illis Interpretibus conceditur. Sed de genuina & vetuſta Græcorum originalium lectione non ſatis convenit, quod Exemplaria Græca diſcrepare plurimum hodie deprehendantur. Quare commodiſſime accidit noſſe quam lectionem Veteres ſecuti ſint, ut certa in noſtris Exemplaribus determinetur.

De Verſionibus quæ Latinis, quæ vernaculis noſtræ ætatis nihil agendum ducimus in præſenti, tum quod ab incepto nimis abduceremur, cum etiam quod labori par fructus non reſponderet. Gallicam Verſionem ad Latinum Textum & ad Vulgatam tunc etiam in Commentario ſequuti ſumus, cum Græcus Latino meliora præferre videretur. Sedulo pariter alicujus momenti variantia tam Græci & Latini quam Græcorum Exemplarium, ad infimas paginarum oras, ne Textus nimis infarciretur, adnotavimus.

Porro eamdem in Novi Teſtamenti interpretatione, quam in Veteris, methodum ſequuti ſumus, niſi quod plus aliquid in Novo laudavimus ex PP. Græcis & Latinis, genuinis ſcilicet divini hujus Operis Interpretibus. Junximus Authores Catholicos una cum illis, Eccleſiaſticæ traditionis in ſenſu Sacri Textus ſeriem continuantes. Nec in rebus criticis, & litteralibus Textuum expoſitionibus Authores Proteſtantes neglecimus. Fatemur autem ingenue;

(1) *In Append. ad Bibliot. Sac. P. Long. pag. 666.* (2) *Ludolf. Hiſtor. Æth. lib. 2. cap. 15. num. 6. 10. 11. 20.* (3) *Vide Jacob. Le Long. Bibl. Sacr. tom. 1. cap. 2. ſect. 9.* (4) *Pall. Hiſt. Lauſiac. c. 26.* (5) *Prodrom. Copht. cap. 8. Ita & Simon. Diſquiſ. Crit. de variis Bibl. Edit. cap. 21.* (6) *Pik Epiſt. ad V. Cl. Mill. Prolegom. ad N. T.* (7) *Vide Mill. Prolegom. in N. T. G. Prolog. 1399.* (8) *Vtſcam Epiſcop. Armen. apud D. Simon. Hiſtor. Critic. V. T. l. 2. c. 16.* (9) *Georg. Alexand. qui claruit ann 620. & poſt eum Sixt. Senenſ. l. 6.* (10) *Author vitæ S. Meſrop. apud P. Le Long. Bibl. Sac. cap. 2. ſect. 8. pag. 230.* (11) *Mill. Prolog. 1402.* (12) *Vide Mill. Prolog. 1396. & Præfat. in N. T. Goth.*

plus externæ opis retuliſſe nos in Novi quam in Veteris Teſtamenti interpretatione, quod Græcum N. T. eloquium plus multo innoteſcat, quam Hebræum Veteris. Major ſane fuit difficultas in conciliandis inter ſe Evangeliſtis, & mente S. Pauli attingenda: minima profecto in genuina verborum ſignificatione pandenda.

In hiſtoria Harmonica & Chronologica juxta quatuor Evangeliſtas eam Chronologiam ſecuti ſumus, quam D. Toynardus ſtatuit, cujus docti viri Harmonia nuper typis excuſa eſt. Cenſemus autem eum peritiſſimis Chronologiſtis Æram Vulgarem Eccleſiæ Latinæ uſu poſt Dionyſium exiguum receptam, nempe poſt ſæculum ſextum, triennio ſerius veram Epocham ab exorto Jeſu Chriſto repeti, adeo ut quo loco nos hodie annum Jeſu Chriſti 1715. ſupporamus, ſtatuendus eſſet annus 1718. Æquivocationi autem tollendæ in annorum adſcriptionibus duplicem Epocham conſignamus, vulgarem nempe, & veram; ut primus J. C. annus juxta Æram Vulgarem reſpondeat quarto J. C. juxta Epocham genuinam; & cum J. C. diem clauſiſſe ſtatuatur Æræ Vulgaris anno 33. ætatis, ejus loco juxta veram Chronologiam ſcribendum eſſet, ætatis 37.

IN EVANGELIUM S. MATTHÆI PROLEGOMENON.

S. Matthæus Evangelii, quod modo exponendum ſuſcipimus, Author, Alphæum habuit parentem (1), patriam Galilæam, Religione fuit Judæus & profeſſione Publicanus. *Publicanum* egiſſe ceteri Evangeliſtæ non ſatis exprimentes *Levi* tantummodo appellant, quod ſcilicet inviſum eſſet apud Judæos *Publicanorum* nomen, & munus (2). Sibi tamen vir Sanctus ea cautione utendum non cenſuit; ſed nomen ſuum & munus palam annunciat, quo beneficii a J. C. accepti, Apoſtolatus nempe, magis magiſque donum commendaret, ſuoque demonſtraret exemplo de miſeratione Dei nemini deſperandum (3). Urbis Capharnaum incola telonium habebat extra Urbem poſitum, in litore maris Tiberiadis (4), unde tranſiens Jeſus Virum ad ſui ſequelam invitavit.

Cognomen illud *Alphai* ſive *filii Alphai*, quod apud S. Marcum (5) obtinet, ſuſpicionem movit Veteribus nonnullis (6), cui fidem addunt Græci recentiores, fratrem habuiſſe S. Jacobum filium Alphæi ſive minorem, cujus tamen opinionis nulla ſpecies eſt veritatis.

Conjecturas quaſdam Grotius (7) congeſſit adverſus receptam illam opinionem, qua S. Matthæus cum Levi filio Alphæi, de quo SS. Marcus & Lucas, confundit. Obſervat ille, 1. S. Matthæo numquam adjectum Levi cognomen, nec viciſſim Levi nomen S. Matthæi in omnibus N. T. Libris; 2. Heracleonem, a S. Clemente Alexandrino lib. 4. cap. 5. laudatum, Matthæum & Levi in duos viros diſtinguere, nec ejus ſententiam S. Clementem refutaſſe; 3. Origenem contra Celſum lib. 1. ſcripſiſſe, Levi Publicanum, qui Jeſu Chriſto comes acceſſit, inter Apoſtolos non recenſeri, niſi, ait, in quibuſdam Exemplaribus S. Marci. Profecto Exemplaria quædam illius Evangelii & inter cetera MS. Cantuarienſe legit Marc. 2. 14. *Jeſus vidit Jacobum filium Alphai*, alia legunt: *Vidit Matthæum Publicanum*; pro eo quod in Vulgata & pleriſque Codicibus tam MSS. quam impreſſis Græcis legitur *Levi Publicanum*. Addit Grotius, Levi præfecturam facile geſſiſſe telonii; Matthæum vero miniſtrum ejus fuiſſe; & convivium, de quo S. Matthæus, non in Matthæi domo ſed Levi inſtructum.

En Grotii conjecturas, quas minus habere ponderis agnoſcimus, ut contra Veterem opinionem aſſertam adeo, omnibuſque hiſtoriæ circumſtantiis congruentem, quemadmodum ipſe etiam Grotius fatetur, valeat. Heracleonis authoritas, Origenis dubitationes, ſilentium S. Clementis, quorumdam Mſs. lectio tantine facienda eſt, ut Codicum omnium, & perpetui omnium Scriptorum aſſenſus, tum & 17. ſæculorum poſſeſſionis fidem enervet?

Fauſtus Manichæus olim, ſcriptum a S. Matthæo Evangelium, quod ejus nomine habemus, negandum ſibi ſuſceperat; quod ſcilicet, cum in eodem Evangelio ejuſdem Matthæi vocatio refertur, non ſcripſerit Sacer Hiſtoricus: *Jeſus vidit me, & ait mihi, ſequere me*. Bella Authoris ratiocinatio, digna ſane, cui adeo ſolida, & gravis Auguſtini refutatio opponeretur (8). Rufinus l. 10. c. 9. & Socrates l. 1. c. 19. aliique nonnulli (9) tradunt, S. Matthæum in Æthyopia Evangelium annunciaſſe; in Perſide ſive apud Parthos S. Ambroſius in Pſ. 45. S. Paulinus (10), aliique. Incerta omnia; & cum non raro apud Authores Æthyopiæ nomen latiſſimo ſenſu uſurpetur, deſignatam facile credimus eo nomine Provinciam quamdam Regni Parthorum, ex quo nullo negotio utraque hæc ſententia conciliaretur.

Antequam e Judæa digrediens in remotas Provincias Evangelii annunciandi gratia proficiſceretur (11), quo Fidelium Palæſtinæ votis annueret, ea quæ viva voce prædicaverat, literis mandare aggreſſus eſt. Scripſit ergo Evangelium, bonum nempe nuncium ſalutis, & libertatis, quam J. C. mortalibus omnibus largitus eſt. Apoſtolorum precibus, & juſſionibus ad eam rem virum ſanctum impulſum Patres nonnulli (12) aſſeruerunt. Scripſit Jeroſolymæ (13), uſus ſermone Hebræo, ſive Syriaco, Palæſtinis Judæis tunc temporis vernaculo (14). Ea res tamquam certa a priſcis omnibus Scriptoribus traditur.

Opus hoc ſuum ſuſcepiſſe (15) refertur S. Matthæus anno octavo poſt reſurrectionem J. C. & 41. Æræ vulgaris. Eam temporis adſcriptionem ſervant in calce operis vetera omnia Græca Mſs. Omnium primum ſcribendi Evangelii conſilium ab eo ſuſceptum tradunt SS. PP. cujus rei argumentum eſt pariter ordo, quem in omnibus Exemplaribus N. T. tenet: eſt enim omnium Evangeliſtarum primus. S. Irenæus l. 3. cap. 1. ſcripſiſſe perhibet circa an. Ch. 61. cum, ait

(1) *Marc. 2. 14. Luc. 5. 27.* (2) *Hieron. in Matt.* (3) *Chryſoſt. t. 6. homil. 28.* (4) *Mar. 2. 13. 14. Luc. 5. 28.* (5) *Mar. 2. 14. Vidit Levi Alphai ſedentem ad teloneum.* (6) *Chryſoſ. hom. 23. Theodoret. Pſal. 67. ver. 28.* (7) *Grot. ad Matt. 9. 9. Vide & Cleric. in Hamm. ad Luc. 5. 27.* (8) *Auguſt. l. 17. c. 4. contra Fauſt. Manich.* (9) *Euther. qu. l. 1. p. 379. Fortun. l. 5. c. 2. Gregor. in Reg. 9.* (10) *Paulin. carm. 26. Ita Martyrolog. ſub nomin. Hieron. & alii.* (11) *Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 24. Chriſ. in Matth. hom. 1. Iren. lib. 3. cap. 1. Hieron. de vir. illuſtr. aliique.* (12) *Euſeb. Iren.*

(13) *Euſeb. Demonſt. l. 3. c. 24. & mſs. Græca Evangelii ſecund. Matthæum ad calcem, Ita Chryſoſt. Theophyl. &c.* (14) *Ita Codd. mſs. plures, Syr. Arab. Per. Athan. in Synopſi, Iren. Origenes, Hier. Epiph. Chryſ. Theophyl. Euthym. alii paſſim.* (15) *Athanaſ. in Synopſ. de Matth. Theophyl. Euthym. in Matth. Nicephor. lib. 2. cap. 45. Euſeb. in Chronic.*

ait ille, eo tempore ſe ad opus accingeret, quo SS. Petrus, & Paulus Romæ Evangelium annunciantes Eccleſiæ J. C. fundamenta locabant. Verum eo ſemel admiſſo, nimirum S. Matthæum omnium primum Evangelium ſcripſiſſe, & S. Marcum ſuum illud adornaſſe circa a. 43. epocham S. Irenæi deſciviſſe cogemur (1). Cornelius a Lapide, Baronius poſt Authorem imperfecti in S. Matthæum autumant, ſcribendi occaſionem dediſſe primam Apoſtolorum diſperſionem, circa 3. vel 4. annum a J. C. in Cœlum recepto. Sed ejus diſperſionis anno incerto nihil exinde certi deduceretur.

Summo Veterum aſſenſu traditum eſt, hoc S. Matthæi Evangelium Hebraico ſermone vel Syro tum temporis Palæſtinis vernaculo ſcriptum fuiſſe (2). *Chaldaica Syroque ſermone, ſed Hebraicis literis, ſcriptum*, ait S. Hieronymus adverſ. Pelag. lib. 3. cap. 1. Judæis Palæſtinis ad Chriſtiana ſacra translatis uſibus ſerviit, qui obſidionem Urbis per Romanos vitaturi Pellam Urbem Transjordanam digreſſi una illud tranſtulerunt. Inde per totam Decapolim & Transjordanam regionem ſcriptum illud obtinuit, quo pariter uſos ejuſdem Regionis Chriſtianos ætate S. Epiphanii (3), & Euſebii (4) conſtat.

Codicem quemdam Evangelii S. Matthæi vel ſecundum Hebræos præ manibus habuiſſe & Græcis Latiniſque literis tradidiſſe ſe S. Hieronymus teſtatur. Addit inſuper laudari idem Exemplar ab Origene; neque umbigere ſe, quemadmodum nec S. Epiphanium ipſum eſſe Autographum S. Matthæi; quamquam a Chriſtianis Hebraizantibus, quorum plerique patrum ſanctæ purioris fidei depoſitum ſervarint, in pluribus interpolatum (5).

Prima igitur huic interpolationi via aperta eſt, quod plura ex ipſis Apoſtolis ſive prioribus Diſcipulis audita addenda reputarunt. Hinc creata in Evangelium illud penes ceteros Fideles ſuſpicio. Deinde ſemel aperto interpolandi Textum aditu, Ebionitæ addenda ſibi plurima atque detrahenda, prout erroribus ſuis conduceret, ſuſceperunt; ex quo ceteris Fidelibus rejiciendi Operis occaſio data eſt. Ipſa Origenis ætate, i. e. ſecundo ſæculo (6), e Sacrorum Librorum authoritate Evangelium illud exciderat. Inter Apocrypha rejicit Euſebius; quæque ex eodem Evangelio apud S. Ignatium, S. Clementem Alexandrinum, S. Hieronymum, & alios laudantur ex eodem Evangelio ſententiæ, fruſtra in Græco quærendæ, illius interpolationem ſatis ſuperque demonſtrant.

Puerilia etiam plura & erronea in eodem Libro legebantur, ut illud de juvene, cui a J. C. denunciatum: *Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*; quem juvenem legimus in eodem Evangelio abiiſſe ſcalpentem ſibi caput (7). Jeſum Chriſtum invitum a S. Joanne aqua Baptiſmatis tinctum ex eodem Evangelio refert S. Hieronymus lib. 3. contra Pelagium cap. 1. Laudat etiam ex eodem Evangelio Hebræorum Sanctus Hieronymus in Epiſtol. ad Epheſ. 5. 4. illam ſententiam: *Numquam læti ſitis, niſi cum fratrem veſtrum videritis in charitate.*

S. Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1. refert ex eodem: *Qui admiratus fuit regnabit, & qui regnaverit requieſcet*; & illud: *Secretum meum mihi, & omnibus Domus meæ*. Potuit tamen poſteriorem hanc ſententiam decerpſiſſe S. Clemens ex Evangelio ſecundum Ægyptios interdum ab ipſo laudato. Origenes in Joannem cap. 2. loquentem inducit Jeſum Chriſtum juxta Evangelium ſecundum Hebræos: *Modo accepit me mater mea S. Spiritus unam capillorum meorum, & me in montem magnum Tabor portavit*. Curſim hic adnotandum Hebræum *Ruah* nempe *Spiritus*, vocem eſſe fœmininam; hinc data occaſio illis verbis: *Mater mea S. Spiritus*. Hæc pariter verba S. Spiritus ad Jeſum Chriſtum e fluentis Jordanis poſt Baptiſmum S. Joannis aſcendentem leguntur: *Fili mi, ego expectabam adventum tuum in omnibus Prophetis: Tu es filius meus dilectus, qui in æternum regnas*. Et alibi (8): *Et ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei: Joannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum; eamus & baptizemur ab eo. Dixit autem eis: Quid peccavi, ut vadam & baptizer ab eo? Niſi forte hoc ipſum quod dixi ignorantia eſt.* Plura eſſent alia ex eodem Evangelio congerenda, quæ nos opportune in Commentariis laudavimus.

Non abs re credimus, ipſum eſſe Hebraicum S. Matthæi Evangelium, quod nomine Evangelii duodecim Apoſtolorum a pluribus laudatur (*). Ita enim a Chriſtianis Hebraizantibus appellatur, ratis illud ex Apoſtolorum Collegio ſe recepiſſe, atque in eo collecta omnia, quæcumque e loquentium ipſorum ore auſcultata fuerant. Dictum eſt etiam Evangelium Nazaræorum (9), quod eo uterentur primi illi Chriſtiani Nazaræi, ex Nazareth Jeſu Chriſti patria appellati. Nihil probroſum primo nomen illud ſonabat; deinde Hæreticos certæ cujuſdam ſectæ denotavit; qui adeo Legalibus ceremoniis hærebant, ut nullam abſque illis reſtare ſalutis ſpem blaſphemarent.

Diu quidem hujus Evangelii ſanctum integrumque depoſitum manſit penes Nazaræos ſive priores Fideles (10), manſit, inquam, etiam poſt ejus interpolationem fraude Ebionitarum, qui facta a fide ſeceſſione plura in Divinitatem J. C. & virginitatem B. Mariæ erronea effutierunt.

Erant etiam S. Hieronymi ætate Nazaræi (11), quibus nihil tale ac Ebionitis exprobrabatur. Nihil ex Evangelio detraxerant, nullam ex traditionibus Phariſaicis recipiebant; quamquam alioqui obſervationi Legalium inhærerent.

Docet etiam Theodoretus (12), adjectam pariter Evangelio Nazaræorum inſcriptionem; *Evangelium S. Petri* (13) ſive *Evangelium ſecundum Petrum* (14). Utebantur eo S. Petri Evangelio *Docetæ* hæretici ſecundi ſæculi, blaſphemantes Jeſum Chriſtum in ſpeciem tantum natum, in ſpeciem pariter mala paſſionis mortemque ipſam toleraſſe. Hujus ſectæ Authorem ſe ducemque præbuit Julius Caſſianus (15), diſcipulus Valentini, qui ſub Imperio Marci Aurelii nova hac hæreſi Eccleſiam afflixit. Serapio Epiſcopus Antiochiæ ſub Commodo cum Marciano ejuſdem Caſſiani Diſcipulo conflixit (16).

Traditio S. Petri (17), qua Heracleon Valentini amicus utebatur, ipſum erat Evangelium ſecundum Petrum, de quo impræſentia. Omnes porro Hæretici illi e cœtu priorum Fidelium ex Hebræis ſeceſſionem fecerant; quare omnes idem præferebant Evangelium; ſinguli prout ſibi commodum cenſebant addendum ſibi aliquod detrahendumque ſuſceperunt; reapſe tamen idem erat omnibus Evangelium Hebraicum S. Matthæi.

Originale S. Scriptoris Evangelium hodie periit; quæ enim publici juris facta ſunt a Munſtero Baſileæ 1533. a du Tillet Pariſiis 1555. nullius ſunt authoritatis, & ex Latino expreſſa, atque recentiora ab Eruditis creduntur (18). Quædam etiam in illis ad Rabbinorum genium expreſſa animadvertuntur, quibus aliiſque characteribus ſuppoſitionis & novitatis

(1) *V. Not. 5. Tillemont. in S. Matt.* (2) *Orig. hom. 8. in Matth. Iren. apud Euſeb. l. 5. c. 10. Hieronym.* in *Catalog. Epiphan. Hæreſ. 29. Theodor. de hæreſ. &c.* (3) *Epiphan. hæreſ. 29. c. 7.* (4) *Euſeb. l. 3. c. 25. Hiſtor. Eccleſ.* (5) *Vide Hieron. in Catalog. V. Matthæus, & V. Jacobus, & in Matth. 12.* (6) *Hom. 8. in Matth. Edit. Lutet.* (7) *Vide orig. in Matth. c. 8.* (8) *Hieron. l. 3. contra Pelag. c. 1.* (*) *Apud Origen. homil. 8. in Matt. Ambroſ. Proœm. in Luc. Hieron. l. 3. contra Pelag. c. 1.* (9) *Iren. l. 1. c. 26. & l. 3. c. 11. Hieron. in Matth. 12.*

(10) *S. Ignat. apud Euſ. hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 36. S. Hieron. in Matt. S. Epiph. hæreſ. 30. in fin.* Evangelium illud tamquam genuinum S. Matthæi laudant. (11) *Hieronym. in Iſai. 8. 9. & 29. 20. & 31. 6. & 9. 2.* (12) *Theodoret. hæret. Fabul. l. 2. c. 2.* (13) *Fragm. Serapion.* (14) *Euſeb. l. 6. c. 3. Orig. in Matth. pag. 232. Edit. Huet.* (15) *Clem. Alex. l. 3. Strom.* (16) *Euſ. l. 6. c. 12. Hiſt. Eccl.* (17) *Orig. Clem. Alex. Euſeb.* (18) *Grot. init. Comment. in Matt. Huet. de Claris Interpp. §. 22. Heidegger. Enchirid. Bib. l. 3. c. 2. Mill. Proleg. 1236.*

note meritiſſima Exemplaria illa inuſta ſunt. Monſtrari tamen præ altero mendoſios, utpote ex Autographo mutilo & imperfecto deſcriptum.

D. Millius poſt Titum Boſtrenſem (1) autumat, *Evangelium Hebræorum*, de quo huc uſque, recentiſſime poſt paſſionem Jeſu Chriſti procuſum a Viro aliquo Fideli Jeruſolymis verſante, qui Jeſum Chriſtum facie noſſet, & ex illis Evangeliis unum cenſet, quemadmodum & Evangelium Ægyptium, quorum S. Lucas in ipſo Evangelii ſui exordio meminit, teſtatus hiſtoriam rerum ab initio geſtarum pluras ſcribendas ſuſcepiſſe (2). Porro conjectura iſta certum conſtituit, quod nobis ſuſpicioſum maxime creditur vel etiam abſolute falſum; nimirum Evangelium Hebræorum aliud eſſe ab Evangelio Nazaræorum, ſicut & ab Opere S. Matthæi diverſum. Arbitramur enim omnia hæc ſcripta variis tantum additamentis, ſicut & detractionibus quibuſdam Hæreticorum injuria factis inter ſe diſparare.

Hue uſque a nobis deducta de Originali Hebraico S. Matthæi in dubium a nonnullis noſtræ ætatis Criticis revocantur (3). Statuunt nimirum illi S. Scriptorem Græcis literis Opus ſuum mandaſſe, & quæcumque de Evangelio illo Syriace, Chaldaice, ſive Hebraice (4) ſcripto a SS. Patribus feruntur, ſive falſa eſſe, ſive incerta, vel ſaltem præpoſtere intellecta. Non ſatis enim inter Veteres ea in re convenit, nec ſinguli aliquando ſecum ipſi cohærent. S. Hieronymus interdum velut eximium Opus commendat (5), pluribus laudat; cum tamen de reformandis Exemplaribus N. T. ſive juſſu Damaſi vertendo Evangelio agitur, Originali illo neglecto ad Græcam veritatem recurrit (6). Origenes laudat quidem ſæpe (7); interdum tamen leviſſimæ eſſe authoritatis Opus deſignat. S. Epiphanius, qui ſemel illud tamquam authenticum non ſine elogio uſurpat (8), alibi tamen ſuggillat tamquam mutilum & corruptum (9).

Cum autem Græca lingua vulgaris in Palæſtina ea ætate haberetur, e re maxime fuerat ſi Græcis literis S. Matthæus Opus ſuum traderet; quippe quod populo e vulgo potius, quam Sapientibus ſcriberetur. Profecto ſcriptum Hebraice Opus, cur oblivioni tandem traditum periiſſet? Nemine enim diffitente Hebraica illa Evangelia poſt aliquot annos excuſa longe diverſa ſunt ab Originali S. Matthæi; quod idem judicium de Syriaco ferendum eſt, quidquid in contrarium Editores ejuſdem Teſtamenti Syriaci adnitantur. Addunt inſuper, vix fieri potuiſſe ut Opus a S. Matthæo Hebraice ſcriptum, Græcas interpretationes nominum Hebræorum præſeferret, quæ tamen in Evangelio S. Matthæi ſpectantur. Numquam etiam ejuſdem Auctor teſtimonia Scripturæ e Verſione Septuaginta laudaſſet. Porro tum temporis vulgaris erat per univerſum Imperium Græcæ linguæ uſus in familiaribus conſuetudinibus; ut S. Paulus Græce ad Romanos ſcriberet, & SS. Petrus, & Jacobus Epiſtolas darent Græcas ad Judæos diſperſos; quemadmodum Sanctus Paulus ad Judæos Palæſtinæ. Ut quid igitur unus S. Matthæus inter omnes Novi Teſtamenti Authores Græce ſcribentes Hebræum affectaſſet? Fulciendæ pariter huic ſententiæ Rabbinorum ſuffragium petitur, pronunciantium piaculare eſſe Libros Sacros alteri quam Græcæ linguæ tradere (10). Hæc momenta hujus ſententiæ.

Sed ejus aſſertores conſueto ſupercilio ſtultitiæ damnat Iſaacius Voſſius (11), & contemptu potius quam refutatione dignos judicat. *Stulti ſimus ſi iſtiuſmodi deliriis aliquid reponamus.* Imprudens tamen ille adverſariis ſuis, quos tantopere traducit, arma ſubminiſtrat, defendens, Græcum ſermonem vernaculum fuiſſe Palæſtinorum Jeſu Chriſti ætate, ut Chaldaicum vel Syriacum unis tantum viris doctis reſervaretur; Jeſum Chriſtum, Apoſtolos, & Judæos omnes Jeruſolymæ verſantes Græce tantum locutos. Sed unde, quæſo, Evangeliſtæ Hebraicas quaſdam vel Syriacas voces tamquam a Jeſu Chriſto prolatas non ſemel referunt (12)? Unde S. Paulus ad Judæos in Templo pro concione loquens Hebraica vel Syriace perorat (13)? Unde Paraphraſes Chaldeæ paulo poſt Jeſu Chriſti ætatem in favorem populi Græco eloquio rudis adornatæ.

Quo tamen rationes negantium ſcriptum Hebraica a S. Matthæo Opus directe petamus; reponendum eſt primo, ea, quæ in teſtimonio Veterum repugnantia animadvertuntur, in ſpeciem tantum ſibi ipſis adverſari. Idem enim Textus varia ad diverſa tempora & perſonas, quæ illo utebantur, relatione ſpectatus a ſe ipſo diſformis, variis Authorum teſtimoniis unus idemque ſuffecit. Primo enim integer erat, purus, ſacer, & aſſertæ fidei; deinde nonnullis additionibus minoris momenti & fidei ſubleſtæ interpolatus eſt; quomodo in manibus Nazaræorum uſque ad quartum ſæculum manſit. Simul tamen exeunte priori ſæculo corruptus eſt mala fide ab Ebionitis; atque in Hæreticorum manibus ſpectatum Opus velut Hæreticum, Apocryphum & nullius authoritatis rejectum eſt ab Eccleſiis. Hinc variis Authorum ſententiis & opinionibus occaſionem unus idemque Textus præbuit.

2. Quæ de Græco ſermone tamquam in Palæſtina eodem tempore vernaculo feruntur, veritati prorſus non cohærent. Jeſum Chriſtum Hebraice locutum ex ipſo Evangelii teſtimonio intelligimus. 3. Græca Hebræorum nominum expoſitio ſcriptum Græce Evangelium ita plane demonſtrat, quemadmodum nomina Hebræa Græce ſive Latine in Geneſi reddita ſcriptum Græce vel Latine Opus minime perſuadent. Quin & contraria omnia eo argumento probantur; non enim Hebraicorum nominum in altera lingua interpretatio alio conſilio adjicitur, quam quod Græci Interpretes vim nominum, de quibus in Originali, totam volunt Lectoribus pandere.

4. Magis quidem ad intentum in ſpeciem ſerviunt ea, quæ de laudatis ſententiis Veteris Teſtamenti juxta Verſionem Septuaginta animadvertuntur; quo uno eo argumento, ſi veritate conſtaret, aliquid ſane, non quidem omnia convincerentur; cum fieri optime potuiſſet, Interpretem Textu ſeptuaginta veluti omnium probatiſſimo utendum ſibi cenſuiſſe, pro eo quod S. Matthæus Hebræum laudaret. Sed hæc veritati non conſtant. S. Matthæus non verba plerumque ſed Prophetarum ſenſum uſurpat; & ex decem ſententiis V. T. ab eo relatis, ſeptem (14) ad Hebræum magis quam ad Septuaginta accedunt. Tres tantummodo Septuaginta reſpondent (15); ſed illæ viciſſim cum Hebræo congruunt; ut proinde cum Septuaginta, & cum Hebræo conveniſſe pariter habeantur. Conſule S. Hieronymum in Catal. Script. in Matt. qui luculenter obſervat, S. Matthæum non Septuaginta ſed Hebraico Codice uti.

Cum itaque de Evangelio Hebraico S. Matthæi agendum eſt, quo æquivocatio omnis tollatur, tempora & perſonæ ſedulo diſtinguenda ſunt. Purum omnique putamus ex Evangeliſtæ manibus exiit, & ex puro pariter probatæque fidei Autographo jam inde ab initio Græcæ Latinæque Verſiones derivatæ ſunt. Dein Chriſtiani hebraizantes ſive præpoſtero zelo, ſive inſcitia, ſive præſumptione adjicienda ſibi quædam bona fide cenſuerunt; quæ nimirum illos ex Fidelibus, qui Jeſum Chriſtum norant, & ex Apoſtolis didiciſſe contigerat. Is Exemplaris ſtatus in manibus Catholicorum Nazaræorum diutius manſit, apud quos ſcilicet non integra quidem fide ſanctèque Depoſitum illud ſervatum eſt; quamquam non ea eſſet corruptio, quæ

reji-

(1) *Tit. Boſt. in mſ. Colleg. nov. apud Mill. Proleg. p. 120. col. 2.* (2) *Luc. 1. 1.* (3) *Eraſm. in Matt. 6. 2. & 5. 22. & 8. 22. & 19. 5. Apol. ad Stunicam. Cajet. ad Matt. 2. 23. Calvin. ad Matt. 2. 6. Gomar. Differt. Oper. tom. 3. p. 523. Ligfoot. Hor. Hebr. ad Matt. 1. 23. Vittaker. Schmith, Fraſſen Diſquiſ. p. 661. 662. Beza ad Matt. 1. Caſaubon. in Baron. Illyr. Clavic. Diſſer. 3. in ſuum Concord. Ev. alii plures.* (4) *Hieron. l. 2. de Script. Eccleſiaſ. & in Matt. 12.* (5) *Idem Præfat. in quatuor Evang.* (6) *Hieron. in Commen. in Matt. 12.* (7) *Orig. hom. 8. in Matt. in Edit. Latin.* (8) *Epiph. hæreſ. 29.* (9) *Idem hæreſi 30. & 51.* (10) *Vide Jeroſolym. Megillat, fol. 9. apud Ligfoot. in Matth. Hor. Hebr. Vide & Byna de Natali Chriſti l. 1. c. 1. art. 15.* (11) *Iſaac. Voſſius Præfat. Append. in l. 2. de 70. Interpret.* (12) *Matth. 27. 46. Mar. 14. 36. & 5. 41.* (13) *Act. 21. 40. & 22. 2. & 26. 14.* (14) *Vide Matt. 1. 23. & 2. 6. 15. 17. & 4. 10. 15. & 8. 17.* (15) *Matt. 3. 3. & 4. 4. 7.*

rejiciendum prorſus Librum, & e manibus Fidelium detrahendum ſuaderet.

Ex ipſo Eccleſiæ Nazaræorum ſive Chriſtianorum hebraizantium cœtu ſeceſſionem fecit priori ſæculo exeunte & ineunte ſecundo ingens hæreticorum turba, divinitatem Jeſu Chriſti & Mariæ Virginitatem negantium, quibus etiam erroribus plura & maximi plane momenti adjecerunt. Erroribus ſuis fulciendis interendum ſibi detrahendumque in Evangelio S. Matthæi, quod unice pleique probabant (1), utpote præ ceteris omnibus ſibi conducens, inſerendum, inquam, ſuſceperunt, quidquid præjudicatis ſingulorum opinionibus maxime cenſerent opportunum. Itaque idem prorſus Evangelium, quod in Nazaræorum manibus laudatur probaturque, penes Ebionitas rejectum velut Hæreticorum commentum damnatur. Ne vero Scriptum illud a quoquam agnoſci contingeret, neve doli mali Hæretici illi, tamquam genuini Textus interpolatores, convincerentur, perſonatum titulum nomenque addiderunt, appellantes: *Evangelium duodecim Apoſtolorum, Evangelium S. Petri, Nazaræorum, vel Ebionitarum &c.*

Non eſt igitur cur admiratione aliqua teneamur, ſi Hebraicum Evangelii hujus Exemplar noſtra ætate penitus interciderit, cum interpolari illud diluculo adeo contigerit. Semel vero Ebionitarum fraude corruptum, cum nullis prodeſſet Catholicorum uſibus, negligi ab Eccleſiis jure meritoque par fuit. Plus aliquid cautionis in ſervando Evangelio Nazaræorum adhibitum eſt: ſed cum ea hominum eſſet infrequens, ac tandem veluti Hæretici ipſi pariter haberentur, quod Legalibus ceremoniis plus nimio inhærerent; tandem factum eſt, ut ipſi pariter cum Evangelio ſuo evaneſcerent. Rari erant Catholici, qui Hebræum iſtud Exemplar intelligerent, ſive qui uti illo poſſent, vel ſi maxime poſſent, voluiſſent. Græco potius inhærendum ſibi cenſuerunt, cujus aſſerta erat authoritas, ſeu Verſionibus e Græco adornatis; id enim conducibilius viſum eſt, quam ut ad Hebraicos Codices corruptos plane, vel ſaltem maxime ſuſpectos confugerent.

Nihil Rabbinorum authoritatem moramur, quorum ſententia piaculare eſt Sacros Libros aliis, quam Græcorum literis tradere. Bellam ſane objectionem! cum tandem de facto aliquo, ut impræſentia, agitur, unanimis Veterum omnium aſſenſus, qui vidiſſe, legiſſe, vertendum ſuſcepiſſe, revocaſſe in examen vetus illud Originale aſſeverant, majoris ponderis habendus eſt, quam deductæ ex rerum convenientia Scriptorum noſtræ ætatis ratiocinationes. Neque intentum convincis ſi quis afferat, veterem illum Hebræum Textum, Origeni, S. Hieronymo, aliiſque viſum, e Græco Originali expreſſum fuiſſe; neque enim hæc aſſerenda tantum, ſed etiam ſolidis adductis rationibus fuerant demonſtranda.

Verſio Græca, quæ ſola noſtra ætate ſupereſt, & poſt Hebraici Originalis amiſſionem originalis habetur, ad ipſa Apoſtolorum tempora ſpectat. Temere prorſus, & nonniſi divinando quidam tribuunt S. Jacobo Epiſcopo Jeruſalem (2), S. Joanni Evangeliſtæ (3), S. Paulo (4), S. Barnabæ, S. Lucæ, atque ipſi tandem S. Matthæo, qui opus ſuum Hebraicis, Græciſque literis conſignarit. Inter tot ambigua id unum conſtat, Verſionis hujus ſine controverſia vetuſtiſſimæ certum Authorem ignorari. Papias apud Euſebium (5) tradit, plures fuiſſe, qui pro modulo ſuo vertendum ſibi Græce opus ſuſceperint. Incertior adhuc reputandus eſt Author Latinæ verſionis ex Græco ab ipſo Eccleſiæ exordio adornatæ, quod nos in ſuperiori Prolegomeno demonſtravimus.

Illum maxime ſcribendi finem ſpectaſſe S. Hiſtoricum S. Auguſtinus obſervat (6), ut ſcilicet regale genus J. C. & humanam ejus inter homines converſationem deſcriberet. Id enim ſuarum eſſe partium potiſſime duxit, ſi geſta omnia, & inſtitutiones J. C. referret, in quibus ſapientiam ipſe ſuam cum majeſtate adeo temperaſſet, ut exemplum exhiberet imbecillitati mortalium accommodum. Neminem ex Evangeliſtis præ illo ſingillatim ſingula percurriſſe S. Ambroſius animadvertit; addens ſimul, neminem vitæ normam & morales inſtitutiones maxime naturæ humanæ J. C. conformes præ S. iſto Evangeliſta expreſſiſſe (7). Eumdem locum inter Evangeliſtas tenere ait S. Petrus Damiani (8), quem Moyſes inter Scriptores V. T. utrique enim primas defertur, illi inter Veteris, huic inter Novi Fœderis Scriptores.

Cum S. Matthæus opus ſuum auſpicaretur, inter Apoſtolos, & Judæos magna illa quæſtio agitabatur, utrum Chriſtus Meſſias habendus eſſet? Ultro quidem dabant Judæi, Chriſtum e Maria parente natum Bethleem produiſſe, Nazareth innutritum, Davidicum genus referre. Norant omnes tum prædicationis illius, tum mortis hiſtoriam; ſed Filium Dei, Meſſiam, & e virgine parente natum eſſe pervicacius negabant; ejus prodigia magiæ deputabant, tamquam ſeductorem denique Legiſque everſorem accuſabant. Accuſabant & Apoſtolos, tamquam malæ fidei teſtes, & qui furtim ſublato Præceptoris cadavere e mortuis ſurrexiſſe illum venditarent.

S. Matthæus contra illos J. C. Divinitatem aſſerit, e virgine parente ſatum, ac tandem veniſſe illum non evertendæ Legi, ſed perficiendæ demonſtrat; ejus vero prodigia neque humano artificio, neque magicis præſtigiis tribuenda; quin potius eum rata eſſent & Divina argumentum ex illis duci inconcuſſum, quo verum eſſe Meſſiam J. C. demonſtraretur. Hæc operis idæa.

Si Evangelium iſtud cum ceteris conferatur, rerum geſtarum ſeriem aliter ab illo, atque apud alios dirigi ſtatim apparebit: quod mire torquet Chronologos, & Interpretes. Alii temporum ordinem ſecutum Scriptorem; alii vero neglectum ab illo autumant; facilius enim unus ordinem temporis, quam tres inverriſſe crederentur. Accedit huic opinioni ſuffragium ex S. Marco, qui in reliquis S. Matthæum hiſtoriæ ducem ſequutus, alium tamen chronologiæ ordinem ſervat.

Unde vero hæc in Matthæum? Caſune illud vel ex induſtria? Incertum plane. Sunt qui meditato conſilio id affectaſſe S. Scriptorem credant (9), ut plures, veluti ſub uno conſpectu hiſtorias argumento ſervientes proponeret, quo Judæos incredulos magis magiſque revinceret. Malunt tamen alii, hanc ordinis inverſionem fortuito caſui (10), ex tumultuaria ſchedarum S. Scriptoris collectione tribuere.

Quæ ſi vera ſint, oportet ſane poſt S. Marcum contigiſſe: facile enim S. Marcus ordinem chronologicum, quem in Exemplari S. Matthæi, unde Evangelium ſuum expreſſit, ſecutus eſt. Quomodocumque tandem res habuerit ſeſe, nos in Chronologia noſtra atque rerum ſerie deducenda S. Marco, S. Lucæ, & S. Joanni ita inhæſimus, ut a S. Matthæo poſt cap. 4. 22. uſque ad 14. 13. penitus recederemus.

HAR-

(1) *Iren. l.1. c.26. & l.3. c.11.* (2) *Athan. ſeu alius in addit. ad Synopſ.* (3) *Theophylact. præfat. in Matth.* (4) *Anaſt. Synaita ſerm. 8. in Gen.* A Luca, & Paulo. (5) *Ap. Euſeb. l.3. c.39. Hiſtor. Eccleſ.* (6) *Aug. l.1. de Conſenſ. Evangel. Vide & Tertull. de Carne Chriſti c.22. Vide & Theophylact. Proœm. in Matth.* (7) *Ambroſ. Præfat. in Luc.* (8) *Petr. Damian. ſerm. de S. Matthæo.* (9) *Vanſil.* (10) *Toynard. Prolegom. ad Harmon. c. 1. §. 5.*

HARMONIA

QUATUOR EVANGELIORUM,

V E L

Synopſis Vitæ Jeſu Chriſti Chronologico ordine deducta. A. M. 3999. Periodi Julianæ 4709. ante Chriſtum natum A. 2. ante Æram Vulgarem 5.

Conceptio Joannis Baptiſtæ.

CUM divinæ providentiæ conſilio venturo in mundum Meſſiæ Præcurſor pararetur, Zachariæ Sacerdoti e familia Abiæ divinitus renunciatum eſt, futurum, ut e conjuge ſua filium gigneret, cui Joannis nomen imponeretur. Cum Angeli Gabrielis alloquio lætum nuncium acceperit Zacharias, in Sancto verſabatur, munus ſuum, incenſum Domino adolendi, implens; ſed cum Angelicis dictis fidem renuiſſet, acterum loquendi uſu privatus obmutuit (1). Nec multis ab hinc diebus reſtituto jam Zacharia in domum ſuam in Hebron, Eliſabeth ejus uxor concepit.

A. M. 4000. Per. Jul. 4710. Ante Æram Vulg. 4. J. C. 1.
Nuncium de orituro in Mundum J. C.

Poſt ſex menſes Angelus Gabriel coram Maria Sponſa Joſeph ſe ſiſtens, futuram illam mox parentem Servatoris Mundi, cui Jeſu nomen imponeretur, renunciavit. Maria S. Spiritus operatione concepit (2); & paulo poſt e Nazareth ad conſobrinam ſuam Eliſabeth, jam inde a ſex menſibus Præcurſore Meſſiæ fœtam, contendit.

Viſitatio.

Ad primam Virginis Mariæ ſalutationem Eliſabeth in nova gaudia & exilire ipſa ſe, & exultare pariter tenerum in utero fœtum ſenſit. Namque divino perfuſa lumine, quanta dignaretur viſitatione novit, atque viciſſim Maria tota in gratiarum actiones ad Dominum converſa, canticum effudit (3).

Joannis Baptiſtæ Natalitia.

Cum Eliſabeth felicibus auſpiciis puerum edidiſſet, cognati ejus omnes & vicini gratulatum ad illam venerunt, & octavo jam vertente die, quo pueri circumciſio decreta, cum ad eam rem deſtinati veniſſent miniſtri, de imponendo puero nomine diſceptatum eſt. Zachariam volebant propinqui; ſed mater Joannem præferebat. Requiſitus ea de re Pater, aſſumpto pugillari ſcripſit: *Joannes eſt nomen ejus.* Statimque linguæ vinculis reſolutis, ipſe Zacharias in laudes Dei effuſus, cum divino quodam œſtro ſubito afflaretur, extemporale canticum cecinit (4).

Joſephi ſuſpicio.

Mariam, poſt trium menſium in ædibus conſobrinæ moram, in Nazareth remeantem (5), Joſephus fœtam deprehendit: & cum nullo ſe maritali commercio noſſe uxorem ſuam ſciret, legum rigori puniendam tradere non tulit animus, ſed clam remittendam cogitabat. Talia meditanti apparuit per quietem Angelus Domini, totiuſque rei myſterium revelavit. Uxorem igitur domi ſuæ retinuit; quamquam non conjugis, ſed tantum (6) ſororis loco haberet.

Jeſus Chriſtus naſcitur die 25. Decembris, Feria 5. & 7. menſis Thebat.

Novem circiter poſt conceptum Filium Dei menſibus, Edictum Auguſtus Imperator promulgavit, quo ſingulis patribus familias injunctum, ut in loco natalitio vel originis ſuum quiſque nomen profiterentur. Principis imperio morem gerens Joſephus, e Nazareth una cum Maria uxore ſua Bethlecem, locum unde trahebat originem, aſcendit. In publicum Urbis diverſorium facti conjuges declinarunt, ubi Maria Primogenitum ſuum in dias luminis auras effudit. Cum vero nullus ibi commodior locus præberetur, reclinando infanti præſepe animalium ſelectum eſt (7).

Paſtores Infantem adoraturi veniunt.

Vix in Bethlecem nato Jeſu, Angelus Domini lætum ejus rei nuncium ad Paſtores in viciniis verſantes, & excubias nocturnas in gregem agentes, detulit. Nec mora, illi ad locum convolantes, Mariam, Joſephum, & Infantem in præſepio poſitum invenerunt. Viſa a ſe omnia obviis quibuſque narrabant, quod omnibus, ad quos rei fama pervenit, admirationi fuit & ſtupori (8).

A. M. 4001. Per. Jul. 4711. J. C. 1. ante Æram Vulg. 3.
Circumciditur feria 5. & 1. Januarii, 14. Thebat. A Magis adoratur.

Octo diebus natum puerum circumciſione initiandum, Jeſu nomine, Angelica viſione præmoniti parentes appellarunt (9).

Poſt aliquod temporis Magi ductu ſtellæ, quam ſub ipſa Jeſu natalia ſpectarant, ex Oriente Jeroſolymam venerunt. Ad primum eorum adventum conturbari omnes, cum maxime cujus rei gratia veniſſent, adorandi nempe recens nati Judæorum Regis, cujus viderant in Oriente ſtellam, audiere. Herodes, qui tunc valetudine affecta Jericho verſabatur, accitis ad ſe Sacerdotibus quæſivit, ecquem locum Meſſiæ patriam futurum ducebant. Illis Bethlecem deſignantibus, Rex aſtutum vocatos ad ſe clam Magos ire juſſit ad Regem, & cum inveniſſent, renunciare ſtatim, quo & ipſe pariter adoratum veniret.

(1) *Luc.1.5....22.* (2) *Luc.1.26....38.* (3) *Luc.1.39.56.* (4) *Luc.1.57.79.* (5) *Luc.1.56.* (6) *Matth.1.18.25.* (7) *Luc.2.1.7.* (8) *Luc.2.8...20.* (9) *Luc.2.21.*

niret. Digreſſi igitur Magi iterum ſtellam prius in Oriente viſam iter Bethleem ſignantem ſpectarunt; quę eum ſupra pueri contubernium ſe ſiſteret, eo indicio Magi locum ingreſſi, puerum invenerunt, agnitumque qua corporis obſequio, qua munerum oblatione adorarunt. Succedente autem nocte, ab Angelo per quietem admoniti, ne unquam committerent, ut ad Herodem regrederentur, per aliam viam ad propria remearunt (1).

Purificatio Mariæ, die 2. Februarii, 7. Sebat juxta Hebræorum ſupputationem.

Poſt 40. a puerperio dies Maria ſtato purificationis tempore a Bethleem Jeroſolymam ſe contulit, quo Filium ſuum in Templo coram Domino, & victimas a Lege fœminis poſt puerperium preſcriptas offerret. Simeon vir grandęvus Spiritus S. afflatus, eum eadem ipſa hora ad Templum ſe contuliſſet, manibus ſuis excipiens puerum gratias egit Deo quam maximas de tam inſigni accepto beneficio, ut ſcilicet tandiu ſibi vitę uſuram indulſiſſet, quouſque Servatorem Mundi & ſpem Iſraelis ſuiſmet oculis aſpiceret. Tum ad matrem converſus, futurum prænunciavit, ut ejus cor intimo doloris ſenſu premeretur, ejuſque Filius offendiculo & reſurrectioni multorum eſſet. Verſabatur pariter in Templo vidua ſanctiſſima, Anna filia Phanuelis, quę de viſis a ſe rebus hiſce omnibus in laudes Dei effuſa eſt; unde pariter rerum earum fama per totum Iſraelem increbuit (2).

Fuga in Ægyptum, 3. Februarii.

Secundum hęc ambo Conjuges ad propria jam remeaturi, ab Angelo per quietem a Joſepho viſo juſſi ſunt, puerum in Ægyptum deducere, quo furorem Herodis in necem illum mox quęſituri declinarent. Paruit Joſephus, atque iter Ægyptum verſus inivit (3).

Innocentium cædes. Joſephus Judæam repetit die 2. Aprilis circiter.

Cum Herodes illuſum ſe a Magis intelligeret, ſuiſque rebus vehementer timeret, metuens, ne tandem a novo Rege e Regno extorris ageretur, miſſa in Bethleem ſatellitum manu, trucidari mares omnes a biennio & infra in Urbe ejuſque finibus juſſit (4).

Poſt eam cędem quinque vel ſex diebus Herode fatis functo, Archelaus ejus filius regnavit; & Joſephus Angeli monitu, poſt menſem factaſſe, in Judęam reducere puerum juſſus eſt. Divertit autem in Nazareth Urbem Galilęę, ubi Jeſus Chriſtus uſque ad annum 30. ęrę vulgaris, ętatis vero 33. moratus eſt.

A. M. 4018. Per. Jul. 4728. Æræ Vulg. 9. J. C. 12. Iter Jeſu Jeroſolymam, 30. & 31. Martii, 15. & 16. Niſan.

Duodennis Jeſus una cum Parentibus Jeroſolymam ad Feſtum Paſchale ſe contulit. Impletis Legis juſſionibus Joſephus & Maria regreſſi ſunt, ratique redire pariter Jeſum in comitatu parentum five amicorum, nihil de eo requirentes unius diei iter confecerunt. Sed cum veſperi filium quærentes non inveniſſent, actutum Jeroſolymam repetierunt, quæſitumque invenerunt in Templo inter medios Doctores aſſidentem, percontantem, audientemque quæcumque ab illis dicerentur. Sollicitudinem ea de re ſuam Filio parentes ſignificarunt; illiſque quærentibus, reſpondit Jeſus, noſſe illos debuiſſe, nuſpiam niſi in Templo Patris Filium reperturos. Secundum hæc Nazareth cum parentibus repetens in eorum obſequiis perſeveravit (5).

A. M. 4032. Per. Jul. 4742. J. C. 31. Æra Vulgaris 28.
Joannes Baptiſta prædicationem ſuam auſpicatur A. J. C. 31. Æræ Vulg. 28. Joannis Baptiſtæ 32.

Joannes Zachariæ filius poſt exactam uſque ad 32. ætatis annum in deſerto vitam ad Jordanem exiens, Baptiſmi pœnitentiæ prædicationem exorſus eſt, & ad eum ex omni late adjacenti regione factus concurſus Baptiſmum poſtulantium, tum & criminum ſuorum exomologeſim facientium. Verba ad illos faciebat gravia, vehementique ſermone adhortabatur nullius perſonam reſpiciens; denunciabat ad radicem jam arboris ſecurim poſitam, & niſi prompta reſipiſcentia Deum ſibi redderent propitium, futurum, ut brevi gravem in ſe ejus ultionem experirentur. Plura milites docebat, Publicanos, Phariſæos, Sadducæos, & neminem tandem, qui ad ipſum veniſſet, monitis vacuum remittebat. Vitam agebat frugi oppido & auſteram; ſolis quippe locuſtis & melle ſylveſtri victitans, veſteque utens ex cameli ſetis contexta, quam pellicea zona adſtringebat (6).

Joannes Baptiſta Jeſum Chriſtum verum Meſſiam agnoſcit.

Cum ſingularis vitæ genere, datiſque præclaris virtutis exemplis Joannes emineret plurimum, ſuccurrit pluribus ſuſpicio, num Meſſiæ, qui venturus expectabatur, perſonam gereret & officium. Sed ille hanc a ſe opinionem depulit, alium ſe a Meſſia eſſe profeſſus; veniſſe autem, ut aquæ baptiſmate initiatum populum, tum ad pœnitentiam diſponeret, cum alteri venturo recipiendo compararet; alteri, inquam, cui ipſe & fortitudine & dignitate multo concederet, ne ſolvere quidem ejus corrigiam calceamenti ſibi ſumpſiſſet. Hunc autem ſcirent baptiſmum in Spiritu S. & igne collaturum; ventilabrum in manibus tenere, illud repurgandæ areæ ſuæ paleiſque flammis tradendis in promptu jam paratumque verſantem.

A. M. 4033. Per. Jul. 4743. J. C. 33. Ær. Vul. 30. Jeſus Chriſtus baptiſmate Joannis tingitur.

Ex omni late regione concurſu facto ad Joannem, venit inter cæteros e Galilæa Jeſus a quem a ſe baptiſma poſtulantem removit Joannes, ſe potius ab eo baptizandum eſſe profeſſus. Sed inſtanti Jeſu a ſe juſtitiam omnem implendam eſſe dictitanti, tandem alter acquieſcens, Baptiſmate Dei Filium initiavit. Aſcendente ex aquis Jeſu, atque orationi inſtanti Cœlo continuo dehiſcente, S. Spiritus in columbæ formam advolavit, auditaque ſimul vox dicentis; *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (7).

Jeſus in deſertum ſe confert.

Initiatus baptiſmate Jeſus dum Nazareth repeteret, ſubito a Spiritu in deſertum raptus eſt, ut ibi cum tentatore luctaretur. Poſt continuatum eo loci 40. dierum totidemve noctium jejunium, eſuriens, tandem obvium habuit malum illum Spiritum, a quo lapides oblatos ut in panes verteret, ſollicitabatur. Repulit ille, dicens, non in ſolo pane vitam homines tolerare, ſed omnis alendo homini ſufficere, quæ a Deo in cibum præberentur. Tum in ſummum altiſſimi montis cacumen a Dæmone raptus, Regna terræ univerſa oculis ſubjecta ſpectavit, ſuggerentemque audivit tentatorem, hæc omnia ab illo in ſui poteſtatem tradenda, ſi pronus ipſum eumdem Dæmonem adoraret. Cui Jeſus: *Scriptum eſt*, ait, *Dominum Deum tuum adorabis*. Tandem ſupra Templi pinnaculum ab ipſo Dæmone conſtitutus eſt, provocatuſque ut præcipitem ſe daret,

(1) *Matth.* 2. 1. … 12. (2) *Luc.* 2. 22. 38. (3) *Matth.* 2. 13. 15. (4) *Matth.* 2. 16. 18. (5) *Luc.* 2. 42. 52.

(6) *Matth.* 3. 1. 10. *Marc.* 1. 2. … 6. *Luc.* 3. 1. … 14.
(7) *Matth.* 3. 13. 17. *Marc.* 1. 9. 11. *Luc.* 3. 21. 22.

ret, futurum enim dicebat, ut ruentem Angeli manibus exciperent, ne quidquam læderetur. Cui iterum Jeſus: *Scriptum eſt*, ait, *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Proripuit itaque ſe Dæmon ab eo uſque ad tempus; & continuo accurrentes Angeli allatis cibis eſurientem refecerunt (1).

Judæorum ad S. Joannem legatio.

Cum S. Joannes Baptiſta deſertis Judææ, ubi prius baptiſmum conferebat, relictis, in Bethaniam Urbem Transjordanam ſe contuliſſet, inſtruendis baptizandiſque populis operam dabat. Cum autem prædicationum illius longe lateque fama propagaretur, Sacerdotum & Levitarum ab optimatibus miſſa legatio illum convenit, num Chriſtus eſſet, ſciſcitatura. Negavit ille; profeſſus ſe neque Chriſtum, neque Eliam, neque tandem Prophetam fuiſſe, inſtantibuſque Legatis quemnam tandem ſe diceret; reſpondit, Vocem eſſe ſe clamantis in deſerto: *Parate viam Domino*. Adjecit, ſe quidem aqua baptizare: quem vero ipſi quærerent, in cœtu ſuo (2), incognitum tamen, illos habere.

Joannes Jeſum Chriſtum iterum Meſſiam agnoſcit.

Mane alterius diei Joannes, cum forte ad ſe venientem Jeſum vidiſſet, populo indicavit, dicens, hunc eſſe Dei Agnum, qui criminibus Mundi tollendis veniſſet. Adjecit ipſum eſſe, cujus venturi teſtimonium ipſemet Joannes perhibuiſſet; a quo etiam dignitate ſuperaretur; Facie quidem illum numquam ſe noſſe; ſed divinitus admonitum fuiſſe, eum ſupra quem deſcendentem S. Spiritum videret, ipſum eſſe Dei Filium ſcitet; vidiſſe autem ſe Dei Spiritum ſuper hunc hominem illabentem (3).

Joannes tertio confitetur J. C. SS. Andreas & Petrus vocantur.

Altera die Joannes pertranſeuntem Jeſum videns, duobus Diſcipulis ſuis digito illum indicans, ait: *Ecce Agnus Dei*. Quare duo illi Diſcipuli ad Jeſum divertentes illius ædes petierunt, totaque apud ipſum die commorati ſunt. Poſt quatuor a meridie horas Andreas fratrem ſuum Simonem ad Jeſum adduxit, cui Jeſus: *Tu es Simon filius Jona*, adjecitque, poſthac *Cephas* i. e. petra appellandum (4).

Jeſus petit Nazareth: Philippus & Nathanael vocantur.

Mane alterius diei Jeſus in Nazareth Galilææ redux, in Philippum forte offendens, ut ſibi comes accederet invitavit. Paruit Philippus: & cum forte in Nathanaelem incidiſſet, una ſecum Jeſum ſequi, quippe qui Propheta eſſet a Moyſe & Prophetis annunciatus, perſuaſit. Cui Nathanael vix perſuaderi ſe dixit, boni aliquid a Nazareth ſperari potuiſſe. Tum Philippus, veniret ipſe & experimento probaret, reſpondit. Vix autem viſo Nathanaele Jeſus: *Ecce*, ait, *verus Iſraelita, in quo dolus non eſt*. Miranti Nathanaeli ſe a viro agnitum, iterum Jeſus ſignificavit, vidiſſe ſe illum ſub ficu, antequam a Philippo appellaretur. His auditis Nathanael experimento probare ſe ait, ipſum eumdem Jeſum Filium eſſe Dei, & Regem Iſraelis. Majora expectare Jeſus denunciavit: addens, oculatum teſtem ſpectaturum, cum Cœli dehiſcerent, & Angeli Domini in obſequium Filii hominis deſcenderent (5).

Nuptiæ in Cana Galilææ. Primum Jeſu Chriſti prodigium.

Poſt tres a relicta Bethania ſive Bethabara dies, Jeſus cum Diſcipulis ſuis & Matre ad nuptias invitatus, ſe contulit. Vini penuriam admonitus a Matre, ſex hydriis aqua oppletis in vinum tranſmutatis, abunde ſupplevit. Quo primo poſt ſuſceptam miſſionem ſuam prodigio Jeſus inclaruit (6).

Jeſus primo Capharnaum, inde Jeruſalem ad Feſtum Paſchæ divertit. Primum Paſcha J. C. poſt prædicationem ſuam.

Poſt ceremoniam nuptiarum, quæ intra ſeptimanæ ſpatium plerumque claudebatur, Jeſus Capharnaum Urbem ad mare Tiberiadis divertit, ubi & paucis diebus cum Matre & diſcipulis ſuis ſtetit. Venit inde Jeruſalem occaſione Feſti Paſchalis, poſt Baptiſmum ſuum primi. In Templum ingreſſus nummularios inde, pecudes & animalia in uſum ſacrificiorum vendentes, e loco Sancto expulit. Rogatuſque qua id præſtaret authoritate, reſpondit: *Deſtruite Templum hoc, & tribus diebus reædificabo illud*. Quæ ille de interitu & reparatione corporis ſui uſurpabat. Illis autem claruit ea occaſione prodigiis, ut pluribus perſuaderet: quibus tamen credendum ſe Jeſus minime cenſuit (7).

Nicodemus Jeſum Chriſtum convenit.

Ex Optimatibus Judæorum quidam, Nicodemus nomine, ſubſiſtentem adhuc Jeroſolymis Jeſum convenit, ſignificans, credere ſe numquam fieri potuiſſe, quin tanta pollens prodigiorum virtute ſine Deo eſſet. Cum illo Jeſus plura diſſeruit de regeneratione, & baptiſmo S. Spiritus & aquæ; quæ tamen alterius captum excedebant. Adjecit inſuper, e Cœlo deſcendiſſe ſe: lumen eſſe Mundi, ac tandem Filium Dei (8).

Jeſus in Judæam veniens Baptiſmum adminiſtrat.

Paſchali feſto Jeruſolymis celebrato, actaque ibi bidui mora, digreſſus Jeſus in Judæam ſe contulit, ubi miniſtrando baptiſmati una cum Diſcipulis ſuis occupabatur (9).

Joannes Baptiſta Ænon venit. Diſcipuli Jeſu baptizant.

Poſt deſertam Bethaniam ſive Bethabaram Joannes Baptiſta Ænon juxta Salim ſubſiſtens, munus ſuum, Baptiſmate nempe initiandi, præſtabat. Sed cum major ad Baptiſma Jeſu fieret concurſus, Joannis Diſcipuli ægro id animo ferentes, rem totam ad Joannem detulerunt; quibus ille, ut par erat ſapientiſſimo viro, reponens; non ſibi ait tantum arrogare, ut Meſſiam ſe jactitaret: ſed Præcurſorem potius & veluti illius Paranymphum præbere (10).

A. M. 4034. Per. Jul. 4744. J. C. 34. Æra Vulg. 31.
Joannes in carcere detinetur.

Liberioribus verbis inſectans Joannes Baptiſta Herodis cum Herodiade, quam a Philippo fratre ſuo ſceleſtus rapuerat uxorem, nuptias inceſtuoſas, in ſe tandem Herodem ipſum ab Herodiade ſollicitatum adeo animavit; ut in arce Macheronte (11), ſpecie quaſi nimio populi ſtudio ſuſpicioſus redderetur, arcto carceri traditus fuerit (12).

Jeſus in Galilæam ſecedit. Cum Samaritana colloquium.

Detruſo igitur in carcerem Joanne, metuens Jeſus, ne inſtigantibus Judæis Pilatus aliquid ſimile in ſe, exemplo Herodis in Joannem, auderet, deſerta Judæa in Galilææ regionem extra fines Præfecturæ Pilati & in ditionem Philippi contendit. Tranſeundum illi fuerat per Samariam; & cum non longe ef-

(1) *Matth.* 4. 1. 11. *Mar.* 1. 12. *Luc.* 4. 1. 13. (2) *Joan.* 1. 19. 28. (3) *Joan.* 1. 29. 34. (4) *Joan.* 1. 35. 44. (5) *Joan.* 1. 45. 52. (6) *Joan.* 2. 12. 25.

(7) *Joan.* 3. 1. 21. (8) *Joan.* 3. 2. 22. (9) *Joan.* 3. 22. (10) *Joan.* 3. 25. 36. (11) *Matt.* 14. 3. 4. *Marc.* 6. 14. & 17. 18. *Luc.* 3. 19. 20. (12) *Antiq.* l. 18. c. 7.

ge eſſet ab Urbe Sichar, miſſis ad Urbem Diſcipulis emendis commeatibus, ad puteum Jacob non longe a foribus Sichar conſedit. Accidit ut fœmina e propinqua Urbe eo hauriendis aquis veniret, quæ a Jeſu, ut potum ſibi præberet, requiſita, mirari ſe dixit, Judæum hominem aquam a fœmina Samaritana poſtulare; non enim Judæi Samaritanis coutebantur. Tunc Jeſus plura mulierem edocuit, ejuſque ſecreta omnia cordis revelavit; ſeque ipſum Meſſiam prodidit, futurum annuncians, ut brevi purus Fidelium cultus in ſpiritu & veritate Patri, non in Garizim, neque in Templo Jeroſolymitano, ſed ubique locorum exhiberetur. Supervenientibus interim Diſcipulis, capiendiſque cibis Jeſum urgentibus, reſpondit ille, latentes ſibi epulas, quibus ſaturaretur, voluntatem nimirum Patris ſui, in promptu fuiſſe. Mulier autem illa in Urbem regreſſa, totius rei hiſtoriam atque ſermones Jeſu omnes longe lateque promulgavit. Egreſſi proinde cives, ut in Urbem veniret, invitarunt; quibus acquieſcens, biduo non ſine plurimorum fructu ibidem manſit [1].

Jeſus fidem annunciat in Nazareth. Præcipitem e vertice montis agere illum Judæi tentant.

In Galilæam igitur veniens, & per Synagogas diſcurrens, prædicabat; quod cum ſemel in Synagoga Nazareth patriæ ſuæ occaſione ſententiæ Iſaiæ, quam ibidem legerat, præſtaret, ſeque ipſum eo Prophetæ oraculo Meſſiam a Prophetis annunciatum demonſtraret, omnium in ſe oculos & admirationes convertit. Sed revocata dein in memoriam natalium ipſius obſcuritate; quippe qui Joſephi filius crederetur; cives Nazareth contemptui hominem habuerunt. Quare Jeſus nullo illis ex iis prodigiis, quibus ſibi demeruit Capharnaitas, favendum cenſuit. Adjecit neminem e Prophetis in Patria ſua ſatis honorari. Quibus aliiſque objurgationibus provocatus populus ſupra verticem montis, cui Urbs inſidebat, conſtitutum, præcipitem agere moliti ſunt. Sed Jeſus per medios illos dilapſus ex Urbe ſecedens [2] ſedem in Capharnaum [3] fere perpetuam conſtituit; unde decurrens per univerſam Galilæam ſummo populi aſſenſu auſcultabatur [4].

Valetudini reſtituit Filium unius ex Regiis Præfectis Capharnaum.

Venerat iterum Canam, cum Præfectus quidam Regius Capharnaum commorans, ad illum ſe contulit, pro valetudine filii ſui rogaturus. Nec mora; læto de eadem recepta valetudine nuncio a Jeſu remiſſus eſt. Quare cum bona ſpe plenus rediret, obvios habuit familiares nunciantes, præcedenti die ſeptima hora, nempe prima poſt meridiem, quo ille momento nuncium acceperat a Jeſu, de filii valetudine, puerum convaluiſſe [5].

SS. Andreas & Petrus ſecundo vocantur.

Poſt aliquot dies per litus maris Tiberiadis inambulans, duos fratres, Simonem, alio nomine Petrum, & Andream piſcationi intentos offendit, quos cum ad ſui ſequelam invitaſſet, illi ſtatim retibus, navicula, cæteriſque omnibus relictis paruerunt [6].

Jacobus & Joannes filii Zebedæi vocantur.

Inde longius aliquanto digreſſus, duos fratres Jacobum & Joannem in navicula cum Zebedæo patre retia ſua reficientes offendit, qui pariter ab illo invitati, omnibus relictis vocanti comites acceſſerunt [7].

Valetudo Dæmoniaci in Capharnaum.

Commorans igitur Capharnaum Jeſus, ſingulis Sabbatis prædicabat. Accidit ut in Synagoga eſſet vir quidam Dæmoniacus, qui in clamores effuſus elata voce dixit: *Scio te, quis ſis, Sanctus Dei*. Dæmonem objurgans Jeſus, actutum quieſceret, & e viri corpore faceſſeret, imperavit. Contorquebatur miſere æger; ſed brevi, Dæmone faceſſente, ſalva viro omnia facta ſunt [8].

Socrus Petri febri laborans curatur.

E Synagoga in domum Simonis, alio nomine Petri, ad curandam Socrum illius febri laborantem ſe contulit [9].

Inclinante in veſperam die, omnes undique ex univerſa Urbe ægroti præ foribus ædium Jeſu Chriſti poſiti, valetudini ab illo reſtituti ſunt [10].

Jeſus in deſertum ſe confert.

Diluculo alterius diei Jeſus in deſertum ſecedens, orationi vacavit; quem Petrus aliique diſcipuli convenientes ab ingenti hominum turba ejus præſentiam repoſci ſignificarunt. Duxit illos Jeſus in vicos totamque demum Galilæam, undique Evangelium Regni annuncians [11].

Magdalena ſanatur.

In eo itinere creditur Magdalena ſeptem Dæmonum contubernio liberata convaluiſſe [12]; ſicut & præſentiſſimam eamdem opem expertas fuiſſe conſtat Joannam uxorem Chuza, aliaſque nonnullas, quæ deinde Jeſum in prædicationibus ſuis comitatæ, ejus ſeſe obſequiis addixerunt [13].

Increbuit fama nominis Jeſu Chriſti per univerſam late Syriam; adeo ut ex univerſis undique regionibus ægroti ad illum deducerentur [14].

Piſcatio prodigioſa.

Redux e Galilæa, cum ad lacum Geneſareth veniſſet, turbam hominum, ut ſe auſcultarent, convenientium offendit. Quare Simon Petri navicula conſcenſa, docendum inde populum ſuſcepit. Secundum hæc in altum ducere navim ſuam Petrum, & projicere in capturam retia juſſit; qui morem Præceptori gerens, ingentem adeo prædam collegit, ut piſcium copia retia ſcinderentur [15].

Valetudo Leproſi.

Sub hæc tempora Jeſus ſolo tactu leproſum curatum ire juſſit ad Sacerdotes, de recepta valetudine teſtaturos; mandatis inſuper oneravit, ne medicum ſuum revelaret [16].

Curatio Paralytici.

Ad ejus miraculi pervagantem undique famam adeo apud omnes Jeſus inclaruit, ut ſecretus in Urbibus manere neutiquam poſſet. Transfretato mari Gene-

(1) *Ioan.* 4. 1. 43. (2) *Luc.* 4. 14. 30. (3) *Matth.* 4. 13. 16. (4) *Ioan.* 4. 45. (5) *Ioan.* 4. 46. 54. (6) *Matt.* 4. 18. 20. *Marc.* 1. 16. 18. (7) *Matt.* 4. 21. 22. *Marc.* 1. 19. 20. (8) *Marc.* 1. 21. 28. *Luc.* 4. 31. 37. (9) *Marc.* 1. 29. 30. 31. *Matt.* 8. 14. 15. *Luc.* 4. 38. 39.

(10) *Matt.* 8. 16. *Marc.* 1. 32. 33. 34. *Luc.* 4. 40. 41. (11) *Matt.* 8. 23. *Marc.* 43. *Luc.* 4. 42. (12) *Marc.* 16. 9. *Luc.* 8. 2. (13) *Matt.* 27. 55. 56. *Marc.* 15. 40. 41. *Luc.* 8. 2. 3. & 23. 49. 55. (14) *Matt.* 8. 24. 25. (15) *Luc.* 5. 1. 2. (16) *Luc.* 5. 1. 2.

Geneſareth, dein in Capharnaum ſe contulit, ubi pluribus curatis ægrotis, paralyticum e tecto domus funibus ante ſe demiſſum, eodem, quo ceteros, beneficio donavit (1).

Vocatio S. Matthæi.

Cum ad lacum Geneſareth ſe contuliſſet, Publicanum quemdam, nomine Levi ſive Matthæum, offendens, ad ſui ſequelam invitavit. Cum autem ab illo convivio exceptus eſſet, murmuris ex ea re Phariſæorum in Jeſum occaſio data eſt. Sed Jeſus tum ſe ab omni crimine purgans, cum pariter declaravit, miſericordiam præ ſeveritate probare ſe, ac jejuniorum pro Diſcipulis ſui tempus non in præſenti, ſed in futuro expectandum (2).

Secundum Paſcha poſt Baptiſmum J. C.

Curatio Paralytici ad Piſcinam Probaticam.

Contulit ſe Jeſus ad Urbem Metropolim Feſtum Paſchæ celebraturus, ubi ſaluti fuit Paralytico, qui 38. ſolidos annos in margine Piſcinæ probaticæ, nomine Bethſaidæ, perſeverans, numquam in ſalutari ejus lavacro demergi permiſſus eſt. Cum autem valetudini æger reſtiturus ea die, magni nempe Sabbati, ſeu Sabbati Paſchæ proximioris, grabatum ſuum tollens recederet, in varios per vulgus ſermones abitum eſt. Porro vir ille Jeſum quidem minime norat; ſed aliquamdiu poſt eum eumdem Jeſum in Templo offendens, moneretur ab illo ne ulterius peccaret, tunc Liberatorem ſuum agnoſcens, acceptum ab illo beneficium palam promulgavit. Offenſi ea de re Judæi, necem Jeſu Chriſti tamquam Sabbati violatoris, & qui ſe Dei Filium venditaret, communi conſilio ſtatuerunt (3).

Diſcipuli ſpicas ad cibum carpunt.

Sabbatho primo poſt Paſcha ſuccedente, tranſeunte Jeſu, ejuſque Diſcipulis per ſata ad meſſem jam ferme matura, eſurientes Diſcipuli ſpicas carpentes, manu excuſſum frumentum manducabant. Rem animadvertentes Phariſæi, cum Jeſu de violatione Feſti querebantur: ſed ille neceſſitatem excuſavit, Davidis exemplo, qui panibus propoſitionis, alio non ſuppetente cibo, paſtus eſt; idem etiam factum obſervavit a Sacerdotibus, qui a præſtandis in Templo operibus die feſta non abſtinebant. Tandem eſſe ſe dominum Sabbathi, Legiſque palam edixit (4).

Manus areſcentis curatio.

Succedenti Sabbatho cum inſtituendis populis in Synagoga Capharnaum vacaret, oblatum ſibi manu areſcentem ægrotum curavit, demonſtrans Phariſæis nihil ſe contra Legis religionem in valetudine homini præſtanda egiſſe (5).

Phariſæi, & Herodiani.

Phariſæi adverſus Jeſum animati, in ejus necem cum Herodianis conſpirarunt. Quo eorum conſilio intellecto, Jeſus in regionem ad mare Galilææ confugit, euntemque turba multa, ex omnibus late regionibus veniens curandoſque deferens ægrotos, ſecuta eſt (6).

Duodecim Apoſtolorum electio.

Parari ſibi naviculam, ut ſe e turbis expediret, Jeſus præcepit. Seceſſit igitur in montem, ubi totam noctem exegit orando; mane vero deſcendens, deſignatos aliquos e Diſcipulis ſuis accivit, electoſque ex illis duodecim Apoſtolorum nomine inſignivit (7).

Sermo in Monte.

Cum e monte deſcendiſſet, e loco quodam prominente docendos Apoſtolos ceteroſque e populo ſuſcepit; octo beatitudines interpretatus, totamque illam orationem plane mirabilem pronuntiavit; quæ totius veluti doctrinæ Evangelicæ ſumma jure meritoque habetur (8).

Leproſi curatio.

E loco illo deſcendenti leproſus coram ſe obtulit, ſanatumque ſolo tactu monſtrare ſe Sacerdotibus juſſit (9).

Curatio famuli Centurionis Capharnaum.

Venit inde Capharnaum, & venienti occurrerunt Optimates Judæorum, rogantes, ut famulum Centurionis periculoſo morbo laborantem ſanitati reſtitueret. Cum igitur Jeſus ad Centurionis domum ſe conferret, vir ille amicos miſit, ſignificantes indignum ſe, ut in domum ſuam veniret, agnoſcere. Venit & ipſe pariter poſt amicos eadem profeſſus. Tantam viri fidem admiratus Jeſus, abſentem beneficio, de quo rogabat, donatum remiſit (10).

Jeſus vita reſtituit filium viduæ Naim.

E Capharnaum Jeſus ad Naim contendens, funebrem pompam filii mulieris cujuſdam viduæ offendit, matriſque lacrymis permotus, defunctum revocavit ad vitam (11).

Joannes Baptiſta duos e diſcipulis ſuis ad Jeſum legat.

Fama prodigiorum J. C. ad Joannem in carcerem perlata, duos ille e Diſcipulis ſuis ad Jeſum legavit, quæſituros: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quos Jeſus, poſt plures ægrotos forte præſentes curatos, ire juſſit, quæcumque viderant, cæcos nempe ad viſum, ſurdos ad auditum, mortuos ad vitam leproſos ad valetudinem revocatos, Joanni renunciaturos. Abeuntibus ergo Diſcipulis Joannis Baptiſtæ, Jeſus magnifico elogio Præcurſorem ſuum merito & ſanctitate celebravit; addens ceteris omnibus præſtare, ipſumque eſſe Eliam a Prophetis prænuntiatum (12); quem nec noſſe nec recepiſſe Judæis crimini vertit.

Jeſus Chriſtus convivio a Simone Phariſæo excipitur. Fœmina peccatrix.

Verſans adhuc in Naim, ad cœnam a Simone Phariſæo invitatus venit. Interim mulier quædam, criminum ſuorum fama tota Urbe notiſſima, ad Phariſæi ædes ſe contulit, atque ad Jeſu pedes provoluta, quas lacrymis, quas pretioſo unguento perfudit. Infamem ob conſuetudinem mulieris ſcandalo quodam affectus Phariſæus, num Meſſias Jeſus habendus eſſet in dubium revocabat. Jeſus, cui nihil cogitationum illius fuerat inexploratum, aſſumpta duorum obæratorum parabola, quorum uni plus, alteri minus a fœneratore remiſſum eſt, pronam illius in ferendo judicio facilitatem objurgavit (13).

In hunc modum Jeſus totam Galilæam prædicans decurrit, habebatque itineris comites fœminas, obſequiis ſuis addictas (14).

Neceſſa-

(1) *Matt.* 9. 2. *Marc.* 2. 3. *Luc.* 5. 18. 19. (2) *Matt.* 9. 10. *Marc.* 2. 15. *Luc.* 5. 29. (3) *Joan.* 5. 1. 47. (4) *Matt.* 12. 1. 8. *Marc.* 2. 23. 27. *Luc.* 6. 1. 5. (5) *Matt.* 12. 9. 13. *Marc.* 3. 1. 5. *Luc.* 6. 6. 10. (6) *Matt.* 12. 14. 15. 21. *Marc.* 3. 6. 8. *Luc.* 5. 2.

(7) *Mar.* 3. 9. 19. *Luc.* 6. 12. 17. (8) *Matt.* 5. 6. 7. & 8. *Luc.* 6. 17. 49. (9) *Matt.* 8. 1. 4. (10) *Matt.* 8. 5. 13. *Luc.* 7. 1. 9. (11) *Luc.* 7. 11. 17. (12) *Matt.* 11. 2. 19. *Luc.* 7. 18. 35. (13) *Luc.* 7. 36. 50. (14) *Luc.* 8. 1. 4.

Neceſſarii Jeſu ad illum deducendum veniunt.

Cum iterum veniſſet Capharnaum, turbarum affluentia adeo detinebatur opprimebaturque, ut ne capiendi quidem cibi tempus haberet. Inter hæc, ejus neceſſarii venientes, e medio populo reducere illum tentarunt, ſtatu mentis emotum dictitantes [1].

Dæmoniacus cæcus, & mutus curatur.

Ibi pariter ſaluti fuit Dæmoniaco cæco ſimul, & muto [2].

Eam miraculorum famam inique ferentes Scribæ & Phariſæi, invidos quoſdam ſermones ſparſerunt in vulgus, dictitantes in nomine Beelſebub adverſus Dæmones virum illum prævalere, quas illorum blaſphemias & falſi arguit Jeſus, & ſimul grande illorum crimen demonſtravit, oſtendens peccaſſe illos in Spiritum S. genere criminis de ſe irremiſſibili [3].

Pollicetur ſignum Jonæ Prophetæ.

Signum aliquod ſive prodigium poſtulantibus ab illo Phariſæis, nullum ipſis expectandum dixit, niſi ſignum Jonæ Prophetæ. Expectarent etiam denonciavit duriorem in ſe quam in Ninivitas ultionem, arguendoſque die judicii a Regina Auſtri, cauſam contra illos dictura. Propoſuit Dæmonis parabolam, qui ex homine egreſſus, dein una ſecum adductis ſeptem aliis nequioribus ſpiritibus, regreditur [4].

Mater, & Fratres Jeſu illum allocutori conveniunt.

Renunciatum eſt interim Jeſu, adeſſe Matrem, & Fratres ſuos, qui ſecum aliquid loqui poſtularent. Reſpondit ille Matris ſe fratrumque loco agnoſcere, qui voces ſuas Deique auſcultarent [5].

Varias Parabolas proponit.

Poſt cibum Jeſus in litore maris inambulans, populumque circa habens conſertum, conſcenſa navicula, ne a confluentibus opprimeretur, prædicavit. Pro concione expoſuit parabolam ſerentis [6], lucernæ, quæ ſupra modium non ſubtus illum collocatur, lolii diſſeminati ab adverſario, quo frumenti ſemen corrumpitur, grani ſinapis, & fermenti [7].

Parabolarum Interpretatio.

Dimiſſis jam turbis domum, cum Diſcipulis aſſidens, rogantibus illis ſenſum illarum parabolarum depromeret, acquievit: qua occaſione felicitatem conditionis illorum, quibus daretur non audire tantum, ſed aſſequi pariter intellectu ea, quæ aliis fuerant inexplorata, demonſtravit [8]. Adjecit inſuper parabolam theſauri in terram defoſſi, margaritæ inventæ, & retium, quæ in capturam laxata, ingentem qua optimorum, qua deteriorum piſcium prædam referunt [9].

Legis Peritus Jeſum ſecuturus ad illum venit.

Veſpere ejus diei transfretato cum Diſcipulis mari Geneſareth [10], Legisperitus ſeſe offerens, velle ſe nomen inter Diſcipulos illius dare profitetur. Cui Jeſus: *Vulpes foveas habent, & volucres Cœli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.* Rogavit alius quidam, ut antequam ipſi ſe totum addiceret, liceret ſibi parentem ſuum ſepulturæ mandare. Jeſus ad hæc: *Sinite mortuos ſepelire mortuos ſuos* [11].

Tempeſtas in mari Galilææ.

Cum naviculam conſcendiſſet, dormiebat, ſtatimque exorta tempeſtas in ultimas anguſtias nautas adduxit. Accurrentes igitur Diſcipuli Jeſum excitarunt, & ille ventis marique ſilere juſſis omnia ſtatim, non ſine adſtantium omnium admiratione & terrore, compoſuit [12].

Curatio duplicis Dæmoniaci in Geraſenum regione.

In finibus Geraſenorum duos offendit Dæmoniacos, quorum alterum virum terribilem integra Dæmonum legio efferabat. Venit ille in occurſum Jeſu, magniſque Dæmones ejulatibus querebantur, veniſſe illum ad ſe torquendos maturius: rogabant inſuper ne in abyſſum infernorum detruderentur, quin potius, ſi permitteret, inſeſſuros porcorum per vicinos montes paſcentium gregem. Annuente Jeſu, ſtatim porci ſubito furore agitati in mare Galilææ præcipites acti ſunt. Quare Geraſeni ſiniſtri aliquid ſibi timentes, rogarunt Jeſum, ut e ſua ipſorum regione faceſſeret [13].

Dæmoniacus Jeſum ſecuturus venit.

Maritimum ad Capharnaum iter initurum Jeſum conveniens vir ille a Dæmone nuper liberatus, rogavit, ut ſocium ſe, & Diſcipulum exciperet. Renuit Jeſus, juſſitque ad propria reverſum, beneficium a ſe divinitus acceptum palam omnibus edicere [14].

Filiam Jairi ad vitam revocat.

Mari transfretato, a turbis exceptus eſt, nec longe offendit Jairum Principem Synagogæ Capharnaum, rogantem ut veniens puellam filiam ſuam unicam duodennem ſanitati reſtitueret. Acquieſcens Jeſus domum viri petebat [15], atque interim mulier ſanguinis fluxu laborans clam veſtimentorum illius fimbriam, non ſine prompto ex contactu remedio, tetigit. Clam hæc omnia; ſed Jeſus palam omnibus manifeſtavit, ne & mulieris illius fides, & Dei virtus ſua gloria fraudaretur [16].

Iret autem proſequentibus occurrerunt famuli Jairi, triſte de obitu puellæ nuncium afferentes. Bono tamen animo eſſet pater, Jeſus præcepit, ingreſſuſque cum tribus ex Diſcipulis domum, recedere tibicines, qui funeri celebrando aderant, imperavit. Digreſſis igitur omnibus, ipſe non magno ſane negotio filiam revocavit ad vitam, allatiſque cibis refici, ac tandem miraculi famam ſupprimi mandavit [17].

Duo cæci in Nazareth curantur.

Ibat Nazareth patriam ſuam [18] cum Diſcipulis, euntemque duo cæci proſecuti, ut valetudini reſtituerentur enixe rogabant. Cum interim domum veniſſet, num crederent ſibi virtutem eſſe morbum illum curandi interrogavit. Affirmantes manu ſua tetigit, tactumque continuo valetudo ſecuta eſt. Jubenti ne cui rem proderent parere recuſarunt longe lateque famam prodigii evulgantes [19].

Sub idem fere tempus Dæmoniaco loquendi facultate carente valere juſſo, anſam præbuit Phariſæis obtre-

(1) *Marc.*3. 20.21. (2) *Matt.*12.22. (3) *Matt.* 12. 24. 37. *Mar.* 3. 22. 30 37. (4) *Matt.*12.33.45. (5) *Matt.* 12. 46.50. *Mar.*3.31.35. *Luc.* 19. 20. 21. (6) *Matt.* 13. 1. 36. *Marc.*4.1.3.*Luc.*8.11.18. (7) *Matt.*13 24.*&c.* (8) *Matt.* 13.8.23. *Marc.*4.10 20. *Luc.*8.9.15. (9) *Matth.*13. 44 45. 52. (10) *Matth.*8.18. *Marc.*4.35. *Luc.* 8 22. (11) *Matth.* 8.19.22. (12) *Matth.*8.23.27.*Marc.*4.36.40. *Luc.*8.23.25. (13) *Matth.*8.28.34.*Mar.*5.1.17. *Luc.*8.26.37. (14) *Mar.* 5.18.20. *Luc.*8. 38.40. (15) *Marc.*5.22 25. *Luc.* 8. 41. 42. (16) *Matt.*9.20.22.*Marc.*5.25.34. *Luc.*8.43.48. (17) *Matt.* 9. 18. 26. *Marc.* 5. 35. 43. *Luc.* 8. 49. 56. (18) *Marc.* 6.1. (19) *Matt.* 9. 27. 31.

obtrectandi, quaſi ſcilicet accepta a Beelſebub virtute polleret [1].

Dæmoniacus mutus curatur. Jeſus in Synagoga Nazareth.

Aderat die Sabbathi in Synagoga Jeſus omnium plauſu & admiratione exceptus; ſed natalium ipſius obſcuritas obtrectandi nonnullis dabat occaſionem, quærentibus invicem: *Nonne hic eſt filius fabri?* Mater ejus appellatur Maria ejuſque apud nos fratres & ſorores diverſantur [2]? Jeſus igitur ex Urbe digreſſus numquam rediit, ſimul pronuncians, neminem e Prophetis in Patria ſua probari.

Diſcurrit autem per vicos, & pagos Galilææ, ubique prædicationum ſuarum, & prodigiorum monumenta relinquens.

A. M. 4035. Per. Jul. 4745. J. C. 35. Æra Vulg. 32. Uberrima meſſis. Apoſtoli ad fidem annunciandam mittuntur.

Cum ſtudio verbi Dei audiendi teneri populos Jeſus intelligeret, Apoſtolis ſignificavit, uberem quidem meſſem ſuppetere, ea autem laborari meſſorum paucitate, ut, quo novos etiam atque etiam mitteret, Paterfamilias enixe fuerit rogandus. Simul autem Diſcipulos ſuos binos binoſque per diverſa regionum loca dimiſit, patrandorum miraculorum facultate donatos, oneratos inſuper mandatis, nequid ſecum ferrent commeatus, non arma, non veſtes mutatorias, non geminata ſandaliorum paria; ſed ire juſſit, annunciare Judæis quæcumque vera de Regno cœleſti ſcirent, caverent autem ne quid proderent Gentilibus, vel Samaritanis digniſſimorum domos & religioſiſſimorum eligerent in ſedem, ibique non deſultorio more, ex una in alteram deflectentes, quamdiu in loco morarentur, conſiderent. Si quis vero, air, e loco quopiam vos prohiberit, excuſſo prius in illos calceamentorum veſtrorum pulvere, diſcedite [3]. Plura etiam adjecit ea occaſione digniſſima plane atque utiliſſima, quæ Matt. 10. 17. 42. legas.

Prædicatio & miracula Apoſtolorum.

Novo munere functi Apoſtoli regionem undique diſcurrerunt, prædicationibus ubique ſuis & prodigiorum gloria clareſcentes. Sequebatur eorum veluti relegens veſtigia Jeſus, ad eas Urbes divertens, quas Apoſtoli antea præcurrerant [4].

Obitus Joannis Baptiſtæ.

Sub idem tempus, Joannes Baptiſta juſſu Herodis Antipæ, inſtigante Salome filia Herodiadis, quæ ſcita ſaltatione oculos Principis cœperat, obtruncatus eſt [5].

Redarguit Urbes Bethſaidam, Corozaim & Capharnaum.

Poſt decurſam regionem, relictaque alte miraculorum ſuorum ubique in Urbibus, potiſſimum ad mare Tiberiadis, veſtigiis, illarum incredulitatem pluribus redarguit, exprobrans futurum, ut, ſi Tyriis & Sidoniis ea affulſiſſent prodigia, quæ incolis Bethſaidæ, Capharnaum, & Corozaim, diu antea rectum virtutis tramitem tenuiſſent [6].

Herodes ſuſpicatur Joannem Baptiſtam iterum in Jeſu Chriſto ad vitam rediiſſe.

Perlata ad aures Herodis prodigiorum Jeſu Chriſti fama, revocare cœpit in mentem, num ſub Chriſti perſona Joannes Baptiſta iterum ad vitam remeaſſet [7].

Apoſtoli e miſſione ſua regrediuntur.

Functi munere ſuo Apoſtoli, certiorem de omnibus Jeſum Chriſtum facturi venerunt [8]. De omnibus Patri ſuo gratias egit Jeſus quam maximas, omneſque denique mundum, ut collum jugo ſuo ſubmittat, ſuaque relegat veſtigia, invitavit [9].

Jeſus recipit ſe trans lacum Geneſareth.

Certior factus Jeſus omnium quæ Herodes de ipſo diceret, in deſerta una cum Diſcipulis ad quietem aliquam captandam ſe contulit. Cum vero affluentibus undique turbis adeo premeretur, ut ne capiendi quidem cibi opportunitas daretur navigium cum Apoſtolis ingreſſus, lacu Geneſareth trajecto, in montem ſufugit [10].

Pedeſtri itinere circumeuntes turbæ in deſertum Bethſaidæ ipſæ pariter venerunt. Deſcendens autem a monte Jeſus, miſeratione tactus ægrotos omnes curavit, docendoſque populos ſuſcepit [11].

Jeſus Chriſtus 5000. hominum paſcit.

Elapſa jam capiendi cibi hora, & inclinante in veſperam die, ſuggerebant Apoſtoli, ut populos tandem remitteret, quo ſinguli ad vicinas Urbes divertentes, de cibo ſibi providerent. Sed Jeſus nihil eſſe dixit cur irent, ſufficerent ipſi ſingulis cibos. Rogavit deinde quot ſecum detuliſſent panes; & cum quinque panes & gemini piſces præſto eſſe renunciarentur confeſtim accumbere populum & ſingulis ex eo commeatu diſtribui neceſſaria præcepit. Illico omnia; ciboque refecto populo [turba erat hominum ad 5000. nec fœminis nec pueris computatis] duodecim coffini ex reliquiis collecti ſunt [12].

Jeſus & S. Petrus ſuper aquas gradiuntur. Capharnaum perveniunt.

Subeunte veſpere, probe noſcens Jeſus conſilium agitare populum de conciliando illi regia dignitate, coegit Diſcipulos conſcenſo navigio lacum trajicere. Turbam itaque dimiſit, aſcenſoque monte vacavit orationi. Interim Apoſtoli in medio lacus contra reſiſtentes ventos averſoſque fluctus luctabant; nec longius a litore quam 25. vel 30. ſtadiis aberant, cum Jeſus ſuper undas gradiens prætergreſſurus navigium videbatur. Illi primo intuito phantaſma rati timuerunt; ſed ejus vocibus confirmati ſunt. Tunc Petrus Domini voce audita rogavit, ut, bona illius venia, ſuper aquas gradiens eo venire permitteretur. Annuente Jeſu, illico ſe mari Apoſtolus commiſit; ſed fluctus ſeu immanis cujuſdam vorticis objectu turbatus, jam demergebatur, cum vocis clamore accitum Jeſum præſto habuit, manuque, ne demergeretur, ſuſtentatus eſt. Rogantibus autem Diſcipulis, navigium Præceptor conſcendit, ſtatimque ad litus delati ſunt [13].

Volebant Diſcipuli iter Bethſaidam verſus dirigere; ſed adverſo vento prohibiti, Tiberiadem primum, inde Capharnaum appulerunt.

Interea hæc, turbæ autumantes manſiſſe Jeſum in deſerto Bethſaidæ; quippe quæ norant navigium una cum

(1) *Matt.9.32.33.34.* (2) *Matt.13.54.58. Mar.6.1.5.* (3) *Matt.9.36.37.38.& 10.1.17. Marc.6.7.11.* (4) *Matt.11.1. Marc.6.12. Luc.9.6.* (5) *Matt.14.1.12. Marc.6.14.30. Luc.4.7.8.9.* (6) *Matt.11.20.21.22.23.24.* (7) *Marc.14.1.2. Luc.7.7.9. Mar.6.14.16.* (8) *Marc.6.30. Luc.9.10* (9) *Matt.11.25.30.* (10) *Matt.14.13. Marc.6.31.32.33. Joan.6.1.2.3.* (11) *Matt.14.14. Marc.6.34. Jo.6.4.5.6.7.* (12) *Matt.14.15.21. Marc.6.35.44. Luc.9.11.17. Joan.6.8.13.* (13) *Matth.14.13.34. Marc.6.47.53. Jo.6.16.21.*

cum Diſcipulis non conſcendiſſe, mane alterius diei ſedulo virum perquirebant, ut inventum tandem Regem conſtituerent. Sed nautarum Tiberiade advenientium relatione comperto eo loci veniſſe, actutum Tiberiadem convolarunt. Cum interim Jeſus eo temporis intervallo Capharnaum divertiſſet; venerunt illi pariter Capharnaum, nactumque in Synagoga ejuſdem Urbis Jeſum interrogarunt, qui illuc pertiſſet. Quibus Jeſus quæri ſe ab illis ſignificavit non prodigiorum ſuorum cauſa, ſed præſtitæ paulo ante alimoniæ: monere tamen ſe, ut incorruptum alium optarent cibum; addens ſe panem eſſe cœleſtem, alium ſane a manna per Moyſen parentibus eorum collata. Durius ea verba exceperunt turbæ, offendebanturque maxime, quod Fabri filius talia de ſe uſurpares. Cœptum tamen ſermonem proſequens Jeſus, quantum eſſes diſcriminis inter mannam illam & panem a ſe oblatum, etiam atque etiam demonſtravit; declarans inſuper ſuam carnem verum eſſe cibum, & ſanguinem reapſe in potum exhiberi. His ejus ſermonibus offenſi Diſcipuli plerique, ejus ſequelæ renunciarunt. Quæſivit tunc Jeſus ab Apoſtolis, an ipſi pariter abirent; cui Petrus ſe cæteroſque nuſquam receſſuros ab eo, qui vitæ æternæ verba loqueretur, ſignificavit; perſuaſum vero habere omnes, ipſum eſſe Chriſtum Filium Dei vivi. Tunc Jeſus ſe quidem ait duodecim illos elegiſſe, ſed in eorum numero proditorum ſuorum agnoſcere; Judam ſcilicet Iſcariothem ſignificavit [1].

Tertium Paſcha in Evangelio expreſſum poſt Baptiſmum J. C. A. J. C. 35. Æra Vulg. 32.

Adducebantur undique ad Jeſum in Capharnaum ægroti, nec abibant incurati; ſed non diu poſt ille ad Paſcha Jeroſolymam ſe contulit.

Redit demum in Galilæam, nec inſauſto pro languentibus omine; ſiquia enim veſtimentorum ipſius oram tantummodo tangere permitteretur, continuo integra valetudine donabatur [2].

Scandalum Phariſæorum, quod Diſcipuli illotis manibus cibum capiant.

Phariſæorum Scribarumque nonnulli, qui e Feſto Paſchali Jeroſolyma redierant, cum receptam apud Judæos manus ante cibum lavandi traditionem minus ſancte a Diſcipulis Jeſu ſervari animadvertiſſent, querelas ea de re ſuas ad Jeſum detulerunt. Sed ille viciſſim hypocriſim illis exprobravit; quippe qui potiſſimis & majoris momenti Legis præceptis neglectis, illo maxime, quo colere parentes jubebantur, traditionibus ſuis unice ſtudebant [3]; acciriſque dein turbis palam edixit, hominem inquinari, non iis quæ per os demittantur, ſed iis quæ inde emitterentur; tacite hinc deſignans, maculas illas legales de ſe quidem nihil inquinamenti in animam inferre [4].

Scandalum Phariſæorum.

Cum e populo ſe recepiſſet, narrantibus Apoſtolis Phariſæos durius ejus verba accepiſſe, *Sinite*, reſpondit ille, *cæcos duces cæcorum*. Adjecit, plantam omnem ab alio quam a Patris ſui cœleſtis manu conſitam tandem eradicandam. Cum Diſcipuli minus ſe aſſecutos dicerent ſenſum illorum verborum, nihil ſcilicet eorum, quæ per os demitterentur, hominem inquinare, oſtendit, omnia quæ per os mittuntur in ſtomachum, decoqui; tum quæ minus alendo corpori apta fuiſſent, per ſeceſſum abire; cum interim quæ ex ore hominum egrediuntur e corda procedant; atque criminis reum hominem conſtituant; uti jurgia, mendacia, pravæ cogitationes, concupiſcentiæ, & omnia tandem inhoneſta [5].

Filia mulieris Chananææ curatur.

Majo ineunte, ad finitima Tyri & Sidonis iter iniit, latendi occultandique ſe gratia; brevi tamen proditus eſt. Accurrit ſtatim mulier Chananæa, filiæ ſuæ poſtulans ſanitatem, quam primo Jeſus cenſuit rejiciendam; ſed ea clamante, rogantibuſque Apoſtolis ne miſeram deſpiceret, reſpondit Jeſus, non veniſſe ſe niſi ad errabundas domus Iſrael oves reducendas. Cum tamen domum veniſſet, & ante pedes provolutam fœminam haberet, rogantem ut voti compos tandem efficeretur; reſpondit ille quidem primo, iniquum eſſe panem filiorum dari canibus; ſed reponens illa, micas quandoque e menſa heri decidentes catellis permitti, tandem merito fidei ſuæ & admirationem & ſanitatem a Jeſu extorſit [6].

Vir ſurdus & mutus curatur.

Cœptum iter per Sidonem, & Decapolim proſequens, inde ad mare Galilææ deflexit. Oblatum ſibi hominem ſurdum, mutumque ſeorſum ab aliis deducens, poſitis in auribus ejus digitis, atque ſaliva ſua delinita lingua, duplici morbo liberum dimiſit [7].

Septem panes cum piſciculis quibuſdam multiplicantur.

Triduum in monte egit, cum interim plurima ægrotantium multitudo ad radices montis, ejus deſcenſum opperiebantur, quos omnes morbis liberavit. Quod autem turbæ adventum ſuum triduo ſuſtinuiſſent, ſignificavit Diſcipulis, iniquum eſſe illos jejunos in domos ſuas dimittere. Arctior illis erat ſeptem panum & piſciculorum quorumdam commeatus; qui ut omnibus ſufficeret (ad 4000. aſcendebant, fœminis, & pueris ab eo numero excluſis) inſigni prodigio a Jeſu multiplicatus eſt. Ex reliquiis collecti ſeptem caniſtri [8].

Signum Jonæ Prophetæ Phariſæis promiſſum.

Conſcenſo ſtatim navigio, Magedan, in regione Dalmanuthæ locum ad litus ejuſdem maris, ſed meridionalem magis, venit. Opperiebantur ibi ejus adventum Phariſæi, & Sadducæi, ſignum de Cœlo aliquod ab eo rogaturi. Quibus Jeſus mirari ſe dixit, cur ipſi, qui varias Cœli facies noſcere, viceſque aeris diſtinguere profiterentur, non ſatis tamen artem callerent temporis diſtinguendi, atque legendi characteres veri Prophetæ, quos ipſe in ſe præſeferebat. Profeſſus eſt tandem, nullum aliud ſignum habere quam ſignum Jonæ Prophetæ; relictiſque actutum illis, maturimo itinere Bethſaidam urbem ad oram ſeptentrionalem lacus Geneſareth contendit [9].

Fermentum Phariſæorum, Sadducæorum, & Herodis.

Cum Apoſtoli commeatu ſibi providere neglexiſſent, in adverſam lacus ripam nonniſi unicum panem detulerunt. Qua occaſione Jeſus cavendum illis edixit a fermento Phariſæorum, Sadducæorum, & Herodis. Hæc ille quidem de noxiis illorum dogmatibus uſurpavit. Sed Diſcipuli de pane reapſe dicta arbitrabantur. Quare Jeſus imbecillitatem fidei exprobravit, revocans in memoriam duplex illud prodigium, quorum ipſi teſtes oculati fuiſſent; aliud nempe quo brevi quinque panum annona 5000. hominum paviſſet; alterum quo 4000. ſeptem panibus aluiſſes. Tunc denique aſſecuti ſunt Apoſtoli, figurata illa loquutione moneri ſe, ut a doctrina Phariſæorum, Sadducæorum, & Herodianorum caverent [10].

(1) *Joan.6.22.72.* (2) *Matt.14.36. Mar.6.56.57. Jo. 7.* (3) *Matt.15.2.4. Marc.7.1.9.* (4) *Matt.15.10.14. Marc.7.14.15.* (5) *Matt.15.15.20. Mar.7.18.19.23.* (6) *Matt.15.22.28. Marc.7.25.30.* (7) *Marc.7.32.35.* (8) *Matt.15.32.39. Mar.8.1.20.* (9) *Matt.15.39. & 16.1.5. Marc.8.10.13.* (10) *Matt.16.4.12. Marc.8.13.21.*

Cæcus curatur Bethſaidæ.

Bethſaidam Urbem ad ripam ſeptentrionalem Jeſus appulit, ubi cæcum nactus extra urbem deduxit, tunc linitis ſaliva ejus oculis, manibuſque impoſitis, virum rogavit, num aliquid videret? Significante illo, cernere ſe homines velut arbores inambulantes, Jeſus iterum manu oculos tetigit, quod præſentiſſimo fuit viro illi collyrio. Sanus ergo remiſſus eſt, mandatis prius oneratus, ne rem illam cuiquam proderet [1].

S. Petrus Meſſiam eſſe Jeſum Chriſtum confitetur.

Relicta Bethſaida, & longius in plaga meridionali, qua parte Cæſaream Philippi reſpicit, excurrens, accidit quadam die, dum ſeorſum cum Diſcipulis orationi vacaret, ut ab ipſis Diſcipulis quæreret, quid de ſe homines ſentirent. Reſpondentibus illis, ab aliis Eliam, ab aliis Jeremiam, Joannem Baptiſtam, vel unum ex Prophetis ad vitam regreſſum reputari; iterum Jeſus: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Tunc Petrus: *Tu es*, ait, *Chriſtus Filius Dei vivi*. Egregiam viri confeſſionem non laudavit tantum Jeſus, ſed & pollicitus eſt ſuper ipſum, qui petra eſſet, ſe conſtituturum Eccleſiæ ædificium firmum adeo, ut nullis Infernorum viribus dejiceretur; daturum inſuper in ejus poteſtatem claves Regni Cœlorum, ut quos ipſe in terris ligaret, vinciretque, ipſi pariter in Cœlo ſolverentur ligarenturque: *Præcepit tamen ut nemini dicerent, quia ipſe eſſet Chriſtus* [2].

Quæ ſibi toleranda eſſent Jeſus C. prædicit.

Cœpit autem Jeſus, quæcumque ſe manerent Jeroſolymis mala, Apoſtolis ſuis pandere; quod Petrus minus ferens, ſeorſum deductum Magiſtrum affatus: Abſint a te iſta, inquit: ſed Jeſus ad ceteros Apoſtolos converſus, dura Petrum redarguit, verbis illis: *Vade retro Satana, ſcandalum mihi es.* Tum accitas turbas ita eſt allocutus: Si quis mihi comes acceſſurus eſt, ille ſibi ipſi renunciet, atque cruci humeros ſubjiciens, mea relegat veſtigia. Qui etenim ſtudio ſervandæ vitæ ſuæ tenebitur, ipſam perdet; quique viciſſim mei gratia perdiderit, ſervabit. Qui ad nominis mei confeſſionem coram hominibus erubuerit, ego pariter illum erubeſcam, cum venero in majeſtate mea & Patris & Sanctorum Angelorum. *Dico vobis vere: ſunt aliqui hic ſtantes, qui non guſtabunt mortem, donec videant Regnum Dei* [3]. Quæ ejus verba ſive ad Transfigurationem ipſius, ſive ad ultionem per Romanos imminentem referenda conſtat.

Transfiguratio Domini.

Poſt ſex ab eo ſermone dies, Jeſus e Diſcipulis ſuis tres, Petrum, Jacobum, & Joannem ſeorſum in montem deduxit; & cum per quietem noctis totus in preces reſolveretur, inſueta ſtatim luce, fulgentibuſque ac candentibus inſtar nivis veſtibus reſplenduit. Alto ſopore detinebantur Apoſtoli; quo tandem excuſſo, oculati teſtes transfigurationis Magiſtri ſui facti ſunt. Adfuerunt ibi pariter Moyſes & Elias, ſermonem cum Jeſu de futura ejus nece Jeroſolymis toleranda miſcentes. Lætitiæ extaſi extra ſe factus Petrus, nec ſatis quæ diceret animadvertens, propoſuit Jeſu, num vellet tria ibi fabricari tentoria, quorum alterum ipſi Jeſu, ſecundum Moyſi, reliquum Eliæ cederet. Dum hæc Petrus loqueretur, evaneſcentibus omnibus, nubes ſubito Diſcipulos obumbravit. Tunc audita de Cœlo vox: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipſum audite.* Ad ejus vocis tonum ſubito terrore obriguerunt Apoſtoli; ſed a Jeſu confirmati, inter deſcendendum exorto jam die, juſſi ſunt nemini uſque ad Reſurrectionem viſionem illam revelare [4].

Elias in Joannis perſona venit.

Quæ a Jeſu de futura ejus reſurrectione audierant Apoſtoli, nec plane aſſecuti, in cauſa fuerunt, cur illi familiaribus inter ſe colloquiis ea de re diſceptarent. Quare Jeſum interrogarunt, ut quid igitur docerent Scribæ futurum, ut ante reſurrectionem Elias veniret? Reſpondit Jeſus, pariturum quidem quaſi noviſſimæ diei prænuncium Eliam, ut omnia reſtitueret; veniſſe tamen ipſum in ſpiritu Eliam in perſona Joannis Baptiſtæ, quem Judæi excipere recuſaſſent, & pro arbitrio ſanctiſſimum virum traduxiſſent; nec æquiores illos pariter in filium hominis futuros [5].

Curatio pueri lunatici, muti & dæmoniaci.

Quæ noctem transfigurationis excepit, aurora Jeſus e monte una cum tribus Diſcipulis deſcendens, venit ad reliquos Diſcipulos, qui magna animi contentione in medio frequentis populi cum Scribis diſceptabant: quod ſcilicet valetudini reſtituere hominem lunaticum pariter & epilepticum, mutum tandem ac Dæmoniacum non valuiſſent. Vix dum proſpectum ad Jeſum omnes accurrerunt, & inter ceteros pueri parentes, ut ægritudini filii ſui ſubveniret rogabant. Quibus Jeſus: O generatio infidelis & perverſa, uſquequo ero apud vos, & patiar vos? Adduci autem ad ſe puerum juſſit, quem ſtatim miſere Dæmon torquebat; ſed Jeſus patrem admonuit: *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* Pater in lacrymas reſolutus, credere ſe ait, rogare tamen, ut ejuſdem fidei imbecillitas ejus virtute confirmaretur. Minitans ergo Jeſus Dæmonem faceſſere a puero coegit [6].

Dæmon ſola oratione & jejunio pellendus.

Ingreſſus inde domum, ac ſolitarius cum Diſcipulis verſans, rogantibus illis ut quid omnes ſuos ipſorum conatus pueri illius morbus eluſiſſet? reſpondit, ejus rei in cauſa fuiſſe, quod fidei eſſent imbecillioris; tantum enim fidei, quantum granum ſinapis, ejus eſſe virtutis, ut transferre montes valeret. Adjecit inſuper, id generis Dæmones oratione tantum & jejunio depelli [7].

Percurrit ſub hæc, omnibus imprudentibus, Galilæam. Narravit autem Apoſtolis futurum, ut ipſe Judæorum manibus permiſſus occideretur, atque poſt triduum ad vitam rediret; quod tamen Diſcipuli intellectu minime aſſecuti ſunt. Quamquam ejus ſermonibus deſignari aliqua de adventu Regni, & Filii Dei ſubodorati, anſam inde cœperunt diſceptandi, quis eorum in Regno Cœlorum primas tenere debuiſſet [8].

Jeſus didrachma ſolvit pro Templo.

Jeſus & Petrus præcurrentes, Capharnaum pervenerant, cum exactores didrachmatis, quod per capita tributum Templo ſolvebatur, quæſiverunt a Petro num Magiſter ejus didrachma vel *hemiſiclum* ſolveret. Affirmantem Petrum Jeſus cum primum domum pervenit, antequam ab illo quidquam reſciret, interrogavit, quoſnam viros Reges terræ ad ſolvendum tributum cogerent, filios ne an extraneos? Extraneos reſpondit Apoſtolus. At Jeſus: Immunes ergo habentur filii? tacite verbis illis deſignans, ſe, qui Filius eſſet Summi Parentis, tributi lege non cogi. Ne tamen, adjecit, ſolvere recuſantes viris illis offendiculo ſimus, ad mare ſtatim te conferens, quemcumque piſcem, qui primus ad hamum venerit, exente-

(1) *Marc.8.22.26.* (2) *Matt.16.13.20. Marc.8.27.28. Luc.9.18.* (3) *Matt.16.21.28. Marc.8.31.39. Luc.9.22.27.* (4) *Matt.17.1.9. Marc.9.1.8. Luc.9.28.36.*

(5) *Matt.17.9.13. Marc.9.9.13.* (6) *Matt.17.14.18. Marc.9.14.27. Luc.9.37.42.* (7) *Matt.17.19.21. Marc.9.28.29.* (8) *Matt.17.22.23. Marc.9.40.33. Luc.9.44.45.*

exenterâ, atque duo in ejus ventre reperta didrachmata, tui meique tributum ſolve. Ad fidem dictorum omnia [1].

Diſceptatio Apoſtolorum, quis primas in Regno Dei tenere debuiſſet.

Eodem temporis articulo ſupervenerunt Diſcipuli, (neque enim adfuiſſe credimus eum tota de ſolutione tributi hiſtoria ageretur, atque ſerius venerant, diſceptantes de Principatu) cum, inquam, veniſſent, quæſierunt illico a Jeſu, quis in Regno Cœlorum primas haberet? Ille qui factos ab abſentibus ſermones omnes norat, interrogavit, quid inter ſe venientes diſceptaſſent. Siluerunt illi rubore ſuffuſi. Tum Jeſus poſtulatis eorum reſpondens, dixit, ad obtinendum principem in Cœlo locum illos omnium noviſſimum tenere opus eſſe; atque accito in medium puero, adjecit, illum, qui Regnum Cœlorum affectaret, ad pueri illius ſtatum reduci [2] oportere.

Vir quidam a Diſcipulorum numero alienus, Dæmones, invocato Chriſti nomine depellit.

Narravit Joannes Magiſtro, vidiſſe ſe ceteroſque ſocios hominem, qui Dæmones ipſius nomine invocato pelleret, quamquam a Diſcipulorum cœtu eſſet alienus; prohibuiſſe autem ne quid ultra auderet. Negavit Jeſus prohibendum; qui enim ſuo nomine invocato miracula patraret, certe ſibi iniquior eſſe non potuiſſet, & quicumque contra ſe non ſtaret, pro ſe plane reputaretur [3].

Quantum damni ſit in ſcandalo.

Adjecit, ne putum quidem aquæ frigidæ ſuo nomine Diſcipulis ſuis collatum mercede vacuum futurum. Veh autem illis, qui puſillis ſuis ſcandalo fuiſſent! præſtare ſane iis, ut mola aliqua macinaria ad collum ſuſpenſa, in mare projicerentur. Oportere tamen eſſe in mundo ſcandala; ſed veh ſcandalorum authori. Si autem, adjecit, manus tua vel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & projice abs te. De impiis ad inferna damnatis dixit: Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Bonum eſt ſal; quod ſi ſal inſulſum fuerit, in quo illud condietis [4]?

Parabola ovis errantis.

Admonuit, neminem ex Fidelibus, quantumvis minimum, contemnendum, quorum Angeli faciem Patris Cœleſtis aſpicerent. Veniſſe ſe ait rebus amiſſis quærendis. Propoſuit deinde parabolam hominis, qui cum centum oves ſibi haberet commiſſas, 99. in montibus relictis palantem unam quæritat. Plura inſuper de correctione fraterna diſſeruit: oportere primum fratrem ſeorſum ab omnibus corripere; dein coram duobus vel tribus teſtibus refractarium Eccleſiæ denunciare; & ſi Eccleſiam non audierit, ab ejus conſortio recedendum, habendumque tamquam paganum aliquem & publicanum. Obteſtatus eſt, omnes ab Apoſtolis ſuis ligatos atque ſolutos in terra, in Cœlo pariter ligandos vinciendoſque. Cum duo vel tres ſimul ejus nomine coiverint, medium ſe inter illos futurum: ſi duo ex ipſis poſtulando aliquid a Patre coiverint impetraturos omnia [5].

Norma fraternæ correptionis.

Cum Jeſus de correptione fraterna quædam diſſeruiſſet, ea accepta occaſione Petrus interrogavit, quoties fratri veniam poſtulanti indulgendum? an ſepties? Cui Jeſus: *Non dico tibi ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* Propoſuit deinde parabolam Regis, qui rationem cum ſervis ſuis poſituros, a famulo 1000. talentorum ſibi obærato requiſitus eſt, ut temporis aliquid ſibi ad ſolvendum indulgeret. Ille non poſtulata tantum, ſed debitum etiam omne remiſit. Digreſſus inde ſervus, cum obæratum ſibi 100. denariorum alium conſervum offendiſſet, jugulo abreptum, rogantem fruſtra obſecrantemque in carcerem conjecit. Ea in fratrem inhumanitate commotus Rex, malum ſervum carnificibus permiſit, donec totum debitum pendiſſet. Tantumdem, intulit Jeſus, Deus cum illis præſtabit, qui fratribus in ſe peccantibus veniam indulgere recuſarint.

Jeſus ad Feſtum Pentecoſtes Jeroſolymam concedit.

Ineunte jam poſtremo vitæ J. C. anno, contulit ſe Jeſus Jeroſolymam ad Feſtum Pentecoſtes. Inter eundum viros quoſdam in vicum Samaritanorum parando ſibi hoſpitio præmiſit; ſed a Samaritanis ne locum ingrederetur prohibitus eſt. Quare duo ex ejus Diſcipulis Jacobus & Joannes ſuggeſſerunt Magiſtro, ut deducto cœlitus igne vicum abſumeret. Quibus ille neſcire ait eos, ad quem Spiritum pertinerent; ſe vero ſervandis non perdendis hominibus veniſſe. Hujus ardentioris zeli cauſa duobus illis Diſcipulis nomen inditum *Boanerges* ſeu filii tonitrui [6].

Qui Jeſum ſequi oporteat.

Obtulit ſe quidam, fidum totius vitæ comitem ſe acceſſurum profeſſus; cui Jeſus: Vulpibus, ait, ſuæ non deſunt foveæ, nec volucribus nidi: Filio vero hominis nec locus ſuppetit ut caput reclinet. Cum virum alterum ad ſui ſequelam invitaſſet Jeſus, permitti ſibi prius ille poſtulavit ut parentem ſuum ſepulturæ mandaret; cui Jeſus, *Sinite*, inquit, *mortuos ſepelire mortuos ſuos*. Alteri vero, qui concedi ſibi poſtulabat, ut vale neceſſariis dicere permitteretur, dixit, eum qui manum habet ad ſtivam, retrorſum oculos convertere minime oportere [7].

Septuaginta duo Diſcipuli ad fidem annunciandam mittuntur.

Elegit Jeſus, præter duodecim Apoſtolos, 72. Diſcipulos, quos ante ſe ad loca deſtinavit, ſibi deinde petenda. Cum autem Jeroſolymam pergeret, dixit, uberrimam quidem meſſem raros habere meſſores; mittere ſe illos tamquam arietes in medio luporum; jubere autem, non crumenam ſecum, neque commeatus, nec eadem mutatoria calceamenta euntes deferre, neminem per viam ſalutare, domum aliquam ſubeuntes ſancta omnia domeſticis apprecari; quæ ſcilicet pax, ſiquidem illi digni invenirentur recipiendi vos, ſuper ipſos recidet: ſin autem, ad vos revertetur. Monuit, ut in eadem ſemper domo manerent, quamdiu a domeſticis non pellerentur; comederent quæcumque menſæ apponerentur, curarent morbos & Regni Dei adventum annunciarent. Adjecit ſi ex urbe quadam prohiberentur, excuterent in illos pulverem pedum ſuorum, ſtatimque faceſſerent: ſcirentque durius in eam Civitatem ultima Judicii die animadvertendum, quam in Sodomam & Gomorrham: *Veh tibi Corozaim, Veh tibi Bethſaida, veh tibi Capharnaum! Tyro & Sidoni remiſſius erit in Judicio, quam vobis* [8].

Septuaginta duo Diſcipuli poſt impletum munus regrediuntur.

His igitur oneratі mandatis ſeptuaginta duo Diſcipuli omnia ea loca percurrerunt, quæ deinde Jeſus viſere ſtatuerat, alta ubique & prædicationum ſuarum, & prodigiorum veſtigia relinquentes. Quo ſuo munere functi, Jeſum ſive Jeroſolymis ſive in adjacenti

(1) *Matt. 17. 24. 27.* (2) *Matt. 18. 1. 5. Marc. 9. 34. 37. Luc. 9. 47. 48.* (3) *Marc. 9. 38. 41. Luc. 9. 49. 50.* (4) *Matt. 18. 6. 9. Marc. 9. 41. 50.* (5) *Matt. 18. 10. 20.* (6) *Luc. 9. 52. 56.* (7) *Luc. 9. 57. 62.* (8) *Luc. 10. 1. 16.*

centi circa ragiona nacti ſunt, quem de proſpero expeditionis ſuæ ſucceſſu fecerunt certiorem. Cum narrarent obſequio ſuo morigeros Dæmones habuiſſe, Jeſus videre ſa dixit Saranam velue fulgur e Cœlo ruentem; tum Diſcipulos ſoos ſcorpiooes & ſerpentes impavidos gradi imperavit; quippe quibus in venena & ooxia quæcumque virturem contuliſſet. Demum gratiss Patri egit, quod myſteria ſoa ſuperbis sumentibuſqua viris abſcondens, humilioribus & parvulis revelaſſet. Prodidis, ſuis manibus omnia a Patre tradita, neminem vero Patrem noſſe niſi Filium, ſicuti viciſſim Filium niſi Patrem, ceteroſque quibus Pater revelavit. Tum beatos prædicavit Diſcipulos, quibus iorueri datum eſſet, quem Reges & Prophetæ videre & noſſe ſummis votis optaraot [1].

Parabola hominis vulnerati in via ad Jericho, cui Samaritanus opem præſtitit.

Jeſum cooveoit Legiſperitus, quid facto opus eſſet, ot vitam æternam aſſequeretur, ioterrogans. Quem ille, quid io lege præſcriberetur, rogavit. Tum alter: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum. Recte*, ait Jeſus: *hoc fac & vives*. Adjecit Scriba, quis eſſet proximus ſuus, interrogans. Ad hæc Jeſus hanc inſtituit parabolam. Judæus quidam e Jeruſalem in Jericho proficiſcens, prædones offendit in via, qui ejus omoia diripuiſſe non cootenti, miſerum hominem vulneribus confoſſum pene cadaver reliquerunt. Accidit, ut Sacerdos quidam tranſiens, eo ſpectaculo ne moraretur qoidem: ita pariter de Levita paolo poſt eamdem viam tenentenarratur. Tandem Samaritanus quidam forte illac pertranſiens, miſerum ſuis maoibus levavit, obligavit vulnera, in equum aſſumpſis, detulit ad diverſorium, & ſollicite omnia ejus curavit, dara pariter cauponi mercede, quo ſedulam ejus curam gereret. Interrogavit deinde Jeſus, ecquis de tribus hiſce miſeri illius hominis proximus crederetur? Reſpondit Scriba, ſe Samaritanum arbitrari: cui Jeſus: *Vade & tu fac ſimiliter* [2].

Jeſus in domum Marthæ, & Mariæ Bethaniæ recipitur.

Exceptus eſt Jeſus in domum Marthæ, fœminæ Bethaniæ commorantis, 15. ſtadiis, vel tribus leucæ quadrantibus a Jeruſalem. Parando novo hoſpiti cibo anxia ſtudabat Martha; cum interim Maria ejus ſoror ante ejus pedes otioſa loquentem auſcultaret. Cooqueſta aſt Martha ea de re cum Jeſu, quippe quæ ſola rei familiaris coeis oneraretur. Cui Jeſus: *Martha ſollicita es & turbaris erga plurima. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea* [3].

Precandi formula a Jeſu Apoſtolis tradita.

Verſantem Jeſum in monte Olivarum e regione Jeruſalem, & cum jam preces ſuas abſolviſſet, rogarunt Diſcipuli, ut formulam ſibi precandi aliquam, quemadmodum Joannes Baptiſta ſuis tradideras, indulgeret. Docuit illos Jeſus Dominicam orationem eamdem quam prius in ſermone in monte tradiderat [4]. Tum multa adjecit de virtute & doribus orationis. Propoſuit parabolam hominis, qui cum trium panum neceſſitate teneretur, quod ad ſuam domum ioopinus veniſſet amicus, ea de re vicinum ſuum, qui cum tota familia cubatum jam iverat, poſtulavit. Recuſavit ille primum, ſed rogantis importunitate victus, omoia dedit, quæ poſtulabat. Quare Jeſus, *Petite*, ait, *& accipietis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*. Quis pater unquam filio ſuo panem vel ovum poſtulanti lapidem, vel ſerpentem tradidit [5].

Dæmoniacus mutus ab utroque morbo curatur. Regnum diviſum non ſtabit.

Oblatum ſibi Dæmoniacum loquendi facultate privatum Jeſus integræ ſanitati reſtituis, cujus rei invidiam apud Phariſæos ſubiit, quaſi ſcilicet in Beelſebub Principe Dæmoniorum Dæmones expelleres. Alii e Phariſæis prodigium aliquod de Cœlo poſtularunt; ſed eorum prava conſilia intelligens Jeſus, ita doloſos viros affatus eſt. Omne Regnum in ſeipſo diviſum deſolabitur: quare ſi Dæmoois Regnum dividatur, qui ſtabit? Si ergo in Beelſebub ejicio Dæmooia, cujus nomine filii veſtri pellunt? Quare illi ſuo vos judicio damnabunt. Si vero in digito Dei ego Dæmooes io fugam ago, Regnum profecto Dei ad vos pervenit. Cum ſtreouus aliquis vir armis inſtructus ædem deſeodit, nemo locum iogredietur, oiſi prius ſtrenuam illum virum vicerit & armis exuerit.

Qui non eſt mecum contra me eſt, & qui non colligit mecum, diſpergit. Spiritus oequam a loco ſuo pulſus, requiem undique quæritat; & cum tutum nuſpiam invenerit, priſtinam domum regreditur, noviſque ſe munitionibus, & accitis in auxilium ſeptem aliis nequioribus ſe Spiritibus, defendit: ita ſtatus miſeri illius, qui malo hoſpite antea liberatus erat, miſerabilior, quam antea efficitur [6].

Jeſus Chriſtus plura exprobrat Phariſæis.

Exprobrationes ſuas io Phariſæos proſequens Jeſus, tertio declaravit nullum ex ſe aliud ſignum ab illis expectandum, quam ſignum Jonæ Prophetæ. Vide *Matth.* 12. 39. & 16. 4. Adjecit Reginam Saba & Ninivitas cauſam contra illos ſtata judicii die dicturos, atque incredulitatem eorum & audiendæ veritate ſegnitiem pluribus redarguturos. Incenſam facem non ſub modio, ſed ſuper eminentem aliquam locum ſtatui, quo tenebras undique depellat. Porro, ait, *lucerna corporis tui eſt oculus tuus: ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit*: ſin minus, tenebræ omnia. *Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint* [7].

Jeſus diſcumbit cum Phariſæo indignum reputante, quod illotis manibus cibos capiat.

Phariſæus quidam Jeſum invitarat ad cœnam, & cum illotis manibus diſcubuiſſe animadverteret, rem habuit indigna. Sed Jeſus Vos, ait, Phariſæi nihil habetis antiquius, quam ut exteriora vaſis mundetis, cum interim rapinis & fraudibus interna omnia fœdentur. Tum pluribus exaggeravit eorum abuſum, qui decimam quidem mentha, & turæ religioſiſſime pendunt, juſtitiam & charitatem negligunt. Exprobrat affectata prima in Synagogis, locaque publicis ſubſellia, ſeſeque veluti dealbata ſepulchra exhibere, foris nitorem, intus ſanie m præſeferentes. Adjecit: Væ illis, qui importabilia onera aliorum humeris imponunt, cum ipſi ne digito quidem ſuo oppreſſos illos relevare ſuſtineant: væ iis, qui monumenta Prophetis conſtruunt, illis, inquam, Prophetis, quos Patres eorum neci tradiderunt; væ iis, qui cum ſibi ſcientiæ clavim uſurparint, neque ipſi quidem ingrediuntur, neque alios ingredi permittunt. Acerbe hæc omnia auſcultantes Phariſæi, ſedula cura in Jeſum incumbebant, ſtudebantque pluribus virum capere, atque e ſuis ſermonibus accuſationes in ipſum ſtruere [8].

Hypo-

(1) Luc. 10. 16. 24. (2) Luc. 10. 25. 37. (3) Luc. 9. 38. 42. (4) Matt. 6. 9. 13.

(5) Luc. 11. 1. 13. (6) Luc. 11. 14. 28. (7) Luc. 11. 29. 36. (8) Luc. 11. 38. 54.

Hypocriſis Phariſæorum fermentum.

Verba faciebat Jeſus ad Diſcipulos ſuos coram frequenti populo, monens ut ſedulo ab hypocriſi, quod fermentum eſt Phariſęorum, cavarent, nil enim tam occultum eſſe latenſque, quod tandem non pateat, & innoteſcat. Scirent, ea, quę clam diſſeruerant, tandem palam annuncianda, & quę in aure, ſuper tecta propalanda. Na timerent eos, qui perdendi quidem corporis habent poteſtatem; ſed eum potius revererentur, penes quem & corpus, & animam ad inferna detrudendi poteſtas. Duę aviculę, quę duobus obolis, viliſſimo pretio, venduntur, curę ſunt Deo: ut quid igitur vos non curabit, cui ipſi pariter de capita crines in numerato ſunt? Adjecit: Quicumqua confeſſus fuerit me coram hominibus, filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: ſicut viciſſim qui nomini meo renunciaverit, ipſi pariter renunciabo. Qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur illi: qui in Spiritum S. blaſphemaverit, non remittetur. Cum vos ad tribunalia, & Magiſtratus raptaverint, ne ſolliciti ſitis quam pareris reſponſionem, vos enim Spiritus S. docebit (1).

Exquiritur Jeſus, ut diviſionem inter duos fratres curet.

Venit ad Jeſum quidam, ut fratrem ſuum ad hereditatis diviſionem adigeret; cui Jeſus nil ſe talu curaturum dixit: atque occaſionem nactus, de avaritia differendum ſuſcepit, propoſita viri cujuſdam locupletis parabola, quem deſtruendi horrea ſua, & ampliora ędificandi conſilium capientem, atque de commodę vitę deliciis blanditum ſibi inopina mors occupavit. Non aſt igitur, cur de cibo, & veſtimento ſolicitiori cura teneamor, cum da utroque Deus aviculis provideat, cui ſane de iis minor eſt, quam de hominibus providentia.

Humilitatem docet, & in pauperes ſtudium.

Ut quid da iis omnibus ſolicitudine angamur? Quantumcumqua cogitaverit homo, ſtaturę ſuę nu cubitum quidem unum adjicere poterit. Quare ſi minori pręſtando impar aſt, majus non poterit. Lilia agri non illa quidem de parando ſibi veſtimento ſolicita ſunt, quę tamen magnificentiſſime veſtiuntur a Deo. Quęrite ergo primum Regnum Cęlorum, & hęc omnia adjicientur vobis. Vendita quę poſſidetis, & data eleemoſynam, locupletes vobis theſauros in Cœlis parantes. Sint lumbi veſtri accincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, quo domino veſtro a convivio regredienti præſto occurratis. Amen dico vobis, quod præcinget ſe & diſcumbentibus miniſtrabit, Si ſciret Paterfamilias qua hora fur veniret ædium parietibus ſuffodiendis, vigilaret utique: & vos eſtote parati, qua enim hora non putatis, Filius hominis veniet [2].

Parabola fidelis Oeconomi, mali ſervi, & alterius famuli immorigeri.

Quæſiit Petrus, num ea quæ huc uſque diſſeruiſſet, ad Diſcipulos tantum, vel ad omnes æqua ſpectarent? Cui Jeſus pluribus parabolis propoſitis reſpondit, 1. Oeconomi fidelis & prudentis, quem Dominus fidei ſuæ merito univerſæ familiæ præpoſuit: 2. Mali illius famuli, qui abſentiæ Domini ſui occaſiona captata, conſervos vexat, ſibique nihil ad voluptatem reliquum facit. Regreſſus enim Dominus nequam hunc famulum capitali ſupplicio plectit: 3. Famuli qui Domini ſui voluntatem probe noſcens, nec tamen executus, vapulat multis, ſed mitius cum ignorantibus agitur. Multum ſana ab eo exigitur, cui multum concreditur. *Veni*, adjecit,

Diſſert. Calmet, Tom. II.

ignem mittere in terram, & quid volo niſi ut accendatur? Ego Baptiſmo ſanguinis habeo baptizari, & quomodo coarctor uſque dum perficiatur. Non paci in terram inferendæ veni, ſed diviſioni, committendis nimirum parentibus in filios, filiis in parentes &c. [*].

Cum adverſario ante prolatam a Judice ſententiam lis componenda.

Exprobrat Jeſus Phariſæis, omnes aeris viciſſitudines ſola Cœli inſpectione prædicere illos potuiſſe, cum interim tempori adventus Meſſiæ diſtinguendo nihil valerent. Adjecit: Dum vadis cum adverſario tuo ad Principem, id committa, ut liber ab illo te expedias, na forte a Judice damnatus in carcerem detrudaris, donec noviſſimum minutum reddas [3].

Mixtus inter ſacrificia Galilæorum eorum ſanguis a Pilato.

Renunciatum eſt Jeſu, Pilatum Galilæorum Sacrificia quorumdam ejus gentis cæde fœdaſſe. Quæſivit Jeſus, num crederent miſeros illos majoris aſſu criminis reos præ aliis ejus regionis? Non ſane, ait: quemadmodum & illi, quos ſubito corruens turris Siloa oppreſſit, non ideo criminibus reliquos omnes Jeroſolymæ incolas vincebant. *Quare, niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Propoſuit deinde parabolam ficulneæ ſterilis, quam ſuccidendam Dominus præcepit; ſed dilationem unius anni vinitor impetravit, pollicitus majori ſe cultu illam curaturum; quibus laboribus ſuis ſi forte nullus in arbore fructus reſpondiſſet, ſucciſurum tandem ſpopondit [4].

Mulier incurva a 18. annis curatur;

Docebat Jeſus pro recepto ſibi more in Synagogis, cum fœmina a 18. jam annis incurva, ut ſurſum reſpicere minime poſſet, adducta eſt. Præfecti Synagogæ querelas ea de re ſuas egerunt, iniquum eſſe dicentes, ut tot conſtantu diebus ſeptimana, adhuc tamen Sabbati dies curandis morbis impenderetur. Tunc Jeſus hypocriſim illorum exprobravit; quippe qui aſinum vel bovem ſuum die Sabbati ſolvare atque adaquare religioni non ducerent; haberet autem gravius, fœminam moleſta illa infirmitate jam inde a 18. annis laborantem eadem die relevari [5].

Parabola grani ſinapis & fermenti. Feſtum Pentecoſtes.

Propoſuit dein Jeſus iterum parabolam grani ſinapis in arborem ſatis proceram creſcentis, & fermenti quod tria farinæ ſata ſubigit. Ita vero viam ad Jeruſalem proſequebatur, ubique per Synagogas docens. Cum autem in Urbe illa die Pentecoſtes verſaretur, interrogavit quiſpiam, num rari eſſent qui ſalutem aſſequerentur. Reſpondit ille: *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Non omnes qui ad oſtium pulſantes inſtabunt, ingeminando pariter, Domine, Domine, recluſis foribus introducentur: Et dicet: *Neſcio vos unde ſitis, diſcedite a me omnes operarii iniquitatis: ibi erit fletus, & ſtridor dentium.* E quatuor mundi plagis undiqua accurrent convivæ diſcumbentes in menſa cum Abraham, Iſaac, & Jacob, dum interim Judæi arcebuntur. Ita erunt noviſſimi qui ſunt primi, & erunt primi qui ſunt noviſſimi [6].

(1) *Luc.* 12. 1. 12. (2) *Luc.* 12. 13. 14. (*) *Luc.* 12. 41. 53. (3) *Luc.* 12. 54. 58.

(4) *Luc.* 13. 1. 9. (5) *Luc.* 13. 10. 17. (6) *Luc.* 13. 19. 20.

Herodes necem Jeſu Chriſti molitur.

Eadem die cum renunciaretur a Phariſæis Magiſtro, Herodem necem ipſi moliri, ita illos affatus eſt: *Dicite Vulpi illi: Ecce ejicio Dæmonia, & ſanitates perficio hodie, & cras, & tertia die conſummor.* Producendum eſt mihi longius aliquanto ſemel a me ſuſceptum miniſterium; mors tandem Hieroſolymis me manet; neque enim alibi fas eſt occumbere Prophetam. Tum Urbis illius Prophetarum cædibus cruentæ, quæ voluntati ſuæ, cogendi nempe ejus filios, veluti gallina pullos ſuos ſub alis ſuvet, nunquam non pervicaci ſuiu reſiſtentis, exitium deſolationemque vaticinatur; ac tandem ita orationem ſuam claudit: *Non videbitis me, donec veniat, cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini* [1].

Hydropicum ſanitati reſtituit coram Phariſæis.

Reliſta Hieroſolyma, Capharnaum repetiit, ubi ex optimatibus Phariſæorum quidam die Sabbathi ad cœnam illum invitavit. Sedulo autem a Phariſæis obſervabatur, num die illa feſta ægrotum aliquem curandum ſuſciperet, quo accuſationes in illum ſuas, tamquam Sabbathi violatorem ſtruendi occaſionem caperent. Stabat coram Hydropicus, quæſivitque Jeſus a Phariſæis, num liceret Sabbato curando homini operam dare? ſilentibus illis, ægrotum valere juſſit, ſimulque interrogavit Phariſæos, num die Sabbati lapſum in foveam jumentum ſuum prætereirent [2]? & illi reponere quidquam non valebant.

Ne primi accubitus in menſa affectentur.

Animadvertens Jeſus, Phariſæos, quibuſcum una diſcumbebat, primos ambire accubitus, hæc in parabolæ modum affatus eſt. Cum ad menſam veneris invitatus, infimum de induſtria locum elige, quo ſcilicet e Domino ad honeſtiſſimum locum evoceris; cave enim ne ipſe primum honoratiſſimum locum ambias, ne forte te honeſtior aliquis veniens, locum ipſe tuum teneat, te ad infimum amandato: *Quicumque enim ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Quando convivium aliquod paras, cave ne potentiſſimos amicos neceſſariosque invites, fiet enim ut ipſi pariter te, æquum ergo reddentes, invitent; ſed potius voca egenos, ægros, cæcos, quo gratiam non homo ſed in reſurrectione juſtorum referat Deus [3].

Parabola inſtructiſſimi convivii, quo invitati conviva venire cauſatione aliqua recuſant.

Hæc diſſerente Jeſu, ex convivis quidam occaſione captata felicem pronunciavit, cui id dabitur, ut in Regno Dei diſcumbat. Tunc Jeſus hanc ingeſſit parabolam. Splendidiſſimus Vir quidam inſtruxerat convivium, quo invitati plures venire, cauſationem prætendentes, recuſarunt; alius enim ſe villam emiſſe reſpondit, alius boves, alius duxiſſe conjugem. Eam rem ferens acerbe convivii Dominus, juſſit ad cœnam obvios quoſcumque egenos claudoſque invitari. Miſſi pariter & per agros viri, ut quos maxima in via offendiſſent ex infima hominum fæce eo deducerent; denunciavitque famulis ſuorum, ut nemo e prioribus invitatis ad cœnam ipſis paratam introduceretur [4].

Parabola ædificium aliquod aggredientis, qui ſecum rationem init, num tantum habeat in numerato, quantum abſolvendo ædificio ſat eſt.

Magno turbarum ſatellitio Jeſus Galilæam diſcurrebat, docens undique per Synagogas, comitibuſque ſuis denuncians, neminem inter Diſcipulos Filii hominis accenſendum, quin prius parentibus ſuis neceſſariiſque, ſe ſibi tandem renunciaverit; oportere ut levata in humeros cruce ipſius Magiſtri relegantur veſtigia. Propoſuit deinde parabolam hominis, qui ædificium aliquod moliens, ſecum tandem rationem init, num tantum habeat in numerato, quantum ad abſolvendum opus ſat eſt. Regis pariter, qui ante ſuſceptam expeditionem aliquam in alium Regem, deliberat prius, num cum collecto decem millium exercitu reſiſtere valeat adverſario, bis totidem militibus valido. Ita pariter, inquit, *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus. Bonum eſt ſal; ſed ſi forte evanuerit, in quo condietur? neque in terra, neque in ſterquilinio utile eſt, ſed foras mittetur. Qui habet aures audiendi audiat* [5].

Jeſus cum Publicanis veſcitur.
Parabola ovis palantis.

Redierat jam Capharnaum, factaſque ad illum audientium & Publicanorum, & perditorum hominum concurſus, quibuſcum ne veſci quidem Jeſus dedignabatur. Murmurantibus ea de re Phariſæis, parabolam narravit. Erant viro centum oves, quarum cum unam defuiſſe animadverteret, ceteris omnibus relictis errabundam illam quæſivit, inventamque in humeros ſuos levans, reduxit ad gregem. Tanto ille redeuntæ gaudio affectus eſt, ut amicos ad convivium lætitiæ invitaret. Ita pariter *gaudium erit in Cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

Parabola Filii Prodigi.

Priori alteram attexuit parabolam, filii prodigi, qui portione hæreditatis ſibi obvenientis a Patre requiſita, receptaque, in regionem quamdam longinquam cum diverſiſſet, amicorum compotationibus, & luxu patrimonium illud omne dilapidavit. Quare in extremas rerum omnium anguſtias redactus, paſcendo grege porcorum vitam tolerare coactus eſt. Ita angeſtiæ vitæ incommodis ad ſaniora revocatus conſilia, reverti ad patrem ſtatuit. Venit igitur; exceptuſque humaniſſime a patre novis veſtibus indutus eſt. Tum ampliſſimum inſtructum ab eodem patre convivium, ut lætam adventus filii ſui diem celebraret. Accidit ut frater natu major ex agro veniens & omnia reſciſcens graviter tantum lætitiæ apparatum ferret. Cui ſenex oportere dixit feſtum de adventu fratris diem agere, quippe qui ſingulari aliqua ratione velut in vitam rediiſſet, & errabundus palanſque tandem inventus eſſet [6].

Secundum hæc, tranſvadato Jordane, per regionem trans amnem in Judæam venit. Comitabatur virum cum turbis frequentiſſimis ingens ægrotantium multitudo, quos omnes recepta valetudine incolumes remittebat (7).

Parabola Oeconomi infidelis, & peſſimi adminiſtratoris.

Narravit pariter Diſcipulis parabolam Oeconomi infidelis, qui poſt diſſipata bona Domini ſui, cum in reddenda ratione de rebus ſuis diffideret, ſingulos convenit ejuſdem Domini ſui debitores, debitumque remiſit, quo ſcilicet e domo heri pulſus, illos benevolos hoſpites nanciſceretur. Monuit ergo Jeſus, ut ſibi de divitiis iniquitatis amicos compararent,

(1) *Luc.* 13. 31. 35. (2) *Luc.* 14. 1. 6. (3) *Luc.* 14. 7. 14. (4) *Luc.* 14. 15. 25. (5) *Luc.* 14. 25. 35. (6) *Luc.* 15. 1. 32. (7) *Matth.* 19. 1. 2. *Marc.* 10. 1. 2.

rent, a quibus in æterna tabernacula reciperentur. *Qui*, ait, *in minimo fidelis eſt, erit & in majori; & ſi in alieno fideles non fuiſtis, quod veſtrum eſt, quis dabit vobis? Nemo poteſt duobus Dominis ſervire: non poteſtis Deo ſervire & mammonæ*. (1).

Phariſæi, quorum erat auri fames valida, Jeſum talia diſſerentem ridebant; ſed ille Deum dixit intima cordis rimari, & quæcumque in honore eſſent apud homines, hæc maxime abominationi eſſe Deo, & ludibrio. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem; ex eo Regnum Dei evangelizatur; & omnis in illud vim facit*. Facilius eſt autem Cœlum & terram præterire, quam de Lege unum apicem cadere. (2).

Liceat ne a conjuge facto divortio recedere?

Tentandi viri gratia rogarunt Phariſæi, num liceret facto divortio conjugem dimittere? Interrogavit viciſſim Jeſus, quid Moyſes ea de re ſtatuiſſet? Cum permitti repudii libellum audiſſet; fateor, ait Jeſus, *ſed hæc a Moyſe permiſſa ſunt ad duritiam cordis veſtri: ab initio autem creaturæ maſculum, & fœminam fecit eos Deus: propter hoc relinquet homo patrem, & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet. Omnis qui dimittit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimiſſam duxerit, mœchatur* (3).

Tria Eunuchorum genera. Virginitas commendatur.

Regreſſum in domum Jeſum Apoſtoli iterum ſuper hæc interrogarunt, eademque ille, quæ prius Phariſæis, repoſuit. Sed, inquiunt Apoſtoli, ſi ita eſt, non expedit nubere. Tunc Jeſus: *Non omnes capiunt verbum iſtud*. Tria ſunt Eunuchorum genera, alios reddit naturæ, ſive temperamenti vitium, alios neceſſitas, alios voluntas, quorum poſtremi ab eo voluptatum genere ſe continent, ut ſibi Regnum Cœlorum promereantur (4).

Parabola Lazari, & Divitis impii.

Narravit aliam parabolam Lazari, & divitis impii, quorum iſte ſplendidiſſimis veſtibus, & inſtructiſſimis ſemper conviviis luxum ſpirabat; cum interim Lazarus præ foribus viri illius jacens, micis tantummodo e menſa illius decidentibus ſaturari rogaret. Ambo tandem diem clauſerunt, ſed impari ſorte; nam Lazarus in ſinum Abrahæ, dives in Infernum exceptus eſt. Quare tollens oculos miſer ille, & a longe Abrahamum proſpiciens, ut mitteret Lazarum rogavit, gutta tantummodo frigidæ e ſummo digitulo ſtillante æſtuantem refrigeraturum. Repoſuit Abraham, illum quidem, dum viveret, nil ad voluptatem reliqui feciſſe, quare modo viciſſim Lazarum oblectari par eſſe; ſtatui pariter inter utroſque medium ingens aliquod, & impermeabile chaos, quo tranſire Lazarus hinc illuc prohiberetur. Perrexit iterum Dives, obſecrans ſaltem, ut nuncium vicis ſuæ ad quinque fratres ſuperſtites mitteret, ne parem vitæ exitum haberent. Cui Abraham: *Habent Moyſen, & Prophetas: audiant illos: & ſi non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent* (5).

Scandali malum & diſcrimen.

Impoſſibile eſt ut veniant ſcandala, ait Jeſus Diſcipulis ſuis: *Verumtamen væ homini illi, per quem ſcandalum venit; utilius eſſet illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum ejus, & projiciatur in mare; quam ut ſcandalizet unum de puſillis iſtis*. Si frater tuus aliquis injuria te affecerit, verbis illum corrigere permitteris: ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi; & ſi ſepties in die peccaverit in te & ſepties

in die converſus fuerit ad te, dimitte illi. Rogarunt Magiſtrum Apoſtoli, ut in ſe fidem augeret, quibus ille: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori moro: Eradicare, & tranſplantare in mare: & obediet vobis* (6).

Servi inutiles ſumus.

Ut noſtram in Deum obſequium nihil eſſe demonſtraret Jeſus, & poſt hæc omnia inutiles eſſe ſervos palam argueret, parabolam narravit Domini, cujus famulus paſcendo grege ſive colendo agro occupabatur; reverenti enim illi ex agro, an forte imperabit ut menſæ accumbat, ſeu potius ut ſibi cibum paret, veſcentique miniſtret, ac deinde ipſe ſe cibo reficiat? Numquid autem gratiam habet Dominus ſervo illi, quia fecit, quæ imperaverat (7).

Feſtum Tabernaculorum vel Scenopegia 20. Tizri, 13. Octobris, A. J. C. 35. Æræ vulg. 32.
Jeſus a neceſſariis ſuis ſollicitatur, ut Jeroſolymam petat.

Inſtante jam feſto Tabernaculorum vel Scenopegiæ, neceſſariorum ſuorum ſollicitationibus urgebatur Jeſus, ut Jeroſolymam ſe conferret, quo ſcilicet devinctos ſibi in exordio prædicationis ſuæ biennio ante ibidem Diſcipulos, *Joann. 2. 32.* viſis, quæ ab ipſo patrabantur, miraculis, magis magiſque confirmaret, ſeque ipſum palam orbi oſtenderet: *neque enim fratres ejus adhuc*, inquit *Joann. 7. 5. credebant in eum*. Sed Jeſus, irent quidem ipſi, ſiquidem vellent, Jeroſolymam, dixit, ſe tamen non iturum, non enim adhuc tempus adeſſe. Cum tamen illi eo divertiſſent, venit tandem & Jeſus, cujus multus erat rumor in populo, & undique ab omnibus quærebatur (8).

Jeſus docet in Templo. Doctrinam ejus ſtupent Judæi.

Media jam effluxerat octidui ſolemnitas, cum per eos Templum Jeſus inſtituere populum aggreſſus eſt, non ſine Judæorum admiratione, quippe qui nullis vacaſſe illum litteris norant. Sed Jeſus non eſſe cur ea de re ſtuperent, prodidit; habere enim a Patre Cœleſti, quo mittente venerat, ſibi creditam eruditionem. Cum vero mala eorum in ſe conſilia penetraret, palam edixit, reos eſſe ipſos Moſaicæ Legis tranſgreſſæ; illa enim homicidium prohibente, ipſos ſuam necem moliri. Ad hæc populus, cui nihil de prava Sacerdotum & Phariſæorum voluntate erat exploratum, agi ipſum a Dæmone palam dictitabat: Quis enim, dicebant, necem tuam cogitavit unquam? Quibus Jeſus, Ego, ait, unico inter vos prodigio claruí, valetudine nempe ægroto ad probaticam piſcinam conceſſa *Joann. 5. 1. 15.* & vos omnes hæreticis ſtupentes. Ducitis autem iniquum, me die Sabbati hominem curare, cum eadem die, ut Moſaico præcepto, ſeu potius ſenioribus eamdem cæremoniam jubentibus, obſequamini, a circumcidendo homine nulla vos religio abſterreat (9).

Unde proditurus ſit Meſſias, ignotum.

Digito notabant hominem cives quidam Jeruſolymæ, ſecum invicem ſtupentes, cur homo, quem Phariſæi in necem quærerent, adeo liberis verbis loqui impune permitteretur. An forte, dicebant, vere cognoverunt Principes, quia hic eſt Chriſtus? Alii vero contra negabant Meſſiam eſſe; hunc enim, dicebant, ſcimus unde ſit, Chriſtus autem cum venerit, nemo ſcit unde ſit. Clamabat interim Jeſus in Templo: *Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis: miſit me, quem vos neſcitis. Ego ſcivi eum, quia ab ipſo ſum, & ipſe me miſit*. Volebant injicere

B 4 in

(1) *Luc.* 16. 1. 13. (2) *Luc.* 16. 14. 17. (3) *Matth.* 19. 3. 9. *Mar.* 10. 3. 9. *Luc.* 16. 18. (4) *Matt.* 19. 10. 12. *Mar.* 10. 10. 12. (5) *Luc.* 16. 19. 31. (6) *Luc.* 17. 1. 6. (7) *Luc.* 17. 7. 10. (8) *Jo.* 7. 2. 13. (9) *Joann.* 7. 14. 24.

in illum manus; ſed nondum maturo ad eam rem tempore, eorum conſilia omnia fruſtra erant. Multi autem credebant in eum ex populo, id apud ſe reputantes: *Chriſtus, cum venerit, numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit* [1].

Sacerdotes capiendo Jeſu collectam manum immittunt.

Quos vulgi ſermones compertos habentes Sacerdotes & Phariſæi, capiendo Jeſu viros ſummiſerunt, quibus ille: *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum qui me miſit. Quæretis me & non invenietis, & ubi ego ſum, vos non poteſtis venire.* Ambages loqui autumabant Judæi, quænam hæc ſpectarent ſecum invicem quærentes: *Quæretis me & non invenietis.* Numquid, dicebant, *in diſperſionem gentium, & docturus gentes, iturus eſt?* [2]

Jeſus fons aquæ vivæ.

Noviſſimo Feſti Tabernaculorum die Jeſus ſtans in Templo clamabat, fontem ſe eſſe, unde ſitientes omnes potarent: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; quibus verbis tacite inſinuavit ſpiritum, quem accepturi erant credentes in eum. Varie hæc inter populum excipiebantur; alii enim verum Prophetam reputabant, alii Chriſtum. Sed numquid Chriſtus a Galilæa? dicebant nonnulli. Nonne Scriptura dicit, quia ex ſemine David & de Bethleem caſtello, ubi erat David, venit Chriſtus? Diſſidium erat ea de re inter turbas, miſſique a Sacerdotibus ad eum capiendum viri, re infecta redierunt, locutum hominem, quæ nemo unquam alios, ſtupentes. Cum hæc renunciarent Sacerdotibus, & Phariſæis, reſponderunt illi ex adverſo, Numquid & vos ſeducti eſtis? an ex Principibus & Phariſæis aliquem inter ejus ſectatores, & nonniſi ex turba maledictos aliquos, vidiſtis? Nicodemus, qui Chriſto occulte ſtudebat [3], Nemo, ait, inauditus in Lege damnatur. Illi contra: Nemo e Galilæa Propheta: an tu forte Galilæus es? Subeunte jam tum veſpere, abierunt omnes in diverſa, totamque illam noctem Jeſus in monte Olivarum exceſſit [4].

Mulier in adulterio deprehenſa ad Jeſum adducitur.

Rediit in Templum mane, prædicationis munus reſumens, adductaque ad illum muliere in adulterio deprehenſa, parata per dolum quæſtione, interrogarunt Phariſæi, quid facto opus eſſet? Tacens Jeſus ſcribebat in terra; dein ſurgens juſſit ut qui nulla peccati conſcientia teneretur, primum omnium lapides in fœminam mittere; iterumque inclinatus ſcriptitabat. His auditis, accuſatores alius poſt alium dilapſi ſunt; relictamque fœminam ſolitariam interrogavit Jeſus, num a quoquam damnaretur? Et cum illa a nemine ſe damnatam reſpondiſſet. *Vade*, ait Jeſus, *& jam amplius noli peccare* [5].

Jeſus lumen Mundi.

Tum inſtitutam ad populum orationem proſecutus Jeſus, dicebat: *Ego ſum lux Mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris.* Dicentem exceperunt Phariſæi: *Tu de te ipſo teſtimonium perhibes; teſtimonium tuum non eſt verum.* Tunc Jeſus: *Etſi teſtimonium perhibeo de me ipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio unde veni, & quo vado*, quorum utrumque vos ignoratis. *Si ego judico, judicium meum verum eſt, quia ſolus non ſum: ſed ego, & qui miſit me Pater*: ex Legis autem præſcripto duorum teſtimonium ratum aſſertumque tenendum eſt. Rogarunt illi, ubi nam Pater verſaretur; & ille viciſſim: *Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis.* Hæc diſſerebat Jeſus in gazophylacio templi; & cum deſtinata ipſi hora nondum veniſſet, nemo injicere in eum manus audebat [6].

Jeſus abibit, & Judæi in ſuo peccato morientur.

Iterum denunciavit Jeſus, abiturum ſe jam, fruſtra dein ab illis quærendum, ſed in ſuo peccato adhuc verſantes a morte occupatum iri, ac tandem quo ille abiret, venire illos non poſſe. Reputabant illi hæc audientes, num ſibi mortem conſciſcere moliretur? Tunc Jeſus: *Vos de deorſum eſtis, & ego de ſupernis ſum: ſi non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Interrogarunt illi, ecquis tandem eſſet? & Jeſus: *Principium, & qui loquor vobis*: nempe ad mea verba primum attendite. *Multa habeo vobis loqui, & ego quæ audivi ab eo, qui miſit me, hæc loquor in mundo. Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & quæ docuit me Pater, hæc loquor.* His verbis pluribus, ut in ſe crederent, perſuaſit; quibus ille: *Si vos manſeritis in ſermone meo, vere Diſcipuli mei eritis, & veritas liberabit vos.* Ad hæc Judæi, nemini ſe unquam ſerviſſe, utpote qui ſemen eſſent Abrahæ, dictitabant. Reſumpto Jeſus ſermone: *Omnis qui facit peccatum*, ait, *ſervus eſt peccati; ſi vos Filius liberaverit, vere liberi eritis.* Adjecit ſcire ſe, originem illos ſuam ex Abrahamo referre, ſed necem pariter ſibi inferendam in mente tacitos agitare; quod ſcilicet verba loqueretur, quæ ipſi in corde admittere non paterentur; *Si filii Abrahæ eſtis*, ait, *opera Abrahæ facite.* Ut quid meam necem molimini; Hoc Abraham non fecit. Ad hæc illi: Nos unum Patrem habemus Deum. Et Jeſus: Si Deus Pater veſter eſſet, diligeretis utique me, qui a Deo miſſus ad eum regredior. *Vos ex Patre Diabolo eſtis*, cujus vos voluntati obtemperatis; jam enim inde a mundi exordio ille homicida erat & mendax [7].

Jeſus irreprehenſibilis. Qui ex Deo eſt, Dei verba auſcultat.

Sermonem proſecutus adjecit. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Tenemus te, abrumpentes ſermonem dixerunt Judæi; ex his enim ſatis habemus argumenti, ut Samaritanum te & Dæmoniacum probemus. Tunc Jeſus: *Ego Dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ego non quæro gloriam meam: eſt qui quærat, & judicet. Si quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum.* Iterum Judæi inclamantes ad hæc, noſſe ſe eo novo argumento dictitabant, agi virum a Dæmone; quippe qui ſcirent interiiſſe Abrahamum, cum interim Jeſus profiteretur eos, qui juſſionibus ſuis obtemperaverint, numquam interituros. *Numquid major es?* dicebant, *Patre noſtro Abrahamo, & Prophetæ mortui ſunt. Quem te ipſum facis?* Ego, inquit Jeſus, *ſi glorifico me ipſum, gloria mea nihil eſt; eſt Pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt: & non cognoviſtis eum, ego autem novi eum & ſermonem ejus ſervo.* Abraham Pater veſter exultavit ſpe videndi diem meum, vidit & gaviſus eſt. Hæc dicentem indignati exceperunt Phariſæi: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abrahamum vidiſti?* *Utique*, ait Jeſus, *antequam Abrahamum fieret, ego ſum.* Nec plura; namque concurrentibus ad lapides Judæis, Jeſus furtim e Templo ſe ſubducens delituit [8].

Cæcus a nativitate curatur.

Mane alterius diei Urbem inambulans Jeſus, cæcum a nativitate offendit, rogantibuſque diſcipulis, cujuſnam merito hæc viro accidiſſent, pro-
prio

(1) *Joann.* 7. 25. 31. (2) *Joann.* 7. 32. 36. (3) *Joann.* 3. 1. 22. (4) *Joann.* 7. 37. 53. (5) *Joann.* 8. 1. 11. (6) *Joann.* 8. 12. 20. (7) *Joann.* 8. 21. 45. (8) *Joann.* 8. 46. 59.

prio ne; an parentum? nihil horum in cauſa fuiſſe reſpondit Jeſus, ſed viro permiſſum morbum, quo opera Dei manifeſta fierent in illo. *Me oportet*, adjecit, *operari opera ejus, qui miſit me, donec dies eſt. Ego lux ſum Mundi.* Simul ad hæc ſaliva terram ſubigens, formato ex ea luto cæcos oculos linivit, juſſitque miſerum hominem lotum ire ad fontem Siloe lumina. Paruit, nihilque ad valetudinem recipiendam reliqui factum eſt. Cum autem vir ille mendicans tota Urbe notiſſimus eſſet, quicumque virum poſt receptam ſanitatem offendebant, falli ſe atque alterum pro altero uſurpare arbitrabantur; ſed ille virum ſe eſſe cæcum antea ipſis cognitum ſancte affirmans, totam receptæ valetudinis hiſtoriam narrabat (1).

Cæcus ille coram Sacerdotibus vocatur.

Mane alterius diei coram Phariſæis cæcus ille accitur, quo totam receptæ valetudinis hiſtoriam exponeret. Contendebant Phariſæi, nunquam reputandum Jeſum Chriſtum a Deo miſſum fuiſſe, quippe qui cæci nati curatione Sabbati religionem non ſatis revereretur. Sed aliis vix perſuadebatur, ſacrilegum hominem ea miracula patrare unquam potuiſſe. Cæcus verum eſſe Prophetam defendebat. Inter eas diſceptationes, parentes cæci illius acciti interrogantur, num filium hunc ſuum noſcerent, ſcirentque a nativitate cæcitatis morbo laboraſſe. Affirmarunt illi; ſed de recepta ab ipſo valetudine nihil comperti habere ſe profeſſi ſunt: illum, utpote præ ætate capacem, interrogarent. Hac illi cautione locuti ſunt, metu Phariſæorum, a quibus pellendos ſe norant e Synagoga ſi Jeſum Chriſtum Meſſiam eſſe dixiſſent. Statutum iterum in medium cæcum etiam atque etiam hortabantur, ut vera in Dei gloriam proderet, exploratum habere ſe Jeſum hominem eſſe nequiſſimum. Tunc cæcus: *Si peccator eſt, neſcio: unum ſcio, quia cum cæcus eſſem, modo video.* Interrogatus iterum, qua ratione cæcitatem Jeſus depuliſſet, reſpondit ſemel ſe omnia narraſſe; ut quid igitur interrogarent? *Numquid & vos*, ait, *vultis Diſcipuli ejus fieri?* Commoti ad hæc verba Sacerdotes, dira in illum imprecari, tum inquiunt, *Diſcipulus illius ſis, nos autem Moyſi Diſcipuli ſumus. Scimus, quia Moyſi locutus eſt Deus, hunc autem neſcimus unde ſit.* Ideo mirandum eſt maxime, repoſuit alter, vos nimirum unde venerit homo iſte cujus beneficio viſum recepi, ignorare. Profecto ſcimus, quia *peccatores Deus non audit*: quare *niſi eſſet hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Ea viri libertate graviter offenſi Phariſæi exprobrantes: *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* e Templo foras egerunt (2).

Cæcus in Jeſum Chriſtum credit.

Certior de his omnibus Chriſtus, homini in via occurrens, num crederet in Filium Dei interrogavit? Ecquis eſſet Filius Dei, reſpondente altero, non alium, quam ſe, ait Chriſtus. Continuo ad ejus pedes accidens cæcus, adoravit; cum interim Jeſus adjiceret, ideo ſe in mundum veniſſe, ut cæci ad lumen venirent, offunderentur autem videntes tenebris. Hæc cum ad ſe pertinere intelligerent, qui forte aderant, Phariſæi, num ſe pariter cæcos diceret, interrogarunt. Jeſus: Si cæcos vos ipſos agnoſceretis, *non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, quia videmus, peccatum veſtrum manet* (3).

Verus Paſtor in Ovile per oſtium ingreditur. Fur aliunde quam per oſtium.

Tunc parabolam inſtituit Jeſus furis, qui in ovile aliunde, quam per oſtium ingreditur; cum Paſtor viciſſim nonniſi per apertum oſtium introeat, quem ſane Paſtorem noſcunt, & ſequuntur oves. Porro oſtium ipſe eſt Jeſus; & quicumque aliunde, quam per eam portam ingreſſi ſunt; ipſi tamquam fures habendi; qui vero per apertum illud oſtium ingredientur, illis ſalus obtinebitur. Jeſus optimus eſt Paſtor, vitam ſuam pro ovium ſalute ponens; mercenarius fuga dilapſus irruenti lupo oves in prædam relinquit. Sunt Jeſo aliæ quidem oves, quæ non ſunt ex hoc ovili; nempe de Synagoga, quas in eaſdem caulas una cogere debet, ut tandem fiat unum ovile, & unus Paſtor (4). Pater diligit Filium, quia ipſe ponit animam ſuam, ut iterum ſumat eam. *Nemo*, proſequebatur Jeſus, *tollit eam a me; ſed ego pono eam a me ipſo.* Hæc loquentis verba Judæos inter ſe commiſerunt, aliis agi a Dæmone virum contendentibus, negantibus aliis; neque enim, dicebant, Dæmoniacus talia loqueretur, nec cæco a nativitate viſum reſtitueret (5).

Feſtum Dedicationis Templi, 25. Caſleu, 25. Decembris. Decem Leproſi curantur.

Conferens ſe Jeſus Jeroſolymam, occaſione Feſti Dedicationis Templi, per mediam Galilæam & Samariam iter faciebat; cum in Urbem quamdam ingreſſuro decem leproſi occurrerunt, rogantes: *Jeſu Præceptor, miſerere noſtri*: quos ille ire juſſit, & oſtendere ſe Sacerdotibus: cum irent mondati ſunt. Erat inter illos vir quidam Samaritanus, qui unus referendis Jeſu Chriſto gratiis venit; quod miratus eſt Chriſtus; cum enim decem beneficium recepiſſent, unus tantummodo, & alienigena, qui gratiam referret, inventus eſt. Tunc ad illum converſus, *Vade*, ait, *fides tua te ſalvum fecit.*

Regnum Dei non ita veniet, ut ſenſuum teſtimonio innoteſcat.

Cum in Templum veniſſet Jeſus, requiſitus a Phariſæis quando nam Regnum Dei expectaretur, reſpondit, non ita apparitùrum illud, ut ſenſuum teſtimonio probetur, eoque majeſtatis apparatu ut oculos ad ſe convertat omnes; ſcirent autem Regnum Dei inter ipſos medium verſari. Converſus inde ad Diſcipulos: Venient dies, ait, quando deſideretis videre unam diem Filii hominis, & non videbitis. *Et dicent vobis: Ecce illic, & ecce illic. Nolite ire*: ſicut fulgur coruſcans ſub Cœlo fulget, *ita erit filius hominis in die ſua.* Denunciavit deinde, quæcumque illis imminebant a Judæis mala; ſed diem tandem ultionis inopinato hominibus ſuperventurum; quemadmodum diluvium ſub Noe, & incendium Sodomæ & Gomorrhæ Lothi ætate: cum ſcilicet bibentibus, ludentibus atque nuptias celebrantibus, hominibus, ingruit cœlitus ultio. Ita pariter die Filii hominis continget. Tunc qui fuerit in tecto, & vaſa habuerit in domo, ne deſcendat tollere illa; & qui in agro ſimiliter, non redeat retro. Memores eſtote Uxoris Loth. *Quicumque quæſierit animam ſuam ſalvam facere, perdet illam, & quicumque perdiderit illam, vivificabit. In illa nocte erunt duo in lecto uno, unus aſſumetur, & alter relinquetur. Duæ erunt molentes in unum, una aſſumetur, & altera relinquetur. Duo in agro, unus aſſumetur, & alter relinquetur.* Rogantes Diſcipulos, quando iſta eventura eſſent, ænigmatico illo reſponſo evitavit: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ* (6).

Parabola Judicis, qui nec Deum verebatur, nec homines.

Ut jugem inculcaret orationem, hanc Apoſtolis parabolam propoſuit. Judex quidam nec Deum ſatis nec homines reveritus, importunis a Vidua precibus pulſabatur, ut in adverſarium ſuum jus diceret. Diſtulit ille diutius; ſed importunitate victus, tandem miſeram fœminam a moleſtia liberavit. Ita Deus, ait, cui juſta rependendi ingenium ineſt, faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac nocte (7).

Cum

(1) *Joann.* 9. 1. 22. (2) *Joann.* 9. 13. 34. (3) *Jo.* 9. 35. 41. (4) *Joann.* 10. 1. 17. (5) *Joann.* 10. 17. 21. (6) *Luc.* 17. 20. 37. (7) *Luc.* 18. 1. 7.

Cum venerit Filius Dei in terram, fidem ne inveniet? Parabola Phariſæi & Publicani ad Templum venientium.

Interrogatis primum Diſcipulis, num veniens in terram Filius hominis fidei aliquid inventurus eſſet, dein parabolam excurſus eſt, qua viros illos ſuggillat, opinione ſua adeo juſtos, ut reliquos omnes parvipendant. Duo homines aſcenderunt ad Templum, Phariſæus nempe & Publicanus, quorum primus ſtans gratias Deo agebat quam maximas, quippe qui a reliquorum hominum nequam, raptorum, & adulterorum fœce abhorreret; longeque ſe feciſſet juſtiorem, quam Publicanum illum, quem coram cernebat. Publicanus autem ſeorſum orans, humilis pronuſque, nec oculos quidem levare in Cœlum audebat; ſed tundens miſerabiliter pectus, ſeque peccatorem ingeminans, rogabat veniam. *Dico vobis*, ait Chriſtus, *deſcendit hic juſtificatus in domum ſuam ab illo* [1].

Judæi lapidibus appetere Jeſum minantur, quod Filium ſe Dei profiteretur.

Cum in Porticu Salomonis Templo adjacenti ambularet, in frequenti hominum corona requiſitus eſt, quandiu animos ſuſpenſos teneret, neque ſe Chriſtum palam profiteretur: reſpondit, ſe quidem manifeſtaſſe, neque, ſi ipſe taceret, fore ut ſilerent de ſe opera; ipſos tamen numquam in animum eam rem induxiſſe, quod ex ovibus ſuis non eſſent. *Oves enim meæ*, ait, *vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Non rapiet eas quiſquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi, majus omnibus eſt, & nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Ego & Pater unum ſumus.* Ad ea verba tamquam horrendam aliquam blaſphemiam horreſcentes Judæi, lapides in illum intentarunt. Tunc Jeſus ad eos: *Multa bona opera oſtendi vobis ex Patre meo* (i. e. nomine Patris mei) *propter quod eorum opus me lapidatis? De bono opere*, exceperunt Judæi, *non lapidamus te, ſed de blaſphemia, & quia tu, homo cum ſis, facis te ipſum Deum* [2].

Ad hæc Jeſus oſtendit in Scriptura homines, quibus Deus locutus eſt, Deos appellari; quare non immerito ſibi a Patre miſſo, & ſanctitate donato Filii Dei nomen arrogaſſe. *Si non facio*, ait, *opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, credite, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Secundum hæc, moliebantur iterum Judæi manum in illum injicere, ſed dilapſus abiit [3].

Jeſus in Transjordanum contendit.

Petiit ergo Bethaniam, urbem Transjordanam, baptiſmo ibidem a Joanne Baptiſta collato celebrem; moratus eſt autem per menſem: atque plures Judæi eo convolantes in illum crediderunt; illud reputantes, Joannem Baptiſtam nullo claruiſſe prodigio, e verbis autem Jeſum nullum unum e media eſſe veritate [4].

A. M. 4036. Per. Jul. 4746. J. C. 36. Æræ Vulgaris 33. Lazarus ægrotat.

Lazaro fratre Marthæ & Mariæ ægro decumbente, ejus rei nuncium ad Jeſum in Transjordania agentem miſſum eſt. Ille re audita reſpondit, ægritudinem illam non ad mortem eſſe, ſed quo gloria Dei magis magiſque coruſcaret. Biduo ab excepto nuncio quieſus in loco ſubſtitit [5].

Infantes coram Jeſu ſiſtuntur.

Oblatis ſibi infantibus manus Jeſus impoſuit, prohibentibuſque Diſcipulis ne accederent, præcepit illos ut venire permitterent; namque, ait, *talium eſt Regnum Cœlorum* [6].

Lazarus occumbit.

Eo temporis intervallo obire Lazarum contigit. Tunc Jeſus Diſcipulis iter in Judæam propoſuit; ſtupentibuſque illis quo animo eo redire diſpoſuiſſet, unde nuper lapidibus appetitus, præſentiſſimum diſcrimen fuga evitarat, reſpondit: *Nonne duodecim ſunt horæ diei?* adjecitque Lazarum ſopitum quieſcere; ire autem ſe, ut eum a ſomno excitaret. Hæc Apoſtolis reapſe de ſomno dicta excipientibus, mortem viri innuere idem Jeſus expoſuit. Quare Thomas. *Eamus*, ait, *& nos, ut moriamur, cum illo* [7].

Quid facto opus ſit ad vitam æternam obtinendam.

Iter ergo Judæam verſus iniens, obviam occurrentem offendit juvenem quemdam Judæum, qui ad ejus genua provolutus, eum tamquam bonum magiſtrum rogavit, quid facto opus eſſet, ut ſibi vitam æternam acquireret? Cui ille: *Quid me interrogas de bono? Unus eſt bonus Deus. Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Cum illa ſe ab ineunte ætate ſervaſſe adoleſcens ingenue profiteretur, Jeſus intuitus eum, dilexit, adjecitque: *Unum tibi deeſt: vade, & vende quæcumque habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me.* Non lætis auribus hæc excepit locupletiſſimus adoleſcens, triſtiſque receſſit. Ea occaſione Jeſus ita Diſcipulos affatus eſt. Difficile dives intrabit in Regnum Cœlorum; facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire. Hæſerunt ad hæc Diſcipuli, illud inter ſe reputantes: *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?* & Jeſus: *Apud homines hoc impoſſibile; apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt* [8].

Merces eorum, qui omnibus relictis Jeſum ſecuti ſunt.

Tunc Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis?* Bono eſſe illos animo præcepit Jeſus; ipſum enim ceteroſque, qui ſua omnia tam bona de cauſa deſeruiſſent, manere thronos in novo Regno ſuo, ubi tamquam Judices jus dicant ſuper omnes Tribus Iſrael. Adjecit, omnes quicumque ſua bona, & domeſticos pro nomine Jeſu, & Evangelio reliquerint, centuplum accepturos in hoc mundo, quamquam non ſine plurium malorum perpleſſione: &, quod caput eſt, vitam æternam. *Multi autem*, adjecit, *erunt primi noviſſimi, & noviſſimi primi* [9].

Parabola Operariorum, qui in Vineam mittuntur.

Ea occaſione parabolam narravit. Regnum Cœlorum, ait, ſimile eſt Patrifamilias, qui primo mane operarios in vineam miſit, pacta cum illis primo mercede denarii pro opere diurno. Miſit ſubinde novos, & novos, tertia, ſexta, nona, & tandem undecima hora. Sub veſperam accitis operariis, ſolvi ſingulis æqualem mercedem præcepit; quod cum iniquum videretur operariis primo mane conductis, diſtinguendi enim videbantur ii, qui diei pondus & æſtus tulerant, ab aliis qui per horam tantum laboraverant; querelas ea de re ſuas ad Dominum detulerunt. Sed ille, nulla a ſe affectos injuria dixit, conveniſſe enim ſecum de mercede. *Ita*, ait Chriſtus, *erunt noviſſimi primi, & primi noviſſimi* [10]

Laza-

(1) *Luc.* 18. 8. 14. (2) *Joann.* 10. 23. 34. (3) *Joann.* 10. 34. 39. (4) *Joann.* 10. 40. 42. (5) *Joann.* 11. 1. 6. (6) *Matth.* 19. 13. 15. *Marc.* 10. 13. 16. *Luc.* 18. 15. 17. (7) *Joann.* 11. 7. 16. (8) *Matt.* 19. 16. 26. *Marc.* 10. 17. 27. *Luc.* 18. 18. 27. (9) *Matt.* 19. 27. 30. *Marc.* 10. 28. 31. *Luc.* 18. 28. 28. (10) *Matth.* 19. 1. 16.

Lazari reſurrectio.

Veniens tandem Jeſus Bethaniam, Lazarum quatriduo ante ſepulturæ mandatum audivit. Ejus adventus nuncium allatum eſt duabus defuncti ſororibus, Marthæ & Mariæ; cum magnus e Jeruſalem concurſus ad eas fieret, levandi doloris gratia pro interitu fratris. Vix autem id comperit Martha, eum ſurgens in occurſum venientis proceſſit, atque inter primas ſalutationes proteſtata eſt, numquam obiturum Lazarum, ſi opportunius veniſſet. Jeſus de reſurrectione fratris fidem ſuam obligavit; *Scio*, ait Martha *reſurrecturum in noviſſimo die*. Et Jeſus ſtatim ſe reſurrectionem eſſe vitæ dixit: *& quicumque*, ait, *crediderit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet, & qui credit in me, non morietur in æternum:* rogavitque deinde Martham, num hæc omnia crederet. Affirmavit illa, ſancte proteſtata: *Ego credidi quia tu es Chriſtus Filius Dei vivi;* ſtatimque Mariam ſororem de adventu novi hoſpitis admonuit. Advolavit illico Maria, & pedibus Magiſtri accidens, eadem lachrymans de obitu Fratris ſui, quæ antea Martha, profeſſa eſt: ingemuit una pariter & frequens illa comitum turba, quæ mœſtas ſorores proſequebatur. Horum miſertus Jeſus infremuit ſpiritu; dein rogavit, ubi nam Lazarum poſuiſſent. Ad locum deductus, primo recludi ſepulchrum imperavit; dein egit Deo gratias, quod precibus ſuis annuiſſet propitius, tum clamavit: *Lazare veni foras:* ad quam ille voces excitus, linteis adhuc & ſudariis obvolutus proceſſit. Solvi omnia, & liberum hominem relinqui Jeſus imperavit [*].

Phariſæi necem Jeſu Chriſti ſtatuunt.

Tanti prodigii teſtis frequentiſſima Judæorum turba, pars quidem in Jeſum credidit, pars vero rei nuncia ad Sacerdotes & Phariſæos venit. Quare illi nimium populi ſtudium in Jeſum, ſimulque Romanorum furorem in Templum totamque gentem provocandum metuentes, de tota re deliberaturi conſilium inierunt. Caiphas, penes quem ſumma erat ejus anni Sacerdotalis dignitas, ſententiam ſuam protulit, pronuncians, oportere unius hominis nece ſaluti totius generis provideri. Quæ ab illo vaticinandi ſpiritu dicta fuiſſe conſtat, morte enim Jeſu Chriſti ſalus quærenda erat, non Judæis tantum, ſed Dei filiis univerſis. Communi igitur conſilio Jeſu Chriſti mors a Sacerdotibus & Phariſæis decreta eſt; ſed ille eorum evitans congreſſum, in Ephrem Urbem in loco ab hominum frequentia remoto ſeceſſit, ibique commoratus eſt uſque ad feriam tertiam 24. Martii & 4. Niſan [1].

Jeſus ad Feſtum Paſchæ celebrandum Jeroſolymam venit.

Aliquot ante Feſtum Paſchæ diebus, cum Judæorum plures e regione Ephrem adjacente Jeroſolymam venirent, venit una pariter & Jeſus [2], numquam in itinere prætermiſſo inſtituendi populi munere, non ſine omnium admiratione [3]. Seorſum autem revocatis Diſcipulis expoſuit, quæ ſibi imminerent Jeroſolymis mala, ubi & Sacerdotum fraude capiendus eſſet, damnandus, injuriis omnibus afficiendus, deſpuendus, & flagellandus, ac tandem morte plectendus; qua ſemel tolerata, tertia die ad vitam eſſet rediturus: Hæc narrans, ænigmata latenſque aliquod myſterium Apoſtolis loqui credebatur [4].

Mater Filiorum Zebedæi pro Filiis ſuis aliquid petit.

Secundum hæc, Mater Filiorum Zebedæi una cum filiis ſuis Jeſum conveniens, & ad ejus pedes accedens, duo honoratiſſima in Regno ipſius loca utrique filio poſtulavit. Cui Jeſus: *Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari?* Omnia ſpondentibus illis, ait Jeſus: *Calicem quidem meum bibetis; ſedere autem ad dexteram meam vel ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt a Patre meo.* Hæc duorum fratrum poſtulata minus æque tulerunt Apoſtoli; ſed Jeſus accitos ad ſe omnes ita affatus eſt: Principes gentium dominantur eorum; non ita erit inter vos; ſed quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter, *ſicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis* [5].

Cæcus in Jericho curatur.

Propius ad urbem Jericho accedentem Jeſum cæcus juxta viam mendicans, & tranſeuntis turbæ ſtrepitu quid rei eſſet certior factus, clamans, ut ſui miſereretur, etiam atque etiam rogabat. Accitum igitur virum idem Jeſus merito fidei ſuæ ſtatim valetudine donavit [6].

Zacchæus ad Dominum convertitur.

Cum igitur ad Urbem veniens per viam tranſiret, Zacchæus Princeps Publicanorum, vir locuples, qui magno, ac diuturno videndi Jeſum deſiderio tenebatur, ſycomoro conſcenſa (erat enim ſtatura puſillus) totum venientis apparatum ſpeculabatur. Jeſus eo ſuccedens, deſcendere actutum juſſit, ſignificans, velle ſe ea die in ejus domo hoſpitari. Eo dignatus honore Zacchæus, illum ceteroſque comites omnes lætus excepit: quæ res variis populi de Jeſu ſermonibus, tamquam ad domum peccatoris divertente, occaſionem præbuit. Sed Zacchæus de tanto accepto hoſpite ſecum ipſe gratulatus, ita Dominum affatus eſt: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudavi reddo quadruplum.* Tunc Jeſus: *Hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ. Veni enim quærere, & ſalvum facere, quod perierat* [7].

Parabola Regis, qui remotum aliquod Regnum ſibi petiturus, venit.

Narravit ea occaſione parabolam Regis, qui ad poſtulandum ſibi in remota quadam regione Regnum iret ſuſcepturus, decem mnas totidem ſervis ſingulis ſingulas diſtribuens, juſſit pecuniam negotiationi exponere, quam redux auctam reciperet. Minus a ſubditis ſibi populis amabatur: quare vix e ſuis finibus digreſſo per certos nuncios ſignificarunt, nolle ſe amplius ejus imperio ſubeſſe. Verum Princeps ille poſt obtentam Regni, quod poſtulabat, poſſeſſionem, accitos ſervos ſuos de pecunia requiſivit. Primus decem mnas pro una, quam receperat, rependit; utque præmii loco a Rege in decem Urbes præfecturæ donatus eſt. Secundus 5. mnas ſolvit, totidemque urbibus præfuit. Venit tandem alius, qui ſingularem illam mnam in crumena ſolerti cura ſervatam reſtituit; dictitans metuiſſe ſe ſævum, durum, & avarum Regis ingenium, qui meteret ubi non ſeminaſſet, atque id exigeret, quod numquam contuliſſet. Gravi ſupercilio miſerum illum intuitus Rex, Tua, inquit, confeſſione damnaris: ſtatimque ablatam ab illo pecuniam ad alium, qui decem habebat mnas, divertit, ſimul addens: *Omni habenti dabitur & quod habet auferetur ab eo.* Perduelles autem illos, qui ſuum jugum excuſſerant, coram ſe raptatos trucidari imperavit [8].

Exiens

(*) *Joann.* 11. 17. 45. (1) *Joann.* 11. 45. 54. (2) *Joan.* 11. 55. (3) *Marc.* 10. 32. (4) *Matt.* 20. 17. 19. *Marc.* 10. 32. 34. *Luc.* 18. 31. 34. (5) *Matt.* 20. 20. 28. *Marc.* 10. 35. 45. (6) *Luc.* 18. 35. 43. (7) *Luc.* 19. 1. 10. (8) *Luc.* 19. 12. 28.

Exiens Iericho duos cæcos ſanitati reſtituit, Feria ſexta, 9. Niſan, 17. Martii.

Ex Urbe Jericho egreſſus, Jeroſolymam iter inſtituturus, duos cæcos magnis vocibus ſanitatem poſtulantes offendit, quorum alter filius erat Timæi, viri in tota regione notiſſimi. Accitos illos ad ſe, interrogatoſque quid maxime vellent, viſum poſtulantes, voti compotes fecit (1).

Dies Sabbati, 8. Niſan, 28. Martii.

Paſchalem ſolemnitatem Sabbato proxime præcedente diu quæſitus Jeſus, nuſpiam apparuit; quamquam veniſſe illum ad Feſtum habentes exploratum, alter alterum de illo ſciſcitabatur. Juſſerant enim Phariſæi & Sacerdotes, ſiquidem alicubi proderetur, apprehendi (2).

Die Dominica, 6. Niſan, 29. Martii. Ieſus apud Simonem Leproſum cœnat, & Maria unguenti vaſe ejus pedes perfundit.

Sex ante Paſcha diebus apud Simonem Leproſum Jeſus diſcumbebat, cœnantique miniſtravit Martha, & Lazarus inter convivas allegebatur. Cœnantibus illis, Maria ſoror Marthæ, & Lazari unguenti nardi vas integrum ſuper pedes Jeſu refudit, linteoſque coma capitis ſui abſterſit. Tantam pretioſi unguenti profuſionem minus probavit Judas proditor, dictitans, melius impendi potuiſſe, ſi 300. denariis veniret, collectaque ea ſumma in pauperes erogaretur. Sed Jeſus Mariæ factum defendens, dixit eo unguento corpus illam ſuum in ſepulturam curandum præoccupaſſe; totamque eam hiſtoriam palam per totum orbem, qua late patuiſſet Evangelium, promulgandam. Plures e Jeruſalem Bethaniam ea occaſione venerunt, non Jeſu tantum, ſed & Lazari videndi cauſa (3). Interea Sacerdotes famæ prodigiorum ipſius, ac maxime reſurrectionis Lazari invidentes, Jeſu & Lazari necem decreverunt (4).

Feria ſecunda, 10. Niſan, 30. Martii. Triumphantis habitu Ieroſolymam ingreditur.

Mane alterius diei e Bethania digreſſus, Jeroſolymam verſus proceſſit, & cum ad Bethphage proxime jam acceſſiſſet, duos e Diſcipulis ſuis ad proximum pagum miſit, quibus futurum denunciavit, ut inciderent in aſinam cum pullo, cui nemo adhuc inſediſſet. Hanc autem juſſit adducere, & ſi quid a quoquam interrogarentur, dicerent, illius neceſſitate teneri Magiſtrum. Euntes igitur illi, aſinam cum pullo adduxerunt, quem pullum Diſcipulorum veſtibus inſtratum adequitans Jeſus, eo apparatu iter proſecutus eſt. Acclamabant interim eunti turbæ, inſternenteſque veſtibus ſuis vias, triumphum ipſius celebrabant. Erant pariter, qui præciſis arborum ramis eaſdem vias ornarent, magnis interim vocibus acclamantes: *Hoſanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.* Phariſæi, qui venientem opperiebantur, monuerunt illum, ut turbarum acclamationes ſopiret. Negavit Jeſus, ſe tale aliquid facturum, cum vel tacentibus illis lapides ipſi plauſus ingeminaturi eſſent (5).

Ieſus Ieroſolymam proſpiciens, ingemit.

Urbi jam proximus, oculis ad illam levatis, ingemuit, hæc ſimul cum lachrymis fundens: *Si cognoviſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & ad terram proſternent te, nec relinquent in te lapidem ſuper lapidem, eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ (6).*

Delato adventus Chriſti Jeruſolymam nuncio, procurrentes in occurſum ejus turbæ, palmarum ramis fauſtiſque vocibus acclamabant: *Hoſanna: Benedictus Rex Iſrael, qui venit in nomine Domini.* (7)

Ieſus in Templum veniens, negotiatores inde pellit.

Inter medios acclamantis populi plauſus in Urbem exceptus, ad Templum ſe contulit, unde negotiatores omnes ementes vendenteſque depulit, nummulariorum ſubvertit menſas, & cathedras pariter vendentium columbas evertit, ſimul addens: *Scriptum eſt: Domus mea Domus orationis eſt, & vos feciſtis illam ſpeluncam latronum.* Tum omnes, quos ibi offendit, cæcos, claudoſque, ſanos juſſit abire, & Scribis ac Sacerdotibus infantium acclamationis, *Hoſanna filio David*, ingeminantium, offenſis, monentibuſque ut ſilentium clamantibus indiceret, hæc repoſuit: *Numquam legiſtis quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem* (8).

Alienigenæ videndi Ieſum deſiderio tenentur.

Græcorum nonnulli, alterius a Judæis generis, qui occaſione Feſti Paſchalis Dominum adoraturi venerant, S. Philippum Apoſtolum convenientes, videndi Jeſum copiam ſibi fieri poſtularunt. Ille ad ipſum Jeſum retulit: qui veniſſe jam horam dixit, qua Patris tui gloriæ conſuleretur; granum frumenti tunc germen emittere, cum terræ commiſſum mortuum fuerit; eum qui vitæ ſuæ nimio amore teneretur, illam amiſſurum; viciſſim quicumque illam odio in hoc mundo proſequeretur, tota æternitate ſervaturum. *Si quis mihi miniſtrat*, adjecit, *me ſequatur: Et ubi ſum ego, illic & miniſter meus erit.* Secundum hæc, ſubito conturbatus, Patrem ut ſuæ gloriæ conſuleret, obſecravit: ſtatimque facta de Cœlo vox: *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Ad inopinæ vocis ſonum hæſerunt circumſtantes, atque attonitis ſimiles, alii tonitrui ſtrepitum audiſſe ſe, alii vocem Angeli loquentis teſtabantur. Tunc Jeſus: *Non propter me vox venit, ſed propter vos. Nunc judicium eſt Mundi, nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras. Et ego ſi exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipſum.* Quorum verborum ambagibus genus mortis ſuæ deſignabat. Adjecit: *Adhuc modicum lumen in vobis eſt*: monuitque, ut quamdiu lux affulgeret, properarent, ne euntibus adhuc tenebræ ſuperfunderentur (9).

Ieſus lumen eſt Mundi.

Poſt hæc dicta, abſcondit ſe Jeſus a Judæis, qui tot viſis prodigiis numquam tamen in animum induxerant, ut in ipſum crederent. Quamvis non infrequens erat Principum populi numerus, quibus ipſe perſuaſerat; neque ſe prodere in publicum metu Phariſæorum audebat. Tandem e latebris ſuis prodiens Jeſus, elata voce clamavit: *Qui credit in me, credit in eum, qui miſit me; & qui videt me, videt eum, qui miſit me. Ego lux in mundum veni, ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat. Non veni ut judicem mundum, ſed ut ſalvificem. Qui accipit verba mea, habet qui judicet eum: ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die. Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor* (10).

Semel acceptum conſilium perdendi Jeſum Principes Sacerdotum & Optimates populi ne executioni mandarent, nimium populi in illum ſtudium prohibebat (11).

Fe-

(1) *Matt.* 20. 29. 34. *Marc.* 10. 46. 52. (2) *Ioann.* 11. 56. 57. (3) *Ioann.* 12. 1. 9. (4) *Matth.* 26. 6. 13. *Marc.* 14. 3. 9 *Io.* 12. 10. 11. (5) *Matt.* 21. 9. *Marc.* 11. 1. 10. *Luc.* 19. 29. 40. (6) *Luc.* 19. 39. 44. (7) *Ioann.* 12. 12. 19. (8) *Matt.* 21. 10 15. *Marc.* 11. 11. *Luc.* 19. 45. 46. (9) *Ioann.* 12. 20. 34. (10) *Ioann.* 12. 37. 50. (11) *Luc.* 19. 47. 48.

Feria tertia, 11. Niſan, 31. Martii. Dira in ficulneam ſterilem.

Subeunte veſpere, recepit ſe Jeſus una cum Diſcipulis ſuis in Bethaniam, & mane alterius diei Jeroſolymam repetens, cum cibo indigeret, ad ficulneam foliis quidem fœcundiſſimam, ſed fructibus ſterilem venit. Fruſtra excuſſæ, cum alioqui immaturum eſſet ferendis fructibus tempus, maledixit; ſtatimque ejus vim ſentiens arbor exaruit [1].

Negotiatores iterum e Templo ejicit.

Venit iterum in Templum, iterumque in negotiatores incidens, eorum tabulis menſiſque ſubverſis; omnes foras ejecit. Opportunum captabant tempus illius capiendi Sacerdotes; ſed populi ad ejus ſermonem obſtupeſcentis ſtudium illos remorabatur. Inclinante in veſperam die Bethaniam rediit [2].

Feria quarta, 12. Niſan, 1. Aprilis. Effectus fidei mirabiles.

Redeunte die, rediit & Jeſus una cum Diſcipulis Jeroſolymam, & cum ſecus viam aridam ficulneam illam, de qua ſupra, intuerentur, dixit Jeſus Diſcipulis, hæc & majora eos præſtituros, ſicut & ad nutum montes in mare translaturos, ſiquidem fidem haberent. Adjecit: *Amen dico vobis: omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut Pater veſter, qui in Cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra: quod ſi non dimiſeritis, nec Pater veſter dimittet vobis* [3].

Baptiſma Joannis unde, e Cœlo ne an potius e terra?

Cum pro more ad Templum veniſſet, interrogarunt Jeſum quidam ex Phariſæis, & Optimatibus, qua hæc authoritate præſtaret? Interrogavit viciſſim illos Jeſus, unde nam Baptiſma Joannis, e Cœlo ne an ex hominibus? Vim ejus quæſtionis intelligentes Sacerdotes, quippe qui ſi e Cœlo fuiſſe reſponderent, a Chriſto urgerentur, cur igitur Joanni non credidiſſent; ſi vero ex hominibus, adverſarium nacti fuiſſent populum; optimum factu cenſuerunt, ſi neſcire ſe reſponderent. Tunc Jeſus: *Nec ego dico vobis, in qua poteſtate hæc facio* [4].

Parabola duorum Filiorum, qui ambo ad colendum vineam miſſi, alter quidem vadit, non alter.

Parabolam illis propoſuit Jeſus duorum filiorum, quos ambos pater in vineam ire præcepit. Primus ire ſe quidem recuſavit, ivit tamen; alter vero ſe iturum ſpondens, re ipſa tamen paternis mandatis non paruit. Quæſivit autem, uter paternæ voluntati morem geſſiſſet. Reſpondentibus illis, filium, qui ad vineam ſe contulit; iterum Jeſus: *Publicani & meretrices præcedent vos in Regnum Dei. Venit ad vos Joannes in via juſtitiæ, & non credidiſtis ei; publicani autem & meretrices crediderunt ei* [5].

Parabola vineæ vinitoribus locatæ.

Aliam intexuit parabolam, Patris familias, qui vineam ſuam locavit agricolis, exigendiſque ab illis opportuno tempore fructibus ſervos ſuos miſit. Sed venientes illos apprehendentes agricolæ, atque injuriis affectos, depulerunt alios, alios occiderunt. Ratus proinde Dominus ad officium filii ſui præſentia nequiſſimos illos agricolas cogendos fuiſſe, eum filium miſit. Sed vix proſpecto, agricolæ mutuis ſeſe ſermonibus hortabantur, ut illata in illum nece tota hæreditate potirentur. Vix igitur venit, apprehenſus & extra poſſeſſionem raptatus, miſere occiſus eſt. Quid, rogo, parricidis iſtis fiet, cum ultionem exacturus Dominus veniet? Reſpondit quidam ex adſtantibus, fore, ut omnes trucidarentur, atque vinea aliis locaretur. Sed probe intelligentes Sacerdotes & Phariſæi, vim ſermonis Jeſu Chriſti ad ipſos converti, repoſuerunt: Abſit: ſtatimque Jeſus: *Quid eſt ergo hoc quod ſcriptum eſt? Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis Regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus; & qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum.* Hæc omnia ſine ambagibus de ſe dicta probe norant Principes Sacerdotum, omnemque captabant opportunitatem, quo virum apprehenderent; ſed metu populi, tamquam Prophetam illum reſpicientis, retinebantur [6].

Parabola nuptiarum filii Regis, ad quas invitati convivæ venire recuſant.

Hanc narrare parabolam aggreſſus eſt. Regnum Cœlorum aſſimilatur Regi, qui ad paratas filii ſui nuptias plures invitavit; ſed illi omnes venire recuſarunt. Quare alios pariter ad illos ſervos miſit, eadem rogans; ſed pervicacius invitati illi adhuc reſiſtentes, alii quidem varias excuſationes prætenderunt, alii apprehenſos ſervos affecerunt injuria, quin & occiderunt nonnullos. His offenſus Rex fidem ſuam ſacramento obligavit, neminem ex invitatis cœnam ſuam deguſtaturum; miſſiſque ſtatim ad itinera viarum famulis, obvios quoſcumque invitavit ad cœnam. Cum omnes accumberent, ingreſſus Rex hominem non veſtitum veſte nuptiali intuitus, apprehendi juſſit, atque manibus pedibuſque religatis, in viam inter tenebroſos noctis horrores projici. Ita vero narrationem hanc ſuam clauſit Jeſus: *Multi ſunt vocati, pauci vero electi* [7].

Phariſæi & Herodiani capere Jeſum in ſermone tentant.

Secedentes a Jeſu Phariſæi capere virum in ſermone meditati ſunt; quare per ſummiſſos Diſcipulos ſuos una cum Herodianis interrogarunt, num vectigal Cæſari pendere fas eſſet. Callidas eorum artes probe intelligens Jeſus, monſtrari ſibi numiſma cenſus juſſit; rogansque cujus illud imaginem & inſcriptionem præferret, auditoque Cæſaris eſſe omnia, ita tandem ſententiam ſuam tulit: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo* [8].

Sadducæi confuſi.

Eadem die venerunt Sadducæi, genus hominum nullam eſſe dictitans reſurrectionem Mortuorum, immortalitatem animæ, nulloſque dari Spiritus, interrogaruntque, tentandi hominis gratia, num fœmina, quæ ſeptem viris alteri poſt alterum nupſit, in reſurrectione ad aliquem ex illis, & ad quemnam pertineret. Quibus Jeſus, ignorare illos Scripturas æque & Dei potentiam, dixit. Namque in reſurrectione nulla, ait, futura ſunt connubia; *ſed erunt omnes ſicut Angeli Dei*. Quod autem, adjecit, ad reſurrectionem a vobis negatam ſpectat, non legiſtis Deum e rubo ardente ad Moyſen verba facientem ſe ipſum appellaſſe Deum Abraham, Deum Iſaac, Deum Jacob? *Non eſt autem mortuorum Deus ſed viventium;* vivunt ergo Patriarchæ. Eo reſponſo perculſi Sadducæi non ultra tentare virum auſi fuerunt [9].

Quod

(1) *Matt.* 21. 18. 19. *Marc.* 11. 12. 13. 14. (2) *Marc.* 11. 15. 19. (3) *Matt.* 21. 20. 22. *Mar.* 11. 20. 26. (4) *Matt.* 21. 24. 29. *Marc.* 11. 29. 33. *Luc.* 20. 2. 7. (5) *Matt.* 21. 28. 32.

(6) *Matt.* 21. 33. 46. *Marc.* 12. 1. 12. *Luc.* 20. 9. 19. (7) *Matt.* 22. 1. 14. (8) *Matt.* 22. 14. 22. *Marc.* 12. 12. 17. *Luc.* 20. 22. 26. (9) *Matt.* 22. 23. 33. *Marc.* 12. 18. 27. *Luc.* 20. 27. 39.

Quod maximum in lege mandatum?

His ſecedentibus, tentaturi venerunt Legis conſultiſſimi viri, quærentes quodnam maximum dicerent in tota Lege præceptum? Jeſus præceptum amoris Dei primas tenere indicavit, ſecundum ab eo locum deberi præcepto amoris proximi: *In his duobus mandatis*, ait, *tota Lex pendet & Prophetæ*. Reſponſum Magiſtri Legis peritus probavit; cui Jeſus: *Non es longe a Regno Dei* [1].

Cujus Filius Chriſtus.

Nemo exinde Jeſum quæſtionibus tentare audebat; ſed ille pluribus viciſſim propoſitis, ipſos torquebat. Interrogavit, quid de Chriſto crederent, eccujus filium arbitrarentur? Illis nihil cunctantibus, & e David proditurum reſpondentibus; unde ergo, ait Jeſus, David in Spiritu Dominum illum ſuum appellat, dicens: *Dixit Dominus Domino meo?* Si Filius David, quomodo ejuſdem Regis Dominus? Siluerunt Judæi coacti, & exinde ne convenirent quidem virum, ſe continebant [2].

Scribæ & Phariſæi Moyſis cathedra inſident.

Converſo tunc Jeſus ad populum & Apoſtolos ſermone, dixit, Scribas & Phariſæos Moyſis quidem cathedram occupare, auſcultarent proinde docentium verba, ſed ab exemplis abſtinerent; cum grandia illi onera eorum humeris imponerent, quæ ipſi vel unico digitulo levare recuſaſſent; atque id unice ſpectarent, ut ſingulares in populo viderentur, prima occuparent ſubſellia, & magiſtrorum ambitioſo titulo intumeſcerent. Idcirco, ait, ampliores in veſtibus ſuis anſas & fimbrias trahunt, quo a ceteris diſtinguantur. Vos igitur ne vana hæc & ambitioſa quæratis, *ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: qui enim ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur* [3].

In Phariſæos invehitur.

Invectivas ſuas in Phariſæos proſecutus, vitio illis vertit, 1. Quod Cœlum aliis ita clauderent, ut ne ſibi quidem aperirent. 2. Quod proventus viduarum vorarent, ſub affectato prolixarum orationum obtentu. 3. Quod terras & maria decurrerent, ut Proſelytum facerent, quem deinde plus multo nequiorem, quam antea redderent. 4. Quod duces eſſent cæci, populos erroneis legis interpretationibus ſeducentes; uti e. g. cum docerent, ſacramento obligari illum, qui pro auro Templi, & munere, quod in Altari offertur, fidem ſuam adſtrinxiſſet; cum interim jurantes pro Altari & Templo nulla juriſjurandi religione tenerentur, quaſi ſcilicet non major eſſet Altaris & Templi, quam victimarum & auri religio [4].

Hypocriſis Phariſæorum.

Exprobravit pariter, decimas menthæ & rutæ hortorum ſuorum religioſe ab illis offerri. Legis vero neceſſaria negligere, juſtitiam, miſericordiam, fidem; excolare culicem, camelum autem glutire; exteriora calicis mundare, *intus autem*, ait, *pleni eſtis rapina & immunditia: ædificatis ſepulchra Prophetarum, & dicitis: Si fuiſſemus in diebus Patrum noſtrorum, non eſſemus ſocii eorum in ſanguine Prophetarum*. Interim *impletis menſuram Patrum veſtrorum*, cum miſſos a Deo ſanctiſſimos viros impie occiditis, adeo ut *veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram, a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & altare. Jeruſalem, Jeruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt! Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*. Converſo dein ad populum ſermone: *Non me videbitis*, inquit, *amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini* [5].

Gazophylacium collatitiæ Fidelium pecuniæ & muneribus excipiendis deſtinatum.

Sedens Jeſus e regione Gazophylacii, viros plures locupletes ingentem collatitiæ pecuniæ ſummam conferentes animadvertit; cum interim mulier quædam vidua paupercula, non niſi duo minuta, nempe quartam ſicli partem, obtuliſſet. Accitos ergo Diſcipulos ita affatus: Vidua hæc pauper plus omnibus contulit. Omnes enim ex eo quod abundabat obtulerunt; hæc vero de penuria ſua omnia, quæ habebat, largita eſt [6].

Templi magnifici ædificium. Everſionis illius imminentis vaticinium.

Sub veſperum exeunti e Templo Jeſu ſumptuoſam illius ædificii ſtructuram, munerum divitias, & lapidum, quibus conſtabat, immanitatem indicarunt. Quibus Jeſus futurum tandem prædixit, ut tota ea moles adeo ſubverteretur, quod ne lapis quidem lapidi ſuperſtructus maneret. Cum autem ad declive Montis Olivarum, unde in Templum proſpectus, perveniſſet, aſſedit; rogantibuſque Diſcipulis, quando oraculum illud de everſione Templi implendum deſtinaretur, & quod de oraculi illius fide ſignum daret, hæc repoſuit [7].

Plures Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ.

Cavete ne quis unquam vos ſeducat, plures enim meo nomine venientes ſub obtentu Chriſti, incautos ſeducent. Undique autem obſtrepent bellorum, præliorum, & ſeditionum rumores. Quæ omnia non terminus erunt malorum, ſed initium & crepundia. Gentes in gentem committentur, ingruent peſtes, fames, terræmotus, & cœlitus terrendis hominibus data ſigna; quæ omnia futuræ calamitatis præſagia. Ante hæc omnia injectis in vos manibus raptabunt ad Judices, coram eorum cœtu ſiſtent, quo palam meo nomini teſtimonium feratis. Bono tamen animo vos eſſe inter ingruentia hæc mala jubeo, neque ſollicitos de paranda vobis defenſione cogitare; ego enim tantam vobis ſapientiam, & eloquentiam ſuppeditabo, ut ſtare contra vos hoſtes nequaquam poſſint; *neque enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis*. Perſecutorum veſtrorum numerum agebunt neceſſarii quique veſtri, & amicorum chariſſimi, totiuſque orbis in vos mei gratia invidiam creabitis; ab omnibus prodemini, ac tandem neci veſtra odio ſuo indulgebunt. Surgent pariter plures pſeudofratres, & pſeudoprophetæ; *ſed qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit*. Ante illarum rerum exitum, Evangelium longe lateque per orbem annunciabitur [8].

Cum urbs Jeruſalem obſidione premitur, fugite ad montes.

Orationem illam ſuam ita proſecutus eſt: Cum vos hoſtium corona cinctam urbem Jeruſalem videritis, atque abominationem deſolationis prædictam a Daniele Propheta, ſtantem in loco ſancto, tunc imminere Urbis excidium reputate. Quare ſi quis in Judæa tum temporis verſatur, ad montes ſtatim confugiat; qui ſuper tecta, fuga ſe proripiat, ne dato quidem ingrediendi domum, ut ſaxum aliquod ſecum deferat, tempore; qui in agris, neglecta urbe, cum

(1) *Matt.* 22. 34. 40. *Marc.* 12. 28. 34. (2) *Matt.* 22. 41. 46. *Marc.* 12. 35. 37. *Luc.* 20. 41. 44. (3) *Matt.* 23. 1. 13. *Marc.* 12. 38. *Luc.* 20. 45. 46. (4) *Matt.* 23. 23. 23.

(5) *Matt.* 23. 23. 39. (6) *Marc.* 12. 41. 44. *Luc.* 21. 1. 4. (7) *Matt.* 24. 1. 3. *Marc.* 13. 1. 4. *Luc.* 21. 5. 7. (8) *Matt.* 24. 5. 14. *Marc.* 13. 6. 13. *Luc.* 21. 8. 19.

cum iis, quibus amicitur veſtibus fugiat. Urget enim dies ultionis: *Væ nutrientibus & prægnantibus, illis diebus. Orate autem, ut ſiat fuga veſtra in hyeme vel Sabbato.* [non enim ſatis prompta eſſet eo tempore fuga] *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi uſque modo, neque ſiet. Et niſi breviati fuiſſent dies illi propter electos, non fieret ſalva omnis caro.* Adjecit, multos tunc ſeductores, Chriſti & Prophetæ nomen prætendentes, prodigiorum fulgore ita oculos mortalium perſtricturos, ut vel electis ipſis poſſent imponere; adventum autem Filii Dei velut fulgur, qua late patet Judæorum gens, micaturum [1].

Signa in Sole & Luna.

Hæc omnia conſequentur ſigna in ſole pariter & aſtris edita, quæ omnium gentium luctus & conſternatio excipiet, utpote imminens grande aliquod malum expectantium. Ejulabunt vicem ſuam omnes per orbem nationes, cum ſignum filii hominis ſubito inter nubes emicabit, atque ipſe tandem nube vectus, & Angelorum ſatellitio comitatus, perebit; quorum nempe Angelorum miniſterio e quatuor Cœli angulis electi cogentur. *Cum videritis hæc omnia,* ait, *levate capita veſtra, ecce appropinquat redemptio veſtra.* Imminentis æſtatis præludium ex arbore fici gemmante captatis: ita pariter ex his omnibus de adventu Regni Cœlorum certum vos capere argumentum licet. *Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia ſiant. Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt* [2].

Sic erit adventus Filii hominis, quemadmodum diluvium ſub Noe.

Ita plane filius hominis venturus eſt, quemadmodum olim ſub Noe diluvium. Inter comeſſationes lætaque connobia diem fallebant mortales, cum ſubito aquarum effuſis imbribus inundata terra, omnes demerſi ſunt. Ita plane erit & adventus Filii hominis. *Tunc duo erunt in agro, unus aſſumetur & unus relinquetur. Duæ molentes in mola, una aſſumetur, & una relinquetur. Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit.* Ita vos exhibere, quemadmodum vigil ſervus, qui adventum Domini ſui, incertus qua hora, numquam non opperitur. *Si ſciret Pater familias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati, quia, qua neſcitis hora, Filius hominis venturus eſt* [3].

Parabola duorum ſervorum, quorum alter fidelis, alter infidelis.

Adjecit parabolam famuli, qui a Domino diſtribuendæ in reliquos conſervos annonæ præpoſitus, munus ſuum integra adeo implevit fide, ut ejus merito univerſæ domus Oeconomus conſtitueretur. Si vero famulus ille conceſſa ſibi poteſtate abuſus, reliquos conſervos injuriis & verberibus afficiet, comeſſationibus, & ebrietatibus tempus fallet; inopinus ſuperveniens Dominus pro merito ſuo, ait Chriſtus, mulctabit, detrudet in carcerem, & infidelitatis atque impudentiæ ipſius ultionem exiget acerbiſſimam [4].

Parabola decem Virginum.

Attexuit alias parabolas ad eumdem ſcopum collimantes, uti decem Virginum, quarum quinque ſapientes, ſtultæ totidem; illæ parato lampadibus ſuis oleo, ſponſum opperiuntur; iſtæ omnia negligunt. Superveniente ſponſo, quo tempore omnes quieſcebant, ſapientes excuſſo ſtatim ſomno lampades ſuas facile aptarunt, ſtultæ poſtulato a comitibus oleo, nec obtento, ad emendum ſibi illud procurrerunt. Venit inter hæc Sponſus, & *quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias*, ceteris abſentibus excluſis. *Vigilate itaque*, ait Jeſus, *quia neſcitis diem neque horam* [5].

Parabola Patrisfamilias, talenta in famulos diſtribuentis.

Narravit pariter de homine, qui iter aliquod initurus, pecuniam diviſit in famulos, negotiationis agendæ gratia. Dedit uni quinque talenta, alteri tria, tertio unum. Cum rediiſſet ad propria, & rationem poneret in ſervos, is cui quinque talenta crediderat, bis totidem tulit accepto; qui tria, ſex rependit: quare laudatos utroſque ad inſtructum a ſe convivium admiſit. Venit tertius, qui datum ſibi talentum reſtituit, dicens, defoſſum in terra ſedulo cuſtodiiſſe ſe, ne a quoquam pecunia raperetur; norat enim rem ſibi eſſe cum Domino duro pariter & crudeli, cujus pecuniam diſcrimini exponere periculoſum eſſe arbitrabatur. Iratus ad hæc herus, tolli ab eo talentum & dari alteri, qui decem rependerat, ac foras e domo pelli imperavit [6].

Judicium Filii Dei deſcribitur.

Venturus ad hominum judicium Filius Dei, ait, Angelorum ſatellitio comitatus deſcendet, atque throno gloriæ ſuæ aſſidens, oves ad dexteram ſuam, hœdos ſtatuet ad ſiniſtram. Horum primos ad gloriam Regni ſui invitabit, illos mittet in ignem æternum, *qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*. Porro Electis ſuis laudi dabit, quod eſuriens, ſitiens, in malis verſans, ipſe ſolatium apud illos & levamen invenerit; *quod enim*, inquit, *uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.* Reprobis viciſſim crimini vertet, quod in neceſſitatibus ſuis, fame, ſitique duros illos atque immiſericordes nactus ſit; ſibi enim ſumere, quidquid minimis ſuis meliſ rependiſſent [7].

Jeſus Chriſtus mortem ſuam & paſſionem Diſcipulis prænunciat.

Verſo dein ad Apoſtolos ſermone, admonuit futurum, ut Paſchate poſt biduum celebrando, Filius hominis in manus hoſtium traditus, crucis ſupplicio tandem perimeretur [8]. Inter hæc deliberabant Principes Sacerdotum, qua ratione Chriſtum tenere potuiſſent: in quam rem minus opportunum tempus diem feſtum, nequid ſeditionis in populo exciterur, cenſebant [9]. Dum hæc agitabantur conſiliis, Judas, unus ex duodecim Apoſtolis, cum iniquo eſſet in Jeſum animo, Sacerdotes conveniens, pacta mercede proditurum ſe in eorum manibus Magiſtrum ſpopondit. Oderat Magiſtrum Apoſtolus, quod in profuſionem unguenti pretioſi in pedes Jeſu effuſi obmurmurantem in ſe, Præceptor ipſe reprehendiſſet. Proditionem igitur in ſe ſovens Judas, opportunam captabat occaſionem, qua ſolitarium, & a turbarum affluentium concurſu remotum Jeſum nactus, Judæorum manibus traderet [10].

Feria quinta, 13. Niſan, 2. Aprilis [11]. Pro Feſto Paſchatis præparatio.

Feria quinta contulit ſe Jeſus ad montem Olivarum ſive Bethaniam, nec niſi inclinante jam die Jeroſolymam contendit. Cum vero nullam ibi certam haberet domum, a Diſcipulis rogatur, quod potiſſimum cœnaculum celebrando Paſchali convivio ſelige-

(1) *Matt.* 24. 15. 27. *Marc.* 13. 14. 23. *Luc.* 21. 20. 24.
(2) *Matt.* 24. 28. 36. *Marc.* 13. 24. 32. *Luc.* 21. 25. 34.
(3) *Matt.* 24. 38. 44. *Marc.* 13. 33. 37. (4) *Matt.* 24. 42. 51. (5) *Matt.* 25. 1. 5. 15. (6) *Matt.* 25. 14. 30.

(7) *Matt.* 25. 31. 46. (8) *Matt.* 26. 1. 2. *Marc.* 14. 2. 2.
(9) *Matt.* 26. 3. 4. 5. *Marc.* 14. 1. 2. *Luc.* 22. 1. 2.
(10) *Matt.* 26. 14. 16. *Marc.* 14. 10. 11. *Luc.* 22. 3. 6.
(11) De hac temporis diſtributione vide quæ adjecimus ad calcem Diſſertationis de Paſchate.

ligeret; Juſſit ille Petrum & Joannem ire ad Urbem, & quem primum offenderent hominem, lagenam aquæ portantem, ſequi; deducendos ab illo in cœnaculum ſtratum, in quo nihil eorum, quæ ad Paſcha deſiderentur, defuturum ſcirent. Venerunt illi, factaque fermenti perquiſitione de more, cœnam appararunt. Inchoante autem die ad montem Olivarum regreſſi, præſtita à ſe omnia Magiſtro retulerunt [1].

Noviſſima cœna Jeſu Chriſti Jeroſolymæ.

Sub veſperam ingreſſus in Urbem Jeſus, ad paratum ab Apoſtolis cœnaculum Paſchali convivio celebrando ſe contulit. Diſcumbentibus omnibus palam edixit, ex eorum numero quemdam proditionem in ſe moliri. Attonitis ſimiles Apoſtoli, pro ſe ſinguli rogabant, num de ipſis diceret. Siluit Jeſus, id tantum addens, unum ex duodecim eidem adhibitum convivio nefarium illud crimen moliri; oportere autem ire ſe, quo Scripturarum fides impleretur; ſed veh infandæ proditionis authori! Simul ad hæc Judas, num de ſe loqueretur interrogavit; & Jeſus ſubmiſſa forte voce, cum Apoſtoli ceteri nihil intellexerint: *Tu dixiſti* [2].

Eucharistiæ inſtitutio.

Inter veſcendum ſignificavit Jeſus, ſe magno ſemper deſiderio flagraſſe Paſcha illud cum Diſcipulis veſcendi: poſtremum enim illud eſſe, quod cum illis celebraret, convivium. Simulque calicem accipiens, dixit, ſe nuſpiam adhuc de eo genimine vitis deguſtaturum, donec novum biberet in Regno Dei; actiſque gratiis, deguſtare juſſit de illo omnes ſingillatim, *Luc. 22. 15....18.* Acceptum panem benedixit, fregit atque commenſalibus diſtribuit, dicens: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur.* Ita & benedictum prius poculum deguſtandum tradidit, ſuum eſſe ſanguinem dicens, pro humani generis ſalute effundendum. Tum adjecit: *Hoc quotieſcumque feceritis, in mei memoriam facietis;* tum & illud iterum proteſtatus, ſe nihil ex hoc potuive amplius deguſtaturum niſi dum in Regnum ſuum veniret [3]. Ad Petrum autem converſus ſignificavit [*]: *Ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.*

Apoſtoli de prima inter ſe dignitate diſceptant.

Diſceptabant Apoſtoli, quis eorum dignior haberetur; quibus Jeſus: *Reges terræ,* ait, *dominantur eorum; vos autem non ſic; ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor. Vocatis me magiſter & Domine, & bene dicitis; ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat. Vos permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in Regno meo, & ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim Tribus Iſrael* [4].

Pedes Apoſtolis lavantur.

Poſt cœnam, inſigne humilitatis & amoris erga Apoſtolos ſui argumentum Jeſus relicturus, ſurgens a menſa, poſitiſque veſtibus, & linteo accinctus, lavandos ſuſcepit ſingulorum pedes, & linteo, quo præcingebatur, abſtergere. Ad Petrum cum veniſſet, recuſavit ille pedes ad lavandum exhibere, numquam ſe id commiſſurum dicens, ut lavari ſe a Magiſtro ſineret. Cui Jeſus: *Si non lavero, non habebis partem mecum.* Protulit illico pedes Apoſtolus, oblaturum ſe pariter & caput proteſtatus. Ea lotione peracta, Jeſus veſtibus reſumptis, id a ſe præſtitum dixit, ut inſigne exemplum imitarentur: ſi Magiſter etenim pedes illorum laviſſet, lavare ſe invicem ipſi pariter debuiſſent [5].

Charitatis & unionis vinculum inter Apoſtolos.

Orationem autem ſuam proſequens, dixit, non niſi modico adhuc temporis ſpatio ſe cum illis verſaturum, quærendum ab illis nec inveniendum. Hortatus ad mutui amoris contenſionem, quibus, ait, characteribus Diſcipulos vos meos præſtabitis. Interroganti Petro, quo demum eſſet abiturus, reſpondit: *Quo ego vado, tu neſcis modo, ſcies autem poſtea.* Et Petrus, cur ergo, ait, ego non potuerim? vel vitam pro te meam tradere paratus ſum. Jeſus ad hæc: Animam tuam pones pro me? Amen dico tibi, non cantabit Gallus, donec me ter neges.

Interrogavit proinde, num ad Evangelium annunciandum antehac a ſe miſſis, ſine argento, & calceamentis, num, inquam, aliquid ipſis defuiſſet: & cum nihil defuiſſe reſponderent, *Sed modo,* ait Jeſus, *qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium.* Quibus verborum ambagibus rerum omnium, quæ dein opprimerentur, penuriam, & imminentes illis perſecutiones deſignabat. Sed Apoſtoli ad litteram ſermonem ejus interpretati, attulerunt illico geminos gladios, num ſatis eſſent interrogantes. Sed Jeſus majoris momenti aliquid ipſis annunciaturus, nil hæc curans, reſpondit: *Satis eſt;* quippe qui noraт futurum, ut poſt reſurrectionem ſuam verborum illorum ſenſum aſſequerentur [6].

Jeſus vadit, & Apoſtoli locum neſciunt.

Quantam in ſe fiduciam collocarent, poſt hæc fuſius demonſtrans, proteſtatus eſt ſe ire in domum Patris, in qua plures eſſent manſiones, ſingulas ſingulis paraturum. Rediturum ſe poſtea ad illos deducendos; & tunc notum illis futurum & locum, quem ipſe petierit, & viam. Ad hæc Thomas: *Domine, neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire?* Excepit Jeſus: *Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad Patrem, niſi per me. Si cognoviſſetis me, & Patrem meum utique cognoviſſetis.* Philippus oſtendi ſibi Patrem, nec aliud ſe ceteroſque poſcere, obſecrabat. Cui Jeſus: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum. Non credis quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Verba quæ loquor vobis, a me ipſo non loquor. Pater in me manens, ipſe facit opera. Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam. Si diligitis me, mandata mea ſervate; & ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & Mundus jam me non videt, vos autem videtis me. In illo die vos cognoſcetis, quia ego ſum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo. Et ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum* [7].

Jeſus Chriſtus manifeſtat ſe Diſcipulis, non Mundo.

Quæſivit Judas, ſive Thaddæus, cur ipſe ſe Diſcipulis, non Mundo proderet. Reſpondit Jeſus: *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Adjecit, ſcientiam illis ſuppeditaturum Spiritum Paraclitum a Patre mittendum, quo dicta a ſe omnia aſſequantur. Dare ſe illis pacem, non quomodo ſolet Mundus; nec vero turbarentur, neque formidarent. *Audiſtis,* ait, *quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos. Si diligeretis me, utique gauderetis, quia vado ad Patrem, quia Pater major me eſt. Jam non multa loquar vobiſcum: venit enim Princeps Mundi hujus, & in me non habet quid-*

(1) *Matt. 26. 17. 18. 19. Marc. 14. 12. 16. Luc. 22. 7. 13.* (2) *Matt. 26. 20. 25. Marc. 14. 17. 21.* (3) *Matt. 26. 26. 29. Marc. 14. 22. 25. Luc. 22. 19. 20.* Confer *1. Cor. 11. 23. 25.* (*) *Luc. 22. 24. 32.* (4) *Luc. 22. 25...30.* (5) *Joan. 13. 1. 22.* (6) *Joan. 13. 33. 38. Luc. 22. 35. 38.* (7) *Joan. 14. 1. 21.*

quidquam. Sed ut cognoſcat Mundus, quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio: ſurgite, eamus (1).

Ad Montem Olivarum ſe confert.

E Cœnaculo igitur egreſſus poſt hymnum actionum gratiarum de more recitatum, ad montem Olivarum ſe contulit (2).

Jeſus vinea eſt, Pater agricola, Diſcipuli palmites.

Deinde alloquebatur Jeſus, ſe vineam eſſe, cujus agricola Pater, edicens: *Omnem autem palmitem*, ait, *non ferentem fructum, tollet eum, & omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Si manſeritis in me quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus eſt Pater meus, ut fructum plurimum afferatis. Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos. Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione. Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hæc locutus ſum vobis, ut gaudium veſtrum impleatur.* (3).

Apoſtoli Amici Jeſu Chriſti.

Proteſtatus eſt, nolle ſe amplius ſervos illos dicere, cum ſervum Domini conſilia lateant, ſed amicos, quibus commiſſa ſibi a Patre ſecreta revelaſſet. Adjecit: *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Ait nihil eſſe cur ſtuperent, ſi odium in ſe Mundi provocaſſent, cum & ipſe prius ejus invidiam fuerit expertus. *Si de Mundo fuiſſent, ſuos amaſſet Mundus*; cum ſegregatos & ſelectos, ut eſſent Chriſti, Mundus tamquam alienos odio proſequeretur, revocarent in memoriam id a Magiſtro antea prænunciatum; famuli conditionem nihilo quam Domini meliorem eſſe; & ſi perſecutionem ipſe tuliſſet, & illos paria toleraturos. Et viciſſim, ſi ſermones ipſius homines ſervarint, & illorum ſervaturos. *Si non veniſſem*, adjecit, *& locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent: nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Qui me odit, & Patrem meum odit: ſi opera non feciſſem eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt me & Patrem meum. Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, ille teſtimonium perhibebit de me. Et vos teſtimonium perhibebitis, quia ab initio mecum eſtis* (4).

Mala & perſecutiones, quæ Apoſtolis imminebant, prædicit.

Proſecutus eſt narrans, quæ ipſos manerent toleranda mala, ne ſcilicet in errorem ſive infidelitatem prolabi ipſos contingeret. Prænunciavit itaque, extorres e Synagogia faciendos, & neci tradendos, qua in re religioſæ ſuæ in Deum ſpecimen exhibituros ſe homines crederent. *Et hæc facient vobis*, inquit, *quia non noverunt Patrem neque me. Sed hæc locutus ſum vobis, ut cum venerit hora eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Dixit rediens ſe ad eum, a quo miſſus eſſet; *nemo autem interrogat me: Quo vadis, ſed triſtitia implevit cor veſtrum.* Scirent tamen, e re ipſorum eſſe, ut iret; nunquam enim alioqui ſuper illos Spiritum Paraclerum venturum. *Et cum venerit ille*, adjecit, *arguet mundum de peccato, de juſtitia & de judicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me: de juſtitia vero, quia vado ad Patrem, & jam non videbitis me: de judicio autem, quia Princeps hujus mundi jam judicatus eſt* (5).

8. Spiritus Apoſtolos docebit.

Plura adhucupereſſe dixit Chriſtus, quæ Apoſtolos doceret; ſilere autem, quod ipſi ferre tanta non poſſent; Spiritum, qui venturus eſſet, in omnem ſcientiam illos adducturum, quippe qui non ex ſe ipſo locuturus eſſet, ſed quæ audiret, quæque pariter ventura eſſent, annunciaturus. *Ille*, ait, *me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt. Modicum, & jam non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem.* Ænigma audire ſe putabant Apoſtoli, ſecum verba illa verſantes: *Modicum &c.* Quas eorum cogitationes intelligens Jeſus prævenit, dicens: *Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium.* Adducit ſimilitudinem puerperæ, quæ fœtum enitens, ingemit; enixa vero matrem ſe intelligens, gaudet. *Et vos igitur*, ait, *nunc quidem triſtitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.* Queſtus eſt, nihil adhuc ab illis nomine ſuo a Patre poſtulatum; quærerent, & acciperent; quo ſincero plenoque gaudio potirentur. Profeſſus eſt, ſe ad id uſque in parabolis locutum, deinceps ſine ambagibus locuturum. *Exivi a Patre*, adjecit, *& veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Loquentem interceperunt Diſcipuli: *Ecce nunc palam loqueris, & proverbium nullum dicis: nunc ſcimus quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi, ut quis te interroget. In hoc credimus, quia a Deo exiſti.* Reſpondit Jeſus: *Modo creditis?* (6).

Apoſtoli in obitu Chriſti ſcandalo afficientur.

Iterum reſumpto ſermone, prædixit Apoſtolis futurum, ut illa eadem nocte omnes ſcandalo ſui gratia afficerentur; veniſſe jam horam, qua ipſis diſperſis ipſe ſolitarius relinqueretur, juxta fidem oraculi: *Percutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis. Poſtquam reſurrexero*, ait, *præcedam vos in Galilæam. In noviſſimo preſſuram habebitis: ſed confidite; ego vici mundum.* Ad hæc Petrus, ſe ait nullum paſſurum in Magiſtrum ſcandalum, & ſi omnes imbecillitatis ea occaſione ſuæ argumentum exhibituri fuiſſent; cui Jeſus: *Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet bis, ter me negabis.* Pervicacior in ſua ſententia Petrus, vel mortem ipſam ſe pro Chriſto toleraturum ſpondebat. Paria de ſe Apoſtoli quique affirmabant (7).

Oratio Jeſu Chriſti ad Patrem pro Apoſtolis.

Secundum hæc, ſublatis in Cœlum oculis Jeſus in hæc verba oravit: „ Pater, venit hora: clarifica „ Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te. Quos „ Filio tuo dediſti, illis vitam æternam largiturum „ ria rogo. Hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Ego te clarificavi ſuper terram, „ opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam. „ Et nunc clarifica me tu, Pater, apud temetipſum „ claritate, quam habui prius quam mundus eſſet „ apud te. Manifeſtavi nomen tuum hominibus, „ quos dediſti mihi. Verba quæ dediſti mihi, dedi „ eis, & ipſi acceperunt, & cognoverunt, quia a „ te exivi, & crediderunt, quia tu me miſiſti. Rogavit deinde, ut quandoquidem ipſe e mundo decederet, illos ſervandos ſibi ſuſciperet, efficeretque, ut ſint unum, ait, ſicut & nos. Adjecit ſe quidem, quamdiu cum illis fuiſſet, unice curaſſe, ut ſervarentur; nunc vero eoſdem in mundo conſervare,

(1) *Joann.* 14. 22. 31. (2) *Matth.* 26. 30. *Marc.* 14. 26. *Luc.* 22. 39. (3) *Joann.* 15. 1. 13. (4) *Jo.* 15. 15. 27. (5) *Joann.* 16. 1. 11. (6) *Joann.* 16. 12. 31. (7) *Matt.* 26. 31. 35. *Marc.* 14. 27. 31. *Joann.* 16. 32. 33.

atque a Dæmone liberare, ejus eſſe curæ; efficeret proinde ut e mundo non eſſent, quemadmodum ipſe non fuiſſet; ſe enim ipſos mittere, quemadmodum miſſus eſſet a Patre. Rogavit inſuper, non pro ipſis tantum, ſed & pro ceteris qui verba eorum auſcultaſſent, ut ipſi nimirum *ſint unum*, ait, *ſicut & nos unum ſumus*; ſciretque mundus Filium a Patre miſſum fuiſſe. Adjecit: „ Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum „ ego, & illi ſint mecum, ut videant claritatem meam, „ quam dediſti mihi ante conſtitutionem mundi. Pa„ ter juſte, mundus te non cognovit, ego autem te co„ gnovi; & hi cognoverunt, quia tu me miſiſti. Ego „ notum feci eis nomen tuum, ut dilectio, qua dile„ xiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis [1].

Jeſus ad montem Olivarum ſe confert.

Secundum hæc, tranſgreſſo Cedron torrente ad Orientale latus Jeruſalem, venit ad hortum in loco Gethſemani ſitum, quem & ſæpe alias, & tunc etiam cum Diſcipulis ſuis ingreſſus eſt; quare notiſſimus erat Judæ proditori locus. Ibi juſſis Apoſtolis tamdiu ſubſiſtere, quamdiu preces abſolviſſet ſuas, procedentem cum Petro, Jacobo, & Joanne continuo triſtis adeo illum angor invaſit, ut ad eos Diſcipulos converſus, *Triſtis eſt*, dixerit, *anima mea uſque ad mortem*; moneniſque vigiles illos excubare, ne ſopitis irreperet tentatio, ad lapidis jactum ſecedens, prono in terram vultu procumbens, orationem exorſus eſt, Patrem rogans ſiquidem fieri poſſet, ut a ſe amarus ille calix tranſiret. *Verumtamen*, ait, *non mea, ſed tua voluntas fiat* [2].

Continuo miſſus e Cœlo Angelus in ſolatium venit cum angore luctantis, & Jeſus in mortali agone conſtitutus, prolixius adhuc inſtitit orationi, ut eo pariter tædio & angore ſudor quidam, velut guttæ ſanguinis decurrentis in terram, exprimeretur [3].

Jeſus in horto preces fundit, Apoſtoli conſopiuntur.

Abſoluta oratione, conveniens Apoſtolos Jeſus, in ſomnum reſolutos offendit; objurgatoque Petro, qui ne brevi quidem horula ſecum vigilare potuiſſet, ſurgere juſſit omnes ad orationem, ne in tentationis diſcrimen venirent. *Spiritus quidem*, ait, *promptus eſt, caro autem infirma*. Secundum hæc, iterum ad priorem orationis locum ſe conferens, eodem, quo prius, corporis habitu, eadem, quæ antea, Patrem rogavit. Tum iterum ad Apoſtolos, quos alto adeo ſopore merſos nactus eſt, ut ne reſpondere quidem interroganti noſcerent. Quare conſuetas preces ad Patrem tertio inſtituit, tum denuo ad Apoſtolos; quos ita affatus eſt: *Dormite jam & requieſcite: Surgite; ecce appropinquat qui me tradet* [4]; eamus in ejus occurſum.

Judas in hortum veniens, Jeſum oſculatur.

Magiſtri ſui proditor Judas militum cohortem a Principibus Sacerdotum acceptam ad hortum, non ſine armorum facium, & laternarum apparatu, (quamquam plena micante Luna) ſecum adduxit. Condixerat autem cum militibus, ut quem ipſe oſculo exciperet virum, hunc Jeſum eſſe noſſent, ſtatimque apprehenſum deducerent. Accedens ergo ad Jeſum, ſalutantis prius amplexu ad oſculandum excepit, hæc ſimul amice effatus: *Ave Rabbi*. Cui Jeſus: *Amice ad quid veniſti? Oſculo Filium hominis tradis?* [5].

Jeſus verbo milites dejicit.

Recepit ſe ſtatim Judas ad milites, & Jeſus quæ ſibi imminebant omnia prænoſcens, obviam illis venientibus accurrens, ecquem quærerent, interrogavit. Reſpondentibus, quærere ſe Jeſum a Nazareth, *Ego ſum*, ait; ſtatimque in terram omnes dejecti ſunt. Surgentes iterum, Jeſus eadem interrogavit, eademque illis reſpondentibus, *Dixi vobis*, ait, *quia ego ſum*, *Si ergo me quæritis*, *ſinite hos* (Apoſtolos nempe) *abire*. [6].

A militibus capitur.

Tunc procurrentes omnes in Jeſum, apprehenderent; ſtatimque Petrus educto gladio in conſertam turbam irruens, abſcidit auriculam Malchi famuli Summi Sacerdotis. Ne ultra proſequeretur, obſtitit Jeſus; tangenſque autem præciſam, continuo reſtituit, Petro ſimul injungens, ut in vaginam enſem reduceret; *omnes enim*, ait, *qui gladio feriunt, gladio peribunt*. Adjecit, potuiſſe ſe quidem pluſquam 12. legiones Angelorum a Patre in ſui defenſionem impetrare, noluiſſe tamen, quo Scripturarum Oraculis ſua fides conſtaret [7].

Verſus dein ad turbas, Sacerdotes, Scribas, & Præfectos Templi, qui cum militibus venerant, *Tamquam ad latronem*, ait, *exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me. Quotidie apud vos ſedebam docens in Templo, & non me tenuiſtis. Sed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum*. Continuo Apoſtoli, Magiſtro relicto, in diverſa abierunt. Cum autem juvenis quidam amictus ſyndone ſuper nudum illum ſequeretur, apprehenſus a militibus, relicto in eorum manibus amictu, nudus dilapſus eſt. Captus itaque alligatuſque Jeſus, adductus eſt continuo ad Annam Socerum Caiphæ Summi eo anno Sacerdotis, qui capiendi Jeſu author fuerat Judæis. [8].

Simon Petrus in domum Summi Sacerdotis divertit.

Simon, & alius quidam e Diſcipulis Magiſtrum ſequebantur a longe; & cum poſtremus iſte Diſcipulus in domo Summi Sacerdotis notiſſimus eſſet, in atrium ingreſſus eſt, egreſſuſque dein, una ſecum & Petrum præ foribus verſantem introduxit. Cohors militum, qui Jeſum deduxerat, igne in eodem atrio excitato, algentia brumæ frigus depellebat; acceſſit pariter & Petrus [9].

Jeſus a Summo Sacerdote interrogatur.

Annas Summus Sacerdos de doctrina & Diſcipulis ſuis Jeſum interrogavit; cui ille, numquam ſe niſi in Templo & Synagogis, palam locutum, ejus rei teſtes auditores ſuos, ea de re interrogandos, dixit. Ita reſpondentem quidam ex famulis Caiphæ ingenti in os ejus impacto colapho, *Itane reſpondes Pontifici?* objurgavit. Cui Jeſus: *Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo; ſi autem bene, cur me cædis?* [10].

Ab Anna ad Caipham deducitur. Synedrio Sacerdotum ſiſtitur.

Interrogatum Jeſum Annas ad ſocerum ſuum Caipham, in eadem forte domo commorantem, miſit. Eo convenientes Principes Sacerdotum Scribæ, & Doctores, idoneos adverſus Jeſum teſtes quærebant, & cum omnes eorum conatus fruſtra eſſent, plures licet, falſa contra ipſum deponentes audiſſent; duo tandem venerunt, accuſantes, audiviſſe ſe virum jactantem, everſurum ſe Templum Dei, & intra tres dies reſtituturum. Sed capitale illud crimen minime cenſebatur. Silebat Jeſus ad eas cavillationes, & de ſilentio illo interrogante Summo Sacerdote, in ſilentio pariter perſeveravit. Tunc Caiphas: *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis ſi tu es Chriſtus Filius Dei*. Affirmavit Jeſus, adjecitque futu-

(1) *Joann.* 17. 1. 26. (2) *Matth.* 26. 36. 39. *Marc.* 14. 32. 36. *Luc.* 22. 40. 42. *Joann.* 18. 1. 2. (3) *Luc.* 22. 43. 44. (4) *Matth.* 26. 40. 46. *Marc.* 14. 37. 42. *Luc.* 22. 45. 46. (5) *Matth.* 26. 47. 50. *Marc.* 14. 40. 45. *Luc.* 22. 46. 48.

(6) *Joann.* 18. 4. 9. (7) *Matth.* 26. 50. 54. *Marc.* 14. 46. 47. *Luc.* 22. 49. 51. *Joann.* 18. 10. 11. (8) *Matth.* 26. 55. 57. *Marc.* 14. 48. 53. *Luc.* 22. 51. 54. *Joann.* 18. 12. 13. (9) *Jo.* 16. 18. 18. *Matth.* 26. 58. (10) *Jo.* 18. 19. 23.

futurum, ut tandem viderent Filium hominis in dextera virtutis Dei, nubibus vectum, venire ad judicium. Quibus auditis, Caiphas diſruptis veſtibus audiſſe ſe blaſphemias, quæ damnando reo abunde ſufficerent, conclamavit: conclamatum eſt pariter ab omnibus morte dignum eſſe virum, qui iſta effutiret [1].

Jeſus ludibrio militum permittitur. S. Petrus ter illum negat.

Dimiſſo cœtu, Jeſus militum in atrio commorantium cuſtodiæ pariter & licentiæ permiſſus eſt. Illi ludibrio hominem excipientes, ejus vultum lineis velabant, expuebant in faciem, cædebant colaphis pugniſque, atque inſultantes dictitabant: *Propheti-za nobis, quis eſt qui te percuſſit?* Inter hæc, Petrus in eodem atrio verſans, ad prunas ſtabat cum aliis; cum ancilla quædam Summi Sacerdotis virum intuita, Plane, ait, & *hic cum Jeſu Nazareno erat*. Negavit Petrus, palam proteſtatus ſe ne hominem quidem noſſe. Paulo poſt ex atrio egrediens, in veſtibulum ſe contulit; ſtatimque cantantem audivit gallum. Poſt modicum alia pariter ancilla idem, quod prior, de viro illo affirmavit; iterumque ipſe jurans negavit. Poſt horam quidam e circumſtantibus Diſcipulum eſſe Jeſu virum illum affirmavit; cui & ceteri omnes aſſenſi, ex ipſo loquentis ſermone Galilæum eſſe probant. Tandem neceſſarius quidam Malchi illius, cujus præciderat Petrus auriculam, vidiſſe ſe illum in horto teſtatus eſt. Sed Petrus ſacramentum ingeminans, ne noſſe quidem ſe hominem proteſtabatur. Inter hæc accidit, ut ſecundo galli cantus audiretur, & Jeſus ad Petrum converſus virum ſuſpexit. Tunc ille in mentem revocans, quæ a Jeſu audiverat, futurum nempe, ut ipſum, antequam gallus bis cantaret, terna negatione rejiceret, egreſſus ex atrio largo fletu crimen explavit [2].

Feria ſexta, mane 14. Niſan, 3. Aprilis. Sacerdotes in Sanhedrin conveniunt. Jeſus ad Pilatum deducitur.

Primo diluculo Sacerdotes, Scribæ, & Doctores in Sanhedrin coeuntes, de nece Jeſu Chriſti deliberarunt. Vinctus igitur coram concilio adductus, num Chriſtum ſe diceret, interrogatus eſt. Reſpondit, ſibi licet affirmanti non credituros; & quando ipſe interrogaret, nec reſponſum ullum daturos, nec remiſſuros liberum. *Ex hoc*, autem, adjecit, *erit filius hominis ſedens a dextris virtutis Dei*. Conclamarunt omnes una voce, num Filium Dei ſe diceret? affirmantemque, dignum eſſe morte communi ſuffragio ſtatuerunt, neque alios ea de re teſtes audiendos. Soluto in hunc modum concilio, adductus eſt Jeſus ad Pilatum, totius provinciæ Præſidem, quamvis ne contaminarentur & a deguſtando Paſchate religione abſterrerentur, ipſi Prętorium ingredi non auderent [3].

Pœnitudo Judæ, & deſperatio.

Judas proditionis in Magiſtrum reus, morte damnatum illum intelligens, criminis pœnitudine ad Principes Sacerdotum & Scribas pecuniam acceptam retulit, peccaſſe ſe, innoxium virum neci tradens, proteſtatus. Reſponderunt illi nihil ſua id referre. Sed Judas, projecto in Templum argento, abiit & laqueo ſibi fauces præcidit. Deliberatum eſt inter Sacerdotes quid de pecunia illa fieret; & cum pretium ſanguinis in Ærarium Templi inferre nefas arbitrarentur, emendum eo pretio agrum figuli cujuſdam in ſepulturam peregrinorum, communi ſuffragio cenſuerunt [4].

Sacerdotes Jeſum accuſant.

Traditum in manus Pilati Jeſum, cum ejus Accuſatores extra Prætorium ſe continerent, coram illis Præſes eduxit. Dein quid accuſationis in illum afferrent interrogans, cum reſpondentes audiſſet, nunquam ſe commiſſuros fuiſſe, ut neci tradendum virum inſontem ad illum adducerent, ipſe in eorum ſe manus reum permittere mulctandum pro arbitrio legiſque præſcripto dixit. Ad hæc Judæi: *Nobis non licet interficere quemquam*; ceterum addebant, hunc eſſe virum publicæ quietis perturbatorem, qui dari tributum Cæſari nefas eſſe doceret, ſeque Chriſtum Regem Judæorum jactitaret. Reductum igitur in Prætorium, aſſidens in Tribunali Pilatus interrogavit, an Rex eſſet Judæorum? Quæſivit Jeſus, num hæc a ſemetipſo diceret, an aliorum verbis, & relatione. Cui Præſes: *Numquid ego Judæus ſum? Gens tua, & Pontifices tui tradiderunt te mihi: quid feciſti?* Excepit Jeſus, ſe aliud quam hujus Mundi Regnum poſſidere; ſi enim regnaret in Mundo, ſubditos ſuos vitæ defenſores adverſus Judæos habiturum fuiſſe. Interrogavit itaque denuo Pilatus, num Rex eſſet. Affirmavit Jeſus, veniſſe ſe in Mundum adeo, ut teſtimonium perhiberet Veritati. *Quid eſt veritas?* ait Pilatus: ſimulque ad Judæos egreſſus, nil in eo viro morte dignum ſe deprehendiſſe proteſtatus eſt [5].

Jeſus coram Pilato ſilet.

Ingeminabant accuſationes in Jeſum ſuas Principes Sacerdotum, quas ſilens patiebatur, ut mirari Præſidem vehementer compelleret. Quare iterum atque iterum elata voce accuſatores ſeditioſum eſſe virum, turbaſque per totam regionem a Galilæa uſque Jeruſalem cientem clamabant. Audito Galilææ nomine Pilatus, num Galilæus eſſet vir ille interrogavit; auditoque ad Herodis ditionem pertinere, ab illo judicandum remiſit [6].

Ad Herodem mittitur.

Præclarum id ſibi accidiſſe cenſebat Herodes, ut Jeſum, quem longo jam tempore noſſe concupierat, ad ſuum Tribunal ductum judicaret. Quare pluribus interrogationibus virum tentavit, ſed fruſtra; ſilente Jeſu ad omnia, quæ ejus adverſarii in ipſum congerebant. Contempſit proinde Jeſum Herodes, ejuſque ſatellites, indutumque veſte purpurea, quaſi Regiæ ejus dignitati inſultantes, atque exutum deinde ad Pilatum remiſerunt. Ex quo mutuo ad id uſque inter Pilatum, & Herodem ſimultati terminus impoſitus eſt [7].

Pilatus de cavillationibus Judæorum in Jeſum certior factus eſt.

Eo temporis intervallo odium Judæorum adverſus Jeſum Pilatus reſciverat: admonebatur etiam, ut innoxium virum dimitteret, a conjuge, quæ ejus occaſione horrendis quibuſdam inſomniis moleſtam eam noctem ſeſe egiſſe narrabat [8]. Quare tertio e Prætorio egreſſus, Jeſum pariter eduxit, proteſtatuſque nihil ſe morte dignum in illo deprehendiſſe, eademque pariter Herodem cenſuiſſe, quippe qui indemnem remiſerat; emendatum correctumque ſe remiſſurum propoſuit [9].

Barabbas Jeſu præfertur.

Privilegium datum erat Judæis, ut in ſolemnitate Paſchali cujuſcumque mallent criminoſi hominis e carceribus publicis libertatem obtinerent. Vinctus

(1) *Matt.* 26. 59. 66. *Marc.* 14. 54. 64. (2) *Matt.* 26. 67. 75. *Marc.* 14. 18. 65. 72. *Luc.* 22. 56. 63. *Joan.* 18. 25. 26. (3) *Matt.* 27. 1. 2. *Marc.* 15. 1. 2. *Luc.* 22. 66. 71. (4) *Matt.* 27. 3. 10.

(5) *Matth.* 27. 11. *Marc.* 15. 2. *Luc.* 23. 2. 3. *Jo.* 18. 29. 38. (6) *Matth.* 27. 12. 13. *Marc.* 15. 4. 5. *Luc.* 23. 5. 6. (7) *Luc.* 23. 8. 12. (8) *Matth.* 27. 19. (9) *Luc.* 23. 12. 16.

eo tempore detinebatur Barabbas vir facinoroſus, & homicidii in ſeditione facti reus. Quæſivit ergo Pilatus, utrum e vinculis educi maluiſſent, Barabbamne, an Jeſum? Populus, agentibus Sacerdotibus & Scribis, Barabbæ libertatem, Jeſu vero necem poſtulavit. Eodem Pilatus iterum interrogavit, eademque reſponſione ſpe ſua fruſtratus eſt. Rogavit ergo Præſes, quid ergo fieret de Rege Judæorum? & cum illi ad crucem poſtularent, quæſivit iterum, cujus criminis reus ageretur: ſe etenim nullum in eo deprehendiſſe: quare poſt ſeveram animadverſionem dimiſſurum. Non acquievit populus, ſed iterum ad crucem quaſi reum poſtulavit (1).

Pilatus flagellandum Jeſum tradit.

Tunc flagris in Jeſum animadvertendum Pilatus adixit, cui milites tormento de ſuo addiderunt ſpineam quamdem coronam capiti ejus impoſitam, inducto inſuper purpureo veſtimento, illudendi hominis gratia. Ita vero peludero alapas impingebant & colaphos, dictitantes: *Prophetiza nobis, quis eſt qui te percuſſit?* Secundum hæc, ducitur iterum Jeſus a Præſide coram populo, ut eo ſpectaculo permotus, tandem conſilia mitiora non reſpuat. Sed illa fortius invaleſcens, ad crucem virum poſtulabat. Accipere ſe illum & pro arbitrio habere Pilatus propoſuit; ſe etenim nullius criminis reum numquam capitali ſupplicio damnaturum. Tunc Judæi dignum eſſe morte clamarunt, juxta receptas apud ipſos leges, quippe qui Filium ſe Dei venditaret. His populi clamoribus permotus Judex, recipiens ſe iterum in Prætorium, & pro tribunali ſedens, novam ad Jeſum quæſtionem inſtituit. Interrogavit ergo primum, cujus eſſet; & cum ſileret ad iſta Jeſus, Non mihi reſpondes? ait: an neſcis vitam mortemque tuam in mea ſitam eſſe poteſtate? Tunc Jeſus: *Non haberes poteſtatem adverſus me ullam, niſi tibi data eſſet deſuper; propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet* (2).

Clamores populi in Jeſum. Pilatus ad crucem damnat.

Nullum non movebat lapidem Pilatus ut Jeſum liberaret; ſed obſtrepere Judæi, atque ad necem urgentes, reluctanti tandem illi denuntiarunt ſurrum, ut alienus ab Imperatoris ſui partibus cenſeretur, ſi virum hunc, qui ſe Regem ageret, liberum abire permitteret. His auditis, juſſit afferri ſellam judicialem, ſedensque pro tribunali coram populo, Jeſum indicans, dixit: *Ecce Rex veſter.* Tolle illum cruci clamavit populus; & Pilatus: *Regem veſtrum crucifigam? Non habemus Regem*, reſponunt Judæi, *niſi Cæſarem.* Tunc fruſtra ſe agere intelligens Præſes, & creſcere in dies ſeditionem animadvertens, manus palam lavit, proteſtatus mundum ſe eſſe a ſanguine viri innocentis; clamantibuſque Judæis, in ſuum & poſterorum caput crimen illud ſeſe evocare, tandem adverſariorum manibus crucifigendum virum tradidit, Barabba in libertatem reſtituto. Hæc omnia geſta ſunt circa tertiam horam ſive nonam matutinam (3).

Jeſus illuditur a militibus.

Arripientes ergo milites Pilati Jeſum, atrium Prætorium rapuerunt, accitiſque locis militibus, propriis illum veſtibus exuerunt; eum purpureo pallio velatum, ſpinea corona redimitum, arundineum ſceptrum tenentem in genua provoluti adorarunt; & ne quid deeſſet ad ludibrium, expuentes in ejus faciem, atque arundineo illo ſceptro, quod in manibus gerebat, percutientes, ſalutabant: *Salve Rex Judæorum* (4).

Jeſus ad Calvariam deducitur.

Secundum hæc, propriis iterum veſtibus induitur, atque oneri crucis ſuæ prægravatus, deductus eſt ad Calvarium, ut ultimo ſupplicio periretur. Cum ad Urbis extrema ventum eſſet, & crucis ponderi opprimi jam vir, tot antea toleratis malis, viribus exhauſtus cerneretur; Simon quidam forte occurrens, a militibus Romanis coactus eſt, ut crucem portaret retro poſt Jeſum (5).

Mulieres Jeroſolymitanæ Jeſum lugent.

Sequebatur Jeſum ad Calvariam non ingens tantum populi multitudo, ſed & fœminarum, vicem ejus dolentium, turba, quas converſo vultu Jeſus reſpiciens, *Filiæ Jeruſalem*, ait, *nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete, & ſuper filios veſtros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ ſteriles, & ventres qui non genuerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite ſuper nos; & collibus: Operite nos. Quia ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Deducebatur autem Jeſus ad ſupplicium inter duos latrones medius (6).

Jeſus ad Calvariam deducitur, ubi in crucem agitur.

Ventum erat ad Calvariam, ſtatimque vinum felle & myrrha conditum mox periturо viro miſcetur; quod ille vix deguſtatum recuſavit. Tunc cruci ſuffigitur medius inter duos latrones, quos in ſupplicio comites habuit. Ex eo ſupplicio pendens, primo pro crucifixoribus ſuis Patrem in hæc verba rogavit: *Pater, ignoſce illis, non enim ſciunt quid faciunt* (7).

Titulus crucis Jeſu Chriſti.

In prominenti crucis loco hæc inſcriptio, Græcis, Latinis & Hebraicis literis tradita, legebatur: *Jeſus Nazarenus Rex Judæorum.* Quam cum Judæi plures legiſſent, rogarunt Pilatum, ut pro Rege Judæorum juberet ſubſtitui: *Qui dixit: Rex ſum Judæorum.* Sed Pilatus nihil reformare juſſit (8). Acta hæc circa horam tertiam vel nonam matutinam (9).

Milites inter ſe veſtes Jeſu partiuntur.

Milites, qui cruci Jeſum ſuffixerant, veſtimenta ipſius omnia æque inter ſe diviſerunt; tunicam inconſutilem, quæ unico contextu tota conſtaret, non dividendam, ſed ſortis arbitrio committendam voluerunt. Aſſidebant autem circa crucem, quo & excubias agerent, nec quemquam accedere ad miſeros deponendos paterentur (10).

Populi & Magiſtratus Jeſu Chriſto e ſupplicio pendenti inſultant.

Inſultabant pendenti e Cruce Chriſto, qui convenerant populi & Magiſtratus, objicientes: *Alios ſalvos fecit, ſe ipſum ſalvum faciat, ſi poteſt. Chriſtus Filius Dei vivi deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Milites acetum offerebant, dicentes: *Si tu es Rex Judæorum, ſalva temetipſum.* Alii moventes capita ſua inſultabant: *Vah qui deſtruis Templum Dei, & in tribus diebus reædificas: ſalvum fac temetipſum deſcendens de cruce.* Nec minora exprobrabant Principes Sacerdotum, dictitantes: *Deſcendat nunc de cruce, ut videamus & credamus.* Illudebat pariter e latronibus non diſſimili ſupplicio affectis alter obtrudens: *Si tu es Chriſtus, ſalvum fac temet-*

(1) *Matt.* 27 15.23 *Marc.* 15.6.23. *Luc* 23.18 ſq. (2) *Jo.* 19.1.12. (3) *Matt.* 27 24 26. *Marc.* 15.15. *Luc* 23.24 ſq. *Joan.* 19 12.16. (4) *Matth* 26 27 27. *Marc.* 15.16.19. (5) *Matt.* 27.31.32. *Marc.* 15. 20.21. *Luc.* 23.26.

(6) *Luc.* 23 27.31. (7) *Matt.* 27.33. *Marc.* 15.22. *Luc.* 23. 33.34. (8 *Matt.* 27.37. *Marc.* 15 26 *Luc.* 23 38. (9 *Marc.* 15. 25. (10) *Matth.* 27. 33. 36. *Marc.* 15. 24. *Luc.* 33. 34.

temetipſum, & nos. Telle loquentem illum increpuit alter e cruce ingerens: *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es; & nos quidem juſte, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali geſſit*. Converſus dein ad Jeſum, ait: *Domine, memento mei cum veneris in Regnum tuum*. Tunc Ieſus ad illum: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo* [1].

Jeſus Matrem ſuam S. Joanni commendat.

Stabat juxta crucem Ieſu Maria mater ipſius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene; quam Matrem ſuam Ieſus intuitus ſimulque non longe Diſcipulum ſibi maxime dilectum reſpiciens, ita Matrem affatus eſt: *Mulier, ecce filius tuus*, Ioannem innuens; tum viciſſim ad Ioannem: *Ecce Mater tua*. Ex quo factum eſt, ut dilectus Diſcipulus Mariam apud ſe & in domo ſua deinceps haberet [2].

Solis eclypſis, quo tempore Jeſus Chriſtus in cruce manſit.

Sexta circiter diei hora agebatur, nempe ad meridiem, cum ſol atra obdectus caligine lumen negavit uſque ad horam nonam, nempe tribus horis poſt meridiem. Ad nonam, diſſipatis tenebris clamavit Ieſus: *Eli Eli Lamma-ſabachtani*, i. e. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Quas ejus voces quidam de Elia interpretati, appellatum ab illo Prophetam animarunt; & ex militibus unus ſtatim accurrens, obtulit in ſpongia, hyſſopo circumpoſita, acetum. Dicebant alii: *Sinite, videamus, an veniat Elias liberans eum*. Tandem deguſtato Ieſus aceto, exclamavit. *Conſummatum eſt. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*: & inclinato capite tradidit ſpiritum [3].

Defuncto jam Chriſto, velum Templi ſcinditur.

Tunc diſciſſum eſt a ſommo uſque deorſum Templi velum, terra ſubito horrore tremuit, hiſcere lapides viſi ſunt, & ſepulchra patuerunt. Quæ ſedulo animadvertens Centurio, militeſque qui defuncta reorum corpora cuſtodiebant, inter pavorem & ſtuporem attoniti, Deo & veritati atteſtantes dicebant: *Vere hic homo juſtus erat. Vere Filius Dei erat iſte*; & turbæ pariter e ſpectaculo redibant, pectus ſuum in doloris argumentum percutientes [4].

Hæc omnia in monte, ſatis a cruce diſtantes, ſpectarunt oculati teſtes amici Ieſu, & fœminæ, quæ venienti e Galilæa comites adhæſerant [5].

Latus Jeſu Chriſti transfoditur.

Interim Iudæi, ne mane alterius diei, quo Sabbati & Paſchæ duæ ſimul ſolemnitates enibant, reorum corpora e cruce pendentia triſte exhiberent ſpectaculum, rogarunt Pilatum, ut & deponi juberet, & quo citius interirent, crurifragium præciperet. Venerunt ergo milites & utriuſque latronis crura fregerunt: Ieſum vero, quod obiiſſet jam, reliquerunt illæſum; ſed unus militum pendentis e cruce latus lancea transfodit, apertumque vulnus aqua manavit & ſanguine; quemadmodum dilecti Diſcipuli, oculati teſtis, narratione memoriæ proditum eſt [6].

Joſeph ab Arimathia poſtulat cadaver J. C. & tumulo infert.

Subeunte veſpere, Joſeph ab Arimathie, vir ampliſſimus é Patribus, omni poſito metu Pilatum adivit, concedi ſibi poſtulans corpus Jeſu, ut ante occaſum Solis tumulo inſerret; ad occaſum enim Solis Sabbathi Feſtum inibat. Subſtitit aliquanto Pilatus,

ram cito obiiſſe Jeſum admirans; ſed de morte ipſius certior etiam a Centurione factus, rogaoti facilis acquievit. Depoſuit itaque Joſeph e cruce cadaver, & ſindone candida obvolutum, tum & aromatibus conditum (centum libras myrrhæ & aloes Nicodemus ad pium illud officium paraverat) tumulo intulit, quem ipſe ſibi Joſeph excidendum curaverat, in horto non longe ab eo loco poſito, & nullius antea uſibus addicto. Occluſo dein ingenti lapide ſepulchro, diſceſſit [7].

Mulieres, quæ Jeſu e Galilæa venienti comites ſe ſe adjunxerant, ſepulchri hujus locum ſedulo notarunt, volentes poſt exactam illius diei ſolemnitatem condire iterum aromatibus defuncti Magiſtri cadaver [8].

Milites cuſtodia ſepulchri ſtatuuntur.

Expoſuerunt Pilato Principes Sacerdotum, & Phariſæi, Jeſum, dum viveret, in cœtu Diſcipulorum jactitaſſe, ſe poſt tridui ſepulturam in vivos rediturum; quare merito ſuſpicari ſe, Diſcipulos illos defunctum cadaver ſuffuraturos, famam interim Reſurrectionis ipſius non ſine ingenti Judaicæ Religionis diſcrimine, ſpargentes in vulgus. Reſpondit Pilatus, præſto illis eſſe milites Templi cuſtodes, quos pro arbitrio ad ſepulchri cuſtodiam deſtinarent. Statuerunt igitur præ oſtio monumenti milites, lapidemque, quo occludebatur, annulo ſuo obſignarunt. Acta ſunt hæc veſperis ejuſdem diei, antequam Sabbatum iniret [9].

Die Sabbati, 4. Aprilis, 15. Niſan.
Piæ Mulieres ementes ſibi aromata, defuncti corpus curatura veniunt. Jeſus Chriſtus e mortuis reſurgit.

Totum Paſchalem diem piæ illæ Mulieres de Legis præſcripto quietam egerunt; veſperis, abſoluta jam Sabbathi ſolemnitate, atque prima hebdomadæ die ineunte, emenda ſibi aromata, quo mane alterius diei ad ſepulchrum promptius accurrerent, ſumpſerunt. Ante euntam igitur viam ineuntes, mutuo alloquebantur: *Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?* Erat enim lapis major, quam ut muliebri robore amoveretur. Hæc ſecum reputantes continuo valida terræ concuſſio terruit. Quo indicio & Domini e mortuis Reſurrectio, & Angelus e Cœlo ad removendum monumenti lapidem deſcendens deſignabatur. Porro Angelus ſupra lapidem illum ſedens, eo terrore milites cuſtodes perculſit, ut dilapſi penitus in fugam reverterentur [10].

Dominica die, 5. Aprilis, 16. Niſan.
Duo Angeli ante ſepulchrum apparent.

Venientes igitur mulieres ad ſepulchrum, binos Angelos offenderunt, humana ſpecie, candido amictu, vultu rutilanti, quorum aſpectu attonitæ paventeſque hæſerunt. Animis deſpondentes alter ex Angelis confirmavit, annuncians, Chriſtum, quem illæ quæſituræ veniſſent, e mortuis jam ad vitam revocatum, ſepulchrum deſeruiſſe: venirent autem, & viderent locum, ubi defuncti corpus jacuerat. Mandavit deinde, ut irent ſtatim ad Diſcipulos, & ad Petrum lætiſſimum nuncium afferrent, certioreſque pariter facerent; eorum in Galilæam adventum Jeſum Chriſtum præceſſurum, ubi illis videndum ſe præbuiſſet, quemadmodum fidem ea de re ſuam antea obligeverat [11].

(1) *Matt.* 27. 39. 44. *Marc.* 15. 29. 32. *Luc.* 23. 35. 43. (2) *Joan.* 19. 25. 27. (3) *Matt.* 27. 48. 50. *Marc.* 15. 34. 37. *Luc.* 23. 46. *Joan.* 19. 28. 30. (4) *Matt.* 27. 51. 54. *Marc.* 15. 38. 39. *Luc.* 23. 47. 48. (5) *Matt.* 28. 55. *Marc.* 15. 40. 42. *Luc.* 23. 49. (6) *Joan.* 19. 31. 37.

(7) *Matt.* 27. 57. 60. *Marc.* 15. 42. 46. *Luc.* 23. 50. 54. *Joa.* 19. 38. 40. (8) *Matt.* 27. 61. *Marc.* 15. 47. *Luc.* 23. 55. 56. (9) *Matt.* 27. 62. 66. (10) *Matt.* 28. 1. 4. *Marc.* 16. 2. 4. *Luc.* 24. 1. 4. *Joan.* 20. 1. 2. (11) *Matt.* 28. 5. 8. *Marc.* 16. 6. 8. *Luc.* 24. 5. 8.

Maria Magdalene nuncia Reſurrectionis Jeſu Chriſti ad Apoſtolos venit. SS. Petrus, & Joannes ad ſepulchrum.

Maria Magdalene ſocias præcurrens, ad Apoſtolos Jeroſolymam convolavit, nuncians furto ſublatum cadaver Jeſu Chriſti, nuſpiam apparuiſſe. Tunc ſtatim ad ſepulchrum ſe contulit; venerunt pariter & Petrus, & Joannes, inter timorem, & ſtuporem hærentes. Præcucurrit tamen citius dilectus Jeſu Diſcipulus, & cum ad ſepulchrum veniſſet, ſubſtitit. Venit & Petrus; inclinanſque ſeſe deorſum, quo interiora ſepulchri ſcrutaretur, nihil reperit niſi linteamina poſita, & ſudarium, quo defuncti caput jam obvolvebatur. Poſt Petrum ingreſſus eſt monumentum & alter Diſcipulus, qui præ foribus ſubſtiterat, atque ambo totius rei oculati teſtes Jeroſolymam redierunt [1].

Jeſus Chriſtus apparet primum Mariæ Magdalenæ.

Verſabatur Maria præ oſtio ſepulchri, & cum in interioribus monumenti ſcrutandis deorſum ſeſe inclinaſſet, duos ſpectavit Angelos, alterum ad pedes, alterum ad caput ſepulchri aſſidentes. Interrogantibus illis quid ploraret, conqueſta eſt, ſublatum, nec ſcire ſe quo, Præceptoris ſui cadaver. Converſa ſimul retrorſum, vidit ante ſe Jeſum, qui hortulani ſpecie aſſumpta, mulierem, quid ploraret, quidve quæreret, interrogavit. Illa hortulanum rata, *Domine*, ait, *ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito, ubi poſuiſti eum, & ego eum tollam*. Tunc Jeſus Mariam nomine appellans, agnoſcendum ſe fœminæ præbuit; quæ ſtatim accurrens, pedes ejus prona oſculari tentabat. Prohibuit Jeſus; non enim, ait, adhuc ad Patrem meum aſcendi; quare alia erit tibi mei videndi opportunitas. Ire autem præcepit ad fratres ſuos & nunciare, aſcendere ſe ad Deum Patremque ſuum, Deum pariter & Patrem ipſorum [2].

Secundo apparet piis Fœminis ad Sepulchrum venientibus.

Ad mœſtos Diſcipulos lætum afferens nuncium venit Maria, & viſum a ſe Dominum & colloquium cum illo ſuum narrans. Interea Jeſus ſpectandum ſe præbuit piis fœminis a ſepulchro regredientibus, quibus obviam factus & timorem excutere juſſit, & nunciare Diſcipulis, in Galilæa ſe ſe illos & alloquio & præſentia ſua dignaturum. Accidentes illæ ſtatim ad Magiſtri pedes, pronæ adorarunt; tum Jeroſolymam regreſſæ, omnia narrarunt Apoſtolis, qui tamen totam hanc fabellam, tamquam delirantium muliercularum ludibrium periode habuerunt [3].

Tum Petrus ad ſepulchrum iterum ſe conferens, non ſecus ac prius poſita linteamina ſpectavit [4].

Furto ſublatum cadaver J. C. falſo rumore ſpargitur.

Interea milites, quibus ſepulchri cuſtodia credita a Sacerdotibus fuerat, Jeroſolymam venientes, quæ ſibi contigiſſent, omnia expoſuerunt. Sacerdotes ad conſilium coeuntes, de re tota ita deliberarunt, ut ingenti pecuniarum vi corrupti milites ſublatum a Diſcipulis nocturno furto cadaver, dum ipſi ſomno tenerentur, ſpargerent in vulgus. Polliciti ſunt autem militibus illis, ejus rei periculum, ſi quod ipſis imminerer a Præſide, utpote qui munus ſuum fide non integra obiiſſent, totum in ſeſe ſuſcepturos. Falſus iſte rumor, ait S Matthæus 28. 15. hodie uſque apud Judæos perſeverat, perſuaſum habentes, corpus Jeſu Chriſti a Diſcipulis ſublatum evanuiſſe [5].

Jeſus Chriſtus quarto apparet, duobus Diſcipulis euntibus in Emmaus ſpectandum ſe præbens.

Eadem die, 16. Niſan Paſchali, ſolemnitate celebri, nocte jam ſubeunte, bini ex Diſcipulis Jeſu Jeruſalem digreſſi in Galilæam veniebant. Cum autem Emmaus, locum 60. ſtadiis ab Jeruſalem, contenderent, viæ tædium mutuis colloquiis de rebus, quæ per eos dies acciderant Jeroſolymis, levabant. Inter loquendum ſuperveniens Jeſus, peregrini ſpeciem præſeferens, tertius euntibus acceſſit, rogavitque quos invicem ſermones miſcerent? Cleophas ex illis alter mirari ſe dixit illum unum advenam Jeroſolymis fuiſſe, qui neſciret quæcumque per eos dies contigerant. Ecquenam? reſpondit Jeſus. De Jeſu a Nazareth, ait alter, qui cum Propheta eſſet & opere & ſermone, Deo coram & hominibus potens, a Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus ſupplicio traditus eſt. Nos autem, inquit, ſperabamus, quod ipſe eſſet redempturus Iſrael; & nunc tertia dies eſt hodie, quod hæc facta ſunt. Mulieres quidem ex noſtris aliquæ, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, non invento corpore venerunt dicentes, ſe etiam viſionem Angelorum intuitas, qui dicunt eum vivere: quidam etiam ex noſtris, qui ſepulchrum inviſerunt, mulierum narrationi atteſtati ſunt.

Tertio apparet S. Petro, antequam Diſcipulis euntibus in Emmaus videndum ſe præberet.

Exprobravit tunc Jeſus fidei illorum imbecillitatem, productis e Scriptura teſtimoniis demonſtrans, oportere Chriſtum pati, & ita gloriæ ſuæ compotem fieri. Ventum eſt tandem in Emmaus, & ſimulantem ſe progreſſurum Jeſum, coegerunt Diſcipuli ſecum manere. Manſit igitur, & una diſcumbentibus benedictum a ſe panem diſtribuit. Quo accepto, illico apertis oculis Magiſtrum agnoverunt; iſque agnitus illico evanuit. Actutum Diſcipuli Jeroſolymam advolantes, totius rei certiores fecerunt Apoſtolos; a quibus in unum congregatis cœtum apparitionem viciſſim Petro factam audierunt [6].

Quinto apparet Apoſtolis ſimul congregatis.

Cum Apoſtoli omnes in eadem coacti domo, ſera munitis foribus, verſarentur, eorum medius ſubito ſpectandum ſe offerens Jeſus, pacem omnibus annunciavit. Subito aſpectu tamquam ad ſpectrum aliquod turbari omnes; ſed confirmati a Jeſu intueri juſſi ſunt manus pedeſque ſibi jam notos, atque tactu explorare, carnem habere ſe pariter & oſſa, corporis argumentum. His dictis, ſimul manus ſuas, pedes & latus oſtendit; & cum non adhuc metum ab eorum cordibus excuſſum intelligeret, cibi aliquid, ſi quid haberent, poſtulavit. Oblatam piſcis aſſi partem, & favum mellis palam deguſtavit, iterumque pacem annuncians, ita dein affatus eſt: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos*. Tum inſufflans in eos, dixit: *Accipite Spiritum S. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt* [7].

S. Thomas a fide labitur. Sexto apparet S. Thomæ cæteriſque Apoſtolis.

E Cœtu Apoſtolorum unus tunc aberat S. Thomas, qui vidiſſe ſe Jeſum affirmantibus Apoſtolis, fidem ſe numquam eorum ſermonibus habiturum dixit, niſi digitis ipſe ſuis vulnera clavorum in manibus pedibuſque, tum & latus ipſius exploraret. Poſt dies octo, Apoſtolis una cum S. Thoma, occluſis cœnaculi foribus, apparuit Jeſus, qui poſt annunciatam omnibus pacem, ad Thomam converſus, *Infer*, ait, *digitum tuum huc, & vide manus meas & affer manum tuam*,

(1) *Joan.20. 2.8.* (2) *Marc. 16. 9. 10. Joan. 20. 16. 17.* (3) *Matt.28.9. Mar.16.10.11. Luc.24. 9.11. Joan. 20. 18.* (4) *Luc.24.12.* (5) *Matt.28. 11.15.* (6) *Marc. 16. 12. Luc.23.13.34.* (7) *Luc.24.36.41. Joan.20.19. 23.*

tuam; & mitte in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Thomas ſtupenti ſimilis, *Dominus meus & Deus meus*, exclamavit. Tunc Jeſus: *Quia vidiſti me, Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* Multa equidem plura, quam quæ referuntur in Evangelio, prodigia a Jeſu patrata fuiſſe S. Joannes 20. 30. eſt author; *hæc autem ſcripta ſunt*, ait, *ut credatis, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus* [1].

Septimo apparet Diſcipulis ad mare Tiberiadis. Mira piſcatio.

Poſt octavam Paſchæ, cum Apoſtoli ſeceſſiſſent in Galilæam, obviam habuerunt Jeſum ad mare Tiberiadis. Petrus, Thomas, Nathanael, Jacobus, Joannes, & alii duo ex Diſcipulis in lacu Geneſareth verſabantur. Petrus piſcatum ſe ire dixit, ituros ſe pariter & alii dixerunt. Quare conſcenſo omnes navigio, tota nocte jaciendis recipiendiſque retibus fruſtra laborarunt. Mane alterius diei Jeſus in litore apparens, Diſcipulis incognitus clamavit, num aliquid piſcatu apprehendiſſent. Reſpondentibus illis fruſtra ſe laboraſſe, juſſit retia ad navigii dexteram jacere. Cum paruiſſent, tanta repente piſcium præda capta eſt, ut reducere retia Diſcipuli vix poſſent. Tunc Dilectus Diſcipulus agnitum Jeſum Petro indicavit; ille veſte ſtatim præcinctus pelago ſeſe commiſit, quo citius ad litus perveniret. Reliqui reducendo navigio, retibuſque 153. immanibus piſcibus refertis, nec tamen ſciſſis, manſerunt. Cum igitur omnes ad litus perveniſſent ex piſcibus afferri aliquid Jeſus præcepit; ſed cum attuliſſent, prunis impoſitum piſcem atque panem offenderunt; quæ ſimul cum Jeſu omnes deguſtarunt, nemine, quis eſſet, interrogare audente, cum Jeſum eſſe haberent compertum. Ita tertio ſpectandum ſe præbuit Ieſus poſt reſurrectionem ſuam pluribus ſimul Diſcipulis [2].

Jeſus paſcendum Gregem ſuum S. Petro committit.

Poſt deguſtatum ab Apoſtolis cibum; interrogavit Jeſus Petrum, num ab ipſo pluſquam a ceteris amaretur; eique affirmanti in hæc verba, *Tu ſcis, Domine, quia amo te*, Jeſus commiſit: *Paſce oves meas*. Tum iterum eadem interrogatione inſtitit; eademque alteri reponenti, eadem Jeſus injunxit. Tertio tandem eadem interrogatione pulſatus Apoſtolus, ait: *Domine tu omnia noſti, tu ſcis quia amo te*: Et Jeſus: *Paſce oves meas*; adjecitque: *Cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas ubi volebas. Cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo tu non vis.* Proſecutus eſt: *Sequere me*. Paruit Apoſtolus; ſed retrorſum converſus, cum ſequentem pariter dilectum Jeſu Diſcipulum ſpectaſſet, quid de illo futurum eſſet, Magiſtrum interrogavit; & ille: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere.* Rumor ex his verbis inter Diſcipulos increbuit, futurum, ut a mortis lege dilectus ille Diſcipulus eximeretur; Jeſus tamen non eximendum dixit a morte, ſed tantum: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic eſt Diſcipulus ille*, ſcribit S. Joannes 21. 24. *qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc, & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus* [3].

Jeſus iterum apparet pluſquam 500, ſimul in monte Galilææ.

Convenerant Diſcipuli, Angeli juſſionibus parentes, in Galilæam; & cum omnes in montem quemdam veniſſent, in medio cœtu ſtantem Jeſum ſubito ſpectarunt. Qua occaſione apparuiſſe Chriſtum cœtui pluſquam 500. fratrum, quorum plures vitam adhuc agebant, cum S. Paulus primam daret ad Corinthios epiſtolam, credimus (1. Cor. 15. 5. 6.) Viſum igitur Magiſtrum omnes adorarunt; dubitarunt tamen nonnulli, num verum corpus ſpectrum illud, quod coram cernebant, haberet; reſurrexiſſe tamen Jeſum ne ambigebatur quidem. Ita vero Diſcipulos illos affatus eſt Jeſus: *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo & in terra. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; docentes eos ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis: & ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi* [4].

Novo apparet Jeſus Diſcipulis, & cum illis familiarius agit in monte Olivarum.

Aſcenſuro in Cœlum Jeſu e monte Olivarum; redierunt Apoſtoli Jeroſolymam, ubi amice iterum cum Magiſtro egerunt, commenſalem habuerunt, & incredulitati ſuæ ſuper Paſſione & Reſurrectione Scripturarum ingeſto teſtimonio exprobrantem. Tunc excuſſæ ex illorum mentibus tenebræ, oracula Scripturarum omnia, quibus & toleranda ab ipſo mala & reſurrectio tertia die prædicebantur, patuerunt. Ex ipſis etiam Scripturis tunc primo intellexerunt Apoſtoli, annunciandam omnibus pœnitentiam & criminum remiſſionem, omnibus, inquam, ab Jeruſalem ad univerſas uſque nationes. *Euntes ergo*, ait, *prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient; linguis loquentur novis, ſerpentes tollent, ſuper ægros manus imponent & bene habebunt* [5].

Jeſus Chriſtus ſpectantibus Diſcipulis in Cœlum aſcendit.

Juſſit poſt reſurrectionem ſuam Ieroſolymis manere, quamdiu induerentur virtute ex alto, Baptiſmo ſcilicet Spiritus S. quem recepturi erant non poſt multos dies (Act. 1. 5. 6. 7.) Secundum hæc, e Ieruſalem comitantibus Diſcipulis ſecedens, Bethaniam uſque proceſſit, tollenſque in Cœlum oculos, adſtantes omnes benedixit, atque ſubita quadam fulgentique nube obumbratus, ſtatim ex aſpicientium oculis evanuit. Cum diſcipuli eumtem oculis proſequerentur, eo ſubito duo Angeli obviam facti; a quibus certiores ſunt redditi, Ieſum, quem mox in Cœlum ferri viderant, eo habitu certa die venturum. Secundum hæc, Diſcipuli e monte Olivarum Ieruſalem venientes, in eadem ſimul æde manſerunt, jugibus vacantes orationibus, una cum Maria Matre ceteriſque neceſſariis Ieſu, donec ſuperno Spiritus Sancti die Pentecoſtes illapſu, promiſſo cœlitus munere donati ſunt [6].

(1) *Joan.* 20. 26. 31. (2) *Joan.* 21. 1. 14. (3) *Joan.* 21. 15. 24. (4) *Matt.* 28. 16. 20.

(5) *Marc.* 16. 14. 18. *Luc.* 24. 44. 48. *Act.* 1. 3. & 9. 42. (6) *Marc.* 16. 19. *Luc.* 24. 49. 53. *Act.* 1. 5. 14.

DISSERTATIO

IN EVANGELIA APOCRYPHA.

IN ipſo Evangelii ſui limine narrat S. Lucas, plures Scriptores rerum ab origine Chriſtianæ Religionis geſtarum memoriam literis conſignaſſe; cum tamen illorum plerique ſive quam par erat fuſius, ſive quam ferri poſſet brevius, vel minus exacte Commentarios ſuos digeſſiſſent, operæ pretium ſe facturum cenſuit Evangeliſta, ſi limatius aliquid traderet, quo ceteris omnibus minus perfectis Scripturis fides detraheretur. Res ceſſit pro voto. Quatuor genuina Evangelia, nempe S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ, & omnium poſtremum S. Joannis, ſola ab Apoſtolis probata & ab inſignibus Eccleſiis recepta ſunt; cetera oblivioni tradita & neglectui. Nec minor eſt ambigendi locus, num aliquod ex Evangeliis ante S. Lucam ſcriptis noſtra ætate ſuperſit.

Sed mendacii pater, qui plures Pſeudo-Chriſtos & Pſeudo-Prophetas falſis præſtigiis imponentes ſuſcitaverat, quo veris Jeſu Chriſti prodigiis fides detraheretur, eodem aſtu impoſturas pariter ſuppoſuit, quorum fraude genuinæ Scripturæ corrumperentur, commentitiæ plures procuderentur, ut minor eſſet authoritas Operum S. Spiritus, novum verba vitæ æternæ & ſupremæ veritatis oracula concinentium. Quod autem in ea re ſtupori eſſe debet & admirationi, illud eſt, nimirum viros alioqui pios & bonæ fidei plenos, ſed inſtructos parum, id ſibi peſſimo plane exemplo ſuſcepiſſe, ut Libros procuderent, quos Religioni utiles autumabant, id reputantes, ut pia hac fraude Judæos & Paganos incredulos in ſuas partes pertraherent. Quare nomine celeberrimorum apud illos Authorum Libellos quoſdam obtruſerunt, veluti Eſdræ, S. Jacobi, S. Petri; eodemque conſilio ingeſſerunt Paganis carmina Sybillarum, Oracula rei Chriſtianæ adeo faventia, ut, ſiquidem cum veritate conſtarent, nullius non fidem credulitatemque extorquerent.

Plus tamen ab illis, quam ut perſuaderi potuerint, rei Chriſtianæ commodis derogatum eſt. Ita enim interſecta mendaciis veritas, certaque dubiis corrupta anſam præbent Religionis oſoribus tum in veras genuinaſque Scripturas invidiam creandi, cum etiam plura pro ſuo arbitrio procudendi, quibus ſub ampliſſimorum nominum obtentu veræ Scripturæ & noſtræ Religionis ſanctiſſima dogmata concuterentur. Hac ſibi oblata detrectandi opportunitate uſos in nos conſtat Celſum, Porphyrium, & Julianum Apoſtatam; nec ab his armis deſiſtunt increduli noſtræ ætatis, qui Religionis veritati, & Librorum Sacrorum authoritati bellum indixerunt.

Incommodum ejus rei intelligentes SS. PP. id ſibi committendum cenſuerunt, ut Sacros Libros religioſe ſervarent; caute vero Libros intra Canonicæ authoritatis arcem, parceque reciperent. Factum inde, ut Eccleſiæ quamplures diu ancipites deliberarint, num quoſdam Scripturarum Libros, quibus nonnullæ ſingulares Eccleſiæ verſabantur, reciperent; factum pariter ut Concilia & SS. PP. tum frequentes Sacrorum Librorum catalogos inſtruerent, tum ea ſcripta abjicerent, damnarent, ſupprimerent, ſive quæ Hæreticorum fraus, doluſque procuderat, ſive quæ præpoſtera Chriſtianorum quorumdam pietas pariter & inſcitia ſub ampliſſimorum nominum, Apoſtolorum nempe vel Diſcipulorum, obtentu ſuppoſuerat.

Noſtræ ætatis fideles in iis, quæ ad Libros apocryphos ſpectant, ſatis ſuperque inſtruuntur. Quotuſquiſque enim illorum defendenda ejus generis ſcripta ſuſcepit? Contemptui jam illa & oblivioni tradita ſunt adeo, ut qui vel nomine Libros illos norint, rari occurrant. Abſit hoc autem a nobis, ut authoritatem illorum relevandam ſuſpiciamus; ſed cum nullius diſcriminis res ſit, ſcripta illa noſſe, ut argumentum illud fuſius tractemus, qui prohibet? eum maxime plurimum conferre credendum ſit, ut de illis ſerius agatur, quo vana Lucubrationum illarum ex raritate captata apud quoſdam æſtimatio tollatur; æſtimatio, inquam, quorumdam ſuſpicantium, ideo potiſſimum in latebris illas occultari, quod ſolidis argumentis refutari non valeant. Porro fabellæ & ſuppoſitionis aperta adeo exhibent Scripta illa documenta, ut vel parum legiſſe, refutaſſe ſit.

En catalogus Pſeudo-Evangeliorum, quorum ad nos ſcripta nomina in Operibus Patrum pervenerunt. Extant nonnulla noſtra etiam ætate; alia vero penitus interciderunt.

1 Evangelium ſecundum Hebræos.
2 Evangelium ſecundum Nazaræos.
3 Evangelium duodecim Apoſtolorum.
4 Evangelium S. Petri.

Hæc quatuor Evangelia facile unum idemque habenda ſunt, vario tantum nomine diverſa.

5 Evangelium ſecundum Ægyptios.
6 Evangelium Nativitatis S. Virginis. Extat Latine.
7 Protevangelium S. Jacobi, Græce, & Latine.
8 Evangelium Infantiæ Salvatoris, Græce & Arabice.
9 Evangelium S. Thomæ, idem, ac præcedens.
10 Evangelium Nicodemi, Latine.
11 Evangelium Æternum.
12 Evangelium S. Andreæ.
13 Evangelium S. Bartholomæi.
14 Evangelium Apellis.
15 Evangelium Baſilidis.
16 Evangelium Cerinthi.
17 Evangelium Ebionitarum.
18 Evangelium Encratitarum. Idem, ac Tatiani.
19 Evangelium Evæ.
20 Evangelium Gnoſticorum.
21 Evangelium Marcionis. Idem ac S. Pauli.
22 Evangelium S. Pauli. Idem ac Marcionis.
23 De S. Mariæ Interrogationibus majoribus, & minoribus.
24 Liber de Nativitate Salvatoris. Facile idem, ac Protevangelium S. Jacobi.
25 Evangelium S. Joannis, Aliter Liber Interitus S. Virginis.
26 Evangelium S. Matthiæ.
27 Evangelium Perfectionis.
28 Evangelium Simonitarum.
29 Evangelium ſecundum Syros.
30 Evangelium Tatiani. Idem ac Encratitarum.
31 Evangelium Thadæi vel S. Judæ.
32 Evangelium Valentini: Idem ac Veritatis.
33 Evangelium Vitæ, ſeu Evangelium Vivum.
34 Evangelium S. Philippi.
35 Evangelium S. Barnabæ.
36 Evangelium S. Jacobi Majoris.
37 Evangelium Judæ Iſcariothæ.
38 Evangelium Veritatis. Idem, ac Valentini.
39 Evangelia Lucii, Seleuci, Luciani, Heſychii.

Plura ex his unum idemque habenda ſunt varias licet præſeferant inſcriptiones, ut proinde multo breviorem eorum catalogum conficiendum crediderim. Sed eorum Scriptorum numerum ſane amplum ea, quæ inferius dicenda ſunt, demonſtrant.

Præter

Præter Pſeudo-Evangelia impoſtorum fraudibus procuſa, ſunt etiam Acta quædam Apoſtolorum, & Epiſtolæ Jeſu Chriſti, SS. Virginis, Apoſtolorum, ac tandem Apocalypſes nonnullæ, de quibus in Prolegomenis ad Acta, ad Apocalypſim, cæteraſque Apoſtolorum Epiſtolas.

In Prolegomenis ad S. Matthæum, adductis argumentis probandum ſuſcepimus, 1. *Evangelium ſecundum Hebræos*, 2. *Evangelium Nazaræorum*, 3. *Evangelium duodecim Apoſtolorum*, 4. *Evangelium S. Petri*, unum idemque Evangelium Hebraicum S. Matthæi habenda eſſe; quæ illic fuſius demonſtrata, hic repetere ſupervacaneum ducimus.

5. *Evangelium ſecundum Ægyptios* laudatur a S. Clemente Papa [1], a S. Clemente Alexandrino [2], a S. Epiphanio [3], S. Hieronymo [4], Theodoto [5], Origene in Matth. Tito Boſtrenſi, & Theophylacto in Matthæum. Vetuſtiſſimum eſt omnium Apocryphorum Evangeliorum, quorum cognitio ad nos uſque pervenerit.

S. Clemens Papa laudat ex eodem Evangelio hiſtoriam hominis, qui Jeſum Chriſtum interrogavit, quo temporis articulo mundi exitus definitus eſſet; cui Jeſus reſpondit [6]. *Cum duo erunt unum, & quod foris, ut quod intus, & maſculum cum fœmina neque mas neque fœmina*: addit S. Clemens Alexandrinus: *Quando pudoris indumentum conculcaveritis*. His verbis inſinuatur, quantum credimus, ſecundum Jeſu Chriſti adventum nonniſi poſt reſurrectionem hominum futurum; tunc, ait, homines nullo pudore nullave concupiſcentiæ titillatione nuditatem ſuam prodent, ut proinde ad Angelorum veluti ſtatum reducantur, qui non nubunt, neque nubentur. Facile etiam inſinuatur recepta illa apud Veteres opinio, diſcretionem ſexuum nullam in reſurrectione futuram. Poteſt etiam non incongrue ſententia illa uſurpari de conſtitutione Eccleſiæ Chriſtianæ populis Judaico & Gentili in unam Eccleſiam coaleſcentibus.

Legitur etiam in eodem Evangelio, Salomen Jeſum interrogaſſe, quouſque homines morti futuri eſſent addicti [*]. *Dixit Dominus, quoadusque vos mulieres parietis. Cumque ea dixiſſet: Recte ergo feci, quæ non peperi; excepit Dominus, dicens: Omni herba veſcere, ea autem quæ habet amaritudinem, ne veſcaris.* Hanc etiam ex eodem Evangelio Servatoris verbi laudat idem S. Clemens, de amore & generatione ſententiam: *Veni ad diſſolvendum opera fœminæ*. Qualibus abuſionibus ſententiæ illæ paterent, ſatis, quantum arbitror, Lectores intelligent. Profecto Hæretici, qui generationem tollere e mundo ſatagebant, quique viciſſim incontinentiæ laxabant fræna, illas plenis buccis prædicabant. Cum tamen ænigmaticum quiddam præferrent, poterant pravo æque rectoque ſenſu uſurpari; ita nomine *herbæ amaræ* peccatum reddi potuit; *operum fœminæ*, crimen originale, quod e femina divini præcepti prævaricatrice in poſteros derivatum eſt.

Narrat S. Epiphanius, Sabellianos erroris ſui patrocinium ex eodem Evangelio quæſiviſſe, laudantes illud tamquam a Chriſto dictum: *Eumdem eſſe Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum*; quod ſane Catholico ſenſu uſurpari potuiſſet, de tribus nempe Perſonis Divinis, unius ejuſdemque communione naturæ junctis. Sed æque favere poterat Hæreticis, ſi ad eam ſententiam pertraheretur, quæ nimirum tres illas perſonas ita conjungeret, ut in nullo diſtingueret.

Non defuerunt, qui ſuſpicarentur, Evangelium illud cum Evangelio Baſilidis confundendum, quod ſcilicet in Ægypto errores ſuos Baſilides diſſeminaſſet [7]. Autumavit Baronius, Hæreticos quoſdam Ægyptios Scriptum illud ſub ſpecioſo S. Marci nomine procudiſſe [8]. D. Grabe perſuaſum habuit, opus eſſe Fidelium Ægypti, antea ſcriptum, quam S. Lucas ſuum illud Evangelium adornaret [9]; nec alterum potiſſimum ſpectaſſe credit Evangelium S. illum Scriptorem, cum in ipſo Operis limine, rerum ab exordio Eccleſiæ geſtarum hiſtoriam, plures ſcribendam ſuſcepiſſe deſignat. D. Millius maluit ſcriptum in gratiam Eſſeniorum, quos ille primores & perfectiſſimos Eccleſiæ Ægyptiacæ Chriſtianos arbitratur [10]. Scitum eſt, quo illi literaturæ genere maxime delectarentur, parabolico ſcilicet & allegorico; notumque quanti caſtitatem æſtimarent; quæ duo plane ſub oculos ingerunt rara illa fragmenta ex eodem Evangelio ad nos uſque deducta. Sed quo certius ea de re ferri poſſit judicium, integrum Opus, quod penitus intercidit, iis exceptis fragmentis ſupra deſcriptis, legiſſe oporteret.

6. *Evangelium Nativitatis B. Virginis*. Tria nota ſunt de ortu Virginis Evangelia, duo integra ſuperſunt. Omnium potiſſimum habendum eſt Protevangelium, S. Jacobi Minoris Epiſcopi Jeroſolymitani nomine inſcriptum. Extat Opus Græce, & Latine. Alterum eſt Evangelium Nativitatis Beatæ Virginis Mariæ, cum epiſtola ſcripta nomine Chromatii, & Heliodori ad S. Hieronymum, quo ambo illi Viri Sanctiſſimi rogant S. Doctorem, ut opus illud ex Hebræo Latinum faciat. Addita eſt & Epiſtola S. Hieronymi ad eoſdem, qua votis illorum ſe annuiſſe profitetur. Sed Epiſtolæ, & opus pariter inter apocrypha rejicienda ſunt. Evangelium Latinum Nativitatis Beatæ Virginis nil aliud eſt quam epitome *Protevangelii S. Jacobi*, de quo non fuſius agendum ſuſcepimus in Diſſertatione, qua conciliare aggreſſi ſumus duas genealogias J.C. apud Lucam, & Matthæum.

Tertium tandem Evangelium Nativitatis B. Virginis intercidit, cujus S. Epiphanius aliquid, non leve quidem, ſed fabuloſum refert, quod etiam habet Serapion Epiſcopus Tmuenſis in ſuo libro adverſus Manichæos. Porro S. Epiphanius hæc de Evangelio illo refert [11]. Zacharias Pater Ioannis Baptiſtæ, cum in Templo muneri ſuo thymiamatis offerendi vacaret, hominem aſini ſpeciem præferentem obvium habuit, cujus aſpectu territus e Templo ſe proripiens exclamavit: *Væ vobis! quem enim tandem adoratis?* Ne ulterius clamaret, monſtrum manu ſua os ejus occludens prohibuit. Poſtquam loquendi priſtinam facultatem poſt ortum Ioannem Baptiſtam obtinuit, myſterium iniquitatis prodere auſum Iudæi in Templo occiderunt; ubi cruenta ejus necis veſtigia pavimento impreſſa diutius manſerunt.

7. Narrat etiam S. Auguſtin. contra Fauſt. lib. 23. cap. 9. in Libro Nativitatis Mariæ, quo utebantur Manichæi, memoriæ proditum, Ioachimum Patrem SS. Virginis ad Tribum Levi ſpectaſſe, cum in aliis Libris, qui extant ejuſdem argumenti, e Famil. ia David, adeoque e Tribu Iuda repetatur. Protevangelium nihil quidem habet iſtis expreſſum de genere, ſed e ditiſſima & gregibus locupletiſſima domo deducit. Porro Scripta illa omnia e Protevangelio, uti facile credimus, deducta, longam præſeferre antiquitatem negaverit nemo, qui primis Eccleſiæ ſæculis laudata apud PP. animadverterit. S. Epiphanius Hæreſ. 26. 12. Gnoſticis tribuit. Origenes [12], & Tertullianus Scorp. cap. 8. ad illa interdum alludunt. Serapion Scriptor quarti ſæculi [13], S. Gregorius Nyſſenus [14], S. Hieronymus [15], S. Zeno Veronenſis [16], Author Operis imperfecti in Matthæum Hom. 2. Euſtathius Antiochenus in Hexaemer. ſive alius quiſpiam ſub ejus nomine ab Allatio vulgatus, S. Petrus Alexandrinus [17], aliique plures iiſdem Operibus uſi ſunt.

8. *Evan-*

(1) *Clemens Rom. epiſt. 2. §. 12.* (2) *Clemens Alexand. Strom lib. 3. pag. 445.* (3) *Epiphan. hæreſ. 62.* (4) *Hieron. Proœm. in Matth.* (5) *Theodot. in calce Oper. S. Clemen. Alexand.* (6) *Apud Clemen. Rom. loc. cit.* (*) *Apud Clem Alex. lib. 3. Strom.* (7) *Apud Albertum Fabric. de Apocryph. N.T. pag. 335.* (8) *Baron. ad An. 44. num. 48* (9) *Spicil. PP. t. I. pag. 32.* (10) *Mill. Proleg. 50. in N.T. Græc.* (11) *Epiph. hær. 26. n. 12.* (12) *Orig. l. 6 11. in Matt. pag. 223.* (13) *Serapion contra Manichæos.* (14) *Greg. Nyſſen. homil. de Nativ. B.M.* (15) *Hieron. contra Helvid.* (16) *Zeno Veron. Hom. 6. de Nativ.* (17) *Petr. Alexand. Can. 13. de Pœnitent.*

8. *Evangelium Infantis Salvatoris*, Opus tota antiquitate notiſſimum (1) Arabice extat cum Latina verſione Henrici Sikii. Ejus Græcum fragmentum vulgavit D. Cotelerius, cui Author inſcribitur Thomas quidam. Scatet Opus prodigiis a Jeſu prima adhuc ætate puero, ſive in itinere ad Ægyptum, ſive cum Nazareth rediiſſet, uſque ad annum ætatis duodecimum, factis. Pleraque tamen ſupra fidem & puerilia ſunt adeo, ut vix credulis mulierculis perſuadeantur. Quin & S. Joannis Evangeliſtæ teſtimonio ſcimus, aquam in vinum tranſmutatam ad nuptias in Cana primum fuiſſe ſignorum Jeſu Chriſti (2). Vix ſane aliter fieri potuiſſet, ut Jeſus in oblivione tamdiu maneret, ſi a prima incunte ætate tanta prodigiorum gloria claruiſſet.

Sunt qui Operis hujuſce Authorem crediderint S. Petrum, alii S. Matthæum, S. Thomam; multo tamen vero propius Hæreticis primorum Eccleſiæ ſæculorum tribuetur. Porro uſos eo Libro Marcionitas, quod genus erat Gnoſticorum, S. Irenæus lib. 1. cap. 17. eſt author. Meminit illius ſub nomine Evangelii S. Thomæ Apoſtoli Origenes, S. Ambroſius, & S. Hieronymus; ſed S. Cyrilli Jeroſolymitani teſtimonio conſtat, non Apoſtolo S. Thomæ, ſed uni ex tribus diſcipulis Manetis, Thomæ tribuendum (3). Porro tres illi Diſcipuli ſunt Thomas, Buddas & Hermas. Verum ſi Thomæ Manetis diſcipulo Opus aliquod de Infantia Salvatoris vindicetur, alterum ſane illud ſeparandum eſt ab eo, quod ætate noſtra ſupereſt, laudaturque a S. Irenæo & Origene, ac vetuſtiorem præ Manete ætatem præſefert. Sane Gelaſius, & Timotheus Presbyter (4) duo hæc ſcripta, Evangelium Thomæ, & Infantiæ luculenter diſtinguunt. Facilius tamen unum idemque Opus reputaremus, deceptumque arbitraremur S. Cyrillum, ejus Authorem Thomam Manichæum aſſignantem. Ille profecto nullum aliud opinionis ſuæ habuiſſe potuit fundamentum, quam quod eo Opere familiarius uterentur Manichæi, quemadmodum S. Auguſtinus, aliique poſt ipſum plures obſervant (5).

Hæc ſumma prodigiorum, quæ in Libro Infantiæ Salvatoris leguntur: *Invenimus in Libro Joſephi Pontificis, alio nomine Cnipha, Jeſum locutum eſſe, & quidem cum in cunis jaceret* (idem pariter & in Alcorano ſæpius legas.) Cum Joſeph & Maria Bethleem accederent, ſignificavit mulier ſancta conjugi ſuo partus ſui horam inſtare; quare cum ad Urbem pervenire non poſſent, ibique in ſpeluncam divertere, ubi fœtum ſuum illa edidit. Eo temporis intervallo quæſiturus obſtetricem aberat Joſephus, qui una cum inventa fœmina vix ſpeluncæ limen attigerat, inſunum fulgore locum irradiatum, natumque puerum in præſepio jacentem, pannisque obvolutum admiratus eſt. Tetigit infantem obſtetrix: nec mora, præſentiſſimum illud lepræ, qua tenebatur, remedium experta. Apparuerunt per viſum paſtoribus in medio lobito coruſcantis lucis Angeli, quemadmodum & in S. Luca relatum eſt. Circumciſi in ſpelunca Infantis præputium ab obſtetrice ſolerti cura ſervatum eſt, repoſitumque in alabaſtrino vaſe, pretioſis unguentis referto. Porro vas illud deinde emens Maria peccatrix, Jeſu Chriſti pedes inunxit.

Quarta a octo puero die, Angelorum ſatellitio ſtipatus, oblatus fuit in Templo, in ulnis Simonis receptus, Anna interim Propheteſſa gratias agente Deo quam maximas. Venerunt Magi, juxta vaticinium Zoroaſtri, quos Maria panniculo Infantis pretioſiſſimi muneris loco donavit; redieruntque deinde in regionem ſuam, Angelo in formam ſyderis reducente, quem ducem antea itineris habuerant.

Faſcia illa a Magis Mariæ dono accepta, in ignem projecta illæſa reducta eſt. Decreverat Herodes infantes omnes Bethleemiticos trucidare; qua de re admonitus per ſomnium Joſeph; atque in Ægyptum ſecedere juſſus, cum Alexandriam veniſſet, corruit Idolum (Serapidis), ingenti terræ concuſſione regio univerſa turbata eſt, obſidentes filium Sacerdotis Dæmones ad contactum panniculorum Jeſu fugati. Joſeph & Maria Paganorum metu ex Urbe ſe proripientes, cum divertiſſent in deſertum, ſpeluncam Latronum ſubierunt. Ne quid gravius ab illis paterentur fecit ſubitus quidam fragor, cujus terrore in fugam ſe dare coacti ſunt. Obſeſſa a malis ſpiritibus fœmina ſanitati reſtituta eſt; fœmina quædam, ſingulis noctibus Dæmonis in formam anguis ſævitie vexata, liberata eſt; lepræ incommodum nullum ultra ſenſit alia itidem fœmina, quæ aquis Jeſu Chriſti lotione ſanctificatis corpus ſuum lavit; quo itidem remedio convaluit puer quidam leproſus.

Ne conjugium ſuum conſummaret, maleficium aliquod hominem quemdam prohibebat; exſufflata ſunt ſtatim omnia. Juvenis quidam in mulum transformatus erat, ſtatim ad priſtinam figuram. Cum Titus & Dumacus, ambo latrones, liberos abire permiſiſſent Joſeph & Mariam, ambos una ſecum in crucem levandos Jeſus Chriſtus prædixit. Venerant Matarean ad fontem, ubi poſt lotam Infantis tunicam a Matre, in fonte balſamum viteſcens apparuit. (Eo loci alia quædam prodigia facta narrat Sozomenus l. 5. cap. 21.) Manſerunt triennio in Ægypto, ubi pluribus prodigiis, nullibi deſcriptis, Jeſus Chriſtus inclaruit. Tandem monitu Angeli Joſephus redire Nazareth juſſus, primo Bethleem contendit, ubi & puerum gravi morbo affectum ſanitati, & defunctum alterum aqua Jeſu Chriſti lotione ſanctificata vitæ reſtituit.

Unius conjugis uxores duæ filium quæque ſuum morbo affectum dolebant, quarum altera ad Mariam confugiens, panniculis Jeſu acceptis, valetudinem contulit filio. Æmulæ filius deceſſit, quod ſimultati in alteram augendæ cauſa fuit. Eo proceſſum eſt, ut mortui filii mater vivum alterius in candentem furnum immitteret; ſed nihil inde incommodi in puerum. Poſt aliquot dies æmula illa mulier in puteum decidens, interiit. Mulier altera duorum filiorum mater alterum extinctum dolebat, alterum mox extinguendum; ſed poſterioris hujus valetudo ſtatim reſtituta eſt, cum in lectulo pueri Chriſti jacuit; porro idem eſt puer iſte, qui deinde Bartholomæus in Evangelio. Leproſam fœminam mundavit aqua, qua Jeſus lavit, ſicut & alteram eodem morbo afflictam; Dæmonem tandem puellam quamdam draconis aſſumpta forma voraturum expulit Jeſus.

Judas filius mulieris cujuſdam Dæmone agitabatur (Judas eſt Iſcariothes): hic Jeſu latus momordit & ſalva omnia (idem eſt latus in paſſione lancea tranſfoſſum). Fabricabat ſemel Ieſus per ludum e luto animalia una cum aliis pueris; ſed fabricata a Ieſu vita ſtatim donabantur, ut nihil illis deeſſet, non motus, non cibi capiendi facultas (ejuſdem prodigii meminit Alcoranus Surat 3. & 5. & *Toldos Ieſu*). Accidit, ut verſans ſemel in officina tinctoris, pannos quos ibi forte offendit, ſimul omnes in cacabum tinctorium injiceret, tum eductos peculiari ſingulos ad voluntatem domini colore imbutos exhiberet. Diſcurrebat Ioſeph una cum filio ſuo Ieſu per Urbis ædes, carpentariam ſive lignariam exercens; quod ſi forte aliquod minus quam pro voto brevius ſive prolixius occurreret, Ieſus ad menſuram reddebat. Ita Regis Ieruſalem ſolium ampliavit, ſolium, inquam, pretioſiſſimis lignis, jam inde ab ætate Salomonis ſervatis, biennali opere a Ioſepho fabricatum.

Ludentium puerorum turbæ ſeſe immiſcuerat Ieſus, in hœdos pueros illos transformans, eum & ad priora reſtituens. Pupugerat puerum quemdam vipera, & Ieſus adducto puero ante belluæ foramen, illam accivit, jubens ſugere quantocius vulnus; ex quo

(1) *Iren. adverſus hæreſ. lib. 1. cap. 17. Epiphan. hæreſ. 51. num. 20. Orig. hom. 1. in Luc. Chryſoſt. hom. 16. & 20. in Ioann. Ambroſ. proœm. in Luc. Hieron. Præfat. in Matth. Euſeb. lib. 3. Hiſt. Eccleſ. cap. 25. Cyrill. Ieroſol. Catech. 4. & 6. Athanaſ.* in *Synopſi. Alii plures apud Albertum Fabric. de Apocryph. N.T.*

(2) *Joann. 2. 11.* (3) *Cyrill. Ieroſol. Catech. 6.* (4) *Timoth. Presb. Conſtantinop. lib. de his, qui ad Eccleſiam accedunt, edito a Meurſio de variis divin. p. 117.* (5) *Auguſt. contra Adimant. cap. 17. lib. 22. contra Fauſt. cap. 79. & lib. 4. 2. de form. Domini in monte cap. 20. num. 65.*

quo factum ut anguis necaretur, tum & puer ſanitati reſtitutus, inter Diſcipulos Liberatoris ſui futurum ſe tandem ab ipſo eodemque intellexerit; ipſiſſimus eſt autem Simon Zelotes. Miſit Joſephus Jacobum filium ſuum una cum Jeſu ligna in nemore quæſituros; factum eſt autem, ut vipera Jacobum morderet, qui tamen Jeſu Chriſti opera convaluit. Cum forte puer quidam cum Jeſu verſaretur, e tecto ædium lapſus in præceps interiit; accuſatus eſt de parricidio Jeſus; ſed ille extincto puero loquendi facultatem, reſtituens egregie ſe coram omnibus purgavit. Miſſus afferendis aquis, lagenam caſu fregit, nec tamen inde aliquid ex aquis effluxit, quas in pallio tulit ad Matrem.

Die quadam Sabbati Jeſus luteum quemdam fontem fabricavit, luteis item paſſerculis in ejus margine conſtitutis. Actutum violati Sabbati reus Anano defertur; accurrit ille, oculatuſque teſtis non ſine admiratione avolantes aves ſpectavit; fontem vero cum deſtruere niteretur Anani filius, evanuit aqua; quo pariter emblemate deſignari futurum, ut ejus vita evaneſceret. Jeſus non fruſtra pronunciavit; illico enim areſcens occubuit: quo eodem fato interemptus eſt puer, Jeſum impellens, ut caderet, cadens enim puer ille protinus expiravit. Ludimagiſter quidam Jeroſolymæ inter Diſcipulos ſuos habere Jeſum cupiebat, quem ille aliis adeo quæſtionibus tentavit, ut quem Diſcipulum habere volebat, hunc ſibi magiſtrum ſentiret. Tandem ſolus alphabetum recitavit, hærente magiſtro præ ſtupore; cum autem ipſe magiſter verberaturus puerum manus extenderet, aruit illico manus, tum & intercluſo ſpiritu vir ille occubuit.

Duodennis Jeſus ad Urbem ſanctam veniens, inter medios Doctores ſeſe conſtituens, plura viros interrogabat & reſpondebat itidem plura, non de Lege tantum, ſed in Philoſophia etiam, Aſtronomia, omnique ſcientiarum genere, ex quo in admirationem ſui rapuit univerſos. Rediit inde Nazareth cum parentibus ſuis, ad trigeſimum uſque ætatis annum commoraturus; *Atque ab hoc die miracula, arcana, & ſecreta ſua occulere cœpit*. En brevis conſpectus Evangelii Infantiæ Arabice a Sikio editi.

E Græco quodam fragmento, a D. Cotelerio vulgato, conſtat paulo alium fuiſſe in Græco Codice prodigiorum ordinem, & narrationem. Primum ibi prodigium occurrit de 12. paſſerculis luteis, quos Jeſus ad vitam vocavit. Legitur etiam ibidem prodigium de aqua fontana ad puriores latices reſtituta; de ſanitate, & motu reddito filio Anani, quem prius membrorum ſtupore perculerat, quod fontanas aquas ſuas effudiſſet; ne tamen unquam prodigii memoria intercideret, ex artubus unum arentem reliquit. Accidit ut puer quidam inambulantem per viam Jeſum retro poſt terga teneret, cui minitans non ultra iter ſuum proſequuturum ipſe Jeſus denunciavit. Nec mora, puer exanimatus intercidit, parentes vero ipſius querelas ea de re ſuas ad Joſeph deferentes, luminum orbitate a Jeſu percuſſi ſunt. Sublatos ea de re clamores intelligens Joſeph, Jeſu filii ſui aures violente diſtraxit; quare Jeſus in patrem iraſcens, Satis ſit tibi, ait, has gentes quærere nec invenire; non plane egiſti ſapienter; ſuccurrat tibi me filium tuum eſſe, & quietum relinque. Secundum hæc legitur hiſtoria ludimagiſtri & fullonis. Ex his ſatis, quantum arbitror, intelligimus, Græcum Evangelium plus etiam quam Arabicum, cujus nos epitomen dedimus, impudentia & fabellis ſcatere.

10. Evangelium Nicodemi, Opus eſt apud Veteres incognitum, cujus nullum apparet apud Græcos Authores veſtigium. Meminit illius, ſed tamquam Operis alterius relatione comperti, *Synaxarion* Græcorum, Liber recentiſſimus; cujus Author numquam facile Evangelium illud videret. Laudantur ſæpe apud veteres Acta Pilati [1], quæ Evangelii hujus Authori veluti Operis ſchema exhibuerunt; occurrunt enim in Evangelio quæcumque in vetuſtis Actis referebantur, ſed fabellis plurimis vitiata ſunt. Ætate Pauli Oroſii [2], & S. Gregorii Turonenſis [3] altum erat de Evangelio Nicodemi ſilentium; laudantur tamen ab illis Acta Pilati.

D. Fabricius perſuaſum habet [4] procuſum eſſe Opus, quale noſtra ætate ſupereſt, ab Anglis, recepta ſemel apud illos opinione de Nicodemo primo regionis ſuæ Apoſtolo. Id ſane conſtat, Evangelium, quale hodie ſupereſt, recentiorem eſſe fabellam, quam quæ veteribus Patribus Acta Pilati laudantibus innotuerit. Latinum hujus Evangelii pedeſtre eſt maxime, & barbarum; Græce numquam ſcriptum eſt; eamque præſefert eloquii rationem, quæ nonniſi poſt plura a Chriſto ſæcula innotuit.

Vetera Pilati Acta Opus fuiſſe credimus deductum ex Epiſtola ejuſdem Præſidis ad Tiberium, qua de rebus Jeſu Chriſti certiorem Principem faciebat; ſed Nicodemi Evangelium prolixior eſt lucubratio, moroſa, barbara, fabellis referta, Authoris fraude Nicodemi Judæi nomine inſcripta. Nihilo meliori fide Hebraicis literis primum traditam fuiſſe vulgatum eſt.

Porro genuina Pilati epiſtola pia quadam ſed præpoſtera Chriſtiani alicujus fraude deformata in Librum ſatis prolixum inſcriptumque, *Acta Pilati*, tranſivit. His Actis lapſu temporis intercidentibus, Latinum aliud eorum loco procuſum eſt Opus, inſcriptum: *Evangelium Nicodemi*.

Quidquid tandem ſit, legitur in eo Evangelio, Annam, Caipham, Summam, Datam, Gamalielem, Judam, Levim, Nephtalim, Alexandrum, Cyrum diem dixiſſe Jeſu Chriſto coram Pilato; Pilatum vero diu multumque reluctantem, quin ſententiam in illum diceret, importunitate tamen, & minis accuſatorum victum, tandem eorum manibus Crucis ſupplicio interimendum permiſiſſe. Porro interrogationes Pilati, accuſationes Judæorum, quæque pro ſe dixit Jeſus Chriſtus fuſe ſatis, & prolixe referuntur. Paruit Nicodemus, defendendi Jeſu partes in ſe ſuſcipiens, una cum Paralitico illo, qui ad Probaticam ſanitati reſtitutus eſt, cum cæco a nativitate, qui oculorum facultatem ejus beneficio receperat, ac tandem cum fœmina ſanguinis profluvio integro 12. annorum ſpatio laborante, cujus morbi præſentiſſimum remedium ſolo tactu fimbriæ Jeſu Chriſti experta eſt. Huic fœminæ Veronicæ nomen tribuitur. Frequens pariter teſtium turba pro Jeſu ſtans ibidem inducitur, prodigiorum, quæ ipſi explorato cognoverant, in ejus favorem numerum & magnitudinem ponderantes, Fruſtra tamen hæc; Judex enim dicta in illum ſententia ad Crucem inter duos fures *Dimam*, & *Geſtam* damnavit.

Ad Calvarium itaque deductus, Cruci ſuffigitur, ſtatuto ad dexteram pati ſupplicio affectum *Dimam*, ad ſiniſtram *Geſtam*. Longinus Chriſti latus haſta transfodit; Dimas reſpuit. Inferendi ſepulchro cadaveris Jeſu curam in ſe ſuſcepit Joſeph ab Arimathia; quare invidia in ſe Optimatum Judæorum concitata, carceri traditus fuit; unde intempeſtæ noctis ſilentio non ſine ingenti prodigio liberatur; namque opera quatuor Angelorum quatuor ædificii parietibus in altum ſublatis, ut abiret, captivo liberum ſpatium factum eſt; tum ædificium in priſtinum ſtatum reſtitutum. Milites excubias ante ſepulchrum agentes, Reſurrectionem Jeſu Hebræis narrarunt, ſed eorum deinde auro corrupti falſos ea de re ſermones ſparſerunt in vulgus. Tres viri Scribis renunciarunt, vidiſſe ſe Jeſum in Monte Olivarum ſermonem cum Diſcipulis miſcentem; ſed illis affirmantibus credere recuſarunt. Ioſeph ab Arimathia narravit Annæ, & Caiphæ, plures ex ſenioribus una cum Ieſu ad vitam rediiſſe, quos inter duos fratres longævi Simeonis, qui in ulnas ſuas puerum Ieſum exceperat, narra-

(1) *Juſtin. Martyr. Apol. 2. p 76 & 84. Tertull. Apologet. c. 21. Euſeb. Chronic. lib. 2. ad ann. 2051. & Hiſtor. lib. 2. c. 2. Epiphan. hæreſ. 50. n. 1. Chryſoſt. hom. 7. in Paſch.*

(2) *Paul. Oroſ. lib. 7. Hiſtor. c. 4.* (3) *Gregor. Turon. l. 1. Hiſtor. Franc. cap. 21.* (4) *Fabric. de Apocryph. N. T. pag.* 215.

narravit pariter duos ipſos Simeonis fratres in Arimathia commorari. Acciti illi Jeroſolymam, plura enarrarunt de adventu Jeſu Chriſti ad Inferos, deque ipſius una cum aliis pluribus Reſurrectione; referebant totidem verbis colloquium Sathanæ Principis mortis cum Lucifero Principe Inferni, qui coram ſe ſtatuendum Jeſum Chriſtum, quemadmodum & cæteros omnes defunctos, contendebat. Sed Jeſus apertis Inferni foribus, ſecum juſtos omnes adduxit, tetro tantum in carcere malis ſpiritibus una cum reproborum manibus relictis.

Aſcendentibus ergo in Cœlum viris juſtis Henoch, & Elias occurrerunt, ſociique accedentes inter eundum narrabant, quæ ſe noviſſima Mundi die contra Antichriſtum agenda manerent. Supervenit tandem & probus Latro crucem ſuam portans, & ipſe pariter cum toto cœtu in Paradiſum introductus eſt. Hæc duorum fratrum Simeonis, *Charini* nempe & *Lenthii* relatione Jeroſolymis comperta ſunt; & nequid eorum interiret, hiſtoriam hanc omnem litteris mandarunt; raptimque tranſlati in Tranſjordana inventi ſunt.

Horum omnium certior factus Pilatus, ad Templum ſe conferens, occludi ſibi ſacros Libros a Sacerdotibus juſſit, invitoſque licet, & reluctantes fateri coegit Jeſum Chriſtum ipſum eſſe Meſſiam in eorum Scripturis prænunciatum. Clauditur Evangelium illud hac temporis adſcriptione. *In nomine Sanctæ Trinitatis expliciunt geſta per Salvatorem Jeſum Chriſtum, quæ invenit Theodoſius Magnus Imperator in Jeruſalem in prætorio Pontii Pilati, in Codicibus publicis. Facta in anno decimonono Imperatoris Tiberii Cæſaris Romanorum, & Herodis filii Herodis Regis Galilææ, anno decimoſeptimo principatus ejus; 8. Kalendas Aprilis, quod eſt 25. die menſis Martii, Conſultoria Revelationis in anno 202. Olympiadis, ſub Principatu Judæorum Joſephi, & Caiphæ: quanta poſt crucem & paſſionem Domini hiſtoriatus eſt Nicodemus literis Hebraicis.*

Extant geminæ Latinæ epiſtolæ Pilati ad Tiberium de obitu Jeſu Chriſti, utraque tamen recentiſſima & ſuppoſititia. Lambecius Græcas legerat; ab illis referendis in præſentia parcimus. Adeat, ſi quis vult, Libros Apocryphos Novi Teſt. a Fabricio vulgatos.

Scitum eſt, referente Euſebio, Paganos ſub Maximiano Imperatore Acta quædam Pilati blaſphemiis in Jeſum Chriſtum refertiſſima longe lateque vulgaſſe, mandatis onerantes Ludimagiſtros, ut illa pueris edocenda traderent in Scholis. Opus illud penitus interciddit, ejuſque commentum ex falſa temporis adſcriptione prodit Euſebius; conſignabantur enim quarto Tiberii Conſulatu, nempe imperii ipſius ſeptimo, cum Pilatus nonniſi Imperii illius duodecimo in Provinciam Judæam veniſſet [1].

11. *Evangelium æternum* recens eſt viri Religioſi ex ordine Mendicantium ſæculi 13. commentum. Porro Author ſententia Alexandri .V. ad ignem damnatus eſt, quamvis clam ſupplicium illud ſubierit, ne in Fratres crearetur invidia [2]. Nomen Evangelii æterni ex illo Apocalypſis 14. 6. derivatum eſt, in quo Angelus Evangelium hoc æternum per totam late terram omneſque gentes evulgat. Porro Author, qui opus ſæculo 13. ſuppoſuit, prædicebat futurum, ut Evangelium Jeſu Chriſti penes Eccleſias receptum tandem vel aboleretur, vel ſaltem abrogaretur; quemadmodum Legis Moſaicæ præcepta cæremonialia & judicialia locum dare Evangelio juſſa ſunt. Porro de hoc Evangelio fuſius in Prolegomenis ſuper Apocalypſim.

12. *Evangelium Sancti Andreæ*, ex uno ferme decreto Gelaſii, quo cenſura inuritur, notum eſt. De Actis S. Andreæ, opere nec incognito nec obſcuro, alibi agemus.

13. *Evangelium S. Bartholomæi* ab eodem Gelaſio damnatur; extat ejus mentio apud S. Hieronymum Proleg. Comment. in Matth. & Bedam Proœm. in Luc. Facile tamen idem eſt Opus cum Evangelio Hebraico S. Matthæi, quod referente Euſebio Hiſtor. Eccl. lib 5. cap. 10. aliiſque nonnullis poſt ipſum [3], delatum fuimus apud Indos ab eodem Apoſtolo: inventumque ibidem a Pantæno Alexandriam relatum eſt. Pſeudo-Dionyſius Areopagita [4] ſententiam hanc S. Bartholomæi nomine refert, *Copioſam eſſe Theologiam & minimam, atque Evangelium tum amplum & magnum, tum rurſus conciſum*; quam ex Evangelio S. Bartholomæi deductam aliqui ſuſpicantur [5]; ſunt qui ex ejus Epiſtola maluerint [6]: alii ex traditione a Fidelibus religioſe ſervata [7].

14. *Pſeudo-Evangelium Apellis* notum eſt apud S. Hieronymum Proœm. Comment. in Matth. & Bedam Proleg. Comment. in Luc. Novum ab Hæretico proceſſum Evangelium vix credimus, ſed facile recepta apud Hæreticos exemplo genuina Evangelia corrupit, quod illi exprobrat Origenes [8]; & S. Epiphanius [*] hæc illius verba refert, quæ indolem viri ſatis demonſtrant: *Eſtote probi argentarii, utere omnibus, ex Scriptura quod eſt utile ſeligens.* Pravum Magiſtri exemplum Marcio ejus Diſcipulus deinde imitatus, ex Evangeliis quædam pro arbitrio adjecit retraxitque.

15. *Evangelium Baſilidis*, Opus apud Veteres celebre [9], cujus nihil ætate noſtra ſupereſt. Eo titulo nihil aliud deſignari autumaſſe videtur D. Fabricius, quam 24. ab eo in Evangelia ſcriptos Libros, de quibus Euſebius. Extant ejus Scripti fragmenta quædam in Spicilegio D. Grabe [10]. Porro Baſilides doctrinam ſuam hauſiſſe ſe jactitabat a Glaucia interprete S. Petri [11]. Origenes & S. Hieronymus non obſcure deſignant Evangelium ſecundum Baſilidem, qui verborum ambages illas cæterorum Hæreticorum negligens, Opus ſuum non religioſo quodam Apoſtolorum nomine obtruſit, ſed de ipſo ſuo nomine appellans inſcripſit: *Evangelium ſecundum Baſilidem.*

16. *Evangelium Cerinthi* unum eſſe credit S. Epiphanius Hæreſ. 51. ex illis, quæ in Operis ſui veſtibulo ſcripta jam circumferri S. Lucas cap. 1. 1. teſtatur. Idem S. Epiphanius innuere interdum videtur [12], Cerinthum Evangelio S. Matthæi uſum; & Hæreſ. 51. num. 3. tradit, Alogos eidem Hæretico Evangelium S. Joannis tribuiſſe.

17. *Evangelium Ebionitarum*, ipſum erat S. Matthæi Opus, quod Hæretici pro arbitrio recipiebant interpolabantque. Exordium ducebat ab illis verbis [13], *Factum eſt in diebus Herodis Regis Judææ, ut veniret Joannes baptizans baptiſmo pœnitentiæ in Jordane fluvio, quem ferebant ex genere Aaronis Sacerdotis, filius Zachariæ & Elizabeth: & egrediebantur ad illum omnes.* Legebatur in eo Jeſus ad Joannis Baptiſmum veniſſe, & ex aquis aſcendente illo patuiſſe Cœlum; continuo vero Sanctum Spiritum *vidiſſe deſcendentem columbæ ſpecie & intrantem in ſeſe. Et vox reddita de Cœlo dicens: Tu es Filius meus dilectus, in te mihi complacui. Et iterum: Ego hodie genui te. Statimque eo in loco lux ingens affulſit: quo conſpecto Joannes ſic eum alloquitur: Tu quis es, Domine? Rurſumque lapſa vox de Cœlo: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Ad hæc Joannes ad ejus pedes accidens, Quæſo, inquit, Domine, tu me ipſe baptiza. At ille prohibebat eum, dicens: Sine: ita enim decet nos implere omnia.* Ex his, quantum arbitror, ſatis intelligimus, Ebionitas Evangelium S. Matthæi fœde corrupiſſe, quo patrocinium ex illo dogmatis ſuis

(1) *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 9. & 11.* (2) *Matth. Pariſ. ad 1257.* (3) *Nicephor. lib. 4. cap. 32. Hieron. cap. 46.* (4) *Dionyſ. de Myſtica Theolog. cap. 1.* (5) *Itting. pag. 224. Append. de hæreſiarch. Dalle. l. 2. cap. 27. de ſcriptis Dionyſ. apud Fabric. de Apocr. N.T.* (6) *Corder. in Not. ad Dionyſ.* (7) *Maxim. & Pachym. Vide Combefis ad Nicet. pag. 496.* (8) *Origen. Epiſt. ad Ambroſ. in Apolog. Rufini pro Orig.* (*) *Hæreſ. 44. num. 2.* (9) *Origen. & Ambroſ. Proœm. in Luc. Hieron. Præfat. in Matt. Origen. l. 26. in Matt. 23. 34. 35. Euſeb. lib. 4. & 7. Hiſt. Eccleſ.* (10) *Vide Grab. Spicileg. PP. part. 2. pag. 39.* (11) *Clemens Alexandr. lib. 7. Strom.* (12) *Epiphan. hæreſ. 30. c. 14.* (13) *Apud Epiphan. hæreſ. 30. cap. 13.*

ſui adverſus Divinitatem Jeſu Chriſti compararent.

Alibi vero ita loquentem Jeſum inducebant Ebionitæ [1]: *Ego ad abroganda ſacrificia veni; & niſi ſacrificare deſieritis, Dei in vos ira non ceſſabit*: Ita pariter Jeſus Chriſtus ad Apoſtolos in noviſſima cœna locutus inducebatur: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha carnale* (ſive carnem) *manducare vobiſcum*; pro eo quod S. Lucas habet tantum [2]: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum*. Hæc duo loca adverſus Nazaræos, ſervandas legales cæremonias contendentes, procuſa videntur.

Narrat S. Epiphanius, Hæreticos illos, ut ſimplicioribus imponerent [3], nomina duodecim Apoſtolorum admittere, & quoſdam eorum nomine ſuppoſuiſſe Libros, uti *S. Jacobi*. Innuit facile Protevangelium, de quo in ſuperioribus egimus.

18. Evangelium Encratitarum a quatuor Canonicis Evangeliis non diſcrepat, ſed ex quatuor unum Tatianus compegit, quod ab illo *Evangelium Tatiani* ſive *Encratitarum* [4], vel *ſecundum Hebræos* nomen obtinuit. Eo Codice uſos non Encratitas tantum, ſed & Catholicos Provinciarum Syriæ & Ciliciæ, Theodoretus [5] eſt author.

19. *Evangelium Evæ* familiare apud Gnoſticos [6]. Rara quædam de illo ſuperſunt; referebat e.g. *Vidi arborem duodecim fructus quotannis ferentem, & dixit mihi: hoc eſt lignum vitæ*; quæ de fluxu menſtruo fœminarum Hæretici interpretabantur. Ænigmaticum aliquid in eodem Opere legebatur [7]. *In arduo monte conſtiteram, cum ecce video procerum hominem, & mutilum alterum. Inde vocem tonitrui inſtar exaudio. Propius igitur ad audiendum accedo, cum me in hunc modum eſt allocutus: Ego idem ſum ac tu, idem atque ego, & ubicumque tu es, illic ego ſum, ac per omnia ſum diſperſus. Et undecumque volueris, me colligis, me vero colligendo temetipſum colligis*. Legeſis S. Epiphanium, qui hæreticarum fabellarum ſalacitatem exponit; nos hic apertius iniquitatis myſterium proferre exhorreſcimus.

20. *Evangelium Gnoſticorum*, non unum erat & ſingulare opus; ſed cum genus eſſet Hæreticorum ex pluribus hæreſum ſectis conſtans, & inter varios hæreticos diviſum, ita plura ejuſdem farinæ ſcripta ſub uno hoc Generali nomine Evangelii Gnoſticorum conferuntur. Uſurpatur igitur ea inſcriptio de Evangelio *Infantiæ*, *Nativitatis Mariæ*, de libro *Interrogationum Mariæ*, *Evangelio Perfectionis*, *Evangeliis Baſilidis*, *Apellis*, *Valentini*, & *Evæ*. Porro ex Gnoſticorum fonte tota ferme peſſimorum Librorum primis Eccleſiæ ſæculis colluvio inundavit.

21. *Evangelium Marcionis* ipſum eſt Sancti Lucæ Evangelium, ab eodem Hæretico interpolatum corruptumque [8]; cujus interpolationis exempla plura fraude Marcionitarum inducta apud Tertullianum & Sanctum Epiphanium exhibentur. Scriptum autem Evangelium illud autumabant hæretici non a S. Luca, ſed ab Apoſtolo Paulo, unicum ex ſacris Scriptoribus, cujus probarent reciperentque authoritatem, quamquam non ideo ſanctam ratamque haberent, ut totum Evangelium & Apoſtoli illius epiſtolas reciperent; rejiciebant enim quidquid erroribus ſuis adverſum arbitrabantur. Loca illa hæreticorum fraude corrupta ſedulo in Commentario adnotavimus.

22. *Evangelium Sancti Pauli*; illud eo nomine cenſetur, quod in ejus Epiſtolis innuitur, uti cum ad Rom. 2. 16. ſcribit: *Cum judicabit Deus occulta hominum, ſecundum Evangelium meum*; & 2. Timoth. 2. 8. *Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis, ſecundum Evangelium meum*. Quibus verbis ſive Evangelium illud inſinuavit Apoſtolus ſibi divinitus revelatum [9], ſeu Evangelium Sancti Lucæ, juxta veterum quorumdam opinionem [10], autumantium Sanctum Lucam, fidum itinerum Apoſtoli comitem, ea ſcriptis redegiſſe, quæ Paulus inter prædicandum promebat. Porro Marcionitæ, uti jam innuimus, Evangelium iſtud ad S. Paulum ſpectare contendebant, quod in illis citra fidei diſcrimen tolerari potuiſſet, niſi ſimul temerario auſu manum in ſacrum illud ſcriptum auſi fuiſſent inferre, detrahentes addenteſque quidquid e re ſua eſſe arbitrabantur. Nec tamen ita reputandum, quaſi Evangelium aliquod haberent Marcionitæ, ab Evangelio S. Lucæ, vel S. Pauli reapſe diverſum.

23. *Interrogationes Mariæ*. Duæ erant hujus inſcriptionis Libri Gnoſticis familiares: alterius titulus: *Majores Interrogationes Mariæ*; alter vero inſcribebatur: *Minores Interrogationes Mariæ*. Utrumque autem ſalaciſſimum erat Opus, ut ne referri quidem ſine pudoris diſpendio earum ſententiæ poſſent. Porro Gnoſtici quæcumque e corpore fœda ſalaci voluptate exprimebant, ore deinde lambebant, ita ſe a Jeſu Chriſto edoctos profitentes. Plura hujus generis ſane monſtruoſa apud S. Epiphanium leguntur, quæ ratione utentes homines vel cogitaſſe quidem vix perſuaderemur.

24. *Liber de Nativitate Salvatoris* ex damnatione Gelaſii tantum innoteſcit: cum autem in ejus decreto ſub eadem inſcriptione cum libro *De Virgine & Obſtetrice* accenſeatur, facilis inde conjectura, ejuſdem fere eſſe argumenti cum Prot-Evangelio S. Jacobi, in quo & ortus Servatoris hiſtoria, & captum ab Obſtetrice de integritate Mariæ poſt ejus puerperium experimentum deſcribitur.

25. *Evangelium S. Joannis*, alio nomine *De Dormitione Deiparæ*, cenſura inuritur a Gelaſio. Extat Græcum in nonnullis Bibliothecis [11]; & in quibuſdam Mſs. tribuitur S. Jacobo fratri Domini, in aliis S. Joanni Evangeliſtæ. Nondum prodiit in lucem, ſed nec ſatis deſideratur.

26. *Evangelium S. Matthiæ*, de quo Origenes [12], & S. Ambroſius Præfat. in Luc. Sanctus Hieronymus Prooem. in Matth. Beda Venerabilis Præfat. in Luc. a quibus tamen ſolum operis nomen ſervatum eſt. Inter Apocrypha a Gelaſio rejicitur. Extant etiam Acta Apocrypha ejuſdem Apoſtoli ſicut & *Traditiones* vel axiomata, quæ facile totum ejus nomine inſcriptum Evangelium conſtituebant; vel ſaltem ex eodem opere excerpta ſunt. Legebatur e.g. in eo Libro, docuiſſe Apoſtolum [13], primum cognitionis gradum *in admiratione rerum præſentium* conſtituendum; quibus verbis facile inſinuatur, non eſſe rebus præſentibus inſiſtendum, neque earum uſum tamquam indifferens aliquid reputandum. Ex illo acceptam ferebant Carpocratiani ſententiam illam, *oportere cum carne pugnare, & ea uti*; quibus aliud deſignari volebant Hæretici, aliud a S. Viro innuebatur; ita enim ejus mentem interpretatur S. Clemens Alexandrinus [14]. *Cum carne pugnare, & ea uti, nihil ei impudicum largiendo ad voluptatem, augere autem animam per fidem & cognitionem*. Illud etiam tamquam ab eodem Apoſtolo dictum ferebatur. *Si Electi vicinus peccaverit, peccavit Electus. Nam ſi ſe ita geſſiſſet, ut jubet verbum ſeu ratio, ejus vitam ita eſſet reveritus vicinus, ut non peccaſſet*. Hujus ſententiæ optimus eſſe poterat ſenſus, oportere nempe ita a Chriſtiano vitam inſtitui, ut recte vivendi atque a crimine abſtinendi ceteris & frenum ſit & exemplum. S. Clemens Alexandrinus [15], penes quem ſententiæ illæ leguntur, teſtatur, non Carpocratianos tantum, ſed & Valentinum, & Baſilidem ejuſdem Apoſtoli nomine erroribus ſuis defendendis abuſos.

27. *Evangelium Perfectionis*, a Gnoſticis fabricatum, erro-

(1) *Ibid. n. 16.* (2) *Luc. 22. 15.* (3) *Epiphan. hæreſ. Ebionit. n. 23.* (4) *Epiph. hær. 47. n. 1.* (5) *Theodor. Hæretic. fabul. l. 1.* (6) *Epiphan. hæreſ. 26. n. 2.* (7) *Ibid. num. 3.* (8) *Iren. l. 3. c. 12. Hi qui a Marcione ſunt, non habent Evangelium: hoc enim quod ſecundum Lucam decurtantes, gloriantur ſe habere Evangelium, &c. Vide & Tertull. l. 4. c. 3. con. Marc. & Epiph. hær. 42.* (9) *Galat. 1. 12. Epheſ. 3. 3.* (10) *Iren. l. 3. c. 1. Euſeb. l. 3. c. 4. Hiſt. Eccl. Hieron. in Catalog. Quotieſcumque in Epiſtolis dicit Paulus, juxta Evangelium meum, de Lucæ ſignificat volumine.* (11) *Codex Labb. 453. Lambec. l. 4. de Bibl. Vindob. 231. 244. & l. 5. pag. 24.* (12) *Origen. in Luc. hom. 1.* (13) *Clem. Alex. l. 2. Strom.* (14) *Strom. l. 3. & Euſeb. l. 3. c. 29. Hiſt. Eccl.* (15) *Strom. lib. 7. pag. 748.*

erroribus ſuis, & ſalacitatibus defendendis, ſolo ejus contemptu apud Patres innoteſcit. Diabolici Operis elogio notat S. Epiphanius, (1), quod inſcribendum ſit potius Conſummatio, Dolor, & Luctus, quam Evangelium Perfectionis, nempe bonum ſive excellentiſſimum Perfectionis nuncium.

28. *Evangelium Simonianorum*, ſive Diſcipulorum Simonis Magi, legitur in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 6. cap. 16. & in præfatione Canonum Arabicorum Concilii Nicæni. Porro in noviſſima ea Collectione narratur, Simonianos totum Evangelium ſuum diſtribuiſſe in quatuor tomos ſive quatuor libros, quos mundi angulos ſive cardines totius mundi machinæ ſuſtinendæ appellabant. Legimus in Conſtitutionibus Apoſtolicis, duos viros, Simonem & Cleobium plures pernicioſos Libros ſub ſpecioſo Patriarcharum & Apoſtolorum nomine ſuppoſuiſſe, quibus totum dejiciebatur dogma de creatione, providentia, nuptiis, generatione, Lege, & Prophetis. Nec ultra de opere illo memoriæ proditum eſt.

29. *Evangelium ſecundum Syros*, notum apud Sanctum Hieronymum in Catal. & Euſebium Hiſt. Eccl. lib. 4. cap. 22. Confundendus eſt facile Liber cum Evangelio Nazaræorum, ſive Hebraico S. Matthæi, vel ſaltem cum Opere Tatiani, ex quatuor Evangeliis conſtante, cujus frequens erat apud plures Catholicos in Syria & finitimis regionibus uſus, authore Theodoreto. Porro Evangelium Hebraicum Sancti Matthæi commodato recepiſſe ſe a Nazaræis Berœæ in Syria S. Hieronymus profitetur, quod maxime favet opinioni de *Evangelio ſecundum Syros*, cum Evangelio Nazaræorum confundendo. Verum S. Epiphanius Hæreſ. 47. 1. Evangelium illud Syrorum a Tatiani Opere non diſtinguit.

30. Eſt igitur *Tatiani Evangelium* harmonia potius Evangeliorum, ex quatuor ſimul junctis Evangeliis, quam reapſe novum aliquod Evangelium (2). Porro Tatianus inſtitutorem habuit S. Juſtinum Martyrem, cui hæſiſſe adhuc nonnulli ſoſpicantur, cum harmoniam ſuam ſcriberet (3). Verum quæ e Textu temerario auſu detraxit, alienum virum a Catholicorum ſacris, dum ſcriberet, ſatis demonſtrant. Sublatas ab illo docente Theodoretus Hæret. Fabul. lib. 1. cap. 20. genealogias omnes, & quæcumque tandem natum Jeſum Chriſtum ſecundum carnem e genere David demonſtrabant. Ideo vero eodem Opere uſos plures Catholicos refert, quod compendioſa via ad ſtudium Evangeliorum deduceret, cum brevius eſſet opus, quam integer quatuor ſimul Evangeliorum Textus; addit inſuper, pluſquam 200. ejus Exemplaria e manibus Fidelium ſe retraxiſſe, quatuor Evangeliorum Canonicorum Codice ſubſtituto. Extat in Orthodoxographis & Bibliothecis PP. Harmonia quædam ſive Evangelium, Tatiani quidem nomine inſcriptum; cum autem nullæ in eo genealogiæ deſiderentur (4), argumentum ex eo ducitur apertiſſimum, non Tatiani Opus illud, ſed Ammonii Alexandrini haberi oportere. Quare interiiſſe prorſus noſtra ætate Opus Tatiani creditur; ſaltem Græce ſcriptum nullum extat, namque ejus Germanicam ſeu veterem Allemanicam Verſionem D. Fabricius in Notis ad Evang. Tatiani pollicetur.

31. *Evangelium Thadæi* ſive *Judæ* Gelaſii Papæ judicio apocryphum. An tamen ullum extiterit Thaddæi Evangelium, ambigit Fabricius (5), 1. Quod altum de illo ſit apud Veteres ſilentium, 2. Quod Vincentius Bellovacenſis & vetus Mſ. Abbatiæ Sancti Claudii, loco Thaddæi habent *Matthiæ*, cujus Apoſtoli nomine Evangelium quoddam inſcriptum legitur apud Gelaſium. Quidquid tandem ſit, Evangelium illud Thaddæi penitus ignoratur.

Evangelium Sancti Thomæ tota antiquitate celebratiſſimum, alio titulo, nempe Evangelii Infantiæ Salvatoris, de quo in ſuperioribus, innoteſcit. Sunt qui ſuſpicentur, duo eſſe Evangelia Infantiæ, alterum apud Gnoſticos vulgatum, aliud apud Manichæos. S. Auguſtinus ſententiam quamdam ex Libris apocryphis Manichæorum laudat, non aliunde facile, quam ex eorum Evangelio decerptam. Quærunt a Jeſu Chriſto Apoſtoli, quid de Prophetis reputandum ſit; quibus ipſe reponit: *Dimiſiſtis vivum qui ante vos eſt, & de mortuis fabulamini* (6).

32. *Evangelium Valentini* (7), ſeu potius Valentinianorum, nullum enim a Valentino ſcriptum Evangelium uſpiam legimus. Porro idem eſſe opus credimus ab Hæreticis illis Evangelii veritatis titolo inſcriptum, de quo Sanctus Irenæus lib. 3. c. 13. *Qui ſunt a Valentino, intantum proceſſerunt audacia, ut quod ab his non olim conſcriptum eſt, veritatis Evangelium titulent, in nihilo conveniens Apoſtolorum Evangeliis.*

Inde facile Hæretica illorum dogmata exſcripſit Sanctus Epiphanius (8). Ita vero opus illud exordiebatur. *Apud animales, apud carnales, apud mundanos, apud exaggeratam animi vim, Nus numquam deſinens perpetuis ac numquam deſinentibus, ſalutem. Equidem eorum, quæ neque nominari nec explicari oratione poſſunt, quæque cœleſtibus ipſis ſuperiora ſunt, mentionem apud vos inſtituam, quæ neque Principatus, neque Poteſtates, nec quæ illis ſubjecta ſunt, neque aliud quidquam intelligentia poteſt conſequi &c.* Reliqua ejuſdem erant ſaporis; abſurda præter fidem continebant, apta ſimplicibus rerum mirabilium narratione, fallendis. Doctrinam ſuam didiciſſe ſe Valentinus ex Theuda Diſcipulo Sancti Pauli jactitabat (9).

33. *Evangelium Vitæ* ſeu *Vivum*; Manichæis probatum (10), apud Veteres nonnullos memoratur (11), nihil niſi nomen de illo uſpiam supereſt. Porro vulgatum erat pariter ab illis Hæreticis Evangelium, S. Thomæ, Infantiæ Salvatoris, & alterum Scythiani cujuſdam viri Ægyptii, ac tandem alterum inſcriptum *Adda* ſive *Medien*; quæ omnia ætate noſtra penitus ignorantur.

34. *Evangelium S. Philippi* Manichæis familiare, quantum colligimus ex anathematiſmis, quibus renunciantes olim eorum ſacris hæreſim ejurabant. Erat etiam alterum Evangelium ejuſdem nominis Gnoſticis probatum, cujus fragmentum iſtud refert S. Epiphanius Hæreſ. 26. num. 13. *Mihi Dominus aperuit, quibus anima verbis uti, cum in Cœlum aſcendit, ac quemadmodum unicuique Cœleſtium Virtutum reſpondere debeat: nimirum: Ego me ipſam agnovi, atque undequaque collegi, neque Principi* (Mundi, Dæmoni) *filios genui; ſed ejus radices extirpavi, ac diſſipata membra in unum coegi; teque adeo qui ſis novi: ſum enim e Cœleſtium numero. Atque hoc modo illa dimittitur. Si autem ſobolem propagaſſe reperitur, tamdiu infra detinetur, donec filios ſuos recipere potuerit, & ad ſemetipſam attrahere.* Facili prorſus opera eorum verborum ſenſum interpretari & occulta iniquitatis Gnoſticæ myſteria reſerare quis poſſet; ſed pudor vetat; Videſis S. Epiphanium *Hæreſ. 26.*

35. *Evangelium S. Barnabæ* inter Apocrypha a Gelaſio Papa rejicitur. Memoriæ proditum eſt, ann. 488. in Inſula Cypro inventum Sancti Bartholomæi corpus, atque ſuper jacentis pectus poſitum Librum, quem ejus Apoſtoli manu ſcriptum ferunt (12). Porro in Codice illo Evangelium Hebræum S. Matthæi deſcriptum aliqui affirmarunt (13); cum interim alii Verſionem Græcam ejuſdem Evangelii maluerint (14); alii Evan-

(1) *Hæreſ. 26. n. 2.* (2) *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 4. cap. 29.* (3) *Victor Capuan. Præfat. ad Harmon. Tatiani.* (4) Legas illas deductas *cap. 5.* (5) *Fabric. de Apocryph. N.T. pag. 136. not. ad Gelaſ. decretum* (6) *Cont. Adverſar. Legis & Prophet. lib. 2. cap. 4.* (7) *Tertull. de Præſcript. adverſus hæreſ. cap. 47. Evangelium habet etiam ſuum* (*Valentinus*) *præter hæc noſtra.* (8) *Hæreſi 31.* (9) *Clem. Alex. Strom. l. 7. pag. 764.* (10) *Vide Timoth. Conſtantinop. libro de his, qui ad Eccleſiam accedunt. Anathematiſ. Manich. apud Coteler. tom. 1. Patr. Apoſtolic.* (11) *Phot. Cod. 85. & M.S. contra Manich. l. 1. apud Fabric. de Apocryph. N.T. pag. 141. & 381.* (12) *Theodor. Lector l. 2. Cedren. &c.* (13) *Sigebert. Gemblac. ann. 489.* (14) *Caſaubon. in Baron. cap. 12.*

Evangelium S. Marci [1]. Quod autem a Gelaſio cenſura nullum eſt Evangelium, alterum plane fuiſſe Librum oportet; facile ab Hæretico quodam Authore ſcriptum. Fateri tamen cogimur, nihil ſatis certi de Opere a Gelaſio notato conſtare.

36. *Evangelium S. Jacobi Majoris*, in Hiſpaniis, uti ferunt, inventum A. 1595. a Bivario [2]. Porro ille eodem anno reperiſſe dicitur Codicem illum in monte Granatenſi una cum ſacris Lypſanis Teſiphontis, & Cæcilii diſcipulorum S. Jacobi, atque 58. Codicibus plumbeis in laminis deſcriptis, quarum aliquæ exaratæ oſtentantur ipſius Apoſtoli manu. Inventa inter cetera Miſſa Apoſtolorum una cum Cæremoniali S. Jacobi & hiſtoria quadam Evangelica. Sed ſcripta hæc omnia Innocentius XI. A. 1682. cenſura inuſſit.

37. *Evangelium Judæ Iſchariothæ*, commentum Cainitarum, & abſurdæ illius Hæreſeos propugnaculum [3]. Porro Hæretici illi virtutem agnoſcebant quamdam ipſo Creatore, quem inferiorem virtutem appellabant, præſtantiorem, ſapientiæ titulo inſignitam. Hanc ſupremam virtutem notam habuiſſe viros impietate ſua in veteri Teſtamento notiſſimos, Cainum, Core, Sodomitas, & ipſum pariter Judam defendebant; addentes quoque bellum eorum opera adverſus virtutem Creatoris pro defendenda ſuperiori virtute ſuſceptum. Quo igitur abſurda hæc dogmata ſua fidentius venditarent, Evangelium Judæ procuderunt, totum illud iniquitatis myſterium, ab ipſo Juda tantummodo inter omnes Apoſtolos agnitum, exponens. Periit Opus, apud Veteres quidem frequenter memoratum; ſed æterna dignum oblivione.

38. *Evangelium Veritatis*, alius eſt Evangelii Valentinianorum titulus, quemadmodum in ſuperioribus art. 33. innuimus.

39. Mentio eſt apud Veteres de Pſeudoevangeliis interpolatis a Leucio, Luciano, Seleuco, & Heſychio [4]; quorum non integra erant procuſa Opera, ſed genuina Evangelia Sacrorum Scriptorum eorum fraude corrupta. Si vero nova erant Evangelia, hæc cum aliquo ex ſuperioribus a nobis deſcriptis confundebantur. D. Grabe [5] reperiſſe ſe in Bibliotheca Corporis Chriſti Oxonienſi teſtatur Codicem Pſeudoevangelii Leocii, cujus refert fragmentum totidem verbis in Evangelio Infantiæ recurrens; quo ſcilicet narratur fabella de Jeſu, qui ad Ludi magiſtrum addiſcendis litteris miſſus, quæſtionibus propoſitis habere, ſe unde Doctorem ſuum inſtrueret, demonſtravit.

Hæc habuimus quæ de Apocryphis Evangeliis apud Veteres occurrentibus diſſereremus. Odium, quo ſcripta illa Eccleſia ſemper proſequuta eſt, & contemptus, quo ſemper rejecit, id tandem effecerunt, ut æternæ tradita oblivioni tandem interirent. Cujus quidem jacturæ ſi ex fragmentis in Diſſertatione hac noſtra relatis argumentum capere licet, nullo mœrore affici nos oportet; & ſi nullos alios nacta eſſet Eccleſia noſtræ ætatis Hæreticos adverſarios, quam quos in ſuperioribus memoravimus, quieta ſatis ſibi eſſe omnia reputaret. Sed ea erant Eccleſiæ illius tempora, ut nihil maxime laborandum ſibi Diabolus ſuſciperet, quam ut odium & contemptum in illam creans, exteros ejus adverſarios incitaret.

DISSERTATIO

In Magos, qui Jeſum adoraturi venerunt.

MAGORUM ad cunas Jeſu Chriſti adventus & præſtita ab illis Divino Infanti adoratio, inter prodigia N. T. primas jure meritoque tenet; tum & argumentum eſt plane ad evidentiam Divinitatem Jeſu Chriſti demonſtrans; ac tandem relatum fidei & gratiæ inſignem triumphum prædicat, ait S. Chryſoſtomus Hom. 6. in Matth. Fulgens illud, quod intuentium oculos perſtrinxit, ſidus nova luce & mentem irradiavit, & ſpiritum novo incendit ardore, quo & de ortu novi Regis monerentur, & ad novum longum æque ac periculoſum iter ſuſcipiendum Magi animarentur. Opportunum tunc ſuccurrit vetus illud ante 1500. annos prolatum a Balaamo Oraculum; *Orietur ſtella ex Jacob, exſurget virga de Iſrael* [6]. Gratia pariter eorum mentibus affulſit, cujus luce indicatum ab aſtro Regem illum, de quo in Oraculo, noverunt. Venientes igitur Jeroſolymam nihil veriti, de novo Rege nunciari ſibi aliquid quæſierunt; comperto Bethleem Oraculis Prophetarum locum eſſe Meſſiæ cunabulis deſignatum, eo ſtatim ſe conferentes Infantem nacti ſunt, pauperem, imbecillem, & nulla Regiæ dignitatis præferentem inſignia: illi accidentes proni adorarunt, muneribus etiam in obſequii ſui pignus oblatis. Quale, rogo, exemplum fidei illuſtrius; quale majus inſigniuſque prodigium?

Totam hic ejus rei hiſtoriam examinandam non ſuſcipimus, iis tantum contenti, quæ ad Magos ipſos, eorum regionem, & ſidus pertinent.

Magorum nomen generatim uſurpatur de præſtigiatoribus quibuſdam, divinis, genethliacis, & ſomniorum interpretibus, vel etiam de Sacerdotibus & Divinis Perſarum, qui potiſſimum Magorum nomine deſignabantur. Ejus ethymon derivatur ex Hebræo *Moug* ſive *Mag*, diſſolvi, diffluere, & figurata locutione animis cadere [7]. Habebatur enim perſuaſum, Magiam terrorem in armatos injicere, & adverſarios ſuos artibus, quibus pollebant, in fugam vertere Magos valuiſſe. Deducunt alii ex Hebræo *Hugah* [8], ex quo *Mehagah*, meditari, muſſitare, & intra dentes loqui; ſolent enim Magi preces ſuas obmurmurare.

Veterum plerique tradunt [9], Magos Perſarum ex inceſtu filii cum matre, ſive patris cum filia, quod familiare erat, nec inauſpicatum apud illos, natos eſſe oportere. Theologiæ potiſſimum, & Religioni operam navabant; fungebantur enim Sacerdotis, & Divinorum apud Perſas munere [10], quod ampliſſimum erat apud eas gentes, & maximæ æſtimationis, ut eorum diſciplinæ inſtituendos ſe tradere Reges ipſi juberentur (11). Inter Aulicos Principis ſedebant (12); nihilque, quod ipſi non probarent, ratum habebatur; pœnas pro arbitrio, & præmia diſpenſabant. Cambyſes in expeditionem Ægyptiacam profecturus, Imperii adminiſtratores reliquit; iique fatis functo, ſupremam invadentes authoritatem, temporis aliquo ſpatio regnarunt.

Divitias plerumque Magi contemnebant, & ab home-

(1) *Græci in Synaxario.* (2) *Bivar. ad Chron. L. Dextri an. 37.* (3) *Iren. l. 1. c. 35. contra hæreſ. Epiphan. hæreſ. 38. n. 1. Theodoret. hæretic. Fabul. tom. 1. c. 15. Tert. Præſcrip. c. 47.* (4) *Vide Decret. Gelaſii & Epiſtolam tertiam Innocentii III. c. 7.* (5) *Grabe in Iren. l. 1. c. 17.*

(6) *Num. 24. 17.* (7) *Vide Stanlei par. 14. Philoſoph. Perſar. & Cleric. Indic. Philolog. ibidem.* (8) *Vide Iſai. 8. 19.* (9) *Vide Menag. Notas in Laert. Proœm.* (10) *Heſychius.* (11) *Cicero de Divin. l. 1. c. 41.* (12) *Dio Chryſ. orat. Boriſthenica.*

hominum commercio maxime ſecreti; duriſſimum vitæ genus agebant (1), humi enim cubantes, leguminibus victitabant, & caſeo. Veſtibus utebantur albis, parebant viro e ſuo cœtu electo; ne igni traderent defuncta ſuorum corpora, religione abſterrebantur, ne ignem, rem apud illos maxime ſacram, violarent metuentes. Eorum omnia ſtudia potiſſimum ad Magiam collimabant, non atram illam, & diabolicam (*), ſed naturalem. Pandendis futurorum arcanis operam impendebant, ſomnia interpretabantur, utramque hominum fortunam legere ſe in aſtris jactitabant. Nulla erant huic hominum generi Templa, Aræ, Statuæ, neque enim Divinitatem brevi aliquo loco claudi perſuadebantur; ſed perpetuum in atriis ſub dio ignem religioſe detinebant, quæ loca mane ſingulorum dierum adeuntes, atque virgarum faſciculum tenentes, prolixas inſtituebant preces, capite integumento quodam interim operto, unde pendula quædam ad genas, & labia dimittebantur (§). Sacris operabantur in montium cacumine, potiſſimo ad eam rem loco ſelecto. Has autem in ſacris ſervabant cæremonias. Primo Magus tiaram habens in capite, prolixe orabat; poſtea unico clavæ ictu victimam necabat; in fruſta deinde concidebat, partibus in lectulo quodam virentibus herbis contexto diſtributis; tum poſt decantatam Theogoniam, ſive Genealogiam Deorum, victimæ carnem ſibi uſurpabant. Hæc de Magis Perſarum memoriæ prodita ſunt.

Hæc facile ſuccurrebant Veteribus illis, ea perſuaſione ductis, Perſarum Magos Chriſtum Jeſum Chriſti adoraturos veniſſe (2). Magos enim illi veluti Perſarum Philoſophos habebant. Porro ea veterum opinio apud Recentiores pariter non infrequentes obtinuit (3). Magos illos oriundos tradunt Armeni (4) ex vico Maveg, ad lacum Rao in Armenia, quem etiam locum martyrio ſuo conſecraſſe, poſtquam e Bethleem rediiſſent, affirmant. Evangelium apocryphum Infantiæ Salvatoris Diſcipulos Zoroaſtri conſtituit; quare e Perſide appellaſſe Viros illos conſtat. Beda, & Rupertus Abbas (5) id perſuaſum habuiſſe creduntur ex tribus Orbis partibus, Aſia, Africa, & Europa veniſſe. Id ſaltem ab illis Scriptoribus traditum, Magos illos tres Orbis partes deſignare; quod etiam Pictoribus noſtræ ætatis inſinuatum eſt, Æthiopem, Perſam & Græcum, ſive Romanum exprimentibus. Vetus Author (6) inter Opera S. Auguſtini, ex ultimis Æthiopiæ finibus accerſit; Author Operis de Mirabilibus S. Scripturæ quæſt. 4. (7) e terra Evilath; Tertullianus e Regione Damaſcena (8).

Sed ex his conjecturis pleræque defendi vix poſſunt; neque Africa, neque Ægyptus, neque Æthiopia regiones ſunt Judææ orientales; Armenia, & Damaſcus ad meridiem eamdem regionem ſpectant. Quod ad Magorum nomen pertinet, unde arceſſendi viros e Perſide maxima conjectura, nullum eſt pro ea ætate argumentum; ex quo namque Perſarum Imperio ſub Cyro, ejuſque ſucceſſoribus, major orientis portio acceſſit, Magorum nomen prorogatum eſt ad Sacerdotes, & Divinos omnes, qui ad ſubjectas Imperio Perſarum gentes pertinebant. Quare nomine illo æque cenſebantur Vates Chaldæi, Arabes, & aliorum populorum; nec plane alio ſenſu, quam qui ætate illa obtinebat, nomen illud Magorum uſurpaſſe creditur S. Matthæus, ut proinde nihil aliud eo deſignare voluerit, quam viros Sapientes, qui aſtrorum obſervationibus futurorum auſpicia captare noviſſent.

Quæ noſtra conjectura duplici potiſſimum ratione probatur: prima ex Regione, unde viri moviſſe perhibentur; ſecunda ex ſtudio ſapientiæ, quod profitebantur, deducta. Venerunt igitur ex Oriente (9), eademque qua Balaam profeſſione cenſebantur, Balaam, inquam, qui novi ſideris ortum vaticinatus fuerat; cum illi novi pariter ſideris aſpectu ad Bethleem invitati veniſſent. Porro in Scriptura Orientis nomen plerumque uſurpatur de Arabia deſerta, Meſopotamia, & Chaldæa, Balaam ad Arabiam deſertam pertinebat, ubi nec Magorum nomen ignotum, quo titulo cenſebantur homines ſapientiam profeſſi, & qui futurorum arcana pandere noſſent. Sed hæc fuſius demonſtranda. Ipſe de ſe Balaam teſtatur, veniſſe ex Aram de montibus Orientis (10); erat autem incola *Pethoro ad fluvium filiorum populi ſui* (11), nempe *Pethoro* vel *Pátora* ad Euphratem. Illam ſupra ſeu trans Meſopotamiam Euſebius (12) conſtituit; an vero cis vel ultra amnem ſita eſſet, eo tacente, incertum; mallem tamen ultra, & in Syria, vel Arabia deſerta collocare.

Porro regiones iſtæ omnes Orientis nomine in Sacra Scriptura deſignantur. Iſaias (13) verba de Abrahamo faciens: *Vocans ab Oriente avem* (Hebr. juſtum) *& de terra longinqua virum voluntatis meæ, & locutus ſum, & adducam illum*: quibus verbis vocatus Abraham ex Ur Chaldæorum Urbe deſignatur (14). Jeremias nomine filiorum Orientis innuit Arabes Scenitas, & Saracenos (15), quorum nullæ certæ ſedes, nullæ Urbes domuſque, ſed huc illuc errantes diſcurrebant, ſub tentoriis agentes, eamamque attonſam ferebant (16). *Surgite, aſcendite ad Cedar, & vaſtate filios Orientis. Tabernacula eorum & greges eorum capient pelles eorum, & omnia vaſa eorum & camelos eorum tollent ſibi, & vocabunt ſuper eos formidinem in circuitu. Conſurgite, & aſcendite ad gentem quietam & habitantem confidenter; non oſtia nec vectes ei, ſoli habitant: & diſpergam eos in omnem ventum, qui ſunt attonſi in comam.*

Jungit Ezechiel 25. 10. filios Orientis cum Moabitis & Ammonitis tamquam finitimis & limitrophis gentibus; ut proinde eo nomine nonniſi Arabes Scenitas, de quibus modo, deſignaverit. Job Idumææ orientalis incola, ſedem habens in Boſra vel in adjacenti regione (17), deſignatur tamquam vir magnus inter omnes Orientales, i. e. inter Syros, Arabes, & Chaldæos. Non ſemel etiam Prophetæ (18) innuunt, Hebræos captivos ex Oriente, nempe e Chaldæa, in proprias regiones, in Judæam nempe, remeaturos. Eſt itaque cur affirmemus, Arabiam deſertam, Meſopotamiam, & Chaldæam ſingulari Orientis nomine in Sacris Libris deſignari, ut proinde a vero non abhorreat, Magos ex iiſdem regionibus in Judæam veniſſe.

Secunda, qua movemur, ratio ex eo deducitur, quod viri illi ſapientiam profiterentur, quemadmodum & nomine ipſo Magorum ſatis exprimitur. Porro familiares fuiſſe apud Chaldæos viros ſapientiæ profeſſores, qui futurorum arcana reſeranda ſuſciperent, tam ſcitum eſt, quam quid aliud. Plures horum Divinorum claſſes diſtinguit Daniel, cujus hiſtoria univerſa perpetuum eſt argumentum, ſtudium earum rerum in Chaldæis ad ſenium demonſtrans. Quantum illi momenti collocarent in ſomniorum & prodigiorum interpretatione exempla Nabuchodonoſoris, & Balthaſaris ſatis docent. De Sapientibus Chaldæorum plura legas apud Prophanos; ejuſque gentis philoſophiæ retexendæ D. Stanley decimam tertiam partem hiſtoriæ ſuæ philoſophicæ impendit. Arabes & Idumæi, Orientalium nomine in Scriptura noti, ſapientia & ſublimium rerum cognitione pluri-

mum

(1) *Laert. in Proœm. Hieronym. l. 2. contra Jovinianum.* (*) *Laert. in Proœm. ex Dinonis Perſicis.* (§) *Vide Herodot. l. 1. c. 131. & Strab. lib. 15.* (2) *Chryſoſtom. hom. 7. in Matt. Author. Oper. imperfect. Cyrill. Alex. lib. 4. in Iſai. Juvencus Poeta, Clemens Alexand. l. 1. Strom. Baſil. de humana Chriſti Nativitate, Theophylact. in Matth.* (3) *Maldon. Spanhem. Druſ. Genebr. Petav. Scalig. alii in Num.* (4) *Chardin. Itiner. Perſic. tom. 3. pag. 131. Gallice.*

(5) *Beda & Rupert. in Matth. 2.* (6) *Serm. olim 9. de Sanctis, nunc 128. in Appendic.* (7) *Inter Opera ejuſdem Patris.* (8) *Tertull. contra Judæos.* (9) *Matt. 2. 1. Ecce Magi ab Oriente venerunt Jeroſolymam.* (10) *Num. 23. 7.* (11) *Num. 24. 5.* (12) *Euſeb. in locis.* (13) *Iſai. 41. 2.* (14) *Vide Geneſ. 15. 7.* (15) *Jerem. 49. 28.* (16) *Herodot. lib. 3. capit. 8.* (17) *Vide Commentar. in Job 2. 3.* (18) *Iſai. 43. 5. Baruc. 4. 37. & 5. 5. Zachar. 8. 7.*

mum inclatuerant. *Numquid non ultra eſt ſapientia in Theman?* air Jerem. 49. 7. Porro Theman urbs eſt in Idumæa Meridionali; & Abdias ver. 8. *Perdam Sapientes de Idumæa*. Inter Sapientes Orientales non infimum locum renebant Job & ceteri ejus Amici. De Salomone memoriæ proditum eſt, omnibus Orienralibus Sapientiæ laude præſtitiſſe: ipſos etiam Philoſophos ſuos ex commercio & doctrina Sapientum Orientalium profeciſſe plurimum, ipſi ſua confeſſione Græci teſtantur. Sapientes Arabes conſuluiſſe Pythagoram Porphyrius eſt author.

Balaam ejus regionis incola, Divinus erat & Propheta Moyſis ætate longe clariſſimus; cujus viri ſucceſſores Magos illos, qui ad Jeſum adoraturi venerunr, Parres & Inrerpreres conſtituunr, addenres pariter, ejus oraculo invitaros Jeroſolymam veniſſe, de novo Rege, cujus ſignum viderant, quæſituri. Ipſi menrem ſuam Magi apertiſſime exponunr: *Ubi eſt, qui natus eſt Rex, Judæorum? Vidimus ſtellam ejus in Oriente* (1).

Ubinam alibi in ſacra Scriptura adventus Meſſiæ exorientis aſtri ænigmate deſignarur? & unde potuiſſent viri alienigenæ novi ejuſdem aſtri aſpectu de adventu Meſſiæ, quem Judæi expectabant, fieri certiores, niſi ex Oraculo Balaam, cujus apud illos rraditio ex patre in filios recepta ſervabatur? Philoſophi Orientis, Chaldæorum, Meſopotamiæ, Arabiæ, Cappadociæ nullo alio ferme quam Magorum nomine [2] ea ætare cenſebantur; eodemque Divinos Babylonios ætare Danielis appellant Septuaginta. Quare a vero non abludit, nomen illud ab Evangeliſta uſurpatum de viris quibuſdam Sapientibus Chaldæis, ſive Arabiæ deſertæ, uno verbo Philoſophis, Ariolis, Balaami gentilibus, ſive patriam ejus regionem ultra, ſive cis Euphratem conſtituamus.

Hanc, quam firmavimus de regione Magorum, opinionem, ſive illos ex Arabia deſerta, ſive ex Chaldæa, ſive ex Meſopotamia accerſamus, neque enim de certo aliquo ex iſtis locis ſatis conſtat, communi Parres [3] & Commentarores [4] ſuffragio fulciunr; qui illud commodi præ aliis accedit, quod Orientis nomen regionibus illis in Scriptura rribuatur. Nec etiam illud ſpernendum, quod ex ea regione paucorum dierum irer ad Jeroſolymam, Urbem per omnes late illas provincias ad Euphratem ſitas notiſſimam, pateat.

Ad profeſſionem Magorum quod ſpectat, nos plane non latet, Patrum [5] quamplures in ea fuiſſe perſuaſione, viros illos Magiam, curioſas arres, diabolicam divinationem, præſtigia, aſtrologiam judiciariam exercuiſſe. Idem etiam vulgo judicium de Balaamo, quem virum Magum, & Idololarram reputabant, Veteres habuiſſe, in Comment. in Num. 22. 5. animadverrimus. Evangelium Apocryphum Infantiæ Salvatoris perhibet viris, ut ad Jeſum veniret, in cauſa fuiſſe oracula Zoroaſtri inclyti Perſarum Philoſophi.

Alia tamen ſedit de profeſſione Magorum opinio apud alios Parres [6] & Commentatores [7] mulros perſuaſos, nihil Diabolicum in eorum ſtudiis reprehendendum, quippe qui magiam tanrum naturalem callerent. S. Epiphanius Epit. Fid. Cath. ad genus Abrahami ex Cethura, cujus filii in Magodia conſederunt, pertinuiſſe autumavit. Prophetas & viros Dei Spiritu afflatos appellat Rupertus Abbas in Matthæum 2. Origenes [8] perſuaſum habuir, Magos illos cum imbecilliorem ſolito Dæmonis in præſtigiis virrutem animadvertiſſenr, ſimulque novum ſubito exortum aſtrum inſpexiſſent, autumaſſe ipſum eſſe ſidus, Balaami oraculo prædictum, tamquam novi Regis orrum annuncians, cujus virrus malis Spiritibus & ſpectris, quos ad id uſque conſuluerant, præſtitiſſet. Ea perſuaſione ducti viæ ſe dare ſtatuerunr, novum Regem adoraturi. Gemina ferme habent S. Baſilius de human. Chriſt. gener. & S. Ambroſius in Luc. l. 2. pag. 1297.

Tertullianus (9) inſinuare videtur, aſtrologicæ ſcientiæ cognirione Magos de adventu Jeſu Chriſti certiores factos fuiſſe. *At enim*, ait, *ſcientia iſta uſque ad Evangelium fuit conceſſa, ut Chriſto edito nemo exinde nativitatem alicujus de Cœlo interpretetur*. Opinionem de Magis ſuam ex Origene mutuatus apparuit S. Hieronymus in Iſaiæ 19. hæc ſcribens: *Magi de Oriente docti a Dæmonibus, vel juxta prophetiam Balaam, intelligentes natum Filium, qui omnem eorum artis deſtrueret poteſtatem, venerunt Bethleem.* Propius ramen vero nos arbitramur, Magos illos viros fuiſſe Sapientes, veri Dei cultores, qui, uti de Job & ejus Amicis, aliiſque facile pluribus memoriæ proditum eſt, Legem ſcriptam ceteroſque Hebræorum rirus ignoranres, Deum tamen ſupremum rerum arbitrum venerabantur, & Dominatorem illum a Balaamo prædictum opperiebanrur. Porro Orienrem univerſum per eam ætatem arrectum fuiſſe in expectationem Regis cujuſdam, qui e Judæa veniens, totum ſuo Impero mundum rributarium facturus fuiſſet, ex Joſepho de bello, lib. 7. cap. 12. & prophanis Authoribus (10) comperrum habemus. Regionis ſuæ obtinuiſſe principatum rres illos (11) (rres enim (12) numerant) vulgo traditum eſt. Nihil tamen adeo certum ea de re apud Veteres. Laudatur quidem pro Regia illorum dignitate Tertullianus (13); ſed ille poſt laudatum illud Pſal. 71. 10. *Reges Arabum & Saba dona adducent*; addit tantummodo: *Nam & Magos Reges fere habet Oriens*. Nihil hic ego moror hanc ejus opinionem, Reges nempe Orientales plerumque e Magis conſtitui, quod ſane incertum eſt, &, ne quid gravius dicam, ambiguum. Verum illud mihi affirmandum ſuſcipio, regiam Magorum dignitarem, ſi hoc tanrum probetur argumento, futilem eſſe & fabuloſam.

S. Hilarius lib. 4. de Trinit. n. 38. quem alterum pro ea opinione laudant, magis ambiguus eſt Tertulliano, ita enim habet: *In Principum labore totius Ægypti labor demonſtratus eſt*: alludit his verbis ad illud Iſaiæ 45. 14. quo Ægyptus, & Æthiopia Domino laboraſſe perhibentur. Addunr ejus ſententiæ patroni S. Chryſoſtomum hom. 6. in Matt. Authorem Operis Imperfecti, Sanctum Baſilium Homil. de ortu Salvar. Hieronymaſtrum in Pſalmum 71. ſed nihil apud illos huic opinioni ſatis favens.

Author Sermonis de Baptiſmo, S. Cypriani nomine laudatus (14), Magos diſerte Reges appellar; ſed Operis hujus Author habendus eſt Arnaldus Abbas Bonævallis, S. Bernardi amicus. Author ſermonum ad Fratres in *eremo*, ſub S. Auguſtini nomine latens ſerm. 43. eodem illos titulo donat; ſed recenriſſimum eſſe Scriptorem, ſæculum 13. vel forte 14 non excedentem, ambi-

(1) *Matt. 2. 1. 2.* (2) *Vide Plin. l. 30. c. 1. Grot. ad Matt. 2.* (3) *Tertull. contra Judæos, & l. 3. contra Marcion. Juſtin. Dialog. cum Tryphon. Epiph. Epitome fidei Catholic. alii nonnulli.* (4) *Toſtat Mariana, Barad. Grotius, Cornel. a Lapide, Ligfoot.* (5) *Ignat. Epiſt. ad Epheſ. Juſtin. Dialog. cum Tryph. Origen. homil. 13. in Num: & lib. 1. contra Celſum. Ambroſ. lib. 2. in Luc. Tertull. de Idololatr. Baſil. de humana Chriſti Nativitate. Hieronym. in Matth. 2. & Iſai. 19. & 48. Hilar. lib. 4. de Trinit. num. 36. Aug. ſerm. 2. & 5. de Epiphan.* (6) *Hieron. in Dan. 2. Conſuetudo & ſermo communis Magos pro maleficis habet, qui aliter habentur apud gentem ſuam, eo quod ſint Philoſophi Chaldæorum & ad artis hujus ſcientiam Reges quoque, & Principes ejus gentis omnia faciunt. Vide Author. Oper. Imperf. in Matt. & Author. QQ. ex N. T. q. 63.* (7) *Vatab. Brugen. Hamm. Janſen. Ypreaſ. Eraſm. Ligfoot. Maldonat. &c.* (8) *Orig. l. 1. contra Celſum, Vide & hom. 13. in Num.* (9) *Tertull. de Idololatria.* (10) *Tacit. lib. 5. Sueton. in Veſp.* (11) *D. Thomas, Strabus ſeu Gloſſ. ordinar. Alber. Magn. Lyran. Carthuſ. in Matt. Incognitus in Pſal. Mald. alii plerique.* (12) *Leo Ser. 1. 4. 5. 6. 7. 8. de Epiphan. ſerm. 133. & 136. Append. t. 5. S. Auguſt. Beda, Rupert.* (13) *Tertull. contra Judæos, & l. 3. contr. Marcion.* (14 *Cyprian. ſeu Arnald. Abb. Bonævall. ſer. 2. de ſeptem Cardinal. operibus. Non ſatis eſt quod Angeli locuti ſunt, quod apparuit ſtella Regibus.*

embigit nemo. Ambroſiaſter Serm. ta. trium Regum nomine eoſdem viros deſignat: ſed ſcriptum illud ad S. Cæſarium Arelatenſem ſæculi 6. Scriptorem pertinet, quin & Regum titulus recentiori mano adjectus in Codice videtur. Paſchaſius Radbertus in Matt. 2. noni ſæculi Scriptor, & Abbas Corbejenſis, *Magos*, ait, *Reges extitiſſe, nemo qui hiſtorias legit Gentilium, ignorat*. Theophylactus apud Græcos pro Regia dignitate Magorum merito laudatur (1): ſed poſt ipſum Nicephorus viros eſſe tantum ſcientia illuſtres, & potentes ſcribit (2). Hæc majoris momenti pro hac opinione apud Veteres Recentioreſque occurrunt.

Si Eccleſiæ plurimum intereſſe arbitreremur, ut dignitas hæc Regis Magorum aſſereretur, nos certe operam in hanc rem noſtram collocaremus. Cum autem neque Scripturæ, neque vetuſtiſſimi quique Patres ſatis expreſſum aliquid de re tradiderint, nihilque certi definierit Eccleſia, data ſingulis poteſtate, ut ejus veritatem pro arbitrio defendant rejiciantque; illud nobis fatendum arbitremur, Regiam hanc dignitatem, quæ firmo nullo argumento fulcitur, ſatis certam aſſertamque non reputandam. Olim quidem apud Parſas ſumma erat Magorum authoritas, quorum inſtitutioni ipſi pariter Reges tradebantur: ſed regiam penes illos dignitatem fuiſſe uſpiam nullibi legimus, cum maxime J. C. ætate nulla eſſet regio neque in Perſide, neque in Chaldæa, Meſopotamia, vel Arabia, ubi Reges Magi appellarentur, ſiva Magorum profeſſio ad Regnum obtinendum neceſſaria reputaretur.

Magorum numerus longa jam ætate ad tres definitus. Id tamquam certum ubique conſtituit S. Leo (3): luculenter adſtruit S. Cæſarius ſerm. 139. App. S. Auguſtini. Paria leges in duobus ſermonibus S. Auguſtini nomine inſcriptis (4), quorum priori alibi præfixum eſt nomen Euſebii Emiſſeni, alteri S. Leonis in omnibus MSS. (5). Beda, Rupertus Abbas (6), & Commentatorum poſt illos turba, quin & communis, atque uoice noſtra ætate ferma in Eccleſia recepta ſententia paria docent. Id autem ſtatuendi conjecturam præbuerunt tria munerum genere, aurum, thus, & myrrha a ſanctiſſimis illis viris J. C. oblata (7): ſinguli enim peculiare munus exhibuiſſe creduntur.

Sed communis noſtra ætare ſententia non ſemper in Eccleſia recepta eſt. Author Operis Imperfecti in Matth. hom. 2. ex verarum quorumdam Apocryphorum Librorum; quibus Seth nomen præfixum erat, authoritate refert, duodecim fuiſſe Magos, ex univerſo populo ſuo lectos, atque plurium ſæculorum ſucceſſione ex patre in filios deſtinatos, ut Cœli aſſidua inſpectione exortum novi ſideris a Balaamo prædicti explorarent. Porro ad eam rem in præalta montis ſpecula conſtituti, Cœlum numquam non inſpectabant, donec tandem voti ſui compotes poſt tot elapſa ſæcula facti ſunt. Author Gloſſæ ordinariæ nihil certi definiens, magno numero fuiſſe perhibet.

Nomina quædam Magis iſtis noſtra ætate traduntur toti incognita antiquitati: appellant enim *Gaſparem*, *Melchiorem*, & *Balthaſarem*, quæ ſane recentiſſima ſunt nomina, & nullius fidei, quemadmodum aliæ quædam relata ab aliis fidei pariter ſubleſtæ Authoribus. Ita appellatos Græcis nominibus traduot, *Magalat*, *Galgalat*, *Saracin*: Hebraicis vero *Apelliam*, *Amerum*, *Damaſcum*, quæ ſane commenta ſunt hominis Hebraice, & Græce æque imperiti. Nominant alii *Atorem*, *Satorem*, *Paratoram* (8): ludibria omnia, & minime ante duodecimum ſæculum procuſæ fabellæ.

Author Operis imperfecti in Matthæum hom. 2. narrat, S. Thomam in Perſide Magos nactum inſtituiſſe, Baptiſmo initiaſſe, & in Evangelio enunciando ſocios adhibuiſſe. Ferunt, martyrium conſummaſſe in Urbe quadam Arabiæ; in Magog Armeniæ malunt Armeni. Sacra eorum lypſana Coloniæ monſtrantur, & ſingulari coluntur honore. Hæc habuimus, quæ de Magis memoria digna ſcriberemus.

Quo potiſſimum tempore in Judæam venerint, non una eſt Chronologiſtarum ſententia. Totus autem controverſiæ cardo in eo ſitus eſt, unde potiſſimum Viri illi ad incunabula Jeſu Chriſti deducantur. Qui enim in Perſide (*) ſtatuunt, biennii iter venientibus aſſignant, tamquam certum conſtituentes, novum aſtrum biennio ante natum Chriſtum micuiſſe, juxta illud Evangelii narrantis, Herodem pueros omnes in Bethleem & in finibus occurrentes a bienno & infra, *ſecundum tempus quod exquiſierat a Magis*, trucidari mandaſſe (9). Alii vero biennium ejus itineris a nato Chriſto exordiuntur, eo primum temporis articulo micuiſſe aſtrum autumantes (10). Alii tandem ipſo nati Chriſti tempore apparuiſſe ſidus contendentes, 13. dierum itinere Bethleem viros deducunt; quo vero totam a Perſide in Bethleem viam tam brevi temporis ſpatio decurriſſe facilius demonſtrent, iter habitum dromedariis camelis perniciſſimis ſtatuunt.

S. Chryſoſtomus (*) nihil de tempore, quo Jeroſolymam pervenerint, definiens, nulloſque ſibi biennii fines præſcribens, notat, ſidus paulo ante exortum Chriſtum apparuiſſe, Herodem vero majori, quam pro neceſſitate atque tempore exorti ſideris, cautione, nequid ſibi deeſſet, biennales pueros trucidandos edixiſſe. Non defuerunt qui crederent, ſidus illud ipſo Incarnationis Filii Dei tempore paruiſſe (11): malunt alii tempore concepti Sancti Joannis Baptiſtæ (12). Certum tamen ſuſcepti a Magis itineris tempus definire audet nemo; cum tamen plerique totum ejus itineris ſpatium intra 13. dies poſt exortum Chriſtum concludant. Porro ſi e regione ad Euphratem, nempe e finibus Parthiæ, ſiva e Chaldæa, vel Babylonia deducantur, viginti ad minus itineris dies, prolixæ adeo viæ per mediam Arabiam deſertam, camelis in ea regione familiaribus, conficiendæ impendiſſe illos reputandum eſt, diſtat enim ab Euphrate Jeroſolyma non minus quam 200. leucarum intervallo.

Modo aliqua de ſidere, quod viam Magis ſignavit, & nuncium adventus Meſſiæ attulit, dictum proinde ab Auguſtino (13), *Magnifica lingua Cœli*. Veteribus nonnullis traditum eſt, novum illud fuiſſe creatum in Cœlo aſtrum, ut exorti Meſſiæ nuncium mortalibus veniret (14): ſuſpicantur alii, cometæ inopinato in aere apparentis ſpeciem prætuliſſe (15). Autumavit Lightfootus (16), eamdem lucem, quæ Paſtoribus prope Bethleem emicuerat, viam procul a Magis in Judæa, cui imminens regioni videbatur illos invitare. Non defuerunt qui crederent, Angelum lucido quodam corpore inſtar ſideris aſſumpto,

(1) *Theophylact.* in *Matt.* 2. (2) *Hiſt. Eccleſ. l.* 1. *c.* 13. (3) *Leo Magn. ſerm.* 1. 4. 5. 6. 7. 8. *de Epiphan.* & *Epiſt.* 16. *cap.* 2. (4) *Serm.* 136. *Append. alim.* 29. *de temp.* (5) *Serm. nunc* 133. *append. tom.* 5. *olim* 32. *de tempore.* (6) *Beda, Rupert. in Matt.* 2. (7) *Matth.* 2. (8) *Vide Caſaubon. in Baron. Bolland. Maji. tom.* 1. *p.* 7. 8. (*) *Quidam apud Theophylact. Auctor ſerm.* 131. & 132. *in Epiphan. appendic. tom.* 5. *S. Auguſ.* (9) *Matth.* 2. 16. (10) *Epiphan. hæreſ.* 51. *Euſeb. ſeu Hieronym. in Chronic. Nicephor. lib.* 1. *cap.* 13. *Beda alii.* (*) *Chryſoſtom. hom.* 7. *in Matth.* (11) *Bolland. April. tom.* 1. *pag.* 8. *Maji tom.* 1. *pag.* 7. (12) *Bolland. Maji tom.* 1. *Supplement. pag.* 519. 520. *Toynard. Harmon. Evangel. ann.* 1. *ante Chriſti nativitatem, art.* 3. (13) *Auguſt. tom.* 5. *ſerm.* 200. *nov. edit. olim* 30. *de Tempore. Quid eras niſi magnifica lingua Cœli?* & *ſerm.* 203. *alim* 64 *de Diverſ. initio: Stellam ſibi apparentem, pro infante verbo viſibiliter loquentem velati linguam Cœli ſecuti ſunt,* (14) *Leo Mag. ſerm.* 2. *de Epiphan. Chryſoſt. in Matth. hom.* 6. *Baſil. de hum. Chriſti nativitate, Ambroſ. lib.* 2. *in Luc. c.* 2. *Author de Mirabilib. Sacr. Script. Fulgen. hom. de Epiphan. Author ſerm.* 131. *Append. tom.* 5. *S. Auguſt.*

(15) *Origen. libr. contra Celſum, Maldonatus, Grotius Scaligerus.* (16) *Liſgootus, Hor. Talmud.* & *in Harmon.*

ſto; viam Magis in Judæam monſtraſſe (1). Poſtremam hanc ſententiam confirmant S. Chryſoſtomus, Cæſarius, Theophylactus, quippe quibus intelligentia & ratione inſtructum aſtrum credebatur, parens, evaneſcens, iter ſiſtens, proſequens, prout res exigebat.

Author Operis Imperfecti in Matthæum tradit, ſidus illud in montem, unde Cœlum jam inde a pluribus ſæculis Magorum ſuccedentes generationes inſpexerant, deſcendiſſe, atque in medio veluti ſinu puerum exhibuiſſe, cujus capiti crux immineret; ejuſque tandem pueri voce juſſos ad Judæam ſe conferre. Eamdem ex Libro apocrypho Seth traditionem ſecutus eſt S. Epiphanius Hæreſ. 26. & 39. Affirmarunt alii, novum iſtud ſidus ipſum fuiſſe S. Spiritum, qui Magis ſub ea ſpecie ſpectandum ſe præbuiſſet, quemadmodum deinde cum Jeſus Baptiſmo ablueretur in ſpecie columbæ (2). Tanta fulgoris gloria micuiſſe tradit S. Ignatius, ut aſtra omnia vinceret; quin & ſolem, lunam, ceteraque aſtra poſt ſe veluti in obſequium traxiſſe (3), addit ſuo veluti lucis imperio omnia illum habuiſſe ſubjecta, totiuſque mundi oculos in ſui admirationem convertiſſe.

Innotuiſſe etiam aliquid de illo phœnomeno prophanis Authoribus facile credimus. Neque hic moror cometen ſeptem ſuccedentibus diebus Romæ viſum poſt obitum Julii Cæſaris & initum ab Auguſto regnum, cui Templum dedicatum eſt a Romanis, autumantibus Cæſaris ſpiritum in aſtro micuiſſe (4). Non defuerunt quidam ex noſtris, qui ſuſpicarentur, eo præſagio adventum Jeſu Chriſti portendi, quibus tamen ut aſſentiamur longior, inter utrumque illud factum diſtantia temporis prohibet (5). Propius ad rem idem Plinius lib. 2. cap. 25. narrat, paruiſſe cometen argentea coma & rutilantem adeo, ut oculos intuentes ægre admitteret, in quo veluti *ſpecie humana Dei effigies oſtenderetur*.

Eſt quidem locus cuncollis Criticis ſuſpectus, neque contentioſum cum illis trahendum mihi funem ſuſcipio, ut lectionem defendam. En alterum Chalcidii Philoſophi Platonici, & a ſacris Chriſtianis non alieni, cujus certa ætas ignoratur, apertiſſimum ea de re teſtimonium (6). *Eſt alia ſanctior & venerabilior hiſtoria, quæ perhibet, de ortu ſtellæ cujuſdam non morbos morteſque denunciantis, ſed deſcenſum Dei venerabilis ad humanæ converſationis, rerumque mortalium gratiam. Quam ſtellam, cum nocturno itinere ſuſpexiſſent Chaldæorum profecto ſapientes viri, & conſideratione rerum cœleſtium ſatis exercitati, quæſiſſe dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majeſtate puerili, veneratos eſſe, & vota Deo tanto convenientia nuncupaſſe, quæ tibi multo melius ſunt comperta, quam ceteris.*

Verum qua ad naturam ſideris regrediamur, certamque ſeligamus tot inter varias extremaſque ſententias, cuſtodiendum nobis arbitramur, flammeum aliquod phœnomenon in media aeris regione (7), quod Magi ſpectantes, cum res nova & mira omnibus inſpectis circumſtantiis videretur, in ſuſpicionem venerunt, non Balaami oraculum eo veluti ſidere tunc primo exorto impleretur. Quare in viam ſe dare cogitarunt, de novo illo Rege in Judæa naſcituro ſciſcitaturi. De tota re deliberantes advocarunt in conſilium receptam tum temporis per univerſum Orientem de venturo Meſſia opinionem (8), cujus tantum penes illos fuit pondus, ut tandem iter inſtituerent, viam monſtrante flammeo illo phœnomeno, quod, tamquam columna nubis Hebræos (9), pios illos viros deduxit.

An mortalium omnibus obtutibus pateret Magorum illud ſidus, incertum; ſunt qui illis tantummodo viſum autumaverint, (10); addunt alii (11), ſemel tantum, vel iterum lucem illam in ſua regione verſantibus Magis corruſcaſſe, denuo vero ex urbe Jeruſalem egreſſis. Deductos per totam viam præeunte phœnomeno alii maluerunt (12), addentes, lucem ſuam ingredientibus Urbem abſcondiſſe, quod in cauſa fuerit cur de Meſſia Jeroſolymis quærerent. Sunt tandem qui omnium oculis paruiſſe crediderint (13); quod autem ceteri per orbem populi ejus ductum non ſequerentur, id unice tribuendum, ſive interno Spiritus Sancti motioni, qua ſoli inter omnes Magi ad iter pellerentur, ſive quod ejus myſterium ceteros omnes lateret. Venientes Jeroſolymam Magi alte intonuerunt: *Ubi eſt, qui natus eſt, Rex Judæorum? Vidimus ſtellam ejus in Oriente*: quibus verbis mortalibus omnibus ejus aſtri aſpectus permiſſus fuiſſe inſinuatur.

Verum ſi Judæis omnibus ſidus affulſit, ut quid Herodes tanta ſollicitudine tempus illius exorti quæſiviſſet? non abs re igitur ſuſpicamur, ſpectatum in Oriente a Magis in regione ſua verſantibus ſidus, venientes Jeroſolymam uſque ſidum ductorem præceſſiſſe; cum autem Jeroſolymis ſubſiſtentibus aliquamdiu lumen ſuum prohibuiſſet, iterum ſe egredientibus monſtravit, ac Bethleem uſque deduxit; quo cum veniſſent, tamquam munere ſuo functum, evanuit. Reductos quidem in patria Magos ab eodem aſtro Author Evangelii Infantiæ perhibuit; ſed ſubleſtæ fidei Scriptori nulla fides præſtanda. Protevangelium S. Jacobi tradit, ſpecus, ubi Infans jacebat, interiora ſubiiſſe ſidus, atque in ſuperiore ejus parte conſtitiſſe, quandiu Magi ſupplices puerum adorarent (14). Quæ ſi vera ſint, minimum fuiſſe corpus illud lucidum oportet. Plura ea de re ſilet S. Matthæus, quam ut curioſitati noſtræ ſatis habeatur.

Nec magis conſtat de tempore ſpectati a Magis ſideris; neque enim certi quidquam in ea re a traditione ſive ab authoritate reperitur. Paruit ne biennio ante Ortum Chriſtum, an ipſo ejus naſcentis articulo? Hæc omnia æque latent, & operoſior de illis exquiſitio tædium augeret; eam ſeligiam. Profecto ſi Magi ab Perſarum finibus ad Jeſum 13. tantum diebus natum venerunt, diu ejus in mundum adventum præceſſiſſe ſidus credendum eſt; præceſſiſſe etiam reputandum aliquandiu; ſi ex Euphratæa regione ſive Chaldæa moventes, Jeroſolymam die ſexta Januarii venerint, dum tempus nati Jeſu Chriſti conſtituamus die 25. Decembris. Cum tamen ad certam illam diem adventum Magorum in Judæam definire nulla neceſſitate cogamur, ſatis habentes ſi intra totum 40. dierum ſpatium, quo B. Virgo Bethleem ſubſtitit, veniſſe ſtatuantur (legis enim præſcripto (15), tempus illud fœminis puerperis ad purificationem deſtinabatur) poterant iter ſuum confeciſſe ſive die 20. ſive 25. ſive etiam 30. Januarii. Namque die tantum 2. Februarii B. Virgo ad Templum acceedit, & Innocentium cædes, conciſi poſt aliquot dies juſſu Herodis facta eſt; cum Joſephus interim in Ægyptum aufugeret.

Licet autem Eccleſia Latina Feſtum Epiphaniæ cum die ſexta Januarii compoſuerit, non tamen ita reputandum eſt, quaſi tria illa myſteria, quæ unius ejus diei Religione jungit, nempe Magorum adventus, primum in nuptiis Canæ prodigium, & Baptiſmus Jeſu Chriſti, ad unam eamdemque diem reapſe pertineant. Sexta Januarii dies Nativitati

(1) *Itu Evangel. Infantia, Chryſoſt. & Theophyl. in Matt. Author de Mirabilib. Sacr. Script. Cæſar. Dialog. 20. Maldon.* (2) *Quid. apud Author. de Mirabilib. Sacr. Script. apud Aug.* (3) *Ignat. Epiſt. ad Epheſ. Itu Evangel. Infantia* (4) *Vid. Pl. l. 2. c. 25.* (5) Natus eſt enim Chriſtus 41. annis poſt obitum Julii Cæſaris. (6) *Qua vixerit ætate, incertum. Commentarium ſcripſit in Timæum Platonis, ubi hæc omnia legas pag. 19.* (7) *Spanhem. ex Origen. & Auguſ. Brug. Cleric. Author Præadam. lib. 4. c. 3.* (8) *Sueton. in Veſpaſ. Tacit. hiſtor. l. 5. Cicero l. 2. de Divinat.* (9) *Exod. 13. 21.* (10) *Author Præadamit. l. 4. c. 3.* (11) *Baſil. hom. de Human. Chriſt. Nativ. Author de Mirabilib. Sacr. Script. q. 4. Tillemont. not. 11. in Jeſum Chriſt. Toynard. Harmon. Evangel.* (12) *Chryſoſ. hom. 6. in Matt. Author. Oper. imperfecti, Ambr. l. 2. in Luc. 2. Bern. Serm. 4. in Epiph. Aug. Serm. 200. 201. 203. nov. edit. Theophylact. Chron. Alex.* (13) *Evang. Infant. Ignat. ad Epheſ.* (14) Subiiſſe ſpeluncam ſidus non legitur in Græco, ſed in Latina Poſtelli. (15) *Levit. 12. 2. 3 4.*

Ieſu Chriſti ſacra longa ætatē apud Græcos manſit. Noſtræ ætatis Græci ea die nonniſi Baptiſmum I. C. recolunt; cum Magorum adventum una cum Nativitate I. C. eadem die 25. Decembris componant [1]. Non eſt itaque cur præcepto ullo adigamur, ut adventum Magorum Bethleem ad diem 6. Ianuarii definiamus; commodoque proinde itinere licet illos e Meſopotamia, Chaldæa, ſive regione ſupra Euphratem deducere, modo confectum iter illud ſtatuamus, antequam B. Virgo in Ægyptum proficiſceretur.

Quam tenuit S. Matthæus, ejus hiſtoriæ de exortu ſideris narrandæ ratio, duas inter ſe pugnantes ſententias induxit [2]. Perſuaſum habent aliqui, Magos Ieroſolymam venientes vidiſſe ſe in *Oriente* ſeu in Orientali Cœli plaga ſidus deſignaſſe [3]; alii vero non in orientali Cœli plaga, ſed *exoriens aſtrum* aſpexiſſe malunt [4]. Prima tamen verſio pronior eſt; cum maxime Evangeliſta eamdem adhibeat expreſſionem ibidem verſ. 9. ubi vix de exortu ſideris uſurparetur: *Et ecce ſtella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer. Quam viderant in Oriente*, ait, non quam *exorientem viderant*: inepte enim hunc poſtremum ſenſum uſurpaſſet Evangeliſta.

Quo igitur totam hanc diſſertationem in unam veluti ſummam colligamus, ſtatuendum eſt, Magos alios fuiſſe viros a Sapientibus eo nomine apud Perſas jam inclytos; ſed potius eo nomine deſignatos viros ſapientes Arabiæ deſertæ, Chaldææ, Meſopotamiæ, ſive regionum ad Euphratem, qui vatis ſeu arioli Balaami veſtigia relegerent, quique receptum haberent traditione oraculum de novo ſidere, cujus micanti fulgore exortus nunciaretur Rex in Jacob, Gentium omnium ſalus & expectatio. Quare eo viſo ſidere, inquirendum ſibi de novo Rege ſuſceperunt. Potuit etiam id cogitantibus animos adjeciſſe vel S. Spiritus repentinus, in mentem illapſus, vel ſomnium aliquod divinitus immiſſum. Ad phœnomenon quod attinet, non ſidus illud, neque cometen habendum cenſemus, ſed potius meteoron quoddam, brevi diſſolvendum, in media aeris regione inſtar ſideris emicans, & venientibus Jeroſolymam iter monſtrans; cum autem biduo triduove lumen ſuum prohibuiſſet, iterum ſeſe monſtravit, quo Bethleem uſque iter habentes deduceret. Quod autem natale Jeſu Chriſti præceſſiſſe ſtatuamus, ſive intra dies 13. Magorum definiamus iter, vel tandem die 13. à nato Chriſto veniſſe illos fateamur, nihil eſt; ſatis eſt enim, ſi ante quadrageſimam diem, Purificationi B. Virginis in Lege præſcriptam, veniſſe ſtatuantur.

DISSERTATIO

De noviſſimo Paſchate Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

TOT in rem præſentem Scripta poſtremis hiſce annis edita ſunt, ut novi aliquid produci vix ac ne vix quidem poſſit. Quare ſi Sapientibus tantum viris noſtro hoc Opere laboraremus, ſatius profecto duceremus rem totam præterire, hoc tantum vel illud ſyſtema præferre nos indicantes; ſingulis interim relinquentes, ut de ſuo argumenta & conjecturas ſupplerent. Sed cum ultro citroque data de hoc argumento Scripta raris admodum innoteſcant, operæ pretium duxi, ſi mea hac diſſertatione varia ſaltem variorum ſyſtemata in medium producerentur, allatis ſimul, quæ illis probandis deducta ſunt, argumentis.

Recepta apud utramque Eccleſiam Græcam ſcilicet Romanamque, ſententia tenet, celebratum a Jeſu una cum Diſcipulis legale Paſcha veſperis feriæ quintæ die 14 Niſan, tum vero altera die, 15. ejuſdem menſis, ſupplicio crucis affectum interiiſſe. Cœptus inde in Eccleſia Latina mos pane azymo conficiendi myſteria; quod ſcilicet Chriſtus in celebratione Paſchæ, eodem quo Judæi tempore, datum illis de azymis præceptum ſervaſſe crederetur. In hanc ſententiam fruſtra Patrum & recentiorum Interpretum teſtimonia laudarentur; ingenue etenim fateamur oportet, omnes in illam ſummo aſſenſu conceſſiſſe; atque ita de illa in Tridentino conſtitui, quaſi communi Eccleſiæ ſuffragio reciperetur (5).

Quamquam autem hæc ita ſe habent, numquam tamen veluti fidei dogma ab Eccleſia quidquam ea de re definitum eſt; nec religioni ſibi duxerunt viri quidam in primis Catholici nova alia ſyſtemata procudere, ac palam defendere, nulla propterea cenſura ab Eccleſia inuſti, nec offenſionem in ſe ullam ea de re apud religioſos Fideles inducentes. Illorum quidam altera die Jeſum, altera Judæos Paſcha celebraſſe autumarunt; illum nempe feria 5. in veſperam declinante, hos vero feria 6. ſub veſperas (6). Perſuaſum eſt aliis Judæorum aliquos, de quibus mox, feriam quintam, alios vero feriam 6. convivio Paſchali ſolemnem habuiſſe; Galilæos ſcilicet, & Iſraelitas decem Tribuum per Palæſtinam diſperſos feriam 5. Jeroſolymæ & Judææ univerſæ incolas feriam 6. (7).

Celebratum a Jeſu Chriſto legale Paſcha negarunt alii, defendentes noviſſimam illius cœnam vulgare fuiſſe convivium, nihilque a ceteris diverſum. Poſtremam hanc opinionem, non quod ceteris præponenda videatur, ſed quod poſſit in eodem cum reliquis authoritatis gradu conſiſtere, adductis argumentis fulciendam ſuſcipimus. Nec tamen propterea aliorum ſyſtematum rationes aggrediemur refutandas, ſed integrum relinquemus Lectori, ut quaſcumque maluerit partes ſequatur, dummodo id maxime præ oculis habeat, ne quid unquam contra Eccleſiæ ſenſum vel admittat, vel defendat.

Exploratum eſt, *Paſchæ* nomen latiſſimo in Scriptura ſenſu patere. 1. Angeli exterminatoris (8), qui univerſam percurrens Ægyptum ultore gladio, omnes ejus gentis primores natu interfecit, ſolis relictis Hebræis, *Tranſitum* deſignat, quæ potior eſt & litteralis ejus vocis notio. 2. Paſcha eſt etiam *Agnus* (9), quem, memoriam recolentes exempti e gladio Angeli exterminatoris, populi Iſraelis immolare conſueverunt. 3. Obtinuit pariter, ut Feſtum, quo accepti ea occaſione beneficii, liberati nempe ab Ægypto Iſraelis, memoria ad poſteros tranſmiſſa eſt, Paſcha itidem appellaretur (10). 4. Eodem cenſebantur nomine *victimæ omnes* ea die ad ſacrificium deſtinatæ (11); agnus enim in pervigilio ejus diei immolabatur, die nempe 14. atque decima quinta ineunte, ſubeunte nocte

(1) *Vide D. Tillemont. Not. 9. de Jeſu Chriſt.* (2) *Matt.* 2. 2. (3) *Chryſoſt. Malden. Grot. Druſ. Hammon. alii.* (4) *Borremans, & alii quidam.* (5) *Concil. Trident. ſeſſ.* 13. c. 1. (6) *Paulus Burgenſis, Paulus Midelburgenſis, Lucidus, Grotius, Onuphrius, Hentenius, Cornelius Janſenius, Malden. Scalig. Calviſ. P. Lallemant. Laudari etiam poſſunt S. Epiphan. Euthymius Zigaben. de quibus mox.* (7) *P. Harduin. in tract. de Noviſſimo Paſchate J. C. Vide etiam P. Pezron, Hiſtor. Evangelic.* (8) *Exod.* 12. 11. 12. (9) *Exod.* 12. 21. (10) *Exod.* 12. 14. 15. 16. & *paſſim.* (11) 2. *Par.* 30. 22. 23. 24. *Deut.* 16. 1. 2. *Num.* 28. 18. 19.

nocte Paſchale ea illo epulum inſtituebatur. 5. Eodem pariter *azyma*, quæ illis diebus adhibebantur in eibum [1]. 6. Eodem *Agni Paſchalis epulam* [a]. 7. Pervigilium pariter tum & ſeptem illi ſolemnes Paſchæ dies [3]; 8. tandem cæremoniæ rituſque omnes ejus Feſtum præcedentes comitanteſque, Paſchæ nomine deſignabantur; ut *parare Paſcha* perinde habeatur, ac locum Paſchali convivio opportunum inſtruere, victimas comparare, immolationem inſtruere, fermentatum panem ſolerter, an quid ex illo remaneat, exquirere; conficere, decoquere azyma, &c.

Hæc ſimul omnia vel ex his quædam tantummodo præ oculis habuiſſe Evangeliſtas oportet, cum miſſos a Jeſu Diſcipulos ut *pararent Paſcha*, ac reapſe paratum ab illis narrarunt [4]. Uno verbo, ſicut Paſchæ nomen vel ſtricta & litterali ſignificatione, vel vaga & latiori uſurpatur; ita pariter verbum *parare* & proximam aliquam præparationem, & remotam quamdam non incongrue deſignat. Ita cum Moyſis præcepto juſſi ſunt Hebræi in Ægypto verſantes a die 10. Niſan agnum die 14. vel ineunte 15. ejuſdem menſis immolandum parare, agnus ille ea tunc Paſcha appellatur Exod. 12.... 3. 21. & agnum illum ſibi comparare perinde habetur, ac *parare Paſcha*. Nihil autem moror ceteros morales ſenſus eidem nomini tributos; ſcitum eſt enim, Apoſtolum 1. Cor. 5. 7. ita de Jeſu Chriſto loquutum: *Etenim Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus*.

Receptum eſt etiam apud omnes, & ſanctum apud Interpretes, conciliandas inter ſe Scripturas ſibi aſſumentes, ut obſcuris clariorum aliorum textuum collatione lux affundatur, & quod illis deeſt, de aliorum perſpicuitate ſuppleatur, æquivocantes voces certis aliis determinentur; nec unquam committitur, ut inverſo ordine perſpicuis certiſque relictis minus aperta & ambigua præferantur. In eo igitur, quod verſamus, argumento quinque vel ſex occurrunt apud S. Joannem textus, ſi quis alius, perſpicui, ut nihil illis deſit ad evidentiam, apertis demonſtrantes verbis, Jeſum Chriſtum cum Diſcipulis ſuis legale illud Paſcha non celebraſſe. Ut quid igitur tot certis & perſpicuis ejus Evangeliſtæ teſtimoniis relictis, ambigua aliorum Evangeliſtarum ita ſequamur, ut cum facili negotio eum apertis illis conciliari poſſint, inverſo potius ordine clara ad obſcura diſtrahantur? Facile namque tres illi Evangeliſtæ ita exponerentur, quaſi Jeſus Paſchale illud convivium non celebraſſet; cum interim S. Joannes non facile in eam ſententiam diſtrahatur, quæ inſtitutum a Jeſu epulum Paſchale defendit. Porro S. Joannes omnium poſtremus ad ſcribendum ſe conferens, incertum vagumque priorum Evangeliſtarum ſenſum determinavit; nec altero ipſe ſenſu, quam obvio & Lectoribus ultro ſeſe offerente, exponendus eſt.

Luculentum pariter ad eam ſententiam argumentum ex ipſa textus S. Scripturæ ſerie deducitur. Evangeliſtas inter ſe conciliare rem eſſe, ſi aliam unquam, operoſam, ſatis inter omnes arbitror convenire; neque enim alioqui diuturnæ adeo diſputationes invaluiſſent. In tanta autem rerum difficultate ea maxime præferenda hypotheſis videtur, quæ & cetera omnia levat incommoda, & Evangeliſtarum variis locis apprime congruit. Hæc autem maxime in noſtra hypotheſi.

Die Dominica *ante ſex dies Paſcha venit Jeſus Bethaniam* [5], apud Simonem Leproſum [6] cœnaturus; qua occaſione Maria ſoror Lazari pretioſo nardi ſpicati unguento Jeſu diſcumbentis pedes linivit. *In craſtinum* [7], feria nempe 2. & 10. Niſan, triumphantis more Jeroſolymam veniens Chriſtus exceptus eſt [8]. *Cum jam veſpera eſſet hora* [9], ex Urbe digreſſus noctem egit in Bethania. *Mane* [10] feria 3. & 11. Niſan, ad Urbem regrediens in ficulneam foliis veſtitam & fructibus nudam dira imprecatus eſt. *Cum veſpera facta eſſet* (11), in Bethaniam iterum concedit. *Mane* (12) feria 4. & 12. Niſan, *venit rurſus Jeroſolymam*, ſtupentibuſque Diſcipulis de ficulnea ante diris devota, quam pertranſeuntes arefactam offendebant, reſpondit, hæc & majora prodigia illis facienda reſervari, ſiquidem fide valerent. Tota ea dies docendis in Templo turbis exacta eſt.

Inclinante jam die e Templo egredienti (13) monſtrabant Diſcipuli totius ſtructuræ magnificentiam; ſed ille futurum denunciavit, ut tandem omnibus everſis tanti ædificii ne lapis quidem lapidi ſuperſtructus reſtaret. Tum ex Urbe digreſſus, montem Olivarum conſcendit (*). Ea occaſione cum in loco e regione Templi omnes aſſiderent, interrogarunt Jeſum Diſcipuli, quo temporis articulo de everſione Templi oracula implenda manerent? quibus prolixa ſatis oratione, a noſtro argomento aliena, Jeſus reſpondit. *Erat autem Paſcha & azyma poſt biduum* (14): monuitque Jeſus Diſcipulos, futurum ut eo temporis articulo *filius hominis traderetur* ad necem, & crucem.

Mane alterius diei (15), feria quinta, 5. & 13. Niſan, *primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant*, i. e. qua die ſub veſperis inibat dies 14. Niſan, agni Paſchalis immolationi deſtinata, tum & azymorum prima. Porro ea azymorum religio nonniſi poſt meridiem diei 14. cuſtodiebatur, & agnus Paſchalis poſt duas horas a meridie ejuſdem diei immolari permiſſus eſt (16). Cum tamen inſtrui cœnaculum & ab omni repurgari fermento oporteret, neque ea omnia ipſo Paſchæ pervigilio, quo temporis articulo victima immolabatur, præſtari commode potuiſſet, *dicunt ei Diſcipuli: Quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces Paſcha* (17)? non ea die ſcilicet, ſed altera ſubſequente. Miſſi ſunt itaque Petrus & Joannes, ut pararent Paſcha, ea nempe inſtruerent, quæ epulo Paſchali altera die celebrando requirerentur, cœnaculum a fermento repurgabant, parabant menſas, & lectulos &c. Munere ſuo functi Apoſtoli ad Magiſtrum regreſſi omnia in promptu eſſe nuntiarunt. Porro Apoſtolos illos Templum adiiſſe, Paſcha immolaſſe, ne verbum quidem in Evangelio. Quin nec ab alio fieri id oportebat, quam a patrefamilias, ſeu a viro, qui ceteris præerat; quare ipſum Jeſum in Urbem veniſſe, & ſuis ipſum manibus victimam obtuliſſe oportebat.

Veſpere autem facto, ejus ſcilicet diei, feriæ 5. & 13. Niſan, *venit Jeſus cum duodecim, & cum facta eſſet hora, diſcubuit, & duodecim Apoſtoli cum eo* (18). *Ante diem feſtum Paſcha* (19), (animadverte diligenter nondum Paſcha iniviſſe) *cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, ſurrexit, & lavit pedes eorum*. Tum ad ſuos: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum* (20); communicare nempe vobiſcum in cibo Euchariſtico, cujus jam jam inſtituebat myſterium (21); ſive forte verbis illis inſinuavit, optaſſe ſe quidem noviſſimum illud Paſcha, cui altera die celebrando omnia jam erant in promptu, una cum ſuis celebrare; noſſe ſe tamen adverſariorum molitionibus, ne, quod maxime vellet, exequeretur, impediendum; hanc proinde noviſſimam eſſe, quam cum ipſis ageret, cœnam, antequam e mortuis reſurgeret.

Poſt lotos Diſcipulorum pedes (22), iterum Jeſus in eorum verſari cœtu virum proditorem, cujus

(1) *Luc. 22. 1. Dies feſtus azymorum, qui dicitur Paſcha*. (2) *Exod. 12. 43. 44. 45. 47.* (3) *Num. 9. 2. & 33. 2. & 2. Par. 30. 1. 2. &c. Ezech. 45. 21. & in Evangelio paſſim*. (4) *Matth. 26. 17. 19. Marc. 14. 12. 16. Luc. 22. 7. 8. 12. 13.* (5) *Joan. 12. 1.* (6) *Matth. 26. 6.* (7) *Joan. 12. 12.* (8) *Matt. 21. 2. Marc. 11. 11. Luc. 19. 29.* (9) *Marc. 11. 11. Matt. 21. 17.* (10) *Marc. 11. 12. Matt. 21. 18.*

(11) *Marc. 11. 19.* (12) *Marc. 11. 20... 27.* (13) *Matt. 24. 1. Marc. 13. 1.* (*) *Matt. 24 3. Marc. 13. 3.* (14 *Marc. 14. 1. 2. Matt. 26. 2.* (15) *Matt. 24. 17. Marc. 14. 12. Luc. 22. 7* (16) *Exod. 12. 18. 19. Levit. 23. 5. Num. 28. 16.* (17) *Matth. 26. 17. 18. Marc. 14. 13. 14. Luc. 22. 8. 9.* (18) *Matt. 26. 20. Marc. 14. 17. Luc. 22. 14.* (19) *Joan. 13. 1. 2. &c.* (20) *Idem. ℣. 15. 16.* (21) *Origen. Chryſoſt. hom. 82. 83.* (22) *Jo. 13. 21. &c. Luc. 22. 21. &c.*

dolo in manus Principum Sacerdotum ipſe traderetur, denunciavit. Quærenti autem S. Joanni ecquis e Diſcipulis tantum nefas moliretur, illum eſſe ſignificavit, cui intinctum ipſa panem porrigeret, ſtatimque intinctum panem obtulit Judæ, ſimul addens: *Quod facis, fac citius*. Illud Magiſtri dictum quidam ex Diſcipulis ita ſunt interpretati, quaſi emere aliqua ad diem feſtum neceſſaria Judas moneretur. Hæc ſane omnia cum Paſchali requie ea nocte ineunte minus quadrant; quemadmodum & cetera, quæ poſt cœnam facta narrantur, uti pedum lotio, ac deinde ex Urbe ſeceſſus; in eadem enim domo, ubi Paſcha celebratum fuerat, cubare Hebræi jubebantur [1].

In horto ad montem Olivarum oranti ſpiculatorum & ſatellitum Summi Sacerdotis adeoque Judæorum manus ſupervenit, armis inſtructa, & parata vi reſiſtenti vim inferre [2]; quod ne fieret in Solemnitate Paſchali leges moreſque Judæorum prohibebant. Deductus reus coram Anna primum, dein tribunali Caiphæ ſtatuitur: judicialibus quæſtionibus interrogatur; teſtes audiuntur; damnatur. Quot, rogo, Legum diei feſti religionem ſanctam habentium infractiones? Primo mane coram Synedrio conſtitutus Jeſus accuſatur iterum, damnaturque. Tum ad Pilatum rapitur, extra Prætorium interim ſe continentibus Judæis, *ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha* [3]; quæ verba ſedulo animadvertenda ſunt; probant enim nondum Paſcha deguſtaſſe Judæos.

Fruſtra vero reponeretur, Paſcha illud a Judæis deguſtandum ipſas deſignare victimas in Templo ſolemni Paſchatis die & ſeptem inde ordine ſuccedentibus immolandas, juxta præſcriptum Moyſis in Deut. 16. 2. Solemnia enim per eos dies Sacrificia, quamquam reapſe *Phaſe* vel Paſcha appellarentur, ex holocauſtorum genere fuerant, ut conſtat ex Num. 28. 17. 23. 24. in quibus nihil de victima in cibum reſervabatur, ſed omnia igne ſacro abſumebantur. Poterant quidem ipſa pariter die victimæ pacificæ, quarum eſt cibus permiſſus, immolari; ſed nihil de ejus generis ſacrificii ea die præſcriptum. Integrum erat hac vel illa die pro voluntate offerre; nulloque adigebantur præcepto Judæi, ut oblatas eo ſacrificii genere victimas die Paſchæ vel alio quocumque deguſtarent. Quis ſibi perſuaſerit, levi adeo de cauſa, & nulla adigente neceſſitate, id committere voluiſſe Judæos, ut Romanum Præſidem ultro, citroque diſcurrere cogerent? Fac autem voluiſſent Judæi, indulſiſſet ne volentibus, niſi gravi de cauſa, qualis profecto habebatur Paſchatis celebratio, Pilatus?

Poſt plures excitatas turbas, quæ vix cum religioſa Paſchatis quiete componerentur, id tandem obtinuerunt Hebræi, ut capitalis in Jeſum ſententia diceretur. Deductus itaque ad Calvarium, ibique actus in Crucem circa horam nonam, tertiam nempe veſpertinam [4], expiravit.

Aliquanto poſt Judæi Præſidem convenientes rogarunt, ut crurifragium imperaret, ne miſero illo ſpectaculo ſolemnitas Sabbathi funeſtaretur; *erat enim magnus dies ille Sabbati*, vel uti ad litteram S. Joannes, *Magna erat ejus diei ſolemnitas* [5]. Quænam, rogo, niſi Paſchæ? Quare depoſitum e cruce cadaver Jeſu, ceterorumque; curatum ejuſdem Chriſti cadaver a Joſeph ab Arimathia, & Nicodemo, linteiſque obvolutum, tumulo illatum eſt, atque patenti ejus ſepulchri ori magnus quidem lapis oppoſitus. Dein recipere ſe omnes, quoniam Paraſceve erat [6], i. e. præparatio ad diem feſtam, ſive Sabbatum, quæ occiduo ſole iniens, religioſam quietem imperabat.

Totam hanc hiſtoriæ Paſſionis ſeriem a prima Sabbati uſque ad diem Paraſceve, eo conſilio tradendam ſuſcepi, quo melius Lector & temporum adſcriptiones, & dies comparans, intelligat tamdem Paſchalem ſolemnitatem ejus anni in diem Sabbati incidiſſe, neque unquam commiſſuros Judæos, ut tanta molitione Chriſti necem urgerent, quanta prætextum ab ipſis Feria ſexta ſcimus, ſiquidem ea die ſolemnitatem Paſchalem celebraſſent.

Profecto Agrippa poſt affectum ſupplicio S. Jacobum Majorem, atque detentum in carcere S. Petrum, ne capitali ſupplicio Apoſtolum illum diebus Azymalibus, ſive Paſchatis [7], plecteret, cavendum ſibi arbitratus eſt; quare uſque poſt Feſtum ſupplicii illius dilationem (norat enim quid ferrent leges, moreſque Judæorum) imperavit. Eodem conſilio Judæi urgendam ſibi cenſuerunt necem Jeſu Chriſti, ipſo Paſchatis pervigilio, ne forte diei feſti religione abſtinere coacti, ſubducendi ſe a ſuo ipſorum furore ſpatium relinquerent.

Nihil moror eorum ſententiam, qui duobus ſuccedentibus diebus idem Feſtum celebrari potuiſſe ſtatuunt, quidquid enim a Rabbinis ea de re traditum eſt, recentiorem eſſe morem, veteribus Hebræis ignotum, P. Lamy poſt Bochartum [8] demonſtravit. Quando autem potuiſſet duobus ſuccedentibus diebus in remotiſſimis Provinciis Paſcha celebrari, quod de phaſi lunæ nihil conſtaret, id tamen, quod Hieroſolymis præſtaretur nihil erat. Quæ tandem addunt de tranſlatione Feſtorum, ſi forte in feriam ſextam inciderent, tum per ſe nullis argumentis probatur, tum & pariter ipſorum Rabbinorum auctoritate negata ſunt. Videſis Lightfootum, & Bochartum.

Hanc ſententiam maxime pariter convincit Feſtum Pentecoſtes, numquam non in Eccleſia die dominica celebratum; quod proinde in eamdem diem incidiſſe anno J. Chr. emortuali negaverit nemo. Porro Feſtum illud apud Judæos quinquageſima die ab Azymis ita recurrebat, ut altera ab azymis die 16. menſis, qua nempe *homer* ſive manipuli novi hordei oblatio deſtinata erat, periodus illa duceretur. Dies igitur decimaquinta menſis, adeoque & ſolemnitas Paſchalis cum Sabbato componenda erat, ſicut & dies decimaquarta cum feria ſexta ſive *Paraſceve*, qua ſcilicet Agnos Paſchalis immolari, atque in cibum adhiberi lege ſanctum habebatur. Cœnam autem ſuam inſtituit Jeſus veſperis diei decimi tertii, quam proinde alteram fuiſſe a cœna Paſchali apertiſſime convincitur. Videſis de hoc argumento luculentius diſſerentes P. Lamy [9] & D. Toynardum [10] Si quis autem illud conſtituerit, nimirum quintam Sabbati noviſſima cœna J. Chr. celebrem in 14. lunæ incidiſſe, atque ſubſequentem deinde diem decimam quintam fuiſſe & Paſchalem, tunc manipuli oblatio ad alteram diem, Sabbatum nempe rejicienda; neque enim ſolemnitas illa Sabbati demeſſione rei in Templo offerendæ violabatur (11). Incidet autem, ea facta ſupputatione, dies Pentecoſtes ejus anni in Sabbatum, quod primorum ſæculorum receptæ ubique in Eccleſia diſciplinæ repugnat.

Vetus eſt altera, & apud utramque Eccleſiam recepta traditio, feria quarta Paſſionis decretum fuiſſe in pleno Judæorum Synedrio, ut in necem Jeſu Chriſti conſpiraretur. Quare eam diem ſolemni jejunio deſtinarunt Eccleſiæ Latina & Græca, vel ſaltem id ſibi pii quique Fideles ſuſceperunt, in memoriam proditionis Judæ atque necis Jeſu Chriſti a Judæis decretæ. Factum id autem biduo ante Paſchæ diſerte aſſerunt Evangeliſtæ: *Erant autem Paſcha & Azyma poſt biduum*, ait S. Marcus 14. 1. *& quærebant Summi Sacerdotes quomodo Jeſum dolo tenerent*. Et S. Matthæus 26. 1. 2. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius hominis traditur ut crucifigatur. Tunc congregati ſunt Principes Sacerdotum, & Seniores populi, & conſilium fecerunt, ut Jeſum dolo tenerent & occiderent.* Pro-

(1) *Maimonid. Helac. Paſach.* (2) *Matt. 26. 47. & ſeqq. Marc. 14. 43 & ſeqq. Luc. 22. 47. &c. Joann. 18. 4. & ſeqq.* (3) *Joan 18. 28.* (4) *Matt. 27 48. & ſeqq.* (5) *Joan. 19. 31.* (6) *Luc. 23. 5, 6. Joann. 19. 42.* (7) *Act. 12. 4.*

(8) *Lamy Epiſt. de Paſchate pag. 33. Gallice. Vide Bochar. de Anim. Sac. l. 2. c. 50. & P. Petav. Not. in hæreſ. 51. S. Epiph.* (9) *Lamy Epiſt. de Paſchate pag. 66.* (10) *Toynard. Harm. Evang. not. p. 151.* (11) *Miſchna 6. lib. 18. num. 1.*

Profecto a feria quarta ad quintam non duo, ſed una tantum dies ſupputatur. Neceſſe fuit proinde Paſcha feria ſexta ſub veſperas cœpiſſe, cum ſcilicet Jeſus e Cruce pendens animam efflavit.

Scitum eſt apud omnes, Hebræos in menſibus ſuis dirigendis ad lunæ curſum attendiſſe. Feſtum Paſchale ducebatur e veſpera lunæ decimæquartæ, ac deinde tota decima quinta celebrabatur [1]. Exploratum eſt etiam, Hebræos feſta ſua omnia a veſperis ad veſperas duxiſſe, quemadmodum & in Scriptura diſertiſſime aſſeritur [2]. Quo igitur certam diem feſti Paſchalis aſſignemus, aſtronomicis ſupputationibus demonſtrandum eſt, diem 14. Niſan ejus anni, 33. Æræ vulgaris, in feriam ſextam incidiſſe; quod ſane exactiſſime præſtitum a peritiſſimis noſtræ ætatis Aſtronomis, ut nullus dubitationi locus relinquatur, Jeſum Chriſtum die 14. Niſan poſt meridiem ſupplicium crucis ſubiiſſe; nec proinde Paſchale convivium cum ceteris Judæis celebrare voluiſſe [3].

Duo rebus a nobis dictis opponi poſſunt: 1. Annum 33. Æræ vulgaris emortualem Jeſu Chriſti non fuiſſe: 2. Aſtronomorum noſtrorum ſupputationes erroneas haberi, vel ſaltem minus exactam temporum rationem ſectatos Hebræos Jeſu Chriſti ætate. Ad poſtremum hoc quod ſpectat, non niſi optimis exhibitis documentis jure id aſſeri nequaquam poteſt. Siquis enim credat, Judæos in ritibus ſuis omnibus ſervandis religioſiſſimos, temporum ſupputationes tantum neglexiſſe? Poterant autem illi commode iſtarum rerum peritiam ſive proprio ſtudio comparaſſe, ſive ope externorum Mathematicorum, quorum plures in vicina Ægypto conſulere valuiſſent.

Neque peritia atque fides Aſtronomorum, quos in ea ſupputatione P. Lancellotus, & D. Toynardus adhibuerunt [4], minori temeritate in ſuſpicionem revocaretur. Porro eorum tabulas & documenta omnia publici juris facta in examen revocare omnibus permiſſum eſt. Vide laudatos Scriptores.

Profecto ſi Textus Evangeliorum apertiſſimè eſſent, atque luculenter celebratum a Jeſu Chriſto poſtremum Paſcha demonſtrarent, nihil ego morarer ſupputationes illas aſtronomicas, neque minus exactos Judæos ea in re credere recuſarem. Cum autem nihil in Scriptura adverſus illas exploratum habeatur, nulla de imperitia Hebræorum ſuſpicio, non eſt cur pro arbitrio defeciſſe illos in ratione temporum definiamus.

Quod vero ad emortualem Jeſu Chriſti annum ſpectat, componendum illum cum 33. Æræ vulgaris adductis argumentis demonſtrari potuiſſet. S. Joannes munus ſuum Præcurſoris iniit [5] anno 15. Imperii Tiberii: incidit autem annus ille in 29. Æræ Vulgaris. Aliquandiu poſt ſuſceptum a Sancto Præcurſore munus Jeſus Chriſtus Baptiſmi lavacro tinctus eſt. Deinde Jeſus Chriſtus duobus annis & ſemis ad minus poſt Baptiſmum ſuum muneri prædicationis inſtitit. Apud S. Joannem [6] gemina Paſchata, ultra noviſſimum illud quo diem clauſit [*], non obſcure deſignantur. Non ergo ante annum 29. Æræ vulgaris Jeſus Chriſtus interiit.

Obiit ille procurante Judæam Pilato, quem Præſidem ante obitum Tiberii e provincia pulſum conſtat. Porro Tiberius nemine ambigente obiit anno 37. Æræ vulgaris, ac proinde obitus Jeſu Chriſti intra annum 29. & 37. Æræ conſignandus eſt. In annis vero intra eos terminos nullus occurrit, quam 33. cujus Paſcha in feriam quintam vel ſextam inciderit. Is ergo emortualis Jeſu Chriſti ſtatuendus eſt [7].

Quamquam noſtrum hoc ſyſtema apud Veteres communi ſuffragio non probatur, non defuerunt tamen inter eos, qui ſibi ejus partes defendendas ſuſciperent; nullaque eſt receptior apud Priſcos illos ſententia, ſi ea tantum excipiatur, quæ legale Paſcha a Jeſu Chriſto celebratum defendit. Neque hic referendam cenſeo opinionem S. Chryſoſtomi in Matth. Hom. 85. ſtatuentis poſtremum Paſcha cum Apoſtolis celebraſſe quidem Jeſum, non vero Sacerdotes & Scribas, ceteroſque Judæos, ejus urgendæ neci intentos. Quo enim furore, livore, & odio erant in Jeſum, eo prohibiti ſunt, ut religioni & piis illis ceremoniis vacarent, quare tota diei ſacri religio in alteram diem remiſſa eſt. Hæc ſane opinio ſingularitate ſua omnes deterret; id tantum nobis in præſentia ejus occaſione animadvertendum eſt, Textus S. Joannis eam fuiſſe penes S. Doctorem vim, ut non alia ratione ſibi exponendum illum arbitraretur, quam poſtremum illud Paſcha dilatum in alteram diem a Perſecutoribus comminiſcens.

Victor Antiochenus [8] Scriptor ſæculi quinti; quippe qui S. Chryſoſtomum tamquam ſuperſtitem laudet, obſervat, Judæos bidue ante Paſcha & Paſſionem Jeſu Chriſti, nempe feria quarta, de perdendo Chriſto deliberaſſe; oportebat enim, ait, die 14. primi menſis Agnum Paſchalem in ara crucis immolari. Addit, illud S. Matthæi, *Apud te facio Paſcha*, deſignare potuiſſe, non eſum, ſed Paſchæ apparatum; luculenter enim S. Joannes perhibet, qua die Chriſtus neci traditus eſt, Judæos nondum Paſcha deguſtaſſe. Porro, ait, hac ipſa die debuit Paſcha typicum in Templo immolari, & verus Agnus in cruce mactari.

Nec minus eidem ſententiæ favet Appollinaris [9], animadvertens, appoſite quidem S. Joannem poſt cœnam a Chriſto factam animadvertiſſe, nondum Feſtum Paſchale initum: *Ante diem feſtum Paſchæ, cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*. Nondum igitur deguſtatum erat Paſcha, cujus eodem tempore Agnus delibandus erat, quo Jeſus Chriſtus verus Agnus Paſchalis in crucis ara mactabatur. Reputandum eſt igitur, addit ille, Textum Evangeliſtarum, quo exprimitur *prima die Azimorum* miſſos a Jeſu Diſcipulos, ut cœnaculum inſtruerent, reputandum eſt, inquam, nihil aliud deſignaſſe, quam miſſos fuiſſe Apoſtolos *biduo ante Azyma* i. e. die decima tertia menſis; ac tandem cœnam illam alteram fuiſſe a Paſchali. Hæc ſane expoſitio præferenda, quo ſimul S. Joannes ceterique Evangeliſtæ concilientur; eamdemque inſinuat S. Matthæus, referens illud Jeſu Chriſti ad Diſcipulos: *Vos ſcitis, quia poſt biduum Paſcha fiet &c.* Quare Jeſus eodem tempore in crucem actus fuit, quo Paſcha immolabatur. Ita Apollinarius.

S. Epiphanius [10], perſuaſum habet, pleroſque Judæorum anno Jeſu Chriſti emortuali Paſcha biduo præverti ſſe; quibuſcum conſenſerit Jeſus; cum interim, ait, alii melius inſtructi ad feriam ſextam Feſtum diſtulerint. Singularem hanc ſententiam noſtro ſuffragio probandam non ducimus, ſed ſatis ex illa inſinuatum arbitror, quantis in ambagibus pro conciliando S. Joanne cum ceteris Evangeliſtis Priſci illi verſarentur. Caſaubonus [11], P. Petavius [12], & poſt illos P. Lamy ſententiam laudarunt excerptam e Præfatione Chronici Alexandrini [13], Petro ejuſdem Urbis Epiſcopo tributa, qua Paſchalis Agnus noviſſimo Paſchate a Jeſu Chriſto deguſtatum negatur; ſed ea ipſa hora immolatus dicitur

(1) *Exod.* 12. 2. 6. *Levit.* 23. 5. (2) *Levit.* 23. 32. (3) *Vide Tabulas impreſſas in calce Bibliorum Vitre pag.* 51. *& D. Toynard. Harmon. not. pag.* 148. (4) *D. Fabrum, Bullialdum, Paulum Mildeburgenſem.* (5) *Luc.* 3. 1. (6) *Joan.* c. 2. 13. *&* 6. 4. (*) *Joan.* 11. 55. *&* 12. 1. *&* 13. 1. (7) Vide hæc omnia fuſius apud P. Lamy & D. Toynardum ac ſupputationes Bullialdi.

(8) *Victor Antioch. in Marc.* 14. 8. *Cod. Reg.* 1058. *&* 437. *apud Toynard. Harmon. not. pag.* 151. *Idem in Marc.* 14. 13. (9) *Apollinar. Caten. in Joan.* 18. 25. *Codex. Reg.* 247.

(10) *Epiphan. Panarii hæreſ.* 51. *& ita Petav. in animadver. in Epiphan.* (11) *Caſaub. Exercit.* 17. *num.* 24. (12) *Petav. lib. de Doctrin. Temp. capit.* 15. (13) *Petr. Alexandrin. in Chronic. Alexandrin. Præfatio.*

tur in cruce Jeſus ac in Templo Agnus Paſchalis.

Porro Author iſte ſive Chronici Scriptor huic fulciendæ ſententiæ laudat teſtimonium S. Hyppoliti Martyris Epiſcopi Portuenſis in Italia, in ejus libro adverſus Hæreſes, quo in Opere Author evertendas aggreditur Quartadecimanorum opiniones, ita ratiocinantium: Jeſus Chriſtus Paſcha celebravit die quarta decima lunæ, non altera igitur eſt nobis dies Paſchalis habenda. Calamum igitur acuens Author adverſus illos, defendit, Jeſum Chriſtum a legali Paſchate tempore Paſſionis ſuæ deguſtando prohibitum fuiſſe; quippe qui verum eſſet Paſcha eadem hora immolatum, qua ipſe antea prædixerat. Alterum ejuſdem Authoris teſtimonium laudari poteſt, & in eamdem ſententiam ex libro de Paſchate.

Ibi etiam ſervatur fragmentum Apollinaris Epiſcopi Hierapolitani [1], in quo ſententia reprehenditur autumantium, Jeſum Chriſtum cum Diſcipulis ſuis die 14. ejuſdem menſis Paſcha deguſtaſſe. Tandem textus alter tamquam ex S. Clemente Alexandrino [2], ſed perperam inſcriptus, producitur, ubi paratum quidem ab Apoſtolis Paſcha, ſed a Jeſu Chriſto minime celebratum ſtatuitur, cum enim verum in ſe Agnum, cujus Judæorum agnus typus eſſet, exhiberet, debuit eadem uterque hora immolari. Non quidem negaverim, ex fragmentis iſtis plura falſo illis Authoribus inſcribi, ſed ex vetuſtiſſimis deſumpta Libris adverſus Quartadecimanos plerumque ſcripta conſtat. Author Quæſtionum ad Orthodoxos q. 65. luculenter aſſerit, Jeſum Chriſtum ad necem damnatum obiiſſe die Paraſceve vel Paſchatis pervigilio. Euthymius Zygabenus in Comment. ad Matth. demonſtrat fuſius, Chriſtum Paſcha celebraſſe die 13. Lunæ, obiiſſe vero die 14. ac tandem Paſcha in diem 15. incidiſſe.

Philoponus, qui florebat A. 604. ſub Phoca, de hoc argumento diſſerens, negat celebratum a Jeſu Chriſto noviſſimum illud & Euchariſticum Paſcha. In eamdem ſententiam ſcripſiſſe Metrodorum, aliosque duos, qui lucubrationes ſuas adverſus Judæos & Quartadecimanos ediderunt, Photius [3] eſt author. Id pariter nonnullis ætate ſua probatum Theophylactus & Euthymius aſſeruerunt; & rem eſſe adhuc ſub judice Photius ipſe perhibuit.

In nova Operum S. Joannis Damaſceni Editione gemina Scripta in lucem prodita ſunt, quibus eadem ſententia defenditur [4]; ibique pariter extat fragmentum Authoris cujuſdam Græci ſub S. Joannis Damaſceni nomine [5], in quo Scriptor aſſerendum ſibi arbitratur, Jeſum Chriſtum myſticam cœnam feria quinta, ſexta hora veſpertina deguſtaſſe, cum interim Azyma non niſi altera die, feria nempe ſexta, Chriſto jam in tumulum illato, exordirentur. Euthymius Zygabenus, Græcus, & Schiſmaticus Author, tradit Jeſum quidem una die Paſcha Judaicum prævertiſſe, quare celebratum ab ipſo Feſtum feria quinta, a Judæis ceteris feria ſexta, uſum autem in cœna vulgari pane, in quo pariter myſteria confecerit.

Laudat etiam Caſaubonus pro ſententia de non celebrato a Jeſu Chriſto Paſchate Cedrenum, aſſerentem Jeſum Chriſtum a veteri quidem abſtinuiſſe, novo Paſchate, in quo ipſe Author eſſet & victima, contentum.

Petrus Antiochenus in ſua epiſtola ad Dominicum Patriarcham Gradenſem [6], ſententiam illam de non adhibitis in confectione myſteriorum a Jeſu Chriſto Azymis defenſurus, noſtram hanc ſententiam confirmat; namque, ait, ea dies decima tertia lunæ agebatur, cum interim Agnus Paſchalis non niſi quartæ decimæ addictus eſſet, & poſtera inde die Azyma inirent. Poſſet etiam his omnibus accenſeri teſtimonium Judæorum [7], aſſerentium, Chriſtum Jeſum, quem Filium Pandir & Satda appellant, ſupplicio crucis in Lydda, ſive Dioſpoli peremptum, damnatumque judicio Magni Synedrii ipſo Paſchatis pervigilio.

Nec altera fuiſſe mens Tertulliani facile crediturus; ita enim ille in opere contra Judæos *cap. 8. Quæ paſſio perfecta eſt die 8. Kal. April. die primo Azymorum, quo Agnum ut occiderent ad veſperam, a Moyſe fuerat imperatum. Itaque omnis Synagoga filiorum Iſrael illum interfecit*. Quæ poſtrema verba ad illud *Exod. 12. 47.* ſpectans: *Omnis cœtus* (*Septuag. Synagoga*) *filiorum Iſrael faciet illud* (Paſcha). Inſinuat autem Scriptor, univerſum Iſraelem in immolationem veri Agni conſenſiſſe, quod nempe omnes ejus necem poſtulaſſent, eo potiſſimum temporis articulo, quo Agnus Typicus in Templo mactabatur.

Hilarius Diaconus Eccleſiæ Romanæ ſub Liberio, Author, uti fertur, QQ. in Vetus & Novum Teſtamentum, hanc quæſtionem veluti in Eccleſia receptam proponit. *Quid cauſæ fuit, ut illo tempore crucifigi ſe permitteret Dominus, quo octavo Kal. Aprilis Paſcha celebraturi erant Judæi* [8]? Et in reſponſione rem illam tamquam certam conſtituit. Gemina habet in reſponſione ad quæſtionem 94 *Veſpere*, ait, *eadem die Paſcha occiſuri erant*. Faviſſe pariter eidem ſententiæ S. Auguſtinus apparet, ſcribens: *Tunc primum Paſcha celebravit Filius Dei, quando ex Ægypto fugientes Rubrum mare tranſierant. Nunc ergo figura illa Prophetica in veritate completa eſt, cum ſicut ovis ad immolandum ducitur Chriſtus*. Nihil tamen in ea S. Doctoris authoritate momenti collocandum cenſeo, cum ambigua ſcribentis mens non ſatis appareat.

Illud tantummodo generatim aſſerendum mihi arbitror, Latinos Patres non ſatis argumentum illud diſcuſſiſſe. Cum enim Textum S. Ioannis interpretantur, ita mentem ſuam exprimunt, quaſi non deguſtatum a Jeſu Paſcha cum Judæis autumarint. Idem pariter ſervatur a Patribus Græcis, veluti S. Chryſoſtomo in Matthæum 26. & Theophylacto [9]; illud autem S. Matthæi 26. 7. *Primo die Azimorum*, de pervigilio Azymorum interpretantur. Recentiores vero adeo ab ejus ſedulo examine abhorruerunt, ut quicumque aliquid de adverſa opinione effutirent, illico tamquam hæreticos & viſiones vendicantes inſectarentur. Vechiettus carcerem Inquiſitionis eo nomine ſuſtinuit, quod a communi ea opinione recedere auſus fuiſſet. P. Lamy, qui primus ſyſtema ſuum de Paſchate vulgavit [10], plurium annorum ſpatio an mentem ſuam ea de re proderet, deliberavit, neque antea conſilium ſuſcepit pacandi, quam vidiſſet D. Toynardum eamdem opinionem defendiſſe in ſua Harmonia, quæ plurium annorum molitione ab ipſo elaborata, tandem poſt Authoris obitum prodiit in lucem. Frequens alterius opinionis aſſerentium turba non aſt cur magni in eam rem momenti habuerit, tum nullum hue uſque ſedulum examen ſententia illa ſubierit.

Vetus etiam conſuetudo adhibendi panis fermentati in Sacrificio Altaris, poſtremum eſt, quo ſententiam hanc fulcimus, argumentum. Vetuſtiſſimum hunc eſſe in Oriente morem ſatis conſtat. Semel in anno azymo uſos Ebionitas, Paſchalibus nempe diebus, tradit S. Epiphanius, ſatis inſinuans reliquo anni tempore fermentatum adhibuiſſe. Armeni omnium primi inter Orientales, relicto fermentato, ad azyma ſe contulerunt [11]. Ioannes Philoponus ſexti ſæculi, uti jam innuimus, Scriptor perhibet [12], ætatis ſuæ Ægyptios nonniſi in fermentato Sacramenta confecere. Idem de recentioribus Æthiopibus affirmat Ludolfus [13], & de Ægyptiis Vanslebius [14]. Abraham

(1) *Apollinaris Hierap. Epiſt. p. 6.* (2) *Clemens Alex. p. 7.* (3) *Metrodor. & duo Anonym. apud Phot. Codd. 115. 16.* (4) *Vide nov. Edit. S. Joannis Damaſceni tom. 1. pag. 647. 648.* (5) *Diſſert. de Azym. p. 12.* (6) *Apud Michaelem Le Quien. Diſſert. tom. 1. Joan. Damaſc. pag. 71.* (7) *Talmudiſt. Tract. Sanhedrin.* (8) *Auth. Vide tom. 3. q. 55. Edit. nov. quæſt. 55. pag. 63. & quæſt. 9. pag. 85.* (9) *In Matth. 31. & in Luc. 22. Vide Diſſert. de Azymis præfixam priori volumini nov. Edit. S. Joannis Damaſceni a P. Le Quien.* (10) *Epiſt. de Paſch. pag. 26. 27. Gallice.* (11) *Narratio de rebus Armen. tom. 1. Auct. Bibliothec. PP. col. 294.* (12) *Philopon. tract. de Azymo.* (13) *Ludolf. lib. 2. Hiſtor. Æthiop. proœm. c. numer. 18.* (14) *Vansleb. hiſt. Ægypt.*

ham Echellenſis [1] teſtatur, legi in Canone Jacobitarum & Neſtorianorum; *Et accipiens panem fermentatum, benedixit, &c.* Solemnis eſt etiam apud Græcos noſtræ ætatis conſuetudo, cujus incerta eſt & ignoti fontis origo. Eſt igitur cur ab initio derivatam ſuſpicemur.

Ad Eccleſiam verò Latinam quod attinet, P. Sirmondus Tract. de Azymis, & Cardinalis Bona de Rebus Liturg. defenderunt, fermentatum panem adúsque decimum ſæculum exeuntem apud illam obtinuiſſe. Contrariam ſententiam tuetur P. Mabillonius, de fermentato & azymo, cui vetuſtior Azymorum conſuetudo probatur; quin & ſemper apud Latinos eam manſiſſe traditionem contendit, adſtipulatore uſus Papa Leone IX. [2] qui obtrectationibus Græcorum reſpondens, affirmat jam inde a 1020. annis azymo uſam Eccleſiam, & eo veluti pane nutritos Martyres omnes Eccleſiæ Latinæ. Conſtat plane, Michaelis Cerularii ætate, cum adverſus Græcos fervèrent concertationes, morem illum in Occidente longe lateque obtinuiſſe, quod veteri conſuetudini receptum teſtantur Alcuinus *Epiſt. 69.* Rabanus Maurus *lib. 1. Inſtit. Cleric. cap. 31.* & S. Iſidorus Hiſpalenſis de *Offic. Eccleſ. lib. 1.* Fateri tamen oportet, hanc conſuetudinem tota fuiſſe antiquitate probatam non ſatis demonſtrari.

Martinus Polonus in Chronico refert, Alexandrum I. panis fermentati uſum lato edicto ſanxiſſe; qua de re nihil in Pſeudo-Decretalibus Iſidori. Veteres quidem Scholaſtici (*) produnt, ſed nullo, quantum ſcimus, fundamento, Leonem, neſcio quem, Pontificem id decreviſſe, ſtudio opponendi ſe dogmati Ebionitarum, ferentium Sacra myſteria in Azymis confici oportere; iis vero hæreticis diſſipatis, ad azyma reditum. Azymorum diſciplinam non niſi poſt Carolum Magnum obtinuiſſe Græci Schiſmatici recentiores contendunt [3]. Porro Rex ille, inquiunt, Vandalorum Arianorum copiis auctus, Urbe ſub jugum miſſa, morem illum, Felicis Pontificis ſibi faventis authoritate, invexit. Sed fides horum obtrectatorum ea eſt, quæ ne in ſuſpicionem revocari quidem paulo operoſius mereatur.

Vetuſtiſſimus pro antiquitate panis fermentati in Eccleſia Latina Author laudari poteſt Scriptor Operis de Sacramentis ſub S. Ambroſii nomine, inter ejus opera vulgatus [4]. Porro Author ille quinti vel ſexti ſæculi luculenter aſſerit, Euchariſtiam confici in *uſitato pane*. Laudatur etiam veluti S. Gregorii Magni locus, ubi vir ille ſanctus indiſcriminatim in Eccleſia Romana azymum & fermentatum panem adhiberi affirmat [5]. Sed in ejus impreſſis operibus nihil tale uſpiam legitur. Patres Eccleſiæ Latinæ, & Concilia ita de pane Euchariſtico agunt, quaſi de pane familiari [6]; ſi quid autem ea in re præſcriptum occurrit, illud tantummodo cautum, ne furfureus, ater, commoniſque panis adhiberetur, pura etenim myſteria candidus decet, & defæcatiſſimus panis [7]. Non eſt igitur adeo omnibus perſuaſum, Jeſum Chriſtum ſacra poſtremo in Paſchate in azymis confeciſſe.

Nihil moror conjecturas illas ex eo deductas, quod Jeſum Chriſtum poſtremum illud Paſcha omiſiſſe maxime omnium conveniret. Cum enim veteri abolito ad novum conſtituendum Paſcha veniſſet, debuit Sacrificium ſuum eodem tempore conſummare, quo typicus Agnus in Templo immolabatur; unde fieret, ut rei veritas in locum figuræ ſubſtitueretur. Id maxime omnium inculcant SS. Patres, & S. Irenæus diſertiſſime aſſerit: *Paſſus eſt Dominus adimplens Paſcha* [8]. Origenes in Joann. tom. 3. & S. Hieronymus in illud Evangelii: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet*, interpretantur de novo Paſchate, nunquam antehac celebrato, cujus nova tunc fieret inſtitutio, impoſito veteri Paſchati termino: *Finem carnali feſtivitati volens imponere, umbraque tranſeunte Paſcha redderè veritatem*: mactata ſcilicet veri Agni, loco typici Paſchalis, victima. Hæc quidem rationum momenta, ſolida alioqui, tunc plane convincunt, poſtquam ſententia ſolidis primum documentis aſſerta eſt. Certum aliquod aſſertumque factum nullis quidem contrariis congruentiis expugnatur; ſed ſi quæ fuerint congruentiæ, naturaliter ex illo profluentes, hiſce ſane plurimum juvatur.

Cum igitur Eccleſiæ permiſſione integrum cuique relinquatur, ut, quod maxime ſyſtema placuerit, illud teneatur; & deductum huc uſque ſyſteme difficultates omnes ſubducat, Textus Evangeliſtarum exponat, repugnantes in ſpeciem conciliet, nihilque habeat incommodi, nihil repugnans legibus hiſtoriæ Chronologiæ & moribus Judæorum; congruat autem maxime cum vetuſtiſſimæ de Feſto Pentecoſtes Dominica die celebrato traditioni, cum jejunio feriæ quartæ, jam inde a primis ſæculis in memoriam initi a Judæis adverſus Jeſum biduo ante Paſcha conſilii; quadret inſuper cum vetuſtiſſimæ Eccleſiæ Græcæ quin & Latinæ per plura ſæcula conſuetudini, myſteria nempe in azymis conficiendi; non eſt cur in eodem cum ceteris ſyſtematibus authoritatis gradu conſiſtere non poſſit. En autem maxime quod adſtipulatores habeat plures Veteres Patres, uti Tertullianum, Hilarium Diaconum, & Authores ſub nomine S. Clementis Alexandrini, S. Petri itidem Alexandrini laudatos, Philoponem, Metrodorum, Cedrenum, aliosque nonnullos veteres, ſicut, & idem atteſtis Vechiero, D. Toynardo, & P. Lamy. Ita pariter perſuaſum habent Judæi, neque noſtræ ætatis plures ab eadem ſententia recedunt.

Hæc quidem pro iſta ſententia: modo vero quæ pro communi opinione, pauca exponenda. Ad hanc autem controverſiam dirimendam, unice ſpectandam eſſe litteram S. Textus, utra pars proniorem interpretationem, & hominum ſenſui magis conformem præferat, a nemine revocatur in dubium. Quæ etenim in auxilium prioris ſententiæ antea expoſitæ adducta ſunt ex Aſtronomicis ſupputationibus, & ſerie chronologica dierum Antepaſchalium petita, hæc minoris ponderis ſunt momenta. Neque enim dierum illa ſeries ex quatuor Evangeliſtis derivata an exacta ſatis, ad unum demonſtrari poſſe arbitror, ut ex variis variorum Harmoniis intelligimus. Lunares verò ſupputationes exactiſſimas tenuiſſe Judæos, ambiguum eſt maxime cum & erroris illi ea in re accuſentur in Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 5. cap. 17. *In ipſo etiam calculo falluntur, quem putant ſe recte ponere, ac omni ex parte errant &c.* Omnibus igitur relictis conjecturis, ipſe adeundus eſt S. Scripturæ Textus; ſed cum utraque pars aperta pro ſe in ſpeciem afferat teſtimonia, utra conformia veritati cenſenda ſint, a nemine melius, quam a traditione judicium petitur. Quæ enim conſtantiorem & vetuſtiorem, ipſi pene rei de qua agitur, coævam, traditionem affert; huic plane lis ab æquis rerum æſtimatoribus adjudicanda. Magna vis eſt veritatis, nec fieri unquam poteſt, ut perſuaſio ab ipſo pene tempore rei geſtæ cœpta & longe lateque obtinens, non aliquid habeat pro ſe veritatis. Quæ cum in aliis omnibus veriſſima ſint, in aſſignando ultimæ cœnæ e Chriſto Domino celebratæ tempore multo ſunt evidentiora. Quis enim credat, pios illos Fideles Apoſtolis coævos, qui Jeſu Chriſti tam ſolerter annotarunt omnia, ut nec minoris momenti multa negligerent, erga tempus noviſſimæ cœnæ a Jeſu Chriſto celebratæ, cum ſcilicet auguſtiſſimum illud Euchariſtiæ myſterium inſtitutum eſt; incurioſos ſeſe habuiſſe? Quis credat, noluiſſe Fideles illos ſeſe a viris Apoſtolicis ea de re inſtrui, occaſione controverſiæ a Quartodecimanis agitatæ? Univerſam autem Veterum traditionem pro celebrato a Jeſu noviſſimo illo Paſchate ſtare, ipſis fatentibus

(1) *Abrah. Echell. Ep. ad Joan. Morin. inter Morini ep. 34.* (2) *Leo IX. Epiſt. 6. ad Michael Cerul. Idem Epiſt. 1.* (*) *Alenſ. Bonav. Scotus, Durand. Thom. in 4. Sent. Diſtinct. 11.* (3) *Epiphan. Conſtantinopol. & alii apud Michael le Quien Diſſert. de Azymis.* (4) *Ambroſ. ſeu quis alius lib. 4. de Sacram. cap. 4.* (5) *Gregor. Magn. apud D. Thomam Catena in Matthæi cap. 26. & lib. 2. contra errores Græcorum. Vide & Phot. Cod. 252.* (6) *Tertullian. l. 2. c. 5. ad Uxorem. Auguſt. Serm. 227. & 229. Epiſt. 59. & alii paſſim.* (7) *Concil. Tolet. XVI. Can. 4.* (8) *Iren. l. 4. c. 23.*

ſatentibus contrariæ ſententiæ aſſertoribus, compertum eſt. Porro traditionem illam ex ipſis cœpiſſe Apoſtolicis temporibus inde intelligimus, quod Chriſtiani illi deſendentes Paſchalem ſolemnitatem die 14. Lunæ cum Judæis celebrari oportere, exemplo ſe Chriſti, qui Paſcha eadem die celebraſſet, tuebantur. Lege S. Epiphanium in hæreſi Audianorum, & Chronicon Alexandrinum, & quod maxime intentum convincit, fragmentum epiſtolæ Polycratis Epiſcopi Epheſini ad Victorem Pontificem Romanum, quod recitat Euſebius Hiſtoriæ Eccleſ. lib. 5. cap. 23. ita enim habet: *Iſti omnes diem Paſcha 14. die Lunæ ex Evangelii præſcripto obſervarunt*. Ubinam id præcipit Evangelium, niſi Jeſu Chriſti exemplo propoſito, qui noviſſimum Paſcha die 14. Niſan celebravit? Si enim ſe tantum celebraturum Paſcha illud Chriſtus ſignificaſſet, ſi in vivis egiſſet, nullum profecto datum in Evangelio præceptum ea de re Chriſtianis cenſeretur; quin potius id ſibi prætendiſſent, numquam committendum eſſe a Fidelibus, ut unum idemque haberent cum Judæis Paſcha, quandoquidem de ſervato a Jeſu Chriſto legali Paſchate, quo tempore Legis præcepta ejus morte diſſolvenda erant, nihil in Evangelio legeretur. Nec ſane aliter huic Quartadecimanorum argumento repoſuerunt ſequioris ætatis Scriptores Catholici, apud quos abolita jam vel obſcurata temporis, quo a Jeſu noviſſima illa cœna inſtituta eſt, memoria, contraria opinio de non celebrato a Jeſu Paſchate gliſcere apud quoſdam cœperat. Reponebant enim illi Quartadecimanis, numquam a Chriſto commiſſum, ut noviſſimum illud Paſcha cum Judæis celebrarent, quare nec Chriſtianis id eſſe ſervandum inſerebant. Hæc Chriſtiani Scriptores, ſed ſeri & ſequioris ætatis; vetuſtiſſimi enim, ſicut & ceterorum turba, id ultro dantes adverſariis, Chriſtum ſcilicet legale Paſcha celebraſſe, aliis illos argumentis revincebant. Secundi ergo ſeculi traditio pro celebrato a Jeſu Paſchate ſtabat.

At enim Tertullianus, qui pariter ſub Victore floruerat, Chriſtum obiiſſe dicit *die primo azymorum, quo Agnus ut occideretur ad veſperam*, Moyſes imperaverat. Quid hic adverſus communem ſententiam? Prima dies azymorum quæ dicebatur & dies 14. Lunæ & dies 15. proxime ſuccedens; cum autem dies 15. prima azymorum ſolemnis haberetur, & feſti apud Judæos dies a Veſperis diei præcedentis inirent, ſicut & in veſperis præcedentis diei, nempe diei 14. Lunæ Paſchalis Agnus immolaretur, rectiſſime utique dictum eſt a Tertulliano, Chriſtum die prima azymorum obiiſſe, die ſcilicet 15. Lunæ, cujus exordium, veſperas nempe diei præcedentis, Paſchalis Agnus conſecraverat. Vetus igitur, ab ipſis ferme Apoſtolicis temporibus cœpta traditio, claros in utramque partem Scripturæ Textus ad ſententiam de celebrato a Chriſto noviſſimo Paſchate determinat.

Reſtat, ut, quos diximus, apertos ſaltem in ſpeciem Evangelii Textus pro communi hac ſententia, apertos reipſa in medium adductos demonſtremus. Prima azymorum dies illa ſine controverſia habebatur, quæ immolationi Agni proxime ſuccedens, ſeptimanæ Paſchalis ducebat exordium. *Decimaquinta dies menſis hujus ſolemnitas azymorum eſt. Septem diebus azyma comedetis; dies primus erit vobis celeberrimus* [1]. Quare ſi dies 14. ipſe eadem pariter dies prima azymorum appellatur, ejus rei in cauſa fuiſſe oportet, quod cum Feſti Judæorum dies a veſperis præcedentis inirent, participatione quadam dies 14. Lunæ prima azymorum diceretur; veſperæ enim ejuſdem diei initium erant ſolemnitatis azymorum die 15. celebrandæ. Diei igitur primæ azymorum non genuina erat diei 14. ſed ab altera die, ſcilicet 15. communicata appellatio. Porro monſtri loco habendum eſt, eodem pariter primæ diei azymorum nomine diem quoque 13. Lunæ cenſeri, quod ſcilicet in veſperis ejuſdem diei 13. dies 14. Lunæ iniret, ut quam dies iſta 14. a ſuccedenti die 15. trahebat appellationem, eamdem in diem 13. reflecteret, treſque ſibi ſuccedentes dies eodem communi nomine primæ dici azymorum nuncuparentur. Nemo ſane prudens id commiſſum a Judæis, niſi apertiſſimis Scripturæ Textibus convictus crederet. Id autem reipſa factum conſtituunt contrariæ ſententiæ patroni, & ita conſtituunt, ut niſi hæc Textus Evangelici interpretatio probetur, actum ſit de illorum ſyſtemate univerſo. Ita ergo habes Evangelium: *Prima die azymorum acceſſerunt Diſcipuli ad Jeſum dicentes: Ubi vis paremus Paſcha?* Matth. 26. 17. & Marcus 14. 12. *Primo die Azymorum, quando Paſcha immolabant &c.* Et Luc. 22. 7. *Venit dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*. Tres iſti Evangeliſtæ uno aſſenſu, & una eademque phraſi efferunt, qua die gemini Apoſtolorum ad parandum cœnaculum miſſi ſunt, primam azymorum recurriſſe. Ecquam, rogo? an diem decimam quintam Niſan, quæ prima azymorum ſolemni nomine appellabatur? Minime, inquiunt ex illis Evangeliſtis duo, ſed dies agebatur prima azymorum quidem, ſed qua *neceſſe* ſimul *erat occidi Paſcha*, nempe 14. Niſan quæ ſane prima azymorum rectiſſime diceretur, cum ejus diei veſperis azyma inirent. In hac interpretatione & ſententia omnia plena ſunt, non item in adverſa, qua illud *prima die azymorum* interpretari coguntur ejus aſſertores de die 13. Niſan. Quis, rogo, hanc interpretationem arduam non eſſe & vix ipſis, a quibus adſtruitur, probatam, non intelliget? Promant illi ſimilem loquendi phraſim ex Sacris Libris, ſive a ceteris etiam Recentiorum Lucubrationibus, vel unam, qua dies ante pervigilium Feſti umquam dies ipſa feſta habeatur appelleturque. Nunc autem inſueta hac phraſi nos non unum tantum vel duos, ſed tres ſimul Evangeliſtas, diſſitos tempore, loco, & conſilio ſcribentes, conſtituunt.

Sed iterum ad Evangelium. *Venit*, ait S. Lucas, *prima dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha*: tunc miſſos narrat ad inſtruendum convivium duos ex Diſcipulis, qui *invenerunt paraveruntque Paſcha*. Regreſſis illis ad Jeſum, & præſto eſſe omnia narrantibus, *cum facta eſſet hora, diſcubuit & duodecim Apoſtoli cum eo*. Idem pariter apud S. Matthæum legas, poſtquam enim parata omnia a Diſcipulis, ait: *Veſpere facto diſcumbebat cum duodecim*. Plus aliquid addit S. Marcus, nempe & paratum a Diſcipulis Paſcha, in cœnaculo grandi & ſtrato, ac intra Urbem ſitum illud narrat: tum ait: *Veſpere facto venit cum duodecim*. Quo, rogo, venit? ſcilicet ad locum paratum pro celebrando convivio Paſchali, de quo Evangeliſta ille ſermonem inſtituit. Cur autem ſolerter tres illi Scriptores adnotandum ſibi arbitrarentur Jeſum veſpere facto diſcubuiſſe? Quænam hora inſinuatur a S. Matthæo pro cœna inſtituenda, niſi hora Paſchali convivio præſcripta, veſpertina illa ſcilicet, uti ab omnibus Evangeliſtis fideliter adnotatum eſt?

Cum cœnaret Jeſus, familiare cum Apoſtolis colloquium exorſus, ait: *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*. Fallor? an hæc verba pro convivio Paſchali tunc inſtituto deſignando demonſtrationis loco habenda ſunt? Quamquam enim e SS. Patribus, nonnullis de Euchariſtico convivio myſtice exponantur, nihil tamen vetat, quin ad litteram pariter de Paſchali etiam intelligenda ſint, quemadmodum reipſa a pleriſque tum ex Patribus cum ex Interpretibus omnis ætatis expoſita ſunt. Periculoſum eſt maxime a communi Patrum & Interpretum expoſitione recedere, niſi ſi forte litteræ Textus aſpectus ſit adeo, ut etiam a communi inire interpretationis viam cogat.

Ad hæc, vix ac vix quidem perſuaderemur, Jeſum, parando cœnaculo pro celebratione Paſchatis tam ſedulo miſſis duobus Diſcipulis incubuiſſe, ſi neque ſibi deguſtandam cœnam illam norat, neque Apoſtolis hoc illos morte ſua diſpergendis integrum futurum præviderat, ut quieti in unum convivii locum convenirent. Cur Apoſtolis rogantibus, quo maxime in loco Paſcha celebrare decreviſſet, non ſtatim prodidit, omnem ſibi Paſchalis illius cœnæ deguſtandæ occaſionem Judæorum livore tollendam?

An

(1) *Levit. 23. 5. Vide & Num. 28. 16. 17.*

An forte de imminenti ſibi morte triſte nuncium afferre Diſcipulis timebat, quos paulo ante de omnibus fecit certiores: *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & Filius tradetur, ut crucifigatur?*

At enim S. Joannes diſerte aſſerit, Jeſum neci traditum die *Paraſceve Paſcha*, atque defuncta reorum corpora e ſupplicio depoſita fuiſſe ante ſolis occaſum, ne *remanerent in cruce corpora Sabbato: erat enim magnus dies ille Sabbati*; i. e. ſolemnitas azymorum cum Sabbato illo inibat. Addit tandem, Judæos, ne in Prætorium ingrederentur, religione abſterritos fuiſſe, *ut non contaminarentur, ſed manducarent Paſcha*. Nondum igitur feria ſexta, quando ſcilicet Jeſus ad Pilati Tribunal delatus fuit, Paſchalem Agnum deguſtaverant. Scitum eſt, quam verbis hiſce Evangeliſtæ interpretationem Viri doctiſſimi communis ſententiæ aſſertores tribuerint. Namque ea quæ de Paraſceve Paſchatis a S. Joanne narrantur, hæc intelligenda cenſent de die Paraſceves intra Paſchalem hebdomadam futura. Præceptum enim erat apud Judæos, quemadmodum & Bochartus obſervat, ſingulos hebdomadæ dies ita diſtingui: Prima Sabbatorum, ſecunda Sabbatorum &c. quinta Sabbatorum, & Paraſceve. Itaque feria ſexta Paſchalis hebdomadæ rectiſſime Paraſceve Paſchæ appellata eſt. Quod autem inferre pedem in Prætorium religioni ducerent Hebræi, inde cauſa repetenda eſt, quod Paſchalem ſolemnitatem victimarum pacificarum immolatione ſolemniorem habere conſueviſſent, quarum erat ſingulis, modo expiatis, eſus permiſſus. Ita ſervatum legas in ſolemni illo Paſchate ſub Ezechia celebrato: *Immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum* (1). Ne igitur quidquam e conſuetis cæremoniis detraheretur, id potius ſibi committendum cenſuerunt Hebræi, gens rituum ſuorum tenaciſſima, ut Præſes Romanus ultro citroque diſcurreret, quam ut ſacris cæremoniis aliquid afferretur incommodi.

Caverunt tandem, ne remanerent in cruce corpora Sabbato, quod dies ille Sabbati in hebdomadam Paſchalem incidens duplicis Feſti conjunctione ſolemnitatem augeret. Ita quidem S. Joannis Textum Viri ſine controverſia doctiſſimi interpretantur, quorum expoſitio, etſi multum ab evidentia abeſſe ultro fateamur, illud tamen apud æquos rerum æſtimatores evincit, ut non minus prona ſaltem & litteralis habeatur, quam adverſæ ſententiæ altera, diei 13. Niſan primæ azymorum appellationem vindicans.

Quæ cum ita ſint, eadem plane, quæ prius adducta eſt, conſecutio recurrit. Cum de Scripturæ aliqua interpretatione res eſt, ſi utriuſque partis Textus apertiſſimi in ſpeciem videantur, illius eſt potior ratio, cui omnium ſæculorum traditio favet. Favet autem huic poſtremæ ſententiæ, non recepta utcumque, ſed ab ipſis Apoſtolicis temporibus cœpta traditio, quam Fidelium omnium ſæculorum perſuaſio fulcit, doctiſſimorum Criticorum Maudit, Tillemontii, Beſſini &c. ſuffragia confirmant; ac tandem ipſa Eccleſiæ, ſi non definientis, ſaltem in illam inclinantis authoritas vindicat.

IN EVANGELIUM S. MARCI PROLEGOMENON.

QUID de S. Marco ſtatuatur diſſidium eſt inter Authores. Eumdem eſſe virum, quem Sanctus Petrus in prima Epiſtola (2) ſua ſpiritalem filium appellat (facile quod ad fidem converſum Baptiſmate (3) initiavit) Veterum plures autumarunt (4). Papias (5), & S. Irenæus lib. 3. cap. 1. diſcipulum, & interpretem ejuſdem Apoſtoli appellant; quod ſuffragio deinde ſuo probarunt veteres plures (6) & recentiores Authores. Porro interpretem in eo agebat vir ſanctus, Græce, ſive Latine explicans, quæ alterutro ſermone idem Apoſtolus loquebatur; vel ſaltem dictantis Petri Epiſtolas cultiori phraſi ſtiloque excipiebat.

SS. Epiphanius, & Hippolytus (7) in Mſ. Bodlejano, Pſeudo Dorothæus, Nicephorus, aliique in cenſum ſeptuaginta Diſcipulorum eumdem Evangeliſtam referunt, qua in re conſenſiſſe Veteres conſtat (8); addunt tamen illi, S. Marcum ſcandalo una cum Capharnaitis omnibus affectum, minus ferentem illa Jeſu Chriſti verba Joann. 6. 55. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Subductum propterea a conſortio Jeſu una cum aliis, exemplum illorum ſecutum, S. Petrus deinde ad fidem reduxit; eoque comite fidiſſimo in itinere ſuo Romam uſus eſt, ubi & ſcriptum ab illo Evangelium. Hæc de S. Marco veroſimiliora feruntur.

Author anonymus in Actis e genere Aaronis virum deducit, narrans pariter inſigne Sacerdotum in capite illum geſtaſſe: *Pontificalis apicis petaſum*. Confundunt alii (9) cum *Joanne Marco*, qui filius in Actis ſcribitur Mariæ fœminæ Jeroſolymitanæ, in cujus hoſpitium, ubi & Fideles ſeſe continebant, Apoſtolus Petrus, e carcere Angelico beneficio liberatus, ſeſe receperat (10). Porro Joannes Marcus conſobrinus erat S. Barnabæ, & S. Paulum una cum S. Barnaba Antiochiam primum, deinde Cyprum ſecutus eſt. Cum veniſſent in Pergem Pamphyliæ utroque comite relicto Jeroſolymam rediit (11); quare Apoſtolus Aſiam ſecundo peragraturus comitem illum recuſavit. Verum hæc quorumdam opinio minus ceteris omnibus probatur (12). Vix enim perſuaderetur, Sanctum Marcum fidiſſimum Apoſtoli Petri, juxta totius Antiquitatis teſtimonium, comitem ſociumque, quique anno 43. juxta Euſebium, Evangelium ſuum ſcripſerat, & paulo poſt ab eodem Apoſtolo miſſus in Ægyptum venerat, tamdiu Apoſtolo Paulo hæſiſſe? Adde pariter, nullibi apud Veteres Joannis Marci nomine appellatum occurrere; quin & duos illos viros apertiſſime ab Euſebio diſtingui.

Joannes ille Marcus, in Actis, & in Epiſtolis Pauli notus, non diu ante obitum Apoſtoli in vivis agebat, cum in Epiſtola ad Timotheum ſecunda, ad annum 12. Neronis, & 65. vel 66. Jeſu Chriſti ſpectante,

(1) 2. *Par.* 30. 22. (2) 1. *Pet.* 5. 13. *Et Marcus filius meus*. (3) *Vide Hieron. in Iſa.* 65. (4) *Hieron. in Catalog. Theoph. in Marc. Orig. apud Euſeb. lib.* 6. *cap.* 26. *Hiſt. Eccl.* (5) *Apud Euſeb. Hiſt. Eccl. l.* 2. *c.* 14. (6) *Tertull. l.* 4. *cont. Marc. Vide Epiph. hær.* 51. *Chryſoſt. hom.* 59. *in Matt. Hieron. in Catal. Theophyl. Athan. in Synopſi, & alii.* (7) *Epiph. hæreſ.* 57. *Hippol. in Mſ. Bodlej. apud Mill. ante init. Marci p.* 69. (8) *Orig. de recta in Deum fide, Doroth. in Synopſi, Procop. Diacon. apud Boll.* 25. *Apr.* (9) *Conſtit. l.* 2. *c.* 57. *Hieron. in Epiſt. Philemon. verſ.* 23. *Scholiaſt. Græc. in Acta* 12. *Doroth. Spanhem. de Marco Evangeliſta; Combef. Auctar. PP.* (10) *Act.* 12. 12. (11) *Act.* 15. 37. 39. (12) *Baron. Grot. alii.*

te, roget Timotheum Apoſtolus, ut Epheſo Romam deducat Joannem Marcum. Scitum eſt autem, juxta fidem S. Hieronymi in vita S. Marci, Euſebii in Chronico, S. Iſidori in Martyrologio, Sanctum Marcum Evangeliſtam Diſcipulum S. Petri diem clauſiſſe in Ægypto, anno 8. Neronis, & 65. J. C. Citius etiam obiiſſe affirmant alii, inter quos Eutychius Patriarcha Alexandrinus emortualem ejus annum componit cum primo Neronis; & Author Arabs geſtorum S. Marci, publici juris factus Uratiſlaviæ 1608. cum 14. Claudii Imperatoris; ac tandem Anonymus a Seldeno laudatus in notis ad Eutychium, ejus necem revocat ad Imperium Caji Caligulæ. Si qua fides hiſce temporum adſcriptionibus, liquido conſtat, Marcum conſobrinum Sancti Barnabæ ab altero ejuſdem nominis viro & Evangeliſta ſedulo diſtinguendum.

Si Authores illi obitum S. Marci citius conſignant, ſunt etiam alii, qui ſerius quam par eſt, amandaverint. Scriptor Chronici Alexandrini ejus obitum componit cum Ann. J. C. 104. ſub Imperio Trajani, prima die menſis Pharmot; narrat autem igne vitam conſummaſſe pro fide Jeſu Chriſti, neci traditum a prædonibus, Bucoliam Ægypti regionem incolentibus. Eadem tradit Dorotheus in Synopſi. Fateamur tamen oportet, hoſce Chronologiæ characteres omnes ambiguos eſſe adeo, ut nihil certi de anno emortuali S. Marci definiri poſſe demonſtrent. Quare nihil etiam ſatis certi ſtatui poteſt pro illa ſententia, quæ Joannem Marcum cum Evangeliſta confundit.

Nec magis certa altera illa ſententia, in numero Septuaginta Diſcipulorum S. Marcum accenſens. Papias (1) diſerte aſſerit, nec inter Diſcipulos Jeſu Chriſti, nec inter ejus ſectatores S. Marcum unquam cooptatum. Gemina tradit S. Auguſtinus (2), & poſt illum Theodoretus Præf. in Hiſt. Solitar. Inter homines Apoſtolicos, i. e. inter Diſcipulos Apoſtolorum refert Tertullianus lib. 4. contra Marcion. c. 2. nec ab his omnibus Beda diſſentit (3), ratus facile virum Sanctum inter eos habendum, qui poſt reſurrectionem nomen Chriſto dantes, juxta phraſim Actom Apoſtolorum 6. 7. *fidei obediebant*. Acta S. Marci excuſa, quæ antiquitatem præſeferunt (4), Cyrenem in Libia Cyrenaica patriam illi conſtituunt.

S. Petro Romam eunti circa annum 44. comes Marcus adhæſit; ibique ſcriptum ab illo Evangelium, rogantibus fratribus, ut ea quæ ab Apoſtolo prædicante audierat, ſcriptis ab ipſo tradita ſibi & poſteritati conſervarent, plerique ex Patribus aſſeruerunt (5). Id factum a Diſcipulo S. Petrus divina revelatione intelligens, juxta aliquos Authores (6), & Opus probavit, & legendum Eccleſiis omnibus tradidit.

Idem Opus in Ægypto adornatum aliqui apud S. Chryſoſtomum hom. 1. in Matt. aſſeruerunt. Elucubratum autem ferunt in gratiam Judæorum Alexandrinorum. Laudatur in eam ſententiam teſtimonium Euſebii, qui tamen nihil aliud in ſuo Opere præfert, quam miſſum S. Marcum in Ægyptum, ſcriptum ab ipſo Evangelium ibidem annunciaſſe. Sunt qui idem Evangelium S. Petro tribuerint: *Licet & Marcus quod edidit Petri affirmetur, cujus interpres Marcus*, ait: Tertullianus (7) Dictante Petro a Marco exceptum affirmat Pſeudo-Athanaſius in Synopſi; ſcriptum etiam a Petro maluit Batricides. Quibus plane repugnans S. Irenæus lib. 3. cap. 1. elucubratum ab Evangeliſta Opus poſt obitum S. Petri teſtatur. Tanta hæc opinionum diſcrepantia vix ac ne vix quidem conciliaretur.

Sed in aſſignando ſcripti Operis tempore, minus etiam ex rei difficultate convenitur. Cum anno 3. Claudii componit Euſebius; alii ad quartum revocant, quibus adſtipulatur Scriptum Arabicum Erpenii, & Author vitæ S. Marci a Kirſtenio vulgatus. Mſ. Græca (8) Evangelii S. Marci, quibus ad calcem adſcriptæ leguntur temporis adornati Evangelii illius notæ, inter ſe non cohærent. Alia enim ſcriptum ferunt 12. *annis poſt Aſcenſionem*, ſed majori numero alia, camdem lectionem ſequentibus Euthymio & Theophylacto, habent *decem*. Plerique ex Patribus tradunt, ſcriptis mandatum præſente Apoſtolo S. Petro. Quare ejus epocha componi poteſt cum anno 43. J. C. quo Evangeliſta una cum Apoſtolo Romæ verſabatur. Contraria S. Irenæi opinio (9), autumantis ſcriptum Opus poſt obitum SS. Petri & Pauli, ceterorum omnium teſtimonio adverſa mire torquet Chronologos. Itaque difficultatem hanc repulſuri nonnulli, textum ejuſdem Patris reddunt, ut innuat, non poſt obitum Apoſtolorum, ſed poſt eorum ex Urbe Roma diſceſſum, ad ſcribendum ſe S. Marcum contuliſſe. Confugiunt alii ad lectionem quorumdam Mſs. (10), qua vulgatum Evangelium fertur poſt Evangelium Sancti Matthæi; ita plane negotium omne tollitur, ſed nihil certi ea de re docemur.

Quo vero ſermone lucubrationem ſuam digeſſit Evangeliſta? Græco fert communis ſententia, teſtimonio vel ſaltem tacito aſſenſu Veterum ſuffulta. S. Auguſtinus de Conſen. lib. 1. cap. 2. tradit, Evangeliſtas omnes, uno excepto S. Matthæo, Græce ſcripſiſſe. Geminus eſt S. Hieronymus in Matt. 1. idemque ipſe facto probaturus, rogatus a Damaſo Pontifice, ut ſe totum recenſendis vel ex integro vertendis Evangeliis traderet, Græcum Originalis loco adhibuit. Nonnulla tamen extant Græca Mſs. Evangelii S. Marci, quæ Latine adornatum illud teſtantur (11); eamdemque ſententiam tamquam ſibi validis apertiſque rationibus perſpectam Baronius & Seldenus ſecuti ſunt. Favent Syriacus & Arabicus (12). Quin & maxime congruere arbitrantur ejus ſententiæ aſſertores, ut ſcriptum Romæ Opus Latine cuderetur. Verum & eadem plane ratione, ſiquidem aliquid evinceretur, autumandum eſſet, S. Paulum ad Romanos epiſtolam dantem Latine ſcripſiſſe, & Hebraice SS. Petrum & Jacobum, eo quod ad Hebræos ſcriberent; ſcitum eſt autem omnes illos Græcum ſermonem adhibuiſſe. Eſt etiam omnibus exploratum, Romanos S. Marci ætate Græco perinde ac Latino familiariter, ne fœminis quidem exceptis, uti conſueviſſe (13).

Nullus reſtaret ambigendi ea de re locus, ſiquidem noſtra ætate autographum Evangeliſtæ ſupereſſe compertum fuiſſet; ſed hæc perinde ambigua inter Eruditos. *Baronius* ad *An.* 45. J. C. tradit, deſcriptum a Sancto Marco Evangelium in Urbe Roma, ſcriptum, inquam, Latine, deinde cum Aquilejam ab Apoſtolo miſſus veniſſet Evangeliſta, Græcis literis ab ipſo traditum fuiſſe; quod Græcum autographum longa ætate Aquilejæ ſervatum, Venetias tandem delatum, religioſiſſime noſtra adhuc ætate cuſtoditur. Hæc omnia autem tenere ſe ait idem Scriptor potius traditione & ſparſo longe lateque rumore, quam certis aliquibus vetuſtatis monumentis. Narrant inſuper, Carolum IV. Imperatorem deprehendiſſe Aquilejæ Ann. 1355. Autographum ſeptem ſcapis compactum, quorum duos ipſe, nec ſine precibus, a Nicolao Epiſcopo Aquilejenſi fratre ſuo impetraſſet (14). Servantur hæc Scriptorum fruſtula Pragæ, & ex Epiſtola Decani ejuſdem

(1) *Papias apud Euſ. l. 3. c. 39. Hiſt. Eccl.* (2) *Aug. de conſenſu l. 1. c. 10. & in Fauſt. l. 17. c. 3.* (3) *Beda in Marc. c. 1. Ita Pſeudo-Hieronym. in Marc. 1.* (4) *Apud Boll. 25. April.* (5) *Clemens Alex. apud Euſeb. l. 2. cap. 15. Hiſtor. Eccl. Epiph. hæreſ. 51. Nazianz. Car. 34. & Orat. 25. Hieron. de viris Illuſt. Theophylact. in Marc. Eutych. Alexand. alii recentiores.* (6) *Clemens Alexand. & Theophylact. locis citatis Hieron. Euſeb.* (7) *Tertull. l. 4. contra Marcionem. Ita Hieron. de Vir. illuſtr.*

(8) *Vide nov. Edit. Novi Teſt. Mill. ad calcem Marci.* (9) *Iren. l. 3. c. 1.* (10) *Ita Chryſtophorſ. Petr. Poſſin Græc. Vide nov. edit. S. Irenæi D. Renati Maſſuet.* (11) *In Nov. Edit. Millii Bodl. 1. Mſ. 1. Syr. Arab. Pariſ. 6.* (12) *Vide notas Seldeni in Origines Alexandrinas Eutychii* (13) *Juvenal. Satyr. 8. . . . . . . Omnia Græce; Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.* (14) *Vide Boll. 25. April. & Epiſt. Jul. Fontanini ad R. P. D. de Montfaucon, Diarii Ital. cap. 4. pag. 56. &c.*

dem Eccleſiæ deſcripta illa Latino ſermone tradun- tur (1).

Sumunt etiam ſibi Venetiarum cives Mſ. Originala S. Marci autographum, quod Venetias Aquileja delatum decimo quinto ſæculo affirmant. Canonicus ille, cui pretioſi depoſiti cura demandata fuerat, ſuis ad Cornelium a Lapide Epiſtulis ab eo conſultus reſpondit, Græcum eſſe Codicem; quamquam, ait idem Cornelius, alii, quos antea ea de re interrogavi, ſuis ad me litteris certiorem fecerint, Codicis vetuſtate characteres omnes adeo abliteratos fuiſſe, ut ne litera quidem exprimeretur (2). Ciaconius in vita S. Petri Latinum eſſe perhibet.

Eumdem Codicem P. Mabillon (3) cum Venetiis eſſet, inſpicere cum maxime optarat, minime impetravit, cauſantibus Venetis in arcula quadam pretioſa, veluti in Lyſanotheca ſigillis munita, ita claudi, ut nemini permitteretur. Felicior tamen P. Bernardus Montfaucon & Librum inſpexit, & plura ad noſtram rem pertinentia obſervavit. Hæc majoria momenti ex illo referimus (4). Codex eſt Mſ. ex papyro Ægyptia, ut ipſe quidam teſtatur; membranaceum alii centuerunt (5). Vetuſtate autem adeo corruptus eſt eaque demum loci in quo aſſervatur, eſt humiditas, ut ni prompto remedio occurratur brevi tandem marceſcens diſſipetur. Raræ quædam literulæ hic illic integræ, ſed Latinæ omnes, exhibentur.

Refutat etiam Scriptorem quamdam, qui & literas Græcas & vocem KATA deprehendiſſe ſibi viſus erat; demonſtrans literas illas omnes Latinas fuiſſe, & quod ipſe KATA legit, re tamen ſcribi BATA; itemque quod ille D Græcum ſuſpicatus eſt, Latinum eſſe A cujus media linea evanuerit. Obſervavit etiam idem Author alicubi D & R Latinorum, quarum ſane alia eſt literarum forma apud Græcos. Addit nullum ſe alium vetuſtiorem Codicem unquam vidiſſe, nullas habentem vocum diſtinctiones, agglutinari autem adeo ejus folia humiditate & ſitu, ut ne ſeparari quidem poſſint. Quadratum eſt Manuſcriptum, cujus papyrus marceſcentium foliorum colorem exhibet. Cum autem neque verti folia neque legi ſcriptura poſſit, nullo indicio deprehendi poteſt, an duo illi ſcapi, qui Pragæ ſervantur, pars ejuſdem Codicis habendi ſint.

Sed Acta & Epiſtolæ de hac tranſlatione teſtimonium ferentia, a P. D. Bernardo in ſuo Diario Italico relata, extra controverſiam omnem rem ponunt. Recitantur ea de re plures litteræ Ferdinandi Archiducis Auſtriæ ad Baronem Franciſcum a Turre, qui legatione a Cæſare ad Venetos fungebatur Ann. 1574. Rogat autem Archidux per Legatum ſuum, Principem Venetorum, & Senatum, ut reliqui Codicis Veneti Exemplar tranſcriptum, cum alia ejuſdem parte, quæ Pragæ autographa ſervabatur, jungendum ſibi permittant. Hæc omnia expreſſa leguntur in Epiſtola Caroli V. Imperatoris, cujus exemplar Ferdinandus ad Legatum ſuum tranſmiſit. Ex tunc autem adeo corruptus erat Codex, ut an quinque pluribuſve ſcapis conſtaret, ſatis diſtingui non poſſet; nec a ſcriptura aliquid niſi pauca tantum verba diſtinguebantur. Quare Legatus unius tantum folii exemplar tranſmiſit, una cum papyri forma & colore ad vivum expreſſa. D. Fontanini, ex quo P. Montfaucon hæc omnia accepit, invicte demonſtrat, non ante annum 1420. Venetos Autographum illud poſſediſſe, dum Urbis Forojulienſis, quo ex Aquileja everſa tranſlatum fuiſſe conſtat.

Huic ſententiarum diſcrepantiæ conciliandæ affirmandum ſibi aliqui cenſuerunt, (6) S. Marcum Græce pariter & Latine ſcripſiſſe, vel ſaltem Opus ipſum ſuum ex Græco in Latinum vertiſſe. Alii (7) Apoſtolatum S. Marci Aquilejam negant; nihil enim ea de re apud Veteres. Ambiguum eſt etiam, Hermagoram, qui ejuſdem Evangeliſtæ in Cathedra Aquilejenſi ſucceſſor creditur, Apoſtolorum ætate vixiſſe. Contendunt pariter, Acta miſſionis S. Marci Aquilejam recentius eſſe commentum, ac tandem codicem Evangelii Venetiis & Pragæ aſſervatum vetuſtiſſimum quidem eſſe poſſe Originale, & ejuſdem Evangeliſtæ vero non eſſe; ſatis enim convenit Opus illud mature ſatis Latinis literis traditum fuiſſe; incertum tamen quo Authore vel tempore.

Quantum ex collatione utriuſque Evangelii SS Matthæi & Marci intelligimus, poſtremum hoc ſummam eſſe illius ſuſpicamur. Sæpe enim eaſdem voces retinet, eaſdem refert hiſtorias, iiſdem fere coloribus expreſſas; addit etiam nonnulla, quibus lucis aliquid Textui S. Matthæi affertur. Refert tandem S. Marcus duo vel tria prodigia in S. Matthæo omiſſa (8). Quod autem animadvertendum in ejus opere maxime, illud eſt, nimirum in reliquis omnibus S. Matthæum ſecutum, in ordine tamen narrationis a capite 4. 12. uſque ad 14. 13. illum deſerere, ut S. Lucæ, & Sancti Joanni adhæreat. Nec de generatione Jeſu Chriſti ſæculari, neque de ejus crepundiis quidquam attingit, opus ſuum exorſus a prædicatione S. Joannis Baptiſtæ. Parabolas etiam plures omittit, relatas apud S. Matthæum cap. 20. & 21. & 25. ſicut & ſermones nonnullos ad Diſcipulos & Phariſæos, legendos in capite 5. & 6. & 7. & 26. & 23. S. Matthæi.

Acta S Marci a Bollandiſtis vulgata ferunt, ſcriptum a S. Viro Evangelium Aquilejæ, ejuſque Autographum ipſum eſſe contendunt, quod in eadem Urbe ſervabatur. Vide quæ de Evangelio Latino S. Marci ſcripſimus.

De authoritate poſtremi capitis S. Marci, vel ſaltem de duodecim poſtremis verſiculis ejus Evangelii, dubitatum eſt apud Veteres (9). Unum hoc Evangelium recipere Hæreticos nonnullos teſtatur S. Irenæus lib. 3. cap. 2. Ferunt, viro huic Sancto demandatum fuiſſe munus Evangelii prædicandi in Ægypto, Thebaide, & Lybia Cyrenaica, quo ſcriptum a ſe in Italia Evangelium detulerit. Therapeutas illos, de quibus Philo de Vita Contempl. primos fuiſſe S. Marci Diſcipulos, plurium ſententia tenuit (10). Martyrium igne conſummavit (11) Alexandriæ, vel ſaltem defunctum ejus corpus igni traditum, in cineres favillaſque abiit.

Suſpicatur Grotius, Sanctum Marcum Hebræo Sancti Matthæi Codice in Verſione ſua adornanda uſum, ſicut viciſſim interpretem Græcum Sancti Matthæi, præ oculis habuiſſe Textum Græcum Sancti Marci (12); recurrunt enim in Sancto Matthæo & Marco ſimilas loquendi phraſes; quaſi ſcilicet poſtremus hic ſcriptor, qui omnium ſententia S. Matthæi ſummam dedit, non æque potuiſſet phraſes Græci Interpretis Sancti Matthæi in ſuum Opus transferre. Facile perſuaſum habuit Grotius, Evangelium Hebræum Sancti Matthæi nondum Græcis literis traditum fuiſſe, cum Sanctus Marcus ad ſcribendum ſe conferret. Addit in ſuis Prolegomenis ad Sanctum Marcum, Verſionem Latinam ejuſdem Evangelii remotiſſimæ eſſe antiquitatis, nec ſemel Textum Græcum ad Verſionem illam Latinam reformatum fuiſſe.

DIS-

(1) *Boll. Epat an. locis citatis.* (2) *Cornel. a Lap. in Marc. pag. 574.* (3) *Mabillon Iter Italic. pag. 32.* (4) *De Montfaucon Diar. Italic. c. 4. pag. 55. &c.* (5) Sed Bombycinum eſſe nemo ultra ambigit, poſt ſedulam illius inſpectionem factam a D. Scipione Maffejo, teſte earum rerum maxime idoneo.
(6) *Cornel. a Lapide, & Janſen. in Marcum.* (7) *Tillemont. not. 6. in S. Marc.* (8) *Vide Marc. 2. 23. & capp. 2. & 2. & 5. & 9. & 16.* (9) *Hieronym. Epiſt. 150. Niſſen. de Reſurrect. hom. 2.* (10) *Euſeb. lib. 2. cap. 17. Hiſtor. Hieron. de viris Illuſtr. Epiph. hæreſi 29.* (11) *Eutychius Patriarcha Alexandr. Chronic. Alexand. Hippolyt. in Mſ. Bodlei Doroth. & Anon. apud Mill. in capite Evangelii S. Marci.* (12) *Grot. Præfat. in Matth.*

DISSERTATIO

De Phariſæis, Sadducæis, Herodianis, Eſſeniis.

Articulus Primus.

De Phariſæis.

ANTE captivitatem Babylonicam nulla in Religione Judaicæ Sectarum ſciſſio, quæ charitatis vinculo junctum populum dividebat. Legis ſtudio unice occupati omnes (1), atque avitæ Religionis cæremoniis intenti, quæ apud alias gentes in honore erant, ſtudia negligebant. Scholas non alias maxime frequentabant, quam Templum Domini, & Prophetarum Palæſtras, ubi Sacerdotes Domini, Scribæ, Doctores, & homines divinitus inſpirati rationem docebant colendi Dei, ejuſque præceptis obſequendi. Quamdiu autem Prophetæ in Iſraele obtinuerunt, in varias ſententias abire, cum de Religione ageretur, nemo unquam cogitavit; tantorum enim Virorum auctoritas populos veluti ſub iiſdem ſignis continebat omnes, & Spiritus, qui Prophetarum ore loquebatur, id maxime præſtabat, ut neque Sectæ in Religione ullæ admitterentur, neque in ſententiis ab iiſdem Prophetis prolatis errati alicujus ſuſpicio induceretur. Cum Macchabæorum ætate (2) Altare Holocauſtorum a Gentilibus violatum disjiceretur deſtrueretur que, ejus lapides in certo aliquo loco ſervari Judas præcepit, donec *veniret Propheta & reſponderet de eis*. Simoni Macchabæo Reipublicæ ſumma poteſtas delata eſt tamdiu, *donec ſurgeret Propheta fidelis* (*).

Poſt captivitatem nulla etiam apparent apud Judæos ſectarum veſtigia, uſque ad tempore Macchabæorum, & Græcorum Imperium; quare nonniſi imitatione quadam Philoſophorum Græcorum id ſibi tandem ſuſceperunt Viri docti apud Hebræos; ut tres illas Sectas diſtinguerent, Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſeniorum. Cum itaque de Sectis illis non ſemel in Novo Teſtamento agatur, e re noſtra eſſe duximus, ſi originem, & Dogmata illorum panderemus; addentes pariter aliquid de Herodianis, quorum interdum in Evangelio mentio, quamquam ſecta illa hominum, vel ſaltem nomen apud Judæos non innotuerit.

Vetuſtiſſimum de tribus illis Sectis monumentum ſupereſt in 4. Maccabæorum apocrypho, ubi legimus (3), ætate Hircani Summi Sacerdotis, & Principis Judæorum fuiſſe inter Judæos tres Doctorum Sectas, nempe Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſeniorum. Paulo ante eam ætatem Joſephus conſtituit (†), nempe ſtatim poſt relatam epiſtolam Jonathæ Summi Sacerdotis ad Lacedæmones. Hæc epiſtola data eſt anno 3860. Jonathæ anno ſequenti defuncto ſucceſſit Simon; cui poſt Imperium octo annorum ſuffectus Hircanus, ad novem & viginti annos nationi præfuit.

Epocham harum Sectarum neque Author 4. Macchabæorum, nec Joſephus determinant; ſed poſtremus iſte, qui imperantibus Veſpaſiano, & Domitiano ſcribebat, alicubi tradit (4), jam inde e multis annis notas eſſe in gente ſua Sectas, nihil exactius de eorum origine referens. Quando autem ab A. M. 3850. decennio nempe ante Epiſtolam Jonathæ ad Lacedæmones, revocarentur, non longius, quam 220. five ad ſummum 300. e Joſepho annis excurrerent. Sed eſto, reducamus illas ad ea uſque tempora, quibus Judæi leves, & inſtabiles honori ſibi duxerunt, ſi contemptis patriis Legibus & ſtudiis, ad illam uſque ætatem in populo unice obtinentibus, ad ſtudia & exercitia Græcorum ſe conferrent (5); id equidem Sectarum non longius originem rejiciet, quam ad 20. circiter annos (6). Crediderim profecto non altius, quam ab anno 3820. repeti Sectas illas poſſe.

Porro Phariſæi imitationi Stoicorum, ſicut Sadducæi Epicuræorum, ſtuduiſſe videntur. Utrique enim aliquid ex ſingulis hiſce Sectis in mores, & Leges Judæorum traduxerunt. Porro Phariſæi auſterum hominum genus, jactabundum, & exactum, Stoicorum mores exprimebant; Sadducæi molliores, & faciliores, ſed juri ſuo ſingulis aſſerendo inexorabiles. Priores illi propugnabant animæ vitam immortalem, Angelorum, & Spirituum exiſtentiam, ſicut & alteram agnoſcebant vitam, in qua pro hominum merito ſive præmia, ſive ſupplicia diſtribuerentur. Moleſtas rerum futurarum curas omnes excutiebant Sadducæi, negantes animæ immortalitatem, & quæ inde ſequuntur dogmata. Erant apud Hebræos ipſa Salomonis ætate viri, quibus Epicuræorum, vel Sadducæorum dogmata arridebant, quemadmodum ex Eccleſiaſte (7) intelligimus; ſed in unum corpus coaluiſſe illos nonniſi poſt plures annos conſtat. Extra controverſiam eſt tamen, vetuſtiores eſſe præ Phariſæis, niſi communis opinio fallat, tenens, originem illos ſuam debere Sadok diſcipulo Antigoni Sochæi.

Phariſæorum originem ſerius conſignat S. Hieronymus (8), narrans, Scribas & Phariſæos accepto referri diſſidio, atque diviſioni duarum Scholarum Hillel & Schammai. Porro Hilleli in regenda ſchola ſucceſſit Akiba, præceptor Aquilæ Pontici, Græca Verſione Sacrarum Scripturarum celebris. Aquilam autem floruiſſe ſecundo Eccleſiæ ſæculo quis neſciat? Pertinebat igitur Hillel ad ætatem parum Chriſtum natum præcedentem.

Fidem S. Hieronymi confirmant Rabbini, quibus Hillel veluti Phariſæorum pater reputatur; vel ſaltem tamquam maximum ejuſdem Sectæ ornamentum. Virum hunc hyperbolice ita laudant, ut nullum ſatis anguſtum titulum alienum ab illo cenſeant. Celebrant præ ceteris incredibilem animi ad ſtudium contentionem; nec ſilent tum numerum tum meritum Diſcipulorum. Ex ejus Schola prodierunt viri cum Moyſe ipſo conferendi, tum & quadraginta alii jura dari Soli, inſtar Joſue, digniſſimi. Penes illum princeps in Sanhedrio poteſtas, & viri fama lateque per univerſum orbem ferebatur. Ganzius in ſuo

(1) *Joſeph. contra Appion. l.1. p.* 1038. (2) 1. *Macc.* 4. 46. (*) *Macch.* 1. 14. 41. (3) *Macch.* 6. (†) *Joſeph. Antiquit. l.* 13. *c.* 9. (4) *Lib.* 18. *cap.* 2. (5) 1. *Macchab.* 4. 15. 16 *Contempto Templo, & ſacrificiis neglectis, feſtinabant participes fieri palæſtræ & præbitionis ejus injuſtæ, & patrios quidem honores nihil habentes, Græcas glorias optimas arbitrabantur . . . . & eorum inſtituta æmulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos hoſtes & peremptores habuerant. Vide* 1. *Macchab.* 2. 15. 16.
(6) Circa *A. M.* 3830. quo cum nos componimus initium gymnaſii Jeroſolymæ conſtituti. (7) *Eccleſ.* 7. 21. *alibi ſæpius.* (8) *Hieron. in Iſaiam* 8. *Quas domus Nazaræi duas familias interpretantur. Sammai & Hillel, ex quibus orti ſunt Scribæ & Phariſæi.*

ſuo Chronico ſub Herodis Magni Regno eum vitum conſtituit. Narrat S. Epiphanius Hæreſ.15. Scribas & Phariſæos quatuor dogmatum ſuorum Authores vel Doctorum claſſes diſtinguere: primas tenet Moyſes, ſecundas Akiba, tertias Andar ſive Annan, alio nomine Judas, Aſſamonæi quartas; quod ſatis inſinuat Akibam vetuſtiorem Aſſamonæis habendum. Sed nimis iſta repugnant hiſtoriæ rerum ab Akiba geſtarum, quippe qui Hilleli in regenda ſchola ſucceſſit, & paulo ante Jeſu Chriſti tempora floruit.

Quidquid autem fuerit de vetuſtate harum Sectarum inter ſe, his potiſſimum diſtinguebantur. Phariſæi nominis ſui etymon debent voci Hebrææ, quæ ſeparationem (1) ſignificat, quod illi vitæ frugi & modeſtæ genere a ceteris Iſraelitis diſtinguerentur. Unice deferebant fato vel caſui (2), vel æternis Dei decretis, Dei, inquam, omnia ab æterno certo ordine & ad certos fines dirigentis. Joſephus, Phariſæus ipſe profeſſione (3), teſtatur ejus Sectæ dogmata ad Stoica ſatis acceſſiſſe (4); addens quoque, non omnia quidem ad fatum referre Phariſæos, cum hominibus liberam boni præſtandi omittendive facultatem permitterent (5); ut proinde nihil libero hominis arbitrio detraxiſſe illi cenſendi ſint; quamquam id S. Epiphanio perſuaſum videtur (6).

In eo autem, quantum ad dogma de fato, ab Eſſeniis diſcrepabant, quod hi quidem omnia fato tribuerent, Phariſæi vero certas tantum actiones, relicta interim ſingulis boni augendi omittendive poteſtate. Semel autem fato deferentes, tradit S.Epiphanius, errandi quadam neceſſitate ad Aſtrologiam ſe totos contuliſſe, veluti ſi aſtrorum contemplatione æterna fati decreta in Cœlo exarata, & in ipſa Dei mente ſcripta legere tandem potuiſſent.

Neque intra unius familiæ limites, vel ad unum aliquod hominum genus Secta illa reſtringebatur: noſcebantur Phariſæorum nomine plures in omnibus Tribubus, familiis, & hominum conditionibus. Qua vero erant ſapientiæ & probitatis apud omnes fama, hæc viros ipſis Regibus venerabiles ac metuendos exhibuit, quemadmodum luculento ſatis documento demonſtrat Alexandra, Regina uſque ad ſuperſtitionem religioſa. Rex ejus fœminæ conjux fato jam deceſſurus, illam rogavit, ut in partes ſuas Phariſæos pertrahere niteretur. Viri conſilium fœmina ſecuta, Phariſæis ſe totam reſque ſuas commiſit, qui opportunam hanc nacti occaſionem, ſummam poteſtatem invaſerunt, omnia deinceps ad ſuum arbitrium moderantes (7). Nec modice ad eorum augendam potentiam contulit ſummum in illos populi ſtudium, quod ſibi illi ſpecie quadam virtutis, ſcientiæ & pietatis conciliaverant; doctiſſimi enim præ omnibus in Legibus & patriis traditionibus habebantur, auſterum vitæ genus agebant, externum corporis habitum habebant ad virtutem compoſitum; cibo utebantur ſimplici, ſenſuum & voluptatum blandimenta æque vitabant (8); tandem ad ſuperſtitionem uſque litteralem Legum obſervantiam affectabant.

Nihil tamen illis indulgendum cenſuit Jeſus Chriſtus, eorum virtutem ac ſcientiam paſſim traducendam ſuſcipiens; illud etiam demonſtrans, nonniſi ſimulatione quadam probitatem, qua maxime carerent, affectaſſe. Jejunia ingeminabant, orationes prolixiores agebant; in decimarum ſolutione nemo exactior, cum & tributum de rebus etiam in Lege non præſcriptis penderent; multa largiendo pauperibus erogabant. Sed tantam virtutem majori faſtu & hypocriſi corrumpebant; hæc enim vitia maxime in Phariſæis ſpectabantur, faſtus nempe, oſtentatio, dominandi ſpiritus, atque jactantiæ amor; accedebat laudis apud homines & gloriolæ ſtudium, quo veluti ad ſcopum eorum omnia & vota & ſtudia & actiones collimabant; ſimiles dealbatis quibuſdam & ornatis monumentis (9), quæ in extima ſuperficie ſplendentia, intus ſaniem recondunt.

Affectabant in veſtibus phylacteria ſive faſcias membranaceas fronti & pulſibus alligatas, quas majores amplioreſque, quam ceteri Judæi, ferebant; majoribus etiam fimbriis in palliis utebantur; nec deerant, ait S. Hieronymus in Matth. 23 27. qui ſpinis quibuſdam fimbrias armarent, quæ gradientium crura pungentes mentem ad Deum excitarent. Lavabant crebro manus; & quoties e foro in domum redirent, a ſummo cubito adusque extremum digitum contractas ibi ſordes eluebant (10); nec infrequentius frigida totum corpus lavabant, quo ſimul totum purificaretur (11). Eodem balneorum genere eluebant vaſa, quibus in menſa utebantur, cubilia, quæ ante menſas inſternebant, & alia hujus generis; atque in tantam proceſſerant affectatæ puritatis ſuperſtitionem, ut hominem, quem liberioris vitæ crederent, velut Publicanum &c. ne tangere quidem & cibi cum illo capere aliquid ſuſtinerent (12).

Traditiones de religione a Patribus acceptas ſcrutari, velut unicam ſtudiorum ſuorum metam ponebant; ex quo factum, ut Legis onus præceptorum leviſſimi momenti ſarcina prægravaſſent; quin & præcepta quædam majoris momenti corrupiſſe illos, nimio traditionum ſuarum ſtudio, Jeſus Chriſtus in Evangelio exprobravit. Ita quod in Lege ſine limitatione & expreſſione præcipitur, ut honor nimirum & ſuppetiæ parentibus ferantur (13); Phariſæi ita corruperant, docentes poſſe liberos ab obligatione ſubveniendi parentibus eximi, ſi nempe illis petentibus dicerent: Hoc quod a me tradi poſtulatis, devotum eſt Deo, cujus oblationis meæ vos in partem admitto. Si quid iterum parentes a filiis poſtularent, illi ſe numquam daturos per *Corban* (14), ſive per donum Dei jurabant; exinde ſi quid patri vel matri etiam in extrema ſenecta vel anguſtia indulgeretur, piaculo erat. Superſtitionem multum provexerant in Sabbati obſervatione; qua de re ſæpius eum illis Jeſus diſceptavit; unde pariter accuſationes in illum ſuas ſtruxerunt Hebræi, contendentes hominem Religionis Sabbati, quam illi tamen, non Deus, invexerant contemptorem a Deo mitti non potuiſſe (15). Contendebant, inſuper vetitum ea die ægrotos a Jeſu Chriſto curari (16), quamquam id ab ipſo ſolo verbo præſtaretur; vetitum etiam ipſis ægris arbitrabantur, valetudinem poſtulatum venire (17); nec minus grave habuerunt, quod paralyticus die Sabbati curatus (18), grabatum ſuum ea die referret. Apoſtoli Jeſu Chriſti eſurientes, ſpicas aliquas, manu interim frumentum excutientes, evulſerant; ſublati hinc Phariſæorum clamores, & ingeminatæ in Jeſum ac Diſcipulos, tamquam violatores Sabbati, accuſationes (19).

Plura ſibi arbitraria indixerant jejunia, & Phariſæus in Templo bis ſingulis ſeptimanis id a ſe præſtitum jactitabat (20), nempe feria ſecunda & quinta, juxta S. Epiphanium Hæreſ.16. Nec in jejuniis eadem illis, ac apud ceteros Judæos, ſed major ſeveritas. In eos viros ita Jeſus Chriſtus Matt. 15. 5. *Cum jejunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, exterminant enim facies ſuas, ut appareant hominibus jejunantes. Tu autem, cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.* Queruntur alibi Phariſæi, obtendentes ſe & Joannis Baptiſtæ Diſcipulos crebra ſervare jejunia, cum interim Diſcipuli Jeſu Chriſti nihil in cibo & potu a reliquis hominibus diſtinguerentur (21); & Joſephus in Libro de Vita ſua narrat, inſtituendum ſeipſum tradidiſſe Banno viro frugi, qui nihil coctum paratumque deguſtaret, ſolis communibus alimentis e terra productis victitanti.

Mira & ſupra fidem auſteritatis Phariſaicæ exempla, quibus purum ab omni macula ſervare corpus nitebantur, refert S. Epiphanius Hæreſ.16. Duris interdum exercitationibus, quatuor integris annis, corpus affictabant, interdum octo, aliquando decem, antequam

(1) *Phares, dividere.* (2) *Joſeph. l.18.c.2. Antiq.* (3) *Joſeph. in vita ſua, Initio.* (4) *Idem ibidem. Vide Cicer. de Natur. Deor. De fato.* (5) *Joſeph. Antiq. l.13. c.9.* (6) *Epiphan. hæreſ.16.* (7) *Joſeph. de bello l.1.c.4.p.716. & l.13.c.18. Antiq.* (8) *Idem l.18. Antiquit. c.2.* (9) *Matt.23.27.* (10) *Marc. 7.4.* (11) *Joſeph. in vita ſua.* (12) *Matth.9.11. Luc.7. 39.* (13) *Exod.20.12.* (14) *Marc.7. 10 11. 12.* (15) *Joan.9. 16.* (16) *Luc.6.7. Joann.9.16.* (17) *Luc.13.14.* (18) *Marc.9.11. Joann.5.8.9.* (19) *Matth.12.1.2.3. &c.* (20) *Luc.8.12.* (21) *Marc.7.11.*

quam matrimonio copularentur. Metu vero, ne quid impuri dormientibus irreperet, ſomnum ſibi aſſidue ferre interdicentes, jugi vacabant orationi. Erant qui ſuper axem ſpithama, nempe 12. digitis, latum cubarent, ut ſi forte profundius dormire aliquando contigiſſet, in terram decidentes, ad orandum excitarentur. Inæqualibus acutiſque ſtratum lapillis lectum alii ſibi parabant, quo ſomnum vel dormire volentibus fugeret. Ad eum uſum alii adhibebant ſpinas, quarum aculeis ad vigilias excitabantur. Vitio illis vertit Jeſus Chriſtus, quod ſtantes in Synagogis vel in angulis viarum prolixas ducerent orationes, cum interim ab expilandis viduarum domibus non ſe continerent [1].

Cum nullo vero Legis præcepto aſperum illud vitæ genus præciperetur, neque Phariſæi peculiari aliqua lege ad eam rem adigerentur, ſinguli vitam, qualem quiſque ſibi conducere arbitrabatur, eligebant; hinc nihil in eorum moribus & diſciplina uniforme. Septem Phariſæorum claſſes in Talmud diſtinguuntur. Primam tenebant, qui obedientiam ſuam gloria & utilitate metiebantur: quibus forte verbis inſinuatur, non adeo opinionum ſuarum fuiſſe tenaces, quin commodiora ſibi aliqua nacti, veritatis etiam diſpendio illis inhærerent: ſecundam, qui gradientes, pedes non levarent, nempe vitæ frugi, auſteræ & ad modeſtiam compoſitæ maxime ſtuderent; tertiam qui in parietem euntes caput eliderent, quouſque cruor efflueret e vulnere, facile patientiæ & virtutis vana quadam oſtentatione, vel ſaltem nimio durioris vitæ exercitio viribus pene fractis, huc illuc caput præ laſſitudine quatiant. Quartam, qui intra cucullum quemdam caput abdentes, ex imo ejus, velut e mortarii fundo, reſpicerent, in ſymbolum pœnitentiæ & doloris. Quintæ claſſis homines audaci quadam ſpiritus præſentia quærebant, quid ſibi faciendum eſſet, ſe facturos actutum profitentes, addentes inſuper, nihil ſupereſſe quod adhuc non præſtiterint. Sextæ claſſis homines amore virtutis & ſpe præmii, Legem religioſius ſervantibus promiſſi, morigeros ſe præbebant. Septimam tenent, qui metu pœnarum, ſive ſpe præmii illecti, munus ſuum implerent. In eo cenſu varii perfectionis Phariſaicæ gradus ſpectantur, ſicut & variæ celeberrimæ hujus inter Judæos ſectæ claſſes atque ordines.

Inter Phariſæorum curas non infima illa habebatur, qua ſe totos augendo Proſelytorum numero, ſive reducendis ad Judaicam religionem Paganis impendebant. Concurſare terras & maria, ut Paganum aliquem ad fidem converterent, exprobrat illis Jeſus; cum interim eum virum, quem ab impietate Gentili revocarent, pernicioſa imbutum doctrina atque vanis & ſuperſtitioſis traditionibus ſuis inſtructum non ex impio juſtum, ſed impietate ad iniquitatem traducerent [2]; pro eo etenim quod illum ſana Legis doctrina inſtruerent, nonniſi corruptis traditionum ſuarum dogmatibus lactabant. Vitio etiam illis vertit, quod ſuperba veteribus Prophetis monumenta erigere affectarent, alte pariter edicentes, improbare ſe Patrum ſuorum conſilium [3], qui manus ſuas Sanctiſſimorum Virorum ſanguine cruentaſſent; cum interim ipſi ejuſdem ſpiritus hæredes paria in eos præſtarent, qui ſaniora ſibi perſuaderent.

Sacramenti religio ſancta jugiter & inviolabilis apud Hebræos manſit, cautumque Divino præcepto, ne quis in alterius quam Dei nomine juraret [4]: vetitum etiam ne quis Deorum externorum nomine ſacramento aliquo ſeſe obſtringeret [5]. Eas Leges Phariſæi mire detorſerant. Quicumque ita illi comminiſcebantur per Templum juraverit, ſacramento non obligatur, jusjurandum vero per aurum Templi religioſe ſervandum eſt [6]. Ita pariter nullum eſt ſacramentum per Altare; rite vero ſacramento per munus ſive oblationem, quæ eſt in Altari, adigimur. Invexerant pariter ſacramenta per Cœlum, per Jeruſalem; per caput ſinguli ſuum [7]; quorum pleraque ſacramenta, cum Dei nomen expreſſum non præſeferrent, nulla Religione tranſgrediebantur; veluti ſi non æque ſemper eadem ſacramenti religio conſtaret, ſive per inanime quoddam vel per animatum aliquid in teſtimonium veritatis Deus ſtatuatur. Templum, Altare, Cœlum, oblationes Deo factæ, omnia de Numinis majeſtate, ad quod pertinent, cenſentur; cui irrogaretur injuria ſi præſtitum illarum rerum nomine jusjurandum violaretur.

Perſuaſum habebant Phariſæi, animam immortalitate donari, ſpiritus & Angelos exiſtere [8]: tum & genus quoddam metempſychoſis, non animarum e vulgo quarumlibet, ſed proborum tantummodo admittebant. Porro illis animabus integrum volebant ex alio in aliud corpus migrare, cum interim impiæ in ſubterranea loca ad judicium pertracti, æterno & tenebroſo carceri damnati eſſent [9]. Ea perſuaſione ducti nonnulli autumabant, Joannis Baptiſtæ ſive Eliæ, ſive alterius cujuſcumque e Prophetis ſpiritum in Jeſum Chriſtum migraſſe [10]; ut idem eſſet Chriſtus ac virorum illorum ampliſſimorum aliquis.

Joſephus alio in loco docet [11], Dæmones homines infeſtantes, non alios reputandos, quam impiorum hominum ſpiritus, qui aliorum hominum obſidentes interdum corpora, exorciſmorum & adjurationum necnon herbarum virtute interdum migrare cogantur. Quare receptum fuiſſe apud illos conſtat, impiorum animas quaſdam non ſtatim in Infernis claudi. Vide S. Matthæum 8. 30. 31. Agnoſcebant pariter Phariſæi, ſicut & Judæorum ceteri, futuram mortuorum reſurrectionem [12], & quæcumque ex ea ſententia deducebantur, omnia a Saducæis impugnata. De his ſatis nos in Diſſertatione ſingulari.

Quam doctrinæ laudem apud omnes ſibi comparaverant, ejus ſibi retinendæ cura tenebantur maxima, ipſamque ſibi vindicaverant, juxta phraſim Jeſu Chriſti Luc. 11. 52. ſcientiæ clavem, neminem niſi miniſterio ſuo in Regnum Cœlorum ingredi jactitantes; cum alioqui neque ipſi ingrederentur, neque ingredi alios permitterent. Sedere illos dicit Jeſus Chriſtus ſuper cathedram Moyſis, munere docendi functos [13]; qua in re omnem obtinebant legitimam authoritatem, quare docentes illos auſcultari monet Jeſus Chriſtus, & quæcumque ab ipſis edicerentur, opere præſtari, niſi tamen divinæ Legi repugnantia traderent. Verum, addit, a peſſimis eorum exemplis abſtinete; importabilia enim aliis onera imponunt, quæ ipſi ne ſuppoſito quidem digitulo levare ſuſtinent. Subnectit, cæcos eſſe cæcorum ductores [14]; quorum ſi juſtitiæ non prævaleret Fidelium juſtitia, excludendos ipſos pariter una cum Scribis & Phariſæis e Regno Cœlorum denunciat [15].

Noluit ergo Jeſus cæco quodam more Præceptoribus illis adeo deferri, ut ducendos nos ab illis quocumque tandem facultas tulerit, permittamus. Obſequi illis, ſed explorata prius cauſa, præcepit, & ita obſequi, ut a Lege Domini, ne lato quidem ungue, divertamur. *Utcumque*, ait S. Auguſtinus lib. 16. contra Fauſtum cap. 29. *debetis advertere, & quatenus honor delatus ſit doctrinæ Moyſi, in cujus cathedra etiam mali ſedentes, bona dicere cogebantur.* Hæc quidem Jeſus edicit, ſed monet ſimul [16]: *Cavete a fermento Phariſæorum*: quidquid boni eſt in eorum doctrina, Moyſi; quidquid mali, Præceptoribus hiſce accepto referendum eſt.

Quo vero majorem traditionibus ſuis venerationem conciliarent, ab ipſo Moyſe receptas illas comminiſcebantur, una cum Legibus in monte Sinai latis; ultra Leges enim ſcripto traditas, quædam viva voce docuiſſe Moyſem ſeniores populi ferebant, ex quibus perpetua traditione ad ipſos tandem devenerint, perenni plane doctrinæ flumine, quod per longum ſæculorum alveum fluens illime decurrerit.

Nec

(1) *Matth.* 23. 14. (2) *Matth.* 23. 15. (3) *Matth.* 23. 29. *Luc.* 11. 47. 48. (4) *Deut.* 6. 13. (5) *Exod.* 23. 13. (6) *Matth.* 23. 16. 18. (7) *Matth.* 23. 21. 22. & 5. 35. 36. (8) *Act.* 23. 8.

(9) *Joſeph. lib.* 2. *de bello cap.* 12. & *lib.* 18. *Antiquitat. cap.* 2. (10) *Matt.* 16. 14. (11) *Joſeph. l.* 7. *c.* 25. *de bello pag.* 981. (12) *Matt* 22. 23. (13) *Matt.* 23. 1. 2. (14) *Matt.* 13. 26, 17. 18. & 15. 14. (15) *Matt.* 5. & 11. (16) *Matt.* 16.

Nec ſane diffitemur, veras aliquas atque probatas traditiones apud Judæos ſervatas. Numquam enim fieri poteſt, ut integra aliqua Religio ſubſiſtat, abſque eo quod plura moribus & memoriæ hominum committantur, maxime ad cęremoniam & diſciplinam ſpectantia. Ejus generis ſanctiones numquam ſatis exacte ſcripturæ commendantur; nec aliquid Religioni ea de re timendum eſt, ſiquidem res auctoritate quadam legitima curentur, id maxime intendente, ne quid perniciſum fictumque traditionibus admiſceatur.

Numquam tamen ſatis timetur periculum, quando genus aliquis Phariſaico ſpiritu, ambitione nempe, faſtu & vanitate tumens, rerum potitus, omnia pro ſuo arbitrio in Religione diſponit. Id enim ſi forte contigerit, tunc & ſubverti Leges omnes facile acciderit, ipſis earum defenſoribus plus nimio ſuis præjudiciis, quæ tamquam veteres doctrinas obtrudunt, deferentibus. Traditiones quidem recipit Eccleſia Romana, ſed nonniſi antiquitatis teſtimonio probatas, ceteriſque Legibus atque canonibus ab ipſis Eccleſiæ Præſulibus ſancitis maxime conſentaneas; ſolidas ipſas quoque, univerſales, atque morum ædificationi aptiſſimas. Improbat viciſſim rejicitque novas alias traditiones dubias, incertas, frivolas, veteribus probatiſque dogmatibus, legibus, atque diſciplinis repugnantes.

Phariſæorum ſecta, ceſſante Templo permanſit, neque in captivitatem abeuntibus Judæis, cum eorum libertate extincta eſt. Plerique noſtræ ætatis Hebræi illam profeſſi, veteribus inhærent traditionibus (1), quas Oralem legem appellant, implacabili odio inſectantes Caraitas, Textum legis ita probantes, ut traditiones & interpretationes, quæ de Sanctiſſimo veterum nomine cenſentur, non paſſim & indiſcriminatim omnes admittant. *Quicumque legem Oralem rejicit, apoſtata eſt & morte dignus*: quod ſanctum eſt axioma recentiorum Phariſæorum, ſive, qua illi appellatione donantur, Rabbaniſtarum.

Benjamin Tudelenſis exeunte duodecimo ſæculo in vivis agens, in itinere ſuo plures offendiſſe Phariſæos narrat (2), deplorantes Sionis & Jeroſolymæ caſum, cujus rei mœrore a carne vinoque abſtinebant, in cavernis atque caſis ſub dio agebant, dies tranſigebant jejunos, uno excepto Sabbato, dieſque tandem totos in oratione pro impetranda Iſraelis liberatione continuabant. Sed Scriptoris hujus, ficus & ceterorum fere omnium, qui itinerum ſuorum hiſtorias tradunt, fides plerumque ſubleſta eſt, nihilque certi de Phariſæis iſtis conſtat.

Congruunt recentiorum Phariſæorum cum veteribus dogmata; omnia enim quæ a libertate non pendent, fato ſubmittentes, illud edicunt: *Omnia ſub manu Cœli ſunt, excepto timore Dei*; i. e. exceptis pietatis operibus, a libero hominum arbitrio pendentibus; bonum enim vel ſecus operandi libera eſt hominibus permiſſa facultas. Remonſtrantibus Belgicis non abludere Sectam hanc hominum D. Baſnage arbitratur (3); Deum enim ad probos quoſcumque actus concurrere docent; quodcumque maluerit ſive bonum ſive malum eligere, hominis arbitrio datum volunt.

Phariſaicæ Sectæ character luculenter ſatis expreſſus in prece Phariſæi apud Luc. 18. 10. 11. legitur: *Gratias tibi ago, Domine, quia non ſum ſicut ceteri hominum, raptores, injuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus*. Agnoſcit ille decretum Dei, quo ſibi puram, ſanctamque ſupra omnes homines vitam ſanciverit; jactitat ſe libertate ſua optime uſum, cum virtutis exercitio ſe totum addixerit, ceteris hominibus deteriora ſectantibus. Porro ſolemne erat Phariſæis, ut ipſum tantum abſolutum peccati opus damnarent, turpes cogitationes, & vota, tum & conſilia, ſi non probabant, certe non reprehendebant.

Ridet Polybium Joſephus (4), quod autumaverit, Deus ultionem de Antiocho exegiſſe moliente direptionem Templi Dianæ, quod impium conſilium executioni mandare non potuit.

Indulgentiores præ veteribus illis noſtræ ætatis Phariſæi, aliquanto in cibo ceteriſque corporis afflictationibus mores relaxarunt; ſed nihil remiſſum eſt ab illis de vanitate, hypocriſi, atque traditionibus avitis retinendis. Dogma de metempſychoſi, ficus & de animarum circumvolutione, atque libero hominis arbitrio, ſancte retinent.

Quod autem ad metempſychoſim ſpectat, non deſunt qui autumaverint, apud veteres Phariſæos dogma illud numquam aſſertum; quod ipſis duplici ratione perſuadetur: ex ſilentio nempe Jeſu Chriſti, S. Clementis Alexandrini, & Sancti Epiphanii nihil tale Phariſæis exprobrantium. Alterum argumentum deducitur ex dogmate ipſo, quo alterum a Phariſæis admiſſum de reſurrectione dogma funditus evertitur; ad quod enim potiſſimum in reſurrectione corpus pertinere anima judicabitur, quæ plura incoluit?

Sed prior illa ratio non unica reſponſione diluitur. 1. Omnes Phariſæorum errores exprobrare Chriſtum quis cogebat? 2. Extra controverſiam poſitum eſt, opinionem de metempſychoſi longe lateque apud Judæos ætate Jeſu Chriſti obtinuiſſe, quantum ex dato a S. Petro interroganti Jeſu Chriſto reſponſo intelligimus. Quęrenti enim Magiſtro, ecquid homines de ſe cenſerent, reſpondit (5): *Joannem Baptiſtam*, eſſe te dicunt) *alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis*. Et Herodes Galilææ Tetrarcha, delata ad ſe miraculorum Jeſu Chriſti fama, rediiſſe ad vivos Joannem ſub aliis mortalis corporis exuviis ſuſpicatus eſt. (6) Cęcum a nativitate Apoſtoli reſpicientes, Magiſtrum interrogarunt, cujus crimine ille cęcitate percuſſus eſſet, proprio ne an parentum (7)? quod ſane opinionem de metempſychoſi non obſcure deſignat.

3. Silentio Librorum N. T. opponimus teſtimonium Joſephi, viri Phariſaicam ſectam profitentis; ille enim dogma de metempſychoſi probatum a Phariſęis defendi aſſeverat. 4. Tandem recentiores Phariſęi, quibus circumvolutio animarum probatur, ęque pariter de futura reſurrectione dogma tenent recipiuntque (8). Defendunt autem, ex pluribus ejuſdem animę contubernio addictis corporibus unum tantummodo in reſurrectione reparandum, manentibus ceteris, inertibus & in pulverem reſolutis. Sed ipſius ne animę electioni corpus, quod maxime optaverit, permittetur; an illa pariter etiam invita ad unum ſingulare cogetur? Ea de re non ſatis inter Doctores convenit; alii prius corpus pręferendum arbitrantur (9), alii (10) poſtremo litem adjudicant; quę tamen opinionum diſſenſio dogmati de metempſychoſi & reſurrectione nihil officere judicatur.

Sunt qui (11) crediderint, Phariſæos tamquam hęreticos Judęorum habendos, cum eos propugnaverint in rebus majoris momenti errores, eaſque invexerint pravas Legis interpretationes, quę inducendę hęreſi ſatis ſuperque fuiſſent. Accedit ad hęc in opinionibus ſuis defendendis pertinacia, tum & implacabilis in adverſarios ſuos omnes furor & perſecutio, quibus veluti coloribus hęreſis exprimitur. His facile perſuaderemur, nomine potius ſectatorum vel hęreticorum Judaicæ religionis, quam aſſertorum viros illos ſuggillandos; nec Joſephus diſſentit, eas omnes ſectas ſub hęreſis nomine deſignans (12).

Sed minor eſt hujus argumenti vis; ſolemne eſt enim apud Gręcos, ut ſectas omnes eodem hęreſis nomine exprimant; quæ proinde appellatio, quamquam apud nos invidioſa ſit, quemadmodum & nomen illud *Secta*, neutrum tamen probroſum erat apud Græcos, unde

(1) *Serar. trihæreſ. cap. 16. Baſnag. Hiſtor. Jud. lib. 3. cap. 3. art. 15. Gallice.* (2) *Itinerar. pag. 55.* (3) *Baſnag. Hiſt. Jud. lib. 3. cap. 2. art. 8. Gallice.* (4) *Joſeph Antiqu. lib. 12. cap. 13.* (5) *Matth. 16. 14.* (6) *Marc. 6. 16. 17. & Luc. 9. 9. 10.* (7) *Joann. 9. 1. 2.*

(8) *Vide Manaſ. Ben-Iſrael de reſurrect. mortuor. lib. 2. cap. 18. pag. 216.* (9) *Abarbanel. Comment. in Pentateuch.* (10) *Zoar, Paraſ. Haye Sara, Manaſſe. Ben-Iſrael, loc. cit.* (11) *Epiph. hæreſ. 16. Aug. Philaſtr. de hæreſib. alii quidam.* (12) *Joſeph. lib. 13. Antiquit. cap. 9. & alibi.*

in Latinos voces illæ derivatæ ſunt. Eſt enim *Secta* gentium quarumdam cœtus in unam aliquam ſententiam coeuntium; quemadmodum nunc etiam contingit in Eccleſia, ut alii aliam Philoſophiæ & Theologiæ Scholam ſequantur, citra diſpendium & diſſenſum in dogmatibus noſtræ fidei, atque interim coeuntibus omnibus in unum Eccleſiæ corpus, quamquam alioqui aliam alii defendant interpretandorum illorum dogmatum rationem, parati ab ea, quam tuentur, opinione recedere, ſi Sacris Eccleſiæ Præſulibus alia probetur ſententia.

Si quis tamen hæreſis nomine deſignaverit errores, quos pervicaciter Secta aliqua hominum a ceteris ſegregata defenderit; Phariſæos illos hæreticos habere per me licet, quorum errores luculenter in Evangelio exprimuntur, & pervicacia omnibus ſatis ſuperque eſt explorata. Si vero hæreticos reputemus illos, qui non ſententiarum tantum ſingularitate a ceteris ſegregantur, ſed a communione pariter & ſocietate Fidelium vel ſe actu ſubducunt, vel eam ſervant animi habitudinem, ut ſi forte Eccleſiæ alia ſederit ſententia, ab ejus potius communione quam a ſuis præjudiciis recedere parati ſint, eo ſenſu Hæreticos Phariſæos appellandos eſſe negamus; quippe qui in unam cum ceteris Judæis Eccleſiam coibant, atque ipſam Moyſis cathedram tenebant, ipſo Jeſu Chriſto teſtante [1]. Digniſſima Reipublicæ munia gerebant, doctiſſimi habebantur legiſque ſtudioſiſſimi, quin & vitæ modeſtæ frugique exemplo a ceteris Judæis ſpectabantur. Erant ex Phariſæis, qui ſacra operarentur, qui in Sanhedrium adlegerentur; erant ex omnibus hominum conditionibus. Templum pariter frequentabant, offerebant ſacrificia, nec rari inter illos virtutem non in ſpecie tantum colebant, ac tandem non defuerunt ex Phariſæis, qui Chriſto nomen darent [2], veluti Nicodemus & Gamaliel. De Phariſæorum ſecta hæc S. Paulus Actuum 26. 5. *Secundum certiſſimam ſectam noſtræ religionis vixi Phariſæus*. Hæreſis crimen numquam illis idem Jeſus exprobravit. Eorum errores vel latebant, vel tolerabantur; & de metempſychoſi ſententia longe tunc lateque per Orientem obtinebant; nec tandem ita reputandum eſt, quaſi de rebus Theologicis eadem eſſet ante Chriſtum, quæ noſtra ætate, explorata & certa cognitio. Ad hæc, viri plures in hoc argumentum ſcribentes doctiſſimi [3] numquam Phariſæos Hæreticorum nomine traducendos cenſuerunt; ſi quid aliud in SS. Patribus obſervatur, animadvertendum eſt, hæreſis nomine nonniſi Sectam, atque genus hominum erroneis quibuſdam ac ſingularibus opinionibus a reliquis diſcretum deſignari.

ARTICULUS II.

De Sadducæis.

Sectæ ſuæ Authorem & Principem Sadok agnoſcunt Saducæi [4], quem virum diſcipulum & ſucceſſorem Antigoni Sochæi ſtatuunt, cujus deceſſor fertur Simon Juſtus, ſummus Judæorum Sacerdos. Quod tamen non ita accipiendum eſt, quaſi Antigonus in ſumma dignitate Simonem exceperit; ſed tantum in doctrinæ traditione, ut Diſcipulus Magiſtrum. Simon Iuſtus, qui poſt Oniam primum Sacerdotii cathedram aſcendit, munere functus eſt ab ann. 3702. uſque ad 3711. Poſt illum Sacris præfuit Eleazar, quo Summo Sacerdote Verſio ſeptuaginta adornata fertur. His omnibus certa elicitur Saducæorum epocha.

Porro Antigonus Sadoki præceptor peculiaris fuit Sectæ Auctor, cui illud ſingulare, ut eximiæ pietatis ſtudio doceret, cultum Deo purum atque prorſus gratuitum præſtandum fuiſſe [5]. Monebat igitur Antigonus auditores ſuos, ne vilis mancipii more ſpe præmii illecti venale ſervitium exhiberent; parerent ſine lucro & omni præciſa recipiendæ mercedis ſpe, ſeque ad virtutem ſolo Dei timore impelli ſinerent. Singularia hæc ſunt viro Judæo, Legi aſſueto, in qua nihil frequentius, quam de præmiis temporalibus Iuſtis conferendis, atque ultione, quæ impios maneret. Iraque Antigoni dogmata pauci quidem arriſerunt.

Quare Sadok ejus Diſcipulus, cum nec tantam Magiſtri virtutem atque dogmatis puritatem ferre potuiſſet, ſimulque deſerere Virum, quem adeo ſuſpiciebat, non ſuſtineret, axiomate ejus retento, repugnantem de ſuo interpretationem adjecit. Eam proinde invexit opinionem, nihil ſive præmii ſive pœnarum in altera vita manere; unde & bonum præſtari & evitari malum alia plane, quam præmii ſpe ſive pœnarum oportere. Hæc de Saducæorum origine Hebræi.

De ejuſdem Sectæ crepundiis nihil ſingulare habet Ioſephus; & Author 4. Macchab. id tantummodo deſignat, Sadok illius Authorem fuiſſe. Profecto ſi de origine Saducæorum vera narrant Rabbini, vetuſtiores fuiſſe Phariſæis credendi eſſent; cum Phariſæos nos ab ipſis Macchabæorum crepundiis repuremus. Epocha Phariſæorum conſtituitur circa ann. 160. ante Chriſtum, quos proinde 100. ad minus annis præceſſiſſe Saducæos oporteret.

Hunc Sadok Schiſmate a ceteris Iudæis & Templo Domini avulſum teſtantur Rabbini, addentes illum recepiſſe ſe Samariam, & in monte Garizim cultum Domino impendiſſe. Sed hanc calumniam inteſtinum Phariſæorum in Saducæos odium invexit; nec recens illa quidem inducta eſt, cum ejus veſtigia in Sancto Epiphanio [6] & Philaſtrio appareant. Narrant enim Scriptores illi, Saducæos ſurculum eſſe hæreſis Doſithæi, qui facto a ceteris Iudæis ſchiſmate, Samariam ſe recepit; quippe qui norat, quæ maxime vellet, in patria ſua minime aſſecuturum. Durum vitæ genus in antro quodam egit, ubi & fame enectus eſt, vana jejunii oſtentatione pariter & obſtinatione; hæc S. Epiphanius. Sed multo pręs Sadok recentior habendus Doſithęus, quippe paulo poſt obitum Jeſu Chriſti in vivis agens [7], veniſſe ſe Meſſiam & Chriſtum jactitabat [8].

Aliam de Schiſmate Sadok hiſtoriam referunt Iudęi [9]. Cum Alexander Magnus, inquiunt, in Iudæam veniſſet, rogarunt Principem Samaritani, ut ędificandi Templi Domini in Monte Garizim facultatem ſibi permitteret, impetraruntque, quod populum Iſraelis in duas partes diſtraxit. Simeon Iuſtus, ejuſque Diſcipulus Antigonus Sochęus, cum majori populi parte in fide & cultu Domini manſerunt, in Templo Ieruſalem adorantes; Sadok & Boetus ſive Boitus Diſcipulus Antigoni, cum magna ſceleſtiſſimorum Iudęorum manu partes ſecuti ſunt Sanaballat Horonitę, ejuſque generi Manaſſe, filii Summi Sacerdotis Ioiue filii Ioſedech, qui omnes Samaritanis cultum Deo in monte Garizim pręſtantibus faverunt. Hęc de Saducæorum origine Judęi.

Contendunt alii [10], Saducęorum nomen ex Zedech, juſtitia, derivatum, quod viri illi juſtitiam pręs ceteris vulgo Judęis colere affectarent. Sed quę hęc juſtitia, niſi forte in exercitiis religionis ceteriſque Reipublicę officiis, nulla utilitatis ſpe ab ipſis præſtitis; quippe qui nulla ſive pręmia ſive ſupplicia in altera vita reſpicerent; vel forte in exacta & inflexibili Legis obſervatione, ſicut & inexorabili de ſontibus pœna ab illis exacta?

Inter has ſententias, quę Sectam accerſit ex Sadok diſcipulo Antigoni ſucceſſoris Simonis Summi Sacerdotis,

(1) *Matth.* 23. 2. (2) *Joann.* 3. 1. *Vide* 9. 16. *Act.* 3. 4. (3) *Serar. trihæreſ. cap.* 9. *Genebrard. Druſius, Baſnage.* &c. (4) *Ita lib.* 4. *Macchab. cap.* 6. *Philaſtr. Elias in Tisbi, R. Jacob Præfat. in Lib. fin. Auth. Cozri R. Abrah. Levi in Cabala hiſtoric. Rab. Nath. Ita Pirke-Aboth, alii plures.*

(5) *Vide R. Nathan. Comm. in Pirke Aboth. c.* 1. *Manaſſe Ben-Iſrael in lib.* 1. *cap.* 6. *de reſurrection. mortuor.* (6) *Epiphan. hæreſ.* 14. (7) *Origen. in Matth. tract.* 27. (8) *Idem lib* 2. *contra Celſum.*

(9) *R. Abrah. Levi in Cabal. Hiſtorica.* (10) *Epiphan. hæreſ.* 14.

dotis , veritati magis cohæret. Numquam enim commiſiſſet Joſephus , quin proderet Saducæos a Samaritis originem ſuam repetiiſſe , atque ſchiſmate a ceteris avelli ; numquam etiam inter veteres Sectas Judæorum illos recenſuiſſet ; numquam in Templo tale hominum genus pati Judæi potuiſſent ; numquam ſumma illis Reipublicæ munia demandarentur ; a quibus tamen omnibus non excluſos Saducæos ex Joſepho intelligimus.

Potiſſimi Saducæorum errores in eo verſantur, ut Angelos (1) & animæ immortalitatem (2) negarent. Nec tamen illi impugnabant animam , qua nos intelligentiæ & rationis facultate inſtruimur ; ſed interire illam una cum corpore defendentes , quæcumque de ſuppliciis atque præmiis alterius vitæ ferebantur (3), quæcumque pariter de reſurrectione mortuorum apud ceteros Judæos obtinebant (4), ad fabellas & puerorum oblectamenta amandabant. Ignoraſſe illos S. Spiritum , nempe facile Spiritum Prophetiæ, S. Epiphanius hæreſ. 14. recenſet. Profecto negati a Saducæis Prophetæ vulgo feruntur. Corpore Deum conſtare , ex eorum dogmatibus intuliſſe Arnobius (5) ſibi viſus eſt. Teſtimonium S. Epiphanii ad literam interpretatus S. Auguſtinus (6) aſſerit , S. Spiritum a Saducæis negari , a Phariſæis admitti ; quamquam & hi quidem in Jeſu Chriſto reſidere eumdem Spiritum negabant.

Nihil tamen de Saducæis , quod ad S. Spiritum attinet , ſive in S. Scriptura , ſive in Joſepho legitur, nec ſane mirum eſſet , Judæos homines nihil de S. Spiritu tamquam tertia in Trinitate Perſona reſciſſe : quis enim Judæorum ſatis diſtinctam de tanto myſterio ideam habuit ? Nec aliud facile voluit S. Epiphanius , quam ut illos opponeret Phariſæis S. Spiritum, ut ille quidem aſſerit , admittentibus ; eo nomine Prophetiæ ſpiritum deſignantibus , cujus afflatu Prophetæ vaticinabantur. Ut vera tamen fateamur, quid eo nomine Phariſæi admitterent , rejicerentque Saducæi , non ſatis aſſequimur ; an naturam aliquam a Deo diſtinctam , an realem Divinitatis emanationem , perſonam aliquam divinam , non conſtat.

Corpus Deo affinxiſſe Saducæi nullo argumento convincerentur , nihilque tale deduci poſſet ex eorum dogmatibus ſive de Angelis ſive de mortali animæ natura. Quando enim nec Angeli nec ſpiritales naturæ darentur , quando anima immortalitate non donaretur , numquid proinde Deus corpore conſtaret ?

Recipiebant Saducæi Libros Moyſis , in quibus frequens Angelorum , atque de viſis ab hominibus Angelis mentio. Quomodo ergo dari Angelos negabant? Qui ab ea ſe difficultate expedierint , nec videmus ſatis , nec eorum ad ea loca interpretationes ullibi unquam legimus : ſunt tamen qui ſuſpicentur , perinde ab illis Angelos reputari, quaſi virtutes a Deo indiſcretas (7) inſtar radiorum & lucis , quæ vix ac ne vix quidem a ſole divellerentur ; patuiſſe autem in terra variis prǽditos nominibus, pro variis, quibus fungebantur , muneribus.

Ingenioſa ſane interpretatio quę tamen difficultatem prorſus omnem non tollit ; non enim Angeli per viſum hominibus ſpectati , de quibus in Libris Moyſis, emanationes quędam & effluxus divinitatis habendi ſunt ; cum potius naturę videantur prorſus a Deo diſcretę, & ab eo miſſę , ut ſuo & nomine & virtute commiſſas ſibi functiones præſtent. Commodior eſſet & planior reſponſio , ſi Angelos illos nihil aliud fuiſſe dixiſſent , quam ſpectra quędam , & parvo ſubſiſtentia tempore phantaſmata , quibus nihil pręter ſpeciem ſubeſſet ; corpora quędam aerea a Deo mota , vel ficta ab aliquo mortali ſpiritu , ut hominis anima mortali illa quidem , juxta eorum opinionem non diſſimili, animata , quo ciente agerent ceteraſque naturę intelligentis functiones pręſtarent. Apologiam tamen ſtruere Saduceęorum non vacat, eorum tantum referimus opiniones.

Quamvis pręmia omnia pœnaſque alterius vitę ſubducerent, Legi tamen exactiſſime parebant , ejuſque obſervantiam ſeveris animadverſionibus exigebant (8) ; quod eorum dogmatibus maxime erat conſentaneum. Si enim nullę manent impios niſi in hac vita pœnę , ſicut nulla juſtis niſi in præſenti ſæculo præmia , opus ſane fuerat, ut præmia pariter & ſupplicia pro meritis diſtribuerentur. Quam opinionem ſuam prava Scripturarum interpretatione fulcire poterant. Moyſes in ſuis Legibus numquam niſi de præmiis vitæ præſentis agit. Deus in hoc ſæculo ſeveris animadverſionibus impios punit , cujus documentum exhibet ignis in Sodomitas demiſſus , flagella in Chananæos, in *Her & Onan*, in Pharaonem & Ægyptios excuſſa. Hæc omnia, quorum legebant in Pentateucho hiſtorias , erroneas illorum ſententias fovebant.

Sed principia, æque ac deductæ ex illis conſecutiones omnia erant abſurda, Deus punit , Deus præmia largitur , ſæpe quidem in hoc mundo , ſæpe pariter negligit ; nec inde tamen recta deduceretur , ſpes noſtras metuſque intra anguſtos bonorum malorumque vitæ præſentis fines contineri debuiſſe. Poſſunt pro immortalitate animæ argumenta e Geneſi deduci. Homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei formatus eſt ; quare cum Deus ſpiritus ſit , homo pariter & ſpiritu conſtabit, quantum ad eam naturæ ſuæ portionem ſpectat , quæ ratiocinatur , & cogitat. Abraham , Jacob , ceterique viri ſanctiſſimi nulla pro granditate meritorum ſuorum ſatis æqua præmia in hac vita receperunt : promiſſionum, quibus illis ſe Deus obſtrinxerat , fidem ſuam ipſe Deus non liberavit. Par erat ergo in altero mundo illos æqua meritis recepiſſe , vel Deus de injuſtitia accuſandus & infidelitate in promiſſis ſuis præſtandis. Deus tandem ita ſe Moyſi manifeſtavit , Exod. 3. 6. 15. 16. *Ego ſum Deus Abraham, Iſaac, & Jacob* ; eſt autem Deus non mortuorum , ſed viventium ; vivunt ergo Patriarchæ. Ita Jeſus Chriſtus ratiocinatur (9).

Accuſantur Saducæi de rejectis omnibus Scripturæ Libris , Operibus Moyſis unice exceptis (10) ; quam accuſationem confirmant Authores , obſervantes, ex Libro tantum Exodi , quem plane recipiebant, deductu in Evangelio adverſus illos teſtimonia , omiſſis aliis ceterorum Scripturæ Librorum , quamquam probandæ reſurrectioni magis congruere videbantur. Rejiciebant pariter Veterum traditiones, una cum Phariſæorum interpretationibus. Quare eorum ſecta multo & numero hominum & potentia Phariſæis concedebat ; minorem ſibi apud populum conciliaverat famam , venerationem, & amorem. Ditiores tamen Judæorum, & viri quique dignitatis ampliſſimæ , plerumque nomen ſuum inter illos dederant ; qui tamen in externa Reipublicæ politia moribus ſe & dogmatibus Phariſæorum accommodare cogebantur : vix enim alioqui incommodam eorum diſciplinam ferre populus ſuſtinuiſſet (11).

Quam huc uſque firmavimus , de rejecta univerſa Scriptura, uno excepto Pentateucho , difficultatibus nonnullis arguitur opinio. Obſervat Scaliger, Elench. Trihæreſ. cap. 16. poſt abſolutum Sacrorum

(1) *Act. 23. 8. Saducæi enim dicunt non eſſe reſurrectionem , neque Angelum , neque Spiritum ; Phariſæi autem utraque confitentur.* (2) *Joſeph. lib. 2. cap. 12. de bello & lib. 18. Antiquit. cap. 12.* (3) *Joſeph. lib. 2. de Bello cap. 12.* (4) *Matth. 22. 23. Saducæi , qui dicunt non eſſe reſurrectionem. Vide & Marc. 12. 18. Luc. 20. 27. Act. 23. 8.* (5) *Arnobium lib. 3. p. 100. Vide & Scultet.* (6) *Auguſ. Serm. olim 11. de Verbo Domini num. 70. c. 3. n. 5. p. 386.*

(7) In eam ſententiam venerant Judæi S. Juſtini Martyris ætate. *Vide Grot. in Matth 22. 23. Clericum in Act. 23. 8. & S. Juſtin. in Dial. pag. 358.* (8) *Joſeph de Bello l. 2. c. 12. Vide Euſ. Hiſt. Eccl. l. 2. c. 23.* (9) *Matth. 22. 32. Marc. 12. 26.* (10) *Vide Serar. triheræſ. cap. 21. n. 1. & apud eum R. Eliam in Tisbi , Tertull. Praſcript. c. 49. Origen. lib. 1. tract. 21. in Matth. Hieron. in Matth. 22. Beda , alii.* (11) *Joſeph. Antiquit. l. 18. c. 2.*

Librorum Canonem Sadducæos ſtatuiſſe, cum ſcilicet nullius arbitrio permitteretur inter Sacros Libros rejicere alios, alios pro arbitrio incipere; omnibus enim æque aſſerta erat & divina authoritas. 2. Si viris illis ſeligendi fuiſſent Libri, dogmatibus ſuis vel congruentes, vel ſaltem non repugnantes, non plane illis Moyſis opera fuerant ſeligenda, in quibus de ſpectatis ab hominibus Angelis mentio frequens occurrit. 3. Saducæi nec a Templo nec a cœtibus religioſis aberant, ubi lectio frequens Scripturarum & maxime Prophetarum. Quis autem credat, eorum, quorum tanta religione lectionem auſcultaſſent, Librorum authoritatem penitus rejicere? 3. Meſſiam non ſecus ac Judæorum ceteri expectabant. Itaque Prophetas Meſſiam promittentes, & genuinos ejus characteres deſcribentes, admittere illos par erat.

4. Joſephus, cui præ ceteris omnibus ejus ſectæ dogmata fuerant exploratiſſima, in eo diſcrepare illos a Phariſæis commemorat [1], quod iſti quidem docerent exequerenturque plures traditiones a Patribus acceptas, nec tamen in Lege Moyſis deſcriptas, cum interim Saducæi traditiones illas omnes rejicerent, nihil recipiendum quam quod ſcriptum eſſet, defendentes. Porro locus iſte Joſephi pro utraque opinione affirmante & negante laudatur; quamquam ipſe Joſephus ambiguum determinaſſe ſenſum ad Libros tantum Moſaicos viſus eſt. Quid inde tamen? an forte ex eo dedoceretur, rejectos a Saducæis ceteros Scripturæ Libros? 5. Rabbini contra Saducæos diſputantes non teſtimonia tantum producebant ex Libris Moſaicis, ſed ex ceteris etiam univerſæ Scripturæ & Prophetarum; nec Saducæi commoda reſponſione argumenta illa diluerunt, Libros Scripturæ negantes, ſed vanis ſubdolisque interpretationibus eorum potius vim eluſerunt. 6 Quis credat, potuiſſe illos eadem cum ceteris Judæis communione coire, potuiſſe primas Reipublicæ dignitates obire, quin & ſummum aſcendere Sacerdotium, ſi Sacros Judæorum Libros temerario auſu rejeciſſent? Ad hæc, S. Petrus ceterique Apoſtoli coram Saducæis verba facientes, teſtimonia laudant ex Pſalmis indiſcriminatim ac ex aliis omnibus Scripturis [2]. Ex his ergo, quantum aſſequor, intelligimus, Saducæos non ſecus ac Judæorum ceteros, univerſos æque Sacræ Scripturæ Libros probaſſe [3]. Et quando rejectos ab illis aſſerunt Veteres omnes Scripturæ Libros, ſolis exceptis Moſaicis, eorum teſtimonia eodem facile ſenſu interpretemur oportet, quo Joſephi illud, nempe illos Moſaicos Libros tamquam Legem recipere, omnibus Phariſæorum traditionibus rejectis, Ceteros Scripturæ Libros recipiebant quidem, ut canonicos; ſed accommodatis ad ſua præjudicia interpretationibus, loca, ubi de Angelis ſermo, ita detorquebant, quemadmodum cetera ejuſdem ſententiæ, quæ in Pentateucho legebantur.

Reputandum eſt autem, in religione Judæorum poſt captivitatem dogmata de immortalitate animæ, & exiſtentia Spirituum minoris momenti, nec, ut vocant, fundamentalia habita fuiſſe, cum Saducæi inter medios Judæos, nec ab eorum communione avulſi, ſententias illas profiterentur [4], & Viros haberent ſummæ Sacerdotii dignitati pares, quamquam alioqui errores illos invicte tuerentur. Hæc igitur in gente illa problematice diſputabantur. Phariſæi, & Saducæi alterutrorum invicem principia rejiciebant; nec tamen excommunicatione alii alios damnabant: omnes æque Libros Sacros recipiebant, ſed non eodem ſenſu & interpretatione, Fidei Phariſaicæ normam conſtituebat Scriptura; morum regulam dabant traditiones. Hanc prærogativam, Saducæi ſolis vindicabant Moſaicis Libris, ceteriſque Sacris Authoribus, quorum tamen ſententia ſuo marte interpretabantur.

Saducæi fatum negabant, ait Joſephus [5], cujus nomini nihil ſubeſſe niſi phantaſma aliquod ſpectrumque dicebant; nihil enim fati vi imminere arbitrabantur hominibus. Quam ex eorum ſententia, nobis plena manet agendi libertas, qua ad arbitrium utamur. Noſtram proinde ſtruimus bonam deterioremve fortunam, juxta quod in bivio conſtituti receptam vel deteriorem viam eligimus. Teſtatur alibi (6), negata ab illis fatum & providentiam, ſeu aliis verbis *Deum ſive malum operari, ſive noſcere, atque a ſe alienum reputare*. Hominem bonum malumque habere in arbitrio, nihilque illi, niſi quod maxime voluerit, contingere, bona vel mala, uſu ſuæ libertatis.

Nec homini, quem nihil ſperandum in altera vita manebat, aliquid, quod a Deo poſceret, reliquum eſſe potuiſſe intelligimus. Si enim Deus nihil in bona noſtra, ſive quæ ferimus toleramuſque mala influit; ſi nempe in noſtro unice poſitum arbitrio reputandum eſt, ut abſque Dei ope mala vel bona operemur, ſi nulla manent in altera vita præmia vel ſupplicia, quid a Deo poſceret Saducæus, nec in quo potiſſimum cultum ſuum, & Religionem conſtitueret, ſatis aſſequerer. Si Dei in hac vita ope nulla indigebat; ſi nihil timendum manebat in altera vita, ut quid Deum metueret, coleret, adoraret? Nullo luculentiori argumento intelligimus, quouſque tandem Religionis Judaicæ corruptio deveniſſet, quam quod illa in ſuo gremio exciperet tam abſurdæ opinionis aſſertores authoreſque. Nec Saducæorum profeſſio multum ab Epicuræis abludebat; nihilque inter illos conſtituerem diſcriminis, quam quod Saducæi ſupplicia ſaltem aliqua in hac vita vel præmia a Deo metuerent, expectarentque; quæ ſibi etiam ad bonum incitamenta Epicuræi inducebant.

Saducæorum Secta diutius quidem & nunc etiam, ad paucos tamen redacta, ſubſiſtit (7). Hodie quidem e cœtibus Judæis tamquam hæretici ejiciuntur; olim tamen alia erga illos diſciplina. Hircanus Summus Sacerdos & totius gentis Princeps, poſtquam diutius Phariſæis faviſſet, ſeceſſione ab ipſis facta, ad Saducæorum partes tranſivit (8). Fertur etiam capitali pœna indixiſſe Judæis, ut dogmata Sadok reciperent (9). Ariſtobulus & Alexander Jannæus filii Hircani, Saducæos defendere & inſectari Phariſæos diutius perſeverarunt. Teſtatur Maimonides (10), ſub Alexandro Rege Saducæos omnes invaſiſſe Sanedrii dignitates, uno relicto Simone filio Scera, qui Phariſæorum partes tueretur. Verum priſtinam authoritatem receperunt Phariſæi ſub Alexandra uxore Alexandri Jannæi. Caiphas, qui Jeſum Chriſtum morti adjudicavit, Saducæorum ſectam profeſſum intelligimus ex Actuum 5. 17. Vide & 4. 6. Eamdem profitebantur pariter Ananus Junior (11), qui ſanctum Jacobum fratrem Jeſu neci tradidit.

Qui Saducæos veluti Samaritas & diſcipulos Doſithæi habendos cenſuerunt, viris Imputarunt cultum Dei, hirci ſimulacro expreſſi, & corruptum textum primi Capitis Geneſeos ut legerent: *In principio azyma*, (ſive hircus) *creavit Cœlum & Terram*. Sed accuſationes iſtæ ipſæ ſe deſtruunt, nec eſt cur Lectores quidquam remorentur. Saducæi Deum in Templo Ieroſolymitano colebant, Meſſiam opperiebantur, nihilque ea in re a ceteris vulgo Judæis diſſidebant; quin

(1) *Joſeph. Antiquit. lib.13. c.18.* (2) *Act. 4. 12. & 5. 17.* (3) *Vide Manaſ. Ben-Iſrael, lib. 2. cap. 6. Neque tamen derogabant fidem Prophetis, ſed loca Prophetarum in alium longe ſenſum interpretabantur.*
(4) *Manaſſe Ben-Iſrael* in Epiſtola nuncupatoria Libri ſui de reſurrectione, *& lib. 1. cap. 1.* teſtatur, veteres Judæos e cœtu Iſraelitarum retraxiſſe eos, qui animæ immortalitatem abolerent; docuiſſe pariter, illud hominum genus nullam habiturum partem in ſæculo futuro, & in mundo animarum.
(5) *Joſeph. Antiquit. lib.13. cap.9.* (6) *De bello lib.2. cap. 12. pag. 788.*
(7) *Vide Baſnag. Hiſtor. Judaor. lib.3. cap.5. art. 23. 24. 25. &c. Serar. trihæreſ. cap.25. Manaſſe Ben-Iſrael de Reſurrect. lib.2. cap.2.* (8) *Joſeph. Antiquit. lib.13. cap.18.* (9) *Vide Abraham Ben-Dior Cabala. Ita apud Trigland. de ſecta Carait.* (10) *Maimonid. Halac. Sanhedr. cap. 62.* (11) *Antiquit. l.20. cap.8. pag.698.*

quin & in unam cum ceteris phariſæis conveniebant ſententiam, quippe qui unum Liberatorem & Regem temporalem tantum expectarent. Ita ſemel utriuſque ſectæ homines perſuaſi, ſi neque Jeſum noſcere, neque ſpiritale ejus Regnum admittere voluerunt, non eſt cur vehementer miremur. Nec ſane quiſquam e Saducæis nomen Chriſto dediſſe in Evangelio legitur; plura enim habebant in opinionibus ſuis cum fide & ſalute a Jeſu Chriſto annunciata pugnantia.

ARTICULUS III.

De Eſſeniis.

Eſſeniorum origo ac etymon æque latent, cum nihil de illis ſatis expreſſum, neque de tempore, neque de Authore Sectæ apud Philonem & Joſephum legatur. Author quarti Macchabæorum [1], cujus Operis Gallicam dedimus Verſionem, ſectam illam hominum, quam *Haſidanim* appellant, Hircani Macchabæi ætate circa A. M. 3894. floruiſſe jam tradit. Sermo eſt apud Joſepum [2], de Juda, viro inter Eſſenios clariſſimo, qui in vivis egebat ſub Antigono filio Hircani & fratre Ariſtobuli Regis Judæorum. Porro Judas iſte vaticinatus eſt, Antigonum ſub turri Stratonis proditione interimendum, cujus oraculo ſua manſit ab eventu fides, Judæis omnibus Jeruſalem & ipſo pariter Juda ſtupentibus.

Plinius [3], qui non ſine ſtupore Eſſeniorum mores a Joſepho deſcriptos legerat, ipſe pariter illorum hiſtoriam florenti & magnifico ſtylo tradens, gentem illam jam inde a multis ſæculorum myriadibus ſine mulierum commercio propagari aſſerit. *Ita per ſæculorum millia, incredibile dictu, gens æterna eſt, in qua nemo naſcitur.* Sed falli virum conſtat: generis quippe origo non ante Macchabæos conſtituenda eſt; nec cœlibem Eſſenios omnes vitam egiſſe, niſi per errorem aſſereretur. Eſſe namque inter illos virorum manum quamdam, qui in reliqua vitæ profeſſione a ceteris non diſcrepantes, connubio, quod ceteris inuetum, jungerentur, tradit Joſephus [4].

Sunt qui autumaverint [5], ad poſteros Jonadab Patris Rechabitarum viros illos pertinere; cujus opinionis unica ratio deducitur ex genere vitæ Eſſeniis familiari; quod ſcilicet & e vino abſtinerent, & vitam agerent in reliquis frugi modeſtamque [6]. Cum tamen & in Urbibus moratos illos conſtet, ædes ſibi & hoſpitibus poſſediſſe, quæ ſane omnia e moribus Rechabitarum erant aliena, vix eſt quod eorum conjecturæ momenti aliquid habuiſſe judicentur. Vetitum enim erat Rechabitis, ne in Urbibus & ædibus morarentur, ſed in tentoriis tantum & ſub dio. Neque perpetuo a vino abſtinuiſſe Eſſenios, nec eam rem lege ſibi præſcriptam habuiſſe, quomodo de Rechabitis memoratæ proditum eſt, uſpiam legimus.

Eſſeæos, ſive ut appellat, Jeſſenios Samaritanorum ſectam autumavit S. Epiphanius [7], eorum nomen derivans ex *Ieſſe* patre David ſive Jeſu, quam vocem Medicum interpretatur: maxime enim decet Eſſenios medici appellatio, quod medici animarum haberi voluiſſent. Narrat inſuper, Elxai, virum ſub Trajano, nova quædam dogmata apud Eſſenios invexiſſe, tradito inſuper vaticiniorum ſuorum Libro; cui pariter fratrem fuiſſe *Iexeum*, qui ſectæ ſuæ homines ad cultum aſtrorum perduxerit. Hiſtoriolas hasce ceteraſque, quas de Eſſeniis narrat, unde hauſerit S. Epiphanius, incertum; certa tamen conſtat, ſuſpicioſam eſſe ejus narrationem, in iis maxime, quæ de Samaritana gentis origine tradit. Scitum eſt enim, Judæos eſſe & a Samaritanis maxime abhorruiſſe. Facile Sanctus Epiphanius ex Eſſenis ſui temporis veterum Eſſeniorum judicium formaverat, de Eſſeniis, inquam, ſui temporis genere hominum corruptiſſimo, & famæ adeo deploratæ, ut de impenſis divinis honoribus duabus mulierculis viventibus accuſarentur.

Nominis Eſſeniorum duodecim varias ſententias recenſet Serarius [8]. Salmaſius [9] deducit ex Eſſa Palæſtinæ Urbe, de qua Joſephus Antiquit. lib. 13. cap. 23. alii ex Hebræo *Choſen*, quo nomine Rationale Summi Sacerdotis deſignatur; alii ex Chaldæo *Choſin*, robuſtiſſimus; vel ex Syriaco *Aſan*, expelli, ſive ex Hebræo *Aſa*, valetudini reſtituere, vel ex *Haſach*, facere, operari, ſive *Ieſu* vel *Ieſſe*, vel ex verbo *Chaſa*, contemplari, aut ex *Seabaah*, dividere, ſeparare, repetere. Derivant alii ex Græco *Hoſioi* [10], Sancti, vel tandem ex Hebræo *Chaſid*, miſericordia, quam poſteriorem etymologiam nos præ ceteris probamus. Porro viros miſericordes, tamquam pium aliquem cœtum conſtituentes, in Pſalmis [11] legimus; nec alios credimus Eſſenios, quam quos Libri Macchabæorum Aſſidæos appellant [12].

Autumavit Druſius, Eſſenios ſurculum eſſe Phariſæorum, eoſque viros perſecutione ab Hircano mota plurima paſſos [13], cujus evitandæ gratia eum in deſerta confugiſſent, atque eum vitæ genus prius neceſſitate ſuſceptum, volentes deinde retinuerint. Sed nos ſupra demonſtravimus, cœtum hunc virorum parem referre cum Phariſæis, Saducæiſque vetuſtatem, cum Author quarti Macchabæorum, quem librum primo in Arabicis Polyglottorum D. Le Jeay vulgatum, neque Salmaſius, neque Scaliger, Serarius, & Druſius unquam viderunt, eas ſectas ſub Hircano florentes, atque inter ſe diſcretas conſtituat. Ipſe pariter Joſephus, cui ſcriptori præſto erant facile ſimiles Commentarii, inſinuare videtur, floruiſſe illas ſub Hircano, cum poſt narratam hiſtoriam deſertæ ab Hircano ſectæ Phariſæorum, ut in Saducæorum partes tranſiret, ſubnectit: *Sed de his duabus Sectis & Eſſeniorum tertia accurate tractavimus in ſecundo, quem ſcripſimus, de rebus Judaicis libro.*

Poſt Scholas ſive cœtus Prophetarum, nihil inter Hebræos morum ſanctitate magis ſpectatur, quam Schola Eſſeniorum, quorum hanc nobis picturam exhibet Joſephus de bello lib. 2. cap. 12. Vivunt, ait ille, inter ſe mutuo charitatis vinculo conjunctiſſimi, iidemque omnibus in voluptatem veluti in præſentiſſimum aliquod virus horror. Potiſſimum virtutis ſuæ momentum conſtituunt, ut continentiam ſervent, & contra voluptatis illecebras armentur. Connubia fugiunt, ſed aliorum liberos tamquam proprios innutrientes, cœtus ſui ſpiritum & dogmata tenellis animis imprimunt. Quamquam autem connubium renuunt, non tamen damnant, vel generis humani propagationem cenſent negligendam; ſed intemperantiæ & infidelitatis muliebris metus cautiores illos efficit. Divitias perinde habent ac nihil, & bona ſua omnia ita ſimul poſſident, ut nemo inter illos alius ſit alio locupletior. Sanctum ratumque habent, ut jus in bona ſua omnia a ſe removentes, in ſocietatem transfundant; ex quo id potiſſimum conſequitur, ut unius tenuitati de locupleti aliorum gaza invidia nulla erectur, nec divitiarum faſtu alius inflectur præ alio. Vivunt ut fratres una bonorum & conditionis æqualitate.

(1) *Macchab. 6.* (2) *Joſeph. Antiquit. lib. 3. cap. 19. pag. 455.* (3) *Plinius lib. 5. cap. 17* (4) *De Bello lib. 2. cap. 12. in Lat. & in Græc. pag. 788. D.* (5) *Vide Suid. in Rogonsi vel Apogones. Nilus aſſolt. cap. 3. alii quidam.* (6) *Philo de vita Contemplativa pag. 900.* (7) *Epiphan. hæreſ. 29. de Nazaræis.* (8) *Serar. triheres. lib. 3. cap. 1.* (9) *Salmaſ. ad Solin. cap. 35. pag. 473.* (10) *Philo lib. quod omnis probus liber. pag. 876. ait*, Eſſenios voce Hebræa Sanctos ſignificare; eorumque etymologiam deducit ex Chaſid (11) *Pſal 78. 2. & 84. 9.* (12) *1. Macchab. 2. 42. Synagoga Aſſidæorum. 2. Macchab. 14. 7. Vide Eccli. 44. 10.* (13) *Joſeph. Antiquit. lib. 13. capit. 18. Vide Serar. triheres. capit. 6. pag. 81.*

Oleum æquè & unguenta ejiciunt; quorum ſiquid caſu aliquo contigerint, veluti ad tactum rei immundæ, purificatione maculas abſtergunt. Externam auſteritatis ſpeciem ita habent in pretio, ut ſordes æque habeant in horrore, candidas ſemper veſtes præſeferentes. Bonorum ſuorum Oeconomos conſtituunt, a quibus ſingula pro cujuſque neceſſitate diſtributa (1). Non omnes in eadem Urbe, nec ſemper eodem in loco morantur: ſed per varias ſedes diſtribuuntur, viros ſectæ ſuæ in ſuas ædes excipiunt, quibus bona ſua omnia tamquam ſingulis communia impertiuntur. Cum in viam ſe dederint, nullum aſſumentes commeatum, arma tantum ferunt, quibus ſe a prædonibus defendant. Conſtitutus in ſingulis Urbibus ex eorum cœtu aliquis, hoſpitio venientes recipit, ſimul veſtes ceteraque omnia neceſſaria ſufficiens.

Eodem genere victus eademque diſciplina innutriuntur pueri, quos præceptori alicui educandos aſſignant. Veſtes, niſi detritas vel adeo veteraſcentes, ut nullis amplius uſibus ſerviant, numquam immutant. Vendendi emendique negotiationes inter illos nullæ; ſola rerum permutatione uſi, ſuperflua tribuunt, ut neceſſaria recipiant; quin & permiſſum ſingulis gratia, quæ ſibi opus fuerint, ſibi vindicare, quæque fratris eſſent, in proprios uſus transferre. Inſignem erga Deum religionem profeſſi, altum apud illos ante exortum ſolis ſilentium, niſi ſi forte precum aliquod murmur ante hoc tempus audiatur, precum, inquam, quibus a Patribus ſuis acceptis ſolem, ut tandem in Oriente pareat, invitant. Poſt hæc ſinguli a ſuis Præfectis dimittuntur ad opera.

Poſt datas labori 5. horas, i. e. uſque ad undecimam horam matutinam in æquinoctio, ſicut & data proportione aliis anni temporibus, iterum ſimul coeuntes, albentibuſque linteis accincti, frigida ſe totos lavant; tum ſinguli in ſingulas cellulas, quo interdictus externis omnibus aditus. Tum in commune cœnaculum, ubi tamquam religioſo aliquo in Templo menſæ aſſidentes, altum ſervant ſilentium. Diſtribuitur ſingulis pro ſua conditione panis ab Oeconomo, tum pulmentarium ab illo, cui parandi cura commiſſa. Secundum hæc, preces Sacerdotis ſequuntur; ante laudatum enim prece Deum cibum capere nefas. Poſt cibum iterum ad agendas gratias Deo tamquam bonorum illorum largitori; ſtatimque exutis veſtibus albis, quas tamquam ſacras reſpiciunt, ad laborem, uti prius, egrediuntur. Subeunte veſpere, in cœnaculum iterum redacti cibum capiunt, ubi ſi quem forte ex hoſpitibus nacti fuerint, hunc cibo pariter reficiunt.

In reliquis omnes quidem pendent ad nutum Præſidis, ſed virtutis exercitia præſtandi, & opem ferendi proximo, quantum cuique vires ſufficiunt, libera cuique permiſſa facultas. Neceſſariis tamen quidquam largiri ſine Præſidis aſſenſu nefas. Fidem promiſſionibus obligatam adeo religioſe præſtant, ut promittentibus non ſecus ac juratis credatur. Jusjurandum tamquam perjurium evitant. Veterum ſcripta ſedulo evolvunt, in quibus ea maxime ſcrutantur, quæ animæ profectum & valetudinem juvant. Callent proinde remedia, & ſimplicium, lapidum, ac radicum virtutes omnes. Ægrotos ſumma curant ſedulitate [2], quibus ex communibus bonis neceſſaria omnia ſufficiuntur.

Profiteri ſectam volentes non omnes ſuſcipiunt indiſcriminatim, ſed poſtulantes extra domum abſiſtere coactos, prius exercent. Porro candidatis iſtis ligonem tradunt, latiorem quamdam faſciam in uſum balneorum, & candidum veſtimentum. Si perſeverantiæ ſuæ argumenta præbeat Tyro, recipiunt tandem ad commune cœnaculum & balneum; in domum tamen nonniſi poſt alterius biennii experimentum introducitur. Poſt biennium enim, ſi dignum ſe exhibuerit, in cœtum adlegitur; antea tamen quam ad capiendum una cum aliis cibum admittatur, terribilibus ſacramentis adjuratur, ut purum perfectumque Dei cultum ac legis juſtitiæ erga homines obſervantiam profiteatur; neminem unquam violaturum ne coactum quidem, impios evitaturum, probos tuæmine defenſurum, præſtitam fidem erga omnes & maxime Principes ſanctam habiturum. Sacramento etiam adigitur, numquam, ſi forte aliorum præfecturam ſuſceperit, poteſtate ſua opprimendis fratribus abuſurum, nec ſe a ceteris diſtinguendum veſtium ſingularitate & alia quacumque re præſtiturum. Sectæ arcana nulla fratres celaturum pollicetur, quæ interim aliis ſemper etiam vitæ periculo habebit occulta; quæ a Præceptoribus ſuis didicerit, numquam alios docebit, & Libros Sectæ, ſicut & Angelorum nomina, veluti pretioſum aliquod depoſitum caute ſervabit.

Si quis grande aliquod admiſerit crimen, e cœtu depulſus plerumque miſero mortis genere cogitur interire; terribilibus enim ſacramentis illis adactus, cibum ab externo capere prohibetur; quare herbis veluti bellua quædam victitare coactus, paulatim tandem miſeria premente & fame opprimitur. Interdum Eſſeni miſeratione illius tacti, data criminis venia, apud ſe miſerum hominem recipiunt, cum jam inter ipſas mortis fauces conſtitutum reſpexerint, rati ſatis diuturnam egiſſe dignamque crimine pœnitentiam.

De re aliqua deliberaturi, centum numero convenientes ſedulo rem ponderant; & quidquid tandem decreverint, ſanctum eſt & irrefragabile. Poſt Deum, Moyſem unice obſervant, ut ſi quem blaſphemati nominis Moyſis reum tenuerint, illum capitali perimunt ſupplicio. Parendi ſenioribus & majori præcipientium numero legem ſibi conſtituunt, ut cum decem ſimul coiverint, nemo ſine novem aliorum conſenſu loqui inter ipſos audeat. Excreare eorum cœtu vel ad dexteram, apud illos nefas.

In Sabbati obſervatione ad ſuperſtitionem religioſi, ne ignem quidem accendere, nec parare ea die cibos audent; quin nec permiſſum ſibi ducunt utenſilia domus removere, alvum ſuperfluis purgare. Porro alvei neceſſitati aliis diebus ſubventuri, loca occultiſſima ſcrutantur, & poſt egeſtam pede altam foſſam ligone, quem ſupra innuimus, incurvi & undique veſtibus protecti, metu ne Dei radii ea ſorde violentur, rem præſtant. Hæ Joſephi phraſes ſuſpicionem apud aliquos crearunt, num Eſſenii Solem adorarint; quod ſane crimen firmiori aliqua conjectura, ut Eſſeniis imputaretur, fulciri oporteret. Potuerunt enim ſolis radios perinde ac Dei ipſius, cujus ſunt opus, ſuſpexiſſe [3].

His omnibus cautionibus alias adjungentes, foſſam aggeſta terra implent; tum veluti macula quadam contracta, purificationibus eluuntur. In quatuor claſſes totum cœtum diſtribuunt; quarum qui ſuperiores tenent, adeo ſe præſtare inferioribus putant, ut ſi forte aliquem ex illis contigerint veluti legali contracta macula, non ſecus ac ad externi alicujus contactum purificatione expientur. Vitam plerumque ad multos annos (ſæculum implent aliqui) producunt; quod ſimpliciori cibo & vitæ frugi modeſtæque facile tribuendum. In malis perferendis ad miraculum uſque fortes, inſignia ejus conſtantiæ ſpecimina, Joſepho oculato teſte, in poſtremo Judæorum cum Romanis bello exhibuerunt. Animæ immortalitatem tuentur, quas ſcilicet animas influere dicunt in corpora, ex aere ſublimiori attractas, neſcio qua ſuperiori virtute, cui reſiſtere nulla vi poſſunt; eaque cogente in corpore, veluti in carcere, toto vitæ tempore detinentur [4]. Semel autem hujus carceris foribus morte recluſis, actutum veluti e longa triſtique captivitate liberatæ in Cœlum aſcendunt. Proborum Spiritibus ſedes aſſignatæ ultra Oceanum, in loco imbribus, ventis, ceteriſque Cœli intemperiis libero, ubi naturali felicitate donantur; quod ab illis eadem ferme idea traditur, ac a Poetis Græcis Elyſia arva deſcripta ſunt. Viciſſim autem impiorum animas relegari dicunt in loca horrida, & Cœli inclementiæ expoſita, ubi æternis ſuppliciis cruciantur. Ita plane de Infer-

(1) *In Lib.* 18. *cap.* 2. tradit, eos œconomos e genere Sacerdotum eſſe (2) *Philo l. quod omnis probus liber.*

(3) Non diſſimile aliquid Moyſem præſcripſiſſe Iſraelitis in deſerto legimus in Deuteronomio. (4) *Joſeph. loc. cit.*

Infernis ſcripſere Poetæ, quo in loco cruciantur Tantali, Ixiones, Syſiphi, & ſcelesti quicumque, dignas criminibus ſuis pœnas luentes.

Prophetiæ dono inſignes plures inter illos clarent, eorumque vaticiniis fides aſſeritur ab eventu; quemadmodum pluribus allatis documentis demonſtrat Joſephus (1). Id genti privilegium conferre, ait idem Hiſtoricus, tum lectio frequens ſacrorum Librorum & Prophetarum, cum ſanctioris frugique vitæ temperantia. Cœtus eſt inter eos a ceteris aliis in nihilo, præterquam in connubio, quod admittunt, omnibus recentis inſtituti conſuetudinibus, diſtinctus. Uxores non ante ducunt, quam prius triennio eorum valetudine & aptam edendis filiis habitudinem probaverint; conjugio non niſi moderate utuntur adeo, ut ad prægnantes fœminas accedere nefas reputent. Mancipiis carent, quippe qui ſervitutem velut humanæ naturæ irrogatam injuriam reſpiciant (2).

Deum res omnes unicè moderantem agnoſcebant Eſſenii, nihil abſque ejus nutu & decreto fieri unquam contendentes (3). Omnia fato ab illis tribui, nihilque ſine fato diſponi, alibi Joſephus ex illis teſtatur (4). Huic repugnanti teſtimonio conciliando nullam aliam invenit rationem Serarius (5), quam ut fati nomine nihil aliud deſignatum a Joſepho credat, niſi abſolutum Dei decretum, quo juxta cujuſque naturæ indolem ſingula moderatur; ut proinde nihil contra liberi arbitrii jura diſponat. Reſpondet eorum Secta Pithagoricis apud Græcos (6), ſive *Pliſtis* apud Dacos (7). Quid *Pliſtarum* nomine intellexerit Joſephus, ignoratur; nec facile ſana eſt ejuſdem Textus lectio. Quare legendum *Ctiſtæ* ſuſpicatur Serarius, quo nomine Sacerdotes quidam apud Thraces (8), cœlibem vitam agentes innoteſcunt.

Quamquam Hebreorum omnium religioſiſſimi erant Eſſenii, nec Templum frequentare cum ceteris volebant, nec ſacrificia offerre cruenta, ſaltem in loco ſancto; ita enim Joſephus & Philo inter ſe conciliantur. Philo etenim (9) diſerte aſſerit, nullas unquam ab illis victimas immolari, ſed puras & diligenter paratas animas Deo offerri; Joſephus vero (10) narrat, nullas quidem ab illis in Templo offerri victimas, metu ne aliorum hominum forte ibi verſantium commercio macularentur. Satis habebant ro munera ſua mittere, atque conſecrare, veluti grati animi erga Deum ſui pignus & monumentum.

Ad 4000. circiter Eſſeniorum per univerſam Judæam diſperſa Philo (11) commemorat. In ſuperioribus Engaddi certas eorum ſedes aſſignare Plinius viſus eſt (12), tradens inſuper, palmarum, quarum eſt ingens eo loci ubertas, fructibus victitaſſe. Docet tamen Philo, pluribus in Urbibus vicisque certas gentis ſedes manſiſſe; moram autem libentius in agro traxiſſe quam in Urbibus, perſuaſos commercium hominum plus eſſe animabus periculi, quam corporibus corrupti aeris reſpiratio. Agriculturam colebant, & alia quæcumque pacis quietiſque opera, quibus nec ab amore ſolitudinis, nec ab ea vitæ puritate, cui ſtudebant, absterrerentur. A mari longius ſedes conſtituebant, ait Plinius, quod ſibi periculi plurimum imminere intelligerent ex commercio, maritimis in locis frequenti.

Nec Logicæ nec Phyſicæ operam dabant, teſte Philone (13), quamvis, authore Joſepho de bell. lib. 2. cap. 12. non incurioſi verſarent Veterum Libros, unde plurima de virtutibus ſimplicium, radicum, & alia hujus generis remedia addiſcebant. Eorum tamen ſtudia omnia ad moralem facultatem comparandam Legeſque Moſaicas collimabant, cujus Legis lectioni potiſſimum dies Sabbati ab ipſis devota. Porro die Sabbati in Synagogam (14) convenientes, ſuoque ſinguli aſſidentes loco, ſeniores ſupra juvenes, & illi viciſſim ſuo ordine, unum e cœtu legentem volumen Legis, & alterum lectionem il-

lam interpretantem, ſymbolica plerumque allegorica, & parabolica pro veteri more (*) ratione auſcultabant. Inſtruebantur potiſſimum in pietate, juſtitia, œconomia, politica, amore Dei, proximi, & virtutis.

Tres erant Eſſeniorum claſſes: prima eorum, qui ſibi connubium interdicebant, ſecunda quorum permiſſus connubii uſus, non ſine cautionibus, ſupra à nobis deſcriptis; tertia Eſſeniorum contemplationi unice vacantium, quorum mores & diſciplinam ſub *Therapeutarum* nomine deſcribit Philo in libro *de vita contemplativa*; quique Ægyptum pro majori ſuorum parte incolebant, & Chriſtianos habendos Patres Eccleſiæ arbitrati ſunt. Hæc veterum ſententia noſtra ætate iterum revixit, & plures virorum doctorum calamos exercuit, ad quos Lectores remittimus.

Tandem cœtus erat fœminarum, idem inſtituti genus profitentium, quemadmodum Joſephi & Philonis teſtimonio conſtat. Eadem illis data proportione erat inſtituendi tyrones, ſeque ipſas exercendi ratio. Nec deerant inter Therapeutas virgines, & fœminæ, etiam provectioris ætatis, continentiam ſectantes; inſtitutionibus die Sabbati aderant, in loco tamen a viris intermedio pariete trium vel quatuor cubitorum diſcreto, ut audire quidem vocem loquentis, virorum autem proſpectum habere non poſſent. Communi etiam menſæ aſſidebant; viri quidem ad dexteram, fœminæ ad ſiniſtram, ſtrato cuidam rudi craſſoque aſſidentes. Uxoribus Eſſeniorum idem vitæ genus cum viris præſcriptum.

Mirari ſubit, cur neque in Evangelio, neque in aliis Libris N. T. ne veſtigium quidem ejus ſectæ occurrat, qua honorificentius nigil in tota Judæorum religione, nihilque magis in tota regione celebratum. Quomodo fieri poterat, ut ejus probitatis viri non certatim ad Jeſum Chriſtum accurrerent? Cur nemo unquam illorum ſacra Chriſtianorum amplexus narratur? Profecto ſi Jeſo Chriſto neceſſarii fuiſſent homines longo virtutum ſtudio exculti ſsimi, in Legis & Prophetarum ſcientia verſatiſsimi, nemo aptior, quam Eſsenii ad Apoſtolatum vocari poterat. Verum alia illi fuerant conſilia, noluitque ita religionem Chriſtianam conſtituere, ut humanum aliquod opus videtur. Quare aptiſsimos fini a ſe præſtituto viros elegit.

Ad hæc, Evangelium in locis ab Eſſeniis frequentatis annunciatum fuiſſe non ſatis apparet; neque enim in Ægypto, ubi pro majori parte degebant, fides Chriſti annunciata eſt ab ipſo fidei authore Jeſu, ut proinde nihil de illis haberi in Evangelio facile intelligamus. Nec S. Paulus, cujus unius tantum prædicationis hiſtoriam litteris mandatam habemus, eam regionem unquam diſcurrit. Poſt Chriſti Aſcenſionem plures Eſſeniorum victas fidei manus tradidiſſe non inviti cenſemus; nihilque mihi niſi probabiliſsimum apparet in ea Patrum ſententia, quæ Therapeutas primam Ægypti Chriſtianitatem conſtituiſſe arbitratur. Profecto ad eorum normam prima in Eccleſia Cœnobia conſtituta ſunt, & inter Ægypti Fideles plura etiam ſpectantur veſtigia veteris Eſſeniorum diſciplinæ.

ARTICULUS IV.

De Herodianis.

OBſcuriſsima eſt Herodianorum origo, quamquam recentiorem eſſe Sectam, nec niſi poſt initum ab Herode Magno Judææ Regnum cœptam, ſatis conſtat. Neque apud Joſephum, Philonem, & alium coævum Authorem ſub illo Herodianorum nomine, qui in Evangelio non ſemel appellantur, innotuerunt.

(1) *Joſeph. Antiquit. lib. 13. cap. 19. De Juda Eſſeno & lib. 15. cap. 13. De Manahem Eſſeno.* (2) *Joſeph. Antiqu. lib. 18. cap. 2. Ita Philo lib. Quod omnis probus liber.* (3) *Joſeph. Antiquit. lib. 18. cap. 2.* (4) *Item lib. 13. cap. 9.* (5) *Serar. trib. hæreſ. cap. 4. art. 2.* (6) *Joſeph. Antiquit. l. 15. c. 13.* (7) *Joſeph. Antiq. l. 18. c. 2.* (8) *Strabo lib. 7.* (9) *Philo l. Quod omnis probus liber, pag. 876.* (10) *Joſeph. Antiquit. l. 18. cap. 2.* (11) *Philo l. Quod omnis probus liber, pag. 876.* (12) *Plin. l. 5. c. 17. Infra hos Engadda oppidum fuit.* (13) *Philo lat. tit.* (14) *Philo ubi ſupra.* (*) *Idem.*

Apud S. Matthæum & Marcum unà cum Phariſæis capiendi Chriſti conſilium agitant [1]; quod item alia vice in Capharnaum [2] ab ipſis præſtitum eſt. Cavendum a fermento Phariſæorum & Herodianorum Jeſus Chriſtus edicit; quibus verbis inſinuantur dogmata *Herodis* [3], ſive *Herodianorum*, juxta plures Mſſ. ſedulo vitanda [4]. Poſt obitum Jeſu Chriſti nihil de illis ſive in Actis, ſive in Apoſtolicis Scriptis, unde facilis conjectura, Sectam illam & numero hominum & nominis celebritate atque potentia multum reliqua conceſſiſſe.

Sunt autem de Herodianis ſeptem vel octo variæ Authorum ſententiæ. Veteres inter ſe, inter ſe pariter & Recentiores ea in re committuntur. Plurium ſententia tenuit, ideo Herodianos dictos, quod in Herode Meſſiam agnoſcerent. Sed quis Herodes iſte? multi enim ejus nominis Principes in Judæa regnarunt: quem vero hæretici illi Meſſiam crederent, non ſatis convenit. Porro Judææ Regnum tres Herodes, a quibus Herodianorum nomen repeti poſſet, tenuerunt. 1. *Herodes Magnus*, qui paulo poſt Chriſtum natum diem clauſit. 2. *Herodes Antipas*, prioris illius filius, qui in Galilæa regnavit, neci Joannem Baptiſtam tradidit, atque Jeſum Chriſtum capere molitus eſt [5]. 3. *Herodes Agrippa*, nepos Herodis Magni, nece S. Jacobi Epiſcopi Jeroſolymitani, atque carcere S. Petri, ac tandem morte illi cœlitus immiſſa, dum Cæſareæ verba pro concione diceret, in Actis notiſſimus.

S. Epiphanius in hæreſ. Herodian. S. Hieronymus contra Luciferian. & Author Additionum ad Librum de Præſcriptionibus Tertulliani, ſicut & Recentiorum plures [6] autumarunt, Herodianorum nomen ex priori illo Herode, quem veluti Meſſiam habuerint, derivandum. Cum enim ejus ætate in expectationem novi Regis univerſa erigeretur Judæa; cum una eſſet totius Orientis expectatio, de Liberatore nempe & Rege per univerſum orbem regnaturo; cum juxta Jacob oraculum ſceptrum e manibus Juda excidiſſet [7]; in eam venerunt opinionem, num Herodes ipſe, Rex alioqui ſtrenuus, felix, magnificus, Imperatoribus, & maxime fortunæ charus, ipſe eſſet quem venturum opperirentur. Porro Rex ille legibus Moſaicis deferebat plurimum, & licet in multis adverſus illas peccaret, neceſſitate tamen colendi Romanorum amicitiam [8], penes quos tunc temporis ſumma erat rerum poteſtas, factum excuſabat.

Ad hæc Herodes, Princeps ſi quis alius ambitioſiſſimus, potuit adulatorum aſſentationibus in eam facile opinionem venire, ut ſe ipſum tamquam Meſſiam ingereret, & quamquam alioqui minus in ea re aſſentatoribus illis crederet, e re ſua eſſe facile arbitrabatur, ut eam de ſe opinionem in Republica gubernanda ſibi maxime utilem foveret. Aſſeruit pariter, flammis ejus juſſu abſumpta fuiſſe Tabularia, ubi genealogiarum documenta ſervabantur; ne de Davidis domo, unde Meſſiam proditurum norant omnes, aliquid ulterius noſceretur. Nec modice huic opinioni confert ſumma Regis circumſpectio in omnia, a quibus periculi aliquid ſibi imminere intelligeret, quemadmodum ex Innocentium cæde demonſtratur. His ſimul omnibus perſuaſus, Meſſiam ſe credere, vel ſaltem credi ab aliis non invito facile paſſus eſt.

De feſto quodam Herodis Romæ, non ſine luminaribus, ingentibuſque compotationibus in honorem Herodis, hæc legas apud Perſium Satyr. 5. verſ. 180.

Herodis venere dies, unctaque feneſtra,
Diſpoſita pinguem nebulam vomuere lucernæ.
. . . . . Tumet alba fidelia vino.

Porro feſtum illud a Judæis in honorem Principis, quem Meſſiam crediderunt, celebratum aliqui autumarunt [9]. Malunt alii referre ad Nepotem ipſius ex filio, Herodem nempe Agrippam, virum Caligulæ, Claudii, & Neronis favore potentem. Placet aliis nomine Herodis a Poeta Judæorum gentes omnes deſignari [10]. Aliud Herodis feſtum conſignatur in Veteri Calendario Hebræorum, in quo hæc legas: *Feſtum ſeptimi Chasleu* (menſis eſt Novembris) *pro obitu Herodis, quod ille Sapientes odio inſectaretur; lætamur autem coram Domino, cum impius e mundo faceſſere contigerit; ſcriptum eſt enim, Manus Domini contra eos, ut eos educat ex agro.*

Ne quid autem moremur in demonſtrando, Herodem Magnum diem claudere non potuiſſe menſe Novembris, conſtat ſane, publicam hanc lætitiæ ſignificationem in odium Principis, & ſævæ illius indolis deteſtationem potius quam in ejus honorem indictam. Quare ab iis plane decerni non potuit, qui Herodem tamquam verum Meſſiam habendum cenſuerunt; ſed a Phariſæis potius, quorum viros Principes Herodes perſecutus eſt [11]. Porro nullus e Meſſiæ characteribus Herodi inerat; nec vita, nec obitus viri vulgatæ huic opinioni favebant. Tyrannum enim egerat, libertatis Judaicæ oppreſſorem, qui tantum religioni deferret, quantum rebus ſuis conferre intelligeret. Terribili mortis genere oppreſſus eſt, quæ ultionis Divinæ præſentiſſima animadverſio a Judæis reputabatur [12]. Adverſus illum legatio e Judæa Romam miſſa, quam augebant querelis ſuis 8000. Judæorum Romæ verſantium, rogantibus omnibus ut Præſidis alicujus Pagani potius jugum ſubirent, quam alicujus ex filiis Herodis [13].

Non erat hac plane Meſſiam, & Liberatorem Iſraelis agnoſcere; & quando aſſentatorum artes adeo valuiſſent, ut novam hanc opinionem aliquibus inderent, parvam hanc virorum manum facile poſt ejus obitum diſſipaſſet evaneſcens tunc Principis metus, & ſpes omnis favoris ipſius præciſa. Quare nihil de illa auditum credi par eſt anno 33. vel 35. Jeſu Chriſti. Tandem numquam in animum inducimus, Herodem, ſi Meſſiam eſſe ſe perſuaſum habuiſſet, viros doctos in adventu Magorum coram ſe acciturum fuiſſe, ut de patria Meſſiæ diſquirentes audiret [14].

Secundus Herodes, quem Principem Herodianorum, tamquam Meſſiam ab illis habitum, aliqui reputarunt [15], ipſe Antipas Galilææ Tetrarcha. Vir fuit ſi quis alius ambitioſiſſimus, a quo fœdus cum Sejano adverſus Tiberium initum, convictus pariter conſtructi, inſtructique armamentarii 70000. viris armandis [16]. Calliditatem ejus ſuggillans Chriſtus, *vulpem* appellat [17]. Fortunæ Romanorum Imperatorum ſtudere ſe adeo affectabat, ut in nummis hunc ſibi titulum vindicaret: *Amator Imperatoris Claudii* [18]. In vivis adhuc egiſſe facile credimus, quo tempore Jeſus Apoſtolos monebat Marci 8. 15. ut ab *Herodis fermento* caverent. Immodica tandem, qua ferebatur, ambitione, Romam Regio ſibi titulo poſcendo delatus, expeditionis ſuæ infelicem exitum nactus eſt [19]. Lugdunum enim extorris actus, diem ibi clauſit una cum Herodiade fœmina ſceleſtiſſima, quam a priori viro Philippo fratre ſuo adhuc ſuperſtite, & patre ex eadem uxore puellæ nomine Salomes, abripuerat.

Hæc rerum Herodis cataſtrophe non ſatis congruit cum Judæorum de venturo Meſſia idea & præjudiciis. Genus Herodis inſectabantur; raptum Herodiadis, Joannis Baptiſtæ necem adeo deteſtatos illos conſtat, ut his criminibus nihil a Meſſia alienius crederent. Anguſtis continebatur limitibus tota Herodis ditio; cum interim Hebræorum expectatione Meſſias venturus eſſet tamquam Rex potentia,

vir-

(1) *Matth.* 22. 16. *Marc.* 18. 14. (2) *Marc.* 3. 6. (3) *Marc* 7. 15. (4) *Vide Var. lection. in N.T. Millii.* (5) *Luc.* 13. 31. 32. (6) *Vide Nicet. Choniat. Theſaur. Orthod. l.* 1. *c.* 34. *Baron. Apparat. n.* 5. *Iſaac. Voſſ. de Sybyllin. Oracul. Grot. in Matt.* 22. *alios.* (7) *Geneſ.* 49. 10. (8) *Joſeph Antiquit. l.* 15. *c.* 12. (9) *Cornut. in Perſium. Herodis diem natalem Herodiani obſervant, ut etiam Sabbathi.* (10) *Petit Var. lect. cap.* 18. *Vitringa de Synag. lib.* 1. *cap.* 9. (11) *Joſeph de Bello Judaico l.* 1. *c.* 21. (12) *Joſeph. de Bello l.* 1. *c.* 21. *p.* 772. 773. (13) *Idem Antiquit. l.* 17. *c.* 12. (14) *Matth.* 2. 4. (15) *Baſnag. Hiſt. Jud. l.* 3. *c.* 8. *n.* 8. 16. 17. *Gallice, & Theophyl Euthym.* (16) *Joſeph Antiquit. l.* 18. *c.* 9. (17) *Luc.* 13. 32. (18) *Apud Harduin.* (19) *Joſeph Antiquit. l.* 17. *c.* 9.

virtute & gloria florentiſſimus, jugo ſervitutis oppreſſam gentem relevaturus. Nihil tale de Herode ſive narratur, ſive ab illo ſuſcipiendum expectabatur.

Philaſtrius [1] aliique nonnulli autumarunt, Herodem Agrippam à Caligula Judææ Regem conſtitutum, nomen dediſſe ſuum Herodianis; ſed nihilo illi feliciores in ſua hac conjectura. Herodiani ante Agrippæ Regnum in Evangelio innoteſcunt; rerum enim potitus eſt Agrippa tribus, vel quatuor annis poſt Jeſu Chriſti deceſſum. Sectatores habuit plane nullos, nec ulli unquam venit in mentem, ut Meſſiam illum reputaret, quo tempore intra privatæ fortunæ terminos tamquam inviſus Tiberio Princeps continebatur [2]. Deſerenda igitur hæc ſententia, quippe quæ nullo fulcitur argumento.

Recentiores nonnulli [3] e Saducæis repetendos Herodianos cenſuerunt; alloquens ſanc Chriſtus Marc. 8. 15. Diſcipulos, ait: *Cavete à fermento Phariſæorum, & à fermento Herodis* [4]: quæ verba ita reddit S. Matthæus 16. 6. *Cavete à fermento Phariſæorum, & Saducæorum*. Nomina igitur Herodis, ſive Herodianorum, ac Saducæorum tamquam unam eamdemque gentem deſignantia indiſcriminatim uſurpantur.

Veritatis iſta quidem ſpeciem præſeferunt, non tamen uſque adeo convincunt. 1. Potuit Herodes Saducæam ſectam profiteri, abſque eo quod ſectæ illi nomen darent Herodiani. 2. Potuit Jeſus Chriſtus de Phariſæis, Herodianis, & Saducæis egiſſe; cum interim S. Marcus omiſſum nomen à S. Matthæo reſtituerit; ac viciſſim S. Matthæus vocem aliquam expreſſerit a S. Marco neglectam. 3. Saducæi pariter faviſſe poterant Herodi, abſque eo quod Saducæiſmum ille profiteretur. 4. In Evangelio tandem Saducæi ab Herodianis aperte diſtinguuntur; quo enim capite narratur, Saducæos, & Herodianos ad capiendum in ſermone Jeſum veniſſe, poſt aliquot verſiculos additum eſt: *In illo die acceſſerunt ad eum Saducæi, qui dicunt non eſſe Reſurrectionem & interrogaverunt eum*. Quis porro credat unum eumdemque Scriptorem intra ſeptem, vel octo linearum ſpatium eaſdem gentes variis deſignaſſe nominibus, eoſdemque, quos paulo ante Herodianos nuncupavit, deinde verſ. 22. Saducæorum nomine deſignaſſe, tum & dogmata diſtinxiſſe?

Author Operis Imperfecti in Matthæum ex Paganis Herodi Antipæ ſubjectis Herodianos derivat. Sed Phariſæos cum Paganis conſilium capiendi in verbis Jeſum agitaſſe quis credat? Numquam ſane legimus, Paganos molitionibus Judæorum adverſus Jeſum Chriſtum implicitos.

Demonſtrandum ſibi Druſius ſuſcepit [5], Herodianos potuiſſe facile e Græcis illis acciri, quos Herodes in deſerto nactus Jeroſolymam adduxit, ibique per familias propagati ſunt. Sed Druſius vocem Hebræam *Ionim* de hominibus uſurpavit, cum alioqui columbas deſignet, quas cicuratas, ac domeſticas Rex Herodes Jeroſolymæ habuit, ibique genus avium ſingulare perpetuarunt.

Plerique Patrum autumarunt [6], Herodianos appellari ſatellites, milites, ceteroſque Herodem comitantes. Porro Rex ille Feſtum eo anno Paſchale Jeroſolymæ celebrabat, quemadmodum ex S. Lucæ, 23. 7. 8. conſtat; eodemque pariter Jeſus advenerat. Flagrabat autem Herodes deſiderio videndi Ieſum, in quem mala agitaſſe conſilia legimus Luc. 13. 31. 32. Quare ejus ſatellites volentes Principis, & ſuo pariter genio, atque livori obſequi ſive ut gratiam Phariſæis præſtarent, Ieſum tentaturi in re maxime ardua, de ſtatu nimirum rerum præſentium, convenerant, quærentes, num tributum ſolvere Romanis fas eſſet. Solemne fuit apud Veteres, ut famulis & aulæ Principum Præfectis deducta e Dominis ſuis nomina tribuerentur. Nota ſunt nomina Pompejanorum Cæſarianorum, & Germanicorum; eodemque pariter conſilio domeſtici Herodis Herodiani facile appellati ſunt.

Hæc plauſibilia ſunt adeo, ut niſi Herodiani alias etiam paruiſſent, nulla probabilior occurreret ſententia. Sed alibi etiam Herodiani, aliis temporum circumſtantiis locisque ſe produnt, ubi neque Regis neque Regiæ aulæ veſtigia ulla. Ubique autem, cum de Herodianis ſermo, conſtitutæ jam ſectæ, & in regione ſubſiſtentis, & dogmatum ſingularitate à Phariſæis, Saducæis, atque Eſſeniis, diſtinctæ ſpecies apparet; quare Ieſus, caverent ſe ab eorum opinionibus, Diſcipulos admonuit [7].

Maluerunt nonnulli [8], Herodianos gentem fuiſſe politicam, quæ Romanorum & Herodis dominationi faveret, contendentes adverſus alios Iudæos, quos nimius libertatis ſuæ amor tenebat, indicta à Romanis & Herode vectigalia omnino ſolvenda. Invidiæ in illos creandæ gratia Herodiani appellati, quemadmodum ſi forte in Republica duæ civium factiones diſſentiant, alia *Regiorum* appellaretur, alia *Republicanorum*, ſive *libertatis fautorum*. Deſiderantur fulciendo huic ſyſtemati argumenta. Quod etiam adſtruitur, illud maxime demonſtrandum eſſet, nimirum Herodianos pro vectigalium ſolutione ſtetiſſe, cum potius adverſæ opinionis fautores a nobis reputentur.

S. Iuſtinus Martyr Dial. cum Triph. autumavit, Herodianos faviſſe Herodi, non tamquam Regi, ſed tamquam Summo Sacerdoti. De ſacra illa Herodis dignitate ne verbum quidem apud Ioſephum; nec ille quidem ad ſacram Aaronis familiam pertinebat. Sed Strabo [9] mira confidentia rem illam affirmat; nec latet Herodem Magnum poſt obitum Ariſtobuli fratris uxoris ſuæ de Sacerdotio pro ſuo arbitratu diſpoſuiſſe, modo aſſumentem, modo pro arbitrio Sacerdotes exauthorantem.

Quando tamen Herodes ſatis validam Iudæorum manum præſto habuiſſet, quorum favore legitimus Summus Sacerdos aſſereretur, quod ſane prorſus ambiguum eſt, & dubium; ipſa tamen Herodis morte omnis illa factio evanuiſſet, vel ſane 33. integris poſt ejus obitum annis numquam permanſiſſet, quo tempore Herodes nepos Herodis Magni nullum ſibi in Summum Sacerdotium jus arrogabat; omnia enim arbitratu Præſidum Romanorum, jura in provincia dantium diſponebantur.

Poſt expoſitas & refutatas diverſorum opiniones de Herodianis, noſtra tandem promenda, in qua hæc potiſſimum congruere neceſſe eſt. 1. Illud laborandum, ut ſententia eligatur, quæ Herodianorum ſectam a Phariſæis, Saducæis, & Eſſeniis diſtinguat. Nemo ſane illos cum Phariſæis & Eſſeniis confundendos cenſuit: a Saducæis quidam deducentes, a nobis in ſuperioribus argumentis revicti ſunt. 2. Herodianorum nomen ſatis indicat nonniſi poſt Herodis Regnum genus illud hominum paruiſſe. 3. Mutuo cum Phariſæis fœdere; quibuſcum ſemper in Evangelio junguntur [10], conveniſſe. 4. In partes venerant illius controverſiæ, num vectigalia Romanis pendenda eſſent. 5. Moralia ſectæ dogmata tamquam pernicioſiſſima, cavenda Ieſus Chriſtus edixit.

Profecto omnia iſta nemini melius, quam Diſcipulis Iudæ Gaulonitæ ſive Galilæi quadrant. Secta erat hominum in regione notiſſima, cujus eſt apud Ioſephum Antiq. lib. 18. cap. 1. 2. ſermo, Author ille, poſtquam Phariſæorum, Saducæorum, & Eſſeniorum meminiſſet, quartam aliam Philoſophorum apud Iudæos innotuiſſe ſectam, Iuda Galilæo authore, narrat; ejus miram fuiſſe addit cum Patiſæis in omnibus quidem conſenſionem; excepto tantum liber-

(1) *Philaſtr. de hæreſib. Prateol. Elench. hæreſ. nu. 14.* (2) *Ioſeph Antiquit. l. 18. c. 8.* (3) *Vide Harduin. de Nummis Herodiad. pag. 97. Not. Cleric. in N. T. & Hammon. Ligfoot. hor. Hebr. Faber, Grot.* (4) *Mar. 8. 15.*

(5) *Druſius in præteritis. Ex Libro Aruch.* (6) *Chryſoſt. Hieron. Drutmar. hic. Syr. Ianſ. Vatab. Eraſm. Gerard. Hammond. Scultet. Natal. Alexand. hic.* (7) *Vide Marc. 3. 6. & 8. 15.* (8) *Origen. in Matth. tom. 17. Grot. Maldon. Ligfoot. Menoch. Vide & Cyrill. Alexand. lib. 2. in Iſai. cap. 11. & Theophyl in Matth.* (9) *Strab. lib. 16. p. 765.* (10) *Matth. 22. 16. & 12. 14. Marc. 3. 6. & 8. 15.*

bertatis amore; quo tenebantur adeo, ut Deum unice Dominum & Principem agnoſcendum eſſe, cui tantummodo parendum, contenderent.

Florebant maxime, quo tempore Jeſus Chriſtus in Judæa Evangelium annunciabat; cujus Authorem Judam Galilæum tunc in Provincia verſatum, cum Auguſtus cenſum indixiſſet, Gamaliel in Actis 5. 37. teſtatur. Joſephus ſectas Judæorum in gente ante captam urbem Jeruſalem obtinentes deſcribens, Judæ ſectatores non ſilet. Verum poſt everſam Urbem & Templum, deſolatamque provinciam, ad eas anguſtias redactos eſt populus, ut deliberandum ſibi ultre, num ſolvendum eſſet Romanis tributum, non maneret. Quare ſecta illa penitus diſſoluta eſt, ut ne nomine quidem poſthac exaudiretur.

Herodianorum indolem veluti depingit S. Matthæus 22. 16. 17. hæc illorum ad Jeſum Chriſtum verba referens: *Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo: non enim reſpicis perſonam hominum*. Immodicis laudibus animum Jeſu Chriſti capere tentant, altum & magnanimum poteſtatum contemptum illi tribuentes; eam illi appingentes, qua ipſi erant, animi habitudinem, qui parati eſſent omnia potius ſubire, quam Domini nomen aliis quibuſque, uno excepto Deo, tribuere.

Sciſcitantur deinde, quod maxime capitale ipſorum dogma eſt, & ſectæ indolem demonſtrat: *Licet ne tributum dare Cæſari, an non?* Quibus ea reſpoſuit Jeſus Chriſtus, ut ſatis inſinuet, in hac quæſtione negantem illos ſententiam tueri. *Reddite*, ait, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari*. Aliud illi profecto expectabant, quam ut ad ſolvendum tributum, & manendum in fide Romanorum ſuaderet. Hoc plane reſponſum Phariſæos non reſpicit; ſcitum eſt enim Joſephi teſtimonio, dogma illud de Regis titulo ejque authoritate nemini præterquam Deo aſſerenda, peculiare fuiſſe Diſcipulorum Judæi Gaulonitæ, quo uno e Phariſæis, in aliis omnibus ſummo conſenſu convenientes, diſtinguebantur.

Nomen autem Herodianorum ex Herode facile, e cujus ditione tamquam Galilæi cenſebantur, ſectæ inditum eſt. Poſtulaverant alii e provincia Judæi a Tiberio, ut detracto e collo dominationis Herodis jugo, Romano Præſidi ſubmitterentur (1); Galilæi in fide Herodis manſerant, qui omnes de Herodianorum dogmate ſuſpecti habebantur, & tamquam gens omnium pernicioſiſſima Jeroſolymæ cavebantur. Cum Jeſus Chriſtus ad Pilati tribunal raptus eſt (2), ſtructa in illum accuſatio, quod ſeditioſo vir ſpiritu populos in defectionem ſollicitaret, negans tributum a Cæſare indictum ſolvi oportere, uno verbo Herodianorum in illum invidia creata. Galilæos illos, quorum cruore Pilatus ſacra funeſtavit, ſectatores fuiſſe Judæ Gaulonitæ ſuſpicamur; illos autem ſevera animadverſione puniendos tradidit Præfectus (3), quod ſeditioſum ſparſiſſent in dominationem Romanorum murmur.

Sed cur Joſephus, apud quem frequens de ſectatoribus Judæ ſermo, numquam tamen *Herodianos* illos appellavit? Reſpondeo, 1. Numquam ipſorum nomen, quale fuerit, Hiſtoricum illum docuiſſe; numquam enim viros deſignat niſi generali Diſcipulorum Judæ Gaulonitæ titulo; nullum itaque ex ejus ſilentio de nomine Herodianorum ſatis certum argumentum duceretur. 2. Nomen illud facile nonniſi per contemptum Sectæ inditum eſt, quod proinde ipſi refugerent, neque Joſepho ſcriptis prodere viſum eſt. 3. In ejus opere de Bello deſignantur nomine *Zelotum*; ipſis enim authoribus ignis ille ſeditionis & belli Judæam exarſit, quo tota demum provincia abſumpta eſt (4). Sed nomen illud Zelotum numquam adeo obtinuit, ut ſectæ univerſæ tribueretur. Notiſſimum aliud, quo maxime vulgo appellabantur, Evangeliſtæ uſurparunt.

Opinatur Sanctus Hieronymus in Tit. 3. floruiſſe adhuc in Judæa ſectam, cum Sanctus Paulus Epiſtolas ſuas ſcriberet; id autem in cauſa fuiſſe cenſet, cur Apoſtolus tanta ſedulitate atque diligentia fideles tam ex Judæis quam ex Gentibus inſtruendos ſuſciperet, ne quid debito in Principes ſæculares obſequio deeſſet (5). Eodem ſpiritu animatus Sanctus Petrus Apoſtolus (6), adverſus hanc Herodianorum perſuaſionem Chriſti ſectatores præoccupat. Porro ſanctiſſimis illis viris numquam exciderat e mente monitum Jeſu Chriſti, cavendi nempe a fermento Herodianorum (7). Tandem Sanctus Hieronymus non ambigens quidem aſſeruit (8), Diſcipulos Judæ Gaulonitæ rogatum veniſſe Jeſum Chriſtum: *Licet ne cenſum dare Cæſari, an non?* Quibus Jeſus: *Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo*.

DISSERTATIO DE BAPTISMO.

TRIA Baptiſmatum genera in Sacra Scriptura diſtinguuntur; Judæorum, Joannis Baptiſtæ, & Jeſu Chriſti. Primum illud ſacra erat cæremonia, qua ſe ad ſanctam aliquam actionem præſtandam compararent, ſive maculam aliquam eluerent, ſive recipiendum Proſelytum diſponerent. Secundum Baptiſmi genus homines ad obtinendam remiſſionem peccatorum per criminum confeſſionem & pœnitudinem, a religioſa illa cæremonia non disjuncta, præparabat. Tandem Jeſu Chriſti Baptiſma & remiſſionem criminum & juſtitiam atque gratiam Sancti Spiritus conferebat; priora illa duo Baptiſmata ſumma quadam eminentia continebat, augebat, perficiebatque. Quare ut totum ejus meritum & excellentiam aſſequamur, abs re futurum non arbitror, ſi de duobus illis Baptiſmatibus aliquid impræſentiarum agatur, quod in hac Diſſertatione noſtra ſuſcipimus.

ARTICULUS I.

Baptiſma Judæorum.

PUrificationes, luſtrationes, & baptiſmata uſpiam nullus in univerſo Orbe populus ignoravit; quæ enim omnium mentes tenebat de Summi Numinis majeſtate atque debita ad ejus cultum ſe conferentibus morum ſanctitate, & puritate, idea illud continuo ſuggeſſit, ut purificationem per balnea & luſtrationes puri laticis, ignis, vel thuris exigerent. Judæorum tamen in ea re gens ceteris religioſiorem ſe præbuit. Quo ſe recipiendæ a Deo Legi in monte Sinai, non ſine ingentis Majeſtatis ſignificatione deſcendente, diſponeret, accedere juſſi ſunt a Moyſe ad radicem montis, loto prius aqua corpore pariter & veſtibus (†). Aaron, ejuſque Filii non prius Sacerdotis mune-

(1) *Joſeph Antiquit. lib. 17. cap. 12. p. 610. 611.* (2) *Luc. 23. 2. 5.* (3) *Luc. 13. 2.* (4) *Joſeph Antiquit. l. 18. c. 1.* (5) *Rom. 13. 1. 2. & ſeq. Tit. 3. 1. 2. & 1. Timot. 2. 1. 2.* (6) *1. Petri 2. 13. 14. 15. 16. 17.* (7) *Marc. 8. 15.* (8) *Jeron. loc. cit. in Epiſt. ad Tit. 3.* (†) *Exod. 19. 10.*

munere fungi ſunt permiſſi; neque ſacris veſtibus induti (*), quam ut antea puro latice corpus mundaſſent. Paria in conſecratione Levitarum legas Num. 8. 6. 7. 8.

Maculæ omnes legales Baptiſmate, & plerumque etiam ſacrificio eluebantur. Sordes quoque naturales virorum & mulierum, tum & communia utriuſque ſexus incommoda [2], veluti lepra, voluntaria ſive etiam invita ſeminis emiſſio balneo mundabantur. Si quis impurum aliquod animal vivum, vel mortuum, ſive impurum aliquem hominem tetigiſſet, eidem ſubdebatur legis diſpoſitioni [2]; quod etiam cautum eſt de illo, qui tactu victimæ pro peccatis immolatæ [3], ſeu vaccæ die ſolemnis expiationis mactatæ [4], ſive defuncti hominis [5], vel tandem rei alicujus impuræ contactu maculam contraaiſſet. Sed Baptiſmata illa corporis quidem, non animi ſordes eluebant. Alia non fuerat ejus diſciplinæ inſtituendæ ratio; neque enim niſi abluendis legalibus maculis ſancita erat.

Hujus cæremoniæ præſtandæ is erat ritus. Nudatum corpus aqua totum immergebatur; ſeorſum deinde lavabantur veſtes; una ſimul cum veſtibus ſe totos aliquando homines balneo infundebant. Namque & veſtes ſine corpore, & viciſſim, numquam ablui conſueviſſe, doctrina eſt DD. Judaicorum. Quare cum in Scriptura lavari veſtes præſcribuntur, lotio pariter etiam corporis præſcripta cenſenda eſt; ſicuti viciſſim cum de corpore edicit, de veſtibus etiam diſponere cenſenda eſt.

Baptiſma, quod vocant aſperſionis, vel infuſionis, penitus ignorabant; ſicut & nullus fuit ejus uſus in primordiis Eccleſiæ Chriſtianæ, unice inhærentibus fidelibus conſuetudini apud Judæos, ceteroſque populos receptæ. Porro quæcumque hæc fuerint Baptiſmata, derivata facile ſuſpicamur e luſtrationibus ſive aſperſionibus quibuſdam ſub Lege uſitatis, neque in cæremoniis Paganorum ignotis; in quibus ſcilicet non raro totus cœtus luſtrali aqua, vel ſanguine victimarum expiationis aſpergebatur: *Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.*

Ejus cæremoniæ exempla ſpectantur apud Moyſem in conſecratione Sacerdotum [6], in Feſto Expiationis ſolemnis [7]; cum leproſus receptæ valetudinis oblationem Templo infert [8]; in ſacrificiis ſolemnibus pro peccato Principis, ſive populi [9]; tandem in conſuetis ſordibus contractis, ſive cum præſens ſpectaretur cadaver, ſive cum funera lugerentur; quæ ſane omnia aſperſione aquæ luſtralis, immiſſo cinere vaccæ rufæ mundabantur [10].

Singularis eſt Baptiſmus Proſelytorum. Eo nomine cenſebantur apud Judæos quicumque ad eorum ſacra tranſiiſſent, vel ſaltem in regionem illorum fixas ſedes tranſtuliſſent. Porro poſteriores illi Proſelyti neque ad circumciſionem, neque ad baptiſma adigebantur: modo idololatriam ejuraſſent, & præcepta quædam, Noemo ejuſque infantibus poſt diluvium, uti quidem opinantur Hæbræi, propoſita, in ſe ſuſciperent obſervanda. Appellabantur illi *Proſelyti domicilii*; ſicut & alii ad ſacra Judæorum tranſeuntes, *Proſelyti juſtitiæ*. Recipiendo itaque *Proſelyto Juſtitiæ* hæc potiſſimum ſervabantur. 1. Circumciſione, niſi forte antea recepiſſet, uti recipere conſueviſſe conſtat Samaritanos, Iſmaelitas, ac Æthiopes, initiabantur: ſi nihil circumciſione opus, ſatis habebatur guttam aliquam ſanguinis e loco circumciſionis educere. Aliquando tamen iteratam circumciſionem erga Samaritanos legimus [11].

Poſt obductum vulnus circumciſionis, Baptiſmate Proſelytus abluebatur, quæ unica cæremonia locum circumciſionis in fœminis obtinebat. Porro aqua partes omnes corporis tangi ita neceſſe erat, ut ſi aliqua non ablueretur, nullum eſſet baptiſma. Reiterari cæremoniam illam nefas, ſolaque immerſione peragebatur. Aderant huic cæremoniæ tres Judices conſtituti, quorum ſi unus tantum affuiſſet, nulla ejus baptiſmatis ratio habebatur. Liberi, ſi quos ante baptiſmum Proſelytus genuiſſet, ab hæreditario jure ſtatim excidebant, niſi ipſi pariter & circumciſionem, & baptiſmum admiſiſſent; ceteri vero poſt hæc nati Iſraelitæ cenſebantur, nec niſi circumciſione initiandi erant. Fœminæ prægnantes, quæ Baptiſmate abluerentur, in privilegii ſui conſortium infantes deinde naſcituros admittebant; ambo enim in cœtum Iſraelitarum adlecti erant.

De origine baptiſmatis non ſatis inter Rabbinos convenit; alii, uti Maimonides, e Moyſe repetunt [12], remotioris antiquitatis autumans Grotius in Matt. 3. 6. obtinuiſſe jam inde poſt diluvium, in memoriam expiati per aquarum affuſionem mundi, arbitratur. Sed nihil ea de re ſatis expreſſum in Lege Moyſi univerſa; neque Baptiſmo initiatum Jethro ejuſque familiam [13], vel Ruth, vel Rahab, vel Achior, vel alium quemcumque ex alienigenis Judaicam profeſſionem ſuſcipientibus uſpiam occurrit. Narrans etiam Joſephus de Idumæis, quos invitos ad ſacra Judæorum Hircanus traduxit, de circumciſione quidem ab illis exacta, nihil vero de baptiſmate refert (14).

Sunt qui autumaverint, Judæos cæremoniam hanc ſuam vel e Paganis expreſſiſſe, qui Myſteriis initiandos puro latice abſtergebant; vel e Chriſtianis, qui Religionem Jeſu Chriſti profitentibus baptiſmi ſacramentum unice neceſſarium cenſent. Verum & Paganorum & Chriſtianorum nomen Judæis inviſum erat adeo, ut eorum diſciplinam in ſuos mores transferre ſuſtinuiſſe numquam crediderim. Quare facilius autumaverim, ejus cæremoniæ authores fuiſſe Phariſæos, qui poſt captivitatem Babylonicam plures, ultra præſcriptos a Lege, ritus moreſque invexerunt, & baptiſmus ille, quem a S. Joanne Baptiſta in ripa Jordanis collatum affluentibus undique Judæis legimus, ſatis indicat morem fuiſſe tum temporis in ea gente frequentatiſſimum.

Porro Baptiſma Proſelytis collatum ſingularibus privilegiis donant Hebræorum Doctores. Docent enim Proſelytum eo ablutum, novam, cœlitus immiſſam, recipere animam, novamque ſubſtantiæ ſuæ formam induere, ut in alterum hominem tranſmutetur. Ita quos neceſſarios ante converſionem habuit, converſus dein tamquam alienos reſpicit. Mancipia manumittuntur. Si nati poſt baptiſmum nullis liberis deceſſiſſent, eorum bona primis occupantibus cedebant; qui enim ante Baptiſmum nati erant parentis filii, illi ab avitæ hæreditatis jure excidebant. Uno verbo, e baptiſmatis lavacro emergentes, naſci iterum & ad novam reſurgere vitam dicebantur (15). Quod ſpectaſſe viſus eſt Jeſus Chriſtus cum ad Nicodemum verba faciens, diceret, oportere eos, qui Diſcipuli ſui fierent [*], iterum renaſci. Interroganti Nicodemo, naſci iterum ſenex qui poſſet? reſpondit iterum: *Tu es magiſter in Iſrael, & hoc ignoras?* i. e. an neſcis Proſelytos circumciſione & baptiſmate iterum naſci?

De neceſſitate tamen hujus baptiſmatis, ejuſque privilegiis non prorſus inter Rabbinos convenit. Maimonides neceſſarium judicat, ſed neceſſitate præcepti, cujus ex mandato *Domus judicii* præſcripta eſt executio. Alii vero Doctores Maimonide mitiorem doctrinam ſectantur. Legitur in Gemarra [16], eos qui circumciſione quidem non baptiſmo initiantur, ſicut viciſſim qui baptiſmo & non circumciſione, Proſelytos haberi potuiſſe; quod Patres noſtri, inquit, circumciſionem quidem non baptiſma obtinuerint, & viciſſim matres noſtræ baptiſmate tinctæ, nulla circumciſione, quam recipere non poterant, initiatæ ſint. Præto-

(*) *Exod.* 29. 4. & 40. 12. *Levit.* 8. 16. (1) *Levit.* 13. 6. 34. & 16. 6. 7. & *ſeq.* (2) *Levit.* 11. 25. 28. & 12. 6. (3) *Levit.* 6. 27. 28. (4) *Num.* 19. 7. 8. 21. (5) *Num.* 31. 24. & 19. 14. (6) *Exod.* 39. 21. *Levit.* 8. 12. (7) *Levit.* 16. 14. 15. 19. & 19. 4. &c. (8) *Levit.* 14. 7. 16. 51. (9) *Levit.* 16. 2. 3. 4. 5. 6. 17. (10) *Num.* 20. 12. & *ſequent.* (11) *Epiphan. de ponderib. & menſur. p.* 172. (12) *Vide Ligfoot. Hor. Hebr.* 41. (13) Aſſerit Talmud *lib. de repud.* ſed nullum ejus dicti argumentum affert. (14) *Joſeph. Antiquit. l.* 13. *c.* 17. (15) *Vide Selden. de jure Nat. & Gent. l.* 2. *c.* 2. 3. & *l.* 1. *de Synedr. c.* 3. *Hammond. & Ligfoot.* (*) *Jo.* 3. 10. (16) *Gemar. tit. Jabimoth. c.* 4.

Prærogativas Proſelytorum pro viribus extenuare nituntur Rabbini recentiores. 1. Proſelytis viti alienigenæ macula alte imbibitur, ut ne longo quidem ſæculorum tractu tollatur. 2. Omnibus qua civilibus, qua militaribus muniis in Iſraele obtinendis impares fuiſſe defendunt. 3. Mulieres Proſelytæ interdictæ erant cum Sacerdotes nuptiæ. 4. Filii Proſelyti, ex Pagana uxore geniti, de matris vitio Pagani cenſebantur. 5. Si Proſelytis æterni Regni ſors referatur, in Paradiſum tamen non prius recipi permiſſi, quam ut antea in Inferuis 12. menſium ſpatio ſupplicia toleraverint; illis enim vitio vertitur, quod adventum Meſſiæ retardaverint, & perinde habentur quaſi *Scabies Iſraelis* [1]. Creditur etiam, peſſimam illorum habitudinem, atque ſanctionum Legis ignorationem, corruptionem in Iſraelem invexiſſe.

ARTICULUS II.

Baptiſmus S. Joannis Baptiſtæ.

POſt exactam 30. annorum ætatem in eremo, in ſumma vitæ afflictatione atque virtutum omnium exercitio, ſuccurrit tandem S. Joanni Baptiſtæ, ut propius ad Jordanem accedens, e regione Jericho ſe conſtitueret, tamquam novum Eliam ſeſe exhibens, zelo nempe & auſterioris vitæ imitatione [2], ac tandem ipſo externo corporis indumento ſanctum illum Prophetam referens. Eo igitur habitu & apparatu annunciandam ſuſcepit pœnitentiam, dicens appropinquaſſe jam Regnum Cœlorum; nempe Meſſiam tanta ſæculorum expectatione deſideratum, eſſe jam in limine. Meſſiam ſcilicet, cui Deus *dedit poteſtatem & Regnum, & omnes populi, & Tribus & linguæ ſervient: poteſtas ejus poteſtas æterna, quæ non auferetur, & Regnum ejus quod non corrumpitur.* Adjecit, Principem ſæculi mox venturum & faciem ſuam gentibus revelaturum. Deum populi ſui criminibus provocatum in ultionem ruere, ipſamque ad radicem arboris ſecurim poſitam eſſe. Verba ſancti Præcurſoris, quibus ſanctiſſimi viri exempla & virtutes vim augebant, adeo ubique Judæos commoverunt, ut a Jeruſalem & ab omni undique regione confluentes, ad recipiendum baptiſma, exomologeſim criminum faciendam, tum & ad recipiendas ejus inſtitutiones venirent. Excipiebat ille omnes, monens, ut dignos pœnitentiæ fructus præſtarent; ad Deum non ſimulato neotia affectu converterentur, omniumque tandem ſtatui accommoda præcepta tradebat.

Nihil frequentius tum temporis, quam baptiſma, quo in aquæ fluentis immerſum corpus abluebatur: obtinebat id maxime apud Judæos, quemadmodum etiam in ſuperioribus demonſtratum eſt. Quare miſſi ad illum Legati a Sacerdotibus & Optimatibus gentis ſuæ, quæſituri, cujus authoritate baptiſma conferret [3]. Nihil illi interrogandum cenſuerunt ſive de ipſo baptiſmate, ſive de ejus virtute, rati nihil a conſueto apud Judæos Baptiſmate differre. Fatebantur ejuſdem conferendi baptiſmatis facultatem, Chriſti, Eliæ, vel Prophetæ alicujus poteſtati reſervari, abſque eo quod ab alio authoritatem illam reciperent: jus etiam in illud reſervatum eſſe Sacerdotibus norant, quippe quos dignitatis character in ſanctæ culmine poteſtatis conſtituiſſet. Quibus enim Joannes neque Chriſtum ſe, neque Eliam, neque Prophetam eſſe fateretur ingenue, nec tandem a cœtu Sacerdotum, e Sacerdotali alioqui familia ortus, miſſus eſſet, intulerunt illi, *Quid ergo baptizas?* His ſic interrogationibus nil aliud reſpondit Joannes, quam vocem ſe eſſe Iſaiæ Prophetæ, clamantis in deſerto: *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas ejus* [4]. Adjecit, ſe quidem aqua baptizare, in medio vero ipſorum, ignotum licet, verſari, a quo mox baptiſma S. Spiritus & ignis conferretur.

Porro baptiſmati S. Joannis duo erant ſingularia. 1. Quod cæremoniam illam præcederet pœnitentia, dolor nempe, & commiſſorum criminum deteſtatio, opera ſatisfactoria, & vitæ ad meliora traductio. 2. Baptiſmate ablutos fateri ſimul criminum ſuorum ſcelera; cum enim corporis totius ablutio frequentiſſima eſſet apud Judæos, integrum erat cuique contractam aliquam maculam ſimplici eo ritu abluere. Sed quæ a Joanne præſtabatur lotio, perfectior erat cæremonia, quæ media inter Baptiſma Judæorum & Jeſu Chriſti conſtituta ex altero ad alterum duceret, & ritum hunc Judæorum perfectione vinceret, quamquam ab altero Chriſti vinceretur.

Tria hic de eodem Baptiſmate quæruntur. 1. An remittendorum criminum virtus ipſa eſſet ejuſdem baptiſmi Joannis prærogativa, vel tantum ſimplex haberetur diſpoſitio ad Baptiſma Jeſu Chriſti recipiendum. 2. An pœnitentia, quam S. Joannes annunciabat, merus eſſet de peccatis dolor, & ægritudo, intimus dolentis animi ſenſus, qui in externas actiones afflictationis & operum pœnalium non prodiret. 3. Tandem an criminum confeſſio de ſingulis fieret, ut numerus, & culparum indoles panderetur, vel generatim ſe peccatorem fateri ſufficeret.

Inter baptiſma Joannis & Jeſu Chriſti, magnum a SS. Patribus [5] diſcrimen conſtituitur; quod enim illud tantum promittebat, alterum exequebatur; & ad Baptiſma Jeſu Chriſti collatus a Joanne Baptiſmus animos hominum diſponebat; ſicut etiam præcepta a Joanne criminum exomologeſis baptiſmo præmittebatur, unde ad Jeſu Chriſti alterum via ſtrueretur. Viam enim paraſſe Joannem ad Chriſtum, ait S. Chryſoſtomus; id poſtulaſſe lotione ſua Præcurſorem, quod non niſi, a Servatore concederetur, ait Tertullianus. Poſt baptiſma Joannis, neceſſarium adhuc ſupererat Jeſu Chriſti baptiſma ad criminum remiſſionem impetrandam, ait Sanctus Auguſtinus [6]: *Quamquam ita credam baptizaſſe Joannem in aqua pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, ut ab eo baptizati in ſpem remitterentur peccata, reipſa vero in Domini baptiſmo id fieret.* Et in Enchir. de Fide, Spe, & Charitate cap. 49.: *Non enim renaſcebantur*, ait, *qui baptiſmate Joannis baptizabantur, ſed quodam præcurſorio illius miniſterio qui dicebat: Parate viam Domino; huic uni, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur.*

Quam vero prædicabat Joannes pœnitentiam, non in ſolo criminum dolore conſtituendam eſſe, ipſe ſatis inſinuat illis ad Phariſæos verbis (7): *Facite fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham.* Fruſtra enim hæc omnia obtendetis; fruſtra aquarum hoc latice abluemini, niſi dignos pœnitentiæ fructus promatis. Qui pœnitentiæ fructus, niſi corporis afflictationes, jejunia, labendi in peccata diſcriminum fuga, opera pœnalia, cilicia, accubatio in cinere, lacrymæ, intercidere ſibi vitia omnia, & voluptates; hanc enim de pœnitentia ideam Scripturæ & Patres ſuſficiunt? Hiſce ſibi veniam criminum ſuorum David obtinuit [8]; hiſce Ninivitæ imminentem in caput ſuum ultionem averterunt [9]; Eſther & Mardochæus lata adverſus Judæos in tota Aſſueri ditione ſparſos edicta ſuppreſſerunt [10]. Ita ploravit Daniel crimina populi ſui [11]; nec aliam regrediendi ad Deum viam

Joel

(1) *Vide Baſnag. Hiſtor. Jud. l. 7. c. 9. art. ult.* Axioma eſt Hebræorum: *Proſelyti ſunt noxii Iſraeli ſicut ſcabies.* (2) 4. *Reg.* 1. *Matth* 3. (3) *Joan.* 1. 19. 20. 25. (4) *Iſai.* 40. 3. (5) *Chryſoſt. hom.* 10. & 12. *in Matth.* & *hom.* 24. *primi tomi pag.* 312. 313. *Tertull. lib. de Baptiſ. pag.* 260. *Agebatur itaque baptiſmus pœnitentiæ quaſi candidatus remiſſionis & ſanctificationis in Chriſto ſubſequuturæ. Vide & Ambroſ. in Pſ.* 118. *n.* 9. *Ante igitur unaquæque anima quaſi ad Baptiſmum S. Joannis venit, ut præmittat pœnitentiam delictorum. Vide & Authorem Quæſtion. ad Orthod. apud Juſtin. qu.* 32. *S. Hilar. ad Matth.* 3. 6. *Origen. in Jo. tom.* 8. *Regeneratio non apud Joannem, ſed apud Jeſum per Apoſtolos fiebat.* (6) *Auguſt. l.* 5. *contra Donat. c.* 10. *Joannes tali Baptiſmo pertinebat, quo percepto eſſet Baptiſma etiam Dominicum neceſſarium.* (7) *Matth.* 3. 8. (8) 2. *Reg.* 12. 16. *Pſalm.* 50. (9) *Jonas* 3. 6. 7. 8. (10) *Eſther* 4. 1. 2. 3. 16. 17. (11) *Dan.* 9. 4.

Joel Iſraelitis conſtituit [1] . Tandem nihil aliud ingeſſit S. Joannes in tota vitæ ſerie , nihil in externo corporis ſui habitu præ ſe tulit , ait S. Joannes Chryſoſtomus hom. 10. 11. in Matth.

Porro homini lethaliter vulnerato non ſatis eſt ferrum e vulnere extrahere , niſi pariter opportuna vulneribus obducendis remedia afferantur . Ita pariter , ait idem S. Doctor Hom. 10. non ſatis eſt commiſſi antea criminis conſuetudinem præcidere , ſed bona malis opponenda ſunt , & bonorum operum fructus promendi . Aliena diripuiſti ? eleemoſynis de tuo cenſu factis malum bono compenſa ; illicita admiſiſti ? abſtine pariter & a licitis [2] . Gemina apud alios Patres [3] legas ; uno enim omnes conſenſu pœnitentiæ exercitium non verbis tantum , ſed etiam operibus & exemplis demonſtrarunt . Fruſtra vero quis obtenderet , verbum Græcum , quo uſus eſt Evangeliſta [4] , ægritudinem animi & intimum doloris ſenſum deſignare ; latiori namque ſignificatione vox illa a tota Chriſtiana antiquitate uſurpatur ; quæ ſane Græcas litteras non minus ſaltem , quam novi Evangelii reformatores callebat . Quando vero intimo cordis dolore pro commiſſis a ſe criminibus anima tenetur , non illi plane ſuccurrit , ut de ſignificatione vocum recogitet ; ſed impetum cordis ſecuta , commiſſa a ſe in Deum crimina exhorreſcit ; nec tantum ſibi ſcelera illa ducit evitanda , ſed rapitur tota in oppoſitæ virtutis exercitium . Sincera cordis converſio priorem in crimen amorem excutit omnem , ſcelus illud evitat , virtutem amat & juſtitiam , quibus excolendis aſſidua exercitatione non laſſatur .

Quam vero exigebat S. Joannes , criminum confeſſio non ita reputanda eſt , quaſi confuſa quædam eſſet declaratio , qua ſe peccatores viri illi prodebant ; neque id tantum præſtabatur ab illis , ut confuſa quadam accuſatione peccaſſe ſe dicerent cogitationibus , verbis , operibus , & omiſſione , quemadmodum pluribus Scriptoribus perſuaſum eſt ; ſed luculenta & diſtincta de ſingulis criminibus contra Legem admiſſis confeſſio cenſenda eſt . Hanc pariter confeſſionem præſtabant Iſraelitæ , manum ſuam capiti victimarum , quas pro crimine offerebant , imponentes [5] . Crimina pariter ſua & aliorum Sacerdotum fatebatur Summus Sacerdos die Expiationis ſolemnis [6] . Qua pariter die ceteris Iſraelitis decies confeſſionem iterandam fuiſſe [7] docent nonnulli . Prima in pervigilio ad veſperam & ante cœnam ; altera ſuccedebat primo mane ; totaque deinde die octies repetebatur , ut omnes ſimul decem confeſſiones efficerent , quot pariter vicibus Summi Sacerdotis ore ſolemni illa die , Dei nomen pronunciabatur . Generatim autem aſſerit Maimonides , numquam crimen remitti , quod ipſe prior criminoſus ore non fateretur .

Legimus in Actis Apoſtolorum 19. 18. Gentiles ad Fidem venientes , ante pedes Apoſtolorum crimina a ſe commiſſa fateri : *Multi credentium veniebant , confitentes , & annuntiantes actus ſuos .* Suadet etiam Fidelibus S. Jacobus , ut *confiteantur alterutrum peccata ſua* [8] . Similem , ac apud nos obtinet , confeſſionem ſervant Judæi , cum ad mortem ægrotant [9] . Rudioribus quidem præſcripta eſt generalis quædam formula confeſſionis , quam recitant ; cetera vero peccata ſua ſingillatim exprimenda . Novo ineunte anno crimina ſua ita confitentur ; vaſe nimirum aqua pleno lavant . Formulam habent confeſſionis , 22. vocibus elementari literarum ordine digeſtam , & ad ſingula confeſſionis verba vir aliquis coram adſtans pœnitentis caput in aqua immergit , ſimulque pœnitens ipſe pectus dextera manu plangit [†] .

Alterutrum etiam crimina ſua confitentur die Expiationis ſolemnis hoc potiſſimum ritu [10] , Cum duo ex Judæis in angulo Synagogæ ſeſe receperint , alter coram altero pronus & incurvus faciem habens ad ſeptemtrionem verſam , eo corporis habitu perſeverat ; cum interim alter ſupplicis dorſum cædat 39. ictibus flagello coriaceo , hæc interim verba obmurmurans Pſal. 77. 38. *Deus miſericors , & propitius fiet peccatis eorum , & non diſperdet eos , & abundavit ut averteret iram ſuam , & non accendit omnem iram ſuam .* Quæ Pſalmorum ſententia cum 13. tantum vocibus conſtet in Hebræo , ter repetenda eſt , quo ſcilicet ſingulis vocibus reſpondentes ictus 39. numerum expleant . Interim ſupplex pandit crimina ſua , pectus ad ſingula tundens . Ita expiatus , ſurgit , & coram ſe pronum alterum habens , quod ab ipſo recepit officii , illi pariter rependit .

Ex his , quantum arbitror , ſatis aperte intelligitur , diſciplinam fatendi ſingillatim peccata ſua coram homine , ab ipſa Apoſtolorum ætate derivatam , quæ deinde non interrupta ſucceſſione ad noſtram etiam ætatem tranſmiſſa eſt . Quare nonniſi veroſimilia comminiſcuntur , qui tradunt , confeſſionem criminum a S. Joanne indictam ejuſdem eſſe cum noſtra diſciplina ; quod pariter & Patribus , & optimis quibuſque Commentatoribus perſuaſum eſt . Diſerte admodum ea de re Author Operis Imperfecti in Matth. hom. 3. *Confeſſio peccatorum eſt teſtimonium conſcientiæ timentis Deum . Qui enim timet judicium Dei , peccata ſua non erubeſcit confiteri ; qui autem non erubeſcit , non timet .* S. Joannes Chryſoſtomus [11] . *Tempus Confeſſionis aquæ & lotis baptiſmate & illotis prophaniſque incumbit : illis quidem , ut poſt pœnitentia criminum vulnera pœnitentia interveniente curentur , & ad ſacra myſteria redire cenſeantur (nempe ad baptiſmum) . His vero ut ablutis in baptiſmate maculis , ad Dominicam menſam munda jam conſcientia accedant .*

Grotius in eumdem locum , contra Fratrum ſuorum opinionem de confeſſione dictum expoſuit ; ait enim , in ea quæ viros doctos inter ſe committit quæſtione , num ſcilicet in locis Numerorum , & Levitici , ubi de confeſſione ſermo , de confeſſione agatur hominis ad Deum , ſive hominis coram Sacerdote crimina accuſantis ſua ; in ea , inquam , quæſtione maxime probari ſibi ſententiam de expoſita particulari confeſſione criminibus , non de iis tamen , quæ capitali pœna luenda eſſent a reo ; in illis vero ſolam generatim habitam confeſſionem ſat fuiſſe arbitratur . Credit autem probabiliſſime idem pariter , ſed majori pietate & confidentia facturos , ad Joannem Baptiſtam , Sacerdotem , Prophetam , ac ſpectatæ virtutis virum Judæos veniſſe . Remittit tandem Lectores ad Maldonatum , Janſenium , Eſtium aliosque Catholicos Interpretes in capit. 3. Matth.

Quibus verbis concepta eſſet formula baptiſmi S. Joanis , quærunt Scholaſtici [12] ; eſt enim in Sacramentis ſingulis ſua requirenda materia & forma , quibus veluti Sacramenti corpus compingatur . Sunt qui nullam peculiarem formam in eo baptiſmo adhibitam defendant , quo vel unico defectu e Sacramentorum cenſu cæremonia illa expungenda eſſet . Malunt alii [13] , collatum baptiſma in nomine Chriſti futuri , quod congruentibus multis ratiunculis fulciunt . Nec ſane certa ejus argumenta petenda ſunt , cujus nihil ſive in Sacra Hiſtoria ſive in Scriptura legimus .

Nec Joanne vita functo vel ejus Baptiſma , vel ejus Diſcipuli , ceſſarunt evanueruntque . Ex illis quidam ad Jeſum venientes , ejus ſe diſciplinæ inſtruendos tradiderunt ; nec aliud ſane optaſſet Joannes , quam ut Diſcipuli ſui omnes ad Jeſum tranſirent , quemadmodum ſatis demonſtrat miſſa ab eo , dum in carcere detineretur , aliquandiu ante obitum ad eumdem Jeſum legatio [14] . Aliis viſum eſt in annuncianda pœnitentia & facile etiam conferendo baptiſmate perſeveraſſe ; a quo ſcilicet munere conferendi bap-

tiſmi

(1) *Jool.* 2. 12. 12. 13. (2) *Idem Hom.* 10. (3) *Vide Juſtin. Dial. & alios . Lege Grot. ad Matth.* 3. 6. (4) *Matth.* 2. 2. *Metanoite.* (5) *Levit.* 5. 5. *Num.* 5. 7. (6) *Levit.* 16. 6. 11. (7) *Buxtor. Synag. c.* 20. *Morin. de Pœnit. l.* 2. *c.* 22. *l.* 4. *c.* 35. 36. (8) *Jacob.* 5. 16. (9) *Buxtor. Synag. c.* 35. (†) *Idem cap.* 18. (10) *Buxtorf. Synagog. cap.* 20. (11) *Chryſoſt. in Matth. hom.* 10. *Vide homil.* 28. *S. Baſilio de Pœnitentia .* (12) *Scot. Diſt.* 2. *qu.* 2. *art.* 1. *Durand. Gabr. Franc. Suarez.* (13) *D. Thomas* 3. *par. qu.* 38. *art.* 6. *ad* 5. *Et alii multi .* (14) *Matth.* 11. 1. 2. 3.

tiſmi abſtinuiſſe Diſcipuli illi, Joanne ſuperſtite, creduntur [1]. Conſtat autem, nullum habuiſſe a Joanne præceptum, ut in conferendo baptiſmate perſeverarent; norat enim mox proditurum Meſſiam, a quo baptiſma illud abrogaretur. Verum, injuſſi licet, accedentes ad ſe abluebant, non in Judæa tantum, ſed per univerſas inſuper regiones. Ita Apollo Alexandrinus, vir doctus, & Chriſtianæ doctrinæ ſtudioſiſſimus, 20. annis poſt obitum Jeſu Chriſti Epheſum venit, nihilque aliud tum temporis norat, quam baptiſma Joannis [2]. Plures etiam ex Epheſiis, cum eo loci Paulus Apoſtolus poſt Apollo veniſſet [*], non niſi eo baptiſmate initiati erant, nec de S. Spiritu, qui baptiſmate Jeſu Chriſti conferretur, aliquid norant.

Narrant inſuper, hodie etiam in Oriente [3] audiri Diſcipulos S. Joannis Baptiſtæ, quos *Sabin* appellant; ſed numero eſſe infrequenti, atque in Arabia, Perſide, & ſecundum litus ſinus Perſici diſperſos. Originem ſuam e Chaldæa retulerunt, & ex diſcipulis, uti quidam creditur, Zoroaſtri, cujus plures adhuc retinent opiniones. Porro illi baptiſmate S. Joannis initiati, atque dogma e Chriſtianis doctrinis ritibuſque Judaicis conſlantes, male compactum Religionis corpus conſtituerunt, cui deinde ex commentis Mahometiſmi major acceſſio facta eſt. Nomen S. Joannis uſurparunt, quod authorem ritus ſui dogmatis, & librorum jactitant S. Joannem Baptiſtam, unde & ipſi pariter gloriantur titulo Diſcipulorum S. Joannis. Iterant quotannis Baptiſma ejuſdem S. Joannis, quem unicum habent, una cum utroque ejus parente Sanctum votis, & thure colendum. Ejus Præcurſoris tumulum conſtituunt juxta *Chuſter* urbem Metropolim Regni Chuſiſtan, quem locum frequentior *Sabin* turba incolit; ibidemque Jordanis fontem ſtatuunt.

Jeſum Chriſtum non quidem Dei Filium, ſed tamquam Prophetam ipſumque Spiritum Dei agnoſcunt; quod in ipſos ex Mahometanis derivatum non inviti crederemus. Crucem venerantur ad ſuperſtitionem uſque. Liber eſt apud illos ſacer, quem *Divam* inſcribunt: legitur in eo Deus corpore quodam conſtare, cujus Filius Gabriel patri ſuo veluti inſtrumentum in creatione Mundi exhibuerit. Srare pariter e nihilo juſſi ſunt Angeli, & Dæmones corpore, & ſexu diſcrati, quibus per generationem eſt propagatio. Fertur moris eſſe apud illos conſecrata panem vino, oleoque ſubactum, quam ſupplicationis quadam ſpecie circumlatum poſtea deguſtant.

Ex patre in filium derivata apud illos Epiſcoporum, & Sacerdotum ſucceſſio; offerre autem pullum gallinaceum in ripa fluminis, Sacerdotale munus eſt; ſicut & ſemel in anno mactari apud illos agnus narratur. Baptiſma illud, quod ſingulis annis iteratum diximus, ſive aſperſione ſive immerſione ad arbitrium, in Dei unius nomine confertur; neque enim ſive Filium, ſive Sanctum Spiritum aliquam agnoſcunt. Connubia Sacerdotum cum virgine aliqua puella permittuntur; atque in luſtrationibus legalibuſque maculis eadem apud illos ferme, quæ apud Judæos obtinet ſuperſtitio. Polygamiam admittunt, novaſque celebraturi nuptias, ambo conjuges in fluento baptiſmi ſunt. Ex his omnibus, quantum arbitror, colligimus, Chriſtianos illos neque Judæos, neque Idololatras, neque Mahometanos reapſe habendos, qui recepta forte ab exordio Chriſtianæ veritatis ſemina plurimum ignorantia & ſuperſtitione corruperint.

Calvinus, & Beza, cæterique illorum clientes [4] defendunt, baptiſma S. Joannis nihil a Baptiſmo Jeſu Chriſti diſcrepaſſe, ut quicumque priori ablutione mundati eſſent, novam deinde nullam admitterent. Utrumque enim æque ad Jeſum Chriſtum ſpectaſſe animadvertunt, utrumque ſymbolum fuiſſe pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum. Ab illis, quos baptiſmo S. Joannis initiatos nactus eſt, Apoſtolus nihil exegit aliud, quam ut in Jeſum Chriſtum fide magis capeſſa crederent, quo ſibi veniam peccatorum promererentur. Addunt inſuper, Jeſum Chriſtum nullo alio initiatum fuiſſe baptiſmate, quam Joannis; quare ſi poſtrema iſta cæremonia altera a Baptiſmate Chriſti ſtatuenda eſſet, Chriſti nos lavacro non ablueremur.

Sed major eſt conſtituta ab Evangelio inter duo hæc Baptiſmata diſcrepantia, quam ut in unum confundantur. Primum illud aqua conferebatur, diſponendis ad pœnitentiam animis; ſecundum in Sancto Spiritu, & igne [5] datum conſtat. Ad hæc S. Lucas non obſcure prodit, ablutos lavacro S. Joannis, novo iterum baptiſmate expiatos fuiſſe: *His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu* [6]. Nec ſane niſi per ſummam impudentiam Textus ille vertatur, quemadmodum ab illis præſtitum eſt: *Et audientes,* (Joannem Baptiſtam) *receperunt* (ab illo) *Baptiſma Domini Jeſu*. Adventum Meſſiæ prædicaſſe Joannem tam certo conſtat, quam collatum ab illo in nomine ejuſdem Meſſiæ baptiſmum ambiguum eſt, & incertum. Sophiſma eſt autem, quod ab illis conflatur argumentum, nimirum non recipere nos Baptiſma Jeſu Chriſti, ſi altero lavacri genere, ac illo, abluimur. Fatemur enim nos altero initiatos eſſe baptiſmate; ſed illo tamen abluti ſumus, quod Jeſus Chriſtus inſtituit, injunxitque. Neque enim, ut baptiſma Joannis reciperemus, ſive facta alicujus promiſſionis ſpe, ſive præcepto aliquod juſſit; injunxit tamen, ut ſecundo illo tingeremur, fidem ſuam obligans, omnia ſe noſtra crimina condonaturum [7].

ARTICULUS III.

De Baptiſmate Jeſu Chriſti.

NON diſſertatione ſingulari, ſed pluribus opus eſſet voluminibus, ſiquidem omnia diſcutienda eſſent, quæ ad baptiſma a Jeſu Chriſto inſtitutum pertinerent. Ne latius etiam eo in campo ſpatiamur, prohibent, quos nobis præſcripſimus, anguſtiores hujus lucubrationis limites. Sat igitur habebimus, ſi circumſtantias diſcuſſerimus baptiſmi, quo a Præcurſore Jeſus Chriſtus ablutus eſt; in examen pariter revocantes verba illa ejuſdem viri ſanctiſſimi ad Chriſtum: *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni* [8]. Hunc diſſertationi noſtræ modum conſtituimus, ne a Textu S. Matthæi, quem ſuſcepimus exponendum, longius abducamur.

Confluentibus undique ad baptiſma S. Joannis turbis, ambigentibus etiam nonnullis, num veniſſe promiſſum Meſſiam in Viro illo crederent, venit pariter ad ejus baptiſmum Jeſus. Quem via proſpiciens Joannes, tingere illum recuſavit, dicens, ſe potius ab illo baptizandum. Cui Jeſus abſiſteret dixit, ad ſe enim pertinere omnem implere juſtitiam; tum aquæ fluenta ingreſſus, ad ſacram ſe cæremoniam comparabat. Sed ecce, quo loco peccatorum ſuorum exomologeſim ceteri faciebant, ille vix aquis manu Joannis demerſus, dum ex aqua aſcenderat, hiſcens ſupra ſe Cœlum ſpectavit. Tum & deſcendere viſus ſupra ejus caput in columbæ ſpecie Spiritus Sanctus, atque audita ſubita de Cœlo vox: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* [9]. Ita factum eſt, ut ſpecimen illud humilitatis in argumentum laudum ex teſtimonio Joannis Baptiſtæ, in admirationem turbarum, in gloriam tandem Jeſu Chriſti ex Dei Patris majeſtate, & Spiritus S. plenitudine verteretur.

Dubitarunt alii [10], num S. Spiritus in columbæ ſpeciem ſuper Jeſum deſcenderit, cum Textus habeat tantummodo: *Vidit Spiritum deſcendentem, ſicut columbam*, i. e. rapido & impetu quodam deſcendentem inſtar

(1) *Cyrill. tract. 2. in Joan. cap. 57. Auguſt. tract. 5. in Joann. & lib. 5. de Baptiſmo cap. 13.* (2) *Act. 18. 25.* (*) *Act. 19. 5.* (3) *Chardin Iter Perſid. t. 2. p. 307. &c. de Civili Perſarum gubernatio.*

(4) *Vide Calvin. & Bezam in Act. 19. 4. 5. Ligfoot alios.* (5) *Matth. 3. 11.* (6) *Act. 19. 4. 5.* (7) *Matth. 28. 19. Marc. 16. 16.* (8) *Matth. 3. 11.* (9) *Matth. 3. 17.* (10) *Hammond. de Clerc. Bochart. Ligfoot. Brug.*

inſtar columbæ, rapide, ſi quæ alia avis, volitantis. Maluerunt alii [1], vorticem quemdam flammarum inſtar columbæ capiti Jeſu deſcendentis ex aquis inſediſſe, quemadmodum ſimili flammarum ſpecie Spiritus S. in Apoſtolos die Pentecoſtes illapſus eſt. Univerſa tamen antiquitas [2] de columba ave Textum illum interpretata eſt, de columba, inquam, advolitante, quam præſens quiſque inſpexerit. Deſcendit illa veluti e cava quadam nube fulgur, tanto omnia illuſtrans ſplendore, ut Cœli ipſi, juxta Evangeliſtæ phraſim, hiſcere viderentur. Moribus enim poſitum eſt vulgo, ut cum ſubitus aliquis fulgor, vel emiſſum e Cœlo fulmen oculos perſtrinxerit, ipſi pandi Cœli dicantur [3].

Non defuiſſe ætate ſua aliquos, qui crederent, S. Spiritum columbæ corpus aſſumpſiſſe, quemadmodum Jeſus Chriſtus humanos artus induerat, inſinuare videtur S. Auguſtinus Tract. 99. in Joannem: *Qui ergo dicit, columbam ad unionem perſonæ Spiritui S. fuiſſe conjunctam, ut ex illa & Deo una Spiritus S. perſona conſtaret, &c.* Candenti nitore fulſiſſe columbam illam legunt Lactantius, & vetera quædam Græca Exemplaria. Verum ex duobus hiſce opinionibus prior, quæ S. Spiritum columbam ſibi in ſocietatem perſonæ aſſumpſiſſe autumat, audacior eſt, quam ut refutatione falſitatis revinci meruerit.

S. Juſtinus Martyr veteri facile traditione inſtructus, docet, ſuper ipſas amnis aquas ignis quamdam ſpeciem emicuiſſe [4]; & de eodem Chriſti baptiſmate hæc in Nazaræorum Evangelio leguntur [5]: *Factum eſt autem, cum aſcendiſſet Dominus de aqua, deſcendit fons omnis Sancti Spiritus, & requievit ſuper eum, & dixit illi: Fili mi, in omnibus Prophetis expectabam te, tu es enim requies mea, tu es Filius meus primogenitus, qui regnas in ſempiternum.* Evangelium Ebionitarum, ipſum plane Opus ac Evangelium Nazaræorum vel Hebræorum, habet [6]: *Vidit Spiritum Sanctum columbæ ſpecie deſcendentis, & eo in loco lux ingens affulſit.* Paria legas in Liturgia Syrorum, ubi de eodem baptiſmate ſermo. De igne eadem occaſione emicante, ſimile legas teſtimonium in opere apocrypho de prædicatione S. Petri [7]. Vetus Mſ. S. Germani Pratenſis hæc habet: *Et cum baptizaretur, Ieſus lumen magnum fulgebat de aqua, ita ut timerent omnes qui congregati erant &c.* [8]. Juvencus Presbyter, qui ſub Conſtantino florebat, eadem in carmine ſuo refert:

Hæc memorans, vitreas penetrabat fluminis undas,
Surgenti manifeſta Dei præſentia claret.

Addunt alii plures Auctores [†] ingenti tunc Cœli tonantis fragore adſtantes omnes concuſſos; de tonitru enim exponunt, quod de voce audita legitur. Et ſane familiare eſt ſtilo Scripturæ, ut *vocis Cœli* nomen pro tonitru uſurpetur. In medio autem tonitru vocem ſuam prompſit Dominus, ſicut olim in Sinai [9]. Ita pariter legitur, cum Jeſus Chriſtus Patrem poſtularet illis verbis: *Pater clarifica nomen tuum*, ſubitam e Cœlo vocem factam [10]: *Et glorificavi, & iterum glorificabo.* Strepitum vocis audientes turbæ, tonitru quoddam reputarunt; ſed qui attentius audierunt, loquentis Angeli vocem auſcultaſſe ſibi viſi ſunt. Et in hiſtoria S. Pauli [11] legitur, eos, qui virum comitabantur, excitatos voce ſive tonitru quodam, quamquam loquentem neminem viderint. Fulgur quoque ea occaſione circumſtantium oculos perſtrinxiſſe; quamquam loquentis vocem non audirent, alibi [12] narratur; quæ ſane in ſpeciem repugnantia teſtimonia facile conciliantur, ſi confuſum quiddam veluti ſtrepitum & tonitru audiſſe quidem illi, ſed diſtinctas loquentis voces non percepiſſe credantur. *Bathe-kol* nempe filiam vocis ſive filiam tonitru appellant Hebræi revelationem traditionis, quam Moyſi in monte Sinai inter media tonitrua & fulgura factam conſtituunt.

Porro hæc, quæ de fulgure, tonitribus, voce Patris & illapſu S. Spiritus in columbæ ſpeciem narrantur, egregie cum illo S. Joannis oraculo cohærent: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni*; i. e. ſicut ego vos in aquis immergo, ut ad recipiendam criminum expiationem diſponam; ita pariter S. Spiritus fluenta in vos derivabit; ſacriſque voces ignibus incendet, quo Joelis 2. 28. illud impleatur: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ; & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt, & juvenes veſtri viſiones videbunt. Sed & ſuper ſervos meos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum.*

Quid baptiſma S. Spiritus deſignet, inter Veteres Recentioreſque ſatis convenit. Docent nimirum illi una ſententia per baptiſma rite ſuſceptum S. Spiritum in corda Fidelium illabi; cujus deinde Spiritus plenitudinem Sacramentum Confirmationis in noſtra pectora derivet. Lavacro baptiſmatis mundamur, & ad puriorem ſanctamque vitam innovamur; Confirmatione perficimur, & in accepta gratia ſtabilimur, novo pariter robore aucti, quo & adverſariis ſalutis omnibus reſiſtimus, audacterque Dei nomen confiteamur. Sed de baptiſmate ignis varii varia ſentiunt.

Manere nos Baptiſmum ignis die Judicii docet S. Hilarius in Pſal. 118. num. 5. & 12. Cum enim aquæ lavacrum eximiæ morum puritati conferendæ, qualis ad ingreſſum Regni Cœlorum exigitur, impar habeatur, quidquid reliquum fuerit ſordium abſterget ignis Judicii, quo veluti ſcoria purgati, Cœlo digni inveniamur. In ipſo Paradiſi limine miniſtrandum Baptiſma illud arbitratur S. Ambroſius in Pſal. 118. 11. 12. 13. 14. 15. in limine enim hujus Paradiſi conſtituit ille gladium ignis, quem Gen. 3. 24. poſitum legimus in ipſo Paradiſi terreſtris aditu poſt commiſſum ab Adamo crimen. Machæram illam ſtringet S. Joannes Baptiſta, ejuſdem ignei baptiſmatis miniſter. Porro lex illa mortalibus omnibus indicta, neminem eximet, ut ipſe S. Petrus, S. Joannes, aliique viri SS. illius rigorem pro merito geſtorum ſuorum fuerint experti. Clamabit elata voce Præcurſor iis, quibus non niſi leviter quædam errata manent expianda: *Intrate, qui præſumitis, qui ignem non timetis.* Tranſibunt illi per medium ignem, nullum doloris ſenſum experti; quidquid enim in illis ſcoriæ fuerat, ignis charitatis jam abſumpſerat.

Origenes [13] & Lactantius l. 7. c. 21. in ipſo Cœli aditu ignem ſtatuentes per medias flammas tranſitum omnibus arbitrantur manere; facto tamen viris ſanctis privilegio, ut illæſi, quin & viam dantibus flammis traducantur. Obſervat idem Origenes hom. 24. in Luc. Jeſum Chriſtum in ripa fluminis ignei ſtantem obvios baptizaturum; non tamen indiſcriminatim omnes; qui enim aquæ & Sancti Spiritus baptiſma nullum unquam receperint, qui recepto abrenuntiaverint, illos a ſecundo hoc baptiſmate, adeoque & beatitudine, quo per ignem aditus, excludet; niſi forte ea morum ſanctitate nituerint, ut nullo indigere piamine deprehendantur. Namque, ait, ſi quid remanet ſive ligni, ſive paleæ, ſive fœni, per ignem redigendum eſt [14].

S. Hieronymus in Matt. 3. 11. [15] duas refert interpretationes in illud S. Joannis: *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto, & igni*; ſive enim, ait ille, ignis nomine S. Spiritus deſignatur, qui flammearum linguarum ſpecie aſſumpta ſuper Apoſtolos delapſus eſt die Pentecoſtes; ſive nos in hoc mundo Baptiſmo Spiritus abluti, in altera vita igneo expiandi ſumus. Quibus verbis non obſcure inſinuat Veterum illam opinionem, ſupra a nobis relatam. Porro hæc de igne alterius vitæ, Origenis, S. Ambroſii, S. Hilarii & S. Hieronymi opinio ex illis Apoſtoli 1. Cor. 3. 13. 14. 15. repetitur:

---

(1) Grot. Vide & Bochart. (2) Tertull. de carne Chriſti, Auguſt. de Agone Chriſtiano c. 22. Juſtin. Dialog. cum Tryphone, Origen. D. Thomas. (3) Vide Author. Oper. Imperfect. Hieronym. hic, & in Ezechiel. Maldon. Spanh. (4) Juſtinus Martyr Dialog. cum Tryphone. (5) Apud Hieron. l. 4. Comment. in Iſai. c. 11. (6) Apud Epiph. hæreſ. 30. n. 13. (7) Citatur in tractatu de baptiſmo hæreticorum inter Opera Cypriani. (8) Apud Martianæum nov. edit. Evangel. ſecundum Matth. (†) Hieron. ſeu alius Author Comment. in Pſal. 76. 17. Ex tempore quo Deus locutus eſt, hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, facta eſt vox tonitrui vota ſimilis. Vide Euthym. & alios in Pſ. 28. 3. & Hammon. hic. (9) Exod. 20. 18. (10) Joan 12. 29. (11) Act. 9. 7. (12) Act. 22. 9. (13) Hom. 3. in Pſ. 36. & hom. 24. in Luc. (14) Idem homil. 2. in cap. 2. Jerem. (15) Vide & Greg.

Digitized by Google

tur: *Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc* (Jeſu Chriſti) *aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam: uniuſcujuſque opus manifeſtum erit; dies enim Domini declarabit, quia igne revelabitur, & uniuſcujuſque opus, quale ſit, ignis probabit. Si cujus opus manſerit quod ſuperædificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſalvus erit quaſi per ignem.* Hunc ignem Patres poſteriorum ſæculorum & Scholaſtici *Purgatorium* appellarunt.

Author Operis Imperfecti in Matth. Hom. 3. Ignis nomine reddidit ærumnas, mala, tentationes, quibus viros pios Deus in hoc mundo exercet. Obſervat ille, Jeſum Chriſtum aqua Baptiſmatis lotum eſſe S. Joannis miniſterio; Baptiſmate S. Spiritus opera Patris Æterni; ac tandem ignis in iis, quæ Spiritus mali invidia toleravit in deſerto [*]. Contraria omnia placent S. Joanni Chryſoſtomo Hom. 11. in Matth. cui ignis eſt redundans gratiarum, bonorum, & ſupernaturalium voluptatum affluxus. De igne inferni reddunt S. Baſilius contr. Eunom. lib. 5. & Theophylus Antiochenus lib. 1. Malunt alii, deſignari a S. Joanne illapſum S. Spiritus ignearum linguarum ſpecie ſuper Apoſtolos [1], quam poſteriorem ſententiam probant Commentatores.

Irrepſiſſe in Textum hanc voculam *igni* aliqui ſuſpicantur; neque enim legitur ſive in S. Marco c. 8. ſive in S. Joanne 1. 33. extat tamen Luc. 3. 16. unde in Textum S. Matthæi derivatam autumant. Conſtat ſane deeſſe in plurimis Mſs. S. Matthæi [2]. Omittitur pariter in editione Complutenſi. Viciſſim tamen legitur in Syriaco, Coptico, Arabico, Perſico, Æthiopico, in S. Cypriano, Hilario, Origene, aliiſque Patribus; & quando a S. Matthæo abeſſet, conſtanter tamen retinendus eſſet, nemine ambigente, in S. Luca. Quare integra maneret difficultas; neque enim minus ad fidem valet S. Lucæ, quam S. Matthæi auctoritas.

Ignis nomine exorciſmos Baptiſmum præcedentes deſignatos autumat S. Auguſtinus in Pſal. 65. n. 12. *Unde plerumque*, ait, *immundi Spiritus clamant: Ardeo; ſi ille ignis non eſt? Poſt ignem autem exorciſmi venitur ad Baptiſmum.* Priorem aliam interpretationem ſectatur alibi, docens ignis nomine mala in hoc mundo a Fidelibus tolerata deſignari; vel ipſum Spiritum, qui ignis ſymbolo aſſumpto ſuper Apoſtolos illapſus corda illorum charitate incendit [3].

Veterum nonnulli verba Textus ad litteram uſurpantes, jungendum ignem aquæ in Baptiſmo autumarunt; quod præſtitum a nonnullis Hæreticis priorum ſæculorum memoriæ proditum eſt. Narrat S. Clemens Alexandrinus ex Heracleone, obtinuiſſe apud quoſdam, ut candens aliquod ferrum auribus baptizati applicarent. Idem de Æthiopibus noſtræ ætatis teſtantur quidam [4], baptizatos nempe apud illos tribus candenti ferro impreſſis ſtigmatibus in naſo, inter oculos & ad utraque tempus inuri. Ancipiti ferro ad eam rem uti refert P. Eugenius Rogerius, quod, ait, ad certa illa loca applicant. Idem præſtitum fertur a Chriſtianis Jacobitis in Oriente, qui pueros Baptiſmate & Circumciſione initiant, ac tandem candenti ferro adurunt in fronte.

Verum D. Abbas Renaudot [5], in ritibus & cæremoniis Orientalibus, ſi quis alius, inſtructiſſimus, ad fabellas deputandum contendit quidquid de Baptiſmo per ignem collato apud illas gentes vulgatum eſt; & D. Ludolfus fatetur, nihil ſe ea de re audiſſe a Gregorio Æthiope, quem conſuluit, neque legiſſe quidquam in relationibus Patrum Jeſuitarum. Viciſſim tamen obſervat, receptum eſſe apud Africanas gentes tam Paganas quam Mahometanas, ut adverſus pituitam & gravedinem recens natos pueros præmuniant, tempora vel carothides venas cauterizantes. Idem apud Abyſſinos obtinet, unde facta aſſerendi anſa hanc ab illis cæremoniam tamquam religioſam ſervari.

Memoriæ proditum eſt [6], Seleucianos Hermæque ſectatores Baptiſmum igne contuliſſe; incertum tamen quomodo. Tertullianus ſive alius quidam ſub ejus nomine [7], de Valentino refert, eos, qui in ſuas partes tranſiiſſent, iterum baptiſmati ſubjeciſſe hoc ritu.

Bis docuit tingi traducto corpore flamma.

Quibus obſcuris verbis non ſatis inſinuatur, an per ignem tranſilirent, an inter duos hinc inde incenſos ignes medii tranſire juberentur; utrumque enim in luſtrationibus Paganorum obtinuiſſe legimus (8). Verum quidam Author libri de Baptiſmo Hæreticorum adverſus S. Cyprianum, eorum commentum refutat, qui tenent, in baptiſmate conferendo aquam pariter cum igne jungi oportere (9).

Poſt hæc omnia teſtimonia vix aliquis reſtat ambigendi locus, non defuiſſe inter veteres Hæreticos nonnullos, qui verba S. Joannis ad litteram uſurparent. Sed numquam Eccleſia Catholica ſuperſtitioſas illas & ſingulares cæremonias admiſit. Quamvis autem certum ejus Textus ſenſum, *Ille vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, nullum determinaverit, permiſſa ſingulis facultate intelligendi ſententiam, ſive de igne Purgatorii, ſive de tribulationibus & malis hujus vitæ; ſemper tamen eorum ſenſum improbavit, qui de materiali aliquo igne in adminiſtratione Baptiſmatis neceſſario dictum interpretati ſunt.

De Baptiſmo Jeſu Chriſti nomine collato ſingularem Diſſertationem in Commentario ſuper Acta, & de Baptiſmo pro mortuis alteram in Commentario itidem ſuper primam ad Corinthios dedimus.

DISSERTATIO
DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

QUÆ huic Diſſertationi argumentum præbet difficultas, tamquam omnium maxima & majoris momenti, quæ in Scriptura uſpiam occurrant, a S. Auguſtino reputatur (10); cui noſtrum etiam accedet ſuffragium, ſola ſpectata ſententiarum, quæ Patres & Interpretes inter ſe committit, varietate. In promtu enim quibuſque facile convenitur, eoque ſatis certo indicio quæſtionis alicujus ambiguitas proditur, ſi in varias ſententias abitum eſt. Duo igitur in præſentia diſquirenda ſunt. 1. Quæ indoles & natura peccati in Spiritum Sanctum. 2. Quo ſenſu numquam in hoc mundo, ſed neque in altero, remitti crimen illud dicatur.

S. Athanaſius, qui de hoc argumento peculiariter diſſeruit, refert (11) ſententias Origenis, & Theognoſti, quibus peccatum in Spiritum S. nihil eſt aliud, quam

(*) *Hom. 5.* (1) *Cyrill. Cathec. 17. Hieron. hic, alii.* (2) *1. Vide Nov. Teſt. edit. Millii in Matth. 3. 11. & Prolег. 690. 1098. & 1177.* (3) *Idem Serm. 71. de Verb. Apoſt. Matth. num. 19.* (4) *Leo Rauthvvolf. Itin. Orient. l. 3. c. 17. Paul. Jov. hiſt. l. 18. & alii.* (5) *Perpetuit. tom. 14. c. 10. pag. 84.* (6) *Auguſt. hæreſ. 59. Philaſtr. de hæreſ. cap. 55. 56. 57.* (7) *Carm. in Marcion. l. c.* (8) *Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos Trajicias celeri ſtrenua membra pede. Omnia purgat edax ignis.* (9) *Concilior. tom. 2.* (10) *Aug. Serm. olim. 11. nunc 71. n. 8. Forte in omnibus Scripturis nulla major quæſtio, nulla difficilior invenitur.* (11) *Epiſt. 4. ad Serapion. n. 8. 9 10.*

quam crimen poſt Baptiſmum commiſſum . Spectaſſe autem illos facile credimus illud Apoſtoli ad Hebræos 6. 4. *Impoſſibile eſt , eos , qui ſemel ſunt illuminati , guſtaverunt etiam donum cæleſte , & participes facti ſunt Spiritus S. ; guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum virtuteſque ſæculi venturi , & prolapſi ſunt ; rurſus revocari ad pœnitentiam , rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei & oſtentui habentes* . Quare idem ſpectaſſe Apoſtolus viſus eſt ac Jeſus Chriſtus illis Matth. 12. 31. *Quicumque dixerit verbum contra Filium hominis , remittetur ei ; qui autem dixerit contra Spiritum S. non remittetur ei , neque in hoc ſæculo , neque in futuro* .

Singulare eſt ea in re Origenis commentum [1]. Pater Æternus , ait ille , ſuum in omnes creaturas tam animatas , quam inanimes , tam ratione utentes , quam deſtitutas imperium dilatat. Filius iis tantum dominatur , qui ratione utuntur , & Spiritus S. Baptiſmate initiatos tantum habet dominationi ſuæ obnoxios. Cum igitur Pagani vel Catechumeni vel infideles quicumque in crimen aliquod labuntur , Filium lædunt , & facile impetrant veniam . Cum vero Fidelis aliquis culpam admiſerit , in Spiritum S. peccat , nec veniam meretur . Quare irremiſſibile ejus crimen cenſendum .

Verbis quidem aliquantum diſcrepat Theognoſtus , reapſe tamen conſentit . Quicumque , ait , primum & ſecundum aggerem tranſegit , nempe juſſionis Patris vel Filii tranſgreſſus eſt , veniam tamen petens impetraverit. Quem autem tertium vallum non coercuerit , nempe præceptum quod ſibi Baptiſmate jam initiato datum eſt , nulla illi veniæ ſpes ſupereſt . Pater & Filius imbecilles & imperfectos docent ; Spiritus S. perfectos. Cum prioribus illis remiſſius agendum , in alios juſtitiæ vigor exercendus eſt . Hæc porro moribus Eccleſiæ primorum ſæculorum ſatis conſonant ; cum ſcilicet crimina poſt Baptiſmum commiſſa nonniſi ægre & poſt diuturnam admiſſam pœnitentiam condonabantur .

Neutram ex his interpretationibus probat S. Athanaſius ; ſcite enim obſervat , Phariſæos , quos Jeſus Chriſtus alloquebatur , ab ejus Baptiſmate alienos , nihil aſſequi potuiſſe eorum , quæ ab illo dicebantur , neque ex eorum eſſe poterant numero qui crimen in Spiritum Sanctum committere , jure meritoque reputari potuiſſent ; cum illorum ſcelera potiſſimum Jeſus Chriſtus ſuggillaret . Addit pariter , vix in eo Textu agi de criminibus tantum poſt Baptiſmum admiſſis potuiſſe : unde enim alioquin , ait , Apoſtolus nec veniam Corinthii inceſtuoſi [2] , neque prævaricatorum Galatiæ [3] , non deſperatur ; unde Novati dogma fores pœnitentiæ & veniæ peccantibus poſt Baptiſmum claudentis rejicit Eccleſia ? Ad Textum Apoſtoli quod ſpectat ; quo ſcilicet peccatum poſt Baptiſmum admittentes numquam renovari poſſe per pœnitentiam aſſeritur , S. Athanaſius , & plerique ex Patribus contendunt , numquam fieri potuiſſe , ut qui ſemel poſt Baptiſmum prolapſi ſunt iterum , novo Baptiſmate a priori non diſſimili releventur ; numquam enim Eccleſia juxta hanc Sancti Pauli definitionem , alterum a priore Baptiſmate vel probavit vel toleravit .

Contendit igitur S. Athanaſius [4] crimen in Spiritum S. ipſum eſſe Phariſæorum , & ſimilis farinæ hominum , crimen , qui in lectione Scripturæ verſatiſſimi , nullumque habentes ambigendi locum , ut de Jeſu nil niſi probum ſectumque ſuſpicarentur , ejus tamen opera malo ſpiritui deputabant , malo conſilio ſuo id præſtantes , ut Deum concedere Dæmoni locum cogerent , nihilque amplius poteſtatis Filio Dei , quam Dæmoni permitterent . Quamdiu enim aſſumpta a ſe hominis natura res erat , injurias omnes æquo animo Jeſus toleravit , excuſavit ignorantiam ; cum vero opera , quæ a Deo ipſo præſtabantur , quæque unicum authorem S. Spiritum præſeferebant , ad malum ſpiritum detorqueri intelligeret , reos æterni ſupplicii illos pronunciavit .

Ceterum quando peccata in Filium hominis remitti , irremiſſa vero damnari crimina in Spiritum S. aſſeruntur , non ita reputandum eſt , quaſi S. Spiritus Filio major habeatur ; ambo enim in unam coaleſcentes naturam , unum eumdemque Deum conſtituunt . Id ergo tantum inſinuatur , prolatam in Spiritum S. blaſphemiam gravius eſſe , quam ſi in Filium pronunciaretur , ſcelus & crimen . Quæcumque enim in Filium effutiuntur humanam ab ipſo ſuſceptam naturam injuria afficiunt ; quemadmodum conſtanter obſervat S. Athanaſius ; ſed in Spiritum Sanctum blaſphemiæ ipſam Dei naturam probro ducunt , & contemptui . Porro animadvertiſſe juvat , nomine Sancti Spiritus a S. Athanaſio Divinam Verbi naturam reddi ; quæ loquendi phraſis apud veteres PP. obtinet . Addit , Magos Pharaonis , quos religio ipſa , & profeſſio excæcabat , minoribus tamen præ Phariſæis tenebris obvolutos fuiſſe ; inſpectis enim prodigiis a Moyſe patratis , Dei in illis opus agnoverunt [5] ; cum interim Phariſæi prodigia Jeſu Chriſti ſuis oculis obverſantia , ad Magiam & incantationes detorquerent . Non abs re itaque Chriſtus omnem illis veniæ ſpem tum in hoc mundo , tum in altero futuro prædixit . Ad quem enim illis confugiendum eſſet , ſi Divinam a Filio naturam abjudicarent ? Quam ſibi vitam , quam fœlicitatem reliquam fecerant , qui vitam , veritatem , & viam Cœlorum recuſaverant ?

Eadem , ac S. Athanaſio , ſententia ſedit S. Hilario [6] , & Theophylo Antiocheno [7] , qui omne criminis in Spiritum S. ſcelus conſtituunt in negata Filii divinitate : *Cum cetera dicta geſtaque liberali venia relaxentur* , ait S. Hilarius , *caret miſericordia , ſi Deus negetur in Chriſto* . Nomine S. Spiritus , eadem ipſe cum S. Athanaſio ſentiens , deſignatam credit ipſam Dei naturam . *Quid enim* , ait , *tam extra veniam eſt , quam in Chriſto negare quod Deus ſit ; eum in Spiritu Dei ſpus ſuue conſummet ?* Non tamen negat S. Doctor , crimen illud pœnitudine expiari potuiſſe , cum ipſe in Matth. 18. num. 10. pronunciet : *Omnium omnino peccatorum veniam nobis Dominus largitur* : largitus eſt autem , ait Judæis , quorum ſcelere cruci traditus fuerat . Idem , nec obſcure , inſinuat pluribus in locis S. Athanaſius [8] , docens neminem veniam rogantem vacuum a Jeſu Chriſto remitti , nec blaſphemum quidem ; ſed qui in crimine perſeveraverit , illum damnari ; namque , ait , condigna pœnitentia omnia delet peccata .

De peccato in Spiritum Sanctum non ſemel mentem ſuam prodidit S. Auguſtinus . Cum ſemel illi excidiſſet [9] , ſcelus illud in eo potiſſimum conſtitui , quod fraterna charitas invidia , iniquitate , impeteretur ; adjiciendum his cenſuit in Retract. lib. 1. cap. 19. peccatum illud tunc potiſſimum effici irremiſſibile , cum peſſima hæc cordis habitudo ad extremum uſque ſpiritum perſeverat . Et in Expoſit. Epiſt. ad Rom. num. 14. *Ille peccat in Spiritum S.* , ait , *qui deſperans vel irridens , atque contemnens , prædicationem gratiæ , per quam peccata diluuntur , & pacis , per quam reconciliamur Deo , deteſtatur agere pœnitentiam de peccatis ſuis , & in eorum impia atque mortifera quadam ſuavitate perdurandum ſibi eſſe decernit , & in finem uſque perdurat* . Eadem alibi repetit , atque conſtans eſt Auguſtini ſententia : *Peccatum in Spiritum S. nullum intelligitur , niſi perſeverantia in malignitate cum deſperatione indulgentiæ Dei* [10] . Addit , nemini hominum permitti , ut de alicujus hominis ſuperſtitis pœnitentia deſperet , cum divinæ miſerationis theſauri tam immenſa beneficiorum copia redundent , ut qui

(1) *Origen. in Joann. tom. 2. edit. Huet. pag. 359.* (2) *2. Corinth. 11. 20.* (3) *Galat. 4. 19.* (4) *Epiſt. 4. ad Serap. num. 12. Vide & Serm. in Matth. tom. 2. oper. nov. Collect. Vet. PP.* (5) *Exod. 8. 19.* (6) *In Matth. cap. 12. & cap. 32. num. 5.* (7) *Theophyl. Antioch. Comment. in Evang. lib. 1.*

(8) *Serm. in Matt. tom. 2. nov. Collect. Vet. PP. Ita & de communi eſſentia, & reſponſ. ad qu. 12. ad Antioch. & frag. in Comment. in Matth. tom. 1. part. 2.* (9) *Aug. lib. 1. de Serm. Dom. in monte cap. 22.* (10) *Aug. ibid. num. 22. Vide & Serm. 71. nov. Edit. num. 10. &c. Et Epiſt. 85. nov. Edit. num. 5. Hoc peccatum eſt duritia cordis uſque ad finem vitæ.*

hodie obfirmato in malitia eſt animo, cras tangi poſſit & ad Deum inchoari. Statuit proinde evitandam eſſe mentem in malo obfirmatam, inhærendum Eccleſiæ, cui uni remittendorum criminum poteſtas demandata eſt, ut criminis in Spiritum S. venia tandem impetretur.

Porro crimina in Spiritum Sanctum plura & varia diſtinguit (1), ut negantium Eccleſiam, divinitatem S. Spiritus, ſicut & eorum qui prodigia Jeſu Chriſti ad incantationes detorquent. Ex his tamen criminibus nullum reipſa veniam excludit, niſi unc excepta finali impœnitentia. Refutat pariter idem vir ſanctus Origenem, ceteroſque, cutumantes crimina poſt Baptiſmum admiſſa blaſphemias eſſe in Spiritum Sanctum defendit autem, nec immerito, Jeſum Chriſtum nullum peculiare crimen, ſive Chriſtianorum tantum ſive Judæorum ſuggillaſſe, ſed ejus potiſſimum generis crimen reprehendiſſe, quod omnes pariter homines committerent; crimen non difficilis tantum veniæ, & indulgentiæ, ſed prorſus irremiſſibile. Porro nullius eſt criminis deſperanda venia, niſi finalis tantum impœnitentiæ, cum Eccleſia pro reſipiſcentia peccatorum omnium preces exhibeat, horteturque omnes, ut tandem ad bonam frugem redire ſatagant. Hoc de peccato in Spiritum Sanctum univerſum S. Auguſtini ſyſtema, quod poſt S. Doctorem ceteris in Eccleſia Latina pluribus arriſit.

S. Joannes Chryſoſtomus hom.42. in Matt. & Auctor Operis Imperfecti in Matth. hom.31. ſub S. Chryſoſtomi nomine vulgatus, S. Iſidorus Pelusiota lib.1. Epiſt.59. aliique plures in eo crimen in Spiritum Sanctum conſtituunt, ſi prodigia Jeſu Chriſti Dæmonis operationi tribuantur; quod autem veniam difficile imperret, ideo irremiſſibile appellatum arbitrati ſunt. Ita ergo locum S. Matthæi paraphraſi exponit S. Chryſoſtomus: *Multa jam adverſum me calumniati eſtis: quoniam ſeductor, quoniam Deo adverſarius, aliaque plura, quæ omnia vobis, ſi pœnitentiam egeritis penitus dimitto, nulla ſupplicia ſumam.... Quamvam*, addit, *ob rem? Quia videlicet quiſnam eſſet Chriſtus, ignorabant. Quæ autem*, adjecit, *de Spiritu dixiſtis, nullam pro eis veniam impetrabitis. Nam ſi me ignoratis, ignorare tamen non poteſtis expulſionem Dæmonum, curationeſque hominum miniſterio Spiritus S. eſſe operationes. Non ergo mihi ſed Spiritui S. contumelias exaggerare conamini. Dicitur autem crimen iſtud irremiſſibile, quo ſignificaretur, multo minus hoc eſſe ignoſcibile ac veniale: quapropter niſi pœnitentiam egerint, nec in præſenti vita nec in futura punitionem effugient.*

Veniat tum in eo crimine exponendo, tum in judicio de ejus irremiſſibilitate ferendo S. Ambroſius. Namque in Comment. in Luc. lib.10. num.94. totum ejus ſcelus in negata Divinitate Filii, quemadmodum & a S. Hilario præſtitum ſupra obſervavimus, conſtituit. In libro de Spiritu S. lib.1. cap.3. ait: *Si quis Spiritus S. dignitatem & poteſtatem abneget ſempiternam, & putet non in Spiritu Dei ejici Dæmonia, ſed in Beelzebub, non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ, ubi ſacrilegii plenitudo eſt. Quia qui ſpiritum negavit, & Deum Patrem negavit, & Filium.* Tandem de Pœnitent. lib.2. cap.4. Hæreticos & Schiſmaticos reos damnat peccati in Spiritum S. De irremiſſibilitate vero aliquando ita agit, quaſi omnem præcidat crimini illi ſpem veniæ; alibi tamen non obſcure docet, Eccleſiam veniam omnibus indulgere, quos ſerio pœniteat, quocumque tandem crimine irretiantur.

Hæc S. Ambroſii ſententia crimen in Spiritum S. de crimine hæreſis exponentis, ſediſſe etiam Auguſtino Serm.71. num.34. videtur; docet enim hæreſim, unionis vinculo, abſciſſo J. C. ſeparare nos, ab Eccleſia interdicere, extra quam nulla ſpes veniæ remanet: *Quia hoc ſibi clauſit ubi remittitur.* Author Conſtitutionum Apoſtolicarum l.6. cap.18. & Philaſtrius hæreſi Rethorii, in eamdem ſententiam inclinant. Nullum quidem crimen majorem habet irremiſſibilitatis ſpeciem, quam hæreſis; ſiquidem ad mortem uſque in illa perſeveretur. Sed hæreticos ad bonam frugem redeuntes in ſinu ſuo ſemper recepit Eccleſia.

Author QQ. in utrumque Teſtamentum inter Opera S. Auguſtini quæſt. 102. autumat, quicumque Deo abrenunciat, illum criminis in Spiritum Sanctum quod nullam promereatur veniam, reum eſſe (2). Hermas Paſtor. lib. 3. ſimilit. 6. 8. 9. blaſphemiam in Deum cum peccato in Spiritum Sanctum confundit; qua in re cum præcedenti Scriptore ſatis conſonat. Magis exactam ejus ideam exhibens S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis Epiſt.3. ad Sympronian. docet, opera S. Spiritus Dæmoni tribuere ipſum eſſe in Spiritum S. crimen; tum addit: *Hoc eſt ergo* (blaſphemia in Spiritum S.) *quod non dimittetur: Reliqua bonis pœnitentibus, frater Semproniane donantur.*

Sanctus Hieronymus plures adducit interpretationes in Textum S. Matthæi de irremiſſibilitate peccati in hoc præſenti & in altero mundo. Reum dicit hujus criminis, qui Filium Dei malo ſpiritu agi blaſphemat (*); qui pariter ejus prodigia operationi Beelzebub deputat; illi omnes nullam promerentur veniam. Ita pariter quicumque aliqua in Filium Dei effutierit, uti merum eſſe, putumque hominem, filium Fabri, hominem potatorem, & cetera, hic ſane *quamquam culpa non caret, erroris tamen habet veniam, propter corporis vilitatem.* Qui vero inſpecta S. Spiritus opera nequitiæ ſpiritu damnat, calumniatur, & reprobat, illi nulla veniæ ſpes (3).

Sanctus Clemens Papa (4) cenſet, peccato in Spiritum Sanctum irremiſſibili damnari illum, qui obfirmato in malitia animo, in Deum veluti collato pede decertat; quod Scripturæ phraſi diceretur *contra Deum adverſum incedere* (5), vel peccare *elata manu* (6). Ita pariter locum Grotius interpretatur, & in exemplum adducit peccatum Core & ſymmyſtarum, qui erecta contra Deum cervice, injuriam illi in Moyſe famulo ipſius & Aarone uncto ejus irrogare auſi fuerunt; adducit & Pharaonis (7), qui obfirmavit in malo animum, quamquam a ſuis pariter Magis moneretur, digitum Dei eſſe, quo prodigia adverſus illum patrarentur; ſicut & Ananiæ & Saphiræ (8), qui in Spiritum Sanctum mentientes, ſubita perculſi ultione ante Apoſtoli pedes exanimes ceciderunt: Simonis tandem Magi (9), cui Apoſtolus S. Petrus denunciavit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem.*

Nullam hic Author (10) ſive Filii ſive Spiritus S. Divinitatem injuria affectam agnoſcit; ſed tantum de honore Deo impendendo derogatum aliquid, detractumque; quod quidem ſcelus, juxta ejus ſententiam, irremiſſibile non eſſet, neque in hoc mundo neque in altero, ſed tantum ex eorum numero cenſeretur, quæ utrobique ſupplicio luenda eſſent. Verba Judæis faciebat, eorum ſeſe præjudiciis accommodans; quare cum illi crimina ſua in hoc mondo expiari arbitrarentur pœnitudine, mœrore, ceteriſque corporis afflictationibus, uti jejunio, & humilitatis ſignificationibus die ſolemnis Expiationis, vel ſaltem nece corporis, unde ſibi morituri imprecantur: *Sit obitus meus in expiationem omnium peccatorum*: viciſſim autem cum magnum aliquod crimen admiſiſſent, manere ſibi cenſebant in altera vita genus quoddam Inferni, non longius quam per annum duraturi. Cum igitur hæc omnia tenerent Judæi, id tantum inſinuavit Magiſter, contempti Dei crimen neque in hoc mundo ſacrificiis & pœnitudine expiari, neque in altero ſuppliciis Purgatorii, quippe quod lethale eſſet crimen, cui nulla pro meritis venia danda eſſet. Non agebat ille quidem de judicio Eccleſiæ Chriſtianæ: ſed tantum ad perſuaſionem Judæorum, quibuſcum verba faciebat, attendit. Hæc Grotius.

Ham-

(1) *Aug. ſerm.71. num. 8. 9. & ſeqq.* (2) *Si idem eſt negare Dominum, quod peccare in Spiritum Sanctum, nulla venia ſperanda eſt negantibus.* (*) *Ex Marc. 3.* (3) *Vide eamdem Epiſt.149. ad Marcellam.*

(4) *Clemens Rom. ſeu alius Recognit. lib. 6. cap. 23. Vide Not. Coteler. in eum locum.* (5) *Levit.26. 24. 28.* (6) *Num. 15. 30.* (7) *Exod. 8. 19.* (8) *Act. 8. 18. 19.* (9) *Act. 5. 3. 9.* (10) *Grot. in Matth. 12. 31.*

Digitized by Google

Hammondus & Clericus [1] arbitrantur, peccatum in Filium hominis appellari crimen omnium vulgo Judæorum, Jeſum Chriſtum tamquam Meſſiam agnoſcere recuſantium, quippe cui non omnes quadrare Meſſiæ characteres arbitrarentur; ſicut viciſſim crimen in Spiritum Sanctum cenſens crimen Phariſæorum, qui inſpecta prodigiorum Jeſu Chriſti gloria, unde luculentiſſimum pro ipſo argumentum deducebatur, verum tamen eſſe Meſſiam & pervicacius negabant, & in apertiſſima ejus prodigia, ut a Dæmone patrata, ſpargebant invidiam. Porro vulgarium Judæorum peccatum, quod eorum potius ignorantiæ deputaretur, ſacrificiis & confeſſione criminum, numquam non ſacrificiis jungenda [2] expiabatur; eorum vero qui ſcientes prudenteſque peccaſſent, pœnæ excommunicationis, abſciſſionis, ſive anathematis ſive exterminationis ſubdebantur; nihil enim illis veniæ maneret in Lege, ſive hoſtia aliqua ſive expiatione injuncta; quemadmodum nec ulla erat expiatio criminibus contemptus & impudentiæ.

Catholici Interpretes in duas potiſſimum abeunt ſententias; alii enim Sanctum Auguſtinum ſecuti peccatum in Spiritum Sanctum appellant impœnitentiam finalem; alii affectatam eorum nequitiam, qui apertæ veritati reſiſtunt, & prodigia Jeſu Chriſti, quæ maxime habeant explorata & Deo vindicanda eſſe intelligentes, ea ſunt tamen nequitia, ut Dæmoni attribuant. Porro illi ejuſdem ſunt criminis rei, ac qui cognitæ veritati reſiſtunt, qui ſe viris probis opponentes, calumniis illos exagitant, atque proba illorum opera, quamquam rectiſſima eſſe intelligant, de vanitate tamen & hypocriſi accuſant. Poſterior hæc ſententia aſſertores habet Sanctos Chryſoſtomum, Hieronymum, & optimos fere omnes Commentatores.

Porro Chriſtus verba ad Judæos, nec incognita illis loquendi ratione, faciebat; norant proinde illi quid eſſet peccatum in Spiritum Sanctum quamquam enim nullam adhuc haberent ſatis exactam Sancti Spiritus ideam, veluti perſonæ a Patre & Filio diſtinctæ; ſciebant tamen Sanctum Spiritum ore Prophetarum loqui, patrare ipſorum miniſterio prodigia, ac ſuper illos tandem quieſcere. Notæ ſunt apud illos loquendi formulæ: *Exacerbare Spiritum* [3]: *Extinguere Spiritum* [4]: *Spiritui Sancto reſiſtere* [5]: *Blaſphemare in Spiritum Sanctum* [6]: *Spiritui Sancto contumeliam facere* [7]. Hæc porro omnia Hebræis erant familiaria.

In his rerum circumſtantiis Jeſus Dei Spiritum malo ſpiritui opponit; & Phariſæi maligni Spiritus operationi tribuebant, quæ Jeſus Sancti Spiritus virtute patraret; hoc igitur totum blaſphemiæ illorum ſcelus reputandum eſt. Ego, dicebat ille Phariſæis, quæcumque in me committeretis omnia ultro dimitterem; vix enim unde ego ſim noſcere vobis datum eſt; ſed blaſphemiæ, quas egeritis in Spiritum Sanctum, ea in me patrantem prodigia, quibus nemo prudens refragaretur, non merentur veniam ſive in hoc mundo; ſive in altero judicio.

Diſtinguebant enim Judæi duo criminum genera, alia ſacrificiis, vel temporalibus in Lege præſcriptis afflictationibus, vel ſaltem pœnitentia, jejunio, humilitatis ſignificationibus, eleemoſynis &c. expianda. Aliis ſua erant in altera vita ſupplicia, inquam, ſive temporanea, ſive æterna. Crimen in Spiritum Sanctum, blaſphemiæ in opera Dei, neque in præſenti, neque in altera vita dimittebantur; in præſenti quidem, quod capitalia eſſent; in altera vero, quod æternis ſuppliciis in illa animadverteretur. Capitale eſt ſupplicium in Lege indictum adverſus blaſphemos [8], ſeductoreſque, qui ſe Deo afflatos mentirentur [9]. Erant illi quidem neſcio cujus in Spiritum Sanctum criminis rei, ſed multo ſane tolerabiliores præ Phariſæis, qui nihil non Divinum in Jeſu Chriſto agnoſcerent. His porro criminibus, præter ſupplicia hujus vitæ ſupplicia in altera vita æterna deſtinata erant, ſi quidem ſeria in hac vita pœnitentia non expiarentur.

In ea fuiſſe vulgo Judæos perſuaſione, non obſcuris argumentis demonſtratur ex Libris Sapientiæ [10], Maccabæorum [11], Joſephi, [12], Philonis [13], & ex Evangelio; nihil enim novi docuit Jeſus Chriſtus, cum peccata lethalia inferni pœnas manere aſſeruit. Eſt etiam recentioribus Rabbinis torquendis æterno ſupplicio ſontibus, ſua gehenna, vel infernus; eſt & Purgatorium ab inferno nonniſi duratione pœnarum diſtinctum, torquendis proborum animabus, quibus expiandum aliquid remanet.

Erant igitur apud Judæos crimina, quibus in altera vita dabatur venia; erant, quibus omnis ea de re ſpes præcidebatur. Judas Macchabæus ſummam 40. drachmarum argenti, quam ex collatitio ære comparaverat, Jeroſolymam miſit, ſacrificiis pro ſalute cæſorum in prælio impendendam (14), quibus ſacrificiis expiaretur eorum crimen, rapti nempe ex Idolorum fano auri, contra Legis ſanctionem (15). Blaſphemia in Spiritum Sanctum inter ea crimina recenſebatur, quibus nulla eſſet ſpes veniæ in altera vita; quæ ſcilicet neque ſuppliciis Purgatorii, neque ſacrificiis, neque orationibus expiarentur, nihilque ab illis experirentur ſolatii, ſive levaminis. Is genuinus hujus loci ſenſus, quem in noſtra hac Diſſertatione excutiendum ſuſcepimus.

Blaſphemia igitur in Spiritum Sanctum neque in præſenti, neque in altera vita remittenda, non eſt cum crimine quocumque lethali a Chriſtiano poſt Baptiſmum admiſſo, uti Origeni, Theognoſto aliiſque nonnullis creditum, confundenda. Neque enim ejus ſe criminis reos noſſe poterant Phariſæi, quibuſcum Jeſus Chriſtus verba miſcebat; certum eſt tamen, peculiare aliquod crimen deſignare voluiſſe Jeſum; neque omnia æque crimina ſuggillaſſe poſt Baptiſmum commiſſa. Ita pariter hæreſis crimen deſignari eo nomine negamus; cum alieni eſſent ab eo crimine Phariſæi, & cum illis ita ageret Chriſtus, quaſi uno communionis vinculo cum ceteris Judæis jungerentur, primaſque in Synagoga cathedras tenerent: *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi* (16).

Qui blaſphemiam in Spiritum Sanctum conſtituunt in neganda Filii vel Spiritus Sancti Divinitate certam Divinæ ſententiæ ſignificationem aſſecuti non eſſe videntur. Non enim agebat Chriſtus de Sancti Spiritus Divinitate, quam luculente ſatis ipſe Jeſus non adhuc expreſſerat. Verba ea de re primum fecerat ſeorſum cum Diſcipulis, paulo ante obitum ſuum, & poſt Reſurrectionem iterum. Ad Divinitatem ſuam quod attinet, inſinuare eo loco videtur Phariſæis, ſiquidem nullo alio præterquam negatæ ſibi Divinitatis crimine tenerentur, omnia ſe facile condonaturum. Neque enim hanc fidem exegit, nec annunciandum illud Fidei dogma antea juſſit, quam poſt Reſurrectionem ſuam.

Auguſtino ceteriſque ſententiam ejus ſecutis negare quidem non poſſumus, livorem, nequitiam charitatem proximi deſtruentem, cum ſcilicet ad finem uſque vitæ duraverint, ac tandem finalem impœnitentiam crimina reputanda eſſe omni veniæ ſpe deſtituta; ſed eadem pariter blaſphemiam in Spiritum Sanctum habenda eſſe vix credimus. Fatemur quidem ſceleribus hiſce Dei ſanctitatem violari, charitati S. Spiritus injuriam irrogari, gratiæ divinæ ad ſe pellicienti ſuo trahenti homines reſiſtere, eamque tandem, quantum in illis eſt, evertere atque deſtruere. Sed nihil illis non commune ea in re cum ceteris aliis criminibus, quibus tamen blaſphemiæ in Spiritum S. nomen non vindicatur.

Eadem pariter de apoſtaſia, de blaſphemia in nomen Dei dicenda manent; quæ omnia a nonnullis Veterum nomine criminis in Spiritum S. deſignari credita ſunt. Immania ſunt quidem crimina adeo, ne

(1) *In Matth.* 12. 31. (2) *Levit.* 5. 1. 2. 3. *&c. Num.* 15. 28. *Hebr.* 9. 7. (3) *Pſal.* 105. 33. *Epheſ.* 4. 30. *Iſai.* 63. 10. (4) 1. *Theſſal.* 5. 19. (5) *Act.* 7. 51. (6) *Matt.* 12. 31. 32. (7) *Hebr.* 10. 29. (8) *Levit.* 24. 11. 12. 13. 14. *Num.* 15. 30. 31. (9) *Deut.* 13. 1. 2. 3. (10) *Sap.* 5. 2. *&c. &* 2. 1. *&c.* (11) 2. *Macch.* 12. 42. 43. (12) *De Bell.* *l.* 2. *c.* 7. *p.* 788. (13) *De Præmiis & pœn. p.* 713. *& de Profug. p.* 358. (14) 2. *Macc.* 12. 43. (15) *Deut.* 7. 25. (16) *Matt.* 23. 2.

nec veniam mercantur, niſi forte non fucata cordis pœnitudine eamdem veniam deprecemur. Ut quidem tamen hæc potius crimina blaſphemiæ in Spiritum S. nomine deſignentur præ Idololatria, perjuriis, aliiſque criminibus, quibus majeſtati, potentiæ, & bonitati divinæ injuria irrogatur? Audax ille & impius, qui *elata manu* in Deum fertur, tum in præſenti mundo cum in altera vita diris animadverſionibus punitur: quod autem tantum crimen peccati in Spiritum Sanctum nomine a Grotio deſignetur, nihil eſt; æque enim tribus, Patri ſcilicet, Filio, & Spiritui S. repugnaret.

Quæ Spiritum Sanctum potiſſimum offendunt crimina, ſex aſſignant Theologi, videlicet 1. Impœnitentiam finalem. 2. Deſperationem, 3. Obfirmatum in malo animum, 4. Exploratæ veritati contradictionem, 5. Nimiam de bonitate Dei præſumptionem, quibus in peccatum animamur, 6. Iniquioribus oculis eos ſuſpicere, qui ſinceræ charitatis vinculo inter ſe colligantur. Nihil tamen ex his Jeſus Chriſtus Phariſæis potiſſimum exprobrat; vitio enim illi vertit, Dæmonis operationi tribuiſſe præſtita a ſe opera, quamquam a Deo patrata probe intelligerent.

Simonis Magi crimen, qui vendi ſibi, collato pretio, poſtulavit prodigiorum patrandorum virtutem, tum & manuum impoſitione prodigia pro arbitrio diſpenſandi, quemadmodum & ab Apoſtolis factum norat [1], alterum eſt criminis in Spiritum Sanctum genus. Impius enim ille magicæ operationi præſtigiiſque tribuebat, quæ Apoſtoli nonniſi divina virtute operabantur. Habebat viros illos divinos tamquam magicis artibus peritiſſimos, & ſe pariter Dæmoniacis illis ſcientiis inſtructiores; volebat proinde arcanum illud ſibi pretio reſerari, ut pretio viciſſim ipſe ceteris venderet. Itaque Sanctus Paulus, veluti dubitans num remiſſionem de tanto crimine eſſet impetraturus, denunciavit: *Pœnitentiam age, ſi forte remittatur tibi*; quibus ſatis inſinuavit, non ſegniter illi laborandum, ut veniam impetraret.

Porro crimen illud neque in hoc mundo neque in altero remiſſum iri Chriſtus ideo denunciavit, quod natura ſua omnem excluderet veniam; directe enim, neque ex obliquo impetit bonitatem, & miſericordiam S. Spiritus, fontem proinde arceret a venia, fores occludit indulgentiæ, & divinæ miſericordiæ velut aggerem opponit. Ea eſt enim illorum criminum, ceu lethalium quorumdam morborum, indoles, qui alto ſopientes torpore ægrotum, negligere, quin & contemnere pariter monita & pharmaca Medici languentem cogunt. Accidit etiam interdum, ut non contemnat tantum ſanitatem, ſed & contraria etiam omnia præſtet. Hæc flagitiorum immanitas nonniſi prodigiis expugnaretur [2]. Parum eſt igitur, ſi cum S. Joanne Chryſoſtomo aliiſque nonnullis flagitium illud ideo irremiſſibile credatur, quod ægre expietur; ineſſe etiam vitio ſcelus aliquod reputandum eſt, quod veniæ natura ipſa repugnet. Nec tamen fines divinæ bonitati vel potentiæ præſcribere audemus; ſicut neque Eccleſiæ collatam a Chriſto omnium criminum remittendorum poteſtatem cum Novatianis negamus. Nullum re ipſa crimen inexpiabile ultro quidem agnoſcimus; præſto eſt enim ſemper Deus crimini deflentibus remittendo; præſto eſt ſemper Eccleſia, ut averſos a Deo homines in ejus amicitiam redintegret, modo pœnitudinis ſuæ intime fucata exhibeant documenta. In hanc ſententiam revocandum eſt illud Sancti Paciani Epiſt. 3. ad Sympronianum, qui exceſſiſſe aliquanto viſus eſt, dum crimen in Spiritum Sanctum extra fines receptæ ab Eccleſia abſolvendi a criminibus poteſtatis conſtituit.

IN EVANGELIUM
S. LUCÆ
PROLEGOMENON.

S. LUCAS ſive Lucanus [3], ut in nonnullis Mss. vel *Lucius*, ut in Epiſtola Apoſtoli ad Romanos [4], oriundus erat Antiochia urbe Syriæ metropoli, & medicinam non ſine egregia laudis fama, addit S. Hieronymus, profeſſus eſt [5]. Cœlibem vitam agens neque conjugem ullam duxit, neque liberos genuit, ut in Additione ad viros illuſtres ejuſdem Patris legimus. Sunt qui Paganum religione crediderint [6], cui tandem Sanctus Paulus Evangelium Antiochiæ annuncians fidem perſuaſerit. Judæum tamen alii, & e numero Septuaginta Diſcipulorum arbitrantur [7]. Narrant Sanctus Hippolytus, [8] & S. Epiphanius, virum illum, cum audiſſet Jeſum dicentem: *Qui non manducat meam carnem, nec bibit meum Sanguinem non eſt me dignus*, abalienatum receſſiſſe; iterum deinde Pauli concionibus ad priſtina conſilia revocatum. Una cum Cleopha iter egiſſe ad Emmaus, cum Jeſum habuerunt in comitatu, alii ex Patribus teſtantur [9].

Alii tandem memoriæ prodiderunt, pingendi ſcientia non imperitum [10], tabulas plures, quas monſtrant, poſteritati tranſmiſiſſe. Cenſent pariter [11] confundendum cum *Lucio*, de quo S. Paulus in Epiſt. ad Rom. 16. 21. quem virum neceſſitudine cum Apoſtolo conjunctum arbitrantur. Meminit porro Lucæ itinerum ſuorum comitis idem Apoſtolus in ſuis Epiſtolis non ſemel [12]; autumantque nonnulli, Apoſtolum illum familiari ea phraſi [13], *ſecundum Evangelium meum*, ſcriptum a Luca Evangelium deſignare, de quo pariter interpretantur ejuſdem Apoſtoli illud 2. Cor. 8. 18. *Miſimus etiam cum illo fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias: non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ.*

Dicta tamen hucuſque non æque certa ſunt omnia; nec

(1) *Act. 8. 20. 21. 22.* (2) *Vide Maldonat. Menoch. in Matth. 12. 31.* (3) *Lucas ex contractione Lucani. Legitur: Evangelium ſecundum Lucanum in Cod. Mſ. Bobienſi 51. 1. & S. Joann. de Carbonaria Neapoli altero; & ad calcem Cod. Cottoniani: Explicit Evangelium ſecundum Lucanum. Vide Mill. ad 2. Theſſal. cap. 0.* (4) *Rom. 16. 21.* (5) *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 4. Hieronym. de viris Illuſtr. & in Matth. & alii.* (6) *Hieronym. quæſt. in Geneſ. pag. 225.* (7) *Adamant. lib. 1. pag. 8. Epiph. hæreſ. 51.* (8) *Hippolyt. Mſ. in Bibliotb. Bodlei. apud Mill. Præfat. in Luc. pag. 120. Ita & Epiphan. hæreſ. 51.* (9) *Gregor. Magn. lib. 1. Moral. cap. 1. Quid apud Theophylact.* (10) *Nicephor. lib. 2. cap. 43. & lib. 6. cap. 6. Theodor. Lector hiſtor. lib. 2. pag. 551. alii.* (11) *Quid. apud Orig. in Epiſt. ad Rom.* (12) *2 Timoth. 4. 11. Philem. verſ. 23. 24. Coloſſ. 4. 14.* (13) *Rom. 2. 16.*

nec meliori fide aſſertum a nonnullis Veterum credimus, virum illum inter Septuaginta Diſcipulos Jeſu Chriſti adlectum fuiſſe. Scribit enim de ſe Evangeliſta, non niſi oculatorum teſtium fide & revelatione Opus ſuum ſcripſiſſe (1). Tertullianus pariter velut exploratiſſimum conſtituit, numquam illum inter Diſcipulos Jeſu Chriſti cooptatum, Evangelium non niſi S. Pauli revelatione didiciſſe (2); idemque Scriptor cum S. Irenæo lib. 1. cap. 20. virum Apoſtolicum tantum appellat. Huic pariter ſententiæ multo magis repugnant, quicumque ex Pagano vel Proſelyto ad fidem traductum arbitrantur. Pingendi arte peritum nemo Veterum ante Nicephorum agnovit. Quod autem eam opinionem inducere potuit, illud facile reputandum eſt, quod plura de infantia Jeſu Chriſti, & rerum geſtarum Beatæ Virginis, fruſtra alibi quærenda, exhibuerit.

Apoſtoli Pauli Diſcipulum & itinerum ſocium fuiſſe nemo quidem negat; quo tamen potiſſimum tempore in ejus ſe clientelam aſſeruerit, diſquiritur. Quicumque ab Apoſtolo Antiochiæ verſante ad fidem traductum arbitrantur, ab eo tempore Magiſtro fidum & individuum comitem adhæſiſſe defendunt: quam opinionem ſecutos credimus SS. Epiphanium & Hippolytum. Idem pariter docet vetus Ms. Cantabrigienſe, cui Pearſonius ſuffragatur. Malunt alii acceſſiſſe Sancto Paulo comitem Troade, laudantes in eam rem illud Actuum 16. 8. 9. 10. *Statim quæſivimus a Troade proficiſci in Macedoniam*; quibus verbis una cum Paulo verſari ſe Lucas ejus Libri author ſatis inſinuat. Sanctus Irenæus pariter itinera Sancti Lucæ una cum Apoſtolo facta percurrens, inde narrationem ſuam exorditur (3). Nicephorus, & Græci recentiores (4) autumant, S. Lucam aviis erroribus renunciaturum veniſſe Thebas Bœotiæ; ſed hæc recentiorum Græcorum tantum fide aſſerta, nullius ſunt momenti. S. Lucam in itineribus ſuis proſequi, alienum eſſe a noſtro inſtituto arbitramur.

Poſt Pauli exceſſum, diutius vitam produxiſſe eo credimus, quod plurium ſententia 80. vel 84. annorum grandævus vita exceſſerit. S. Epiphanius hæreſi 51. teſtatur, annunciatum ab illo Evangelium in Dalmatia, Galliis, Italia & Macedonia. Ex urbe Roma in Græciam rediiſſe non modico animarum compendio, teſtatur Nicephorus lib. 2. cap. 43. Veniſſe in Ægyptum, Lybiam, & Thebaidem, Metaphraſtes eſt author. Diem clauſiſſe in Achaja creditur (5); unde ſacra ejus lypſana Conſtantinopolim ſub Conſtantio translata aſſerit Philoſtorgius l. 3. cap. 2. Thebis in Bœotia, Nicephoro authore, obiit (*); ubi hodie pariter ejus ſepulchrum monſtrari fama eſt (6).

Non abs re tamen ſuſpicamur, confuſos in unum duos cognomines viros, nempe S. Lucam Evangeliſtam, & S. Lucam Stirriotem, eremi ejus regionis incolam. S. Hippolytus tradit, crucis ſupplicium ſubiiſſe Eleæ in Peloponneſo (7); Dorotheus in Synopſi obiiſſe refert, & ſepulturæ mandatum Epheſi; Beda, Ado, & Martyrologium Romanum defunctum conſtituunt in Bithinia. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 3. S. Paulinus Epiſt. 12. martyrium conſummaſſe tradunt. Sanctus Gaudentius Brixienſis (8) inter eos recenſet, qui mortem ab impiis tolerarunt. Recentiores quidam Græci aſſerunt in oliva arbore crucem ſubiiſſe (9). Verum S. Hieronymus & Euſebius nihil habent de ejus martyrio, nihil pariter de illo in Martyrologiis; quin & Elias Cretenſis (10) certum conſtituit, violentæ mortis genere non interiiſſe, in quam pariter ſententiam a Recentioribus conceſſum eſt.

Ex Operibus S. Lucæ innotuit Evangelium, & Acta Apoſtolorum, nullo refragante genuina omnia. Eidem etiam Authori tribuitur verſio Græca Epiſtolæ ad Hebræos (11). Sunt etiam qui eamdem Epiſtolam exaraſſe Lucam, ex verbis & conceptibus ejuſdem Apoſtoli (12), aſſeruerint. Sed fuſius ea de re in Prolegomenis ad eamdem Epiſtolam. Ipſi pariter inſcribitur a Sancto Clemente Alexandrino apud Euſeb. lib. 6. cap. 14. diſputatio Jaſonis viri Chriſtiani cum Papiſco Judæo Alexandrino, qui tandem rationibus Jaſonis perſuaſus, victas manus fidei dedit. Hanc collationem Origenes appellat *contradictionem* (13), S. Hieronymus *altercationem* (14). Porro opus illud ætate noſtra intercidit, de quo ita Origenes, & Sanctus Hieronymus agunt, tamquam a S. Luca nequaquam ſcriptum arbitrarentur. S. Maximus Abbas tuetur, Librum illum ſcripſiſſe Ariſtonem Pellæum, qui circa annum J. C. 140. florebat.

Quo tempore Sanctus Lucas ad ſcribendum Evangelium ſeſe contulerit, non ſatis convenit. Ejus epocham conſtituunt Græca pleraque Mſs. (15) anno J. Chr. 51. nempe 48. Æræ Chriſtianæ, triennio antea quam comes Sancto Paulo acceſſiſſe legatur; quod ſatis argumenti eſt ad epocham illam prorſus abjiciendam. Si Patrum fides (16) teneatur, autumantium de Evangelio Sancti Lucæ ſermonem eſſe illis Apoſtoli 2. Corinth. 8. 18. verbis: *Cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*; ſcriptum Opus cenſendum eſt ante annum 57. J. Chr. quo ſcilicet ea ad Corinthios Epiſtola data; & facile etiam certa ejus Epocha conſtituenda circa annum 53. cum Paulus Corinthi in Achaja verſaretur; ibi enim litteris mandatum opus S. Gregorius Nazianzenus (17), & S. Hieronymus in Matth. Prol. Comment. autumarunt.

Eſthius in 2. Corinth. 8. Grotius in Luc. Præfat. ſuſpicantur annum ſcripti Evangelii & Actorum ipſum eumdemque reputandum eſſe, in quem eorumdem Actuum hiſtoria clauditur, circa annum nempe 63. J. Chr. cum Sanctus Paulus Roma digreſſus in Hiſpaniam iter ſuſcepit. Suſpicatur Grotius, Sacrum Scriptorem ex Urbe in Achajam conceſſiſſe, ibique litteris tradidiſſe Evangelium. In pluribus inſcriptionibus Syriaci, Perſici, & Græci adnotatum fuit Alexandriæ, quod ſatis conſonat cum recepta apud Authores mediæ ætatis (18) traditione, apud quos Evangelium annunciaſſe, & vitam clauſiſſe in Ægypto S. Lucam fama eſt conſtantiſſima. Fertur etiam (19) ibidem in tertium Alexandriæ Epiſcopum Abilium conſecraſſe circa annum 86. J. Chr.

In aliis nonnullis Mſs. Latinis literis Romæ ſcriptum Evangelium illud narratur (20). Recepta tamen, & melior ſententia tenet, Græcis literis, & in Achaja digeſtum fuiſſe opus circa annum 53. J. C.

Non deſunt inter Veteres, qui ab Apoſtolo Paulo dictatum, excipiente Luca, Evangelium illud autumaverint (21) Tertullianus lib. 4. contra Marcionem cap. 5. teſtatur de quibuſdam: *Nam & Lucæ digeſtum Paulo adſcribere ſolent. Capita Magiſtrorum videri, quæ Diſcipuli promulgarunt*. Aſſeruerunt alii (22), Apoſtolum illis verbis, *Secundum Evangelium meum*, S. Lucæ Evangelium deſignaſſe. S. Pauli ope confiſum ad ſcribendum ſe contuliſſe canit Sanctus Gregorius Nazianzenus carmine 43. Scriptis mandaſſe, quæ Paulus verbo Gentibus annunciaret, ait Sanctus Irenæus, lib. 3. cap. 1. Dorotheus in Synopſi tradit, ſcriptum ab illo Evangelium, dirigente Sancto Petro, ſicut & Acta ſub Paulo Magiſtro. Verum nullibi ſive in Actis, ſive in Evangelio inſinuat S. Lucas, ſcribenti ſibi hiſto-

(1) *Luc. 1. 2.* (2) *Cont. Marc. l. 4. c. 2.* (3) *Iren. l. 3. c. 14.* (4) *Niceph. l. 2. c. 43. Menæa 18. Octobr.* (5) *Hieron. de viris Illuſt. Gaudent. Brix. hom. 17.* (*) *Niceph. l. 2. c. 43.* (6) *Ubeler. p. 379.* (7) *Hippolyt. in Mſs. Bob. ſup. cit.* (8) *Gaudent. Brix. Serm 17.* Martyrem & Evangeliſtam appellat etiam vetus Martyrologium Eccleſiæ Africanæ; *Vide Analect. t. 3. p. 424.* (9) *Glycas, Cedren. Niceph. Vide Tillem. hiſt. Eccl. t. 2. pag. 148.* (10) *Elias in Greg. Naz. orat. 3.*

(11) *Clemens Alexandr. apud Euſeb. l. 6. Hiſt. Eccl. c. 14. & Hieron. de viris illuſt.* (12) *Orig. apud Euſeb. l. 6. c. 25. hiſt. Eccl.* (13) *Orig. l. 4. contra Celſum.* (14) *Hieron. quæſt. Hebr. in Geneſ.* (15) *Vide Var. Lect. Mill. ad finem S. Luc.* (16) *Orig. Amb. Hieron. Chryſoſt. alii* (17) *Greg. Naz. car. 33.* (18) *Ferrar. l. 8. c. 4. Metaphr.* (19) *Conſtit. Apoſt. l. 7. c. 46.* (20) *Mſs. quædam apud Mill. ad calc. Luc.* (21) *Athan. Sinait.* (22) *Euſ. l. 3. c. 4. & l. 6. c. 25. hiſt. Eccl. ex Orig. Hier. non ſemel.*

riam adfuiſſe Apoſtolum Paulum, ſive Evangelium ſub Petro ab ore dictantis Petri excepiſſe, quamquam id Menologium Baſilii aſſeruerit. Porro ad ſcribendum ſe contulit tum poſt vulgata SS. Matthæi, & Marci Opera, cum etiam poſtquam alii plures non penitus ſibi, exploratam hiſtoriam illam tentarunt [1].

Utrumque opus inſcribit Theophylo, quo nomine generatim Deum amantes animas deſignari, plures inter Veteres autumarunt [2]. Alii vero, quorum hodie opinio invaluit, certum aliquem virum inſinuari credunt, virum, inquam, ampliſſimum, ſive Provinciæ Præſidem, qui nomen dediſſet inter Chriſtianos [3]. Pro Gentibus ad fidem Chriſti ductis ſcripſiſſe Lucam ſentit Origenes apud Euſeb. Hiſtor. Eccl. lib. 6, cap. 25.

Unum hoc Evangelium, & fœde a ſe detruncatum, excipere Marcionitas tradunt Tertullianus, & S. Epiphanius [4]. Scriptoris illi nomen ab Opere adimebant, adimebant pariter cetera omnia capita, a tertio exordientes in illa verba; *Anno quintodecimo* (detrahebant particulam *autem* quæ in Textu legitur) *Imperii Tiberii Cæſaris*. Hæc autem verba juncta ab illis verſui 31. cap. 4. cujus majorem partem expunxerant, ab illis verbis narrationem ineuntes: *Deſcendit Jeſus in civitatem Galilææ Capharnaum*.

Plura etiam alia demebant addebantque, quemadmodum in Tertulliano, & Epiphanio legere eſt. Porro cetera rejicientes Evangelia, illud ad Galatas 1. 7. in patrocinium erroris ſui aſſumebant: *Miror, quod ſic tam cito transferimini in aliud Evangelium, quod non eſt aliud, ſecundum Evangelium meum*; ſic in correctis Exemplaribus legebatur tantum; *Quod non eſt aliud*. Quæ de geſtis Beatæ Virginis, de Infantia J.C. de Cantico ejuſdem Virginis colloquio cum Angelo, profectione ad Eliſabeth, & Zachariam, quæque de repoſitis in corde B. Virginis quæcumque in Filio ſuo admiranda conſpiciebantur [5]; hæc omnia ſatis inſinuant ſacrum Scriptorem familiari Beatæ Virginis conſuetudine uſum, unde plura tum de rebus ipſius, cum de J.C. didicerit [6].

Ratio, quam conſtantiſſime ſervat, laudandi Scripturæ teſtimonia juxta verſionem Septuaginta, etiam cum ab Originali Hebræo recedunt [7], ſatis inſinuat alienam a Judæis originem retuliſſe; unde pariter confirmatur eorum opinio, qui ex Proſelytis ſive alienigenis ad ſacra Judæorum traductis, ſive ex Paganis ad fidem Chriſti accerſunt. Ita quæ eſt inter pariter ejus Evangelium, & ea, quæ in prima Epiſtola ad Corinthios leguntur, rerum conſonantia, opinionem eorum fulcit, qui adoptatum ab Apoſtolo Evangelium S. Lucæ aſſeruerunt; utrobique enim iiſdem verbis inſtitutio Euchariſtiæ narratur [8]. S. Paulus, & S. Lucas ſoli inter ceteros produnt, Chriſtum ipſo Reſurrectionis ſuæ die Apoſtolo Petro ſpectandum ſe præbuiſſe [9].

Ad ſtilum quod attinet, redundare Helleniſmis Grotius [10] obſervat, quos forte ſimul cum Judaicæ religionis profeſſione & Librorum Hebraicorum lectione adſciverat. Medicinæ ſtudebat, unde ſtili puritas & correctio major quam in aliis N.T. Scriptoribus. Occurrunt etiam aliquando ſimiles loquendi phraſes, quę Syriacam, & vernaculam Scriptoris originem produnt. Addit etiam nonnulla ad genium & ſaporem linguæ Latinæ. Hoc Critici illius emunctiſſimæ naris judicium. Quamquam non omnibus eadem ſunt de Sacro Scriptore explorata, ſatis tamen conveniunt, puriori Græco eloquio, quam Evangeliſtas ceteros, fluere.

DISSERTATIO

DE

CONCILIATIONE GENEALOGIARUM JESU CHRISTI

Apud Sanctum Matthæum, & Sanctum Lucam.

JAM inde a pluribus ſęculis Chriſtiàni nominis oſores cavillandi anſam ex Genealogiis Jeſu Chriſti arripuerunt. Si Jeſus alterum habuit a Joſeph, quod Chriſtianis perſuaſum eſt, parentem; ut quid igitur Evangeliſtæ Joſephi genealogiam retexunt? Si vero ex Patre Joſepho natus eſt, quomodo Dei Filius & Virginis Parentis appellaretur? Expectamus Jeſu Chriſti genealogiam, & nobis oggeritur ſeries Avorum Joſephi, cui viro nihil ad Jeſum. Ita Porphyrius, Manichæi [11], Julianus Imperator [12], Celſus [13], & hodie pariter Judæi calumniantur. Eorum cavillis diverſa Patres & Interpretes ſyſtemata opponunt; quæ adductis in utramque partem rationibus proponemus. Verum in ipſo Diſſertationis hujus limine ambę illę, de quibus agitatur controverſia, genealogię cum annotatiunculis noſtris afferendę ſunt, quo uno veluti conſpectu Lectori exhibeantur virorum illorum ſeries, de quibus in ſubſequentibus agendum eſt, tum & comparet inter ſe facilius. Porro Genealogiam S. Lucę nonniſi e Davide repetemus.

GENEA-

(1) *Luc* 1. 1. 2. (2) *Origen. in Luc. hom.* 1. *Ambroſ. ibidem*, *Salvian. epiſt* 90. *Epiphan. hæreſ.* 51. (3) *Aug. de conſenſu Evang. lib* 4. *cap.* 8. *Chryſoſt. in Act. hom.* 8. *Theophyl. in Luc. Præfat.* (4) *Vide Epiph. hæreſ.* 42. *Tertull. contra Marcion. l.* 5. *Chryſoſt. in cap.* 1. *Epiſt. ad Galat.* (5) *Luc.* 2 19. *&* 51 (6) *Vide Grot. ad Luc* 2 51. (7 *Vide Actuum* 7 14. ubi Sanctus Lucas 75. poſteros Jacob recenſet, quamquam in Hebræo tantum 70. leguntur. Adoptat pariter c. 3. 37. Cainanum, quamquam nonniſi apud Septuaginta extat. (8) 1. *Cor.* 11 23. 24 25. Confer *cum S. Luca* 22. 18. 19. 20. (9) 1. *Cor.* 15. 5. Confer *cum Luc.* 24 34. (10) *Grot. Proleg. in Luc.* (11 *Vide Fauſt. Manich. apud Auguſt. lib* 23. *contra Fauſt. cap.* 1. 2 3. *& lib.* 5. *cap.* 1 (12) *Julian. apud Cyrill. Alexandr.* c 8. *contra eumdem Julian.* (13) *Vide Origen. contra Celſum lib.* 2.

Digitized by Google

GENEALOGIA DOMINI NOSTRI J. C.

Juxta S. Matthæum (1)		*Juxta S. Lucam* (2)
	DAVID	
SALOMON		NATHAN (3)
ROBOAM		MATHATA
ABIA		MAINAN
ASA		MELCHA
JOSAPHAT		ELIACIM
JORAM		JONAM
(OCHOSIAS (4)		JOSEPH
(JOAS		JUDA
(AMASIAS		SIMEON
OZIAS		LEVI
JOATHAN		MATHAT
ACHAZ		JORIM
EZECHIAS		ELIEZER
MANASSE		JOSE
AMON		ER
JOSIAS		ELMODAN
JOACHIM (5)		COSAN
		ADDI
		MELCHI
JECHONIAS (6)		NERI
	SALATHIEL (7)	
	ZOROBABEL	
ABIUD		RESA
		JOHANAN
ELIACIM (8)		ASOR
		JUDA
AZOR		JOSEPH
		SEMEI
SADOC (9)		MATTHATIAS
		MAHAT
ACHIM		MAGGE
		HESTI
ELIUD		NAHUM
		AMOS
ELEAZAR		MATTHATIAS
		JOSEPH
MATHAN		JANNE
		MELCHI
JACOB		(MATTHAT (11)
(JOSEPH (10)		(LEVI
(Vir Mariæ Matris		HELI (12)
		MARIA Mater.
	JESU	

Ex collatione duplicis hujus genealogiæ ſatis apparet, geminas ex eodem Davide, per Salomonem alteram, alteram vero per Nathan deductas familias in Salathiele, & Zorobabele primum conjunctas, coiviſſe iterum in Jeſu filio Mariæ & conſobrino Joſephi, ut unus Jeſus flos eſſet ſive germen Jeſſe (13), filius David & Salomonis, & promiſſorum, quæ utrique facta ſunt, hæres.

Diſſert. Calmet, Tom. II.

Cum vero eorumdem Evangeliſtarum teſtimonio certum ſit, Jeſum Chriſtum non ad Joſephum ſpectare, ſed ad Mariam, plura ſunt, quæ negotium faciunt: 1. Cur genealogia Joſephi & non potius Mariæ retexitur? 2. Quomodo Jeſus Chriſtus e Davide & Salomone recta generationis ſerie deductus, ex eo infertur, quod Joſeph e filiis David demonſtretur? 3. Quomodo gemini Joſepho parentes ſtatuuntur,

 Jacob

(1) *Matth.* 1. 1. 2. *&c.* (2) *Luc.* 3. 23. *&c.* (3) Nathan eodem ac Salomon parente, Davide ſcilicet, natus eſt. Sed juſſu Domini Salomon regnavit 3 Reg. 3. 13. & 3. Reg. 12. 25. (4) Hunc Regem, ac proxime ſuccedentes duos a S. Matthęo omiſſos ambigit nemo: nos ſupplendos duximus, ut ſucceſſio Regum Iuda conſtet. (5) Hunc Regem vel S. Matthęus ipſe, vel ejus Amanuenſes omiſerunt. (6) Iechonię ſucceſſit Sedecias ejus patruus. (7) Iechonias, cum Babylone verſaretur, filios genuit Aſir & Salathiel. 1. Par. 3. 19. (8) Medius inter Eliacim & Azor in quibuſdam Mſs. conſtituitur Abner.

(9) Poſt Sadoc aduſque Iacob patrem S. Ioſeph generationes quędam omiſſę ex collatione Genealogiarum S. Matthęi & S. Lucę facile apparent. (10) Ioſeph apud S. Matthęum filius Iacob appellatur, quod parentem illum reipſa haberet; in S. Luca vero filius dicitur Heli; quod ſcilicet ſocerum illum haberet; erat enim Heli ipſiſſimus ac Ioachim pater Mariæ. (11) *Iſaia* 10. 1. 10. *Rom.* 15. 1.
(12) Ambo hęc nomina Matthat & Levi deſunt in nonnullis Mſs. Africanus, Euſebius & S. Irenęus non legerunt. (13) Heli idem facile vir ac Ioachim pater SS. Virginis.

Jacob è genere Salomonis, & Heli e ſtirpe Nathan? 4. Tandem quomodo Jeſus inter poſteros Davidis & Salomonis demonſtraretur, ſemel etiam admiſſo apud S. Lucam Virginis genealogiam retexi; cum juxta eam hypotheſim e Nathan, non e Salomone, genus retulerit?

Hiſce omnibus reponitur, 1. Alienum fuiſſe a moribus Hebræorum, ut mulierum genealogiæ retexerentur. Cum autem Jeſus filius haberetur Joſephi, ſive adoptione, ſive ex eo ſaltem quod ad Mariam ejus conjugem pertineret, eumque Joſephus tamquam filium in domo ſua excepiſſet aluiſſetque; in omnia proinde jura domus Joſephi ipſe Jeſus admittebatur. 3. Heli patrem fuiſſe Joſephi legalem, Jacob vero genuinum & naturalem; vel ſecus, Heli naturalem, legalem vero Jacob. 4. His ſemel conſtitutis, genealogiam nempe Virginis a S. Luca adornari, duo evidentiſſime conſequuntur; primo nempe Jeſum genus e Davide retrahere; ſecundo vero filium eſſe & hæredem Salomonis duplici jure; duæ enim Nathani & Salomonis familiæ in Salathiele olim coeuntes, iterum deinde conjugio Joſephi, hæredis familiæ Salomonis cum Maria hærede Nathani coiverunt. Ita pariter factum eſt, ut Joſeph in ſe uno duas familias conciliaret, & utriuſque generis ſtirpem in Jeſum filium ſuum & hæredem tranſmitteret. Latius exponenda ſunt hæc omnia, & ab incommodis vindicanda, quo apertior ſe veritas prodat.

Hebræorum moribus receptum fuiſſe, ut genealogiæ per viros ducerentur, aſſiduis Scripturarum exemplis, & teſtimonio Rabbinorum & Patrum demonſtratur (1). Sanctum eſt inter Doctores Judæos, matris familiam, familiam non eſſe. Quamquam autem Joſephus Jeſum non genuerat, tamquam parens tamen habebatur, qui eum ut filium in domo ſua aluit, adoptavitque, atque jurium ſuorum omnium participem fecit, ut proinde jure meritoque ſuam pariter illi genealogiam vindicaret. Attinebat etiam Jeſus ad Joſephi domum alio titulo, Mariæ ſcilicet parentis ſuæ, quæ vero conjugii vinculo cum Joſepho conjuncta, id efficiebat, ut natus ex ipſa, eodem conjugio conſtante, ſine humano ſemine filius ad ipſum Joſephum, tamquam in ejus fundo natum germen, pertineret. Jeſus viciſſim filiale Joſepho obſequium præbuit & amorem; unde jam alta inſedit omnibus perſuaſio, Jeſum nempe ad Joſephum parentem pertinere, ut pater ipſius in Evangelio, ſicut etiam a B. Virgine, numquam non appellatur (2).

Mos adoptandorum ſibi filiorum apud Hebræos ante legem ſpectatur, Sara in thorum viri famulam ſuam invexit, quo ſcilicet natos inde filios ſibi adoptionis jure vindicaret (3); eodem jure ſibi Jacob uſurpavit Ephraimum & Manaſſem (4); eodem filia Pharaonis ſibi adſcivit Moyſem (5); Eſther filia habebatur Mardochæi patrui ſui (6). Major nato filiorum e fœmina nupta fratri prioris viri ſui fato ſine liberis functi, tamquam viri illius defuncti filius habebatur (7). Quando itaque Jeſus nullo alio quam adoptionis jure ad Joſephum pertineret, vindicando ſibi titulo filii David, atque hæredem ſe promiſſionum ejus familiæ aſſerendo, ſatis ſuperque habuiſſet.

Accedit alia quidem & firmior ratio, quod ſcilicet Maria ad eamdem familiam & domum Joſephi pertineret; ut proinde una eademque genealogia utriuſque avos exhiberet. Conſtat primum illud noſtrum aſſertum uno Patrum omnium aſſenſu (8). Obſervant illi, Lege cautum eſſe, ne puellæ ex alienis Tribubus viros ducerent; quin etiam, ſiquidem fieri potuiſſet ut viris ejuſdem familiæ nuberent, cogebantur etiam ad eas nuptias in ſingularibus quibuſdam rerum articulis; veluti cum filia paternæ domus hæreditatem ſuſtinerat (9), vel cum viro, nullis ſuſceptis ex eo filiis, orbaretur (10): ſi quid ex his accidiſſet, intra familiam quærere ſibi conjugem adigebatur. Vetus eſt autem in Eccleſia traditio Beatam Virginem parentum ſuorum unicam, ac proinde avitæ facultatis hæredem fuiſſe (11); ejuſque nuptias Joſephum patruum vel avunculum ipſius, vel ſaltem propinquitate omnium conjunctiſſimum, Legis præcipientis ſanctione, ſibi quærere coactum.

Fatemur quidem nonnulla adverſus opinionem illam opponi. 1. Mariam ad parentes ſuos filiam unicam pertinuiſſe, ſibique paternam omnem hæreditatem vindicaſſe, nullo documento conſtat. Neque enim ſatis convincens ejus rei argumentum Evangeliſtarum ſilentium cenſendum erit. Porro fœminis Iſraelitis nuptiæ ſive intra Tribum, ſive extra liberæ permittebantur. 2. Quando vero bonorum patris ſui hæres Maria velut unica cenſeretur, nullum tamen a familia ſua virum ſibi quærere cogebatur; integrum ipſi erat, quemcumque maluiſſet, virum contribulem ſuum ducere. Non ſatis eſt autem Jeſum Chriſtum ad Tribum Juda ſpectantem demonſtraſſe; debuit pariter e radice Davidis & familia Salomonis deduci, quo ſua fides Prophetarum oraculis conſtaret.

Ambiguum eſt etiam & incertum, num Legis illa ſanctio ipſa Jeſu Chriſti ætate maneret (12). Bona Tribuum & Familiarum in unum confuſa, abolendæ Legi cauſam & argumentum præbuerant. 3. S. Lucas non obſcure prodit, Virginem Mariam conſobrinam fuiſſe Eliſabeth, fœminæ ex Aarone genus referentis (13). Non abs re igitur ad eamdem ſtirpem pertinens Maria cenſeretur. Nec ſatis eſſet, ut ſua fides divinis promiſſionibus conſtaret, ſi demonſtraretur Jeſus adoptione in familiam Joſeph adſcitus fuiſſe: vel ſi e Maria conjuge Joſephi ſatus, jure proprietatis ad ipſum pertinere diceretur. Deus enim Meſſiam non adoptione neque participatione in juribus familiæ, ſed ex Davide prognatum ſecundum carnem promiſit (14).

Fatemur nos quidem, in Scripturis venturum Meſſiam e Tribu Juda & familia David per Salomonem deſignari; ſed nobis æque perſuaſiſſimum eſt, certiſque probatum argumentis, Jeſum Chriſtum originem inde ſuam repetiiſſe, non per Joſephum tantum, cujus legitimus hæres habebatur, ſed potiſſimum per Mariam, qua parente genitus eſt. Permiſſum quidem erat fœminis Iſraeliticis, ad quas paternæ hæreditatis jura non pertinerent, quaſcumque mallent, nuptias extra Tribum etiam ſuam quærere; ſi vero bona ad ipſas paterna devolverentur, non ſolum illis vetitum erat virum extra contribules ſuos, ſed vel extra familiam procurare, quemadmodum apertiſſimis verbis in Lege Moſaica Numer. 35. 5. ſancitum eſt, & a doctiſſimis Interpretibus demonſtratur (15).

Quod autem ad Mariam avitæ hæreditatis jura pertinerent, quamquam nulla ſuppetant Sacrorum Librorum documenta, vetuſtiſſima tamen traditione, cui ne Judæis quidem refragari unquam ſuccurrit, receptum eſt. Erat quidem bonorum per ſingulas familias, ſicut & Tribuum, diſtributionis ordo ætate Jeſu Chriſti non nihil turbatus; vix tamen propterea neglectam illam legis ſanctionem credimus, qua de puellis hæredibus conjugem extra familiam quærentibus ſanciebatur. Familiæ etenim cenſus non latifundiis tantum conſtabant, nec minus ad patriam hæreditatem pertinebant bona, ſive quæ in territorio Tri-

(1) *Iren. lib.3. cap.18. Tertull. contra Judæos, Athan. Epiſt. ad Epictet. Ambroſ. lib.3. in Luc. Auguſt. plurib. in locis, Hieron. hic. Alii paſſim etiam ex Recentioribus.* (2) *Vide Mald. Brug. Grot. alios. Aug. l.2. de conſenſ. c.3.* (3) *Geneſ.16. 2.* (4) *Geneſ.48. 5.* (5) *Exod.2. 10.* (6) *Eſther 2. 7. 15.* (7) *Deut.25. 5.* (8) *Iren. l.3. cap.18. Tertull. cont. Judæos, Aug. qq. in Judic. q.47 & Quæſt. in N T. q.86. & l.23. cont. Fauſt. Hieron. hic. Ambr. l. 3 in Luc. Nyſſen. de S. Chriſt. Nativ. Damaſc. alii.* (9) *Num.36.6.7.* (10) *Deut.25. 5.* (11) *Hilar. in Matth.1. Euſeb. hiſt. Eccl. lib.1. cap.7. ad fin. Cyrill. cont. Julian. lib.7. & 8. Eucher. q.2. in Matt. Euthym. Theophylact. ad Matth.1. Vide Maldonat. ad Matth.1. 16. Brug. Grot. ibid.* (12) *Nazianz. car.39.* (13) *Luc.1. 5. 36.* (14) *Gen.49. 10. Iſai. 11. 1. Pſalm.131. 11. Rom.1. 3. Hebr.7. 14.* (15) *Vide Grot. ad Matth.1. Chryſoſt. Epiphan.*

Tribus ſuæ, ſive quæ alibi ſita eſſent; idemque manebat Legis ſpiritus, ut ſcilicet hæreditates in ſuis ſingulæ familiis aſſervarentur. Profecto Tobias & Raguel (*) in alienigenarum ditione versantes, ab ea Legis obligatione exemptos ſe minime arbitrabantur, quamvis alioqui cenſus ſuos omnes in pecunia, mancipiis, & gregibus conſtituros haberent.

Quæ intercedebat inter Beatam Virginem & S. Eliſabeth natam e ſtirpe Aaron neceſſitudo, plus aliquid meretur indaginis; non quod majus faceſſat negotium, ſed ideo tantum, quod Patribus quibuſdam (1) perſuaſum eſt, a Sancto Matthæo genealogiam Chriſti veluti Regis, a Sancto Luca velut Sacerdotis tradi. Quæ ſi veritati cohæreant, profecto neceſſitudo Mariæ cum Eliſabetha, & junctum Regalis cum Sacerdotali familia fœdus non ſolum ſententiæ noſtræ non officeret, ſed plurimum prodeſſet; quippe qui perſuaſum habeamus, Ieſum Chriſtum non tantum filium David & Regem Judæorum ſtatuendum eſſe, ſed etiam Sacerdotem æternum. Poterat itaque Maria conſobrinam ſuam Eliſabetham habere, quod ſcilicet aliquis e familia ejus fœminæ neceſſariam Beatæ Virginis aliquam in conjugem habuerit; ſive viciſſim aliquis ad familiam Mariæ pertinens filiam aliquam Sacerdotis & e familia Eliſabeth duxerit. Nihil in ea re arduum, quemadmodum enim ſupra innuimus, conjugia puellis non hæredibus libera permittebantur. Quæ omnibus data facultas, amplior pariter puellis Sacerdotalibus patebat, quippe quæ ex ea familia prodiiſſent, cui nulla erat in regione hæreditas aſſignata; ut proinde numquam contingere potuiſſet, eorum connubia ad viros contribules & ejuſdem familiæ, metu ne turbarentur hæreditates, reſtringi.

Quando tamen nos utramque Chriſto dignitatem, Sacerdotalem ſcilicet & Regiam, aſſerimus, non ita tamen reputandum eſt, quaſi a S. Luca Sacerdotalem, a S. Matthæo Regiam genealogiam retexi fateamur. Non enim receptam ex Aarone (2) Sacerdotalem dignitatem Jeſus Chriſtus gerebat; quippe qui Sacerdos eſſet ſecundum ordinem Melchiſedech (3). In ſerie avorum Jeſu apud S. Lucam nihil unquam ſive de Aarone, ſive de ejus filiis, ſive de alio quocumque Sacerdote in hiſtoriis notu legitur. Porro Meſſias Sacerdotium Aaronitum abrogaturus venerat, ut novum conderet, neque de ejus Sacerdotio Aaronico quidquam apud Evangeliſtas legitur, cum viciſſim de ſtirpe ejus Davidica numquam ſileant. S. Lucas genealogiam David uſque ad Zorobabelem & Reſam apertiſſime proſequitur; quis credat deinde, ea relicta, ad ſeriem Sacerdotalem ſe contuliſſe, ne Lectore quidem admonito, neque ratione ulla indicata? Sit itaque conſtitutum, Jeſum Chriſtum e Davide genus ſecundum carnem retuliſſe, quod vel unico hoc argumento convincitur. S. Lucas, & S. Matthæus diſerte teſtantur, Ieſum e Ioſepho prognatum non fuiſſe: ſed ipſis pariter Evangeliſtis perſuaſum eſt, Ieſum parentem habuiſſe Davidem; quare? ut ambo ſimul conſtent, reputandum eſt, genus e Davide non niſi per Mariam parentem ſuam retuliſſe. Maria igitur, & Ieſus ad genus Davidicum pertinent. Demonſtrant pariter iidem Evangeliſtæ, Ioſephum e Tribu Iuda, & radice David ſatum fuiſſe; ejuſdem ergo familiæ, & Tribus gemini reputandi ſunt Ioſephus & Maria.

Gemini patres, qui uni eidemque filio Ioſepho aſſeri in Evangelio videntur, nempe Iacob juxta S. Matthæum, & Heli juxta Sanctum Lucam, unicum in hac re negotium faceſſunt, totamque ſibi Diſſertationem hanc noſtram vindicant. Rei arduitatem jam inde ab initio PP. & Interpretes ſenſerunt, nec Chriſtiani nominis oſores ab hoc ſibi contra nos argumento urgendo temperarunt. Quibus tria reponenda ſunt. 1. Iacob filium Ioſephum reipſa ex ſe genitum habuit, eumdemque vero legalem ſibi filium adſcivit Heli. 2. ſeu viciſſim Heli juxta naturam, Iacob ſecundum legem pater reputandus eſt (4). 3. Potuit Ioſephus adoptione filius alterutrius, alterius vero natura reputari (5).

Priori ſententiæ favet apertus S. Matthæi Textus: *Jacob genuit Joſeph*, cum Sanctus Lucas tantum legat: *Joſeph qui fuit Heli*; quod reddi poteſt: *Qui ad Heli pertinebat*; ſicut eodem ſenſu legitur in capite ejus genealogiæ: *Adam, qui fuit Dei*; nempe e manibus Dei opificis prodiit. Conceſſerunt in eam ſententiam Veterum ferme omnes (6), quam Iulius Africanus Author tertii ſæculi memoria in Palæſtina degens excepiſſe ſe ab ipſis Servatoris noſtri cognatis ſecundum carnem, e Nazareth, & Cocaba, vicis Iudææ, per omnes terras illas diffuſis. Ita vero ille hanc Genealogiam explicat. *Mathan* e Davide per Salomonem deductus, & *Melchi* e Davide per Nathan ſatus, alter poſt alterum eamdem uxorem *Eſthan* duxerunt. Ex eo conjugio nati ſunt quidem e Mathan *Jacob*, & e Melchi *Heli*. Poſterior ille ducta conjuge ſine liberis deceſſit; cujus proinde viduam uxorem ex Legis præcepto (7) ſibi vindicante Iacob, natus eſt ex eo conjugio *Joſeph* filius Iacob ſecundum naturam, & Heli ſecundum legem.

Hoc Africani teſtimonium, cui ex Patribus fere omnibus authoritas accedit, tanto potius reputandum eſt, quanto aſſertores habet ex ipſa Ieſu Chriſti familia ſecundum carnem viros digniſſimos. Superſunt tamen aliqua, quæ negotium faciant: quamquam enim de geminis parentibus S. Ioſephi inſtruamur; nihil tamen ex ea deducitur, quomodo juxta hanc hypotheſim Ieſus filius Davidis ex Salomone ſtatuatur; ſilet etiam Ioſephi cum Maria neceſſitudinem. Repugnat tandem textus S. Lucæ, qui *Mathat*, & *Levi* conſtituit medios inter *Melchi*, & *Heli*; cum Africanus ceterique ejus ſententiam tuentes (8) parentem ipſi Heli proximum habeant *Melchi*, illum ſcilicet quem noſtra Exemplaria S. Lucæ avum ejuſdem viri ferunt. Nihil moror errata, quæ Africano ea in re vitio vertantur; credulitatem, & incuriam viri: relatam ab ipſo traditionem, & temporum diſcrepantiam, quæ inter cognatos Ieſu Chriſti teſtimonium illi ferentes, & S. Ioſephi incunabula, trecentorum circiter annorum intercidit, nihil extenuo. Contrariam forte alteram non inæqualis vetuſtatis traditionem, quæ Heli parentem B. Virginis conſtituit, in ſubſequentibus opponemus.

Primum illud, quod objiciunt, ſatis per anticipationem ſupra dilutum eſt; cum ſcilicet ex ipſo pariter Evangelio monſtravimus, Ioſephum, & Mariam ad unam eamdemque Tribum pertinuiſſe; & Ieſum Chriſtum, tamquam filium Mariæ & hæredem Ioſephi, omnia ſibi vindicaſſe privilegia ac promiſſiones Abrahamo, Davidi, & Salomoni factas. Ad illud autem, quod ſecundo oppoſitum eſt, promior patet reſponſio, ſi dixerimus, Julium Africanum ceteroſque, quibus ejus ſententia placuit, in Exemplaribus S. Lucæ nomina *Mathat*, & *Levi* inter Melchi & Heli non legiſſe. Ambo quidem hæc nomina irrepſiſſe in textum ex verſu 29 videntur (9). S. Irenæus lib. 3. cap. 33. nonniſi 72. generationes ſupputat a Jeſu Chriſto uſque ad Adamum; quod ſatis demonſtrat, gemina hæc nomina in ejus Codice expuncta eſſe; alioqui enim non 72. ſed 74. generationes ſupputaſſet. A quarto ſæculo duo hæc nomina *Mathat* & *Levi* in Codice S. Lucæ paruiſſe defendit Grotius. Utra tamen lectio præferenda ſit, judicium aliis relinqui-

(*) *Tob. 3. 8.* (1) *Auguſt. l. 23. contra Fauſt. c. 9. lib. 2. de conſenſu cap. 2. l. 83. Quæſt. q. 61. Epiph. hæreſ. 78. Julian Tolet. contra Judæos l. 3. Hilar. in Matth. cap. 1. V. de Baron. ad Annal. apparat. num. 30. 31. 32. Mald. ad Matt. 1. 16.* (2) *Hebr. 7. 13. 14.* (3) *Pſalm. 109* (4) *Ambr. in Luc. alii apud Auguſt. qq. N. T. q. 56. Vide Grot. in Matt. verſ. de genere Chriſti.* (5) *Auguſt. l. 2. de conſenſu cap. 2. 3. & lib. 2. Quæſt. Evangel. q. 2.*

(6) *African. ad Ariſtid. apud Euſeb. l. 1. hiſt. Eccl. cap. 7. Auguſt. Retract. l. 2. c. 12. Juſtin. q. 66. Hieron. in Matth. 1. Eucher. q. 3. in Matth. Beda in Luc. Damaſcen. l. 4. cap. 15. de Fide Theophyl. &c.* (7) *Deut. 25. 5.* (8) *Euſeb. hiſt. Eccl. loc. cit. Ambroſ. lib. 3. in Luc. Nazianz. Carm. de Chriſt. generat. S. Aug. 77. generationes notat in Sancto Luca Serm. 51. nov. Edit. cap. 23.* (9) *Mill. Prolegom. in Nov. Teſt. Grat. Prolegom. 817.*

Digitized by Google

quimus, ſatis habentes utramque ſua authoritate fulciri; primam veterum Patrum, ſecundam omnium Exemplarium tam Manuſcriptorum quam impreſſorum fide; nullum enim abſque illis nominibus D. Millius offendit.

Diſſentienda eſt modo hypotheſis, quæ S. Joſephi genealogiam in S. Matthæo, & Beatæ Virginis in S. Luca conſtituit. In hanc ſententiam modo conceſſum eſt; tantoque ardore a pleriſque Recentiorum defenditur (1), ut ea tantum ratione, quæcumque adverſus Evangeliſtas objiciuntur, dilui poſſe contendant. Hac ſemel conſtituta, demonſtratur e Davide genus ſuum ſecundum carnem Jeſus retuliſſe, juxta Scripturarum oracula; demonſtratur pariter Joſephus ad geminos parentes, Jacobum & Heli, filium pertinere, ad Jacob ſecundum carnem, ad Heli vero tamquam filiæ ejus Mariæ virum. Qua in re ſpectare licet utriuſque Evangeliſtæ ſeu potius S. Spiritus utrumque animantis ſapientiam, cujus inſtinctu S. Matthæus genealogiam Joſephi, S. Lucas B. Virginis recenſuit; quo ſatis aperto documento intelligeremus, Joſepho adhuc excluſo Jeſum ſemper e Davidis ſtirpe ſatum fuiſſe; itemque, veluti Joſephi Mariæ ſponſi filium, promiſſionum divinitus Salomonis factarum hæredem reputandum.

Tria ſunt in hac ſententia oppoſita incommoda, quæ nullo negotio tollerentur. 1. Textum S. Lucæ (2) inſinuare, Joſephum ex Heli parente natum fuiſſe, quemadmodum Heli filius Levi, & Levi filius Mathat, & ſic de ſingulis ſtatuitur. 2. Deeſſe huic opinioni Veterum ſuffragium; numquam enim una legimus veteres Patres calumniis Paganorum & Hæreticorum refutandis. Porro ſi genuina ea ſuppeteret ratio, intricatum hunc nodum explicandi, adeo pronam ſimplicem & naturalem tota ſimul ignoraſſet antiquitas? 3. Promiſſiones venturi Meſſiæ Abrahamo primum factæ, deinde Tribui Juda oraculo Jacob aſſertæ (3), ac tandem David confirmatæ in poſteritate Salomonis viri Deo dilecti (4) implendæ expectabantur. Maria vero genus ſuum non ex Salomone, ſed ex Nathano retuliſſet; adeoque & Jeſu juxta eam hypotheſim nullum fuiſſet hæreditarium jus in eas promiſſiones poſteritatis Salomonis factas.

Reponimus igitur ad hæc, Textui (5) S. Lucæ plures interpretationes aptari potuiſſe; e. g. *Ipſe Jeſus erat incipiens quaſi annorum triginta, Filius Heli*, [ex Maria nempe parente] *quamvis filius Joſephi putaretur* (6). Poteſt etiam ita reddi, ut Joſeph filius Heli appelletur, nempe filiæ illius vir (7), juxta familiarem S. Scripturæ (8), nec ignotam exteris phraſim. Neque enim verba quibus S. Lucas uſus eſt, naturalem ſemper filium parentemque deſignant; quemadmodum nec Adam ad Deum tamquam filium, nec Deus ad Adam tamquam Pater in eodem capite ver. 38. pertinere deſignatur. Sive Joſeph ad Heli adoptione, ſive conjugali affinitate, vel ſaltem legis ſanctione pertineat, ſalva ſunt omnia. Angeli Dei filii appellantur. Major natu inter filios, qui relictam ex fratre ſine liberis defuncto uxorem duxit, defuncti filius cenſendus eſt (9). Filii adoptivi & hæredes quicumque, eodem filii nomine donantur (10). Patris ergo nomen non ſemper genitorem deſignat. Si autem S. Lucas Mariæ proxime ex Heli genitæ nomine ſuppreſſo, nepotem Jeſum, & generum ipſius Joſephum adduxit; ejus ſilentii in cauſa fuit, quod ſcilicet de Maria ſatis ſuperque in ſuperioribus actum eſſet, & jam præmonitos habuiſſet Evangeliſta Lectores, conceptum ab illa ſine maritali commercio, editumque Jeſum filium Dei.

Quod autem in Paganorum potiſſimum gratiam Opus ſuum ſcriberet idem Evangeliſta, natumque Jeſum ſine Patris opera in Mundum annunciaſſet, ſectus ſyſtematis ordo poſtulabat, ut Matris genealogiam ſubtexeret. Aliud ſcribenti S. Matthæo ſediſſe conſilium par erat; quippe qui Judæorum gratia hiſtoriam ſuam litteris mandaret, apud quos moribus receptum non erat ut mulierum genealogiæ traderentur. Accedebat ad hæc, virum illum in genealogiis gentis ſuæ, ac potiſſimum univerſæ familiæ David inſtructiſſimum, ſatis habuiſſe, ſi ſeriem Jeſu Chriſti in Regiam dignitatem jure, deducta Avorum non ſemper ſibi proxime ſuccedentium ſerie, demonſtraret. Quædam enim ſupplenda Lectoribus relinquit, ut cum tres Reges a Davide uſque ad captivitatem omittit, eodemque conſilio a captivitate uſque ad S. Joſephum quindecim ipſe generationes, cum S. Lucas enumeret viginti, recenſet. Hæc porro abſque dolo malo facta a ſanctiſſimo viro aperte ſatis apparent; referunt enim Scriptorem potiſſima tantum & majoris momenti innuentem, reliqua ſupplenda Lectoribus relinquentem. Nihil tale apud Sanctum Lucam, cui nihil omittitur illaudatum, quo ſucceſſionem Davidici generis per generationes ad ſenſum uſque demonſtret.

At enim juxta S. Lucam nullo argumento demonſtratur, Jeſum naturali generationis ſerie e Salomone deſcendiſſe, quippe qui a Nathano Davidis filio deducatur. Reponimus, nuſpiam ſatis apertis Scripturæ verbis probari, Deum e genere Salomonis oriturum Meſſiam, prænunciaſſe: id tantum Davidis poſteritati bonum promiſſum eſt. Deus quidem Regnum Salomoni ejuſque poſteris, ceteris fratribus Davidis filiis excluſis, deſtinat; ſed factæ de Meſſia promiſſiones ad univerſam Davidis familiam pertinet. Eſt itaque Jeſus, juxta S. Matthæum, certus aſſertuſque Joſephi hæres, Joſephi, inquam, genus ſuum e Salomone referentis, cujus proinde regiæ dignitatis hæreditatem univerſam ipſe Jeſus in ſe transfundebat. Ipſe pariter Jeſus apud S. Lucam e Nathan & Davide per Mariam, & Heli deducitur, unde illi Davidicum genus aſſeritur. Salomon in univerſa Scriptura ceu typus & imago Meſſiæ pingitur, quo Principe illuſtrior nemo, nemo in tota veteri Lege auguſtior: plura ſunt, quæ inter rerum geſtarum Salomonis, & Jeſu Chriſti hiſtorias conſonant; neque inde tamen deducitur Salomonem tamquam Meſſiæ parentem habendum fuiſſe.

Duæ tandem familiæ, Nathani, & Salomonis, inter ſe coeuntes in Salathiele, & Zorobabele, qui ambo in utraque in Genealogia Evangeliſtarum reſpondent, id præſtiterunt, ut regius Davidis ſanguis in duos veluti ramos diviſus, in unum tandem amnem coaleſceret: ſed iterum in ramos diviſus, hinc in *Heli* apud S. Lucam, illinc in *Jacob* apud S. Matthæum defluxit; ut proinde uterque genus ſuum a Davide, Salomone, & Nathano referret. Sunt enim unius ejuſdemque trunci duo veluti rami, idemque in venas utriuſque familiæ ſanguis transfunditur. Quacumque itaque ex parte reſpiciatur Jeſus, ſemper Davidis eſt genus, ſibique uni decora omnia ejuſdem familiæ tam ex Joſephi quam ex Mariæ parentis jure depoſcit.

Quamquam autem raro ſyſtema hoc poſtremum a Patribus proponitur, quibus ſcilicet lucum fecit authoritas Julii Africani, teſtimonio neceſſariorum Jeſu Chriſti ſecundum carnem ſuffulta; inſinuari tamen a S. Auguſtino (11), aliiſque nonnullis (12) intelligimus, quibus relatam a S. Luca genealogiam J. C. veluti Sacerdotis probatum eſt; non enim ad ſacerdotalem lineam, niſi Maria tantum, ſpectabat. Huic plane ſententiæ privilegium ante omnes alias vetuſtatis aſſerendum eſt; cui ſi tractu ſæculorum aliquid derogatum fuit, id unice tribuendum, quod in Libris vetuſtiſſimis, Apocryphorum, nota ex inter-

(1) *Galatin. Janſ. Genebr. Grot. Spanhem. Dubia Evangel. Gomar. Ligfoot. Hor. Hebr. Brag. in Matt. Voſſ. de genere Chriſti, Toynard. Harm. p. 3. & 13.* (2) *Luc. 3.* (3) *Geneſ. 19. 10.* (4) *2. Reg 12. 25. & 7. 12.* (5) *Luc. 23. 23.* (6) *Ita explicant Gomar. Voſſ. Spanhem. Iren. Diadat. Ligfoot. Hor. Hebr.*

(7) *Ita Bragenſ. Ligfoot. Harm. Piſc.* (8) *Vide Grot. ad Matth. 1 & ad Luc. 3.* (9) *Deut. 25. 6. Suſcitabit ſemen fratris ſui & primogenitum ex ea filium nomine illius appellabit.* (10) *Vide Aug. l. 2. de conſenſu c. 3. & ſer. 53. nov. edit. c. 28. & ſequen.* (11) *Aug. l. 3. de conſenſ. c. 2. a. 3.* (12) *Hilar. in Matt. c. initio, Epiphan. hæreſ. 78.*

interpolationes Hæreticorum ab Eccleſia inuſtis, traderetur. Verum demonſtrandum eſt nobis eam hypotheſin ſemper apud Græcos manſiſſe; neque Veterum authoritate adeo deſtitutum eſſe, quantum aliorum opinione creditum eſt. Legitur in vetuſtiſſimo quodam libro Ebionitarum, ipſa Apoſtolorum ætate, vel paulo poſt ipſos digeſto (1), Mariam ex parentibus Joachim & Anna prodiiſſe. Liber ille inſcriptus eſt nomine S. Jacobi Jeroſolymitani, fratris Domini, nempe conſobrini germani ex ſorore B. V. Hæc autem hujus Operis apud Veteres frequentiſſime laudati ſumma. Joachim vir erat, ſi quis alius, ditiſſimus in Iſraele, qui ſingulas ſolemnes feſtivitates magnificis in Templo ſacrificiis oblatis proſequebatur. Accidit ut paratum ſemel ſacrificium ſuum offerre Ruben prohiberet, cauſatus viro poſteritate in Iſraele orbato nullum eſſe in Sacrificiis offerendis jus & poteſtatem. Joachim rubore ſuffuſus in deſerta ſeſe recepit, ubi omnium alebat gregem, ibique ſolidis 40. diebus ſubſiſtens, jejuniis, precibuſque vacavit. Anna pariter ejus uxor inſigni affecta injuria a procaci quadam famula, in hortum ſecedens, amaris lacrymis ſterilitatem ſuam deflevit. Lugenti adfuit continuo Angelus Dei, nuncians exauditas a Deo ejus preces, ſecretque futurum, ut mater tandem efficeretur. Eadem & Joachimo per alium Angelum nunciata ſunt.

Joachim domum ſuam repetens, poſt evolutam novem menſium periodum Mariæ pater effectus eſt. Poſt triennium puella in Templo præſentatur, ibique ad duodecimum uſque ætatis annum ſubſiſtens, parato ſemper ab Angelis cibo alebatur. Duodennis igitur puellæ nuptias deliberaturi Sacerdotes convenerunt, viſumque ut ex omnibus per univerſum Iſraelem uxore orbatis viris in unum coactis, ille ſibi puellæ cuſtodiam haberet, qui divino prodigio ſeligeretur. Convenerunt igitur omnes in Templum, offerentes ſinguli virgam, quam manibus præferebant, ſummo Sacerdoti: ipſe vero omnes ſimul tenens, in Sanctum ad orationem ſe contulit. Dein e loco Sancto egreſſus ſingulis virgam ſuam eamdem ipſam, quam acceperat reſtituit. Sed Joſephi virga inſueto prodigio coruſcare viſa eſt; namque ex ejus ſummitate columba evolitans, capiti viri ſenioris inſedit, ſenuerat enim Joſephus, & liberos habebat. Quare ne Mariam in ſui cuſtodiam reciperet, pluribus rogabat.

Perſuaſus tandem puellam in domum deduxit, ipſe vero ad priſtina fabrilia exercitia in agrum ſe contulit. Eo abſente accidit, ut Maria e domo ſua egreſſa, hauriendas aquas veniret, cum ſubito vox eunti facta eſt: *Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres*. Ad inopinam vocem attonita domum prompte repetens, conſuetis exercitiis ſe dedit. Tum Angelus Domini ſpectandum ſe præbens, ita ſtupentum affatus eſt: *Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum omnium: ecce concipies Sancto ejus verbo*. Secundum hæc contulit ſe Maria ad ſalutandam Eliſabeth; & cum ventris tumorem augeri intelligeret, ad propria remeavit.

Poſt ſex menſium abſentiam Joſephus domum repetens, prægnantem uxorem, hærens ad rem inopinam, ſuſpexit. Tum reprehendere ſe, quod minus caute uxorem ſuam cuſtodiſſet; reprehendere pariter & uxorem, quod maritalem fidem læſiſſet. Maria, Virginem eſſe ſe ſancte jurabat; quid autem ventris tumor indicaret, ignorare ſe profitebatur.

Narrat deinde Author, quomodo Joſeph & Maria potare aquas amaras, præſcriptam in Lege cautionem ad maritalem pudicitiam explorandam (2), a Summo Sacerdote juſſi ſunt; narrat pariter iter Joſephi & filiorum ipſius una cum Maria Bethleem verſus; prodigia quæ in natalitiis Chriſti acciderunt; tum & aliud prodigium Salome fœminæ cujuſdam incredulæ, quæ Virginitatem Mariæ poſt ejus puerperium tentatura, continuo uri manum ſuam & e reliquo corpore mox deciſuram ſenſit, ſed ſolo tactu pueri Jeſu in ulnas levati, ſanitati reſtituta fuit. Audit hiſtoriam Magorum, cædem Innocentium, fugam Eliſabeth cum puero Joanne Baptiſta, quos ambos hiſcens ſubito mons in ſinu ſuo exceptos celavit; tandem necati juſſu Herodis Zachariæ patris S. Joannis Baptiſtæ, necati, inquam, inter Templum & Altare, quod filii ſui Joannis Baptiſtæ latebras quærenti Regi prodere recuſaſſet. Zachariæ Summo Sacerdoti Simeon vir grandævus, commiſſa ſortibus electione, ſubſtitutus eſt, qui deinde Jeſum in Templo oblatum in ulnas excepit.

Lucubrationem hanc in omnibus defendendam minime ſuſcipimus. Numquam in Eccleſia inter Canonica Opera receptam ſatis conſtat; quin & amandatam inter apocrypha a Gelaſio (3) fatemur. Neque Patres illam laudantes fidem illi in omnibus conciliare voluerunt. Verum quæ tamquam certa & explorata ex illa Patres derivanda autumarunt, hæc etiam nobis tamquam Apoſtolica traditione certa retinenda eſſe videntur. Profecto apocryphorum Operum fabricatores aliquid tamquam certum & omnibus exploratum retinent; ecquis enim aliquas Lucubrationes illas recepiſſet? In eo pariter, de quo modo agimus, Opere certa quædam identidem ſpectantur, uti annunciatio B. Mariæ, Magorum adoratio, & Innocentium in Bethleem cædes. Quicumque Romaneſes fabulas procudunt, aliquid pariter ex genuinis hiſtoriis retinent; nomina & præcipuæ quædam rerum ab Heroibus ſuis geſtarum hiſtoriæ, veræ ſunt & aſſertæ; quin & recedere a genuino ſingulorum charactere ne latum quidem ungue ſuſtinent. Profecto nihil cogebat, viros illos, qui Libellum hunc ſub ipſam Apoſtolorum ætatem procudebant, ut nomine parentum Mariæ, Joachim nempe & Annæ, fingerent, quo maxime tempore genuina ipſorum nomina in hominum memoria ſervari adhuc potuiſſent. Conſilium ipſi ſuum prodidiſſent, luculentum ſimulationis ſuæ argumentum illud exhibentes. Vix igitur perſuaderemur, ſive illos voluiſſe ea in re ſocautos decipere, ſive dolo malo genuino parentum Mariæ nomina ſuppreſſiſſe. Porro ex univerſa hac hiſtoria utriuſque tantum ejus nominis veritatem defendendam ſuſcipimus.

Guillelmus Poſtellus (4), qui Protevangelium ex Græco in Latinum omnium primus tranſtulit, teſtatur Opus illud tamquam Canonicum in Eccleſiis Orientis in ipſis Fidelium cœtibus legi. Habendum autem etedit tamquam caput & exordium Evangelii S. Matei. In ſubſcriptione ad calcem Operis ſcriptus a S. Jacobo Liber aſſeritur illis verbis: *Ego Jacobus ſcripſi hanc Hiſtoriam Jeroſolymis: factoque tumultu ſubduxi me in locum deſertum, donec obiit Herodes, & tumultus Jeroſolymis ſedatus eſt. Inde celebro Deum, qui tantum mihi ſapientia dedit, quo ſcriberem hæc ad vos ſpiritales ac timentes Deum.*

Quæ a Poſtello de authoritate hujus Operis aſſeruntur, fidei eſſe ſubleſtæ nonnullis Eruditorum viſa ſunt. Verum legi apud Græcos Opus, & plurima illius apud Orientales probari, negaverit nemo. Quædam etiam ex illo retulerunt vetuſtiſſimi Eccleſiæ Patres; quædam pariter in ſuis operibus inſinuarunt. Meminit e. g. Tertullianus (5) ſanguinis Zachariæ, cujus in Templi pavimento maculæ diutius perſeverarunt; ex eodem Evangelio Origenes in Matth. perhibet (6), natos ex priori Joſephi conjugio filios, fratres deinde Domini appellatos. S. Epiphanius hæreſ. 30. & Gregorius Nyſſenus Hom. de Nativit. Mariæ, tum & Author Operis imperfecti, in Matth. Euſtathius Antiochenus in Hexaemeron. Epiphanius Monachus

(1) *Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 20. S. Epiphan. hæreſ. 51. c. 2. S. Hieron. de viris illuſtr. cap. 9.* Ebionitas cum exitu prioris ſæculi componunt. (2) *Num. 5. 17. 18. &c.* (3) *Gelaſ. in Concil. Roman. Evangelium nomine Jacobi, apocryphum. Liber de nativitate Salvatoris & obſtetricis, apocryphus. Innocent. I. ep. 3. ad Exuperium c. 7.* (4) *Guillel. Poſtell. Epiſt. Dedicat. ad Rempub. Venet. ante editionem Protevangelii Baſileæ 1552. per Operin.* (5) *Tertull. Scorpiac. c. 8. Vide & Hieron. ad Matt. 23. 35.* (6) *Origen. in Matth. p. 223.*

nachus Serm. de Virgine Deipara, Opus illud legeſunt. Nicephorus lib. 1. cap. 7. lib. 2. cap. 3. epiſtolam quamdam Evodii, qui in cathedra Antiochena Apoſtolo Petro ſuceſſor datus eſt, laudat, in qua nonnulla leguntur ex Protevangelio deſumpta. Idem Author affert teſtimonium S. Hippolyti, quo ad hiſtoriam Salomes obſtetricis ſpectatum eſt. Verum antiquitatis prærogativam huic hiſtoriæ invidcrit nemo; quemadmodum & a Patribus frequentiſſime laudatam ſatis convenit. Videſis Voſſium in Tract de Genealog. S. Virginis.

Extat etiam alter apocryphus Liber, inſcriptus *Evangelium Nativitatis Mariæ*, in quo ambo hæc nomina Joachim & Annæ leguntur. Operis illius meminit S. Epiphanius hæreſ. 26. num. 12. & 79. num. 5. S. Auguſtinus lib. 23. contra Fauſt. cap. 9. aliique nonnulli. Utebantur illo Manichæi, quibus tamquam authenticus probabatur. Inde vero S. Joannes Damaſcenus genealogiam ſuam B. Virginis & cetera de Joſepho, Joachim, & Anna derivavit. Ea tandem erat Orientalium hac de re perſuaſio, ut Mahometes ipſe in Alcorano Surat. 3. de Joachim patre Mariæ ſermonem habeat. Facile credimus, vetus hoc Evangelium Græce amplius non extare; quod vero Latinum ſupereſt, inter opera S. Hieronymi vulgatum eſt, adjectis geminis ſuppoſititiis literis Heliodori & Chromatii ad eumdem S. Doctorem, quibus verti ſibi in Latinum Opus illud poſtulant; & ſuppoſititia S. Hieronymi, ad illos reſponſione qua profitetur, verſionem illam ſuſcepiſſe, & Seleucum [Hæreticum ſecundi ſæculi non obſcurum] Authorem eſſe Operis Græci de Nativitate Mariæ, quod fabellis plurimis anilibuſque commentis ſcateret; ſe vero alterum ejuſdem tituli Evangelium Hebraicum Latinis literis tradere inſtituiſſe. Tribuit autem idem Opus Sancto Matthæo, & quamvis in canone non recenſeatur, nihil tamen ex illo detrimenti reſultare potuiſſe legentibus ſentit.

Poſtremum hoc Evangelium, quod a S. Hieronymo verſum credebatur, facile præ oculis habuerunt Vincentius Bellovacenſis (1), & Fulbertus Carnotenſis ſermon. in Nativit. B. Mariæ, cum de nativitate B. Virginis hiſtoriolas narrarent. Tandem ex vetuſtiſſima recepta traditione, quam Scripta Patrum tum etiam vetuſtiſſimi quidam Libri, ſed fraude Hæreticorum corrupti ſervarunt, tenet Eccleſia Latina & Græca nomina Joachim & Annæ, eademque in Officiis ſuis Eccleſiaſticis veluti conſervavit. Ex ea traditione ad nos uſque pervenit de prodigioſa Nativitate B. V. hiſtoria. Ex ea pariter hiſtoria conciliandas modo ſuſcipimus inter ſe genealogias Jeſu Chriſti, apud S. Lucam & S. Matthæum deductas; demonſtrantes, S. Matthæum genus illius per Joſephum proſequentem e Davidia familia ſatum prodidiſſe; ſicut & S. Lucam idem pariter probaſſe, digeſta Mariæ genealogia, quæ ex eodem fonte, per diverſos tamen canales, profluxit.

Fatemur quidem, S. Lucam Joachimi nomen non expreſſiſſe, ſed tantum *Heli*. Verum ambo hæc nomina idem valent; ſunt enim apud Hebræos ſynonima *Heli*, *Helcias*, *Eliakim*, & *Joakim*. Filius Joſiæ Regis Juda *Joakim* pariter, & *Eliakim* (2) appellatur; & Summus Sacerdos ſub Manaſſe nuncupatus eſt *Hil*, *Helcias*, & *Eliakim*, & *Joakim* (3). Judæi quoque (4) Beatam Virginem filiam *Heli* appellant, ſicut & Jeſum filium Pantheris. Teſtimonium quoddam Haccados Doctoris Judæi laudat Galatinus, qui de Meſſia ab Antonino Conſule quodam Romano interrogatus, reſpondit, patrem matris Meſſiæ binominem futurum; quippe qui appellandus eſſet *Heli*, & *Joakim*. Seimus quidem Judæorum Authores multa blaſphema in Jeſum, & ſanctiſſimam parentem ipſius evomuiſſe; nihil tamen inde extenuatur argumentum pro vetuſtate hujus traditionis, quæ patrem Mariæ Heli ſive Joakim conſtituit.

Nec diſſimulanda cenſeo ea, quæ S. Auguſtinus ad Fauſtum Manichæum ſcribens, repoſuit (5) l. 23. c. 9. tradit enim, nomen Patris Mariæ nonniſi apocryphorum quorumdam Librorum fide conſtare; & S. Joannem Damaſcenum de Fide l. 4. c. 15. qui patrem B Mariæ Joachimum agnoſcit: decedentem tamen ſine liberis Heli conſtituit. Fateor ergo quidem, adductam ab ipſo genealogiam J. C. qua conciliare nititur Evangelium S. Matthæi cum altero S. Lucæ, cum noſtra hypotheſi non penitus convenire. Verum cum ſeries ejus genealogica cum Evangelio ipſo, & S. Epiphanio (6) non ſatis congruat, fidei eſſe ſubleſtę cenſenda eſt. Spectantur tamen in ea ſummę quędam lineę vetuſtiſſimę cujuſdam traditionis ex Judęis ipſis Jeſu Chriſto adverſariis derivatę, traditionis, inquam, quę J. C. patrem tribuit *Pantherem*. Porro nomen illud in ipſo pariter Origene (7) legitur, ſicut & in Talmud Babylonico tract. Sanhedrin, ac tandem in Vita J. C. ſive *Toldos Jeſu*, Opere a Judęis vulgato. Sed hęc vocum, & nominum diſcrepantia in re vetuſtiſſima non eſt, cur Lectorem moretur; neque eo tandem cogimur, ut quidquid in ea certiſſimum apparet, atque conſtantis receptęque traditionis ſuffragio probatur, abjici pariter debeat & reprobari.

Hęc genealogia J. C. a S. Damaſceno deducta (8). *Levi* genus ſuum a Davide per Nathanum referens, filios genuit *Melchi*, & *Pantherem*; poſterior hic edidit *Barpantherem*, unde prodiit *Joachim* pater Mariæ.

Mathan filius David per Salomonem uxorem duxit, e qua genuit *Jacob* patrem Joſephi Marię conjugis. Mathan defuncto, *Melchi* frater Pantheris defuncti Mathani uxorem duxit, unde natus *Heli*; ut proinde Jacob, & Heli unam, eamdemque matrem agnoſcerent; quamquam ex illis alter ad Melchi, alter vero ad Mathan pertineret. Deceſſit ſine liberis Heli, ſed ex Jacob, quemadmodum jam inſinuavimus, Joſephus natus eſt. Sed melius expanſa tabula hęc omnia patebunt.

DAVID

SALOMON	NATHAN
MATHAN	LEVI PANTHER ; & MELCHI
JACOB	BARPANTHER HELI, ſine liberis decedens.
JOSEPH	JOACHIM. MARIA JESUS

Eadem

(1) *Specul. hiſtor. Prolog. c. 9. & l. 7. c. 64.* (2) *4. Reg. 23. 24.* (3) *Vide noſtram Diſſertationem in ſucceſſionem ſummorum Pontificum ad caput Judith.* (4) *Talm. Joroſolym. fol. 77. Babylon. tractat. Sanhedrin. fol. 67.* (5) *Quod de generatione Mariæ Fauſtus poſuit, quod patrem habuerit ex Tribu Levi, Sacerdotem nomine Joachim, quia canonicum non eſt non me conſtringit.* (6) *Epiphan. hæreſ. 78.* (7) *Origen. lib. 1. contra Celſum pag. 25. edit. Cantabr.* (8) *Damaſcen. lib. 4. cap. 15. de fide.*

Eadem genealogia juxta S. Epiphanium (1), Græcis probata.

SALOMON

JACOB, alio nomine PANTHER

JOSEPH; & CLEOPHAS ejus frater (2); pater Mariæ Cleophæ (3);

Ex priori conjuge nati ſunt illi ſex filii, JACOB, JOSE, SIMEON; JUDAS; MARIA; SALOME (4). Duxit deinde idem Joſeph Mariam Virginem matrem Jeſu, filiam Joachim, & Annæ (5).

Hæc duo nomina *Pantheris*, & *Barpantheris* in genealogia J. C. neque laudarunt unquam Julius Africanus, ceterique Veteres, neque ſine prodita Evangelii fide, in quo nihil tale legitur, laudari potuerunt; niſi ſi forte illud reputaverimus, nimirum cognomina fuiſſe duorum virorum, Mathat & Levi; quibus conſtitutis, omnia in priſtinas ſedes reſtituuntur.

DAVID

SALOMON	NATHAN
ELEAZAR	JANNE
MATHAN	LEVI, ſeu PANTHER
JACOB	MELCHI, ſeu BARPANTHER
JOSEPH	HELI, ſeu JOACHIM.
	MARIA JESU Parens.

Joannes Gerſon Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius Tom. 3. Operum, carmina quædam laudat in hanc ſententiam.

Anna tribus nupſit, Joachim, Cleophæ, Salomæque.
Ex quibus ipſa viris peperit tres Anna Marias.
Quas duxere Joſeph, Alphæus, Zebedeuſque.
Prima Joſum, Jacobum, Joſeph, cum Simone Judam
Altera dat. Jacobum dat tertia, datque Joannem.

Verum genealogicum hoc ſyſtema nullo authoritatis teſtimonio fulcitur.

Syſtema D. Toynardi Harmon. pag. 155.

MATHAT

JOACHIM	CLEOPHAS
MARIA	MARIA uxor Alphei.
JESUS	JACOBUS major
	JACOBUS minor, JOSES, JUDAS ſive THADÆUS.

DISSER-

(1) *Epiphan. Hær. 78. Vide & Hippol. apud Niceph. lib. 2. cap. 3.* (2) *Hegeſippus apud Euſeb. lib. 3. cap. 11. Epiphan. hæreſ. 78. Vide Hieronym. adver. Helvid. cap. 7.*

(3) *Joann. 19. 25.* Theophylactus in Matth. 13. 56. tradit, Sanctum Joſephum, & *Cleopham*, ſive Clopam fratres fuiſſe; Cleopham vero ſine liberis deceſſiſſe, cujus uxorem viduam ducens Joſephus, quatuor filios, in Evangelio fratres Domini appellatos, genuiſſe; ſicut & duas filias nempe, Salomem, & Mariam cognomento Cleophæ, quod ſcilicet ad illum juxta Legis ſanctionem pertineret.

(4) *Nicephor. lib. 2. cap. 11. ex Sancto Hippolyto geminas Sancti Joſephi filias appellat Eſther, & Thamar.* (5) *Epiphan. hæreſ. 78. & alii.*

DISSERTATIO

In Bonos maloſque Angelos.

ARTICULUS PRIMUS.

De Bonis Angelis.

PLENUM de Angelis Tractatum dare, noſtri non eſt inſtituti; ſed ea tantum exponenda ſuſcipimus, quæ de illis ſive in Libris Sacris occurrunt, ſive quæ Hebræi & priores Eccleſiæ Patres Philoſophati ſunt; eo ſcilicet conſilio, ut locis Sacræ Scripturæ, in quibus Angelorum mentio, lux aliquid affundatur. Qua de re diſſerentibus nobis, plura obiter nec minoris momenti ſeſe afferent excutienda, quæ in noſtro Commentario, utpote ab argumento aliena, ſive præterita ſunt, ſive levius tantum diſcuſſa.

Nullum ante captivitatem Babylonicam [*] Angelorum nomen auditum eſt inter Hebræos. Qui Manueli patri Samſonis per viſum apparuit Angelus, ut nomen ſuum proderet rogatus, reſpondit: *Cur quæris nomen meum, quod eſt mirabile* [1]? Angeli illi, qui videndos ſe præbuerunt Abrahamo, Loth, Moyſi, Joſue ceteriſque Patriarchis *Angelos* tantum, nempe a Deo miſſos ſeſe appellabant. Ipſius interdum Dei nomen, tamquam legatione ab ipſo ejuſque nomine fungentes, ſibi uſurpant. Quare peculiaria Angelorum nomina a Chaldæa una cum Iudæis ex ea regione remeantibus, in Iudæam invecta ſunt; quemadmodum & a Thalmudiſtis pariter affectum eſt [2]. Tobias omnium primus occurrit, qui Angelum *Raphaelem* peculiari nomine expreſſerit [3]. Vivebat autem Tobias in urbe Ninive aliquamdiu ante captivitatem Iuda, ejuſque nomine inſcriptus Liber ab ipſo eodemque Authore digeſtus, diffitentibus tamen nonnullis, volgo creditur.

Iunior aliquanto Tobia Daniel Babilone degens, nomina *Michaelis* [4], & *Gabrielis* [5], promit. Author 4. Eſdræ [6] meminit *Urielis* & *Jeremielis*, & ille multo eſt Eſdra recentior, & facile poſt Ieſum Chriſtum florebat. Nomina Angelorum frequentiſſima in Libro Enoch legimus, quod tamen Opus remotiſſimæ antiquitatis commentum non eſt, & nos fuſius de illo in articulo de pravis Angelis. In Liturgiis Orientalibus eſt Angelus *Sariel*, ſunt & 4. animalia, & 24. Seniores, de quibus Apocal. 4. 6. in eadem cum ceteris Sanctis Angelis claſſe.

Suum ſingulis Patriarchis inſtitutorem Angelum aſſignant Cabaliſtæ. Angelum *Razielem* Adamo, *Jophielem*, Semo, *Zedekielem* Abrahamo, *Raphaelem* Iſaaco, *Pelielem* Iacobo, *Gabrielem* Ioſepho, *Metatronem* Moyſi, *Malathielem* Heliæ, *Cerbielem* Davidi. Perſuaſum pariter habent, in toto Angelorum cœtu Septuaginta diſtingui, qui communicato ſibi Dei nomine clarent, juxta illud Exod. 23. 21. *Et eſt nomen meum in illo*. Credunt autem, ſiquidem fieri poſſet, ut genuinum ſeptuaginta illorum Angelorum nomen ſcire daretur, futurum ut ejus invocatione omnia præſtarentur, virtute ſcilicet nominis Dei, quod Angelis illis inſidet. In hoc igitur inveſtigando ſtudia ſua omnia collocant Cabaliſtæ.

In Libris N. T. nullum Angelorum nomen novum occurrit, ſed duo tantum, *Gabrielis* nempe [7], & *Michaelis* [*], in Veteri Teſtamento, nota ſervantur. Legimus quidem apud S. Paulum Principatus, Poteſtates, Thronos, & Dominationes; ſed hæc hierarchiæ Angelicæ gradus deſignant, quorum nempe alii aliis præſtant & veluti dominantur. Angelorum peculiaria nomina in Cœlum raptum Apoſtolum didiciſſe S. Chryſoſtomus autumavit [8]; nequid autem proderet, in cauſa fuiſſe viro ſapientiſſimo, quod ſcilicet metueret, ne ſuperſtitio aliqua in eorum cultu gliſceret, neve inſitum homini in res novas ſtudium eo curioſas mentes deduceret, ut inutilibus inveſtigandis bonas horas perderent.

E nihilo creatos Angelos ignorat (†) nemo; quo vero tempore, qua prodierint ratione, inter varias diverſorum ſententias incerti verſamur. Ea de re nihil apud Moyſem, niſi forte cum a Deo creatos Cœlos teſtatus eſt, ſub ejus nominis ambagibus creatos Angelos, Cœli ſingulares incolas, deſignarit; quod non unus ex Patribus ſuſpicatus eſt [9]. Malunt alii, non Cœlorum ſed lucis nomine a Moyſe Angelos ſignificari [10]. Alii, nec infrequentes autumant, ante productum mundum Angelos prodiiſſe [11], cui ſententiæ favere viſus eſt Job 38. 7. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ .... cum me laudabant ſimul aſtra matutina, & jubilarent, omnes Filii Dei?* In hanc ſententiam conceſſum eſt pleromque a Veteribus Græcis ipſiſque pariter Latinis Patribus nonnullis, ut S. Ambroſio in Hexaemeronem hom. 1. c. 5. S. Hilario [12], S. Hieronymo in cap. 1. Epiſt. ad Tit. Caſſiano collat. 8. c. 7. aliiſque.

Major tamen Patrum Latinorum pars cum Græcorum nonnullis tenet, Angelorum productionem ipſum Mundum non prævertiſſe [13]; quæ poſterior ſententia hodie obtinet. Autumant Hebræi [14], ſecunda Mundi die Angelos prodiiſſe, eoſque ſtatim ad conſilium ab ipſo Deo Creatore adhibitos, quod illis verbis innuitur Gen. 1. 26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Ad quintam diem revocant alii [15]; nec deſunt, qui ſingulis diebus creari Angelos, vel potius e flumine quodam, *Dinor* appellato, emergere defendant. In tantam denique audaciam, a nonnullis ventum eſt, ut alterum ab altero vera quadam generatione prognatos, Gabrielem e. g. filium S. Michaelis conſtituentes, aſſeruerint. Sadducæi Angelos omnes e medio tollebant; quorum errorem defendens R. Ben-Gerſon, tuetur Angelos, ſive Dæmones nullibi unquam paruiſſe; & ſi forte in Sacra Scriptura teſtimonia de illis occurrant, hæc ad metaphoricum ſenſum detorquenda eſſe.

De tempore, quo Angeli producti ſunt, incertus fluctuat Auguſtinus. Aliquando enim docet, prima Mundi die prodiiſſe [16]; aliquando vero cum luce confudiſſe illos viſus eſt [17]; interdum ante res crea-

(*) Nomina Angelorum. (1) *Judic.* 13. 18. *Vide etiam Gen.* 32. 29. Ubi Angelus ſciſcitanti ea de re Jacob reſpondit: *Cur quæris nomen meum?* (2) *Talmud Jeroſol. de principio anni.* (3) *Tob.* 3. 25. *&* 11. 14. (4) *Dan.* 10. 21. (5) *Dan* 8. 16. *&* 9. 21. (6) 4. *Eſdræ* 4. 36. *&* 6. 20. (7) *Luc.* 1. 19. 26. (*) *Jud. ver.* 9. *& Apoc.* 12. 7. (8) *Chryſoſt. de incomprehenſib. Dei nat. homil.* 4. *p.* 410. *& hom.* 5. *p.* 386. *&* 420. (†) Angelorum productio. (9) *Origen. homil.* 1. *in Geneſ. Beda Strabus.* (10) *Vide Auguſt. lib.* 1. *de Geneſ. ad lit. cap.* 9 *& lib* 11. *de Civit. cap.* 9. *Petr. Lomb. in* 2. *Diſt.* 13. *Ruper. lib.* 1. *de Trinit. cap.* 10. (11) *Origen. homil.* 1. *in Geneſ. & homil.* 10. *in Matt. Baſil. homil.* 1. *in Hexaemer. Nazianz. orat.* 38. *&* 42. *& alii plures.* (12) *Hilar. in lib.* 12. *de Trinit. & lib. contr. Auxent.* (13) *Vide, ſi lubet, Petav Theolog. dogm. tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 15. *art.* 6. (14) *Maimonid. in More Neboch. part.* 2. *cap.* 6. (15) *Bereſchit Rabb. Sect.* 8. (16) *Auguſt. lib.* 22. *contra Fauſt. cap.* 10. *& lib.* 2. *de Geneſ. ad liter. cap.* 8. (17) *Auguſt. lib.* 11. *de Civit. c.* 19. *&c.*

creatas omnes extitiſſe aſſerit [1]; ac tandem non ſemel, quam eligat ſententiam in re obſcura ambiguus, quæſtionem hanc relinquit in medio [2]. Sanior Theologorum ætatis noſtræ pars, quæ Angelorum productionem cum mundi ipſius componit, laudat in eam rem illud Eccli. 18. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul*; ideſt non ſingillatim, & in tempore, ex quo Deus ad condendas creaturas ſe contulit, ſed omnes pariter ab exordio temporis e nihilo produxit, tam viſibiles, quam inviſibiles, tam corpore, quam ſpiritu tantum conſtantes; ita enim ejus ſententiæ ſenſum promit Concilium Lateranenſe [3]: *Deus creator omnium viſibilium, & inviſibilium, ſpiritualium, & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam*. Hujus apertiſſimi textus authoritate ſæpiſſime in Scholis ingeſta, nequaquam tamen factum eſt, quin plures, nec infimæ notæ, Theologi defenderent in ea Eccleſiaſtici ſententia nihil inſinuari aliud, quam quod ad unum Deum authorem viſibilia pertinerent, cui profecto dogmati nemo ſanæ mentis refragatur; de reliquo vero, de tempore creatæ Angelicæ naturæ quæſtionem adhuc in medio relinqui [4].

Spiritalis eſſe naturæ (*) Angelos, ætate noſtra nemo refragatur. Non eadem tamen apud omnes æque Veteres recepta ſententia; cum inſtructos corpore Angelos multorum ferret opinio, favente Scriptura. Faciunt enim in hanc rem quæ de Angelis, ſenſibus inſtructis, luce quadam nitentibus, ignis, venti, aeris ſpeciem exhibentibus, in eadem Scriptura leguntur. Hominis ſpeciem præſeferebat Angelus ille, qui Abraham, ille qui Moyſi, qui Joſue, qui tandem aliis per viſum apparuere: nihil in illis non humanum, ſermo, inceſſus, cibi deguſtandi ratio, ac tandem pedum lotio, quid non? Ignem in medio rubi exhibuit Angelus a Moyſe in deſerto ſpectatus [5]. Mixtam ex pluribus formam aſſumpſerat Angelus, fores Paradiſi igneo gladio defendens [6]. Angelus qui monſtrandæ Iſraelitis viæ per deſertum cœlitus datus eſt, fulgidæ nubis ſpeciem noctu, opacæ vero diu referebat [7]. Militari habitu alter Joſue ſeſe obrulit [8]. Cherubim thronum gloriæ Domini ſuſtinentes, ab Ezechiele pinguntur tamquam animalia, quæ in una eademque forma hominem, aquilam, bovem & leonem conjungerent [9]. Eoſdem Cherubim hominis ſimilitudine ſex alis inſtructos Iſai. 6. 1. 2. exhibet. Radiantem ore, coruſcantem oculis & corpore inſtar chryſolyti pellucidum alterum Daniel ſuſpexit [10]. In equi forma, ſicut & fœminæ, Angelos ſpectavit Zacharias cap. 5. 9. & 6. 2. &c. Quid non corporeum in his omnibus.

Priorum ſæculorum Patres fere omnes, inſtructos corpore Angelos autumarunt, corpore tamen maxime tenui, omnia pervadente, quod agilitate ſua aerem ipſum & ventum ſuperaret; nec tamen Spiritus nomen abjecerunt, quamquam alias, huic nomini ſignificationes aptarent. Spiritum igitur reputabant corpus illud, ultra quod cogitatione aſſequi quis poſſet, ſubtile; quemadmodum in corpore concipimus Spiritus quoſdam, (animales appellamus) ex tenui quadam ſanguinis portione in cerebro inſtar ſpiritus elaborata, qua muſculi omnes nervique cientur. Illud etiam aſſerendum ſibi cenſuit S. Juſtinus Martyr [11], in Cœlo nimirum Angelos cibo nutriri, cibo, inquam, non craſſo, quemadmodum nos, ſed alteri cœleſti opificio parato, veluti manna, cui in Scriptura inditum nomen: *Panis Angelorum* [12]. Nec antiquitatis ſtudioſos fugit [13], Veterum illorum pleroſque id habuiſſe perſuaſum, ex Angelis nimirum carnali commercio cum filiabus hominum commixtis prodiiſſe Gigantes, viros illos non ſtatura tantum corporis, ſed & criminum immanitate notiſſimos.

Cujus opinionis fontes altius repetendæ ſunt; ita enim fuerat veteribus Hebræis perſuaſum, quemadmodum ex Libro apocrypho Henoch, ſive hiſtoria de ipſorum erga filias hominum deperdito amore, ſicut & de bello ab illis in Deum illato intelligimus. Serio pariter Joſephus aſſeruit, Angelos nefario amore hominum filias deperiiſſe [14], cujus commercii fructus filii nequiſſimi nati ſunt. Autumavit Philo, de Gigantibus, Angelos quidem Spiritu conſtare, ſed corpori pariter veluti animas conjungi; ſicut & poſt obitum ab ea commiſtione ſecretos, priſtinas aeris ſedes repetere. Manet eadem ſententia apud Rabbinos quamplures; & Jeſu Chriſti atque Apoſtolorum ætate corpore quodam aereo & ſubtili conſtitiſſe Angelos ne ambigebatur quidem. Jeſus Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam hærere ſuſpenſos Apoſtolos intelligens, ambigentes num ſpiritum aliquem ſub Magiſtri ſpecie coram ſpectarent, *Videte & palpate*, ait, *quoniam Spiritus carnem & oſſa non habet* [15]. Phantaſmate quodam illudi ſibi primo timuerunt Apoſtoli, cum ſuper Maris Tiberiadis undas gradientem eumdem Jeſum ſpectarunt [16]; & eum S. Petrus e carcere liberatus præ foribus ædium Apoſtolorum ſtans pulſaret, non ipſe reapſe Petrus, ſed ejus ſpiritus adeſſe primum creditus eſt [17].

Plus aliquid aſſerendum ſibi Rabbinorum aliqui (18) cenſuerunt, diſcretionem ſexus, mares nempe & fœminas inter Angelos ſtatuentes. Addunt, geminos Cherubim, quorum ſimulacra Moyſes ſuper Arcam Fœderis collocavit, alterum marem, alterum fœminam exhibuiſſe. Sexu diſcretos pariter aſſerunt duos Seraphim numquam non clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus* apud Iſaiam 6. 1. 2. His ſemel conſtitutis, in eam opinionem aliqui venerunt, ut Angelorum velut hominum ſpecies in dies generatione propagari crederent. Eadem ſententia, ſed naturę ſpirituum magis congruens, traditur a S. Gregorio Nyſſeno (19), quippe qui credit Angelos quidem, ſed non maritali commercio propagari, quemadmodum & cum hominibus futurum fuiſſe reputat, ſiquidem priſtinam innocentiam retinuiſſent.

Verum ſi generatione augeri poteſt numerus Angelorum, num etiam interitu minuuntur? Utique ſane ex Hebręorum doctrina (20). Arbitrantur illi, poſt primam Templi everſionem per Chaldęos de numero Angelorum plurimum deceſſiſſe; quod ipſis duplici Job & Danielis inter ſe collato teſtimonio aſſeritur. Job 25. 3. *Numquid eſt numerus militum ejus?* Daniel. 7. 10. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt, & Antiquus dierum ſedit; thronus ejus flamma ignis. Fluvius ignis rapiduſque egrediebatur a facie ejus. Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.* Angelorum ergo turba numero cenſebatur ſub Daniele, numerum autem vincebat ſub Jobo. Bella ratiocinatio! Doctores tamen Judęorum ſapientiores (*) in noſtram ſententiam concedentes, Angelos ſpiritu tantum conſtare ab omni ſecretos materia defendunt; quęque in Scriptura alteram opinionem pręferre teſtimonia videntur, hęc ſymbolica quadam ratione exponentes, alarum ęnigmate deſignari dicunt Angelicę naturę ſubtilem tenuemque ſubſtantiam; hominis ſpecie acrem illam intelligendi vim: bos virtutem, aquila acumen, leo fortitudinem, ignis zelum, ventus agilitatem &c. exprimunt.

Patres illi, qui corpora Angelis affinxerunt, non ſubtilem tantum tenuemque corpori illi dotem atque agili-

(1) *Aug. l. 12. Confeſſ. c. 15.* (2) *Auguſt. lib. imperf. de Gen. ad lit. c. 3. & l. 11. de Civ. c. 32.* (3) *Concil. Lateran. ſub Innocent. III. c. 1. Vide & Conc. Nic. II. art. 5. an. 780.* (4) *Vide Petav. l. 1. de Ang. c. 15. n. 13.* (*) Angelor. natura. (5) *Exod.* 3. 2. (6) *Geneſ.* 3. 24. (7) *Exod.* 14. 19. (8) *Joſue* 5. 13. (9) *Ezech.* 1. 5. 6. 7. (10) *Dan.* 10. 11. (11) *Juſtin. Dialog. cum Tryphone.* (12) *Pſal.* 77. (13) *Juſtin. Apol. 1. init. Athenag. Apolog. Clem. Alex. Strom. lib. 3. Method. de Reſurr. apud Epiph. hær. 64. Tertull. de veland. Virgin. Lact. lib. 2. cap. 24. Ambroſ. Apolog. David, cap. 1.* (14) *Antiqu. l. 1. c. 4.* (15) *Luc.* 24 39. (16) *Matth.* 14. 26. (17) *Act.* 12. 16. (18) *Rab. Urſel. Vide Manaſſe Ben-Iſrael Conciliat. in Exod. q. 30. pag. 142.* (19) *De Mundi Opific. Vide & Cæſar. Dial. 3. & Barcepha de Paradiſo.* (20) *Vide Excerpta Gemar. de opere currus apud Hottingerum, p. 71. 73.* (*) *Maimonid. fundament. Leg. c. 2, §. 4. More Nebochim, part. 1. cap. 47. R. Eliezer, Pirke, p. 6.*

agilitatem conceſſiſſe contenti, addiderunt pariter & animam ſpiritalem, & intelligendi facultate inſtructam, ut proinde corpore pariter & ſpiritu natura illa conſtaret (1). Qua igitur ſubſtantiæ ſuæ portione intelligendi acumine præſtant, nonniſi ſpiritum referre apud Patres illos Angeli creduntur; qua vero parte in loco aliquo continentur clauduntur que, moventur pariter, & ex uno ad alterum locum ſe transferunt, ea non niſi corpore & materia conſtat. Non infima pariter eorum pars docet (2), hominis ſpiritum corpori, aliter plane ab eo, quo conſtamus corpore, conjunctum eſſe; corpori, inquam, ſpiritali; & ab omnibus ſenſibilibus, quibus obſidemur, corporibus plane diverſo. *Qui ſine materiali ſubſtantia abſque ulla corporeæ adjectionis ſocietate intelligatur ſubſiſtere*, unus inter omnes eſt Deus, ait Origenes de principiis lib. 1. cap. 6.

Bonis maliſque Angelis corpus tribuit S. Auguſtinus (†), Dæmonibus præ bonis Angelis craſſius. *Antequam transgrederentur*, addit, *cæleſtia corpora gerebant. Neque hoc mirum eſt, ſi converſa ſint ex pœna in aeream qualitatem, ut jam poſſint ab igne, id eſt, ab elemento natura ſuperioris aliquid pati* (3). Claudianus Mamertus de ſtat. anim. l. 3. S. Petrus Chryſologus ſerm 52. Caſſianus Collat. 7. c. 13. Fulgentius de Trinit. Gennadius de Eccleſ. Dogm. c. 11. 12. Rupertus Abbas (4) tamquam certum aliquid abſolutumque ponunt, Deum ex omnibus unum ſpiritu ſolo conſtare, cetera ex corpore pariter, & anima compingi. Inter corpora Dæmones recenſent Cajetanus in Epheſ. 2. & Eugubinus (5); nec Grotio (*) probatur ea, quæ in opinionem Ariſtotelis conceſſum eſt, facilitas; illum enim Philoſophum credit ſpiritum ab omni materia diſcretorum primum fabricatorem.

Quod autem hanc commendavit opinionem, illud potiſſimum reputandum eſt, nimirum. 1. Authoritas Scripturæ, Angelos ſub corporea quadam ſpecie plerumque exhibentis: 2. Hæc in ſpeciem plauſibilis ratiocinatio: *Quidquid ex uno in alterum locum transfertur, quidquid cietur, corpore conſtat*: ſunt igitur inter corporeas creaturas Angeli recenſendi. 3. Tandem quidquid mutationi obnoxium eſt, quidquid variis ſubjicitur qualitatibus ab omni numquam fieri poteſt ut ſecernatur materia. Angelos vero variis mutationibus obnoxios fuiſſe, ex variis, quibus ſpectandos ſe præbent, formis ſatis colligimus; ignis pariter ſupplicio torquentur: quæ omnia corporis argumentum ſunt apertiſſimum.

Verum hiſce omnibus reponimus, Scripturam ideas ſubjicere noſtris conceptibus accommodas, cum Angelorum imagines corporeas exhibet. Idem pariter ab illa præſtitum, cum Dei meminit; ecquis autem corpore conſtare Deum crediderit? Ita pariter cum Angelos ex uno in alterum locum transferri dicit, cum modo in Cœlo, modo in terris verſari animadvertit, variam tantum operandi rationem, qua præſentiæ ſuæ documenta variis in locis exhibent Angeli, deſignat; nec tamen propterea ita locum occupant, quemadmodum a corpore factum novimus. Quas autem ſubeunt Angeli mutationes, illæ ſpirituali eorum naturæ nihil prorſus repugnant; & metaphorico quodam ſenſu explicandos eſſe ea in re Sacros Libros conſtat, ſiquidem eas in Angelis mutationes iiſdem phraſibus exprimant, quibus mutationes corporum deſignantur.

Plerique ex Patribus (6), & Theologi noſtræ ætatis univerſi naturam tantum ſpiritualem, & intelligendi facultate inſtructam Angelis vindicant. Eamdem ſententiam non obſcure præſefert Philo Judæus (7), docens, Angelos Spiritus eſſe felices, & a corpore ſecretos. Addit inſuper, aerem ſedem eſſe animarum pariter, & animalium; cum enim ſua ſingulis elementis animantia, aquæ ſcilicet & terræ, aſſignaverit Deus, cur aerem reliquerit vacuum non ſatis intelligeretur. Ex his vero ſpiritibus, qui regionem tenet aeream, alii inſita quadam a natura propenſione in humana corpora ita feruntur, ut in unum coaleſcentes cum corpore, hominem conſtituant. Regionem alii multo ſuperiorem tenent, a corpore pariter, & a terra abhorrentes. Alii tandem relicto, quod prius animabant, corpore, ab ejus complexione interitu hominis avulſi, ad priſtinas raptim in aere ſedes convolant.

Alibi vero (8) de Geniis mortalia corpora tenentibus agens, hominibus in profluentem rapidioris amnis prolapſis comparat. Qui enim viribus & natandi ſcientia inſtructi ſunt, præſentiſſimum mortis periculum facile evitant; ceteros gurgitis & torrentis æſtus abripit. Ita pariter & boni quidam Angeli ita humanis corporibus junguntur, ut ſemper mentem habeant ad ſuperiora & divina liberam; cum interim mali illi Genii corpora animantes, totam in vitiis demergant. Quare ſi Philonem docentem audias, Angeli, Dæmones & hominum animæ ſolo tantum nomine differunt, non natura, quamquam indole, & in muneribus gerendis differant; cum boni illi Angeli ita corpus teneant, ut corpori non devinciantur, miſerationum Domini veluti inſtrumenta, & inter Deum homineſque veluti mediatores ſeſe exhibeant; ultionis autem & juſtitiæ Domini miniſtri ſunt Dæmones. Hæc de Angelis Philo.

Joſephus vir Phariſæus (9) narrat, Eſſeniorum ſententia (10) animas ex aere in corpora illabi, ut in corpore veluti in carcere claudantur; quas a ſe relictas ſedes, ſtatim poſt reſoluta vincula corporis repetunt. Quod autem in corpora ſive illabantur, ſive prorumpant, in cauſa fuiſſe dicunt inſitam quamdam in Angelis a natura in eadem corpora propenſionem. Dæmones homines quoſdam infeſtantes ex ejuſdem Authoris de Bell. l. 7. c. 25. ſententia, ipſiſſimæ ſunt animæ impiorum, quæ cum aereas ſedes non reperiunt, miſera quædam occupant corpora, vel hoſtili animo aggrediuntur, omni conantes niſu ut pereant. Docet tandem (11) ex Phariſæorum ſententia animas immortalitate donari, ſicut & ex uno in aliud corpus transmigrare, ac tandem æternis cruciatibus animas impiorum addici, ut in corpora remeandi omnis illis facultas interdicatur.

Ex ejuſdem facile opinionis perſuaſione, ætate Jeſu Chriſti inter Judæos pervulgatæ, fieri potuiſſe credimus, ut Dæmoniaci, quos Jeſus convaleſcere jubebat, quererentur, ante tempus ſe ab illo torqueri (12); Spiritus enim pravi, qui corporibus veluti animæ quædam inſidebant, atque poſſeſſo ſemel contubernio numquam niſi in obitu ſeſe expellendos credebant, vehementi percellebantur timore, ne forte inde pulſi ad Inferni tormenta depellerentur; niſi forte in alium transmigrare hominem daretur, in quo diutius ſubſiſtentes, magis magiſque Inferni a ſe ſupplicia removerent. Hinc facile legio illa (13), quæ hominem in regione Geraſenorum obſederat, Jeſum rogavit, ut fieret ſibi permiſſio inſiliendi in gregem porcorum, *nec imperaret illis, ut in abyſſum irent* (14).

His omnibus ſatis evidenti argumento probatur, invaluiſſe apud Judæos opinionem de animarum ante forma-

(1) *Vide Baſil. de Spir. S. c. 16. Idem, ſeu alius, in Iſai. 13. 7. Ephrem Serm. de Natura Dei minime ſcrutanda. Alii apud Petav. de Ang. l. 1. c. 15.* (2) *Method. apud Phot. Cod. 234. Jo. Theſſalonic. in Oecumenica, VII. Synodo lectus, act. 5. pag. 348. Tertull. de carne Chriſti, Hilar. in Matth. can. 5.* (†) *Aug. Ep. olim 115. nunc 14. Item lib. 3. de Geneſ. ad lit. cap. 10.* (3) *Idem lot. cit. de Gen. ad lit.* (4) *De Trinit. l. 1. c. 11. & 17. & lib. 2. de Vict. Verbi cap. 28. &c.* (5) *De peren. Philoſ. lib. 8.* (*) *Grot. in Pſal. 103. X. 5.* (6) *Vide Tit. Boſt. lib. 1. contra Manich. in Biblioth. PP. Thaumaturg. homil. in Theophania, Nyſſen. contra Eunom. Nazian. orat. 34. Euſeb. l. 4. de Demonſtr. c. 1. Chryſoſt. paſſim, l. Theodoret. quæſ. 20. in Geneſ. & quæſ. 48. Alii Damaſcen. l. 2. de fide c. 3. & 12. Gregor. Mag. l. 4. Dialog. c. 25. alii plures.* (7) *De Cain & Abele pag. 131. Idem de Somniis. Vide & lib. de Gigant. pag. 285.* (8) *De Gigan. p. 285. Vide & de plantatione Noe p. 216. & de confuſ. ling. p. 346* (9) *De vita ſua init.* (10) *De bell. Judaic. lib. 2. cap. 12. p. 787.* (11) *De bell. l. 2. c. 12. Vide & Antiquit. lib. 18. cap. 2.* (12) *Matth. 8. 30.* (13) *Luc 8 30. Matt. 8. 30.* (14) *Luc. 8 31.*

formatum corpus præexiſtentia, ſicut & metempſychoſeos ſententiam late apud illos tunc, ſicut & hodie etiam, obtinuiſſe. Apparent ejus veſtigia qua in Apoſtolis ipſis, qua in Judæis ſynchronis: Diſcipuli enim viſo homine a nativitate cæco, rogarunt Jeſum, an criminum ſuorum, an parentum merito cæcus ille ultionem hanc in ſuum caput provocaſſet (1). Ecquod, rogo, crimen committere vir ille potuiſſet, antequam in mundum naſceretur, ut cæcitatem referret ex utero? Dictitabant alii Eliam, ſive Jeremiam, vel alium e veteribus Prophetis in Jeſu Chriſto paruiſſe (2). Tranſmigraſſe in illum animam Joannis Baptiſtæ fato jam functi, Herodes comminiſcebatur (3).

Si autem ſpiritali conſtant natura Angeli, nulli pariter ſubjiciantur corruptioni ſive interitui neceſſe eſt; quin & ab omni eos immunes letho illi pariter pronunciarunt, qui corpore compactos rebantur. Neque ab alio unquam, quem noverim, niſi a Rabbinis quibuſdam, in tantam opinionis audaciam ventum eſt, ut naſci Angelos & interire aſſererent. Viſum eſt quidem veteribus nonnullis Patribus, poſſe illos letho ſubeſſe, nec immortalitate, niſi ſpeciali Dei privilegio, Dei, inquam, ſervantis, neve in nihilum redeant prohibentis, donari. *Omnia quæ facta ſunt*, ait S. Irænæus (4), *initium quidem ſuæ facturæ habent; perſeverant autem, quoadusque Deus & eſſe & perſeverare voluerit*.

Angelus natura ſua immortalitatem non refert, ſed voluntate Creatoris, ait S. Ambroſius de fide lib. 3. cap. 2. *Deus ſolus habet immortalitatem*, ait Apoſtolus 1. Timot. 6. 16., quod ipſe natura ſua nulli, ne morti quidem, ſubjiciatur; cetera vero omnia nulla immortalitate, niſi ex accepto Dei privilegio donantur (5). Sed numquid in præſentia ſub naturæ nomine æquivocationis aliquid latet? Si enim voluntate Dei Angelus immortalitatem refert, eſt igitur natura ſua immortalis, cum rerum omnium natura ipſiſſima Dei volentis diſpoſitio ſit (6). Cum autem Angelum ipſe ſpiritalem protſus condiderit, ex ea conſtare natura voluit, quæ corruptionis omnem cauſam arceret.

Proborum Angelorum munia * illi, qua donantur, gloriæ apud Deum ex æquo reſpondent. Autumarunt Veteres nonnulli, dari ex eorum cœtu Præſides dirigendis aſtrorum & cœlorum omnium curſibus. Defenſores pariter & Patronos Regnorum, Provinciarum, Rerumpublicarum, Urbium, quin & Familiarum, quæ ſingulorum Angelorum tutelæ committuntur. Fide etiam inſtruimur, Angelos ſingulos ſingulis nobis aſſignari. Nec deeſſe crediti ſunt peculiares Angeli Eccleſiis & Altaribus. Philoſophorum & veterum Judæorum, ſicut & poſt ipſos, Chriſtianorum dogma conſentit, Angelos veluti inter nos & Deum medios conſtitui, ut throno Dei preces noſtras ſiſtentes, congruas noſtris neceſſitatibus gratias & auxilia referant; legatione illos fungi ab Altiſſimo Deo, tum ut mortalibus juſſiones illius denuncient, tum ut præmia pœnaſque pro ejus ſententia diſtribuant. Fuſius modo de ſingulis.

Suos ſingulis rebus præeſſe Angelos ſentientes Rabbini (7). *Azarielem* præficiunt aquis; *Cazardiam* orienti, ut ſcilicet orientem ſolem & ſtato tempore occidentem curet; *Nekid* pani & alimentis. Singulis planetis, ſingulis anni menſibus, quin & horis diætrum ſuus eſt Angelus. Neque id ſatis Maimonidi (8); quippe qui ſphæras ipſas cœleſtes totidem eſſe Angelos, intelligentia & voluntate munera ſua exercentes, autumavit. Hominum tutelæ, non unum ſed duos Angelos, probum ſcilicet pravumque aſſignantes Judæi, priorem illum opem nobis præſtare & conſilium, alterum inſidias moliri credunt. In hanc ſententiam a veteribus quibuſdam Patribus conceſſum eſt.

Angeli nomen latius uſurpat Maimonides; eo enim appellat virtutem omnem Dei, ſupernaturalem quamcumque operationem, ac tandem naturales corporis & animæ facultates. Idem pariter obtinuiſſe Jeſu Chriſti ætate ex eo ſuſpicamur, quod boni pravique ſpiritus nomine corporis & ſpiritus facultates bonas vel ſecus appellarent. Ita Chriſtus verba ad Apoſtolos faciens, ignoraſſe illos dicit, ad quem maxime ſpiritum pertinerent (9). De ſpiritu paupertatis (10), infirmitatis (11), impudicitiæ (12), ſervitutis (13), adoptionis (14), fidei (15), lenitatis (16), erroris (17), gratiæ (18), in Novo Teſtamento legimus; (19) quibus loquendi formulis recepta illa perſuaſio de bonis maliſque Spiritibus, in ſingulos vitæ actus & in omnes corporis & animæ diſpoſitiones dominantibus, deſignatur.

Docent pariter doctores illi Judæi, quatuor eſſe Angelos numquam in terra viſos, quod jugi obſequio throno æterni Numinis adſiſtant. Michael omnium Princeps ſiniſtrum tenet; Gabriel dextrum; Uriel coram adſtat; poſt ipſum vero ſequitur Raphael. S. Joannes in Apocalypſi 8. 2. 3. ſeptem exhibet Angelos ſtantes coram Deo, totidem buccinas tenentes, quibus octavus alius adjungitur, fumans thuribulum tenens, cujus fumus Sanctorum orationes ænigmate quodam exhibet. Spondet Zacharias 3. 9. Jeſu filio Joſedechi ſeptem oculos ſive ſeptem Angelos, a quibus ope & conſilio juvaretur. E ſeptem Angelis ante Deum ſtantibus unum eſſe ſe Raphael juniori Tobiæ perhibet (20). De Archangelo Michaele legimus Daniel. 10. 13. unum eſſe *de Principibus primis*. Porro numerus iſte ſeptem Angelorum ex eo expreſſus eſt, quod in Aula Regum Aſſyriæ, Chaldææ, & Perſidis ſeptem Principes viri ceteris omnibus præſtarent (21). Inde etiam facile derivanda ſunt (22) nomina illa, Poteſtates, Throni, Dominationes (23), de quibus Apoſtolus in ſuis Epiſtolis.

Idem ſeptem Angelorum jugem Deo famulatum præſentia ſua exhibentium numerus manſit in Scriptis Patrum Eccleſiæ & Hebræorum. Appellantur in Teſtamento duodecim Patriarcharum: *Angeli faciei*; & in vita Moyſis: *Oculi Domini*. Noti ſunt S. Irenæo (24), S. Clementi Alexandrino, S. Cypriano adver. Jud. lib. 1. cap. 20. & Aretæ. Totidem choris Angelorum (non enim niſi in ſeptem choros Angelos diſtribuit) præfeciſſe illos viſus eſt S. Hieronymus adverſus Jovinianum.

Angeli nomine potiſſimum proborum Spirituum munus ſatis exprimitur; ſonat enim Legatus, Miſſus; exacteque Hebræo *Malach* reſpondet. Apud S. Paulum Hebr. 1. 14. appellantur interdum *Adminiſtratorii Spiritus*. Leguntur autem a Deo miſſi ad prænuncianda inſignium quorumdam virorum natalia, uti Iſaac, Samſonis, Joannis Baptiſtæ, ac tandem Jeſu Chriſti, Dei pariter & hominis. Deſtinantur interdum tuendis protegendiſque viris Deo amicis, quemadmodum de Raphaele ad Tobiam miſſo conſtat; ad exerendam in viros impios ultionem, uti de Angelis in Sodomam miſſis, de Angelo exterminatore in cædem primorum natu Ægypti, & alio in cædem pariter exercitus Sennacherib irruentis legimus. Mittit tandem Deus Angelos ad annunciandas voluntates ſuas Prophetis, ceteriſque viris ſanctiſſimis, Abrahamo, Agar, Danieli, Zachariæ &c.

Vicibus autem Dei tamquam ejus legati fungentes, nomen ipſum Domini, *Elohim* (25), adoptant; adſciſcunt interdum & nomen illud ſacrum ac incommunicabile *Jehovah* (26): hæc tamen nonniſi cum Dei nomi-

[1] *Joan.* 9. 2. [2] *Matth.* 16. 14. [3] *Marc.* 6. 16. *Luc.* 9. 9. *Vide in hæc loca noſtrum Comment.* [4] *Iren. l.* 2. *c.* 64. *Vide Arnob. l.* 2. *Damaſ. l.* 2. *de fide c.* 3. *Sophron. in Actis Synod.* 6. *Act.* 11. *Cyrill. Alexan. theſ. l.* 20. *Hilar. in Pſal.* 148. *Alii.* [5] *Auther. QQ. ad Orthod. q.* 61. [6] *Aug. de Civit. l.* 21. *c.* 8. * Proborum Angelorum munia. [7] *Vide Bartolocc. Bibljot. Rabbin. to.* 1. [8] *More Neboch. p.* 1. *c.* 72. *par.* 2. *c.* 5. 7.

[9] *Luc* 9. 55. [10] *Matt.* 5. 3. [11] *Luc.* 13. 11. [12] *Matt* 10. 1. & 12. 43. *alibi.* [13] *Rom.* 8. 15. [14] *Rom.* 8. 15. [15] *Rom.* 11. 8. [16.] 2. *Cor.* 4. 13. [17] 1. *Cor.* 4. 21. *Galat.* 6. 1. [18] *Timot.* 4. 1. [19] *Hebr.* 10. 29. [20] *Tob.* 12. 15. [21] *Eſth.* 1. 10. 14. [22] 1. *Eſdra* 7. 14. & 4. *Eſdr.* 8. 12. [23] *Vide Hieron. in Epheſ.* 1. 21. & *Grot. in Rom.* 8. 38. [24] *Apud Clemen. Alex. Strom. l.* 6. [25] *Gen.* 32. 8. *Exod.* 3. 4. 6. &c [26] *Gen.* 16. 10. 11. 12. 13. *Exod.* 3. 1. &c.

nomine loquuntur. Quæ autem ſpectabatur inter munera Angelorum & Prophetarum ſimilitudo, in cauſa fuit, cur Prophetis interdum Angelorum Domini nomen tribueretur. Ita Judic. 2. 1. 2. veniſſe legimus Angelum Domini, nempe Summum Sacerdotem vel Prophetam ad locum flentium (Heb. Bochim), & populo denunciaſſe: *Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram, pro qua juravi Patribus veſtris. Cumque loqueretur Angelus Domini hæc verba ad omnes filios Iſrael, elevaverunt vocem ſuam, & fleverunt*. In eodem Libro 5. 23. *Angelus Domini; qui maledicit terræ Meroz*, ipſe eſt Barac, vel Summus Sacerdos, ſive Propheta aliquis (1). In Malachia 2. 17. enim Angeli Domini exercituum Sacerdotes appellantur. Aggæus ita ſe ipſum deſignat: *Dixit Aggæus nuncius Domini* (Heb. *Angelus Domini*), *de nunciis Domini* (Heb. de *Angelis Domini*). Angelus, ſive a Deo miſſus, Nathan eſt apud Eupolemum in Euſebio. Malachias inter duodecim minores Prophetas poſtremus, quo nomine *Angelus Domini* deſignatur, ex ſententia doctiſſimorum plurium Interpretum cum Eſdra Scriba doctiſſimo in Lege Domini confundendus eſt.

Quod in ampla æde columnæ, hoc ſunt Angeli in mundo, ſuſtentant nempe, & ornant, ait Philo [2]. Præſides ex illis dantur ſingulis Gentibus & Regnis, juxta Scripturam. S. Michael velut Angelus populi Dei præſens agnoſcitur [3]: de Angelo Perſidis legimus Daniel. 10. 13. & Macedoniæ Actuum 16. 9. ac tandem de Angelis plurium Gentium ſermo eſt apud Zachariam. Moyſes in Deuteronomio 32. 8. juxta Verſionem Septuaginta præfert: *Quando dividebat Altiſſimus gentes, & ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei* (Heb. *juxta numerum filiorum Iſrael*.) Sed Hebræi & plerique ex Patribus opinati ſunt [4], Deum Angelos creaſſe, uti iis veluti præſidibus Provinciarum & Regnorum uteretur. Hanc autem Angelorum per ſingulas provincias diviſionem factam reputant potiſſimum in confuſione ad turrim Babelis, cum ſcilicet diſcretæ inter ſe Nationes ſingulis Angelis curandæ, atque deducendæ in deſtinata ſibi a Deo loca, atque docendæ peculiari ſingularum lingua aſſignatæ ſunt. Theodoretus in Dan. 10. perſuaſum habet, ſingulis quidem hominum Angelum defenſorem aſſignari, Gentibus vero ſingulis Archangelum.

Eſt etiam ſuus Angelus, juxta Scripturam & Patres, qua Eccleſiis, qua cœtibus religioſis, qua locis quibuſque ſacris. S. Joannes in Apocalypſi 2. 1. 8. 12. ſcribit, ad Angelos ſeptem Eccleſiarum Aſiæ, i. e. ad Epiſcopos, & Angelos, qui una pariter cura Eccleſiis illis invigilarent: *Non ſolum Epiſcopos ad tuendum gregem Dominus ordinavit, ſed etiam Angelos deſtinavit*, ait S. Ambroſius in Luc. lib. 2. [5]. Gemina habent Origenes, S. Hilarius in Pſal. 129. S. Baſilius in Iſai. p. 854. & in Epiſt. 191. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 31. & orat. 32. ad calcem S. Hieronymus in cap. 6. Mich. & in Matth. 18. Et quantum ad loca ſancta divinis myſteriis efficiendis deſtinata, ea Angelis frequentari, quo tempore Jeſus Chriſtus immolatur, dubitaverit nemo, ait S. Ambroſius [6]. Angelum Orationis appellat Tertullianus Angelum illum, qui Eccleſiæ, ubi noſtræ Orationis thura ad Deum aſcendunt, præſes datus eſt. In obſequium facile ejuſdem Angeli juber Apoſtolus, ne fœminæ non velatæ in Eccleſiam ingrediantur: *propter Angelos* [7]. Quæ apud Joſephum de bello lib. 6. cap. 31. leguntur, auditas nimirum nocturnas paulo ante captam Urbem voces clamantium: *Exeamus hinc*; hæc inquam a S. Hieronymo de Angelis tutelaribus, Jeroſolymitanum Templum deſerentibus, intelliguntur [8]. Receptam pariter apud illos fuiſſe opinionem de Angelis in cuſtodiam Altarium Eccleſiæ deſtinatis, ex Veterum quorumdam ſcriptis apparet.

Neque prorogandum hic arbitror ſermonem de Angelis tutelaribus, ſingulis deducendis hominibus deſtinatis, qua de re juſta dedimus in Matth. 18. 10. Dogma illud fidei numquam in Eccleſia non manſit, quamquam minori ſucceſſu obtinuerit altera de Angelis tutelaribus ſingularum Gentium & Regnorum opinio. Sententiæ enim Deuteronomii, qua potiſſimum opinio illa fulciebatur, alter litteralis ſenſus ſubeſſe agnitus eſt, ex quo minor ejus defendendæ ardor Scriptoribus fuit. Videſis ea de re Commentarium.

Angelorum numerus (*) numquam non frequentiſſimus apparet. *Aſpiciebam*, ait Daniel 7. 9. *& Antiquus dierum ſedit .... fluvius igneus egrediebatur a facie ejus, millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia aſſiſtebant ei*. S. Joannes Apoc. 5. 11 perhibet, Dei thronum confertiſſima (*millia millium, & millia millium*) turba veluti corona circumdari. Tandem Jeſus Chriſtus Matth. 26. 53. ſignificat, volenti ſibi Patrem cœleſtem pluſquam duodecim legiones Angelorum, i. e. 72000. Angelorum exhibiturum. His omnibus ingens plane & numerum vincens turba ſatis exprimitur. Dei potentiam deſcribens Pſalmiſta [9], noſſe illum dicit numerum & ſingula ſtellarum nomina, camquam Rex aliquis, qui milites ſuos omnes & Præfectos Aulæ ſingulos novit. Et Pſal. 67. 18. canit, currum Dei decem millium Angelorum exercitu ſtipari.

Hujus multitudinis Angelorum ad homines comparatæ ideam aliquam exhibituri Patres, parabolam illam in medium adducunt, de Paſtore nempe, qui relictis 99. ovibus, balantem unam quæritat [10]. *Ovis una homo intelligendus eſt*, ait S. Hilarius in Matth canon. 18. *& ſub homine uno univerſitas ſentienda eſt ..... nonaginta novem non errantes, multitudo Angelorum Cœleſtium opinanda eſt*. In eamdem ſententiam loquuntur Ambroſius in *Luc. lib. 7. cap.* 15. S. Gregorius Nyſſenus contra Eunomium *cap.* 11. & Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus *Catech.* 15.

Alii ea de re in hunc modum philoſophari ſunt [11]. Ex Urbis cujuſdam amplitudine de incolarum numero judicium formatur, cum igitur terra ad Cœlum & aerem comparata punctum videatur, ita pariter de Angelis reputandum, ut proinde multitudine homines in immenſum vincant. Titus Boſtrenſis ad *Luc.* 12. in illa verba Jeſu Chriſti, *Nolite timere puſillus grex*, ſcribit, homines univerſos, quotquot unquam fuerunt ac futuri ſunt, minimum referre gregem, ſi cum Angelis comparentur. Author Cœleſtis Hierarchiæ ſub S. Dionyſii Areopagitæ nomine deliteſcens, *cap.* 14. ſentit, Angelorum multitudinem numerum omnem vincere, nihilque habere in univerſa natura ſuperius. Æneas Gazenſis [12] omnia, Cœlum nempe, & aerem Angelis & Dæmonibus frequentari dicit, quin etiam & mare & terram adeo Spiritibus illis ebullire, ut nihil vacuum, ne ſpatium quidem digito vel ſpicæ capiendæ ab illis relinquatur. Addit, homines, etiamſi ad mille annos vitam propagarent, minorem tamen liberorum numerum edituros fuiſſe, quam qui Angelorum & Dæmonum multitudinem referret. Vetus eſt oraculum apud Lactantium (13), Angelos & Dæmones imminente a tergo ſuperni Numinis flagello maria & terras omnes decurriſſe.

Quo vero de numero Dæmonum ad Angelos collato impræſentia agamus, illud animadvertendum eſt, tertiam Angelorum partem a Deo rebellantem in Inferni tartara detruſam fuiſſe, quæ illorum opinio ex illo *Apoc.* 12. 4. derivata eſt, in quo tertiam ſtellarum Cœli partem in terram cauda ſua detraxiſſe draco-

(1) *Vide Chald. Serar. & Comment. noſtr.* (2) *In Excerpt. Damaſc. l. 1. qu. in Gen.* (3) *Dan.* 10. 21. *Michael Princeps veſter*. (4) *Orig. hom.* 35. *in Luc. hom.* 16. *in Gen. & hom.* 8. *in Exod. Euſeb. Demonſtr. lib.* 4. *Epiph. hæreſ.* 51. *Chryſoſt. hom.* 3. *in Epiſt. ad Epheſ. Cyrill. in Julian. lib* 4. *Alii paſſim ex Latinis, ut Hieron. alii.* (5) *Vide & Orig. in Luc. hom.* 13. *&* 23. (6) *In Luc. Ne dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, quando Chriſtus immolatur.* (7) 1. *Cor.* 11. 10. (8) *In Iſai.* 66. *& Epiſt. ad Paul. & Euſt.* (*) Angelorum numerus. (9) *Pſal.* 146. 4. (10) *Matth.* 18. 12. *Luc.* 15. 4. (11) *Cyrill. Jeroſol. loc. cit. Didymus cœcus apud Maxim. ad c.* 14. *Dion. de Cœleſti Hierarch.* (12) *In Bibl. Patrum.* (13) *Lact. l.* 1 *cap.* 6.

dracnaem legimus. Cum igitur inſignes plures Authores (1) docuerint, homines prædeſtinatos rebellium Angelorum numerum ſuppleturos, tacita inde conſecutione inferretur, hominum numerum Angelorum exceſſurum; certo enim conſtat, ne tertiam quidem hominum partem ſalutis compotem futuram. Dubitat etiam S. Auguſtinus Enchir. cap. 29. an hominum prædeſtinatorum numerus malorum Spirituum multitudinem vincat. Quare ejus S. Doctoris ſententia minor eſt, quam pro aliorum opinione Angelorum & Dæmonum numerus S. Gregorius Magnus hom. 34. in Evang. Magiſter Sententiarum in 2. diſtin. 9. & Guillelmus Epiſcopus Pariſienſis (2), quibus ea ſedit opinio, prædeſtinatorum ad gloriam numerum Angelorum, qui in fide manſerunt, turbam adæquaturos, infinitæ Angelorum multiplicationi minus ſane faveat. Sed in hoc argumenti genere a lingua & a cogitatione temperare, quam metas excedere diſcutiendo, præſtat.

Scitum eſt tota Antiquitate, Angelos (†) in plures diſtributos claſſes politico quodam inter ſe ordine ſubmitti, ſed hujus politiæ ratio ferme eſt in obſcuro. Totius militiæ cœleſtis Principem, & populi Iſraelitici in terra patronum & defenſorem, ac tandem Archangelorum omnium primum, Michaelem conſtituunt Hebræi. De illo dictum arbitrantur in Exodo: *Præcedet te Angelus meus*, (Hebr. *facies mea*) *& eſt nomen meum in illo* (3). Illum pariter ſpectatum credunt a Joſue, cum toto provolutus corpore Angelum adoravit (*). Appellant autem plerumque nomine *Metatron*, quod ipſum creditur ac *metator* apud Latinos (†), quo ſcilicet deſignatur in exercitu Romano Præfecti, metandorum caſtrorum curatores. Porro S. Michael exercitum Iſraelitarum ducebat per deſerta, loca caſtrorum deſignabat, & tempus, quo ſive ponenda, ſive movenda caſtra fuiſſent. Autumant inſuper, eumdem Angelum intermedium ſe pro hominibus coram Deo conſtituere, ut nemini, niſi per Michaelem, ad Deum acceſſus pateat. Donant inſuper titulo magni Scribæ, quod ſcilicet merita univerſi populi Iſraelitici in cenſus referat, eoque inſignitus munere, in Cœlo ſolus aſſidet, ceteris Angelis omnibus ſtantibus. Quæ ſane Angeli prærogativa plura venditandi jactabundis Hebræis occaſionem præbet. Synagogæ imitatione Chriſtiana pariter Eccleſia tamquam Principem ſuum, & Angelum, cui animas Judicio Dei ſiſtendi cura demandata eſt, S. Michaelem veneratur.

In decem claſſes, ſive ordines, Angelorum cœtum diſtribuentes Hebræi (4), ſua ſingulis nomina appingunt. 1. *Animalia Sancta* appellant, quo nomine Angeli per viſum ab Ezechiele ſpectati cenſebantur; 2. *Rota*, currum gloriæ Domini portantes; 3. *Leones Dei*, vel robur ſupernaturale; 4. *Chaſmalim*, quo Hæbraico nomine *electrum* deſignatur; 5. *Seraphim* ſive ardentes, ignei; 6. *Angeli*, miſſi, Legati; 7. *Elohim*, Dii, Principes; 8. *Filii Deorum*; 9. *Cherubim*, ſive ex pluribus conſtantes formæ; 10. *Homines*, quod ſcilicet ſæpe hominis aſſumpta ſpecie videndos ſe præbeant, & ſub humano nomine plerumque in Scriptura deſignentur.

De numero, & ordine claſſium in Angelorum Hierarchis in varias a Patribus Eccleſiæ ſententias abitum eſt. Autumarunt plerique (5), Apoſtolum, quibus in locis de Thronis, Poteſtatibus, Dominationibus, & Principatibus agit, nonnullas tantum ex pluribus Angelorum claſſes enumeraſſe, quas omnes Scriptura eo generali nomine *militia cœleſtis* deſignaverit; id autem inſinuatum ab eodem Apoſtolo, cum ad Epheſ. 1. 21. ſcribit: *Deum eſſe ſupra omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſæculo, ſed in futuro*. A primis illis Angelis uſque ad infimos homines infiniti creaturarum ratione utentium ſunt gradus, ait Origenes in Joannem pag. 69. edit. Huet.

Alii ex Patribus (6), certos quoſdam ordines cœleſtium Spirituum agnoſcunt in locis Epiſtolæ ad Romanos, & ad Epheſios: ſed ordines illos ad novem determinatos nuſpiam legimus ante Authorem Librorum de Hierarchia, ſub S. Dionyſii Areopagitæ nomine latentem (7), & S. Gregorium Magnum (8), quorum deinde authoritas numerum illum in Scholas Theologiæ invexit. Ante illam ætatem alii octo, alii ſeptem gradus diſtinguebant (9); variat etiam ea in re Sanctus Paulus, nec uniformem ubique numerum deſignat. In earumdem claſſium diſtributione pariter inter S. Gregorium Magnum, & Authorem Hierarchiæ non convenit. S. Gregorio probatur ordo Epiſtolæ ad Coloſſenſes 1. 16. Authori vero Hierarchiæ Epiſtolæ ad Epheſ. 1. 21. His ergo totam illam de Angelis œconomiam idem Author conſtituit. Totam Angelorum Rempublicam in tres Hierarchias partitus, ſingulis tres Angelorum claſſes aſſignat. Primam implent Seraphim, Cherubin, & Throni; ſecundam Dominationes, Virtutes, & Poteſtates, tertiam Principatus, Archangeli, & Angeli.

De ſingulis Angelorum muneribus, atque earumdem claſſium inſignibus fuſius agere, utpote quod ingenium noſtrum excedit, temperamus; id ſolum adnotaſſe contenti omnes haſce Dominationes, Poteſtates, Principatus ad Regnorum, & Imperiorum hujus Mundi ſimilitudinem exprimi. Spectantur enim in terra, præter Summos Reges, Proreges, Principes, Præfecti, Magiſtratus, & ſecundarii plures Præfecti, quibus veluti ſummæ illius Poteſtatis depoſitum creditum eſt, atque adminiſtris pro ſuo ſingulis ordine utitur Imperator.

Cum Angelorum naturam Deus ſpiritalem (*), & intelligentia præditam inſtruxerit, ut illis adminiſtris uteretur, laudes ab ipſis ſuas exigeret, ad manifeſtandas voluntates ſuas hominibus mitteret, ita comparatos fuiſſe illos oportuit, ut quæcumque ſpiritu, & voluntate conciperent, manifeſtare ceteris poſſent, quod nos vulgari ſermone, loqui, appellamus. Neque enim, ait S. Chryſoſtomus (10), ita reputandum eſt, quaſi lingua inſtructi articulatæ ſonum vocis illi edere valeant; ſed peculiari ſibi promendi intimos conceptus ſuos, valde ab humana diſcrepante, ratione inſtruuntur. Nec aliud voluit Apoſtolus illis verbis 1. Cor. 13. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*; aliud, inquam, non voluit, quam nihil ſe futurum, ſi charitate deſtitueretur, etſi quanta homo pollere poteſt eloquentia, vel quanta Angelus promendi (11) conceptus ſuos facilitate valeret.

Sed quæ Angelorum inter ſe colloquendi ratio? Quomodo in laudes illos Dei reſolutos Iſaias & Ezechiel auſcultarunt (12)? quomodo inter ſe colloquentes Danieli & Zachariæ auditi ſunt (13)? Autumarunt alii (14), linguam Hebraicam, quæ brevioribus verbis plura, quam ceteræ omnes, exprimit, uſibus etiam Angelorum & Beatorum in Cœlo manere. In ſcriptis Rabbinorum (15) legitur de Jochanam filio Zochai, qui noſſe ſe jactitabat ſermonem Angelorum & Dæmonum, quorum illos exorcizabat, hos adjurabat. Alarum inſtrumento loqui Angelos ex Rabbinis alius arbitrabatur, Ezechielis 1. 24. verbis perſuaſus: *Audiebam ſonum alarum*. Quid de alloquio

(1) *Aug. Enchirid c. 29. & l. 22. de Civit. c. 1. Anſel. l. 1. Cur Deus homo c. 18 Iſidor. de ſummo bono c. 11. Moſ. Barcepha de Paradiſo, par. 1.* (2) *In ſecunda part. de Univer. c. 18.* (†) Ordo inter Angelos. (3) *Exod. 23. 14.* (*) *Joſue 5. 13.* (†) *Buxtor. Vide Baſnag. hiſt. Judæor. t. 4. l. 6. c. 9. n. 9. 10. edit. Par.* (4) *Maimon. Fundam. Leg. c. 11.* (5) *Hieron. in Epheſ. 1. Chryſ. hom. 4. de incomprehenſib. Dei Natura & hom. 5. contra Anom. & hom. 3. ad Epheſ. Vide Origen. lib. 1. de Princip. cap. 5. & in Jo. edit. Huet. pag. 32. Theodoret. Oecumen. Theophylac. in Epiſt. ad Epheſ. 1.* (6) *Vide, ſi placet, PP. apud Petav. lib. 2. de Angel. cap. 1.* (7) *Cap. 6. &c.* (8) *Hom. 34. in Evang.* (9) *Hieron. lib. 2. cont. Jovin. Baſil. c. 16. de Spir. S. Caſſian. Dial. 1 9. 44.* (*) Angelorum loquutio. (10) *In 1. Cor. 13.* (11) *Theophyl. ibid.* (12) *Iſa. 6 3. Ezech. 3. 12.* (13) *Dan. 8. 13. 16. & 12. 6. Zachar. 1. 9. 10. 11.* (14) *Vide Scipion. Sgambat. Archiv. V. T. lib. 2. art. 4.* (15) *Vide Ligfoot. in 1. Cor. 13. 1.*

Deorum in Cœlo alterius plane ab humana in terris ratione, Pagani comminiſcantur, ſatis conſtat (1). Communi uſuros lingua in Cœlo, Beatos poſt Reſurrectionem ſentiunt e Schola Theologi. Aliu improbatus eſt apud Veteres Theodorus Mopſueſtenus (2), qui Scripturæ phraſes illas, Deo & Angelis ſenſibile quoddam eloquii genus tribuentes, ad litteram uſurpabat.

Sed hæc argumentum promovent, non excutiunt. Nemo ætate noſtra aſſerendum ſibi ſuſcipiet, Angelos Hebraice loqui, neque humanum aliquod verbum promere, dulces inter ſe miſcentes ſermones. Si conſueta hominum ad homines lingua uſos legimus aliquando, id quidem illis ſingulare fuiſſe & prodigioſum conſtat. Philoponus aliique nonnulli Recentiores (3), in laudatis illis Apoſtoli verbis hyperbolicum aliquid ſuſpicati ſunt, locutum illum autumantes, quaſi diceret, ſe lingua etiam Angelica inſtructum, & quanta Angelus valeret, eloquentia pollentem, ſiquidem proprio Angelus inſtrueretur eloquio, nihil tamen ſine charitate aſſecutorum. Hæc porro explicatio maxime prona & ad litteram, non argumento noſtro, ſed tantum Textui Apoſtuli exponendo deſervit.

Docet Theodoretus (4), Angelorum eloquium non ſenſibile, ſed intellectuale reputandum eſſe; eſt enim puri illius Spiritus & voluntaris operatio, qua intimos conceptus mutuo promere volunt. S. Gregorius Magnus Moral. lib. 2. cap. 5. ſcribit, Deum ad Angelos loqui, latentes ſibique intimos detegendo ſenſus, atque dulci quadam & forti ſuadela trahendo, ut quæ maxime voluerit, executioni ſtatim ab illis demandentur; Angelos autem viciſſim ad Deum loqui, cum in contemplationem majeſtatis ipſius admiratione rapiuntur. Addit tandem: *Animarum verba ipſa ſunt deſideria*. Philippus Presbyter, Author Commentarii in Job, mutuas Angelorum voluntates loco ſermonis apud illos haberi autumat (5); in quam pariter ſententiam S. Thomas (6) conceſſit; nullam enim ille aliam Angelici colloquii rationem concipit, quam quod *per voluntatem conceptus mentis Angelicæ ordinentur ad alterum*. Hæc ſane ad noſtras ideas ambigua ſunt & obſcura; ſed argumenti ſublimitas evidentiam noſtram recuſat, evidentiam, inquam, quam in ceteris operationibus ab experientia pendentibus & intra nos factis, non fruſtra interdum requirimus.

Impenſus Angelis cultus vetuſtiſſimus eſt apud Judæos (*); cultus, inquam, quo tamquam Dei miniſtris, & inter illum ac homines intermediis honor impenditur, vota ad illos & preces diriguntur, atque mille grati in ipſos animi & venerationis argumenta exhibentur. Moyſes & Joſue in obſequii documentum, calceamenta ſua coram Angelo ſibi per viſum apparente detraxerunt; alter nempe in ſpectro rubi ardentis (7) alter in agro Jericho (8). Abraham coram exceptis in ſuum tabernaculum Angelis proſtratus eſt (9); & Daniel coram Angelo ſibi in ripa Tigridis occurrente (10). Monuit Iſraelitas Moyſes, ut plenum timoris obſequium exhiberent Angelo Domini, quo præeunte ducebantur (*). Jacob non ſine lacrymis rogat Angelum, quocum luctatus fuerat, ne diſcedens benedictione ſua ſe fraudaret (11); in mortis autem lecto decumbens rogat Angelum, qui ſibi præſidio fuerat, ut benedictione ſua natos ſibi ex filio nepotes Ephraim & Manaſſem (12) donet.

Ita de Angelis loquitur Philo (13), quaſi de conciliatoribus pacis inter Deum & hominem, qui hominum neceſſitates Deo exponentes, quas impetraverint ab ipſo gratias ad homines referant. Aures ſunt & oculi ſupremi illius Numinis, quibus inexploratum nihil, nihil inauditum, qui Dei ad homines juſſiones, ab hominibus vero ad Deum preces referant. Tyrones ſuos ſacramentis adjurabant Eſſeni, ut Angelorum nomina ſedulo cauteque apud ſe conſervarent (14); unde facilis conjectura de impenſo ab illo hominum genere erga Angelos cultu. S. Paulus ad Coloſſenſes 2. 18. *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*. His verbis ſugillantur Judæorum Doctores, recens ad fidem converſis Fidelibus dogmata illa inſtillantes.

Vetus Author Libri apocryphi prædicationis S. Petri, loquentem eumdem Apoſtolum inducit (15), Judæos cultum impendere Angelis & Archangelis, & menſes ſuperſtitioſe obſervare. Non cultum tantum Angelorum, ſed Cœli pariter, vitio Judæis vertebat Celſus (16); cujus dicta Origenes in iis, quæ de cultu Cœlorum commentus eſt, refutans, nihil de adoratione Angelorum addit; quin & aſſerit, reipſa a Judæis cultos in Commentario ad Joannem pag. 212. edit. Huet. Ex Evangelio pariter conſtat, Cœli nomine ſacramento ſeſe obligaſſe (17); quod idem & Angelorum nomine ab ipſis præſtitum teſtatur S. Hieronymus (18). Inſinuat etiam Philo aliquem erga Angelum cultum; poſtquam enim docuit, Angelos, Dæmones, & animas hominum ſolo inter ſe nomine & geſti muneris adminiſtratione differre, addit, doctrina illa maxime relevari homines ingenti ſuperſtitionis onere (19). Quarumnam ſuperſtitionum, niſi apud indoctum vulgus regnantium?

Recentiores Judæi tuentur, nullum a ſe impendi Angelis cultum; & in precibus ſuis Angelorum mentionem admiſcentes, inter errantes homines amandant. Joſephus Albus anathema in ſuis catecheſibus adverſus illum pronunciat, qui Angelum ſive Dominationem aliquam cœleſtem rogaverit. Kimchi contendit, nefas eſſe Angelos vel eorum Principes, uti Gabrielem, & Michaelem, invocare. Inviti tamen reluctanteſque productis argumentis evincuntur, cultum Angelis reapſe impendiſſe (20). Litanias quaſdam vel ſupplicationes, quibus invocatio Angelorum expreſſa eſt, producit Bartoloccius Bibliot. Rabin. tom. 1. & D. Simonius (21) directam ab illis ad Angelum tutelarem precem quamdam recitat, qua ſanctus ille & venerabilis Dei miniſter invocatur, ut conſervationem præbeat & tutamen (22). Aliud teſtimonium in eam rem ex Scholiis Gedaliæ in Joſephum Album producit Griſendus apud Bartoloccium lib. 1.

Synagogæ erga Angelos Religionis hæres Eccleſia Chriſtiana; eorum cultum, ſicut & fidem de Angelorum exiſtentia eorumque impenſo hominibus præſidio, retinuit. Numquam ab eo receſſit dogmate, offerri nimirum ab illis Deo mortalium omnium preces; cujus ſymbolum exhibens S. Joannes Apocalyp. 5. 8. Angelum inducit, fumantem acerram coram Deo elevantem. Patres vero illi (23), qui contra religionis noſtræ adverſarios cultum & honorem erga SS. Martyres defenderunt, cultum pariter erga Angelos aſſerere, ſuarum partium eſſe autumarunt; qua in re iiſdem pariter exceptionibus & limitationibus utrinque uſi ſunt. Docuerunt igitur, quem Angelis & Martyribus impendebant honorem, ſupremo alteri, quem latriæ appellabant ſummo Deo debitum, multum conceſſiſſe; neque enim niſi inferiori & ſecundario cultu Angelos venerari ſe ſignificarunt.

Ange-

(1) *Homer. Iliad. Plat. in Phædro. Dio Chryſoſt. Serm. Boriſth. & Serm. Perieſcheton. Et Maxim. Tyr. Diſſ. 26.* (2) *Vide Philopon. de Mundi Opific. c. 12. Nyſſen. lib. 12. contra Eunom. pag. 349.* (3) *Philop. loc. cit. Eſt. Tir. Men. Sculetor. Piſc. alii.* (4) *Theodoret. in 1. Cor. 13. 1.* (5) *In Job. lib. 2. cap. 24. Collocutionem Angelorum aſtimo mobilem quemdam voluntatum fuiſſe conſenſum potius quam ſonora colloquia.* (6) *1. p. q. 107. ar. 1. Ita & Albertus Magnus.* (*) Angelorum cultus. (7) *Exod. 3. 5.* (8) *Joſ. 5. 13. 14.* (9) *Gen. 18. 2.* (10) *Dan. 10. 5. 6.* (*) *Exod. 23. 20.* (11) *Oſee 12. 4. Gen. 32. 26.* (12) *Gen. 48. 16.* (13) *De Gigant. pag. 286. & de Plantat. Noe pag. 216. de Somniis. pag. 586.* (14) *De Bell. l. 2. c. 12.* (15) *Apud Clem. Alexan. Stro. l. 6. pag. 635. 636. &c.* (16) *Orig. cont. Celſ. l. 5.* (17) *Matth. 5. 34.* (18) *In Matth. 5. & 9. 15. ad Algaſiam. Vide & noſt. Comment. in Matth. 5. 34. & ad Coloſſ. 2. 18.* (19) *Philo de Gigant. pag. 286.* (20) *Vide Baſnag. Continuat. Hiſt. Judæi. l. 6. p. 10.* (21) *Penſut. in Leon. Moden.* (22) *Griſend. apud Bartoloc. l. 1. p. 206.* (23) *Cyrill. Alex. l. 6. cont. Julian. pag. 203. Aug. lib. 20. contra Fauſt. cap. 21. & lib. 1. contra Maxim.*

Angelus ille Apoc. 22. 8. 9. honorem ſibi impendere volentem Joannem Evangeliſtam prohibuit, obteſtans: *Vide ne feceris: conſervus enim tuus ſum, & fratrum tuorum Prophetarum &c. Deum adora.* Prohibuit autem, quod Apoſtolus Deum illum eſſe ratus, divinos ipſi honores impendere colebat. Concilium Laodicenum apud Theodoretum in Coloſſen. 2.18. prohibens, ne Jeſu Chriſto hominum ad Deum intermedio omiſſo, ad Angelos dirigamur, eo ſenſu explicandum eſt, quaſi Angelorum interceſſionem potiori loco, quam Jeſu Chriſti haberi prohibeat. Abſit autem ut tales errores adoptemus.

ARTICULUS II.

De malis Angelis.

MAlorum Angelorum ſive Dæmonum caterva ſub Reipublicæ cujuſdam ſpecie, cui Lucifer præſit, in Scriptura plerumque exhibetur (†). *Ite ad ignem æternum, qui preparatus eſt Diabolo & Angelis ejus*, ait Jeſus Matth. 25. 41. Ipſe etiam Diabolus diſtinguitur titulo *Principis hujus mundi* [1], *Principis tenebrarum* [2], *Principis poteſtatis aeris* [3], *Serpentis* [4], *Belial* [5], *Beelſebub* [6], *Sohammael* [7], *Behemoth* [8], *Satan* [9], *Draconis* [10], *Angeli exterminatoris* (11). Quibus omnibus nominibus indoles & ingenium ſæviſſimi hujus Dei & hominis adverſarii demonſtratur; *Diabolus* enim exprimit calumniatorem; *Satan* adverſarium; *Belial* effrænem, perduellem ſceleſtum; *Sohammael* exterminatorem; *Behemoth* nomen eſt belluæ alicujus immanis, ut elephantis, hippopotami, quod S. Gregorius Magnus allegorice de Diabolo exponit; *Beelſebub* nomen eſt Dei Accaronitarum, facile muſcam colentium, ut *Beelſebub* idem ſit ac Deus muſcarum. *Lucifer* matutinam ſtellam deſignat; quo nomine ideo Diabolus appellatus eſt, quod lapſum & ſuperbiam Regia Babylonis ab Iſaia expreſſi, Dæmonis caſum expreſſiſſe videretur (12). Nomina *Serpentis*, & *Draconis* ingenium nequiſſimi illius ſpiritus ſatis per ſe exprimunt; quemadmodum & nomina impuri ſpiritus, Spiritus nequam, Angeli mortis, & calumniatoris fratrum. Unde titulus ille Principis poteſtatis aeris deſumptus ſit, infra demonſtrabimus.

Animadvertiſſe oportet, in Libris Veteris Teſtamenti Hebraice ſcriptis nullum exprimi peculiare nequiſſimorum Angelorum nomen; ſed tantum nominibus quibuſdam generalibus, Principem malorum Spirituum deſignantibus legi. Tobias (13), qui Ninive ſcribebat poſt tranſlatas trans Euphratem decem Tribus, *Aſmodæi* meminit, qui priores illos Saræ filiæ Raguelis viros occidit. Ab eo tempore nihil de Angelorum pravorum nominibus legimus, uſque ad ætatem Jeſu Chriſti, qua nomen *Beelſebub* Principi Dæmonum collatum eſt in Evangelio. Ex quo tamen nulla deducenda eſt conjectura de ignoratis ad eam uſque ætatem apud Judæos malorum ſpirituum nominibus; plura enim ex illis continet Liber apocryphus Enoch, ante Jeſu Chriſti ætatem, uti quidem apparet, deſcriptus.

Legitur in eo Libro filias hominum (*), numero jam auctas *Egregoros* ſeu Vigiles, ita enim a Chaldæis Angeli appellantur, deperiiſſe, ſeque motos, ut cum illis commiſcerentur adhortatos fuiſſe. Ducentorum numerum implebant, præeunte omnibus 1. *Semexia* (14), una cum aliis 19. nimirum 2. *Atarcuph*, 3. *Araciel*, 4. *Chababiel*, 5. *Orammanes*, 6. *Ramiel*, 7. *Sapſic*, 8. *Zaciel*, 9. *Balciel*, 10. *Azalzel*, 11. *Pharmarus*, 12. *Amariel*, 13. *Anagemas*, 14. *Thuaſael*, 15. *Samiel*, 16. *Surinas*, 17. *Eumiel*, 18. *Tyriel*, 19. *Suriel*.

Cum omnes jurato conveniſſent, facturos quidquid a Semexia Principe fieri viderent, illo præeunte, fœminas omnes, quotquot erant in terra, ſibi vindicantes, effrænem cum illis licentiam exercuerunt. Nefarii hujus connubii fructus nati ſunt Gigantes, monſtra illa hominum tota antiquitate notiſſima.

Azalzel, inter pravos Angelos decimus (*), homines docuit fabricare arma, conflare in nummos metalla, ac tandem mulierum ornamenta formare; demonſtravit pariter ferri & gemmarum uſum. *Semexia* Gigantes inſtruxit, quomodo robore ſuo uterentur, & paſſiones ſuas emoverent. Herbarum & venenorum vires oſtendit *Pharmarus*; nec ignaros voluit excantationum, faſcinationum, tum & artium, quibus hæc omnia caſſa & irrita efficerentur. *Balcieli* accepta refertur Aſtronomia; *Chababieli* Aſtrologia; *Zacieli* divinatio per aeris inſpectionem; *Aracieli* ſigna terræ; *Sapſic* ſigna lunæ. Hæ Angelorum perduellium inventa, conjugibus ipſorum & filiis commiſſa; hinc pariter malorum in terram eluvio.

Boni Angeli, cœleſtis exercitus Principes, *Michael*, *Raphael*, *Gabriel*, *Uriel*, omnium earum rerum certiores facti, querelas ea de re ſuas ad ſupremum Numen deferentes, id effecerunt, ut opportunis juſſionibus ſævienti malo occurreretur. Urieli igitur commiſſum eſt, ut raptim ſe ad Noemum filium Lamechi conferens, moneret, ut aliquanto temporis ſpatio lateret, imminere enim in terram diluvium, quo omnia quæcumque in ejus ſuperficie eſſent, corrumperentur. Adjecit inſuper Deus, virum ſanctum moneret quidquid illi præſtandum eſſet, tum imminenti malo avertendo, cum etiam ut novæ ſtirpis pater efficeretur.

Raphaelem pariter Dominus mandatis oneravit, ut alligatum vinculis Azazelem in tenebras projiceret, aperiret deſertum *Dudael*, quo vinctum illum raptaret, atque lapidum aſperorum ſtrue operiret, glomeratas etiam tenebras affunderet, indignos oculos clauderet, ac tandem extrema Judicii die igni ejectum aſſervaret. Denique, inquit, repara malum quod Vigiles illi in terram invexerunt, illo iniquitatis myſterio, quod ipſi uxoribus ſuis, & filiis revelarunt. Tum Gabrieli Deus præcepit, ut contra Gigantes filios Vigilum movens, inter ſe mutuo committeret, quo ſcilicet in mutuas irruentes cædes, mutuo pariter ad unum delerentur. Michaeli præceptum datum eſt, alligandi Semexiam ceteroſque ejus partibus fautores. Poſtquam vero, adjecit, truculentam Gigantum filiorum ſuorum cædem oculati teſtes ſpectaverint, ceteris onerati in deſertis detineantur ad extremam uſque Judicii diem, ſeptuaginta ſcilicet generationum intervallo. Eo enim temporis articulo in carcerem æternum perpetuo igne torridum detrudentur. Homines pariter in effrænem licentiam prolapſi, qui que damnationem criminibus promeruerint, in tenebricoſos carceres una cum illis præcipites agentur.

Spectare licet in eo Libro dogma veterum quorumdam Judæorum de lapſu & tempore ſupplicii pravorum Angelorum manentis. Juxta fidem hujus narrationis intelligimus, 1. Angelorum perduellium exitium nonniſi longa ante diluvium ætate contigiſſe, occaſione ſcilicet deperditi pravorum Angelorum in filias hominum amoris. Ex quo pariter recta conſequutione deducitur, 2. corpore compactos eſſe, nec generandi facultate deſtitutos, etiam ſi cum altero rerum genere commiſcerentur. 3. Tandem ejus Operis Scriptor perſuaſum habet, pravos Angelos vinculis adſtrictos in deſerto ad Judicii uſque diem detineri; tunc autem in tartara una cum damnatis ceteris detrudendos.

(†) Nomina. (1) *Jo.* 12. 31. (2) *Epheſ.* 6. 12. (3) *Epheſ.* 2. 2. (4) *Gen.* 3. 1. 13. 14. *Apoc.* 12. 9. (5) 2. *Cor.* 6. 15. (6) *Matth.* 10. 25. & 12. 24. *Luc.* 11. 15. 18. 19. (7) Deeſt nomen in Scriptura, ſed in Rabbinis legitur. (8) Eo nomine cenſetur a S. Gregorio Diabolus. Behemoth, legitur *Job* 11. 10. (9) *Job* 1. 6. 9. 17. & 2. 1. 2. 3. & 1. *Par.* 21. 1. *Zach.* 3. 1. 2.

(10) *Apoc.* 12. 3. (11) *Judith.* 7 15 & 1. *Cor.* 10. 10 (12) *Iſai.* 14. 12. (13) *Tob.* 3. 8. (*) Summa Libri Enoch, & malorum Angelorum lapſus. (14) Seu potius Semiexas. Rabbini appellant Samchaſi, & Azael duos Principes Dæmoniorum. *Jonathan in Gen.* 6. 4. *Rabbi Salomon in Num.* 13. 34. (*) Pravorum Angelorum creatio.

Tot plane errores, quot verba; ſed vetuſtiſſimi plane errores, quorum ſuperſunt veſtigia tum in Scriptis Doctorum Judæorum, tum etiam veterum Patrum, qui Libro Enoch plus nimio detulerunt; quemadmodum de Epiſtola S. Judæ agentes demonſtrabimus. Conſtat plane, Dæmonem e ſtatu felicitatis & gratiæ jam excidiſſe, cum tentandam Evam ſuſciperet. Opinio illa, quæ corpore conſtare Angelos, amore fœminarum tangi, atque generandi facultate inſtructos eſſe conſtituit, vix ac ne vix quidem defenderetur. Tandem nullus reſtat ambigendi locus, poſt aperta Sacræ Scripturæ teſtimonia, & oracula Eccleſiæ, Dæmones Inferni jam ſupplicio addictos modo torqueri. Sed fuſius de ſingulis agendum.

Recepta Patrum [1], & Theologorum ſententia tenet, Angelos pariter omnes unam eamdemque naturam ab exordio retuliſſe, ut inter bonos pravoſque Angelos diſcretio non a Deo authore, qui creaturas omnes rectas conſtituit, repetenda ſit, ſed a nequitia & corruptione pravorum Angelorum, *qui non ſervantes ſuum principatum* [2], tumore mentis & detrectandi alterius imperii audacia, veluti gravi adacti pondere, e felicitate & gloria, qua ab ipſa ſua creatione donati ſunt, exciderunt. Vidimus in ſuperioribus ſententiam ea de re Philonis [3], autumantis, bonos Angelos, Dæmones, & animas hominum ſolo nomine differre; ſicut & Joſephi de bello lib. 7. cap. 25. cui perſuaſum erat, Dæmones corpora hominum infeſtantes ipſiſſimas eſſe impiorum animas, quæ prioris corporis contubernio deſtitutæ, alterum quæritarent, metu ne in abyſſum ſuppliciis æternis addictæ detruderentur.

De natura & origine Dæmonum non ſatis convenit inter Hebræos (†). Alii enim compactos corpore autumantes, ſexuum inter illos diſcrimen invehunt; & quæ diſcrepationem illam conſequitur, generandi facultatem illis liberaliter permittunt; ac tandem morti obnoxios pronunciant. Alii vero ſpiritales conditos fuiſſe ideo credunt [4], quod ſabbati religio eo temporis articulo, quo creandos illos ſuſcepit, inviſſet; quare temporis opportuni defectu a creando illis corpore deſtitiſſe. Referunt alii natos ex concubitu *Sammaelis* Principis Dæmonum cum Eva, antequam illa cum Adamo commiſceretur. Non deſunt qui Adami filios reputent; quamquam varias illis parentes varii conſtituunt, uti *Noemam* ſororem Tubalchaim [5], quam fœminam vetuſtate inſignem, & modo etiam ſuperſtitem, comminiſcuntur. Malunt alii *Lilith*, quam dicunt a thoro Adami ſecedentem, furtim ſe ab ejus conjugio ſubduxiſſe. Tres Angeli ad eam fœminam cum priori viro reconciliandam miſſi ſunt; ſed fruſtra illi, quamquam id tandem impetrarunt, ne infantes in iis locis offendens, ubi ſcripta illa trium Angelorum nomina legerentur, *Senoi*, *Sanſenoi*, & *Samangeloph*, interficeret. Secedentes igitur Angeli mulieri dira imprecarunt, cujus maledictionis tanta fuit vis, ut ſingulis diebus centum ex Dæmonibus ejus liberis interirent. Judæi novæ puerperæ conclave ab infeſta Lilith liberaturi, quippe quæ recens natis infantibus inſidietur, hæc in parietibus deſcribunt; *Adam, & Eva hic adſint; & exulet Lilith*; in ſuperliminaribus vero tria illa nomina Angelorum ſcribunt *Senoy Sanſenoi*, & *Samangeloph*.

Dæmonem illum, cujus fraude Eva ſeducta eſt, ipſum reputant *Sammaelem* Principem Dæmonum, qui Serpentem adequitans, ad fœminam ſeducendam ſe contulit; eumque eo commixta mulier Cainum filium genuit. His omnibus addunt alii [6], *Azam* & *Azaelem* e Cœlo ſceptro ferreo depulſos, in abyſſum deſcendiſſe, unde exeundi rationem una cum aere, quo obvoluti ſunt, invenerunt; eoſque aeris amictu protecti per omnia diſcurrunt loca, & aereum ſibi aptant corpus, quo maritali copula commiſceantur. Ex iis connubiis ingens illa Proſelytorum turba producta eſt, quæ Iſraelitis ex Ægypto digredientibus admixta [*], ſeditionum, murmuris, & idololatriæ fomitem non ſemel in deſerto miniſtravit.

Chimeras, & fabellas ne præmoniti quidem Lectores ſatis intelligent; quibus neque fidem ſuam addixiſſe Hebræorum Sapientiores ultro agnoſcendi ſunt. Maimonides [7] non obſcure docet, Dæmones omni corpore, & materia ſecretos, ſubſtantias eſſe prorſus a corpore diſtinctas; quamquam ejus Scholiaſtes [8] receptum inter Judæos dogma eſſe profitetur, corpore ex aere ignique Dæmones componi. Singuli illi Doctores in ſuas abeunt ſententias, quemadmodum & in Scholis receptum eſt. In eo tamen Doctores illi a noſtrorum Theologorum moribus diſcrepant, quod noſtri in rebus fidei certum aliquid fixumque, ſuprema quadam authoritate, vel Scriptura nempe, vel traditione, vel Eccleſia determinatum teneant; cum Rabbinis errantis phantaſiæ deliramenta ſectari integrum ſit: quibus ſemel data via ineptire illis, & vana pro ſeriis venditare permiſſum eſt.

Ceterum quæ de origine Dæmonum ſparguntur commenta non recens invecta ſunt, ſed ab ipſis prioribus Eccleſiæ ſæculis obrinuiſſe, ex Operibus vetuſtiſſimorum Patrum Eccleſiæ intelligimus. Horum plerique adverſus Paganos diſceptantes, conſtituunt Dæmones aeris cujuſdam corporis amictu, ſed impuro & ſordido, circumdatos, nidore ſacrificiorum paſci, carnium adipe, & ſanguine victimarum, quæ falſis Diis, ipſis nempe Dæmonibus, offerrentur. Creatum primo Mundum Deus Angelorum gubernationi commiſit, ait S. Juſtinus Martyr [9]; ſed hi conceſſa ſibi poteſtate abuſi, & juſſionibus Domini neglectis, puellarum amoribus implicitiſunt, eoque nefario concubitu nati, quos Dæmones appellamus. Corruptæ fontis corruptiſſima fluenta criminibus, audacia, impudicitia, & licentia mundum univerſum inundarunt.

Athenagoras Apolog. S. Clemens Alexandrinus Stromat. lib. 7. Origenes [10], Julius Firmicus [11], Minutius Felix in Octav. S. Cyprianus de idolor. vanit. & Tertullianus [12] ſerio aſſeruerant, Dæmones lingere cruorem victimarum, nidorem carnium immolatarum haurire, iiſdemque depaſci. Quod in illos ex Vatibus Paganorum derivatum eſſe conſtat, apud quos animæ e corpore ſecretæ ciborum illorum avidæ, & foſſas ſanguine oppletas obſidentes inducuntur [13]. Hæc omnia ſatis deſignant, Dæmones corpore uti, juxta firmatam in priori hujus Diſſertationis parte ſententiam, potiſſimam nempe Veterum partem autumaſſe, Angelos & Dæmones materia quadam vel corpore ſubtiliori aereo vel igneo inſtructos fuiſſe. Ex altiſſima id repetitum antiquitate in Græcos, ex Ægyptiis derivatum eſt.

Porro hi in ea ſunt perſuaſione, hominem ex tribus conſtare partibus, *intelligentia* nempe, cujus nihil non ſpirituale; *anima*, quæ genus eſt lucidi & ſubtilis corporis, intelligentiam veluti amictu obvolventis; *corpore* tandem craſſo quo veluti vagina ſubtile illud lucidumque corpus protegatur. Craſſum hoc corpus eamdem refert ſimilitudinem & lineamenta, quæ alterum illud ſubtile; ſubtile, inquam, illud, quod interdum poſt mortem videndum ſe præbet, cum interim craſſi reliquiæ vel cineres ſuper terram jaceant [*]. Manet autem intelligentia corpori ſuo luminoſo conjuncta; ſed abrupto demum terreſtri corpore, illa pariter ſubtilis alterius vinculis ſeſe expediens, Cœli alta repetit, manente ſubtili cor-

(1) *Vide Auguſt. l. 12. de Civit. c. 2. Baſil. de Spiritu S. c. 20. Nazian. orat. 38. Niſſen. orat. Catech. cap. 6. Chryſ. homil. 22. in Geneſ. Theodoret. orat. 3. contra Græcos, alii plures.* (2) *Judæ vet. 6.* (3) *Philo de Gigantibus p. 286.* †) Dotes & natura Dæmonum. (4) *Bereſchit Rab ſect. 7. p. 9. col. 3. Manaſſ. Ben Iſrael de creatione problem 23.* (5) *Gen 4. 22.* (6) *Rab. Elie. in Pirke c. 7.* (*) *Ex. 12. 38.*

(7) *Maimonid. fundament. Legis c. 2.* (8) *Ad c. 4. Maimon. de fundamento Legis.* (9) *Juſtinus Martyr. Apolog. 1.* (10) *Origen contr. Celſum l. 3.* (11) *Jul. Firmic. de errorib. profan. Relig. cap. 14.* (12) *Tertul. Apolog cap. 22. Renunciant ſe immundos Spiritus eſſe, quod vel ex pabulis eorum ſanguine, & fumo, & putidis rogis pecudum... intelligi debuerit.* (13) *Homer. Odyſſ. L.* (*) *Idem Iliad. 23.*

corpore, in Infernis nempe, vel in Campis Elyſiis, vel in loco ſuppliciorum pro anteactæ vitæ merito. Hanc Theologiam legas non obſcure in Homero (1), Virgilio (2), & Lucretio (3).

Quo autem ad pravos Angelos regrediamur, duo ex illis genera Veteres quidam diſtinxerunt, alios nempe ipſa Dei manu formatos, alios priorum illorum filios, ex nefario enim Dæmonum connubio cum filiabus hominum ſecundi illi nati ſunt, quos Dæmones peculiari nomine appellamus. Quare juxta Lactantium (4) duo ſunt Dæmonum genera, cœleſtium nempe & terreſtrium. Cœleſtes Angeli ſunt, qui Diaboli fraudibus ſeducti puellarum amoribus implicati ſunt. Ex his nati terreſtres, qui neque apud Inferos uti neque patres eorum, neque in Cœlo, unde patriam originem referebant, accepti, in terra ſubſiſterunt. S. Auguſtinus autumaſſe videtur (5), Angelos rebelles ante commiſſum crimen corpora retuliſſe cœleſtia & ſpiritalia; poſt lapſum vero aere obvolutos. *Si tranſgreſſores illi, antequam tranſgrederentur, cœleſtia corpora gerebant, neque hoc mirum eſt, ſi converſi ſunt ex pœna in aeream qualitatem, ut jam poſſint ab igne, id eſt ab elemento naturæ ſuperioris, aliquid pati.*

Eadem ſpectantur in Fauſto Rhegienſi in Epiſtola, quam Mamertus Claudianus refutavit. Græci recentiores in Concilio Florentino defendebant, Angelos perduelles ſpiritales quidem ante lapſum, in corpus & materiam poſt lapſum degeneraſſe; hinc eſſe ut inclinarent & requieſcerent in corporibus, quemadmodum obſervare eſt in hominibus a Dæmone obſeſſis, & in legione Dæmonum, quæ concedi ſibi in ſedem gregem illum porcorum a Jeſu Chriſto impetravit. Inde etiam, dicunt, ratio petenda eſt, cur flammia diſerueientur; hanc enim ignis pœnam tolerant in corpore, quod animant. Hæc Græcorum recentiorum ad opinionem illam ſuam probandam rationum momenta ſunt. In cenſum erroris Origenis refert S. Hieronymus Ep. ad Avitum, *Quod Dæmones ob delicta aeriis corporibus ſint veſtiti.* Quantacumque vero fuerit antiquorum ea in re conſenſio, quantam quantam præbuerit illi authoritatem creduli vulgi perſuaſio, certum tamen ratumque conſtituendum eſt, ſpiritalem eſſe & a materia diſcretam Dæmonum ſubſtantiam.

In iis quæ ad defectionem Angelorum pertinent, tres potiſſimum ſententiæ diſtinguendæ ſunt (†). 1. Quæ ſuperbiæ & audaciæ in Deum Creatorem ſuum, invidiæ atque odii in homines merito ad inferna detruſos conſtituit. Altera ſententia tenet, Luciferum ſive Principem Dæmonum, qui Angelorum primas tenebat (6), ſuperbia quidem ſua excidiſſe, in ſuas deinde partes & crimen deductis Angelis, quos impuris puellarum amoribus implicuit. Tertia tandem opinatur, Angelorum lapſum ex amore illo impuro, atque effræni erga filias hominum licentia referendum.

Priorem illam ſententiam unice veram plerique ex Patribus defendunt; quorum alii id ſibi malum provocaſſe Dæmonem, concepta de hominibus invidia,

tenent (7): videns enim, inquiunt, Dæmon creatum a Deo hominem ad imaginem ſuam, & in terra veluti Deum aliquem conſtitutum, livore tactus eſt. Deputant alii (8) immani Angelicæ illius mentis tumori, & immodicæ, qua de præclaris dotibus ſuis ſibi placebat, vanitati, quaſi ſcilicet non a Deo ſe illas tenuiſſe blandiretur. Alii tandem utramque ejus rei cauſam adoptant; nec plane ſolent duo hæc vitia alterum ab altero ſejungi. Superbia invidiam parit; illa de excellentia ſua ſibi placet, hæc aliorum gloriam & felicitatem non ſuſtinet.

Quid intercesſerit temporis inter productionem Angelorum & lapſum, non ſatis convenit. Patres illi (9), quibus perſuaſum fuerat, Angelos mundi creationem præceſſiſſe, longiſſimum etiam temporis ſpatium, quo conceſſa ſibi gratia & gloria fruerentur, permiſerunt; videlicet ad minus uſque poſt omnium rerum corporearum ſenſibilium creationem, ac potiſſimum uſque ad conditum hominem, ex quo invidiæ anſa, & offendiculum. Qui vero una cum mundo ſenſibili creatum Dæmonem conſtituerunt (10), recta ſyſtematis ſui conſecutione intuliſſe coguntur, brevi temporis ſpatio in primo gratiæ & innocentiæ ſtatu manſiſſe; cum enim Evam in Paradiſo vix formatam tentandam ſuſcepit, ex Angelo in Diabolum jam tranſierat.

Priores illi (11) arbitrantur, Deum certum quoddam pœnitendi ſpatium perduellibus hiſce Spiritibus conceſſiſſe; quod alterius ſententiæ aſſertores minime factum putant, rati (12), Angelos ſemel in malum converſos, ita mentem ſuam in pravo obfirmare, ut nullam reſipiſcendi ſpem reliquam faciant. Quo autem altiori erant dignitatis ſtatu, quo majori irradiabantur luce, eo gravius & majoris criminis rei in abyſſum proruerunt; *homo vero idcirco veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo ſe ipſo minor eſſet, accepit*, ait S. Gregorius Magnus Moral. lib. 9. c. 28.

Quæ Dæmonum lapſum ad tempus commercii Angelorum cum filiabus hominum revocat, dicti ſui neminem, niſi Librum apocryphum Enoch, a quo non ſibi ſatis cavit antiquitas, habet aſſertorem. Quæ vero illorum ſententia conſtituit, Principem Dæmonum tumidæ mentis faſtu excidiſſe, diu antequam ceteri Angeli fœminarum amoribus implicarentur, ceterorumque lapſus Principem illum tenebrarum authorem fuiſſe; hæc, inquam, ſententia ideo invecta eſt (13), ut Scripturæ illud conciliaretur, quo docemur, 1. Dæmonem homicidam eſſe ab initio (14), cum & alterum Sapientiæ 2. 24. *Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum*; ac tandem quæ in eadem Scriptura leguntur de pellecta fraude Diaboli in crimen prima illa muliere. Volebant, inquam, hæc omnia cum Libri Enoch ineptiis componere, cujus tunc authoritati plurimum deferebant, rati S. Judam Apoſtolum ſcriptum illud in ſua Epiſtola tamquam canonicum laudaſſe.

Quamquam nullus eſt dubitandi locus, eumdem, data proportione, ordinem inter bonos maloſque Angelos ſervari (*), ejus tamen ratio & gradus penitus igno-

(1) *Vide Homer. loc. citat.* (2) *Virgil. Æneid. lib. 4. Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.* (3) *Lucret. lib. 1. . . . Eſſe Acheruſia Templa, Quo neque permaneant animæ, neque corpora noſtra. Sed quædam ſimulacra modis pallentia miris.* (4) *Lib. 2. cap. 14. Eos Angelos ad tutelam humani generis a Deo miſſos Diabolus ex Angelis Dei ſuos facit ſatellites, & miniſtros. Qui autem ſunt ex his procreati, quia neque Angeli, neque homines fuerunt, ſed mediam quamdam naturam gerentes, non ſunt ad inferos recepti, ſicut nec in Cœlum parentes eorum. Ita duo genera Dæmonum ſunt, unum Cœleſte, alterum Terrenum: hi ſunt immundi Spiritus, malorum, quæ geruntur, authores.* (5) *Auguſt. de Geneſ. ad Lit. lib. 3. cap. 10. Vide & lib. 15 de Civit. cap 23. & l. 1. contra Academic. cap. 7. & lib. 2. de Ordine cap. 9.* (†) Pravorum Angelorum defectio. (6) *Tertull lib. 5. contr. Marcion. cap. 10. & 18. Lactan. lib. 2. cap. 8. Cyrill. Jeroſolym. Catech. 2. Gregor. Magnus lib. 4. Moral. cap. 23.*

(7) *Iren. l. 4. c. 78. Lact l. 2 c. 8. Nyſſen. Cath. c. 6. Method. apud Epiph. hær. 64. Cyprian. apud Aug. l. 4. de Baptiſmo c. 8. Tertull. lib. de patientia c. 5.* (8) *Auguſ. lib. 2. cap. 13. 14. 15. de Geneſ. ad lit. & lib. 12. de Civit. cap. 6. Caſſian. collat. 8. cap. 10. alii paſſim.* (9) *Ita Græci plerique. Vide Petav. lib. 1. cap. 15. de Angel. & lib. 3. cap 3. art. 11.* (10) *Hugo de S. Victore in Sent. tract. 2. S. Tho. 1. p. q. 63. art. 6.* & alii credunt, Dæmonem cecidiſſe ſub ipſum creationis articulum. (11) *Nemeſ. lib. de hominis opificio c. 1. Damaſc. l. 2. c. 4. Rupert. de Victoria Verbi lib. 1. cap. 3. & l. 3. de Glorific. Trinit. Caſſian. collat. 8. c. 10.* (12) *Goffrid. Vindocin. ſerm. 1. de Nativit. Dom. Ut cujus gradus fuerat altior, ejus caſus fieret gravior. Vide & Greg. Mag. Moral. lib. 3. c. 18. Idcirco peccans ſine venia damnatus eſt, quia magnus ſine comparatione fuerat creatus* (13) *Ambroſ. in Pſal. 118. ſerm. 7. Collatum cum Apolog. David c. 1. & l. de Noe & Arca c. 4. Lactan. lib. 2. c 8 Method. apud Epiph. hæreſ. 64.* (14) *Joan. 8. 44.* (*) Politiæ ordo inter Dæmones.

ignorantur. Agnoſcit inter illos Apoſtolus [1] Principatus, Poteſtates, & Virtutes, quemadmodum inter Angelos lumiois. De Beelſebub Principe Dæmonum non ſemel in Evangelio ſermo occurrit [2]. In parabola Fortis armati docet Jeſus Chriſtus, Dæmonem domo ſua pulſum, aſſumptis ſeptem aliis ſpiritibus nequioribus ſe priores ſedes repetere [3]. Aliquid de priſtino ordine, quem aote defectionem ſuam in Cœlo ſervabant, retinere illos, Caſſianus collat. 8. cap. 15. arbitratur; vel ſaltem, ait, eumdem ſervant inter ſe graduum ordinem, quem nequitia vel crimen, quo maxime præſtant, expoſtulat.

Sed hæc inferiorum ad ſuperiores ſubjectio ita reputanda eſt, ut ſubjectioni, quam per omnia debent Authori & Creatori ſuo, nihil officiat. Principis enim teoebrarum juſſionibus, quibus inferre hominibus mala jubentur, tantum obtemperant, quantum Deo volente permittuntur. Jobum tentaturus Satan, vires in illum ſuas paulatim explicavit, Deo veluti per gradus ſævire permittente. Si Deus ultionem exercere ſuam in Urbem aliquam gentemque meditatur, *immiſſiones facit per Angelos malos* [4]. Mala a Satana conſilia ſuggeri, exequutioni tandem mandari permittit. Ita e. g. inſpirari Davidi permiſit, ut ceoſum populorum ſibi ſubjectorum indiceret [5]. Contemptui habet Rex Iſrael veros Domini Prophetas; offert ſe ſtatim Sataoas dicens: *Spiritus ero mendax in ore omnium Prophetarum ejus* [6]. Stantem Satanam coram Domino ſpectavit Zacharias 3. 1. 2. quo Summum Sacerdotem Jeſum accuſaret, ejuſque urgeret damnationem, niſi ab Angelo impediretur jubente: *Increpet Dominus in te, Satan.*

Corporum ægritudines, mortem, & totam illam malorum cohortem, quæ miſeros homines comitatur, uti procellas, ſterilitatem, bella (*), Dæmoni authori tribuit Scriptura. Nec ſane plura ejus miniſterio atque in homines invidia præſtari diffiteor. S. Petrus [7] Dæmonem exhibet tamquam leonem rugientem & prædam numquam non aucupantem. Depingitur a S. Paulo [8] velut hoſtis igneis telis armatus, quæ numquam non in corpora & in animas hominum intorquet. Suos Dæmones mala conſilia ſuggerentes, non ſecus ac bonos Angelos ad rectum propellentes, ſingulis hominibus Veterum plures [9] tribuerunt; quod in ipſos derivatum eſt ex Libro Hermæ vel Paſtoris [10], & ex altero Libro Apocrypho, quem facile credimus *Apocalypſim* Abraham, a S. Epiphanio hæreſ. 39. cap. 5. laudato.

Idem pariter in Philoſophorum Scriptis [11], & maxime Stoicorum, ſpectatur: admittunt enim Stoici non Angelum bonum tantum ſingulorum hominum cuſtodiæ invigilantem, ſed malum etiam Angelum, inſidias numquam non ſtruentem. Judæi etiam noſtræ ætatis duplicem Angelum, bonum nempe & malum, ſingulis hominum aſſignant [12]. Sed Eccleſia Chriſtiana unum tantum ab incunabulis ſalutis Angelum dari hominibus tenet, quamquam non diffitetur malos Angelos numquam non capiendis incautis invigilare. Origenes in ea fuit perſuaſione hom. 15. in Joſue, ſingulis vitiis ſuum præſidere Angelum, ſuum nempe avaritiæ, fornicationi, ſuperbiæ &c. ut quo pluribus detinemur vitiis, plus etiam in noſtram perniciem pravorum Angelorum induamus; & cum vitium aliquod reluctando vicerimus, victum etiam abſcedere Dæmonem vitio illi præſidentem, neque audere iterum ad pugnam redire; niſi forte ſegnitiem noſtram animadvertens, in novam victoriæ ſpem erigatur; ita vero prælium, aſſumptis ſecum ſeptem aliis Spiritibus ſe nequioribus, juxta phraſim Jeſu Chriſti Luc. 11. 26. inſtaurat.

Veterum Patrum plerique docent, pravos Angelos perduellionis reos, e Cœlo pulſos in aera relegatos fuiſſe (†), ubi ad extremam uſque Judicii diem, quando ſcilicet ad Inferna præcipites agendi ſint, detineantur. Atheoagoras Legat. pro Chriſt. ad mentem illorum, qui inter pravos Angelos & Dæmones diſcrimen illud ſtatuunt, nimirum Dæmones ex rebellium Angelorum cum filiabus hominum commercio natos fuiſſe; Athenagoras, inquam, Angelos in aere collocat, Dæmones vero circa terram, quibus malis incentoribus omnes in malum propelluntur. Philo Judæus [*], Tertullianus Apolog. cap. 22. aliique nonnulli bonos maloſque Aogelos indiſcriminatim in aere conſtituunt: ſed Auguſtinus [13] maluit, excidiſſe illos e ſubtiliori & puriori æthere in craſſum iſtum terræ proximum, qui lucido illi aere ſerenoque comparatus, perinde ac tenebræ haberetur; unde a S. Paulo jure meritoque dicti ſuot, *Principes tenebrarum* [14]. In hæc Apoſtoli verba ſcribens S. Hieronymus, docet: *Hec autem omnium Doctorum opinio eſt, quod aer iſte, qui Cœlum, & terram medius dividens, inane appellatur, plenus ſit contrariis fortitudinibus.*

Hic autem conſtituti Dæmones, imperium in homines ſuum exercent, aſſumpta interdum Angelorum luminis ſpecie, excitatis procellis, nulla tentandi fallendique homines occaſione non capeta. Appellat etiam illos Apoſtolus ad Epheſ. 6. *Principes Poteſtatum aeris*; & S. Chryſoſtomus [15] perſuaſum ſe habere dicit, nihil amiſiſſe illos de priori, quo a Deo donati ſunt, in aerem imperio. Ceteri tamen Patres [16], excidiſſe illos ab hac poteſtate malunt; quod autem aerem adhuc infeſtent, hoc unice tribuendum, quia eo loci torqueotur (17), donec extrema Judicii die tandem detrudantor in Tartara. Defendunt alii (18), Dæmones pro majori ſuorum parte in inferoo torqueri; quæ autem adhuc terram vel aerem exercendis hominibus infeſtat, minorem eſſe illorum portionem.

Tandem S. Petrus Epiſt. 2. cap. 2. v. 4. & S. Judas ver. 6. non obſcure docet, perduelles illos Angelos in inferoo cruciari. *Rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*, ait S. Petrus. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum Principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit*, ait S. Judas. Sed hæc Apoſtolorum verba S. Auguſtinus in Pſal. 149. S. Gregorius Magnus Moral. l. 13. cap. 17. Beda Venerabilis in 2. Petri 2. Rupertus Abbas in Gen. 17. Petrus Abaelardus Introduct. ad Theolog. cap. 17. de inferiori craſſoque aere exponunt, qui cum puriori æthere collatus, tamquam abyſſus & infernus aliquis locus haberi poteſt. De illorum tamen authoritate minime perſuaſum eſt Theologis, docentibus malos illos Spiritus non ita in Inferno detineri, quin poſſint interdum ad nos remeare. Et S. Joannes Apoc. 20. Principem Dæmonum exhibet vinculis alligatum, & in abyſſum projectum, præciſa omni egrediendi ſpe per mille ſolidos annos. Sed quis figuras omnes Apocalypſis ita expoſuerit, ut certum aliquid de ſtatu Dęmonum doceat. Fateamur oportet, nihil habere nos ea in re niſi incertum, & conjecturis tantummodo, non argumentis, probatum.

Dęmones illi querentes de Jeſu, quaſi maturius, quam par erat, ad torquendos ipſos veniſſet (19), rogantesque ne in abyſſum pręcipites agerentur (20), inſinuare videntur, requie illos aliqua in terra potiri,

---

(1) *Epheſ. 6. 12. Vide & 1. Cor. 15. 24.* (2) *Matth. 12. 24. Luc. 11. 15. 18.* (3) *Luc. 11. 25. 26.* (4) *Pſal. 77. 49.* (5) *1. Par. 20. 1. Conſurrexit Satan contra Iſrael, & concitavit David ut numeraret Iſrael.* (6) *3. Reg. 22. 21.* (*) Dęmonum munera. (7) *1. Pet. 5. 8.* (8) *Epheſ. 6. 16.* (9) *Origen. hom. 35. in Luc. & lib. 3. de Princip. cap. 11. Antioch. hom. 61. Nyſſen. de vita Moſis, p. 194. Opus Imperf. in Matth. homil. 5.* (10) *Hermas Paſtor, lib. 1. mandat. 7.* (11) *Orph. Hymn. ad muſas. Vide & Timarch. in Erato, & Servium ad Virgil. Æneid. 6. Quiſque ſuos patimur manes.* (12) *Buxtorf. Synagog. c. 10 Baſnage Hiſtor. Jud. lib. 6. cap. 9 art. 14.* (†) Sedes & locus ſuppliciorum. (*) *Philo de Gigantib. & lib. de confuſ. linguar.* (13) *Auguſ. l. 3. de Gen. ad lit. c. 10. Enchirid. c. 28. In hujus aeris imam caliginem de ſuperna cœleſti habitatione dejecti. Et in Pſal. 149.* (14) *Epheſ. 6. 12.* (15) *Chryſoſt. in Epheſ. 6. hom. 4.* (16) *Theodoret. & Oecumen. in eumdem locum.* (17) *Vide Ruper. in Geneſ. c. 17.* (18) *Euſeb. Præparat. l. 7.* (19) *Matt. 8. 29.* (20) *Luc. 8. 31.*

Digitized by Google

tiri, & tamquam ſummum malorum habere, ſi in tartara relegentur. Et quidem Veterum Patrum ſane multi docent, damnatos illos quidem ad ignem æternum, ſed ſententiæ illius executionem adusque Judicii diem ſuſpendi. *Deſperata conditio eorum ex prædamnatione ſolatium reputat fruendæ interim maliguitatis de pœnæ mora*, ait, Tertullianus Apolog. cap. 27. Sanctus Juſtinus Martyr Apolog. utraque, Minutius Felix in Octavio, Lactantius Inſtit. lib. ult. cap. 26. Tatianus Orat. contr. Gentes Origenes (1), Nemeſius de natura hominum cap. 1. Sanctus Auguſtinus (2), Sanctus Hieronymus in Iſai. 25. aliique plures (3), gemina docent, & inſinuare viſus eſt ipſe in Evangelio Jeſus, hanc referens damnatorum in extrema Judicii die ſententiam (4): *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus*: paratus, inquit, Diabolo, non qui Diabolum jam torqueat.

Non ita tamen reputandum eſt, quaſi nullo pœnarum ſenſu Dæmones in præſentia tangantur, & omnis illorum pœna ad uſque poſt Judicii diem reſervetur. *Alius eſt ignis, quo modo torquentur, alius quo poſt illum Judicii diem cruciabuntur*, ait Sanctus Gregorius Magnus Moral. lib. 4. cap. 10. Mœrore nunc & dolore pro ſententia jam prolata atque damnatione ſua afficiuntur; ſed poſt diem Judicii, quem ignem modo abſentem gravem experiuntur, præſentem ſentient. *Diffinita quidem*, ait Sanctus Bernardus ſerm. de tranſit. S. Malach. *ſed nondum promulgata ſententia eſt. Denique jam Diabolo ignis paratur, etſi nondum illo præcipitatus in ignem, modico adhuc tempore ſinitur malignari*. Futuri ſupplicii certa expectatio ſua quaſi præſentia diſcruciat. In hanc ſententiam omnes ferme Veteres conceſſiſſe obſervat Maldonatus in *Matth. 25. 41.* & P. Petavius de Angelis *lib. 3. cap. 4. art. 18.*

Solus facile inter Veteres Beda Venerabilis docet (5), malos illos Spiritus, quocumque tandem in loco fuerint, ignibus cruciari. *Ubicumque vel in aere volitant, vel in terris, aut ſub terris vagantur, ſive detinentur, ſuorum ſecum ferunt ſemper tormenta flammarum, inſtar febricitantis*. Hæc tamen ſententia hodie in Scholis obtinet, quamquam doctiſſimi aliqui Theologi defendunt, contrariam opinionem, veterum Patrum conſenſu aſſertam, nullius erroris nota damnari poſſe, quippe quam neque Scripturæ authoritas ulla, neque Concilii definitio damnet. Quod enim Concilio Florentino in Decreto Fidei declaratum eſt, animas ſcilicet impiorum ſtatim poſt mortem inferni ſuppliciis cruciari, nihil habet ad Dæmones. Et S. Thomas 1. part. qu. 64. art. 4. ad tertium, qui erroris damnat opinionem, impiorum animas ſtatim poſt mortem igne cruciari negantem, adverſus alteram de malis Spiritibus nihil gravius pronunciat.

Ad naturam ignis torquendis Dæmonibus in inferno deſtinati quod attinet, ignem reapſe elementarem reputavit S. Auguſtinus de Civit. lib. 21. cap. 9. S. Gregorius Magnus Dialog. lib. 4. cap. 9. & Theologi de Schola; metaphoricum quemdam ignem, malæ ſcilicet conſcientiæ ſynderefis, & deſperationis, docet Origenes (6), Sanctus Ambroſius in Luc. lib. 7. cap. 14. Theophylactus in Marc. 9. aliique nonnulli. Mentem hac de re noſtram alibi explicavimus (7). De illorum numero aliquid data occaſione diſſeruimus, cum de bonorum Angelorum multitudine ageremus.

De impenſo Dæmonibus cultu narrat alicubi Scriptura, Hebræos Chananæorum imitatione filios ſuos, non Deo, ſed Dæmonibus immolaſſe (8). Et Pſalmiſta Pſalm. 95. 5. canit: *Omnes Dii gentium Dæmonia*. Oblata a Judæis Dæmonibus ſacrificia exprobrat Baruc 4. 7. & in Levitico 17. 7. Moyſes cavet, ne Iſraelitæ immolent, ut olim ab ipſis præſtitum, victimas Dæmonibus vel ut Hebræus habet, *piloſis*, vel *hircis*. Sed animadvertiſſe juvat, Hebræam vocem, quam & Septuaginta & Vulgata reddiderunt Dæmones, ad litteram exprimere tantum Idola, Deos ſcilicet; nulloque argumento probatur, ſive Hebræos ſive Chananæos unquam Dæmonibus cultum impendiſſe. Hirci ſive Piloſi, de quibus Moyſes, non niſi Deos Mendeſiorum in Ægypto deſignant (9), quorum imitari cultum in deſerto tentarunt Hebræi, & re ipſa aureum vitulum conſecrare auſi ſunt.

Autumarunt Patres, nec immerito, Dæmones cultum ſibi in Idolis a gentibus exegiſſe. Erant enim reapſe Dæmones, ſive qui Templa occupabant, ſive dabant oracula, ſive tandem ſuperſtitioſæ illius Religionis Authores fautoreſque. Sed ſpectatum a gentibus illis cultum infeſtiſſimi illius humani generis adverſarii, quem ſub Satanæ nomine agnoſcimus, quis credat? Conſtat plane, Gentiles nonniſi confuſam quamdam illius ideam habuiſſe; Deoſque illos infernos, quibus litabant ſacrificiis, quemadmodum & Deis Cœli mariſque, longe alios fuiſſe ab iis, quos Dæmones nos, illi malos Genios appellabant (10).

Vix tamen datur ambigendi locus, Perſas ſummis honoribus Dæmonem, quem ut malum principium agnoſcebant, non coluiſſe. Duos enim illi Deos, bonum nempe & malum, in natura ſtatuebant; illum *Horomaſum*, alterum *Arimanum* appellantes. Horomaſo ſacrificiis gratiarum actionis litabatur, avertendis, quæ ab illo imminebant, malis; ſacrificia pariter Arimano oblata; offerendi autem ritus erat ejuſmodi. Herbam Omanim tundebant in mortario, Deum interim Infernorum, & tenebrarum invocantes, affundenteſque cruorem lupi, quem jugulaverant. Secundum hæc, totam illam confectionem deferebant in locum ſolaribus radiis impervium, quo projectam relinquebant.

Certum etiam conſtituunt, populos quoſdam Africanos hoſtiis & luminibus litaſſe Dæmoni, quo ſcilicet furorem ipſius, & malum, quod in homines minitatur, evitare daretur. Eo uſque ignorantia & ſuperſtitio devenit. S. Auguſtinus non ſemel repetit id, quod in Pſal. 94. num. 6. diſertiſſime exprimit. *Omnes gentes ſub Dæmonibus erant; Dæmonibus Templa fabricata ſunt; Dæmonibus aræ conſtructæ; Dæmonibus Sacerdotes inſtituti; Dæmonibus oblata ſacrificia &c.* Docet alibi (11), Principum authoritate invectum inter homines Dæmonum cultum; & id conſtituiſſe Romanos ut boni Genii invitarentur, ſacrificiis vero litaretur malis. Quod ea plane religione ſanxerunt, qua olim erecta ab illis ſunt Templa febri & pallori (12). Non eſt igitur cur pervicaciter negemus, quin & eo ignorantiæ apud Paganos ventum fuerit, ut vel Dæmonibus divinos honores decernerent.

DISSER-

(1) *Origen. hom. 8. in Exod. & lib. 1. de princip. cap. 6.* (2) *Auguſt. lib. 13. de Civit. cap. ult. Item 21. cap. 1. 10. 13. alibiſque.* (3) *Vide Petav. lib. 3. de Evang. cap. 4. art. 13. &c.* (4) *Matth. 25. 41.* (5) *Beda in Jacob 3.* (6) *Origen. lib. 2. de Princip. cap. 10. Vide & Hieronym. Epiſt. 59. ad Avit. & in Iſai. ad finem*

(7) *Comment. ad Eccli. cap. 19.* (8) *Deut. 32. 17. Pſal. 105. 37.* (9) *Herod. lib. 2. cap. 46. Strab. Diodor. Ælian. alii.* (10) *Plutarch. de Iſide, & Oſiride, Stanley, tom. 2. p. 14. cap. 6.* (11) *De Civit. l. 4. cap. 32.* (12) *Aug. de Conſenſ. Evang. l. 1. cap. 18. Qui augurem Dæmones invitandos, & eorum Dæmones placandos monent.*

Digitized by Google

DISSERTATIO
IN TRES MARIAS.

QUAM modo agitandam ſuſcipimus, quæſtio tres illas fœminas in Evangelio reſpicit, nimirum Mariam Magdalenam, Mariam ſororem Marthæ, & fœminam illam pœnitentem, quæ in ædibus Simonis Phariſæi Chriſti pedes detinivit [1]. Diſcutiendum eſt autem, num tres iſtæ unam eamdemque, ſive tres reupſe fœminas inferant.

Atque in ipſo Diſſertationis hujus limine conſtituendum eſt, du quæſtionum illarum, quas interminatas Apoſtolus 1. Timoth.1. 4. appellat, numero habendam uſſe, de quibus poſt longam prolixamque diſquiſitionem ſemper tamen veritas manebit in obſcuro. Profecto ſi rei veritas diſputatione attingi potuiſſet, jam tandem factum eſſet, ut in lucem ſolemque expoſita poſt tot ſapientiſſimorum hominum conatus pateret. Attingendæ hujus veritatis duæ plane eſſent viæ: prima Dei verbum, nempe ſacrorum Librorum Textus; ſecunda Eccleſiæ traditio, & Patrum conſenſus. Ambiguus eſt autem Evangelii Textus magis, quam ut certi aliquid ex illo definiatur. Eccleſiæ traditio variat; inter Patres enim non minus ue inter noſtiç ætatis Criticus non convenit. Hanc ſententiarum varietatem, & diſcrepantiam videt Eccleſia, nihilque ex ea re timens incommodi, authoritate ſua refrænandam ingenioſum licentiam ſuarum eſſe partium non ducit. Integrum eſt igitur ut quicumque voluerit, iterum argumentum illud, expoſtulante nemine, tractandum ſuſcipiat.

Sex autem de illo referuntur ſententiæ. Prior omnium tenet, Mariam Magdalene, Mariam ſororem Marthæ, & Pœnitentem illam fœminam, quæ Jeſu Chriſti pedes in ædibus Simonis Leproſi [2] unguento fovit, ac tandem quæ pretioſo unguento perfudit caput ejuſdem in Bethania, dum apud Lazarum diverſaretur [3], unam eamdemque mulierem, varia erga Jeſum munera præſtantem, haberi. Alii tres perſonas diſtinguunt; alii Mariam Magdalene cum ſorore Marthæ confundunt; alii fœminam peccatricem a Magdalene non diſtinguunt; ipſam denique alii reputant Mariam ſororem Marthæ cum fœmina illa criminoſa. Addenda hiſce omnibus illorum opinio, qui inter tot varias ſententias veritatem in ambiguo poſitam ſatis aperte non diſtinguentes, hærent ſuſpenſi; inter quos recenſeri merito poſſunt Sanctus Hieronymus [4], S. Ambroſius [5], S. Auguſtinus tract.49. in Joan. num.3.

Singularum opinionum aſſertores eadem Scripturæ teſtimonia in ſuas quique partes trahunt; ex quibus oppoſitas plane conſecutiones deducunt. Laudat pariter pro ſe quiſque Patres ſententiæ ſuæ faventes. Qui unam conſtituunt, aſſertores dant potiſſimum S. Clementem Alexandrinum [6], Ammonium Harmon. quatuor Evangel. S. Gregorium Magnum [7], Chrodobertum Epiſcopum Turonenſem ſeptimo ſæculo [8], Bedam ejuſdem ſæculi Scriptorem in Luc. 3. cap. 1. Druthmarum Monachum Corbejenſem in Matthæum noni ſæculi Scriptorem, S. Odonem Abbatem Cluniacenſem ſerm. de Maria Magd. Pſeudo-Anſelmum in Matthæum 26. Petrum Bleſenſem [9], Sanctum Antoninum ſermon. in Fer. 6. Hebdomadis Paſſionis, Dionyſium Chartuſianum, Hugonem Cardinalem, ac tandem Latinos fere omnes poſt S. Gregorium Magnum.

Qui plures defendunt, aſſertores habent Authorem Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 3. cap. 6. diſtinguentem inter Mariam Magdalene, & Mariam Sororem Marthæ; quod idem præſtitum a Theophylo Antiocheno Comment. alleg. in 4. Evang. S. Irenæo l.3. c.14. S. Chryſoſtomo [10], S. Macario Hom. 12. Tito Boſtrenſi in Luc.7. Theophylacto in Marc. 14. & in Luc.7. Euthymio in Evangelia, Modeſto Patriarcha Jeroſolymitano apud Phot. Cod.275. ac tandem a Græcis Patribus fere omnibus. Ita ſexto Eccleſiæ ſæculo inſignis hæc controverſia Orientem, Occidentemque inter ſe committebat. Albertus Magnus, & S. Thomas neutram partem ſecuti, agnoſcunt Occidentem univerſum S. Gregorii Magni partes ſectari. Eſt quidem animadverſione dignum, Officium Miſſæ, & Breviarium Romani ritus in unam eamdemque fœminam Mariam Magdalene, fœminam criminoſam, & Mariam ſororem Marthæ non aperte quidem, ſed obſcure, quantum capimus, conflare.

In eo rerum ſtatu Jacobus Faber Stapulenſis decimoſexto ſæculo inſurgens, demonſtrandum ſuſcepit, tria illa nomina tres deſignare diſtinctas fœminas, nihilque populari illi opinioni tres in unam colligenti deferendum fuiſſe. Subſidiariam Fabro operam præſtitit Jodocus Clictoveus [11]; tantaque ejus diſputationis novitate commotio facta eſt, ut tandem Facultas Theologica Pariſienſis Fabri theſim cenſura inuſſerit die 9. Novembris 1521. Adverſus Fabrum contrariam opinionem ſcripto libro defendit Joannes Fiſcherius Epiſcopus Roffenſis anno 1519. cui etiam ſuffragatus eſt alio ſcripto Balthaſar Sorius, ejuſque Opus prodiit Ceſarauguſtæ ann. 1521. Idem præſtitum a Laurentio Surio, Jacobo Epiſcopo Viennenſi, Marco Grandivallo, Baronio, Janſenio Gandavenſi, & Maldonato.

Nequaquam tamen his factum eſt, quin Eruditorum alii Fabri cauſam defendendam ſuſciperent. D. Louvre ann.1638. Librum ea de re vulgavit, munitum approbatione D. Cathclain Syndici Facultatis Theologicæ Pariſienſis; demonſtrat autem politicam hujus cenſuræ Sorbonicæ rationem, aſſeritque futurum, ſiquidem iterum ſub Judice cauſa poneretur, ut æquior pro Fabro prodiret ſententia, Caſaubonus in Baron. Exercit.14 Eſtius [12], Launoyus [13], Bulengerus Jeſuita [14], & ejuſdem Societatis Turrianus in Conſenſ. lib.3. cap.6. Zegerus Franciſcanus celebratiſſimus Interpres in Joann.11. Salmeron. t.9. tract.49. aliique etiam Recentiores pro diſtinctione earumdem fœminarum adverſus alios unicam defendentes decertarunt.

R. P. Alexander Dominicanus in Hiſtor. Eccleſiaſticam ſæculi 1. diſſert.17. P. Lamy Harmon. in Evangel. & Epiſt. Gallic. & Mauduit [15] Oratorii Presbyteri, P. Pezron [16] ſtrictioris obſervantiæ Ciſtercienſis, unius mulieris partes tuentur. Sed D. Mau-

(1) *Luc.7.37.* (2) *Luc.7.37.* (3) *Joann.11.2. & 12.2.3.* (4) *Hieron. in Matth.26. & lib. 2. contra Jovin. cap. 16. Præfat. in Oſee, & Epiſt. 150.* (5) *Ambroſ. l. de Virgin.* Confer cum *lib.6. in S. Lucam.* (6) *Clemens Alexand. l. 2. Pædag. cap.8. Vide D. Teever Diſſert. de Maria Magd. lib. 2. art.2. pag.214.* (7) *Gregor. Magn. homil.25. in Evangel. & hom. 33. in 1. Reg.9.* (8) *Chrodobert. apud Quesnel. in Not. ad Epiſt. S. Leonis.* (9) *Petrus Bleſ. lib.3. Ep.50. & Serm. de S. Maria Magdal.* (10) *Chryſ. hom.81. in Matth. 26. & hom.62. in Joann. Vide Origen. hom.35. in Matth. & hom.1. & 2. Cantic.* (11) *Jodoc. Clictov. Epiſt. dedicatoria ad Franciſ. Molin. præfixa Tractatui Jacobi Fabri Stapul. Idem Clictov. diſcept.1. & 2. adverſ. Marcum Grandivallum Pariſ. ann. 1519.* (12) *Eſtius orat. 14. Quæ eſt de Maria Magdal.* (13) *Launoy de Commentitio Lazari & Magdal. in Provinciam appulſu.*

(14) *Bulenger. Diatrib.3. pag.15.* (15) *Mauduit Analy. Evangel. tom. 2. Pariſiis ann.1695. Gallice.* (16) *Pezron hiſtor. Evang. tom.2. pag.337. Pariſiis ann. 1696. Gallice.*

Mauenduit [1], Anquietin Parochus Legionenſis [2], D. Tillemont [3], Baillet [4], Faber Doctor Sorbonicus in ſuis animadverſionibus ad P. Alexandrum ſuppreſſis, pro pluribus decertant. P. Lamy poſt lectam a ſe Diſſertationem D. Anquetin contrariam ſententiam duplici Epiſtola impreſſa 1699. ſuffulſit. Prodiit eodem tempore Libellus Gallicus quidam anonymus inſcriptus; *Reflexions contre la Diſſertation ſur ſainte Magdeleine* [5]; cui Eccleſiaſticus quidam Diœceſis Rothomagenſis, facile idem D. Anquetin, tres Epiſtolas publici juris factas oppoſuit. Omnium poſtremus inſurgens D. Trevet Parochus de Gomecourt vulgavit anno 1713. prolixam Diſſertationem ſuam, qua Mariam Magdalene, Mariam ſororem Lazari, & fœminam Criminoſam unam ſingularem fœminam adverſus recentiores quoſdam Authores defendit. Rem ſibi proponit maxime contra D. Anquetin, Tillemontium, & Baillet. Is eſt celeberrimæ hujus controverſiæ ſtatus.

Quam ſuſcepimus provinciam, cogit nos ut mentem hac de re noſtram promamus; nihilque propterea facturos nos propius arbitramur, quam utriuſque ſententiæ rationes in medium proferre, ut Lectores noſtros, & nos etiam ad judicium ea de re ſuum noſtrumque pronunciandum, & quas maluerimus partes ſectandas, comparemus.

ARTICULUS I.

Rationes pro unica Maria.

I. QUÆ ſingularem aſſerit fœminam ſententia, fere unice obtinuit in Eccleſia Occidentali jam inde a ſæculo ſeptimo, nempe poſt S. Gregorii Magni ætatem. Aſſerta autem mille annorum ſpatio & omnium ſcriptorum Catholicorum authoritate firmata poſſeſſio, adeo ratum efficit certumque jus, ut non niſi ſolidis apertiſque demonſtrationibus rejiceretur. Opinio ſane, quæ tot ſæculorum ſpatio in Eccleſiaſticis Officiis valuit, in publicis ad populum concionibus conſtituta, quæque traditionis inter fideles receptæ portionem aliquam efficit, tamquam ſancta & inviolabilis tenenda eſt, niſi adeo aperta textuum & rationum documenta adverſus illam proferuntur, ut contra ſtare non poſſit. In eo autem rerum articulo conſtituti ſumus, ut ipſis fatentibus adverſariis, quæ contra ipſam proferuntur documenta & Textus Scripturæ longiſſime abſint ab evidentia. Cujus ſi nihil aliud, certum apertiſſimumque argumentum eſt ea, quæ inter Criticos de hoc argumento hodie uſque regnat, ſententiarum & opinionum diſſenſio. Contra aſſertam igitur Latinæ Eccleſiæ poſſeſſionem, & obfirmatam tot ſæculorum perſuaſionem, non eſt cur admittatur opinio, quæ tres fœminas adverſus unicam & ſingularem defendit.

II. Diſerte notant Evangeliſtæ, Mariam Magdalene emiſſe ſibi aromata eurundo poſt ejus funus Magiſtro [6]; notat ſiſuper [7], Jeſum ſex ante Paſcha diebus, dum verba cum Maria ſorore Marthæ, & Lazari faceret, dixiſſe futurum, ut ab illa poſt obitum ſuum aromatibus condiretur; cujus deinde rei fama longe lateque per orbem prædicationibus diffunderetur. Una igitur eademque mulier habenda eſt Maria Magdalene, & Maria ſoror Lazari; in Magdalene etenim impleta ſunt ea, quæ de ſorore Lazari oraculum Jeſu Chriſti prædixerat.

Convenit inter Scriptores, de hoc argumenti genere, differentes, Mariam Magdalene curandi ſibi Jeſu Chriſti cadaver aromatibus negotium aſſumpſiſſe; ſicut & Mariam ſororem Marthæ, & Lazari pretioſo nardi ſpicati unguento recumbentis Chriſti pedes perfudiſſe. De ſolo igitur ſenſu verborum Evangelii negotium ſupereſt. Habent enim, Jeſum Chriſtum obtrectantium in illam Mariæ profuſionem ora verbis illis obſtruxiſſe [*]; *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud*; ſive ut Matth. 26. 12 *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*; & Marc. 14. 8. *Quod habuit hæc fecit; prævenit ungere corpus meum in ſepulturam.*

Quibus poſitis Scripturæ teſtimoniis, ita argumentum formatur: Jeſus Chriſtus de Maria, quæ ſibi pedes Bethaniæ in ædibus Simonis Leproſi perfudit, præveniri ab illa ait ſupremum erga ſuum cadaver officium. Nemine autem ambigente conſtat, mulierem illam, quæ condiendi cadaveris Jeſu Chriſti aromatibus curam ſuſcepit, Mariam Magdalene fuiſſe; una igitur eademque reputanda eſt, ac Maria Marthæ ſoror. Eadem ipſa mulier onguento Magiſtrum perfundens, pium illud prævertit officium, quod deinde poſt ejus obitum reapſe perficere aggreſſa fuit. Prævenisse autem ungendum corpus ſuum in ſepulturam ait Chriſtus, quod ſcilicet probe noſceret, volenti maxime mulieri condire corpus aromatibus occaſionem defuturam; cum e mortuis jam ſurrexiſſet. Plauſibiliora hæc ſunt argumenta, quibus Mariæ ſingularitas defenditur.

Sed hiſce rationibus reſpondendum eſt, 1. Quæ a Maria ſorore Marthæ ſex ante obitum Jeſu Chriſti diebus præſtita ſunt, nihil habere neceſſariæ affinitatis cum pio Mariæ Magdalene erga cadaver J. C. officio. Illa caput perfudit recumbentis; hæc mortuum corpus curatura venerat: duo hæc a duabus pariter mulieribus præſtari commode poterint. 2. Tamquam certum, quod tamen nullis demonſtratur argumentis, conſtituitur, Jeſum Chriſtum pium ſibi officium præſtituram eſſe poſt obitum, vel ſaltem ſibi præſtare curaturam Mariam ſororem Marthæ, prædixiſſe. Poſſunt enim verba illa Evangelii ad alios plane ſenſus non incongrue detorqueri: *Sinite illam, ut in diem ſepulturæ meæ ſervet illud* (*). Utique ſervare non poterat unguentum illud, quod ſuper caput recumbentis jam effuderat. In hanc igitur ſententiam locutus eſt Chriſtus, quam explicat S. Matth. 26. 12. *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad ſepeliendum me fecit*; ideſt tantumdem præſtitit, juxta S. Marcum 14. 8. ac ſi præveniret ungere corpus in ſepulturam. Prælufit nempe actione ſua, atque pio illo officio pio alteri ab altera muliere poſt obitum præſtando.

3. Non inde ſane recta conſecutione deduci poteſt, Mariam ſororem Marthæ curandi J. C. cadaver aromatibus negotium ſuſcepiſſe; non inde, inquam, deduci poteſt, quod ſcilicet Jeſus Chriſtus de fœmina illa locutus dixerit, præveniſſe nimirum illam unguento ſuo ungendum corpus in ſepulturam. Quod enim prævenerat officium, quomodo poſt mortem præſtandum erat? Si vero Chriſtus illud innuit tantummodo, nimirum fruſtra mulierem pium idem officium proſequuturam poſt obitum ſuum, a quo proinde abſtinere debuiſſet; ſi, inquam, hæc innuebat Chriſtus, ſupervacaneam operam mulierem illam navaturam ſignificaſſet.

III. S. Joannes 11. 2. infirmam Lazari valetudinem narrans, addit Mariam ejus ſororem non aliam fuiſſe ab ea muliere, quæ recumbentis J. C. pedes unguento perfudit. Porro numquam antehac Evangeliſta unctionem ullam a Maria factam ſignificaverat; ceteri vero Evangeliſtæ nullius ulterius antea fecerant mentionem, quam quæ diu ante a fœmina criminoſa in domo Simonis Phariſæi facta narratur (†). Pronum eſt igitur ut credamus, hanc ipſam fœminæ criminoſæ actionem, cujus per omnes Eccleſias fama celebrabatur, S. Joannem deſignaſſe. Quare Maria ſoror Marthæ cum fœmina criminoſa jure, meritoque confundenda eſt.

Reponunt hiſce adverſæ ſententiæ aſſertores [8], fieri utique potuiſſe, ut S. Joannes anticipatione quadam eam retulerit circumſtantiam, quo ſcilicet Mariam agnoſcendam Lectoribus proponeret, ejus

rei

(1) *Mauenduit. editus ann. 1685.* (2) *Anquetin. Diſſer. de Maria Magdal. Pariſiis ann. 1699.* (3) *Tillemont. Hiſt. Eccleſ. tom. 2. par. 30. & 512.* 5. *Baillet Vita SS. Menſis Julii 22.* (4) *Animadverſiones in Diſſertationem de S. Maria Magdalena.* (5) *Marc 16. 1 2.* (6) *Matt. 26. 2. Marc. 14. 3 Joan. 12. 1.* (7) *Joan. 12. 3.* (*) *Jo. 12 7.* (†) *Luc 7. 37* (8) *Anthon. Queſt. inter Opera Anguſt. l. 3. 94. p. 85. Eſt. Orat. 14. Tillemont. alii.*

Digitized by Google

rei geſtæ memoria ; quæ per omnes Eccleſias & longe lateque celebraretur, cujus pariter in univerſo mundo laudes prædicatione innotuerant, juxta J. C. oraculum [1]. Jam enim ejus rei illuſtris erat memoria apud Fideles, quo tempore S. Joannes ad ſcribendum Evangelium ſe contulit. Eo conſilio Evangeliſtæ de vocatione Judæ ad Apoſtolatum verba facientes, notant, virum illum proditione ſua Magiſtrum neci tradidiſſe, quamquam nihil adhuc de proditione illa retuliſſent.

IV. Ceteri Evangeliſtarum textus refragari, potius quam favere ſingularitati hujus fœminæ videntur; quare ab illis laudandis adverſæ ſententię aſſertores abſtinent. Satis habent tantummodo demonſtraſſe, loca illa opinioni ſuæ non adverſari, vel commode adeo in propoſito ab ipſis ſyſtemate exponi, ut objectiones adverſæ omnes facile diluantur. Quod ut ſibi facilius obveniat, tum ut de omnibus proficiant hiſtoriæ circumſtantiis, novas excogitarunt hypotheſes, pro digerenda rerum, quæ in Evangelio narrantur, ſerie, noviſque interpretationibus textus, quibus maxime urgentur, prorſus eludendi.

E. g. P. Lamy, & P. Mauduit autumant, cœnam illam apud Sanctum Lucam 7. 37. cujus occaſione mulier criminoſa rigatos lachrymis ſuis pedes Jeſu Chriſti coma capitis deterſit; cœnam, inquam, illam Bethaniæ inſtitutam fuiſſe, quo in loco factam conſtituunt alteram apud S. Matth. 26. 1. &c. Sanctum Marcum 14. 1. &c. Sanctum Joannem 12. 1. &c. cum ſcilicet Maria ſoror Lazari pretioſi unguenti vaſculo caput Magiſtri perfudit. Certum ponit Pater Lamy, eam, quæ cum domo Marthæ & Mariæ ac Jeſu Chriſto interceſſit, animi conjunctionem, ut quoties Jeroſolymam iret, apud illas diverteret, jam inde ab exordio prædicationis Jeſu Chriſti cœpiſſe. Conſtituit pariter, cœnam illam, cujus occaſione Martha de Maria ſorore conqueſta eſt [2], paulo poſt Baptiſmum Jeſu Chriſti factam; præceſſiſſe autem alteram cœnam, qua Maria anteactę vitę jam pœnitens, & ad meliorem frugem converſa, quamquam nondum externæ vitę habitum penitus immutaſſet, ad Simonis Phariſęi ędes divertit, ibique pœnitudinis ſuæ & pietatis apertiſſima protulit documenta. Sed in hoc Authoris ſyſtemate totus tranſponendus eſt ordo S. Lucæ, cujus caput decimum ante caput ſeptimum transferretur, nequid dixerimus, quod cœna illa apud Simonem Phariſæum non Bethaniæ, ſed Naim inſtituta eſt, quemadmodum in inferioribus demonſtravimus.

P. Pezron hiſtor. Evang. tom. 2. alter ſingularis Mariæ aſſertor, in ipſo operis veſtibulo profitetur, rerum, quæ de Magdalena in Evangelio narrantur, hiſtoriam, ſi ſparſim, uti ſcriptis mandata eſt, legantur, non niſi confuſam ejus ideam ſuffecturam; ſi vero junctim tamquam in ordinatæ hiſtoriæ ſeriem digeſta exhibeatur, tunc prona erunt omnia & aperta. Quam invidioſam, rogo, adverſus ſuum ſyſtema confeſſionem? Quæ in Evangelio res geſtæ leguntur, nullam habent ad perſuadendum vim, niſi e ſuo revulſæ loco in arbitrariam digeſtæ ſeriem reducantur: quid tunc alienum erit ab Evangelio, ſi ea tandem interpretandi ratio adhibeatur?

Fatetur ille, Mariam Magdalenæ e Galilæa repetendam, cujus deducit nomen ex vico quodam, *Magdalo* appellato: addit, Lazarum fratrem & Martham ſororem, ut ipſe quidem credit, hujus Magdalenæ, ad eamdem provinciam pertinere. Maria liberioris vitæ licentiam ſecuta eſt; non tamen adeo, ut rupto pudoris fræno impudicitiæ ſe daret. Deus revocandæ ad meliorem frugem mulieri, in poteſtatem ſeptem Dæmonum, quibus ad tempus infeſtaretur, illam permiſit. Inter hæc Jeſu Chriſti in Naim adventus, & fama reſtituti ad vitam adoleſcentuli longe lateque pervulgata, eamdem mulierem ad ipſum in ædibus Simonis Phariſæi, domui ejuſdem mulieris familiaris, accivit. Nec mora; a gemino infami hoſte, crimine nempe & Dæmone liberam ſe experta eſt. Contigiſſe autem dicit hæc omnia circa menſem Januarii, vel Februarii, anni ab inita a Jeſu Chriſto prædicatione ſecundi.

Proxime ſequenti Aprili vel Majo, itinerum Jeſu Chriſti comes acceſſit. Aliquanto poſt Jeſus Chriſtus vicum adivit, cui forte Lazarus & Martha imperabant; ibi vero Martha de ſorore ſua Maria conqueſta eſt; de Maria, inquam, quæ Magiſtri ſequelæ penitus addicta, domeſtica illa munia parum curabat. Tunc Jeſus conſilium ſuum, deſerendi nempe Galilæam, prodens, fœminis in cauſa fuit, ut in Bethaniam, vicum non longe a Jeruſalem, transmigrarent. Cum igitur Lazarus & Martha e Galilæa receſſiſſent, idem præſtandi authores fuerunt Simoni Leproſo, quem confundendum arbitratur cum Simone Phariſæo urbis Naim incola. Omnes igitur ſedem transtulerunt in Bethaniam, eoſque ſæpe conveniebat Jeſus, qui locum Lazari reſurrectione inclytum fecit. Nec alibi etiam, licet aliquandiu poſt, Maria ſoror Lazari caput Jeſu Chriſti recumbentis perfudit unguento, ſicut & idem pium officium erga defunctum ejuſdem Magiſtri corpus repetendum ſuſcepit. En plane ſyſtema fęliciſſime conceptum, & perpetua rerum ſerie conſtans; an tamen verum? Ne ipſum quidem de ejus veritate ſatis perſuaderi Authorem crediderim; quippe qui non tamquam certum, ſed tamquam probabile illud ſe tradidiſſe ſignificat.

Defendit P. Mauduit [3] Mariam Magdalene, alio nomine Mariam ſororem Marthæ, a Bethania, vico non longe a Jeruſalem, originem duxiſſe, quam poſteriorem Urbem in ſpectaculum effrænis licentiæ ſuæ totam converterit. Cum vero ait, ad meliorem frugem ſe recepiſſet, in Galilæam ſe contulit, ubi facile ditiſſimæ domus latifundia poſſidebat; ſiquidem ad eam pertinuiſſe oppidum *Magdalum* ſtatuatur. Hic Jeſu Chriſto comes accedens, Judæam una cum illo repetiit; verſantibuſque ſimul in Bethania, mulier ſemel & iterum unguento Jeſum perfudit; in domo nempe Simonis Leproſi vel Phariſæi; utrumque enim Simonem confundendum cenſuit. Primum hoc in Jeſum officium ad exordium reſtitutæ mulieris in meliorem frugem revocat; ſecundum ante ſex dies ab obitu Servatoris conſignat. Hæc ille pro conciliandis Evangelii textibus, quibus geminæ mulieris, eodem Mariæ nomine notæ, characteres exhibentur.

P. Alexander ſuo ordine inſurgens [4], autumat fieri potuiſſe, ut una eademque fœmina variis temporibus Naim & Bethaniæ ſedem haberet. Primo igitur ædem habere potuit in Naim, ſive quod in ea Urbe elocata eſſet, ſive quod viro alicui potenti adhæreret. Ibi effrænis licentiæ exhibuit argumenta. Potuit una pariter ædem ſuam habere paratam Bethaniæ, quo poſt ejuratum crimen veniens, una cum Lazaro & Martha commoraretur. Addit, criminoſam mulierem illam in Evangelio appellari, non quod crimen publice profiteretur: ſed ideo facile, quod proco uteretur viro aliquo locupleti & potenti, cujus rei gratia invidiam apud univerſos cives ſubiret; vel forte ideo criminoſa appellaretur, quod muliebri cultu plus nimio laſciviret.

Quæ in Evangelio de poſſeſſa a Dæmone muliere narrantur, exponit ſive in ſenſu metaphorico, quo nempe Dæmonis nomine crimen deſignetur; ſive forte, ait, reapſe a Dæmone agebatur, non ſemper, ſed per temporum intervalla; quibus proinde tantum ſpatii daretur, quantum pro ſalute ſua ſerio cogitanda, atque de parando ſibi remedio tandem ſufficeret. Defendit tandem, duas illas unguenti perfuſiones, nempe in æde Simonis Phariſæi & Leproſi in domo unius ejuſdemque viri, ſed variis temporum & locorum diſcriminibus factas reputari. Tandem, ait, unam ſingularem mulierem pro variis rerum circumſtantiis nunc Criminoſam, nunc Mariam Lazari, nunc Mariam ſororem Marthæ & Lazari, modo denique Mariam tantummodo appellari potuiſſe.

Appoſite iſta quidem, ſi prius evidenti aliquo argumento demonſtraſſent, tria illa nomina Mariæ Magdalene,

(1) *Matth*. 26. 13. (2) *Luc*. 10. 8. (3) *Analyſ. Evang. t*. 2. *p*. 480. (4) *Natal. Alex. Hiſt*. *N.T*. *t*. 3. *Diſſert*. 17. *pag*. 191. *&c.*

dalene, Mariæ ſororis Marthæ, & fœminæ criminoſæ a Dæmone liberatæ, ad unam eamdemque fœminam pertinere. Semul enim optimis argumentis veritate hiſtoriæ alicujus conſtituta; facile reſolvendis, quæ in contrarium ingeruntur, objectionibus, interpretationes omnes admittimus. Vel ipſis tune hypotheſibus minus plauſibilibus favetur, quando enim veritate deſtituerentur, res tamen ipſa aſſerta conſtaret. Nunc autem ſubducitur ædificio fundamentum. Demonſtranda quippe prius fuerat ſingularitas mulieris, adverſus tria illa fœminarum nomina; ac deinde detorquenda eſſent ingenia ad ſyſtemata fabricanda, quibus oppoſita omnia pronius & facilius refutarentur.

ARTICULUS II.

Mariam Magdalene & fœminam criminoſam unam ſingularem fœminam eſſe, a Maria ſorore Marthæ diſtinctam.

NOſtra hæc opinio medium quoddam obtinet inter duas illas; quarum altera unam ſingularem fœminam, altera tres diſtinctas defendit. Hiſce autem argumentis probatur Mariam Magdalene ipſam eſſe eamdemque fœminam criminoſam, quæ ad bonam frugem rediens, Jeſu Chriſti pedes in ædibus Simonis Phariſæi perfudit unguento. Utramque enim fœminam deſignantes characteres poſſunt commodo uni eidemque convenire. Confunduntur pariter apud Patres fane multos (1), quorum præpoſtero plane teſtimonio utuntur ſingularitatis aſſertores. Aliud porro eſt ſtatuiſſe, Mariam Magdalene cum altera confundi muliere criminoſa, quæ pedes Jeſu Chriſti in urbe Naim perfudit ungoento; aliud de tribus illis, Magdalene nempe, fœmina criminoſa, & Maria Sorore Lazari unam eamdemque fœminam conſtituiſſe. Lucas poſt narratam hiſtoriam fœminæ criminoſæ (2) quę ad ſaniora conſilia regrediens Jeſum Chriſtum in domum Simonis Phariſęi convenit, ſimulque deſcripta verba ſolatii, & ſpei pleniſſima, quibus Jeſus mœſtam relevavit, nimirum: *Vade in pace*, addit tandem (3), Jeſum per Urbes, & vicos Galilęę decurriſſe, itineris comitibus ſequentibus duodecim Apoſtolis, quibus acceſſerunt: *Mulieres aliquæ, quæ erant curatæ a Spiritibus malignis, & infirmitatibus: Et* inter ceteras *Maria, quæ vocatur Magdalene, de qua ſeptem Dæmonia exierant; & Joanna uxor Chuſæ, & Suſanna, & aliæ plures.*

D. Toynardus (4) perſuaſum habet, convaluiſſe fœminas illas a Dęmone ante ſex menſes, ſimulque veroſimillimum reputat, eamdem hic fœminam inſinuari, quæ prius ante pedes Domini in ędibus Simonis Phariſęi provoluta deſcribitur; hic vero ante religioſas fœminas itinerum Jeſu Chriſti comites omnium prima conſtituitur.

Singularis fœminę patroni miſere torquentur, cum de titulo mulieris criminoſę Marię ſorori Lazari tribuendo res eſt. Porro eo nomine juxta Patrum & Interpretum receptam ſententiam, deſignatur fœmina proſtituta, quęque pudicitię omnes frenos abrupęrit. Alienum eſt autem ab ea mulieris indole, quidquid de rebus a Maria ſorore Marthę geſtis memorię proditum legitur. Debuit plane religioni duci, quod ea invidia mulier Jeſu Chriſti amore flagrans in primis oneraretur, niſi forte ea promantur documenta, quę rei veritatem extra controverſiam poſuerint.

Incommodum illud ſentiens P. Lamy, invidiam nominis *criminoſa* minuendam ſuſcepit. Nititur enim demonſtrare, nomine illo deſignari fœminam, quę exacto legis obſequio deſuerit. Quonique vero legi non parebat Maria? Id ſibi deprehendiſſe credit Author ille in nomine Magdalene, quod quidem fœminæ adjiciendum conſtituit. Magdalene enim, vel Hebraice *Maggadela* reddi poteſt fœmina eincinnata. Tota igitur nominis criminoſæ invidia eo tendebat, quod ſcilicet Maria ſoror Marthæ calamiſtrandis comis plus nimio laſciviendi gratia ſtuderet; hinc titulus criminoſæ fœminæ datus. Addit ex Rabbinorum doctrina vetitum eſſe die Sabbati comas calamiſtrare. Porro de ſoliditate hujus argumenti ad judicium ipſum ſuum Authorem provoco. Animadvertiſſe tamen juvat, ejuſdem Authoris confeſſione numquam fieri potuiſſe, ut Maria Magdalena eadem cum ſorore Lazari ſtatueretur, ſiquidem peccatricis fœminæ nomen proſtitutam mulierem deſignaret (5), erat enim crimen ſeveriſſimis legibus apud Iſraelitas interdictum (6); quin & capitale habitum fuiſſe Philo Judæus (7) teſtatur.

P. Alexander ſuſpicatur, fœminam illam, de qua in Evangelio, non palam quidem criminibus impudicitiæ ſuæ quæſtum feciſſe; ſed habuiſſe potius procum virum aliquem potentem, quocum etiam liberius conſueſceret. Si vero, ait, venale crimen ſuum habuiſſet, non inde tamen recta conſecutione inferretur, alienam fuiſſe mulierem a genere Iſraelitarum; quamquam enim ſevera Legis diſtrictione proſtitutionis crimen interdiceretur, nulla tamen certa decreta erat in tranſgreſſores pœna; nec niſi parum ea in re Domini juſſionibus delatum fuiſſe ſatis, & pluſquam ſatis intelligimus. Probe id noſcens futurum Legiſlator cavit, ne proſtitutæ merces in Templum inferretur (8); mandatis inſuper onerans Sacerdotes, *ne ſcortam & vile poſtribulum ducerent uxorem* (9). Duæ tandem fœminæ proſtitutæ coram Salomonis tribunal, alia contra aliam cauſam agebant [10].

Sed irritæ conjecturæ quo invidioſa illa nominis *criminoſa* idea leniatur; numquam enim fiet, quin ex turpitudinis nota Mariam ſororem Marthæ inurere mens refugiat, ſive nimirum publica aliqua ſcortatio, voce illa deſignetur, ſive impudica quædam viro alieni potenti adhæſio. Repugnant enim iſta cum iis, quæ de Maria ſorore Marthæ in Evangelio referuntur. Quare duas inter ſe plane diſtinctas mulieres concipere oportet, cum in Scriptura nomen fœminæ criminoſæ & Mariæ ſororis Marthæ legimus. Alia notabimus in proximæ ſubſequuturi articulo, quibus inter duas haſce fœminas diſcrimen magis magiſque patebit; ibique pariter diluentur objectiones, quibus ſententia hęc noſtra impetitur. Apud Græcos peculiari Feſto colitur die ſt. Martii ſancta illa mulier ad meliorem frugem converſa, tamquam diſtincta a Maria Magdalenę, & Maria ſorore Marthę.

Nec diſſimulanda impręſentia hujus ſententię incommoda, quę lenienda utcumque ſuſcipiemus. Fœminę illius criminoſę ſemel tantum meminit Evangelium. Cum Jeſus Chriſtus defunctum filium Viduę Naim ad vitam revocaſſet, in ędes Simonis Phariſęi ad cœnam invitatus venit (11). Accumbentibus illis domum ingreſſa eſt fœmina criminoſę elogio in Urbe tota notiſſima, quę ad pedes Jeſu Chriſti accidens, pretioſo unguenti vaſculo pedes ipſos Magiſtri perfudit, tum lachrymis irrigatos coma capitis ſui detergebat. Siniſtri aliquid de Jeſu ſuſpicatus Phariſęus, reputans ſecum ſe, Chriſtum inanem prophetię ſpiritum venditaſſe; quippe qui, cujus fœminę tactum ſuſtineret, ignoraſſet. Quę animo verſabatur Phariſæus, probe intelligens Jeſus, parabolam duorum fœneratorum, quorum ille majori, alius minori ære alieno gravabatur, propoſuit. Utrique debitum remiſit fœnerans, quare interrogavit Jeſus Phariſæum, uter inſignis beneficii largitorem ſuum amaret magis? Reſpondenti Phariſæo illum facile, cui majus debitum remiſſum eſt; intulit inde Jeſus, ſe ab ea fœmina amari magis, quod pluribus criminibus rea, majus ab ipſo abſolutionis beneficium recepiſſet.

(1) *Beda Alcuin. Petr. Damian. Petr. Cell. Bernard. alii plures: quos vide ad finem hujus Diſſertationis.* (2) *Luc.* 7.... 37. (3) *Luc.* 8. 1. 2. *&c.* (4) *Toynard. Harm. pag.* 55. *art.* 89. *ad Mart.* 1. 3. *& pag.* 36.

(5) *Vide P. Lamy Harm. lib.* 4. *cap.* 16. *Diſſert. Gallice pag.* 98. (6) *Deut.* 23. 17. (7) *Philo de Joſeph. pag.* 533. (8) *Deut.* 23. 18. (9) *Levit* 21. (10) 3. *Reg.* 3. 16. (11) *Luc.* 7. 31. 32. 13. 36. 37. *&c.*

ſet. Tunc mulierem in illa verba dimiſit: *Vade in pace*. Poſt hæc omnia, paucis verſibus infra continuat S. Lucas, Mariam Magdalenam aliaſque nonnullas fœminas Jeſu Chriſto prædicationis gratia per regionem diſcurrenti adhæſiſſe.

Ad probandam diſtinctionem Magdalene a fœmina criminoſa adducitur primo, Mariam Magdalene e malo ſeptem Dæmonum hoſpitio ante reſipiſcentiam ſuam liberatam fuiſſe. Alia erat igitur fœmina a muliere illa criminoſa ſceleribus ſuis tota Urbe notiſſima; vix enim unam eamdemque perſonam convenire poſſunt duo illa, ut publicam exerceat ſcortationem, ſimulque e Dæmone agatur. 2. Maria Magdalene e *Magdalum*, unde nomen trahebat, originem retuliſſe creditur, quemadmodum in ſuperioribus demonſtratum eſt; criminoſa vero illa Urbem Naim licentiæ ſuæ theatrum nacta erat; eſt igitur altera ab altera muliere diſtinguenda. 3. Magdalene duobus ſaltem poſtremis Jeſu Chriſti annis itinerum illius comes acceſſit; cum interim criminoſam illam fœminam, nec ad meliora etiam conſilia reductam, potuiſſet ſine aliqua probri infamia ſibi Jeſus Chriſtus adiſciſcere. 4. Tandem numquam fœmina illa Mariæ Magdalene nomine deſignata eſt; nec viciſſim Mariæ Magdalene criminoſæ titulus unquam tribuitur. Ex quo conjectura non levis ducitur, alteram eſſe ab altera ſedulo diſtinguendam.

Hiſce omnibus reponi poteſt. 1. Si ea quæ de Maria Magdalena a Dæmone vexata narrantur ad ſenſum allegoricum cum Patribus quibuſdam detorquenda eſſent, fieri utique poterat, ut una eademque fœmina & a Dæmone ageretur, & ſcortationem exerceret. Si vero a Dæmone reapſe poſſeſſam conſtitueremus, reputandum eſt, egi illam per intervalla a Dæmone, ut proinde commodum naciſceretur ſpatium licentiæ ſimul in publicis Urbis locis exercendæ. Facile etiam a Dæmone illo impudicitiæ agebatur, cujus ſæpe in Sacris Libris mentio [1]. Ita de Saule memoriæ proditum legimus, agitari illum a Dæmone conſueviſſe, ut nihil tamen impediretur, quin in expeditiones prodiret, & reliqua exerceret vitæ munia, quæ ab hominibus ceteris præſtantur. Idem facile & in Maria contigit.

2. Maria Magdalene potuit originem ſuam, & nomen e *Magdalum* retuliſſe, ſcortationem autem exercuiſſe in Urbe Naim, cum maxime duo hæc loca minime diſtarint. Sive autem Naim haberet libidinum ſuarum theatrum, ſive Magdalum, ſive Tiberiadem, ſive alium quemcumque locum, ſatis habemus, ſi mulieris criminoſæ cognomine in urbe Naim innoteſceret, quod ab Evangeliſta adnotatum eſt.

3. S. Lucas non prius refert Mariam Magdalenam Jeſu Chriſto comitem adhæſiſſe, quam poſt narratam de ejurato ab ipſa crimine hiſtoriam. Nihil autem prohibet, quin fœmina criminoſa, poſt factam criminis renunciationem, Magiſtro adhæſerit, ut una eademque cum Magdalena haberetur. Potuit etiam ad meliorem & valetudinis, & innocentiæ ſtatum rediiſſe ante aliquod tempus, quam ædes Simonis Phariſæi adiret. Arbitratur quidem Phariſæus fœminam illam in crimine manſiſſe; ſed numquid proinde manſiſſe reapſe ſemper, recta inde conſecutione inferretur? Ejus pœnitudinis fama non antea facile evulgata eſt, quam cum ad pedes Jeſu Chriſti palam accidit, tunc enim lacrymarum ſuarum marito a priſtinis elui criminibus impetravit.

Invidiæ apud Phariſæos contrahendæ, ſiquidem Chriſtus in comitatu mulierem impudicitiæ fama notiſſimam adhibuiſſet, metus aliquid in rem præſentem valeret, ſi exploratum non eſſet, Jeſum Chriſtum in comitatu habere viros deploratæ famæ non refugiſſe. Ita Apoſtolorum ſuorum collegio Publicanum ſociavit (†). Phariſæorum criminationes de ſociatis ſibi communi menſa Publicanis, & peccatoribus contempſit, atque in ludum vertit (*). Edixit Publicanos, & fœminas criminoſas præverſuras Phariſæos in Regni Cœlorum poſſeſſione [a]. Quæ tunc temporis obtinebat apud Judæos prædicationis gratia regionem diſcurrentes conſuetudo, ut itineris comites haberent fœminas aliquas religioſas, a quibus neceſſaria præſtarentur, ejus rei apud Judæos invidiam tollebat omnem. Ad hæc publica reſipiſcentia Magdalenæ exhibita documenta, provectior ejus fœminæ ætas, debuit enim aliquot ætatis annos egiſſe, præcedens ejus valetudo, atque tranſmutatæ in melius vitæ exempla, omnis pariter ſuſpicionis timorem removebant, atque ſcandalo conſulebant, ſi forte inde aliquod ſuccurriſſet, cum habere Jeſus in comitatu fœminam impudicam ſpectaretur. Hujus tandem objectionis pondere multo quam nos magis urgentur, ſingularis fœminæ aſſertores.

4. Fateor quidem, Evangeliſtas numquam Mariæ Magdalenæ nomen fœminæ criminoſæ tribuiſſe, nec viciſſim Magdalenæ titulum criminoſæ; ſed animadvertiſſe pariter juvat, numquam criminoſam illam mulierem peculiari nomine deſignari, unde nulla deduci poteſt conjectura alio illam nomine, quam Mariæ Magdalenæ nuncupari. S. Lucas, ſive ad indulgendum mulieri illius decori, ſive alia quacumque perſuaſus ratione, noluit, ejus deſcribens hiſtoriam, genuinum ejus nomen ſcriptis mandare, contentus ſub generali fœminæ criminoſæ nomine, hæc omnia retuliſſe. Potuit autem conſilium illud ſuggeſſiſſe Evangeliſtæ, ſive ſcandalum, quo inſpecta muliere illa affectus eſt Phariſæus, vel invidioſum criminoſæ elogium, quo vir ille mulierem notavit; potuit, inquam, his omnibus S. Lucas perſuaderi, ut peculiare nomen ſupprimeret, eodemque tunc primum utendum cenſuit, cum de eadem muliere in comitatu Jeſu ſermo honorificus recurreret.

Ceterum ſententiam hanc noſtram, non veluti aſſertam, ſed tamquam probabiliorem defendimus, illud etiam demonſtrantes, quæ contra illam formantur objectiones, congrua aliqua reſponſione dilui potuiſſe. Suum gradum probabilitatis tenet opinio, quæ tres Marias tamquam diſtinctas inter ſe fœminas tuetur, quemadmodum demonſtrandum modo ſuſcepimus.

ARTICULUS III.

Mariam Magdalenam, Mariam Sororem Marthæ, & fœminam criminoſam tres eſſe inter ſe diſtinctas mulieres.

ID potiſſimum ſententiæ huic ſuæ commodi acceſſiſſe illius patroni animadvertunt, (*), qui cum negantem propugnent opinionem, nullum dicti ſui documentum proferre teneantur. Nullus in novo Teſtamento textus tres illas fœminas in unam eamdemque mulierem confundit; id ſatis pro ſententiæ hujus patronis, quo ſcilicet veluti proprio jure alios ad reſpondendum cogunt, cur in unam confundendæ ſint; nec debent ipſi viciſſim quærentibus aliis reſpondere, cur fuerint diſtinguendæ. Dicti ſui documenta exhibuiſſe ad eos ſpectat, qui indiſtinctas tuentur. Agitur enim de facto quodam hiſtorico, diſerte ſatis ab Evangeliſtis relato, quo tres perſonæ tribus inter ſe diſtinctis nominibus deſignantur; hæc enim fœminæ criminoſæ nomine appellata eſt, altera Mariæ ſororis Marthæ, tertia tandem Mariæ Magdalenæ, ſingulæ diverſis rebus geſtis clarent. Quo igitur inter ſe confundendæ demonſtrentur, non præſumptione tantum agendum eſt, neque congruentiis, neque longe ab ea ætate remotis Authorum teſtimoniis; petita ex ipſa re documenta, nec ambigui textus promendi ſunt.

Ex ſuperioribus autem credimus exploratum, multo quidem argumenta, quæ in eam rem probandam afferuntur, a perſpicuitate abfuiſſe. Unicus tantum Evangelii textus producitur, ad demonſtrandum Mariæ Sororis Marthæ, & Mariæ Magdalenæ ſingularitatem, unus, inquam, textus, & ſi quis alius ambiguus,

(1) *Oſee 4. Spiritus fornicationis decepit eos.*
(†) *Matth. 9. 9.* (*) *Matth. 9. 11. & 11. 19.*

(a) *Matth. 21. 31.* (*) *Anquetin Diſſert. de S. Maria Magdalena p. 1. 2.*

guus, ad arbitrariam ſatis conſecutionem deductus. Pro aſſerenda vero inter Mariam ſororem Lazari, & fœminam criminoſam unitate, nullus expreſſus textus adducitur. Quantum ſibi faceſſant negotii ejuſdem ſententiæ aſſertores, & quas cogantur formare hypotheſes in ſuperioribus demonſtratum eſt. Pro ceteris vero argumentis omnibus eo rediguntur, ut demonſtrent, ſingularis mulieris opinionem, Sacræ Scripturæ authoritati non repugnare, congruere autem maxime cum Eccleſiaſticis Officiis, ſolamque demum obtinuiſſe in Occidente, poſt S. Gregorium Papam, atque authoritate inſignium Doctorum, & Scripturæ Interpretum valuiſſe.

Nihil tamen ex his ſatis impræſentia. Poſſeſſio, cui potiſſimum fidunt, numquam ſatis quieta & in tuto manſit, ſæpe enim turbata eſt, & multo etiam ſæpius e gradu ſuo excidiſſet, ſi minus in ſtudium Scripturæ præventionis, & plus aliquid meditationis collatum fuiſſet. Porro in quæſtione facti, in qua nullum imminet fidei detrimentum, neque temporis, neque authoritatis legitima aliqua præſcriptio admittitur. Integrum eſt omnibus cauſam pro libito ad Judicem revocare, integrum in examen adducere monumentorum fidem, ex quibus prioris illius ſententiæ authoritas conſtitit; ſi forte monumenta illa ſubſiſtere adhuc, nemine diffitente, contingat. Manent autem, æternumque manebunt Evangelia, e quibus monumenta in rem præſentem promenda ſunt.

Multum equidem deferendum Officiorum Eccleſiaſticorum authoritati fatemur, a quibus non niſi evidentiſſima aliqua ratione recedendum eſt; ſunt enim in ſacris Eccleſiaſticis ceremoniis atque ſolemnibus Fidelium precibus, Fidei evolutorum ſæculorum & traditionum noſtræ Religionis ſervata dogmata. Sed inter Officia tamen Eccleſiaſtica ſolerter diſtinguenda ſunt ea, quæ ipſum veluti myſterii fundamentum conſtituant, & preces ſive ceremonias contineant, quæ a remotiſſima petitæ antiquitate neque exordium ſuum, neque authorem noſcunt. Tenenda ſunt iſta quidem, eoque ſuſpicienda, ut minimum quid de illis dubitare nefas habeatur. Portio ſunt enim depoſiti Fidei, Eccleſiæ cuſtodiæ concrediti.

Quod autem ad ceremonias & preces recentiori ætate in Eccleſiaſtica Officia invectas pertinet, uti hiſtoriæ Sanctorum, vitæ Martyrum, illas tamquam veras aſſertaſque defendere numquam in ſe Eccleſia ſuſcepit. Quare non in examen revocari tantum earum veritatem patitur, ſed laude etiam dignos cenſet, qui rem illam aggrediuntur, & ſi forte ſecundo illorum labore aliquid deprehenſum ſit fictum & ambiguum, illa repudiare ſtatim & ſupprimere a ſe alienum non arbitratur. Nec deſſunt ad eam rem demonſtrandam exempla. Eccleſiæ, Pariſienſis, Aurelianenſis, Vienuenſis, & Ordo Cluniacenſis vetus Officium ſuum reformare aggreſſæ ſunt, quo tres Mariæ in unam confundebantur, earum diſtinctionem jamdiu neglectam reſtituentes. Eodem conſilio Clemens Papa VIII. tollendum juſſit ex Officio Sanctæ Mariæ Magdalenæ [1] vetus quoddam Canticum, quippe quod nimis aperte Mariam Magdalene cum ſorore Lazari & fœmina criminoſa confunderet. Id tandem reputandum eſt, Eccleſiam ſingulari Officio noluiſſe tres in unam confundere, ſed trium memoriam una ſimul die celebrare.

Nunc autem ſingula hujus opinionis argumenta promenda ſunt. I. Maria ſoror Marthæ e Bethania vico, non longe a Jeruſalem, originem referebat, nec alibi locorum unquam in Evangelio exhibetur. Morabatur ibi cum Martha ſorore ſua, cum Jeſus, & facile primum, eo divertens, querentem audivit Martham, quippe quæ a Maria ſorore domeſticis in rebus præſtandis ſolitaria relinqueretur [2]; ibi pariter verſabatur, cum Jeſus ad revocandum ad vitam Lazarum venit [3], ac tandem in Bethaniæ caput & pedes Jeſu Chriſti diſcumbentis ſex ante obitum ipſius diebus unguento perfudit [4]. Maria Magdalena a Galilæa ducebat originem, quemadmodum non ſemel ab Evangeliſtis ſignificatum eſt [5]. Altera igitur ab altera Maria diligentiſſime diſtinguenda eſt.

II. Mariæ Magdalene cognomen e *Magdalo* Galilææ accerſunt magno numero Interpretes, unde nomen fœminæ inditum Maria a Magdalo, quemadmodum uſurpari ſolebat Jeſus e Nazareth, Simon e Giſcala, Judas e Gaulone &c. Cum vero eadem ſit facile mulier ac criminoſa illa fœmina, ideo viri cognomen illi, quemadmodum cum aliis fœminis Jeſu Chriſti comitibus præſtitum eſt, nullum addebatur. Ita notæ ſunt in Evangelio Maria Cleophæ, Maria Salome, Joanna Chuſæ, & ſic de ſingulis. Pro viri nomine Patriæ ſubſtitutum eſt. Mentio autem occurrit Magdali cum in Libris V. T. cum in Joſepho, Talmudiſtis, Euſebio, Sancto Hieronymo, atque ipſo pariter Evangelio. Urbs *Magdalel* in Tribu Nephtali habetur Joſue 19. 38. ibique pariter cap. 12. 21. legitur *Maggedon*, alio nomine *Madiel*. De arce *Magdala* mentio apud Joſephum in Libro de vita ſua, ubi narrat Aggrippam eidem Arci expugnandæ copias miſiſſe. *Maggedon*, ſive juxta Græca Exemplaria *Magdala* legas Matth. 15 ult. Eumdem locum videas apud Talmudiſtas [6] atque ſitum ferunt trans mare Tiberiadis [7].

Mariæ ſoror Lazari numquam alio titulo innoteſcit, quam Mariæ ſororis Marthæ, ſive Lazari. Quis ergo cum Maria Magdalena illam confundat?

III. Nihil habent duarum mulierum characteres commune. Quæ mulier Mariæ Magdalenæ nomine cenſetur, fœmina erat Galilæa, quæ acceptum a Jeſu Chriſto beneficium, pulſi nempe e corpore ſuo Dæmonis repenſura, Largitori ſuo comes perpetua adhæſit, ne in cruce quidem & in tumulo clauſum deſerens. Maria ſoror Marthæ in Bethania patria ſua ſolitaria manebat adeo, ut neque domus ſuæ adminiſtrationem ſuſtineret, cum Jeſus eo primum divertit, nec unquam inter comites Jeſu Chriſti memoratur, numquam Præceptorem illum ſuum vidiſſe extra vicum Bethaniæ vel forte extra domum ſuam legitur.

IV. Maria Magdalene in comitatu erat Jeſu Chriſti poſtremo vitæ ipſius anno [8]; quippe quæ e Galilæa Jeroſolymam ad noviſſimum Paſcha ſe conferenti comes adhæſit. Erant autem tum temporis Maria & Martha una cum fratre ſuo in avitis Bethaniæ ædibus [9]: namque abſente adhuc Jeſu Lazarus deceſſit, cum antea affectæ valetudinis ipſius nuncium ambæ ſorores miſiſſent ad Jeſum. Cum autem ad domum illarum reſtituendo in vitam fratri ſe contuliſſet, venientem ambæ exceperunt. Aliquandiu poſt, cum Jeſus in ſuo Jeroſolymam itinere ad abſolvendum ſalutis noſtræ opus in vicum Bethaniæ ad hoſpitium Lazari, Marthæ, & Mariæ diverti ſſet, tria illa ſibi amiciſſima capita nactus eſt [10]. Itaque altera eſt Maria ſoror Marthæ a Magdalena, quæ poſtrema mulier in comitatu erat Jeſu Chriſti e Galilæa ſive e Transjordanis venientis; cum interim altera Maria una cum fratre ſuo eumdem Chriſtum hoſpitio receperit.

V. Statim poſt prodigium reſtituti in vitam adoleſcentis Naim, Maria Magdalena comes Jeſu Chriſto acceſſit [11]. Inde Chriſtus Jeroſolymam concedens, hoſpitio receptus eſt apud Martham & Mariam [12]. Quam luculentum diſtinguendis duabus fœminis argumentum, hæc e Galilæa in Bethaniam una cum Ieſu venit, hæc venientes hoſpitio recipit?

VI. Ma-

(1) *Vide Gavant. Rubric. apud Eſtium orat. 14.* (2) *Luc. 10. 28.* (3) *Joann. 11. 2.* (4) *Matth. 26. 1. 2. Marc. 14. 2. 3. Joann. 12. 1. 2.* (5) *Matth 27. 56. 57. Mulieres, quæ ſecutæ erant Jeſum a Galilæa .... inter quas erat Maria Magdalena. Marc. 15. 40. 41. Luc. 23. 49 55.*

(6) *Talmud. in Thaanith. fol. 20.* (7) *Vide Ligfoot. in Matt. Cellar. Geograph.* (8) *Vide Matt. 27. 56. 57. Marc. 15. 40. 41. Luc. 23. 49. 55.* (9) *Joann. 11. 1. 2 &c.*
(10) *Joann. 12. 1. 2. 3.* (11) *Luc. 7. & 8. 2. 3. &c.*
(12) *Luc. 10. 38.*

VI. Magdalena ſeptem Dæmonibus eeſpſe agebatur juxta Evangeliſtas [1], vel ſaltem in effrænia vitæ licentiam proruerat juxta Patres nonnullos [2]. Scortationibus & impudicæ vitæ criminibus totam ſe dederat, ſi fides Veteribus quamplurimis, qui eum fœmina criminoſa Ieſu Chriſti pedes in ædibus Simonis Phariſæi unguento perfundentem unam eamdemque arbitrantur. Nihil tale de Maria ſorore Marthæ affirmandum eſt, niſi id prius certum ſtatuatur, de quo maxime ambigitur, vitioſa illis argumentatione, qua principium petitur, invecta.

Singularis mulieris aſſertores in ipſo cauſæ agendæ limine ponunt, Mariam Magdalene & Mariam ſororem Lazari unam eſſe ſingularem fœminam, quod ſibi certum jure quodam poſſeſſionis veteriſque neſcio cujus traditionis vindicant. Ita ſemel perſuaſi, ad exponendos Scripturæ textus ſe conferunt, ſatiſque ſe hac ratiocinatione pro cauſa obtinenda præſtitiſſe confidunt. Quam ſuſtinemus opinio Eccleſiæ authoritate fulcitur, nihilque habet in ſacra Scriptura repugnans; tenenda eſt igitur, neque committendum, ut novis invectis rebus verus Eccleſiæ depoſitum corrumpatur. Hæc illi commentantur, cum potius ita reputaſſe deberent. Trium harum mulierum ſingularitas numquam ſatis exprimitur in Scriptura, recentius in Eccleſiam invecta eſt, atque adverſarios habet plures quà veteres Patres, quà ſapientiſſimos Criticos; majori igitur indagine de illa diſquirendum, & ſi forte in ea quæſtione numquam ſatis perſpecta poſſit haberi veritas, nec certa ſatis & aſſerta promenda eſt ſententia; quæ ſunt æquiora ſtatuamus, veteribuſque excuſſis e mente præjudiciis, debitam referamus veritati gloriam, ultro profeſſi, ſententiam illam quæ tres fœminas diſtinguit, potiorem habere apud Evangeliſtas cauſam fatentes, vel ſaltem a ſententia ea de re noſtra promenda abſtineamus, donec pro ſingularitate majora & evidentiora ferantur argumenta, quam quæ hucuſque producta ſunt.

Laudantur pro iſta ſententia Authores ſane multi, qui inter Mariam Magdalenam & Mariam ſororem Lazari diſtinguunt. Verum ſedulo diſtinguendum eſt inter Scriptores iſtos, alioſque qui tres Marias ſtatuunt. Auther Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 3. cap. 26. S. Irenæus, Origenes, S. Macarius, S. Chryſoſtomus, Titus Boſtrenſis, Theophylactus, Euthymius, quos ſupra laudavimus, adverſus ſingularitatem trium mulierum apertiſſimum ferunt teſtimonium, ſed inter aſſertores trium fœminarum numquam recenſendi ſunt. Diſtinguunt illi tantummodo, nec immerito, fœminam criminoſam, quæ pedes Ieſu Chriſti oblinivit apud S. Lucam cap. 7. a Maria ſorore Marthæ, ad quam perfuſio alia pertinet, tribus aliis Evangeliſtis memorata. Quare eorum Patrum teſtimonio perinde abuterentur, qui ſingularis mulieris aſſertores pro ſua ſententia illos adducerent, ac qui tres mulieres defendentes in ſuas partes pertraherent. Neque enim dictum ab illis ſtatuendum eſt, quod numquam dixiſſe convincuntur, neque apertæ quædam conſecutiones ex eorum ſilentio deducendæ ſunt.

Græcorum Patrum non rari autumarunt, diſtingui ſedulo oportere inter tres illas perfuſiones unguenti, alteram nempe, de qua S. Lucas 7. 37. aliam de qua S. Joannes 12. 1. 2. ac tertiam tandem S. Marco 14. 1. &c. & S. Matthæo 26. 1. 5. memoratam, ut tria illa facta ad tres diſtinctas mulieres pertineant. Confundendam alii cenſent, illam S. Lucæ cum altera apud S. Joannem. At ſententiæ iſtæ ambæ aſſertore ætate noſtra carent. Tertullianus de Pudic. cap 11. confundit hiſtoriam fœminæ criminoſæ apud S. Lucam cum Maria ſorore Lazari, quæ *prævenit ungere pedes Jeſu in ſepulturam*. Hæc ille: *Peccatrici fœmina contactum corporis permiſit lavanti lacrymis pedes ejus, & crinibus detergenti, & unguento ſepulturam ejus inaugurandi*. S. Auguſtinum de Conſen. c 79. confudiſſe quidem conſtat fœminam criminoſam cum Maria Lazari, an tamen Magdalenam ab illis diſtinxerit non ſatis intelligimus. Quin & tract. 49. in Jo: ambiguus verſatur, num Maria ſoror Marthæ eadem ſtatuenda ſit cum muliere illa criminoſa, quæ lacrymis rigatos Jeſu Chriſti pedes coma capitis deterſit.

Confundunt Mariam Magdalene cum fœmina criminoſa S. Bernardus Ser. 12. in Cant. Nicolaus Claravallenſis [3], Godefridus Veſtonſis Abbas ſerm. 9. S. Petrus Damiani Epiſt. 12. ad Deſiderium, Petrus Abbas Cellenſis ſerm. 5. de S. Mar. Mag. S. Thomas 1. par. q. 21. art. 4. ad 1. S. Bonaventura [4]. Fœminam criminoſam unam eandemque cum Maria ſorore Lazari arbitrantur S. Petrus Chryſologus ſerm. 93. Euſebius Emiſſenus [5], Paſchaſius, Radbertus in Matt. lib. 12. Alcuinus [6], Franco Abbas Vindocinenſis lib. de grat. Dei, Rupertus Abbas de Oper. Spir. S. can. 28. S. Norbertus [7], Lyranus in Matth. aliique plures. Porro univerſi hi Scriptores ſingularitatis adverſarios ſe profitentur, ſed non eadem omnes ratione, & ſi ex eorum turba ſegregentur, quicumque tres diſtinctas mulieres defendunt, eorum ſane numerus minimus erit, quam pro reliqua multitudine.

Sed agendum in præſentia non ſuffragiorum multitudine, ſed momentorum pondere ac ratione, ejuſque, quam agitamus, litis ſententia, non aliunde, quam ex Evangelio petenda eſt. Eſt autem Evangeliſtarum textus æquior pro iis, qui duas vel tres defendunt, quam qui omnes confundunt in unam. Patres, quorum teſtimonia pro variis hiſce ſententiis afferuntur, quod extenuando petito ex illis argumento plurimum valet, minus ipſi quoque ſecum conſtare minuſque exacte loqui deprehenduntur. Ad hæc, Opera, unde teſtimonia petuntur, non ideo ſcripta ſunt, ut argumentum illud diſcuterent; teſtimonia ſunt enim interdum nulla inter ſe colligatione innexa, & e concionibus ad populum vel aliis hujus generis Lucubrationibus deducta, in quibus minus exacte loqui Authores conſtat, quam in operibus de argumento ſcriptis.

Quoad cenſuram Facultatis Pariſienſis, quam ſingularis mulieris patroni ingerunt poſt minus exactam cauſæ cognitionem pronunciatam illam defendimus. Jacobus Faber Stapulenſis rerum novarum quæ turbas eo tempore intra Regnum & extra ciebant, cupidus & fautor habebatur, S. Gregorii Papæ authoritatem elevabat, quare Facultas ſententiam tantum Fabri cenſura notavit, tamquam S. Pontificis authoritati averſam, quam ſcilicet authoritatem & ſententiam Facultas arbitrabatur *Evangelio Chriſti & Eccleſiæ Catholicæ viſam conſentaneam*. Damnavit itaque Fabrum, ſed cauſam reliquit intactam. Ponit tamquam certum, quod maxime eſt in quæſtione ac deinde Fabrum poſtulat, quod plures eſſe fœminas adverſus exploratam S. Gregorii ſententiam defendat. Plures poſt ea tempora Doctores Sorbonici ſcripſerunt pro aſſerenda trium mulierum diſtinctione, quam hodie apud viros doctos obtinere aſſerere non dubitamus.

DISSER-

(1) *Luc. 7. 52. Marc. 16. 9.* (2) *Gregor. Mag. homil. 23. in Luc. 7 Beda, alii.* (3) *Nicolaus Clar. Ser. de Maria Magd. inter opera D. Bernar.* (4) *Bonavent. Compend. Theolog. de gratiæ fructibus lib. 5. cap. 19.* (5) *Euſeb. Emiſſen. ſeu alius homil. in fer. 5. poſt Dominicam Paſſion.* (6) *Alcuin. in illud Joan. Jeſus ergo ante ſex dies.* (7) *S. Norber. ſerm. in hæc verba: Beati qui audiunt verbum Dei.*

IN EVANGELIUM S. JOANNIS PROLEGOMENON.

S. Joannes Evangeliſta e Bethſaida Galilææ oriundus, parentes habuit Zebedæum & Salome. Piſcatoriam exercebat, nec deſunt [1], quorum tamen fides incerta eſt, qui S. Joanni Baptiſtæ adhæſiſſe Diſcipulum, antequam a Chriſto vocaretur, autumarint. Ipſe cum fratre Jacobo Majori a Jeſu Chriſto cognomento appellati ſunt *Boanerges*, vel filii Tonitrui [2], tum quod facile ardentiori eſſent zelo, cum etiam quod Jeſum ſemel rogarunt, ut ſibi deducendi e Cœlo ignis in Urbes quaſdam Samariæ, unde excluſi fuerant, poteſtatem concederet, [3]. Junior omnium acceſſiſſe creditur ad Apoſtolatum, cum ſcilicet ætatem ageret 25. vel 26. annorum circiter [4]. Cœlibem duxiſſe vitam, Patrum traditione receptum eſt [5]. Ejus quo in illum ſingularis amoris Jeſus tenebatur, non levia dedit ſpecimina, in eo maxime quod e ſupplicio pendens ejus tutelæ Virginem matrem reliquit [6]. Unicus inter Apoſtolos divinum Præceptorem in paſſione pariter & morte deſerendum non ſuſtinuit. Ferunt Evangelium annunciaſſe Parthis [7], atque majorem Aſiæ minoris Eccleſiarum partem fundaſſe pariter & rexiſſe [8]. Epheſi diutius manſit, quo pariter illum ſecutas dicunt Virginem parentem cum Maria Magdalenæ. Rerum potito Domitiano Romam deductus ferventis olei dolium intactus ſubivit [9]. Exul deinde relegatus eſt in Inſulam Pathmos, ubi & Apocalypſim [10], & juxta aliquos Evangelium ſuum ſcripſit: Epheſum poſtliminio regreſſus, diem ibi clauſit extremam [11].

Affecta jam ætate Evangelium ſcripſiſſe ſatis convenit; de anno tamen & loco non conſtat. Sunt qui Epheſi poſt ſolutum exilium ſcriptum autumaverint [12]; ſunt qui maluerint in Inſula Pathmos [13]. Eſt autem Pathmos una ex Sporadibus in Mari Ægæo. MSS. Græca ſane multa ferunt, ſcriptum opus 32. annis poſt Aſcenſionem Chriſti [14]; alia legunt poſt 30. alia poſt 31. Ejus epocham conſtituunt alii ſub Imperio Domitiani, quidam ſub Trajano. Ea in re non ſatis quidem inter noſtros Chronologos convenit; plerique tamen conſentiunt ad Evangelium ſcriptis mandandum ſe contuliſſe Apoſtolum poſt ſolutum exilium circa annum 98. I. C. Trajani primum ab Aſcenſione 65. & ætatis S. Joannis 95.

In eum potiſſimum finem laborem hunc ſuſcepiſſe Apoſtolum tradunt Veteres [15], quo ſcilicet hæreſes ſuborientes Cerinthi, Ebionisque Verbi Divinitatem negantes revinceret. Nec abs re credimus voluiſſe pariter Apoſtolum Judæos incredulitatis arguere, ſicut & obſtruere ora Philoſophorum, qua Platonicorum, qua Stoicorum. Etenim illorum dogmata, & errores numquam non ſternit in Evangelio, ac potiſſimum in priori Operis illius capite; quo ſublimiſſimorum Eccleſiæ Catholicæ dogmatum ſummam complectitur.

Abhorreret animo licet a ſcribendo, rogantibus tamen atque inſtantibus Diſcipulis, tandem perſuaſus eſt, accedentibus maxime obſecrationibus Epiſcoporum, & Eccleſiarum, & quod caput eſt, intimo Sancti Spiritus illapſu, quo ad ſuſcipiendum impigre laborem urgebatur [16]. Nec tamen prius tantum opus aggreſſus eſt, quam poſt lecta, diſcuſſa, laudata, & probata trium præcedentium Evangeliſtarum ſcripta [17]. Suſceptumque conſilium ſupplendi, quid ab illis prætermiſſum deprehenderat, ea potiſſimum, quæ ad doctrinam Magiſtri, ac myſteria Incarnationis, & Divinitatis ipſius pertinerent. Norat enim alios hiſtoriam potius dediſſe prodigiorum Jeſu Criſti, quam ſecreta ejus arcana revelaſſe; eo facile conſilio, quod nondum capere fideles tantas res potuiſſe intelligerent.

Quidquid ſit, non prius ad ſcribendum ſe contulit Apoſtolus, quam poſt Divinam opem jejuniis publicisque inſtitutis precibus imploratam. Poſt altam Divinarum rerum contemplationem, in ipſo adhuc colloquii cum Domino calore, prima Evangelii ſui verba pronunciavit [18]. Nec deſunt, qui inter fulgura, & tonitrua emiſſa verba illa aſſeverent [19]; cujus rei aſſerendæ facile in cauſa fuiſſe poterant, Patrum quorumdam phraſes [20], qui ad nomina *Boanerges* ſeu filiorum tonitru, Ioanni ejuſque fratri a Ieſu Chriſto tributa ſpectantes, nominis illius veritatem, tum maxime impletam fuiſſe dicunt, quando Evangelii ſui exordium effudit; quod perinde habendum eſt, quaſi ex alta quadam nube reboans tonitru, ſed fulgore quodam ſerenitatis plenum, cujus luminis beneficio S. Ioanni ſecreta in ipſo Patris ſinu patuerint. Teſtatur S. Gregorius Turonenſis de Glor. MM. c. 30. ætate ſua adhuc ſpectari in ipſo montis non longe ab Epheſo cacumine locum, ubi ſcriptum a S. Ioanne Evangelium traditione receptum tenebatur. Locus erat ſub dio parietum ſepto clauſum, quem impluvium toto eo tempore manſiſſe ferunt, quo Apoſtolus ſcribendo Evangelio ſubſtitit, & tunc etiam eumdem ipſum locum imbres revereri apud incolas ferebatur.

Autumarunt e Veteribus nonnulli (21), Cajo, olim diſcipulo S. Pauli Amanuenſe S. Ioannem uſum; nec facile alter erat Cajus ille ab illo, ad quem tertia S. Ioannis Epiſtola data legitur. Tradunt alii (22) inſcriptum ab eodem Apoſtolo opus Papiæ Epiſcopo Jerapolitano; tamquam ſupplementum, & expoſitionem eorum, quæ viva voce ipſum diſcipulum ſuum docuerat. Inter tot incerta, illud tamen certo conſtat,

(1) *Chryſoſt. in Jo. hom. 17. Epiph. hæreſ. 51.* (2) *Marc. 3. 17.* (3) *Luc. 9. 54.* (4) *Hieron. in Jovin. lib. 1. cap. 14. & Epiſt. 1. & Paulin. Epiſt. 386.* (5) *Epiph. hæreſ. 58. Ambroſ. de Symb. cap. 30. Chriſ. de Virgin. cap. 82. Paulin. Epiſt. 4.* (6) *Joann. 19. 26. 27.* (7) *Vide Auguſt. quæſt. Evang. lib. 2. cap. 39.* (8) *Hieron. de Viris Illuſtr. cap. 9. Tertull. contra Marcion. lib. 4. cap. 5.* (9) *Tertull. de Præſcript. Hieron. in Jovin. 1. cap. 14.* (10) *Apocal. 1. 9. Hieron. in Matth. Tertull. Præſcript.* (11) *Euſeb. lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 1.* (12) *Iren. lib. 3. cap. 1. & 11. Epiphan. hæreſ. 51. Victor. Pictavienſ. in Apoc. Auth. quæſ. V. & N. T. qu. 72. Syr. Perſ. Copb. in fine Evangel. Joann. & Theophyl. Prolog.* (13) *Athanaſ. in Synopſ. Auth. Oper. Imperf. homil. 1. Hyppolyt. MS. in Biblioth. Bodl. Doroth. Theophyl. Euthych. MSS. plures apud Mill. not. in cap. 21. poſt verſ. 25. Suidas.* (14) *Ita MSS. plures ad calcem Evangel. Joann. vide Millevit. poſt cap. 21. Joann. Ita Theophylact.* (15) *Clemens Alexandr. apud Euſeb. lib. 6. cap. 14. hiſt. Eccl. Hieron. de Viris Illuſtrib. & Proleg. in Matt.* (16) *Epiphan. hæreſ. 51. cap. 12.* (17) *Vide Euſeb. lib. 3. cap. 4. hiſtor. Eccleſ. Hieron. de Viris Illuſtrib. Clemens Alexandr. apud Euſeb. lib. 6. 3. cap. 14. Hiſtor. Eccleſ. Epiph. hæreſ. 51. Theodor. Mopſueſ. in Catena Græc. Anonym. in eadem Catena.* (18) *Vide Hieron. Prolog. in Matth. Chryſoſt. hom. 67. tom. 6.* (19) *Vide Baronium init. Annal. cap. 99.* (20) *Paulinus Epiſt. 24. pag. 213. Epiphanius hæreſi 73. cap. 7. Vide Auguſtinum ſermone 135. cap. 8.* (21) *Athanaſius in Synopſ. Dorotheus, & Codex MS. Seldenſis.* (22) *Anonymus in Cathedra Græca Proleg.*

ſtic, ſtilum ejus Evangelii cum tribus Epiſtolis S. Joannis congruere; congruere, inquam, non in phraſibus tantum, & eodem ſpiritus S. Joannis caractere; ſed etiam in doctrina, ſententiis, & quod mirari lubet, ipſæ utrinque voces occurrunt. Variat quidem Apocalypſis ſtilus, quod ſuo loco diſcutiemus.

S. Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium lib. 7. cap. 25. elegantiam, & purioris eloquii cultum quemdam in eodem Evangelio obſervat; cultum nimirum non in ſelectione tantum, & collocatione verborum, ſed etiam in ſyntaxi, & argumenti connexione. Nihil, ait, in eo Opere barbaricum horret, ut collatum a Deo Sanctiſſimo Authori, non luminis tantum, & ſcientiæ, ſed etiam eloquii donum eſſe videatur.

In eo tamen quod ad eloquentiam & gratiam dicendi pertinet, exceſſiſſe in laudibus S. Dionyſium Alexandrinum Critici Recentiores exiſtimant [1]. Non eſt quidem ſua laude Author fraudandus, ſi rerum granditas, & eloquii identidem Majeſtas ſpectetur; ſed recidit etiam non raro in ſtilum humilem & pedeſtrem. Nonnulla interdum occurrunt ad genium linguæ Syriacæ ſeu Hebraicæ; repetitæ quandoque ſententiæ, & phraſes quædam delicatum Græcæ linguæ guſtum non ſapiunt. Porro humanioribus litteris rudem fuiſſe Evangeliſtam, nulloque excultum artificialis eloquii & rethoricæ ſtudio, quod ſine ejus injuria dictum volo, conſtat inter omnes [2]. Is qualiſcumque fuerit defectus reparatur abunde ſcientiæ divinitus acquiſitæ lumine, Myſteriorum profunditate, rerum excellentia, ſoliditate conceptuum, atque doctrinæ utilitate. Eum virum ſelegit, ſibique comparavit Spiritus S. qui plane Spiritus Philoſophis omnibus, & Rethoricis plurimum præſtat. Lumen eſt, quo mens illuſtratur, & ignis, quo corda flameſcunt; ſine arte, & eloquentiæ ope inſtruit, revincit, perſuadet.

Pedeſtri licet, & ſimplici ſtilo ſcriptum Evangelium illud, Virorum inſignium, & ſapientiſſimorum elogia promeruit. Si Evangelia veluti primitiæ, & ſelecta Sacrarum Scripturarum portio cenſenda ſunt, ait Origenes [3]; profecto S. Joannis Evangelium ipſum eſt Evangeliorum, & totius Novi Teſtamenti ſelectiſſima portio. Nemo ſane potuit profunditatem ejus ſcripti attingere, niſi qui ſuper ipſum Jeſu Chriſti pectus, velut S. hic Evangeliſta quieſcat. Sigillum eſt, ait idem Pater, quo ceterorum Evangelia obſignantur; columna, quam fulciendæ regendæque Eccleſiæ ſuæ Deus conſtituit. Jure proinde meritoque apud Patres Evangeliſta Joannes aquilæ comparatus eſt [4], quippe qui ad Thronum uſque Dei volando perveniat. Tot claudit myſteria quot ſententias [5].

Platonicum quemdam dicere ſolitum fuiſſe referunt, ea, quæ de Majeſtate Verbi in eodem Evangelio narrantur, aureis litteris exaranda fuiſſe in ſuperliminaribus Templorum, quo ab omnibus legerentur [6]. Amelius, alter Platonicus ad tertium ſeculum pertinens, dicebat, S. Joannem barbarum licet, cum de Verbo ageret, hanc protuliſſe ſententiam, nimirum per Verbum ipſum, quod æternum fuiſſet, omnia extitiſſe; principium fuiſſe omnium rerum; Deum habendum, in eo vivere, & ſubſiſtere, quæcumque univerſum replebant omnia; carnem vero aſſumpſiſſe, nec tamen Divinam depoſuiſſe naturam; ad Deum poſtea receptum, apud quem priſtinas, antequam in terram veniſſet, ſedes obtinuerit [7]. Tandem plures alii Philoſophorum cœleſtem viri ſapientiam admirati ſunt, nec ſibi duxerunt probro, ſi ex eo Opere plura in ſua deriverent ſcripta, ex eo ſcilicet Opere cujus Author vir nequam & barbarus ab iis habebatur, qui ſtudio ſaltem humanarum ſcientiarum nullo excolebatur.

Nihil eſt autem magis futile & chimericum, quam novum illud recentiorum quorumdam Scriptorum commentum, dictitantium ex Platone, ſive Philone Judæo ea didiciſſe Apoſtolum, quæ de Verbo in ſuo Evangelio ſcriberet. Potuit ille quidem ſeu viva voce per Diſcipulos ſuos ſive Philoſophos ipſos, auſcultans, aliquid de Verbo ſive de Principio Platonis didiciſſe; eaque præ oculis in exordio Evangelii ſui habuiſſe non inviti ſuſpicaremur. Hæc tamen ille non docendi gratia, ſed refutandi expreſſit; cum maxime Verbum, de quo apud Joannem, aliud plane ſit a Verbo Platonico & Philonis [*]. Facile autem cuicumque hiſce ſtudiis delectatur, patebit, nullum referre Græcæ Philoſophiæ, & maxime Platonicæ ſaporem ea, quæ e S. Joanne ſcripta poſteritati tranſmiſſa ſunt.

Manſiſſe adhuc hujus Evangelii Autographa in Eccleſia Epheſina ſeptimo ſæculo, vel ſaltem quarto docet non ambiguus textus S. Petri Alexandrini in Chronico Alexandrino legendus [8]. Mature ſatis opus illud Hebraicis, vel potius Syriacis litteris Judæi tradiderunt; ſcriptumque Hebraicum exemplar ſolerti cura in eorum Bibliotheca ſecreta Tiberiadis ad Mare Galileæ ſervatum S. Epiphanius hæreſ. 30. cap. 3. eſt author.

Ejus Evangelii authoritatem numquam in dubium revocavit Eccleſia. Quicumque vero ex Hæreticis illam elevarunt, *Alogorum* nomine, i. e. adverſariorum Verbi, traducit S. Epiphanius [9]. Porro Hæretici illi inverecundo ſane commento ſcriptum imputabant Cerintho; quaſi ſcilicet legentibus non conſtet, numquam in toto Evangelio Cerinthi impietatem non revinci atque damnari. Adhæc, opus illud veteres Patres omnes ſub S. Joannis Apoſtoli nomine laudant. Quare numquam fieri potuiſſe conſtat, ut Cerinthi habeatur, qui fraude ſua Eccleſiæ impoſuerit univerſæ. Adde, ejuſdem Evangeliſtæ Autographum, uti quidem rebantur, Epheſi ſervatum fuiſſe tertio ſæculo exeunte, quemadmodum ſupra animadvertimus. Tandem ſi Cerintho Evangelium tribuatur, cur non & cetera eodem S. Joannis nomine eodemque ſtilo deſcripta Opera, Epiſtolæ nempe, & Apocalypſis?

Suſpicionem alii in Evangelii illius veritatem moverunt, quod ſtilo plane a ceteris Evangeliſtis, non in narratione tantum hiſtoriæ, quod in re præſenti nihil eſſet, ſed in referendis etiam ſermonibus Jeſu Chriſti diverſo Author utatur. Quis porro credat, Jeſum adeo vario dicendi genere verba ſua exponi voluiſſe, apud S. Matthæum exempli gratia, & S. Joannem? Apud poſteriorem hunc Evangeliſtam prolixior eſt oratio, repetitis interdum ſententiis moroſa, & ratiocinationibus, quarum vix nulla apparet connexio, deſultoriis; eloquio utitur conciſo, ſententioſo, aperto & fere numquam non parabolico. Apud alios Evangeliſtas Jeſus frequentiſſime utitur eo exordio: *Amen dico vobis*; apud S. Joannem vero *Amen* ingeminatur: *Amen, Amen dico vobis*.

Sed hæc levia ſunt & nullius ponderis. Solemne eſt ſacris Evangeliſtis, ut peculiarem ſinguli ſtilum in ſuis Operibus præferant; regionis & aviti ſermonis tenent indolem; & cum alterius dicta narranda ſuſcipiunt, ita plane hiſtoriam ſuam docent, ut circa veritatis diſpendium, Scriptoris ingenio ſtiloque ſerviant. Diurno id novimus experimento, tum in familiaribus colloquiis, cum in lectione Librorum. Eadem hiſtoria, apud varios lecta, variat, quamquam utrinque ſit eademque veritas. Epiſtolæ Romani Senatus, & Spartanorum, in Libris Machabæorum relatæ, ingenium ſervant Hebræorum, alterum plane ab indole Græci Romanique eloquii. Conferat, ſi quis

(1) *Vide Grot. Proleg. in Joannem.* (2) *Theophilact. Proœm. in Joann. Grot. alii.* (3) *Origenes Præfation. in Joannem ex Edit. Græc. Latin. Huet. Vide & Iren. lib. 3. cap. 1. Epiphan. hæreſ. 30. cap. 6.* (4) *Vide Paulinum in Epiſt. 24. Auguſtinum tract. 36. in Joan. alii paſſim.* (5) *Ambroſius de Sacramentis lib. 3. cap. 2.*

(6) *Auguſt. lib. 10. de Civit. cap. 29. ex Simplic. Mediolan. Epiſc.* (7) *Vide Euſeb. Præpar. lib. 11. cap. 19. Cyrillus Alexandrinus in Julian. lib. 8* (*) *Vide quæ contulimus in comment. ad cap. 1. Joannis.* (8) *Vide Chronic. Alexandr. & MS. fragment. de Paſchate apud Petav. & Uſſer.* (9) *Epiphan. hæreſ. 51. Auguſt. hæreſ. 30.*

ſi quis vult, Evangeliſtas inter ſe, non in hiſtoria tantum, ſed etiam in concionibus, quas a Jeſu Chriſto factas narrant, & nihil ſimile inveniet in ſtilo & in ordine atque uſu verborum. Ad hæc S. Joannes Opus ſuum eo conſilio ſuſcepit, ut omiſſa a ceteris Evangeliſtis ſuppleret; quare ſuarum eſſe partium duxit, ut omiſſos a ceteris Jeſu Chriſti ſermones, &, quemadmodum ab illo effuſi ſunt, referret. Accedit inſuper rerum, de quibus loquendum ſuſcipit, indoles, quæ ſane alium exigebat, a rebus per ceteros Evangeliſtas relatis, ſtilum. Sublimiſſima enim noſtræ veritatis myſteria revelat S. Joannes; & quæ ab ipſo traduntur dogmata veritates ſunt, quas ſpeculativas tantum jure meritoque diceremus. Moralia potius dogmata, prodigia, & practicas quaſdam veritates affectant reliqui Evangeliſtæ. Naturam autem rerum ſtilus imitatur.

Poſtremum Evangelii hujus caput aliena manu adjectum autumavit Grotius in Joan. 20. 30. 31. nec alienum a vero cenſet, Opus eſſe illud Eccleſiæ Epheſinæ, quæ palam omnibus fieri voluit, quanta præſtanda eſſet fides ſparſo inter Fideles rumori, nimirum S. Joannem nequaquam morte perimendum. Duo ſane verſus capitis 20. epilogus videri poſſent totius Evangelii: *Multa quidem & alia ſigna fecit Jeſus in conſpectu Diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in Libro hoc. Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus Filius Dei, & credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Alii vero (1) duos tantum verſus cap. 21. aliena manu adjectos conſentiunt; talis enim inſtituitur in illis narratio, ut aliquem potius ex Diſcipulis S. Joannis, quam ipſum Apoſtolum deceat, *Hic eſt Diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc; & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, Libros.*

Sed nos veteres, a Patribus noſtris poſitos, fines tranſgredi, piaculare ducimus (2). Poſtremum hoc caput tamquam genuinum S. Joannis Opus ſemper ſuſcepit Eccleſia; & nos etiam ſuſcipimus. Quantum quantum eſt hoc Evangelium, una cum omnibus, quibus conſtat, partibus, in canonem recepit Concilium Tridentinum; & nos etiam eum ipſo nihil non Canonicum agnoſcimus. Plauſibiles licet congerantur conjecturæ, numquam id impetrabunt, ut deſerendam ſuadeant aſſertam Patrum noſtrorum authoritate ſententiam; alioqui enim, ea ſemel data via, nihil inviolatum in Divinis Libris maneret, quos tamquam Spiritus S. Oracula, & tamquam Patris cœleſtis teſtamentum habemus.

Præter Evangelium ingenii ſui fetus reliquit S. Joannes tres Epiſtolas, & Apocalypſim, de quibus ſuo loco. Alia quædam Scripta Hæreticorum fraude tanto viro ſuppoſita ſunt, indigna plane, quæ ſub tanti nominis gloria pareant; ex. gr. *Itinera Sancti Joannis* (3), quod facile Opus confundendum cum Actis ejuſdem Apoſtoli (4). Laudatur ſub ejus nomine Liber *Obitus & Aſſumptionis B. Virginis* (5). Servant adhuc Orientales Liturgias Sancti Joannis Evangeliſtæ nomine inſcriptas. Sed Eccleſia ejus Authoris genuinum non agnoſcit, niſi Evangelium, Apocalypſim, & tres illas Epiſtolas, quas ſupra innuimus.

Obtinet non infrequenter apud veteres Patres (6) Elogium Theologi, quod viro promeruit ſcriptum ab ipſo Evangelium, ac maxime primum ejus Operis caput. Polycrates Epiſcopus Epheſinus (7) teſtatur, alligatam fronti geſtaſſe laminam auream, veluti Sacerdotio Jeſu Chriſti fungentem, quod pariter honoris inſigne prætuliſſe priores Epiſcopi feruntur, quo major honor Sacerdotio novæ Legis conciliaretur, ad imitationem Summorum Sacerdotum apud Judæos. Sed hujus rei certiora adhuc documenta expectantur.

DISSERTATIO
In Obitum S. Joannis Evangeliſtæ.

De obitu S. Joannis Evangeliſtæ tamquam de problemate aliquo propoſito ſemper diſceptatum eſt in Eccleſia, jam inde a primis exortæ Fidei ſæculis ad noſtram uſque ætatem. Qui utramque partem defenderent Authores in medium facile producerentur; neque id tantum inter Scriptores Græcæ Eccleſiæ, ſed etiam Latinæ ſpectatum eſt. Decimo quinto ſæculo Georgius Trapezuntinus Lucubratiunculam ſuam (8) Pontifici nuncupavit, qua defendendam ſuſcepit ſententiam de exemptione Sancti Joannis a communi mortalium lege; ſuperſtitem adhuc, proditurum tandem dicebat, noviſſimis decedentis mundi temporibus, quo manum cum Antichriſto conſereret. Porro ſcriptum illud nullo ſolido argumento & rara fulcitur authoritate: quare nullo negotio a Beſſarione refutatum eſt. Cardinalis Baronius in ſuis ad Martyrologium Romanum adnotationibus ejus Libri ſuppreſſo Authoris nomine frigide ſatis meminit.

Jacobus Faber Stapulenſis (9) decimoſexto ineunte ſæculo ſententiam Georgii Trapezuntini defendendam ſuſcepit, aſſerens, melius facturum S. Hieronymum ſi adnotaſſet, S. Joannem e præſenti hac in alteram vitam migraſſe; quam mortem illum oppetiiſſe; neque enim de ejus obitu certi aliquid reſcitur; numquam ejus ſepulchrum paruiſſe, quod vir ille ſanctus incolumis lætuſque, tamquam ſi ad immortalitatem iret, ſubiit. Factum itaque arbitratur, ut ſanitate valens e mundo, quemadmodum olim Enoch & Elias, transferretur, ad conſtitutum Judicio tempus, vel alterius cujuſpiam rei gratia reſervandus.

Argumentum de obitu S. Joannis tractans Malvenda lib. 9. de Antichr. c. 11. & 12. obiiſſe quidem illum defendit, nec venturum in exitu ſæculorum, ut una ſimul cum Enoch & Elia manus conſerat cum Antichriſto. Vide Abdiam in Vit. S. Jo. c. 22. & 23. & Fabricii in eum locum adnotationes pag. 587. &c. & Addenda in eam pag. 984. &c. Negat Apoſtolum obiiſſe Ambroſius Catharinus.

Decimoſeptimo tandem ſæculo Florentinius (10) huic fulciendæ opinioni operam ſuam conferens, ſententiam illam ſolidius & majori ſcientiæ niſu defendit. Obiiſſe ille quidem Apoſtolum fatetur; ſed ſtatim ad vitam reſtitutum autumat, quo ad exitum uſque ſæculorum perveniens, poſt annunciatam fidem iterum tandem occumbat. D. Tillemontius Florentinii argu-

(1) *Hammon. d. Le Clerc.* (2) *Deut.* 19. 14. & 27. 17. (3) *Georg. Trapezunt. Opuſculo quod Joann. Evangel. non ſit mortuus. Baſileæ* 1543. *Ita & Pſeudo-Hippolitus, & Dorotheus.* (4) *Fab. Stapul. Diſſert. de una e tribus Maria fol.* 82. (5) *Athanaſ. in Synopſ.* (6) *Epiphan. hær.* 47. (7) *Sixt. Senen. l.* 2. *Baron. Annal. ann.* 44. (8) *Concil. Epheſin. Athanaſ. in Synopſ. Cyrill. Jeroſolym. Catech.* 12. *Ephrem paſſim, Nyſſen. Vita S. Theodoret. Aſter. Amaſ. homil.* 8. *alii.* (9) *Polycrat. apud Euſeb. lib.* 5. *cap.* 24. *Hieron. de Viris Illuſtr.* (10) *Florent. Not. in Martyrolog. vetus Hieronymi pag.* 123. *& ſequent. Ita Nicephor. lib.* 2. *cap.* 35.

argumenta ad trutinam revocata futilia eſſe & ioania demonſtravit [1]. Ætate SS. Auguſtini [*] & S. Gregorii Turonenſis [2] plures ea perſuaſione tenebantur, in tumulo adhuc ſuperſtitem Apoſtolum recondi, extrema Judicii die prodीturum. Varias haſce ſententias modo in examen revocamus, quaſcumque demum partes potiores reputabimus, ſecuturi.

His omnibus ſententiis unicum momentum petitur e textu Evangelii S. Joannis [3]. Duodecim vel circiter a reſurrectione diebus Chriſtus Diſcipulis ſuis piſcationi in mari Galileæ vacantibus ſpectandum ſe præbuit. Cum illis uberem largitus eſſet piſcationem, inſtituit pariter & dapes, quas una cum illis in litore maris deguſtaret. Secundum hæc Petrum ſemel iterum & tertio interrogavit, num magis quam a ceteris omnibus amaretur ab illo? Affirmanti Apoſtolo, ita Jeſus: *Cum eſſet junior cingebas te, & ambulabas ubi volebas; cum autem ſenueris, extendes manus tuas, & alius te cinget & ducet quo tu non vis.* Adjecit: *Sequere me.* Paruit illico Apoſtolus, interim vero, ait Evangeliſta, *converſus Petrus vidit illum Diſcipulum, quem diligebat Jeſus, ſequentem, & dixit: Domine hic autem quid? Dicit ei Jeſus: Si eum volo manere, donec veniam, quid ad te? Tu me ſequere* (Exemplaria Latina habent: *Sic eum volo manere, &c. quid ad te? Tu me ſequere?*) *Exiit ergo ſermo iſte inter fratres, quia Diſcipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jeſus non moritur; ſed ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te?* (ſive juxta Latina Exemplaria: *Sic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?*) Inde data varia opinandi anſa, atque unicus hic diſputationis noſtræ cardo.

Equidem, ut vera fateamur, verborum qui primo ſeſe offert legentibus ſenſus, ille eſt, nimirum immunem a præſcripta mortalibus omnibus obeundi lege futurum Apoſtolum, ante adventum Filii Dei. Et id maxime inſinuatur illa Vulgatæ lectione: *Sic eum volo manere donec veniam.* In eumdem pariter ſenſum convenit Græca lectio: *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te?* Particula illa *ſi* indicativo appoſita, non dubitationem ingerit, ſed eſt affirmandi nota: quemadmodum Georgius Trapezuntinus pluribus exemplis demonſtrat, & ipſo etiam conſtat Grammaticorum teſtimonio. Ita familiari ſermone uſurpatur: Si ego te amo, numquid tibi obloquor? Si ego multum lectioni & ſtudio vacavi; ut quid me rudem indoctumque traducis. Si ego iſta ſcripſiſſem, numquid me ſcripſiſſe ignorarem? Porro in allatis omnibus exemplis particula *ſi* non ambigentia nota eſt, ſed affirmantis. Ea pariter vis eſt ejuſdem particulæ in ſententia Evangelica; *Si eum volo manere donec veniam*; nimirum: Volo equidem ad adventum uſque meum ita manere. Ita pariter loquentis Chriſti verba interpretati ſunt Diſcipuli, & ceteri quicumque Fideles, apud quos rei fama pervenit: *Exiit ſermo inter Fratres, quod Diſcipulus ille non moritur.* Quod illis tunc viſum eſt, idem pariter & legentibus modo eadem verba accidit.

Quod enim a nonnullis reponitur, nimirum nihil aliud inſinuaſſe Chriſtum, quam velle ſe tandiu manere Apoſtolum, donec ad eum inviſendum per mortem veniret; perinde ſane eſt, quaſi minus cohærenti ſermone locutus Jeſus Chriſtus ſtatuatur. Quæ tunc prærogativa Joanni præ ceteris a Jeſu conferretur, ſi Chriſtus obeundum illi annunciaret, quando per mortem ad eum inviſendum veniret? Nonne eo ſenſu homines tandiu in mundo perſeverant, donec inviſendos illos Dominus veniat?

Primus igitur pronus & litteralis verborum ſenſus tenendus eſt, quæ plane ſi æquivocationis aliquid continerent, ipſe S. Joannes expoſuiſſet; cum maxime adjecerit: *Et non dixit Jeſus, non moritur; ſed ſic eum volo manere, donec veniam; quid ad te?* Cur deceptos Fratres ejuſdem ſermonis occaſione, ratos numquam interiturum Apoſtolum, Evangeliſta non monuit? Quamquam non immortalitatem illi, ſed longe diuturnam vitam promiſit. Quare cum Diſcipuli de immortalitate interpretabantur, quod a Chriſto de vitæ tantum diuturnitate dictum intelligi volebat, adjecit idem Evangeliſta; *Et non dixit Jeſus; Non moritur &c.*

Ad hæc Jeſu Chriſti verba ita pariter uſurpabant Diſcipuli; quaſi ſcilicet numquam Joannes mortem eſſet oppetiturus, cum Jeſus tantum ſignificaret; *Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me ſequere?* Congruit quidem verborum ſenſus, ſed verba non item. Quare S. Joannes verba ſententiæ Jeſu Chriſti fratribus ſuis opponit, non ipſum verborum ſenſum. Re quidem, ait Georgius Trapezuntius, ſenſum verborum Jeſu Chriſti aſſecuti fuerant Diſcipuli, ſed Apoſtolus Joannes inſita Sanctis viris animi demiſſione & modeſtia ait, non dixiſſe Jeſum; *Non moritur, ſed ſi eum volo manere donec veniam, quid ad te?*

Huic etiam opinioni de exempto a communi mortis lege Apoſtolo, favet alter textus in *Apo.* 10. 10, 11. ubi Angelum inducit offerentem Apoſtolo Joanni Librum, ſimulque his me verbis, ait idem Apoſtolus, affatus eſt: *Accipe librum, & devora illum, & faciet amaricari ventrem tuum: ſed in ore tuo erit dulce tamquam mel. Et accepi Librum de manu Angeli, & devoravi illum, & erat in ore meo tamquam mel dulce, & cum devoraſſem eum amaricatus eſt venter meus, & dixit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & Regibus multis.*

Obſervant Autem, Apoſtolum poſt exilium in Inſula Pathmos, ubi Apocalypſim litteris mandavit, numquam ad gentes & Reges extraneus fidem annunciaſſe. Imbecilli enim valetudine & affectæ ætatis vir longioribus itineribus præſtandis impar fuiſſet. Implendo igitur Apocalypſis oraculo deſtinatum eſt extremum mundi interituri ſæculum, cum ſcilicet Evangeliſta annunciando gentibus Evangelio, atque teſtimonio de Jeſu Chriſti adventu ferendo una cum Elia, & Enoch adverſus Antichriſtum prodibit.

Defuturum quidem aliquid videretur in ea veluti expeditione, quam Dominus adverſus Antichriſtum ſuſcepturus erit, ſi terribili illo adverſario, Enoch tantum & Eliam oppoſiturus eſſet. Oppugnari enim par eſt hoſtem infenſum, & manu Prophetæ ante Legem, Prophetæ ſub lege, ac tandem tertii alicujus Prophetæ ſub Evangelio. Porro Enoch ad ætatem antediluvianam pertinens, cum prioribus illis Patriarchis converſatus eſt; Elias ſub Lege, rerumque potitis Juda & Iſraelis Regibus patuit, S. Joannes cum ipſo Jeſu conſuetudinem habens, facta ab illo prodigia oculatus teſtis ſpectavit, in ejus requievit ſinu, fundavit Eccleſias, Evangelium ſcripſit, & Apocalypſim. Quanti eſſet momenti Apoſtoli ipſius teſtimonium, & præſentia, iniquiſſimis illis pro noſtra Religione temporibus?

Fidem ſuam obligavit Jeſus S. Joanni daturum ipſi, ut de eodem calice participaret, eodemque, quo ipſe, balneo ablueretur [*]. Quibus verbis non obſcure Martyrium ipſius deſignabatur. Nihil autem de Martyrio ipſius legimus, quemadmodum violenta morte ſublatos ejus fratres S. Jacobum, S. Petrum ceteroſque Apoſtolos memoriæ proditum eſt. Quid? an divino Jeſu Chriſti oraculo fides defuit; ſive Martyrii honori impar S. Joannes habitus eſt? Non arbitror; ſed dilata eſt ejus victoriæ palma, donec in exitu mundi ipſe pariter pro veritatis teſtimonio, una cum Enoch & Elia interimatur. Hoc victoriæ ſuæ tempus opperiens Apoſtolus in loco extra mundum amœno, & ſerena pace tranquillo tempus jucundiſſime fallit. Hæc Georgii Trapezuntini argumenta.

Tandem ſi occubuiſſet S. Joannes, de genere ejuſdem mortis, de tempore, de factis ejus lypſanis, ne tandem de loco ejus ſepulchri non vagaremur incerti. Modo autem omnia æque latent. Superſtes itaque manet Apoſtolus. Narrant equidem illum decre-

(1) *Tillemont. tom.* 1. *S. Joan. Evangel. art.* 10. 11. & *Not.* 35. 36. 37. 38. (*) *Auguſ. in Joan. tract.* 125.

(2) *Gregor. Turon. de gloria Mart. l.* 1. *c.* 30. (3) *Joa* 21. 1 2. & *ſeq.* (*) *Matth.* 20. 22. 23 *Marc.* 10. 38. 39.

Digitized by Google

decrepita jam ætate ſuperſtitem adhuc ſpirantemque tumulum ſubiiſſe [1], atque dimiſſis omnibus Diſcipulis ſuis evanuiſſe illico, in occultum, uti quidem ferebatur, locum tranſlatum. Quod ipſis demum ad locum regreſſis Diſcipulis, & vacuum ſepulchrum ſpectantibus evidentiſſime apparuit. In ipſo ſubeundi monumenti articulo mortem obiiſſe alii malunt, ſtatimque ad vitam rediiſſe [2]. Alii tandem defendunt viventem adhuc in ſepulchro clauſum, in eodem ibi ſtatu adhuc manere, ſpirantemque apertiſſimis indiciis deprehendi; namque poſt plura ab ejus obitu ſæcula genus quoddam terræ, ſive mannæ ex eodem ejus ſepulchro effluxiſſe, quæ piis Fidelium ſtudiis numquam defuerit [3].

Is erat vulgatus S. Auguſtini & Gregorii Turonenſis ætate de S. Joanne rumor. Ejuſdem terræ aliquid octavo ſæculo vidit, ſuiſque irrigavit lacrymis S. Villibaldus, cum Epheſum pertranſiret [4]. Neque Epheſi tantum, ſed longe lateque per orbem manna illa vel terra ſpargebatur; non ſine prodigiorum fama in valetudine ægris procuranda. S. Ephrem Antiochenus Patriarcha a. 530. [5] teſtatur, genus quoddam thuris ex ipſo Apoſtoli ſepulchro undique Fideles ſelatum veniſſe. Facile autem thus illud cum terra, de qua S. Auguſtinus, (*manna* appellat S. Gregorius Turonenſis) ſimilem quemdam ſpeciem referente, confundendum eſt. Ejus rei mentio occurrit in Libris Eccleſiaſticis Græcorum, in quibus ebulliſſe mannam illam potiſſimum die 8. Maji traditur, in memoriam ſingularis feſti S. Joannis, eo die celebrati. Ejuſdem mannæ fama nondum evanuerat S. Petri Damiani ætate.

Hiſce omnibus hiſtoricarum monumentis pondus aliquod accedit ex authoritate Veterum & Recentiorum, qui vel non obiiſſe adhuc, vel ſaltem poſt obitum in vitam rediiſſe teſtantur. S. Epiphanius hæreſ. 79. refert, Deum ſive peculiari in Joannem amore, ſive ejuſdem Apoſtoli precibus motum, genus quoddam mortis inſuetum & ſupra præſcriptas mortalibus leges indulſiſſe, cujus obitus hiſtoriam legas in libris Actuum S. Joannis [6], vetuſtiſſimis illis quidem, ſed opera Leucii cujuſdam viri notiſſimi corruptis. Interciderunt noſtra ætate Acta illa, etſi adhuc ſupereſſent, nihil aliud nobis afferrent commodi, quam ut ex eorum authoritate probaremus, jam inde e vetuſtiſſimis ſæculis repetendam eſſe traditionem, quæ exemptum e morte Apoſtolum tenet. Neque enim ejus Operis Scriptor tanti momenti rem affirmandam ſuſcepiſſet, niſi prius Fidelium omnium perſuaſione certa haberetur. Romanenſium fabularum Authores certo quodam hiſtoriæ fundamento poſito fabellas ſuperſtruunt. Acta illa probarunt ſecundo Eccleſiæ ſæculo Encratitæ, & Manichæi S. Auguſtini ætate [7].

S. Hilarii teſtimonium ambiguum licet aliquanto, plus tamen favet parti, quæ exemptum a letho Apoſtolum defendit, quam averſæ opinioni [*]: *Loquatur Joannes*, ait ille, *ſic uſque ad adventum Domini manens, & ſub ſacramento divinæ voluntatis relictus, & deputatus, dum non neque non mori dicitur, & manere*. Alibi vero comparans S. Joannem cum SS. Jacobo & Petro obſervat, duobus illis Apoſtolis Martyrii coronam ſponderi, S. Joannem reſervari ad Evangelii prædicationem [8]: *Joanne in prædicatione Evangelii firmando*. Autumaſſe ætate ſua quoſdam Apoſtolum Joannem ſuperſtitem adhuc manere, tradit S. Ambroſius, neque perſuaſionem illam refutat [9]. In vetuſtis Editionibus ejuſdem Patris, ſicut pariter & in nova [10], S. Joannes pari cum Enoch & Elia gradu conſtitutus, prodituruſ dicitur ante poſtremum Judicii diem, ut cum Anti-

chriſto congrediatur. Quamquam nomen S. Joannis ſcriptum nonniſi in Ms. Regio & in Editionibus Pariſienſibus apparet; alibi enim ſive in Mſs. ſive editis nomen tantum Enoch & Eliæ legitur. Laudatus pariter in eam rem primus liber lucubrationis S. Ambroſii in obitu fratris ſui Satyri num. 4. fruſtra tamen; demonſtrat enim tantum Jeſum potuiſſe quidem, ſi maxime voluiſſet, immortalitatis privilegio S. Joannem donare. Et alibi diſerte affirmat [11], in ſuſpicionem quidem ventum fuiſſe, num S. Joannes a letho ſervaretur immunis; numquam tamen id credulis mentibus fuiſſe perſuaſum: *Joanni promiſſum æſtimatum; ſed non eſt creditum*.

Majoris in eam opinionem momenti eſt authoritas S. Ephrem Antiocheni apud Phot. Cod. 229. Authoris ſæculi ſexti, qui omnibus amotis ambagibus aſſerit, S. Joannem vitam ad exitum uſque mundi quemadmodum de Elia & Enoch vulgatum eſt, producturum; eoque eodem temporis articulo interiturum, ut ſtatim in vitam revocetur. S. Gregorius Turonenſis de Glor. Martyr. lib. 1. cap. 30. autumat, S. Joannem ſpirantem adhuc monumentum ſubiiſſe, ubi ætatu ſua adhuc recluderetur. S. Joannes Damaſcenus de Tranſfig. Domi. num. 7. agnoſcit, obtinere apud viros plures doctiſſimos eam opinionem, nimirum illo Evangelii: *Si ego volo manere, quid ad te?* inſinuari, numquam Apoſtolum interiiſſe. Andreas Cæſarienſis in Cappadocia in Apocal. cap. 29. qui circa a. 500. florebat, & Aretas Epiſcopus pariter Cæſarienſis [12], qui circa a. 540. idem ſive ſentiunt, ſive ſaltem non improbabile ſignificant. Paria legas apud Pſeudo-Hyppolitum, Pſeudo-Dorotheum, Metaphraſtem, Pſeudo-Cæſarium fratrem S. Gregorii Nazianzeni, Nicephorum l. 2. c. 42. Strabum Authorem Gloſſæ ordinariæ, Fulbertum Carnotenſem, Petrum Damiani; qui duo poſtremi Scriptores pietatis eſſe, & religioni autumarunt, ſi tamquam probabile aſſereretur, Sanctum Joannem non ſecus ac Beatam Virginem Mariam ad vitam rediiſſe, ut mortali corpore indutus Cœleſti beatitudine donaretur.

S. Gregorius Nazianzenus Orat. 34. eumdem Apoſtolum appellat Præcurſorem J. C. quod vix alio ſenſu intelligeretur, quam qui ſupra e S. Ambroſio inſinuatus eſt, nimirum in exitu ſæculorum una cum Enoch & Elia Joannem prodituriım. Ita mentem S. Doctoris exponit ejus Interpres Elias Cretenſis. S. Hieronymus in Jovin. l. 6. c. 14. privilegia virginitatis efferens, illud præ ceteris commendat, numquam ſcilicet illam interire, quam in rem laudat illud Jeſu Chriſti de S. Joanne: *Si eum volo manere, quid ad te? Ex quo oſtenditur*, ait idem S. Doctor, *Virginitatem non mori, nec ſordes abluiturum ablui cruore Martyrii; ſed manere cum Chriſto, & dormitationem ejus tranſitum eſſe, non Martyrium*. Gemina legas in Præfationibus vetuſtæ Bibliorum editionis præfixis Evangelio, & Apocalypſi, quas ſi negaveris S. Hieronymo Authori tribuendas; certe tamen vetuſtiſſimas, & non infimæ eſſe authoritatis concedes.

S. Thomas, Albertus Magnus, S. Vincentius Ferrerius, S. Thomas de Villanova, qua ſcriptis, qua in ſuis ad populum concionibus affirmarunt, S. Joannem poſt obitum in vitam rediiſſe. Laudantur in eam rem revelationes SS. Geltrudis, & Birgittæ. Hanc denique traditionis ſeriem claudunt Georgius Trapezuntius, & Faber Stapulenſis, qui ſuperſtitem adhuc manere Apoſtolum tenent, Florentinus, qui ad vitam reſtitutum defendit.

Eamdem opinionem adoptavit, & in ſuum Officium tranſtulit Eccleſia Græca noviſſimæ hujus ætatis, nec mentem ea de re ſuam aperte adhuc explicavit Eccle-

(1) *Ephrem Theopolit. apud Phot. Cod. 229. p. 797. & 800. Vide Petr. Damian. ſer. 64. de S. Joan. Evang.* (2) *Vide Auguſ. Tract. 124. in Joan. & ita Græci hodierni pleriqae, & inprimis Abdias in vita S. Joan. ad fin.* (3) *Quidam apud Auguſ. in Joan. Tract. 124. Vide & Gregor. Turon. lib. 1. de gloria Martyr. cap. 30.* (4) *Vide vit. S. Villibaldi 2. parte ſæc. 3. Bened. n. 5.* (5) *Apud Phot. Cod. 229.* (6) *Auguſ. in Joan. homil. 124.*

(7) *Vide Auguſ. de fide c. 4. & 38. & in Adverſ. leg. & Prophet. l. 20.* (*) *Hilar. l. 6. de Trinit. n. 39.* (8) *Hilar. l. 10. de Trinit. n. 37.* (9) *Ambroſ. in Pſal. 117. ſer. 20. n. 12. & Luc. l. 7. n. 4.* (10) *Ambroſ. in Pſal. 45. n. 10. Nam & Beſtia illa Antichriſtus ex abyſſo aſcendit, ac adverſus Eliam utique Enoch, atque Joannem, qui propter teſtimonium Domini Jeſu terris ſunt redditi, præliaverat.* (11) *Ibid. l. 2. de fide Reſurr. n. 49.* (12) *Aretas Cæſar. apud Floren. p. 124.*

Eccleſia Latinæ; quæ tamen in nonnullis Martyrologiis diem tranſitus S. Joannis deſignat nomine Aſſumptionis, quod Reſurrectionem quamdam inſinuare videtur, & in Officio ejuſdem Feſti Apoſtolo vindicat verba illa J. C. *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis.* In Lectionibus tandem, quas e S. Auguſtino deſcripſit, cumulate omittitur locus S. Doctoris, ubi de obitu S. Joannis [1]; quaſi ſcilicet eam opinionem traditioni ſuæ repugnantem agnoſcat. Hæc majoris momenti in medium producuntur pro aſſerenda, ſive diuturniore S. Joannis Evangeliſtæ vita, ſive reſurrectione.

Averſa huic opinio de obitu, atque ſepultura S. Joannis in Urbe Epheſi non minoribus fulcitur ſive argumentis, ſive auctoritatibus. Textus Evangelii potiſſimum pro adverſa ſententia momentum, nihil probat, juxta ac ſcite S. Auguſtinus ſerm. 253. num. 4. novæ edit. obſervat. Ipſe enim Evangeliſta falſam Diſcipulorum interpretationem, numquam ſcilicet interiturum Apoſtolum refutat, addens: *Et non dixit Jeſus: Non moritur, ſed ſic eum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Quæ ſane ratiocinatio multo erit firmior, ſi cum nonnullis Criticis ſemel ſtatuatur [2], poſtremum hoc caput adjectum Evangelio S. Joannis ab Eccleſia Epheſina poſt obitum ejuſdem Apoſtoli, quo ſcilicet ſparſo de immortalitate Joannis inter fideles rumori, & incommodis, quæ inde conſequerentur, omnibus occurreret. Alii vero Interpretes defendunt [3], verbis illis Jeſum Chriſtum illud inſinuaſſe; nimirum non prius interiturum Apoſtolum, quam ut Divinam de interſectoribus Magiſtri ſui ultionem oculatus teſtis ſpectaret. In eum ſenſum alii [4] reddunt illud J. C. apud Matth 16. 28. *Sunt de hic ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis.* Eſt equidem in Novo Teſtamento familiare, ut adventus Filii Dei, & Regni ipſius nomine nihil aliud inſinuetur, quam tempus ultionis in Jeruſalem exercendæ [5]. Ita e. g. toto capite 24. S. Matthæus poſtremam Urbis Jeruſalem obſidionem, quæque Judæorum capiti imhæſura eſſent mala deſcribit, ſub idea diei adventus, & Judicii ſui. Totus etiam Evangeliſtæ contextus eumdem ſenſum verbis illis J. C. de quibus modo agimus, ſubeſſe ſatis demonſtrat, poſtquam enim dixiſſet [6] *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis, & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus*, addit ſtatim: *Sunt quidam de his ſtantibus, qui non guſtabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in Regno ſuo.* Et alibi [7], Sacerdotibus, & viris ampliſſimis e Synedrio Judæorum denunciat, numquam illos ultra viſuros Filium hominis, niſi venientem in nubibus Cœli, & cum ad dexteram Patris ſedens ſpectandum ſe præbuiſſet; quod ab illo de everſione Jeruſalem, & diſperſione Judæorum dictum creditur.

Similacea illa manna, quæ e tumulo Apoſtoli ſexto adhuc & octavo ſæculo exſufflabatur; pulvis ille, de qua S. Auguſtinus & alii viri graves nonnulli, multum ſane contulerunt conciliandæ inter Fideles de immortalitatis S. Joannis perſuaſioni. Valuit pariter ad eam rem apud indoctum vulgus ſubjecta Actuum S. Joannis [8], & librorum apocryphorum fides. Sed ipſa in ſe res ad trutinam revocanda. Acta illa, quæ olim ferebantur nullius erant in Eccleſia auctoritatis, nihil illis vetuſtate, quam jactitabant, conferebatur. Quod enim Ebionitarum, vel Encratitarum fraude ſecundo Eccleſiæ ſæculo ſuppoſita reperirentur, ſatis erat, ut deploratæ eſſent apud Fideles auctoritatis.

Eſto quidem demus, Auctores hujus generis fabularum genuinæ S. Joannis hiſtoriæ adſcititia quædam ornamenta, & fabellas intexuiſſe; quid inde? Nonne id forte cum ceteris addi ab illis potuit, quod narrant de Apoſtolo ſponte in ſepulchrum ſeſe inferente? Fucum, & fabulas huic hiſtoriæ demamus, nihilque parebit aliud, quam quod Apoſtolus ætate ſenioque tantum confectus diem ita clauſit, ut nec deceſſiſſe quidem videretur; quare ſpirans adhuc in ſepulchrum deſcendiſſe reputari potuerat.

Pulvis ille e ſepulchro ebulliens duo prodit; nimirum receptam vulgo perſuaſionem Apoſtoli illius, corpus adhuc in tumulo recondi, quare nec ad vitam rediiſſe, neque in occultum aliquem mortalibus locum una cum Enoch & Elia detineri credebatur. a. Corpus illud vivens adhuc & integra ſuper terræ adhuc ſpirare, quod fidem omnem ſuperat. Si poſt obitum ſex vel octo ſæculis adhuc ſpirabat, quid hodie de illo factum eſt? An poſt eam ætatem deceſſiſſe contigit? Quomodo vitam ſuam tot ſæculis produxiſſe valet homo ſub terra defoſſus, ſine cibo, luminis & aeris beneficio privatus? Si vitales ſpirat auras, cur e cæco illo loco non educitur?

At enim quæſtio eſt facti; e tumulo genus quoddam terræ vel mannæ exſufflabatur, præſentiſſimum ægrotis pharmacum. Sit eſto, terra ſive pulvis ſupra tumulum Viri ſancti vel circum jacens, & reſtituendæ ſanitatis virtute polleat; nonne merito & fidei religioſiſſimorum Fidelium dari illud a Deo potuit; quemadmodum præſtitum ab ipſo ſcimus in eorum gratiam, ut pulverem e tumulo Apoſtolorum Petri & Pauli & aliorum Sanctorum deductum in morbis ſuis ſolatium quærerent & levamen? Quæ de pulvere illo veluti hominis reſpiratione e tumulo exſufflato feruntur, negotium quidem faceſſunt [9]. Sed loci ſitus & circumſtantiæ omnes ſedulo prius inſpiciendæ eſſent, quo certius daretur judicium, num prodigium aliquod ea in re ſtatueretur. Fac autem prodigium agnoſcendum ſit. Nonne eum S. Auguſtino Tract. 124. in Joannem reputari potuiſſet (10), Deum eo prodigio commendare voluiſſe pretioſam S. Apoſtoli mortem; niſi forte latentem aliam cauſam, cur id voluerit, Deus habuiſſe credatur?

Ad Veterum teſtimonium quod ſpectat, alias non opponimus auctoritates Patrum, qui vetuſtate illis præſtant, nempe S. Irenæi, Polycratis, S. Polycarpi, Origenis, Concilii Epheſini, Euſebii, Tertulliani, S. Auguſtini, S. Hieronymi, S. Epiphanii, S. Chryſoſtomi, S. Cyrilli Alexandrini, aliorumque plurium teſtantium, diem clauſiſſe Apoſtolum & in Urbe Epheſi ſepulturæ mandatum. S. Irenæus lib. 2. c. 39. & apud Euſeb. lib. 3. cap. 3. vixiſſe illum uſque ad Imperium Trajani perhibuit, ex quo certa ducitur conjectura, Apoſtolum ſub Trajano juxta Irenæum occubuiſſe. Polycrates Epheſinus (11) apud Euſebium narrat, virum hunc ſanctum in ſuo apud Epheſum ſepulchro reſurrectionem generalem opperiri. Ejus obitum conſignat Euſebius ad tertium Trajani annum. S. Hieronymus (†) teſtatur obiiſſe Apoſtolum 68. annis a Paſſione Jeſu Chriſti; obiiſſe autem 88. annis grandævum Auctor eſt S. Epiphanius hæreſ. 51. Centum annis & ſeptem menſibus grande natum diem clauſiſſe ann. 104. Jeſu Chriſti habet Chronicon

(1) *Aug. Serm. 253. nov. edit. n. 4. Hanc opinionem, qua putabatur Joannes non moriturus, abſtulit Joannes ipſe conſequentibus verbis ſuis; & ne hoc credatur ait: Non hoc dixit Dominus; ſed dixit hoc &c.* Et *Tract. 124. in Jo. n. 2. Hanc opinionem Joannes ipſe abſtulit, non hoc dixiſſe Dominum aperta contradictione declarans &c.* Vide *& Ephrem Antioch. ſupra cit. apud Phot. Cod. 229.* (2) *Vide Grot. ad Joan. 20. ult.* (3) *Theophyl. D. Thom. Tolet. Ribor. Vatab. Grot. Ligfoot.* (4) *Hamm. Jac. Cappell. Cler. in S. Matth. 16. 27. 28.* (5) *Matth. 12. 18. & 10. 7. Luc. 17. 30. & 19. 11. 12. 15. &c.* (6) *Matth. 16. 27. 28.* (7) *Matth. 26. 64. Marc. 14. 62.* (8) *Aug. tract. 124. in Jo. n. 2.* (9) *Aug. tract. 124. n. 2. Non defunctum, ſed defuncto ſimilem occubuiſſe, & cum mortuus putaretur, ſepultum fuiſſe dormientem, & donec Chriſtus veniat, ſic manere, ſuamque vitam ſcaturigine pulveris indicare, qui pulvis creditur, ut ab imo ad ſuperficiem tumuli aſcendat, flatu quieſcentis impelli.* (10) *Reſtat, ut ſi vere ibi fit, quod ſparſit fama de terra, quæ ſubinde ablata ſuccreſcit, aut ideo fiat, ut eo modo commendetur pretioſa mors ejus, quoniam non eam commendavit Martyrium, aut propter aliquid aliud, quod nos latet.* (11) *Polycrat. apud Euſeb. l. 5. c. 24. hiſt. Eccleſ. & l. 3. c. 31.* (†) *Hieron. de viris illuſtr. & lib. 1. contra Jovinian.*

Digitized by Google

-con Alexandrinum. Ejus ſepulchrum viſebatur non procul ab Epheſo, ait S. Hieronymus, qui ſimul obſervat (*) Epheſi pariter ſpectari ſepulchrum alterius Joannis, cui a nonnullis duo poſteriores Apoſtoli Joannis Epiſtolæ tribuuntur.

Quibus S. Hieronymi teſtimoniis ſatis ſuperque refutari credo ea, quæ ex eodem S. Doctore in Libro adverſus Jovinianum contra hanc ſententiam producta ſunt: quodam enim ibi ingenii œſtro raptus panegyrico enthuſiaſmo ita effatur: *Ex quo oſtenditur virginitatem non mori: & dormitationem S. Joannis tranſitum eſſe, non Martyrium.* Ejuſdem Apoſtoli obitum non obſcure agnoſcit S. Chryſoſtomus (1), a quo pariter de ſepulchro ejuſdem Apoſtoli, veluti de ſepulchro Apoſtolorum Petri & Pauli agitur. Opinionem quorumdam Apoſtolorum, qui diuturnam ad judicium uſque vitam Joannem producturum autumabant, rejicit S. Cyrillus Alexandrinus diverſis Homil. Tom. 5. Vidimus autem in ſuperioribus quantum ab eadem ſententia de immortalitate Apoſtoli abhorreret S. Auguſtinus, & quomodo adverſæ ſententiæ aſſertores ex ipſo Evangelii Textu refutet.

Tertullianus apertiſſimis verbis obiiſſe illum dicit lib. de Anim. cap. 50. eorum ſpem, qui manſurum illum ad ſecundum uſque adventum Domini ſibi blandiebantur, irritam excidiſſe teſtatus (2). S. Ambroſius de fide reſurrect. hom. 49 fatetur, ſparſum quidem inter fratres rumorem de ejus immortalitate, ſed numquam ſatis Fidelibus eam famam approbatam: *Joanni promiſſum æſtimatum, ſed non eſt creditum.* Cæleſtinus Papa (3) ſcripta ad Patres Epheſinos Epiſtola hortatur, ut documenta lectentur S. Joannis, *Cujus reliquias*, ait, *præſentes veneramini.* Ipſum pariter Epheſinum Concilium agnoſcit S. Joannem tunc Epheſi fuiſſe; ecquomodo, rogo, niſi in tumulo jacentem? Orientales, qui ad Concilium venerant, querebantur, prohibitos ſe ne tumulos Martyrum & maxime S. Joannis Evangeliſtæ inviſerent. Porro quanta quanta ſunt Acta hujus Concilii, & Orationes Patrum, ibi relatæ, nulla præſeferunt popularis opinionis de immortalitate Apoſtoli veſtigia. Reputandum eſt igitur, numquam ea de re impoſitum fuiſſe Epiſcopis, eamque opinionem viris doctis & ingenii acumine præſtantibus numquam approbatam fuiſſe.

Diſerte teſtatur Origenes (4), Apoſtolum Epheſi diem clauſiſſe. Laudatur teſtimonium S. Polycarpi (5), Diſcipuli S. Joannis, quo aſſeritur obiiſſe virum ſanctum, non martyrio quidem, ſed poſt plurimos exantlatos labores & exilia. Ejus ſepulchrum Epheſi conſtituit S. Dionyſius Alexandrinus (6). Genuinus S. Hippolytus in eodem cum Jeremia & Daniele cenſu Apoſtolum collocat, unam eamdemque de omnibus ſententiam ferens: *Mortui eſtis cum Chriſto, ſed vivetis cum Chriſto* (7). Addi illis omnibus poſſunt authoritates Theodori Heracleenſis, & Mopſueſteni, quorum fragmenta ſervantur in Catena Græca in S. Joannem, S. Gregorii Magni hom. 25. Leontii, Bedæ, Theophylacti, Euthymii, Ruperti Abbatis, Haimonis, & Interpretum fere omnium, tam veterum, quam recentiorum, qui in poſtremum illud caput S. Joannis ſcripſerunt.

En teſtium non infimæ authoritatis turbam, cui non ſine temeritatis nota fidem refragarémur. Nihil eſt ambiguum, nihil niſi aſſertum, nihil niſi ex genuinis Operibus deductum; teſtes ſunt temporis non ſuſpecti; quippe qui ſanam & venerabilem referant antiquitatem. Non ſententias damus, quæ alia meditantibus exciderint; non e declamationibus excerptas: ſed argumenta hiſtorica, & ex facto ipſo petita. Alia plane eſt indoles earum, quæ pro adverſa ſententia relatæ ſunt; pleræque enim ex illis jure meritoque rejicerentur, ſive meritum ſpectes eorum, quibus laudantur; ſive verborum ambages, quibus obvolvuntur; ſive ſingularitatem, vel credulitatem eorum, qui illas effuderunt.

Locus ex Apocalypſi 10. 11. pro adverſa ſententia relatus, nimirum venturum in exitu ſæculorum Joannem, *ut prophetet Gentibus, populis, linguis, & Regibus multis*; locus, inquam, iſte, quamvis in favorem adverſariorum uſurpari viſus ſit a S. Gregorio Nazianzeno (8), S. Ambroſio, ſive altero quocumque, qui nomen Joannis nominibus Enoc, & Eliæ ejus tractatui ſuper Pſalmum 45. 50. expreſſis, inſeruit; pronum eſt tamen ut intelligatur de Evangelio, & Apocalypſi ab eodem Apoſtolo ſcriptis, quibus ad noſtram ætatem, & futuris etiam temporibus fidem omnibus inculcare non deſiſtet. Tantum autem aberat ipſemet S. Joannes ab ea de ſe opinione; futurum nempe ut inter Præcones Evangelii adverſus Antichriſtum, inter Teſtes, qui Fidem ſanguine ſuo obſignarent, ipſe accenſeretur; tantum, inquam, ab ea de ſe perſuaſione aberat, ut duos tantum futuros teſtes prædicat (9), nimirum, quantum conjicitur, Enoch, & Eliam.

Promiſſio, qua Filius Dei fidem ſuam obſtrinxit (10), propinaturum nempe viro calicem ſuum, tunc maxime tunc impleta fuit juxta Patres, & Commentatores, cum ferventis olei caldarium ſubire, atque exul in Inſulam Pathmos degere coactus eſt. Nonne juge martyrium tota vita produxiſſe credendus eſt, qui Apoſtolicas ſollicitudines tales tantaſque toleravit? Futile eſt autem argumentum illud, quod ex ignoratis ejuſdem Apoſtoli reliquiis deducitur. Quot enim Sanctorum corpora neque e terra unquam effoſſa ſunt, neque, ubi maxime quieſcant, certi aliquid refertur? Memoriæ proditum eſt (11), in quadam Mediolani Eccleſia reliquias S. Joannis Fidelium religioni, & venerationi expoſitas fuiſſe, munus, uti quidem creditum, S. Ambroſii. Deductæ ex rerum convenientia futiles ſunt in hoc argumenti genere conjecturæ; poſſunt non diſſimiles etiam pro adverſa ſententia afferri.

Verum quod vitæ genus Apoſtolo tribueretur in tumulo, & aggeſta terra, ac pulvere oppreſſo? Cum ad exitum vita properaret, teſte S. Hieronymo (12), officium affecti viri pedes negabant, ne loquendi quidem ſuppetebant vires, ut ad Eccleſiam niſi inter Diſcipulorum brachia venire non potuiſſet; illud autem in eo infirmæ valetudinis ſtatu repetebat identidem: *Filioli mei diligite alterutrum.* An forte ab eo tempore vitam reproduxit, ſive dulcem adhuc experiri vitam potuiſſet vir, qui 90. annis natus ſenectutis pondus vix, ac ne vix quidem ſuſtinebat?

Pleriique autem Scriptorum, quorum pro adverſa opinione teſtimonia afferuntur, non ita ſententiæ illorum, quantum pro opinione, ſi diligentius examinentur, faviſſe intelligemus. Nihil etiam ab illis, quod alicujus ſit momenti, aſſertum eſt. Ita Præfationes in veteribus Bibliis Latinis præfixæ Evangelio, & Apocalypſi, quarum altera S. Hieronymi, altera Gilberti nomen præfert, hæc tantum habent: *Deſcendens in defoſſum ſepulturæ ſuæ locum, facta oratione poſitus eſt ad Patres ſuos, tam liber a dolore mortis, quam a corruptione carnis invenitur alienus.*

Smaragdus Abbas S. Michaelis noni ſæculi ſcriptor Catenæ ex Patribus in Epiſtolas, & Evangelia totius anni (13), eadem refert verba, tamquam ex Patrum monumentis deſcripta; *Sic in Patrum litteris invenimus: Cum longe confectus ſenio &c.* Hæc vulgata octavo, & nono ſæculo opinio. Porro Scriptores illi non ea quidem perſuaſione tenebantur, Apoſtolum ad diuturniorem vitam ſervari, ſed tantum virginalis ipſius pudicitiæ merito a Deo datum illi

H 4 xuiu-

(*) *De Vir. Illuſtr.* (1) *In Epiſt. ad Hebr. homil.* 26. (2) *Obiit & Joannes, quem in adventum Domini fuiſſe remanſurum falſa fuerat ſpes.* (3) *Vide Act. Concill. Epheſin. t.* 4. (4) *Origen. apud Euſeb. l.* 3. *c.* 1. (5) *Vide apud Florent. p.* 124. (6) *Apud Euſeb. hiſtor. Eccleſ. l.* 7. *c.* 25. (7) *De Antichr. pag.* 41. *&* 52. *nov. edit. Fabric.*

(8) *Orat.* 34. *Vide ſup.* (9) *Apoc.* 11. 3. *Dabo duobus teſtibus meis.* (10) *Matt.* 20. 22. 23. *Marc.* 5. 30. 39. (11) *Bolland.* 3 *Maii p.* 364 (12) *In Epiſt. ad Galat.* (13) *Smaragd. Collection. in Evangel. & Epiſt. in Natali S. Joann. Evangel. fol.* 11. *Edit. Argentorat. Georg. Ulelcher. A.* 1536.

nutumabant, felici longaque ſenectute ita occumbere, ut ne ſe mori quidem ſentiret. Hujus traditionis ſeriem non interruptam ſpectavimus in Commentatoribus Græcis, & Latinis, qui poſt eam ætatem ſcripſerunt.

Statuendum eſt itaque, opinionem, quæ occubuiſſe S. Joannem negat, vel poſt obitum rediiſſe in vitam affirmat, nullo ſolido inniti fundamento, & ab Authoribus fere omnibus, qua veteribus, qua recentioribus, paucis exceptis, tamquam popularem quidem, ſed minus veram opinionem habitam fuiſſe. Fruſtra autem in eam ſententiam traheretur Eccleſia Latina, cui numquam talia approbata ſunt. Græcos ultro adverſariis damus, quos poſt admiſſum ſchiſma aliis adeo ignorantiæ, errorum, & ſuperſtitionis tenebris offuſos conſtat, *ut ne linea quidem veteris ſcientiæ, & pietatis in illis agnoſcatur.

IN ACTA APOSTOLORUM PROLEGOMENON.

POſt ſupremam manum Evangelio, hiſtoriæ nempe rerum geſtarum Jeſu Chriſti, ejuſque Parentis, qua familiariſſime uſus eſt, impoſitam, id ſibi propoſuit S. Lucas, ut in Actis Apoſtolorum Evangelium ſcriberet S. Spiritus, juxta Oecumenii phraſim in Acta p. 20. vel Reſurrectionis J. C. juxta Chryſoſtomum in Acta hom. 1. ſive tandem rerum geſtarum a primis illis Apoſtolis, & naſcentis Eccleſiæ hiſtoriam. Nec ſane poſt ejuſ ipſam vitam, & doctrinam J.C. dignius aliud argumentum tractandum ab illo fuerat, nullum utilius, nullum majoris ad Eccleſiam momenti, ſive exempla ſpectes ad dirigendos mores, ſive inſtitutiones ad doctrinam formandam (1). Implera exhibet plura Filii Dei oracula, uti de illapſu S. Spiritus, atque de immutatis ingenio, atque indole Apoſtolorum ejuſdem S. Spiritus operatione; ſpecimen præbet Chriſtianæ illius perfectionis, cujus ideam omnem implet priorum Fidelium vita pariter & diſciplina, parent inſuper inſignia virtutum exempla, quæ ſub Apoſtolis data ſunt; parent prodigia S. Spiritus in redigendis ad Fidem gentibus; & ſuper omnia prodigia prodigium illud conſtitutæ nempe Eccleſiæ Chriſtianæ, & Regni Dei, illius, inquam, Regni, cujus in Scripturis promiſſiones frequentiſſimæ ſpectantur.

Inſcriptum ut à S. Luca Opus: *Acta Apoſtolorum*. quo, ait S. Chryſoſtomus (2) doceremur, non tam prodigia in eo quærere, quàm morum exempla, & documenta virtutum. Cum, ait S. Hieronymus Epiſtola 103. omnino nudam, & ſimplicem Eccleſiæ naſcentis hiſtoriam referendam ſuſcipere viſus eſt ſapiens ille Medicus, Evangelio ſuo univerſo Orbi celebratiſſimus, reipſa tamen promit totidem remedia curandæ infirmæ animarum noſtrarum valetudini præſentiſſima, quot verba profert formandis moribus utiliſſima.

Id autem habuiſſe potiſſimum conſilii creditur, ut confictis aliorum fraude Apoſtolorum Actibus, veram hanc & genuinam rerum ab Apoſtolis Petro, & Paulo geſtarum hiſtoriam opponeret. In eam vero contulit quidquid maxime neceſſarium duxit ad credentium fidem, cujus rei merito tantam ſibi gratiam apud Eccleſiam univerſam comparavit, ut ejus ſolum Opere admiſſo, cetera omnia rejicerentur (†). Verum ſi fide Operis ſui Sanctus Lucas ceteris omnibus de eo argumento Libris ante ſe ſcriptis fidem detraxit, nequidquam tamen factum eſt, quin poſt ipſum alia procuderentur. Nota ſunt poſterioribus ſæculis Acta a Manichæis ceteriſque Hæreticis ſuppoſita, de quibus nobis fuſius infra agendum eſt. Sed eorum tenebras Sanctiſſimus Scriptor luce Operis ſui ita diſſipavit, ut nihil ſive ante ipſum ſive poſt ipſum ſcriptis mandatum de eo argumento admitteretur. Suſpicatur Sanctius in Acta Proleg. n. 21. Judæos Apoſtoli Pauli famæ invidiam creaturos, plures in vulgus adverſus illum calumnias ſparſiſſe, quibus confutandis revincendiſque S. Lucas Opus illud veluti apologiam oppoſuit.

Quærit S. Chryſoſtomus in Acta hom. 1. cur S. Lucas utrumque Opus eidem Theophylo inſcribens, non in eumdem pariter Librum contulerit Acta ſimul & Evangelium; ſed in duo diſpeſcere maluiſſe. Reſpondet autem id ab eo præſtitum, 1. Majoris claritatis gratia; 2. In commodum Lectorum; 3. Ut rerum, de quibus agebat, naturæ ſerviret; diſcrimen enim poſcunt. Primo autem ſcriptum ab ipſo Evangelium, deinde Acta (3); ſed quo potiſſimum tempore ad utrumque ſeſe contulerit, incertum. Traditum eſt apud veteres, digeſtum ab ipſo Evangelium in Achaja; idemque opus ſpectari ab Apoſtolo 2. Corinth. 8. 18. *Miſimus cum Tito fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias*. Sed his admiſſis fateamur oportet, diu ante ſcriptum Actuum Librum prodiiſſe Evangelium; Epiſtola enim ad Corinthios data eſt An. Jeſu Chriſti 57. cum ſcribendis Actibus non antea operam dare potuerit, quam poſt exactum Romæ una cum Apoſtolo Paulo biennium, nempe poſt a. 62. vel 63. Jeſu Chriſti. Nec abs re ſuſpicamur, ſcriptum hunc Librum Romæ, quo tempore in captivitate detento Apoſtolo S. Lucas uſque ad reſtitutam ejus libertatem adhæſit.

Græcis literis exaratum fuiſſe ambigit nemo; cultior eſt autem & elegantior, quam ceterorum omnium N. T. (4). Laudantur in eo plerumque teſtimonia Scripturæ juxta Verſionem Septuaginta; quod facile Scriptor Hebraicum ignoraret (5); cum etiam S. Paulus verba frequentiſſime Gentibus faciens, mallet Sacros Libros juxta vulgatum & omnium manibus pronum Textum laudare, quam ex Hebræo longe pluribus ignoto. S. Epiphanius hæreſ. 30. cap. 3. 6. author eſt, e Græco in Hebræum, ſive Chaldæum vel Syriacum, quo tamquam vernaculo Palæſtini Judæi utebantur, tranſlatum fuiſſe. Idem Opus Hebraice verterant Ebionitæ; ſed pluribus memoriæ Apoſtolorum plane injurioſis inſertum corruptumque. Tradit S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis Presbyterum quemdam Aſiæ genuinis Apoſtolorum Actis adjeciſſe Itinera SS. Pauli, Teclę, ſicut & commentitiam quamdam baptizati Leonis (belluę nempe) hiſtoriam. Ejus impoſturę reum tenuit eumdem Presbyterum S. Joannes Evangeliſta, ait Tertullianus, coegitque fateri, amore Pauli hęc illum commenta procudiſſe.

Canonica huic Libro authoritas numquam defuit in Eccleſia. Canonicum tamen negarunt Hæretici Marcionitę (Tertull. cont. Marcion. l. 5. c. 1. 2.) cum Manichęis (August. de utilit. creden. c. 3.) Genuinum Opus rejicientes Nicolaitę, & Gnoſtici apocrypha alia Scripta ſubſtituerunt (Philaſtr. hęr. 87.) Id autem ab illis Hęreticis pręſtitum (6), quod luculente nimis in eo Opere illapſus S. Spiritus juxta Oracu-

(1) *Idem ibid. initio*. (2) *Jo. 3. hom. 15. pag. 158.* (†) *Auguſt. de conſenſ. Evangeliſt. lib. 4. c. 8.* (3) *Act. 1. Primum quidem ſermonem feci de omnibus, o Theophile, quæ cœpit Jeſus facere & docere*. (4) *Hieron. in Iſai 6.* (5) *Hieron. tradit. Hebr. in Gen 46.* (6) *Aug. Epiſt. olim 253. nunc 237. n. 2. & lib. de utilit. cred. n. 7.*

Digitized by Google

Oraculum Jeſu Chriſti paucis poſt Aſcenſionem diebus manifeſtaretur; quod incommodum Manichæis accideret, jactitantibus illud de S. Spiritu oraculum in Manete hæreſis authore implendum. S. Auguſtinus ita de hoc Libro pronunciat (1): *Actus Apoſtolorum Liber eſt de Canone Scripturarum: ipſe Liber incipit legi a Dominico Paſcha, ſicut ſe conſuetudo habet Eccleſiæ.*

Queritur S. Chryſoſtomus de neglecta plus nimio ætate ſua Libri Actuum lectione, ut pluribus ne nomine quidem Opus noſceretur. Ipſe vero pluribus illius ſcripti meritum effert, Eccleſiæ perinde ac Evangelium utile eſſe profeſſus. Eraſmus (2) in ſua editione N. T. meditabatur Evangelium S. Lucæ Actis jungere, ne unius ejuſdemque Authoris uni eidemque nuncupata Viro Opera disjungerentur; ab eo tamen conſilio abſterritus eſt metu ne gravius ferretur variatus Evangeliorum ordo. Quamquam ut vera fateamur, Acta ipſa Evangelii poſtremo non infima cenſeri poſſunt. Si enim Evangelium ſementem terræ jactam præfert; natum germen & maturas jam meſſis exhibetur in Actis.

Inter Opera N. T. non idem ſemper locus Actis Apoſtolorum manſit. Medium tenent inter quatuor Evangelia & Apocalypum in pluribus vetuſtis Mſs. quorum unum ſervatur in Abbatia Medii Monaſterii; nec alium plerumque obtinuiſſe inſinuant S. Auguſtinus, Caſſiodorus, & Theodulphus Aurelianenſis. Sed alia quædam Exemplaria conſtituunt poſt Epiſtolas S. Pauli, & ante ſeptem Canonicas; uti ſpectare etiam licet in vetuſtis nonnullis Editionibus. In veteri Mſ. S. Germani Pratenſis, ſicut & in Bibliis S. Mariæ Muſſipontis hic ordo ſervatus eſt; Evangelia, Acta, ſeptem Epiſtolæ Canonicæ, Epiſtulæ S. Pauli; quod & occurrit in Mſs Syriacis, & in Verſione Moſcha, ſeu Ruthenica. Poſt Acta ſeptem Canonicis continuari tradit S. Philaſtrius. Interdum poſt Apocalyſim rejecta ſunt. Ea tandem in re maxime variant, qua Mſs. qua veteres Editiones (3).

Variantia plurima, nec levioris momenti in eodem Libro deprehenduntur; quæ facile gloſſæ ſunt ab Amanuenſibus adjectæ, ſeu majoris claritatis gratia in ora appoſitæ additiones, in Textum irrepentes. Quæ majoris momenti videbantur, in additionibus ad Commentarium adnotata viſum eſt. Legitur in Synopſi, S. Athanaſii nomine inſcripta, S. Petrum Apoſtolum Librum Actuum dictaſſe, ſicut Apoſtolum Paulum Evangelium S. Lucæ: utrumque incertum. Neque enim aliquid de Evangelio S. Lucæ, Apoſtoli Pauli dictantis ore excepto conſtat; Actibus vero diſigendis aliquid vel minimum contuliſſe S. Petrum vix ac ne vix quidem credimus. Ejus Apoſtoli mentio occurrit in primis tantum Operis capitibus; dein e capite 13. totum referendis S. Pauli geſtis impenditur; nec ſane e latere ejuſdem Apoſtoli receſſiſſe amplius S. Lucas creditur, ex quo Troade in Phrygia illi comes, non itinerum tantum, ſed laborum omnium & malorum acceſſit. Quare nonniſi oculis explorata in eo libro refert. De S. Luca tamquam de viro ampliſſimo agit Apoſtolus 2. Cor. 8. 18. 19. *Miſimus etiam cum Tito fratrem, cujus laus eſt in Evangelio per omnes Eccleſias. Non ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis comes peregrinationis noſtræ in hanc gratiam, quæ miniſtratur a nobis ad Domini gloriam* (nempe colligendis Fidelium eleemoſynis). Suſpicantur etiam plures inter veteres. *Lucium* illum, de quo ad Rom. 16. 21. ubi ſibi neceſſitate conjunctum eum viſum teſtatur Apoſtolus, ipſum eſſe S. Lucam Actuum Apoſtolorum ſcriptorem.

Utrtiuſque itineris Pauli Apoſtoli Romam ſocius acceſſit S. Lucas, cumque ſolum inter veteres Diſcipulos, quibuſcum ad Urbem venerat, lateri ſuo adſiſtentem habebat idem Apoſtolus quo tempore ſecundam ad Timotheum Epiſtolam dabat; nempe paulo ante Martyrii ſui conſummationem (4), ut proinde ad exitum uſque vitæ fidum hunc comitem expertus ſit. Mirari ſubit, cur hiſtoriam Martyrii ejuſdem Apoſtoli ſcriptis mandare neglexerit, cum nemo melius poſſet; quippe qui oculatus ejus obitus teſtis fuerat, & diu poſt eam ætatem vitam produxit. Sunt qui autumaverint (5), conſilium agitaſſe illum novam ſcribendi hiſtoriam ab adventu Pauli Romam, uſque ad ejus obitum; quod ne executioni mandaret in cauſa fuiſſe putuerunt itinera, & cetera Apoſtolicæ ſollicitudines, præferendas illas ſcriptioni arbitratus. Apoſtoli & hominis Apoſtolici eſt, rara ſcribere, plura moliri (6). Porro Martyrium S. Pauli ſatis aliunde innoteſcit; nec ſane aliter reputari par erat de re tanti momenti in celeberrimæ Urbis Romæ, adeoque univerſi orbis theatro ſub ipſis Fidelium omnium oculis geſta; ſed itinera & cetera vitæ ejuſdem Apoſtoli facta poterant facile e mentibus hominum excidere, quod ſane dolendum fuiſſet Eccleſiæ, niſi illorum memoriam ſcriptis perennare idem Apoſtolus S. Lucas inſtituiſſet.

Continet idem opus hiſtoriam Eccleſiæ ab Aſcenſione Domini ad uſque libertati reſtitutum S. Paulum, biennio poſtquam Urbem Romam veniſſet. Intervallum eſt autem 30. annorum, quos ſcilicet ab an. 34. uſque ad 64 Jeſu Chriſti, ſive a 20. Tiberii uſque ad 9. Neronis excurrerunt.

Pauca modo de falſis *Actis Apoſtolorum*. Ebionitarum fraude genuinum S. Lucæ Opus corruptum eſt, pluribus ingeſtis memoriæ SS. Jacobi, Petri, & Pauli maxime injurioſis. Legebantur ibi, juxta ac S. Epiphanius hæreſ. 30. §. 16. obſervat, *Aſcenſus*, ſive *Scala S. Jacobi*, quibus nempe referebantur viſio quædem ejuſdem Apoſtoli de everſione Jeroſolymæ, & Templi.

Acta S. Petri pluribus nominibus innoteſcunt veluti *Periodi Petri*, qui Liber ſupereſt. *Recognitiones Clementis*, *Prædicatio*, ſive *doctrina S. Petri*. Legitur etiam Opus inſcriptum: *Apocalypſis S. Petri*, ſive *judicium S. Petri*. De ſingulis hiſce Operibus pauca. *Itinerarium S. Petri*, nomine *Recognitionum S. Clementis* notum, pluribus modo, quam olim prioribus ſæculis, fabellis intextum eſt, quippe quod a Schola Ebionitarum prodierit. Photius autumavit (*), ficta illa Apoſtolorum Acta, ſive *Itinerarium Apoſtolorum*, inter quæ primas tenebant Recognitiones S. Petri fabricata fuiſſe, vel ſaltem plurima fabularum acceſſione locupletata a Charino magni nominis Ebionita. Veriſimilius tamen credimus, Opus illud primo ab aliquo ejuſdem Apoſtoli Diſcipulo abſque dolo malo deſcriptum fuiſſe, quod deinde nacti Ebionitæ corruperint; eaque illorum accreſſione factum ſit, ut inter Apocrypha rejiceretur. Meminit S. Auguſtinus lib. contr. Adimant. cap. 17 Operis cujuſdam Actorum S. Petri, in uſum Manichæorum, in quo duæ potiſſimum hiſtoriæ legebantur; altera nempe de filia S. Petri, ejuſdem Apoſtoli precibus paralyſi correptis; alia vero de filia cujuſdam hortulani, precibus ejuſdem Apoſtoli ſubita nece oppreſſa

Prædicatio S. Petri legitur apud S. Clementem Alexandrinum, Origenem, Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib 3. cap. 3. S. Hieronymum in Catal. v. *Petrus*. Opus erat Diſcipuli alicujus, Magiſtri ſui ſtudioſiſſimi. Duo ex eodem Libro poſteritati tranſmiſſa ſunt, illud nempe de Chriſto, qui digredienti ex Urbe Apoſtolo Petro occurrens, dixit: *Vado Romam iterum crucifigi* (7); quibus verbis vaticinium imminentis obitus ſui inſinuari Apoſtolos intellexit. Et aliud dictum Apoſtoli Petri ad uxorem ſuam, quæ ad martyrium rapiebatur: *Memento Domini* (*).

Apocalypſis S. Petri, paulo poſt obitum ejuſdem Apoſtoli facile ſcripta, refert oracula illius de excidio Jeruſalem atque de futuro Eccleſiæ ſtatu: oracula, inquam, ſi quæ alia, obſcura & ænigmatica. Longum ejus fragmentum ſervatur apud Lactantium Divin. Inſtit. lib. 4. cap. 21. in quo revelatio quædam Jeſu Chriſti ad Apoſtolos Petrum & Paulum, & ab illis

(1) *De Prædeſt. SS. c. 2. n. 4.* (2) *In Acta Præfat.* (3) *Vide Fabric. not. in Fragm. Apoſtol. apocryph. pag. 750.* (4) 2. *Timot. 4. 11. Lucas eſt mecum ſolus.*

(5) *Vide Fromond. ad Acta c. ult. pag. 709.* (6) *Vide Chryſoſt. hom. 1. in Acta pag. 3.* (*) *Bibl. Cod. 114.* (7) *Origen. in Jo. pag. 298.* (*) *Clem. Alex. Strom. l. 7. pag. 736.*

illis ad Romanos pro concione expoſita; revelatio, inquam, futuri adverſus Judæos belli, & malorum quæ miſeræ inde genti imminerent. Teſtatur Sozomenus lib. 7. cap. 19. ætate ſua adhuc legi Apocalypſim S. Petri in nonnullis Palæſtinæ Eccleſiis, die Paraſceves ſolemni.

Judicium S. Petri, de quo S. Hieronymus & Ruffinus, deſcribit terribile illud, quod Judæus manebat a Deo judicium. Opus eſt facile cum Apocalypſi confundendum.

Acta S. Pauli, non diu poſt ejuſdem Apoſtoli obitum prodierunt, quaſi in ſupplementum eorum, quæ S. Lucas in ſuo Opere omiſerat. Continent autem geſta & miracula ejuſdem Apoſtoli poſtremo ejus vitæ quinquennio, geſta nempe ab anno ſecundo adventus ipſius Romam, ubi Liber Actuum S. Lucæ deſinit. Duplo prolixior erat Liber, quam Acta Apoſtolorum Canonica [1]. Euſebius Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 25 cui ignotum non erat, de illo tamquam apocrypho & ſuppoſititio agit. Fragmentum ex illo laudat Origenes lib. 1. c. 2. Periarchon: *Quis hic eſt verbum animal vivens;* quæ facile ſententia ex prava interpretatione illius ad Heb. 4. 12. derivata eſt: *Vivus eſt ſermo Dei, & efficax.*

Acta S. Joannis Evangeliſtæ, in S. Epiphanio hæreſ. 47. & S. Auguſtino [2] nota, commentum fuerant Gnoſtici cujuſdam, eademque facile Pſeudo-Abdias in ſuo Opere inſeruit [3]. Hiſtoriolæ plures ſupra fidem, & ridendæ quædam fabellæ ibidem leguntur: repetit vero ſcriptor nuptias & uſum imaginum ac ſimulacrorum. Videſis Photium Cod. 114. in excerptis Actuum, quæ Lucius quidam ſive procudit ſive corrupit. Sunt autem Acta illa idem facile Opus ac Itinerarium S. Joannis apud Pſeudo-Athanaſium in Synopſi, dignum quo Encratitæ, Manichæi, & Priſcillianiſtæ uterentur.

Acta S. Andreæ Manichæis probata, nuptias averſabantur, quemadmodum apud S. Auguſtinum duobus ex eo libro prolatis teſtimoniis intelligimus [4]. Adverſarius Legis, & Prophetarum ab eodem S. Doctore refutatus l. 1. c. 20. non ſemel ſententiis ex eodem Opere laudaverat.

Acta S. Thomæ, Hæreticis illis juxta ac S. Auguſtinus teſtatur [5] erant in pretio. Sub tanti nominis obtentu ſuppoſitum fuiſſe Evangelium jam animadvertimus. Quædam in ſuum Opus ex illis tranſtulerat Pſeudo-Abdias; teſtatus inſuper, referri in eodem Libro iter S. Thomæ ad Indias, quæque in ea regione mala, & labores toleraverit. Fabellam hominis, in quem diræ imprecatus fuerat S. Thomas; quod ab ipſo alapa percuſſus eſſet, ex eodem Libro refert S. Auguſtinus.

Acta S. Philippi, una cum Evangelio ſub ejuſdem Apoſtoli nomine, ingerebant Gnoſtici [6]. Ejus Operis ſecundam partem, hiſtoriam Martyrii S. Andreæ complectentem, vidiſſe ſe in Bibliotheca quadam Anglica D. Millius [7] teſtatur.

Apocalypſis S. Pauli, ab Encratitis, tamquam promus condus myſteriorum ſuorum, fabricatum Opus. Tituli illius myſterium derivabant ex illo 2. Cor. 12. 4. *Scio hominem raptum uſque ad tertium Cœlum, & vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* De illo tamquam fabulis inferto Opere, & nullam in Eccleſia auctoritatem obtinente, agit S. Auguſtinus in Joan. tract. 98. num. 8. Equidem ſi Paulus ſupra hominis captum revelata ſibi myſteria prodit, quid tantum ſibi vindicant Hæretici, ut poſſint ea myſteria differere?

TABULA CHRONOLOGICA

In Acta Apoſtolorum.

AScenſio Jeſu Chriſti, feria quinta, 14. Maji: Pentecoſtes, & Spiritus S. illapſus, die Dominica 24. Maji (*).

Electio ſeptem Diaconorum.

Martyrium S. Stephani.

Prima Eccleſiæ perſecutio poſt obitum S. Stephani. Fideles longe lateque diſperguntur.

S. Philippus Diaconus, Samariæ fidem annunciat.

Eo veniunt SS. Petrus & Joannes, recens ad fidem converſis Spiritum S. collaturi. Simon Magus pecuniam illis offert.

34 S. Paulus in itinere Damaſceno ad fidem convertitur. In Arabiam ſecedit.

S. Petrus Lyddæ Æneam valetudini reſtituit; Tabitham in Joppe ad vitam revocat; Cornelium Centurionem baptizat.

37 *Tiberio defuncto Caligula ſuccedit.*

S. Paulus Damaſco ſeſe ſubducens, Jeruſolymam primum, deinde Tharſum venit.

41 *Cajus moritur. Claudius regnat.*

43 S. Paulus Tharſo relicta, Antiochiam concedit, ubi Diſcipulis tum primum data Chriſtianorum appellatio.

44 SS. Paulus & Barnabas Antiochia digredientes, Jeroſolymam veniunt.

Herodis Agrippæ juſſu, S. Jacobus Major interficitur; S. Petrus carceri traditur unde ab Angelo liberatur.

Herodes Agrippa Judææ Rex moritur. Judæa in poteſtatem Romanorum veniens, in Provinciam redigitur.

SS. Paulus & Barnabas initiantur Antiochiæ in Apoſtolos Gentium.

S. Paulus in Cypro Evangelium annunciat, atque Sergio Paulo perſuadet.

A. J. C. 45 S. Paulus Pamphiliam, Piſidiam & Lycaoniam excurrit.

45 Ex Aſia Antiochiam redit.

51 Concilium Apoſtolorum Jeroſolymis, ubi jugo legis relevandos Fideles ex Idololatria ad Sacra Chriſtianorum traductos, decernitur.

S. Petrus Antiochiam veniens, a S. Paulo corripitur.

SS. Paulus & Barnabas occaſione Joannis Marci mutuo ſecedunt.

A. J. C. 51. S. Barnabas in Cyprum una cum Joanne Marco contendit

S. Paulus una cum Sila Aſiam minorem petit. Timotheum, circumciſione prius initiatum itineris comitem aſſumit.

52 S. Paulus in Macedoniam proficiſcitur. Philippis Evangelium annunciat, ubi una cum Sila flagris cæditur.

Tendit inde Theſſalonicam, Berœam, & Athenas; ubi S. Dionyſium ad fidem traducit.

Corinthum veniens, moram ibi 18. menſibus trahit.

53 Priorem Epiſtolam ſuam ad Theſſalonicenſes, & paulo poſt ſecundam pariter ad ipſos ſcribit.

Coram Gallione Proconſule Achajæ ſiſtitur.

54 Corinthum deſerens, Epheſum, deinde Jeroſolymam, ac tandem Antiochiam concedit. Poſt pers-

(1) Legitur in veteri Mſ. Laudato a D. Cotelerio in Adnotationibus ad S. Barnabam, hæc Acta continere 4560. verſus: cum Acta Canonica in eodem Mſ. nonniſi 2500. contineant. (2) *De Fide c. 4. & 40. & in Adverſar. Leg. & Prophet. l. 2. c. 20.*

(3) *Abdias l. 5. Hiſtor.* (4) *De Fide contra Manich. c. 38.* (5) *Cont. Adimant. c. 17. & con. Fauſt. l. 22.* (6) *Leont. de Sectis.* (7) *Inter Codd. Barroccian. apud Millium Proleg. in N. T. G.* (*) *A. M. 4037. Æra Vulg. 33. Tiberii 20. J. C. 34.*

Digitized by Google

peragratam Galatiam & Phrygiam, Epheſo in exitu anni reſtituitur, ubi triennio manet, annis nempe 54. 55. 56. Quo temporis intervallo, Apollo Epheſum, ac deinde Corinthum proficiſcitur.

Claudius Imperator vita defungitur.
Nero imperante.

55 Seditio in S. Paulum Epheſi movetur.
Epiſtolam mittit ad Galatas, a Judæis in ſeditiones commotos.
56 Timotheum in Macedoniam & Corinthum mittit. Prior S. Pauli ad Corinthios Epiſtola.
57 Demetrius Epheſi turbas concitat in Apoſtolum.
Epheſum deſerens venit Troadem, inde in Macedoniam proficiſcitur.
Altera Epiſtola ad Corinthios per Titum miſſa.
S. Paulus Corinthum & Achajam petit, ubi tres poſtremos hujus anni menſes agit.
58 Epiſtola ad Romanos Corinthi data.
Græciam deſerens, Jeroſolymam contendit; inde Philippos proficiſcens, feſtum ibi Paſchæ celebrat. Tum Troade & Mileto pertranſiens, Jeroſolymam occaſione Feſti Pentecoſtes ſe confert.
A Judæis in Templo detinetur; e quorum manibus ſubductum Lyſias Tribunus apud ſe tenet, ac biduo poſt ad Felicem Judææ Præſidem Cæſaream mittit. Biduo ibi in carcere detinetur. Act. 24. 27.
60 Feſtus in Judææ Præfectura Felici ſubrogatur.
S. Paulus manibus Judæorum trandendum ſe a Præſide intelligens, Neronem appellat.
Navim conſcendens Ceſareæ, Myram Lyciæ appellit. Naufragium patitur ad Inſulam Melitam Octobri exeunte.
A.J.C. 61. Romam pervenit menſe Februarii, ubi uſque ad a. 63. biennio nempe, ſubſiſtit.
Oneſimum ad fidem convertit & ad Philemonem ſcribit.
Epiſtolæ ad Philippenſes & Coloſſenſes.
A.J.C. 63. Epiſtola ad Hebræos.
64 Prima ad Timotheum.
75 Secunda ad Timotheum.
Epiſtola ad Epheſios.
SS. Petrus & Paulus Romæ martyrium conſummant; anno duodecimo Neronis, Jeſu Chriſti 66.

DISSERTATIO
DE EPIGRAPHE ARÆ ATHENIENSIS.
IGNOTO DEO Actuum 17. 22.

Athenarum Urbem ingreſſus Apoſtolus, totamque Idololatriæ ſuperſtitionibus implicitam nactus, a lacrymis vix ſe continuit. Nulla non die ad Synagogas Judæorum, ſive ad publicum Urbis forum ſe conferens, qua diſputationibus, qua argumentis Judæos & Philoſophos revincebat. Doctrinæ novitate commoti Philoſophi illi, viro denunciarunt, ut coram Areopago ſe ſiſtens, doctrinæ ſuæ veritatem viris illis doctiſſimis approbaret. In medio igitur ampliſſimi cœtus ita peroravit Apoſtolus: *Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video. Præteriens enim videns ſimulacra veſtra, inveni & Aram, in qua ſcripsum erat: Ignoto Deo. Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.*

Quod Ignotum hoc Numen; quid Ara; quis Inſcriptionis ſenſus; qua occaſione & quonam Authore appoſita, diſquiritur. S. Hieronymus in Epiſt. ad Tit. c. 1. quem ducem ſequuntur plures ex Interpretibus [1], ſuſpicatur, totam Aræ hujus inſcriptionem in hanc ſententiam conceptam fuiſſe: *DIIS ASIÆ ET EUROPÆ ET AFRICÆ. DIIS IGNOTIS ET PEREGRINIS*. Maluiſſe autem Apoſtolum plurale in ſingulare transferre, quo populis illis monſtraret, coli ab eis Numen quoddam incognitum.

Malunt alii, deſignari vetuſtiſſimum quoddam Altare Athenis dedicatum authore Epimenide Philoſopho, occaſione peſtis tota Urbe graſſantis. Conſultum enim ea de re Oraculum declaraverat, ad cohibendam luem expiari oportere atque luſtrari Urbem [*]. Accitus ea de cauſa e Creta Epimenides clari nominis Philoſophus vel Magus, qui 600. circiter annis ante Chriſtum florebat, acturum Athenas ſe conferens, oves albas nigraſque aliquas in ſuperiorem Urbis partem, ubi ſitus eſt Areopagus, deduxit. Hic ſolutas dimiſit, mandatis onerans certos quoſdam viros, ut errantes, palanteſque ſequerentur; & cum ſponte ſua quieſcerent, immolarent Deo loci vicinioris, ſive Deo cui maxime oporteret. His executioni mandatis, ſtatim lues ceſſavit. Factum inde; ait Diogenes Laertius, ut noſtra etiam ætate, [nempe diu jam ſecundo Eccleſiæ ſæculo incœpto] in agro viciſque Atticæ erecta quædam Altaria occurrant, in memoriam hujus expiationis, Dei nullius nomine inſcripta. Ferunt itaque, Altaribus hiſce nullam peculiarem inſcriptionem apponi conſueviſſe; vel ſi quam forte addebant, hæc tantum Deum quemcumque præſeferebat, qui ejus morbi Author extiterit, ſive Deum, qualiſcumque ille eſſet, cui ea expiatione litaretur. Huc igitur ſpectaſſe Apoſtolus creditur [2].

Aram ignoti Dei deprehendiſſe ſibi aliqui blandiuntur [3] in Pauſania, Philoſtrato & Luciano. Namque Pauſanias & Philoſtratus authores ſunt, coli Athenis Aras inſcriptas: *Diis ignotis* [4]; i. e. ait Grotius, plura erant hujus generis Altaria, quorum ſingulis addi poterat ſingularis epigraphe: *Ignoto Deo*. Et Lucianus, ſive quis alius Author Dialogi Philopatris, jurat per *Deum ignotum Athenarum*. Addit inſuper: *Cum Athena veniſſemus, Deum ignotum nacti, cultu & gratiarum actionibus porrectis in Cœlum manibus venerati ſumus.*

Nons abs re ſuſpicaremur, *Deum ignotum*, de quo S. Paulus, eumdem eſſe, qui apud Scriptores iſtos legitur. Scripturæ textum reddunt Syriacus & Arabicus: *Deo occulto*; Deo nempe, cujus nomen latet. Ad Aras a Dionyſio Laertio memoratas quod ſpectat, cum nullam præſeferrent epigraphem, uti ab eodem Scriptore traditum eſt, aliæ plane eſſe debuerant, ac Altaria illa ab Apoſtolo laudata. Si vero aliam habebant, quam quæ ab eodem Apoſtolo traditur, *Ignoto Deo*, cur ad Deum ab Apoſtolo inſinuatum Aræ ille referantur, nihil eſt. Ad hæc, Epimenidis Altaria in agro & in locis, ubi palantes oves quieverant, erecta credenda ſunt; cum Aram, de qua modo urbs ipſa Athenarum intra ſuum ambitum contineret. Aræ illæ dicatæ, juxta S. Hieronymum [5], *Diis Aſiæ, Europæ, & Africæ, Diis Ignotis & Peregrinis*, inſcri-

(1) *Eraſm. Lud. de Dieu.* (*) *Diog. Laert. lib. 1. in Epimenide.* (2) *Grotius, Voſſius, Beza hic. Breda. Miſcell. lib. 2. cap. 2. Caſaubon. ad Laert. Selden. de Syned. lib. 3. cap. 13. Hammond. alii.* (3) *Vide Grot.* (4) *Pauſan. Attic. Philoſtr. lib. 6. cap. 2.* (5) *Jeron. in Epiſt. ad Tit. 1. 12.*

inſcriptionem habebant plane aliam, quam quæ ab Apoſtolo refertur; ut proinde Altaria illa deſignare voluiſſe Paulum vix noſſe potuiſſent Areopagitæ. Paolo aliter hanc inſcriptionem reddunt Oecumenius & Theophylactus: *Diis Aſiæ, Europæ, & Africæ, Deo Ignoto, & Peregrino*, in ſingulari; quod magis ad Apoſtoli ſenſum accedit. Sed pronior eſt inſcriptio a S. Hieronymo tradita. Volebant ea religione Athenienſes ſuppleri iis, quæ forte imprudentes in cultu ſingulorum Numinum omiſiſſent. Quare Divinos ſimul honores rependebant Numinibus, per univerſas terrarum orbis regiones cultis, omnibus in unam Altaris & dedicationis religionem collatis. Quę ſi ita fuiſſent, quomodo Apoſtolos verba ad Areopagitas faciens, veniſſe ſe nuncium jactare poterat illius Dei, cui uſque adhuc divinos honores inſcii rependiſſent? Non de uno agebatur Deo, ſed de Numinibus, per univerſum omnibus.

Quid, rogo, Numen iſtud ignotum, cui Athenienſes Aras dedicaverant? Numquid divini honores rependantur ignoto? Nonne myſterium aliquod in eo ſilentio vel ignorantia Numinis latet? Suſpicantur quidam ex Interpretibus [1], ſub ejus inſcriptionis ambagibus latere Deum Cœli univerſi Authorem. Non obſcure id Apoſtolus ad Athenienſes verbis inſinuat. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis. Deus, qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic Cœli & Terræ cum ſit Dominus, non in manufactis Templis habitat.* Moris erat apud Judæos, nullo peculiari nomine Deum ſuum deſignare; cum interim Pagani, & nomine, & origine, ſexuum diſcretione, Imperiis & nominibus diſtinguerent. Deum Hebræorum *Dei Cœli* nomine deſignabant alienigenæ [2]; Dei ineffabilis, inviſibilis [3], altiſſimi, æterni. Judæi pariter nomen ineffabile *Jehova* ſive pronunciare abſtinebant, vel non ſine magna reverentiæ ſignificatione auguſtiſſimum illud nomen effabantur. Samaritani, quibus idem erat ac Judæis Deus, Antiocho Epiphani declararunt [4], erectum a Patribus ſuis in monte Garizim Templum ignoto & ſine nomine Deo, cui ad eam uſque ætatem thura & divinos honores impendiſſent; eſſe ſe tamen paratos exinde, ut juſſionibus illius obtemperarent, Græcum Jovem in eodem Templo dedicare. Deum Judæorum incertum appellat Lucanus Pharſal. lib. 2.

.... Et dedita Sacris.
Incerti Judæa Dei.

Non abs re igitur ſuſpicaremur, Athenienſes populos, ſi quos alios, ſuperſtitioſiſſimos, qui hoſpitium in Urbe ſua, ut eorum phraſi utamur [5], nemini Deorum negandum ſibi arbitrabantur; id pariter intendiſſe, ut Hebræorum Numini ſuum aſſignarent locum, Hebræorum, inquam, Numini, quod gentem omnibus imbutam doctrinis, atque curioſa omnia ſectantem latuiſſe vix credimus.

S. Chryſoſtomus in Acta autumavit, Deum illum Athenienſium incognitum, ipſiſſimum fuiſſe Jeſum Chriſtum. Athenienſes enim, qua tenebantur ſuperſtitione, poſt collectum fere ex omnibus mundi Numinibus collegium, veriti ne ſedulitatem atque diligentiam ſuam aliquod fugiſſet, cui cultus & honores pro merito impenderentur, huic, ſi forte aliquod fuiſſet, Numini Aram excitarunt, hac adjecta epigraphe: *Ignoto Deo*. S. Paulus, quem novi Numinis cultum in Urbem invehere tentantem, reum violatarum legum accuſabant, ab ea ſe accuſatione defendit, oſtendens nihil ſe novi annunciare, quippe qui Deum prædicaret, cui ignorantes antea proſternebantur; Deum nempe Creatorem Cœli & terræ, ex quo ſalus in omnes homines proveniſſet. Huc ſane Paulus collimabat: numquid vero eadem ſentiebant Athenienſes?

Hiſtoria Scholaſtica, ſubleſtæ fidei, & apocryphis inſertum opus, narrat S. Dionyſium Areopagitam aliquot ante converſionem ſuam annis, cum literis vacaret in Ægypto, ſpectaſſe præter conſuetas naturæ leges eclypſim ſolis & lunæ, quæ in obitu Jeſu Chriſti contigit, atque id apud ſe reputaſſe, nimirum ignotum aliquem Deum dura tolerare; quare Athenas reſtitutum, ut ignoto illi Numini ſuus maneret cultus, in Urbis foro Aram hanc excitaverat, de qua Apoſtolus Paulus verba deinde in Areopago fecerit. Hæc, invita licet Minerva ab Authore tradita, approbatore & quidem frequenti non carent [6].

Nec magis moramur duas vel tres alias fabellas a Theophylacto & Oecumenio relatas. Cum Athenienſes bellum aliquod ſuſcepiſſent, ingenti prælio victi, animis deſponderant, cum ſubito quodam ſpectro monentur, ſiniſtræ hujus fortunæ in cauſa fuiſſe, quod nullo ipſum honore apud illos coleretur; & cum nullum eſſet Numen, quod ſuis ludis in Urbe Athenarum careret, ipſe unus tantum negligeretur. Evanuit illico ſpectrum, ne nomine quidem ſuo indicato. Hæc Athenienſibus erigendi Templum ignoto Deo ratio ſuccurrit.

Alitar rem narrat Oecumenius. Violento quodam morbi genere correpti Athenienſes, morbido quodam calore adeo torrebantur, ut ne tenuem quidem aliquem corporis amictum paterentur [7]. Fruſtra Deos, quoſcumque urbs Athenarum colebat, ſupplicationibus fatigabant. Cum vana omnia intelligerent, ſuſpicati in tantum ſe veniſſe malorum ex indignatione Numinis cujuſdam, quod ſe neglectum ægre ferret, Aram ignoto Deo excitarunt. Ejus altaris epocham alii conſtituunt tempore belli Perſarum in Gręcos. Ea occaſione Athenienſes ſuppetias rogaturi, Philippum ad Lacedæmonios miſerunt. Eunti obviam factus Deus Pan in monte Parthenio, atque acerbe de Athenienſibus expoſtulavit, quod ſolus inter Numina ab illis negligeretur; ſcirent autem, ſe ſiquidem debito apud illos honore non fraudaretur, ope illos ſua juvaturum. Poſt devictos Perſas, Ara huic Numini excitata eſt, cui inſcriptionem hanc ſubjiciendam duxerunt: *Ignoto Deo*; metu ſcilicet ne alterius Dei, cujus imprudentes cultum neglexiſſent, indignationem poſthac ſubire cogerentur. Sed fabellis hiſce fides ab alio non magis, quam ab iiſdem ipſis Authoribus, detrahitur; nullum enim illis in antiquitate, nec in genuina aliqua hiſtoria fundamentum.

Veram erigendæ hujus Aræ ignoto Deo cauſam docuit facile S. Chryſoſtomus. Athenienſes, qui ceteros omnes ſuperſtitione vincebant, ne quem Deum neglectum a ſe unquam arguerentur, ignotis etiam & incertis divinos honores ferebant. Neque id genti ſingulare. Incertis Numinibus Aræ Romæ pariter dedicabantur. *Invenio plane ignotis Deis Aras proſtitutas, ſed Attica Idololatria eſt; item incertis Deis, ſed Romana ſuperſtitio eſt*, ait Tertullianus contra Marcion. cap. 9. Strabo pariter aſſeverat lib. 3. pag. 156. Celtas anonymum quoddam, vel ſibi incogniti nominis Deum coluiſſe. In Theologia Paganorum docetur, loca quædam, nemora, & arva ab incognitis Diis habitari.

Quis Deus, incertum eſt: habitat Deus.

Ovidius poſt narratam mundi creati hiſtoriam, de Deo ejus authore, tamquam de ignoto quodam Numine, agit Metamor. lib. 1.

Sic ubi diſpoſitam quiſquis fuit ille Deorum,
Congeriem ſecuit.

Macrobius Saturn. lib. 3. cap 9. obſervat, tutelaria Urbium Numina plerumque in occulto manere, ne in obſidionibus invocarentur. Genuinum Urbis Romæ, & Genii illius nomen hodie uſque latet. Quare eum

(1) *Vide Sanct. Cornel. Lerin. Menoch. Baron.* (2) *Jon.* 1. 9. *Dan.* 2. 18. & 5. 23. *Judith* 5. 9. (3) *Dio Caſſ. Arreton, cai atiden.* (4) *Joſeph. Antiquit. lib.* 12, *cap.* 7. *pag.* 410.

(5) *Vide Act.* 17.22. *Joſeph. l.* 2. *cont. Appion. Sophocles, alii apud Grot. in Act.* 17.22. (6) *Vide Sanct. Hugonem, Salmer.* (7) Fromondus conjicit eamdem eſſe luem, de qua Thucidides *hiſt. lib.* 2.

Digitized by Google

cum ubi eſſe Urbis Numina invocarentur, hæc erat precandi formula: *Si Deus, ſi Dea eſt, cui Populus Civitaſque Carthaginienſis eſt in tutela &c.* Cum terræ aliquis motus contigiſſet, ſolebant veteres Romani ferias aliquas indicere [1], litando Numini hujus prodigii authori. *Sed Dei nomen, ita uti ſolet, cui ſervari ferias oporteret, ſtatuere, & edicere quieſcebant; tam ne alium pro alio nominando falſa religione populum alligarent; tum quia & qua vi, & per quem Deorum terra tremeret, incertum eſſet.*

Sed his ita conſtitutis, ſi Athenienſium Deus Numen erat extraneum, incertum, ambiguum, incognitum, cui Populus ille cultum redderet impium & ſuperſtitioſum, qui edicere potuiſſet Apoſtolus, ipſum eſſe Cœli, terræque authorem Deum vel æternum ejus Filium mundi Servatorem? Si Deum Hebræorum Athenienſes norant, cur non aperta religione Aram illi dedicarunt, ſed inſcribere maluerunt: *Ignoto Deo?* Quomodo tandem noſſe potuerunt Jeſu Chriſti divinitatem, quam ſoli tunc noverant ejus Diſcipuli, negabant vero Judæi? Inviſa erat tunc temporis Judæorum religio apud Paganos; nec ſane conciliandæ illorum Numini apud Athenienſes reverentiæ plurimum conferebant ea, quæ de ipſo Hebræorum Deo, atque ratione ejus colendi in Templo Jeroſolymitano ferebantur. Sparſerant enim in vulgus, coli ab ea gente aſinum, vel ſuem, vel caput aſini aut hominis, ſeu nubes & Cœlum [2].

Nil præter nubes & Cœli Numen adorant.

Hiſce omnibus reponendum eſt, numquam reapſe Apoſtolum voluiſſe, Deum Cœli ſive ejus Filium æternum, qui pro mundi ſalute hominis carnem induiſſet, ab Athenienſibus divinis honoribus cultum demonſtrare, ſed illud reputaſſe tantum, ut vagum incertumque eorum cultum determinaret; Deum annuncians, quem ipſi ad id uſque temporis ignoraſſent, dignum alioqui quem unice venerarentur. Deum colitis ignotum: ego vobis annuncio Nomen aliud ignotum, & dignum, in quod obſequia omnia veſtra & honores transferatis. Cetera omnia, quæ ſub generali hac epigraphe Deorum ignotorum, cujuſcumque ſint nominis, generis, & regionis, colenda vobis propoſitis, neque Dei ſibi nomen jure meritoque vindicare poſſunt, & multum illi ſingulari veroque Deo concedunt, cui honor & obſequia hominum, tamquam debitum aliquod vectigal, pendenda ſunt.

S. Auguſtinus contr. Creſc. lib. 1. cap. 29. ne ambigit quidem, Athenienſes ſub obtentu ignoti Numinis verum Deum coluiſſe; potius inſuper tamquam certum ideam aliquam vagam & confuſam veri Numinis gentis illius mentibus inſediſſe; quare eorum cultum comparat cultui, quem Schiſmatici extra Eccleſiam Deo rependunt. Volebat igitur Apoſtolus, ut eumdem Deum, *quem præter Eccleſiam ignoranter neque inutiliter colebant, in Eccleſia ſapienter & ſalubriter colerent.* Sed hæc Auguſtini comparatio inter cultum Athenienſium & Schiſmaticorum in eo tantum verſari credenda eſt, quod utriuſque generis cultui nulla eſſet utilitas. Schiſmatici enim profecto Dei, quem colunt, abſolutam habent ideam; cum interim Athenienſes & verum Deum penitus ignorarent, & referre illi divinos honores ne cogitarent quidem. Metu tantum adducti, ne forte aliquem Deum negligerent, Aram ignoto Deo excitarunt, ne cogitantes quidem Deum Hebræorum, cujus facile nomen necdum audierant. Apoſtolus vero familiari ſibi ſermonis figura, ex occaſione ignoti & incerti Dei, loquendi anſam ſuſcepit, & annunciandi Deum, quem ipſi ignorarent, in quem porro præſtita aliis omnibus obſequia transferenda eſſent.

D I S S E R T A T I O

De Baptiſmo Jeſu Chriſti nomine collato.

Baptiſmi conferendi formulam ſatis aperte Apoſtolis ſuis Jeſus Chriſtus tradiderat illis Matth. 28. relatis verbis: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Hujus Textus evidentia perſuaſi Chriſtiani omnes Interpretes olim, & nunc etiam, ſemper Baptiſmum in ea verba adminiſtrarunt, atque adminiſtrandum duxerunt. Quamvis enim in ceteris ejus Sacramenti ritibus & ceremoniis nonnihil apud diſſitas nationes varietur; nomen SS. Triadis ab omnibus idem religioſiſſime ſervatum eſt. Apud Græcos & Orientales omnes, exceptis Cophtis, in hæc verba Sacramentum adminiſtrabatur: *Baptizetur talis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Cophtæ ita uſurpant: *Ego te baptizo in nomine Patris, amen. Ego te baptizo in nomine Filii, amen. Ego te baptizo in nomine S. Spiritus, amen.* Ritus Jacobitiens Severi Antiocheni habet: *Baptizetur talis in nomine Patris, amen: Filii, amen. S. Spiritus amen.* In alio Rituali legitur: *Ego baptizo talem agnum gregis Jeſu Chriſti in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti ad vitam æternam.* Hæ ſolemnes apud Orientales formulæ [3].

In Eccleſia Latina ubique ſervatum eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* In vetuſtis quibuſdam Ritualibus legitur [4]. *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ut habeas vitam æternam.* In aliis: *Baptizo te credentem in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ut habeas vitam æternam in ſecula ſeculorum.* In aliis: *Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. unam habentem ſubſtantiam, ut habeas vitam æternam, & partem cum Sanctis.*

Prætereo formulas ſuperſtitioſas ſeu irritas, rejectas ab Eccleſia, de quibus nonnihil infra afferemus. Solum hic immorandum in Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti tantum collato: cujus occaſione duo in examen revocanda ſunt. 1. An Sacramenti illius formula unquam obtinuerit. 2. An legitima authoritate permiſſa ſit olim, & nunc etiam ſaltem ad Sacramentum valeat.

S. Lucas in Actis non infrequenter meminit Baptiſmi in nomine Jeſu Chriſti: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum veſtrorum* [5]. Et alibi [6]. *In nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri, ac mulieres.* Et alibi etiam [7]. *Nondum enim in quemquam illorum venerat,* (ſcilicet Spiritus Sanctus) *ſed baptizati tantum erant in nomine Domini Jeſu.* Tandem S. Petrus baptizavit Cornelium [8]: *Et juſſit eos baptizari in nomine Domini Jeſu Chriſti.* Et rurſus [9]: *His auditis, baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu.* Factum hoc non ſemel, non per tranſcurſum, non data forte occaſione, non ambiguis æquivocantibuſque res prodita vocibus. Nec luculentius unquam nec apertius promereretur quid præſtitum ſit a Fidelibus, inſtitutione edoctis, & Baptiſmo initiatis ab ipſis Apoſtolis, vel ſub eorum oculis; aperte enim aſſeritur, Baptiſmo illos in nomine Domini Jeſu initiatos fuiſſe.

Plu-

(1) *Gell. lib. 2. cap. 28.* (2) *Juven. Sat. 14.* (3) *Renaudot tom. 4. Perpetuit. Fidei l.2. cap.5.* (4) *Martene de Antiquis Eccl. Ritib. p.166.* (5) *Act. 2.38.* (6) *Act. 8.12.* (7) *Act. 8.16.* (8) *Act. 10.48.* (9) *Act. 19.5.*

Plures ex Patribus, nec rara Concilia, in ea quidem fuerunt perſuaſione, collatum ab Apoſtolis Baptiſma in nomine Jeſu Chriſti, nullo caeterarum Triadis Perſonarum nomine expreſſo. S. Hilarius [1] alte edicit, neque prævaricatione accuſandos Apoſtolos, neque damnandas tamquam ſibi ipſis contrarias Scripturas, ſi ſemel prodant Apoſtolos juſſos fuiſſe Baptiſmate initiare fideles in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. ipſos vero Apoſtolos Sacramentum ipſum in nomine Jeſu Chriſti conferre ſatius duxiſſe. Agnoſcit ergo S. Doctor repugnantiæ ſpeciem aliquam inter Evangelium & Acta, in eo ſcilicet, quod Chriſtus aliter conferendum juſſerit, aliter vero Apoſtoli reapſe Baptiſma contulerint; quam tamen Apoſtolorum, ſi ita loqui fas eſt, tranſgreſſionem nequaquam damnandam, neque tamquam ſibi minus conſtantes rejiciendas eſſe Scripturas defendit.

Vetus Author, qui Baptiſmi reiterationem adverſus S. Cyprianum negat, fuſius demonſtrandum ſuſcipit [2], eos qui extra Eccleſiam Baptiſmate in nomine Jeſu Chriſti collato tincti ſunt, nequaquam iterato Sacramento, ſed impoſitione tantum manuum, quo Spiritum S. recipiant, in Eccleſiam admitti oportere; arbitratur enim, Baptiſma illud conferendo Spiritui S. impar habendum. Demonſtrat tandem, illud Jeſu Chriſti in Evangelio: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* nihil repugnare iis, quæ de Baptiſmo in nomine Jeſu Chriſti collato narrantur. Quamquam enim, ait, Eccleſiæ moribus receptum eſt ut Sacramentum illud nomen SS. Triadis, præſeferat; invocatio tamen nominis Jeſu Chriſti non inutilis habenda eſt, quod ſanctiſſimum illud nomen tanta pollet virtute miraculorum, ut nec Infidelium ore prolatum vacuum ſit prodigiis. Inſinuare videtur Scriptor ille apud quoſdam Hæreticos, Sacramentum Baptiſmi in nomine tantum Jeſu Chriſti conceptum fuiſſe, quo ſemel initiatos recipiendos ſtatuit in Eccleſiam, una tantum ſupplera manuum impoſitione, ad Spiritum Sanctum, quo extra Eccleſiam nemo donatur, conferendum.

Obſervat S. Ambroſius de Spir. S. lib. 1. cap. 3. num. 41. 42. eos, qui Baptiſmo tantum Joannis Baptiſtæ initiati fuerant, novo iterum Baptiſmate tingendos, Apoſtolos edixiſſe, quippe qui Spiritum S. ne nomine quidem norant. Baptizatos autem illos dicit in nomine Jeſu Chriſti, quod non ſecundus erat baptiſmus poſt alium Joannis Baptiſtæ collatus, ſed primus omnino; neque enim baptiſma Joannis verum erat baptiſma. *Baptizati ſunt itaque*, ait, *in nomine Jeſu Chriſti, nec iteratum eſt in his Baptiſma, ſed novatum. Unum enim Baptiſma.* Addit inſuper. *Plenum eſt autem* [Baptiſmatis ſacramentum] *ſi Patrem, & Filium, Spiritumque Sanctum fatearis. Si unum neges, totum ſubruis. Et quemadmodum ſi unum ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum, ... plenum erit fidei ſacramentum.* Conſtat igitur, juxta mentem S. Doctoris, Baptiſma, ſive in nomine totius SS. Trinitatis, ſive unius tantum Perſonæ concipiatur.

Hac S. Ambroſii authoritate utitur Nicolaus I. in reſponſione ad Conſult. Bulgar. c. 104. in Collect. Concil. ad A. 858. demonſtrans, eos, qui Baptiſmate initiati ſunt extra Eccleſiam, ſive in nomine SS. Trinitatis ſive Jeſu Chriſti, tantum cum ad Eccleſiam venerint, novo collato Baptiſmate recipiendos non eſſe: *Hi profecto ſi in nomine S. Trinitatis, vel tantum, in nomine Chriſti, ſicut in Actis Apoſtolorum legimus, baptizati ſunt,* [*unum quippe idemque eſt, ut Sanctus exponit Ambroſius*] *conſtat eos non eſſe denuo baptizandos.* Quæ Pontificis verba duo probant. 1. In eum ſenſum exponendam eſſe authoritatem S. Ambroſii alioqui ambiguam; 2. Pontificia ſanctione certum eſt, Baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti collatum ratum aſſertumque habendum.

Eamdem ſententiam in eo confirmare viſus eſt S. Ambroſius [3], quod aſſerto ſemel Baptiſmo in nomine tantum Jeſu Chriſti collato, recta inde conſecutione deducit, ratum etiam haberi oportere Baptiſmum in nomine S. Spiritus, ac tandem perinde judicandum de Sacramento in nomine alterius cujuſque in Trinitate Perſonæ: *Quia*, ait, *qui unum dixerit, Trinitatem ſignavit.* Laudat in eam rem illud Act. 1. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu S. &c.*

Beda Venerabilis in Act. poſt laudatam S. Ambroſii authoritatem, hunc illi ſenſum vindicat; certumque conſtituit, Baptiſmum in ſolo Jeſu Chriſti nomine collatum nihil habere vitii; qua in re ſubſcribere ſe ſententiæ S. Ambroſii teſtatur.

In eamdem ſententiam non obſcure deſcendit Concilium Forojulienſe A. 791. Poſtquam enim ſibi Patres illius Concilii oppoſuiſſent: *Cur Magiſter in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; & Diſcipuli in nomine tantum Jeſu præcipiunt baptizari? Numquid aliud veritas per ſemetipſam docuit, & aliud Diſcipuli Veritatis; vel aliam formam doctrinæ Eccleſiis tradiderunt?* Reſpondent deinde: *Abſit hoc. Sacramentum Sanctæ Trinitatis, quam Magiſter & Dominus tribus enumeratis Perſonis in uno tamen nomine voluit demonſtrare; hoc ejuſdem veritatis Diſcipulis in una de Trinitate perſona, i. e. Filii, totam ſanctamque Trinitatem eſſentialiter, Sancto ſibi revelante Spiritu, intelligere meruerunt.*

Conſultus [4] S. Bernardus num retinendus eſſet Baptiſmus a Laico quodam miniſtratus *in nomine Dei & veræ ac Sanctæ Crucis*; reſpondet ratum quidem haberi, eadem, quam ſupra ex S. Ambroſio deduximus, ratione; ſub Dei nempe invocata nomine totam ab eo homine comprehenſam Trinitatem; ſicut & ſub appellatione Sanctæ & veræ Crucis totum revelari meritum Paſſionis Jeſu Chriſti. *Legimus*, addit, *in Actibus Apoſtolorum non modo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, verum & in nomine Domini Jeſu Chriſti aliquos baptizatos.* Quid apertius pro iſta ſententia?

Concilium Nemauſenſe a. 1284. ratum pronunciat Baptiſmum in hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti.* Gemina edicit in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus Elias Epiſcopus Uticenſis. Favet huic ſententiæ Hugo de S. Victore de Sacram. lib. 1. cap. 13. S. Bernardo coævus; favet Magiſter Sententiarum [5]. Petrus Pictavienſis lib. 5. Sentent. cap. 5. qui quingentis ab hinc annis ſcribebat, quærit an formula illa, *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti*, rata tenenda ſit. Affirmat ille quidem: quamquam enim, ait, legitima & conſueta miniſtrandi Sacramenti formula illa habetur: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; latia tamen ſuperque tres illæ Perſonæ in uno eodemque Jeſu Chriſti nomine continentur. Pater nempe qui unctionem donat, Filius qui recipit, & Spiritus Sanctus per quem unctio producitur.

Alexander Alenſis part. 4. qu. 23. ad 8. S. Thomæ Magiſter, atque ipſe demum S. Th. 3. part. quæſt. 66. art. 6. miniſtratum ab Apoſtolis Baptiſma in nomine ſolius J. C. negare quidem non audent; quamquam factum id quidem defendunt diſpenſatione quadam, in prærogativam nominis J. C. illis temporum circum-

(1) *De Synodis n. 85. Ne poſtremo Apoſtoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti juſſi, tantum in nomine Jeſu baptizarunt.* (2) *To. 1. Concil. pag. 770. Poſt illum qui foris quidem, ſed in nomine J. C. Dominicum acceperunt Baptiſma..... an iteratum Baptiſma his neceſſarium eſſet, ut ſi numquam baptizati in nomine Jeſu Chriſti forent.* Et pag. 773. *Niſi quoque in illo ſuperiore tractatu circa eos, qui tantummodo in nomine Chriſti Jeſu baptizati fuerint, ſtatuas etiam ſine Spiritu Sancto poſſe ſalvos fieri.* Et pag. 775. *Nec æſtimes huic tractatui contrarium eſſe quod dixit Dominus: Ite, docete gentes: tingite eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Quia cum hoc verum & rectum, & omnibus modis in Eccleſia obſervandum ſit, & obſervari quoque ſolitum ſit, tamen conſiderare oportet, quod invocatio nominis Jeſu non debet a nobis futilis videri.* (3) *Ambroſ. lib. 1. de Spiritu Sancto c. 3. num. 44.* (4) *Epiſt. 403. nov. edit. ad Henric. Aurelian.* (5) *In 4. Sentent. diſt. 3. cap. Sed quod, &c.*

cumſtantiis neceſſariam. Joannes de Raguſa Ordinis Prædicatorum in ſua Oratione de Communione ſub utraque ſpecie in Concilio Baſileenſi obſervat, præſcribi quidem a Magiſtro Diſcipulis ſuis miniſtrandi Baptiſmatis formulam in ea verba: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; ſed vetere iſta ab Apoſtolis omiſſa, ait, alia invecta eſt, cœpto miniſtrari Baptiſmate ab Apoſtolis paulo poſt Pentecoſtem ſub una nominis Jeſu Chriſti invocatione. Cajetanus Cardinalis [1] & miniſtratum ab Apoſtolis Baptiſmum in nomine ſingularis Trinitatis Perſonæ, & ratum habendum eſſe, ſi nunc pariter conferretur, defendit. Hæc quidem ſententia expuncta eſt in ſecunda Operum illius editione Romæ adornata; ſed in priori diſerte legebatur: ſicut non obſcuris verbis adſtruitur in Operibus Adriani VI. Pontificis, Romæ, eo rerum potiente, euſis [2]. Factum id pariter concedunt Scholaſtici non in frequenti numero, rati Baptiſmum quidem olim ſub una nominis Jeſu Chriſti invocatione miniſtratum fuiſſe.

Defendunt vero alii, numquam niſi ſub expreſſa trium SS. Trinitatis Perſonarum invocatione Baptiſmum ab Apoſtolis miniſtratum. Fruſtra vero pro adverſa ſententia laudari dicunt verba illa Actuum 2. 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*; ſicut & alia ſupra a nobis relata. Nihil enim illis inſinuatum volunt, niſi Baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti inſtitutum, ejus nomine annunciatum, ac tandem ejus authoritate aſſertum fuiſſe; vel, ſi mavis, initiari jubentur Baptiſmate Fideles, poſt invocatum nomen Jeſu Chriſti, i. e. poſt confeſſionem ejuſdem nominis; quod perinde eſt, ac ſi profiteri juberentur Jeſum Chriſtum Deum eſſe: qua prævia confeſſione, deinde Baptiſmate ablueretur [3].

Ita reddunt verba Sacræ Scripturæ recentiores plerique Interpretes [4]; namque Baptiſmate initiare in nomine Jeſu Chriſti uſurpatum eſt per oppoſitionem ad Baptiſmum Joannis Baptiſtæ, ſive Phariſæorum. Fateamur tamen oportet, Theophylactum, Dionyſium Chartuſianum, Hugonem Cardinalem verba illa, *In nomine Jeſu Chriſti*, ad literam interpretari. Ita vero mentem ſuam explicat Dionyſius Chartuſianus. Docuerit licet, inquit ille, Jeſus Chriſtus Apoſtolos Baptiſmum in hæc verba miniſtrandum: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; viſum eſt tamen Apoſtolis, ceteriſque ſub ipſis Eccleſiæ exordiis Diſcipulis, non ſine Spiritus Sancti inſtinctu, aliam baptizandi formulam habere ſolemnem, in hæc verba conceptam: *Ego te baptizo in nomine Jeſu Chriſti*; quod ab illis ea præſtitum eſt ratione, ut veneratio & honor ſanctiſſimo nomini apud Gentes magis magiſque conciliaretur. Qua in re detrahebatur priſtinæ Baptiſmi formulæ; tota enim Trinitas ſub una Jeſu Chriſti invocatione cenſebatur. Paria ferme habet Theophylactus in Acta 2. 38. Hæc, ait, Apoſtoli Petri verba alteri ex Evangelio authoritati non repugnant. Apoſtolus injungit: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*; & Chriſtus: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Eccleſia enim nullam in Trinitate diviſionem agnoſcit; quare miniſtratum ſub invocatione nominis Jeſu Chriſti Sacramentum, ſub ipſa pariter Sanctiſſimæ Trinitatis invocatione cenſendum eſt; neque enim inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum diviſum eſt quidquam, & diſcretum in partes.

Ex hucuſque deductis recta conſecutione ſtatuitur, e. Actuum Textum, quo miniſtratum in nomine Jeſu Chriſti Sacramentum habemus, non ita neceſſario explicandum eſſe, quaſi ſub invocatione nominis Jeſu Chriſti tantum olim conſtiterit Baptiſmus. Illud enim quod in Scriptura legimus, *In nomine Jeſu Chriſti*, commode exponi poteſt de Baptiſmo a Jeſu Chriſto inſtituto, ejus præcepto miniſtrando, ac juxta formulam ab illo præſcriptam nempe ſub Patris, Filii, & Spiritus Sancti invocatione. 2. Patres, Concilia, Theologi de Schola, & Interpretes ſupra a nobis laudati, in ea fuiſſe quidem ſententia videntur, collatum reapſe in primitiva Eccleſia Sacramentum in nomine Jeſu Chriſti tantum; cum autem in re ſimus facti, cujus nullum afferunt documentum, niſi textus cujuſdam obſcuri, & ambigui authoritatem; cum, inquam, de facto quodam agendum ſit, vix alioqui perſuadendo, [quis enim credat Diſcipulos aliter præſtitiſſe in re tanti momenti, quam quod Jeſus Chriſtus ſuis ipſe verbis docuerat?] inde facile concipimus falli potuiſſe Patres, tum in facto ipſo aſſerendo, tum in deducendis, eo ſemel poſito, conſecutionibus.

Porro exploratum eſt, ipſo diſerte aſſerente S. Matthæo, Jeſum Chriſtum mandatis oneraſſe Apoſtolos ſuos, ut quaſcumque initiandas ſuſciperent Gentes, illas ſub invocatione Patris, Filii, & Spiritus Sancti tingerent [5]. Perſuaſum id moribuſque receptum, omnibus pariter ſæculis, & apud omnes æque Eccleſias. Certum id ſtatuunt ſummoque conſenſu docent Patres, Concilia, Interpretes Scripturæ, Theologi de Schola, quin & ipſi adverſæ ſententiæ aſſertores, qui collatum olim Baptiſma in nomine Jeſu Chriſti defendunt; id enim ſibi defendendum non ſuſcipiunt, niſi ſemel conſtituto, tres illas Trinitatis Perſonas ſub una Jeſu Chriſti invocatione cenſeri. Verum, juxta Patrum, & Conciliorum doctrinam, non ſatis eſt tacite & quodam veluti compendio Perſonas Sanctiſſimæ Trinitatis innuiſſe: luculenta, & expreſſa illarum confeſſio requirenda eſt. Quare Baptiſmus, ſi forte unquam ſub una Jeſu Chriſti invocatione miniſtratus eſt, inanis fuit, & a Sacramenti dignitate excidit; quod pariter ſtatuendum eſſet de Baptiſmo in eum ritum, ſi forte ab aliquo noſtra hac ætate conferretur; niſi Divina aliqua diſpenſatione, & peculiari Dei revelantis monito ſicut conceſſum eſſet, ut a præſcripta Sacramenti formula ſingulari aliqua de cauſa recederet. Quod enim tunc Sacramento rite adminiſtrando deeſſet, ſuprema id authoritate repararetur; ac proinde in communem regulam recideretur, cum maxime ab illa receſſum eſſet. Quod autem in præſenti quæſtionis ſtatu id certum ponatur, nimirum Apoſtolos ſpeciali hujus revelationis inſtinctu præſcriptam hanc a Jeſu Chriſto formulam immutaſſe, id tamquam nullo aſſertum argumento vix ac ne vix quidem conceditur.

Quod adverſæ opinioni perſuadendæ plurimum contulerit, illud in cauſa fuiſſe reputamus, nimirum hujus opinionis aſſertorem ſe præbuiſſe S. Ambroſium, cujus authoritate dictum ſuum confirmat Nicolaus I. in Epiſt. ad Bulgaros, Beda, S. Bernardus, Concilia Forojulienſe, & Nemauſenſe, aliique plures Theologi de Schola. An vero S. Ambroſius id aſſeruerit, quod illis perſuaſum eſt, nimirum Baptiſmum ſub Jeſu Chriſti invocatione tantum miniſtratum fuiſſe, id maxime ambiguum & incertum; quare, ſi aliam fuiſſe S. Doctoris mentem demonſtraverimus, quod opinio iſta aſſeratur, nihil erit. His autem perſuademur, numquam S. Doctorem in hanc ſententiam conceſſiſſe.

I. Docet non ſemel, Baptiſmi meritum nullum eſſe, niſi ſub expreſſa Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, & aperta ejuſdem Trinitatis confeſſione miniſtretur [6]. Fide equidem Jeſu Chriſti inſtructus eſt Cathecumenus, cujus ſe nomine in fronte obſignat; ſed veniam criminum nullam obtinebit, niſi Baptiſmo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti initietur. Docet alibi, Sacramenta *iniquorum*, id eſt Hæreticorum, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti non tingunt, nec abluere, nec ſanga-

(1) *Part. 3. q. 56. ad 6. Vide, ſi libet, & Thom. de Argentina l. 4. diſt. 3. n. 2.* (2) *An. 1522.* (3) *Vide Harduin. de Bapt. in nomine Chriſti.* (4) *Vide Sanct. ad Act. 2. 38. & ad c. 19. 5. & Cornel. ibidem. Fromond. Tirin. Vat. Grot. alii.* (5) *Matt. 28. 19.*

(6) *Ambroſ. de Myſter. c. 4. n. 20. Niſi baptizatus fuerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, remiſſionem non poteſt accipere peccatorum, nec ſpiritualis gratiæ munus haurire.* Vide &, *in Luc. l. 8. n. 67. & Ambr. Lib. de Sacram. l. 2. c. 5. & 7.*

guorem ſanare, ſed inquinare plurimum initiatos; quod cum Patrum doctrina [1], docentium Hæreticos illos ad Eccleſiam redeuntes novo tingendos eſſe Baptiſmate, congruit.

II. S. Ambroſius in Opere laudato ducem ſecutus eſt, juxta familiarem ſibi morem, S. Baſilium [2] in ſuo Libro de Spiritu Sancto. Porro S. Baſilius trium Perſonarum SS. Trinitatis invocationem neceſſariam eſſe tenuit, aſſeruitque; fuſius enim demonſtrat, oportere Sancti Spiritus Perſonam exprimi, quo Divinæ Chriſti juſſioni fiat ſatis, edicentis miniſtrari Baptiſmum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Addit, nemini mirum videri debuiſſe, ſi Apoſtolus de Baptiſmo agens non raro omiſſa Patris, & Spiritus Sancti mentione, ſolius Filii meminerit; ut illo Galat. 3. 27. *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis*; & Rom. 6. 3. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus*. Namque, ait ille de Spir S. c. 12. ſub una nominis Jeſu Chriſti invocatione totius pariter SS. Trinitatis Fidem profitemur; inſinuatur enim Pater qui unxit, Filius qui unctus eſt, & Spiritus Sanctus qui unctio ipſa cenſendus eſt. Hæc S. Doctor ex S. Irenæo adoptaverat [3]: *In nomine Chriſti comprehenditur & ipſe qui unxit, & ipſe qui unctus eſt, & ipſa unctio in qua unctus eſt*.

Obſervat deinde S. Baſilius ibid. in aliis Scripturæ locis unius tantum Spiritus Sancti mentionem occurrere; ut in illo 1. Cor. 12. 13. *Omnes nos in unum corpus baptizati ſumus in uno Spiritu*. Et Chriſtus in Act. 1. 5. *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*. Non eſt autem ita reputandum, ait S. Doctor, Baptiſmum ſub una Sancti Spiritus invocatione præcipi; ratum eſt enim habendum, quod traditione recipimus. Qui nos ſanguine ſuo redemit, id nobis conceſſit, ut Sacramento renovationis excipiendo pares eſſemus, quo nempe Sacramento mira, & ſalutaria præſtantur; ita tamen, ut neque adimendum illi quicquam fuerit, nec addendum, abſque eo quod ab æterna vita excidatur. Quare ſi Sanctum Spiritum a Patre Filioque ſejungere pernicioſum eſt baptizanti, & baptizato inutile, nemo id ſibi licitum præſumet, ut tres invicem diſſociet.

III. Sed in examen revocemus locum S. Ambroſii, in quo totius controverſiæ cardo. Obſervat ille, tinctos Baptiſmo S. Joannis Sacramentum Baptiſmo nullum recepiſſe; neque enim ſub invocatione nominis Jeſu Chriſti, nec in fide pariter Sancti Spiritus initiati fuiſſent. Novo ſunt igitur, ait ille, Baptiſmate abluti in nomine Jeſu Chriſti, quamquam iterato Sacramentum non receperunt; primus quippe Baptiſmus perinde habebatur, ac ſi nullus fuiſſet, unum enim tantum, & ſingulare recepit Eccleſia. Ubi autem Baptiſmus perfectus non eſt, perinde habetur, ac ſi nullus eſſet. *Plenum autem eſt*, ait, *Sacramentum, ſi Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum fatearis*. Non hic agitur de invocatione trium Perſonarum a Miniſtro Baptiſmi facta, ſed de profeſſione Fidei, quam Baptiſmate initiandus permittit. Addit deinde Sanctus Doctor, eum, qui unam Trinitatis Perſonam negaverit, univerſum Trinitatis Myſterium evertere; & viciſſim qui verbis ſuis unam tantum exprimit, non negat tamen Patris, Filii, & Spiritus Sancti veritatem; plenum, & perfectum recipere Baptiſmi Sacramentum: *Ita*, ſubdit, *quamvis Patrem, & Filium, & Spiritum dicas, & aut Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne Myſterium*.

Sermonem hic eſſe S. Doctori non de Miniſtro Sacramentum conferente, ſed de ſuſceptore ejuſdem Sacramenti, ſicut non de verbis a baptizante pronunciandis, ſed de fide baptizati, apertiſſime conſtat. Præpoſtere itaque ex illa S. Doctoris authoritate inferendum ſibi aliqui ſuſceperunt, Baptiſmum ſub invocatione tantum unius e Trinitate olim valuiſſe, & nunc etiam, ſi forte miniſtraretur, ratum aſſertumque reputandum eſſe; quod ſcilicet uterque, miniſter nempe & ſuſceptor, ſub unius Perſonæ nomine totius SS. Trinitatis eſſentiam profiterentur.

Ambigua ſunt, quæ ex Authore Operis adverſus reiterantes Baptiſmum laudantur. Adſtruit ille quidem luculenter, Sacramentum miniſtrari oportere, juxta inviolabilem Eccleſiæ Diſciplinam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Sed non ita apertis verbis demonſtrat, an extra Eccleſiam Hæretici in nomine Jeſu Chriſti baptizarent. Profecto ſi in ea fuit perſuaſione, Sacramentum ita collatum ratum haberi debuiſſe & aſſertum, falli nos Scriptorem illum ultro profitebimur.

S. Hilarius id tantum obſervat, nimirum aliquid eſſe repugnans inter verba Jeſu Chriſti: *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*; & illud Actuum: *Baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti*. Quæ poſtrema verba, ſi ad litteram attendantur, inſinuare fatetur, Apoſtolos aliter miniſtraſſe Sacramentum, quam quod Jeſus Chriſtus præſcripſerat. Numquam tamen prodit S. Doctor ea ſe teneri perſuaſione; neque, an crederet aliam inſtitui poſſe rationem, quam quæ indicatur, repugnantibus hiſce Textibus conciliandis.

Cum tandem neque textus Actuum Apoſtolorum apertiſſime prodat, miniſtratum ab Apoſtolis Baptiſmum ſub expreſſa tantummodo Jeſu Chriſti invocatione; cum S. Ambroſii authoritati alius fuerit, quam qui a pluribus credebatur, ſenſus: cum Scriptorum & Conciliorum opinio, quæ valere dicit Baptiſmum ſub unius tantum Perſonæ SS. Trinitatis invocatione, errore quodam facti innitatur, & præpoſtere accepta S. Ambroſii authoritate, illud jure meritoque nobis eſt ſtatuendum cum S. Joanne Damaſceno [4]: *In nomine Chriſti baptizari nihil aliud indicat, quam in eum credendo ſalutifera aqua tingi. Fieri autem non poteſt, ut in Chriſtum credamus, niſi Patris, & Filii & Spiritus Sancti confeſſione imbuti atque inſtituti ſumus*. Inde etiam conſequitur Baptiſmum in nomine Jeſu Chriſti nec fidem trium Perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis, quia nec expreſſam trium illarum per miniſtrum Sacramenti invocationem excludere. Baptiſmus itaque in nomine tantum Jeſu Chriſti collatus non illegitimus tantum, ſed malus, inutilis ſtatuendus eſt; quemadmodum ex conſenſu Doctiſſimorum omnium, qui de hoc argumento ſcripſerunt, apertiſſime conſtat [5].

DISSER-

(1) *Aug. paſſim cont. Donatiſt. Optat. Milevit. Facund. Hermian. Alii, Arelat Concil. c. 8.* (2) *Baſil. de Spir. S. c. 10. 11. 12. & lib. 5. cont. Eunom. c. 3.* (3) *Iren. l. 3. c. 20. ſeu cap. 18. nov. edit. Pariſ.* (4) *De Fide Orthod. lib. 4. cap. 10.*

(5) *Bellarm. de Sacram. Bapt. lib. 1. c. 3. Eſt. in 4. Sent. diſt. 3. §. 5. Nat. Alex. ſæc. 3. Diſſert. 13. Not. 6. in nov. edit. Ambroſ. l. 1. de Spiritu Sancto c. 4. Harduin. de Bapt. in nomine Chriſt. Martenne de antiqu. Eccl. Ritib. Mabillon. Not. in Ep. Bern. 403. nova edit.*

DISSERTATIO

In Electionem per Sortes.

SOrtium uſum approbare videtur illud Salomonis Prover. 16. 33. *Sortes mittuntur in ſinum; ſed a Domino temperantur*. Cum itaque certum inde voluntatis Dominicæ indicium capiendum eſſe reputaretur, datum ſibi omnes arbitrabantur, ut quoties nulla alia diſcernendæ veritatis ratio ſuccurreret, ad ſortes confugerent. Ita Domini juſſu ſortium arbitrio commiſſa eſt electio primi Regis Iſraelitarum [1]. Quamquam Joſue Dei Spiritu afficeretur, quamquam Jacob, [2], & poſt ipſum Moyſes [3], non obſcure deſignaſſent certum ſingulis Iſraelis Tribubus deſignandum locum; per ſortes tamen totius regionis in Tribus diviſio facta eſt, ut litibus & ſeditionibus anſa omnis tolleretur [4]. Cum David redigendum ordinem Familiarum Sacerdotalium, & munerum a ſingulis in Templo præſtandorum ſuſcepiſſet, ne quid invidiæ, & murmuris in tanto rerum molimine naſceretur, quem ſingulæ inter ſe locum tenerent, per ſortes determinatum eſt [5]. Idem ſervatum in dirigendis claſſibus Levitarum, Muſicorum, & Janitorum [6]. Cum tandem hebdomada ineunte claſſes Sacerdotum, & Levitarum juxta conſtitutum familiarum ordinem ad Templum miniſtraturæ venirent, ſortito eligebatur quicumque in Altari aureo thymiama adoleret; qui ſacrificium offerret diurnum; qui tandem cetera Templi officia præſtaret [7]. Zachariæ Patri S. Joannis Baptiſtæ ſortito contigit, ut adoleret incenſum coram Domino, cui muneri in Sancto vacanti Angelus Domini obviam factus eſt [8].

Pro hac itaque ſolemni Synagogæ & Sacerdotii legalis diſciplina, creduntur Apoſtoli in electione S. Matthiæ ſortes adhibuiſſe [9]: *Ne Apoſtoli electio a mandato diſcrepare Legis veteris videretur*, ait S. Ambroſius in Luc. 1. num. 23. & alii poſt ipſum. In poſtrema Urbis obſidione Zelotæ, authore Joſepho De Bello l. 4. c. 5. Summi Sacerdotii dignitatem Phanniæ cuidam, cui ſortito accidit, contulerunt; quem conſtituendi per ſortes Pontifices morem vetuſtiſſimum in gente ſua fuiſſe venditabant. Sed falli illos conſtat; nullum enim extat exemplum Sacerdotum Hebræorum, quorum electio a ſortibus penderet. Aaron expreſſa Dei voluntate ſelectus eſt, ut Sacerdotio fungeretur; cui pariter dignitas divino prodigio in ſeditione Core aſſerta eſt [10]. Poſt ipſum, Summum Sacerdotium numquam aliunde petitum, quam ex familia ejuſdem Aaronis; ſervatumque id non interrupta ſucceſſione ex patre in filium, uſque ad Antiochum Epiphanem [11]; tranſlatumque deinde in familiam Aſmonæorum, tamdiu apud illos manſit, quamdiu eo ab Herode Magno, ordine ſucceſſionis immutato; arbitrarium & pro Regia voluntate datum receptumque Sacerdotium non efficeretur. Poſt Herodem uſque ad Urbis & Templi everſionem per Romanos, conferendi Sacerdotii authoritas penes Romanorum Præfectos, ſive gentis Principes fuit. Unus inter poſtremos hoſce Pontifices Phannias a Zelotis ſortito electus eſt.

Non eſt itaque reputandum, in electione S. Matthiæ Apoſtolos exemplum ſibi præſtituiſſe Sacerdotum Hebræorum, quorum electio a ſortibus penderet: niſi forte ſecutos illos dixerimus Templi morem, ubi ſortito munera diſtribuebantur. Beda Venerabilis in Acta cap. 1. autumat veram, qua ducerentur Apoſtoli, rationem illam reputari; nimirum deſtitutos illos adhuc Sancti Spiritus plenitudine, datum ſibi reputaſſe, ut Legem ad litteram ſequerentur [12]. Porro ille perſuaſione S. Ambroſii tenebatur, autumantis Sacerdotes Templi Jeruſalem ſortito electos; quod cum veritate non ita penitus congruere ſatis, demonſtravimus. Si vero innuere volebat ille, Apoſtolos nondum Spiritus S. illuſtratione perfuſos, ſatis ſibi non eſſe luminis reputaſſe, ut dignum aliquem virum diſcernerent, qui in Apoſtolum eligeretur, quemadmodum S. Chryſoſtomus [13] philoſophabatur, id ſane perſuaſibilius ab illo diceretur. Tanti quidem res erat momenti, ut nemo ſatis ſibi prudens videri potuiſſet; quare conſultius duxerunt, ſi totam Deo reſervarent eligendi digniſſimi viri rationem.

Pſeudo Dionyſius Areopagita in Opere de Eccleſiaſt. Hierarch. n. 5. ſortium nomen ſingulari plane ſenſu uſurpat; habet enim perſuaſum, S. Matthiam divino quodam dato ſigno indicatum fuiſſe Apoſtolis, eum nimirum eſſe virum, qui a Deo in cœtum Apoſtolorum referretur. Quod maxime fuerit ſignum illud, non indicat Scriptor; ſed ejus ſilentium ſupplentes Interpretes, alii radium quemdam caput ipſius ſubito ferientem ſuſpicantur [14]; alii ſubito quodam fulgore ſcriptum ejus nomen emicuiſſe [15]; alii columbam capiti ipſius inſidentem; alii virgam ſtatim floreſcentem, quemadmodum & cum Aarone olim præſtitum [16]; ac tandem alii prophetico ſpiritu afflatum illico virum credunt.

Sed quæ, rogo, neceſſitate hanc ſortium ſignificationem adoptemus? Nihil frequentius apud Hebræos, quam ut ſortibus vel religioſiſſimi quique inter eos uterentur. Crimen Acham ſortibus exploravit Joſue [17]. Jonatham paternæ legis tranſgreſſorem, quippe qui mellis parum contra Regia edictum deguſtaverat, ipſe ejus Pater Saul ſortibus deprehenſum reum tenuit [18]. Qui in eodem cum Jona navigio ferebantur nautæ, veram cauſam ſubito ingruentis procellæ per ſortes ſcrutati ſunt [19]. Nihil majoris momenti apud Perſas & Chaldæos agebatur, quin prius ſortes conſultæ fuiſſent, quemadmodum exemplo Amani [20], & Nabuchodonoſoris [21] docemur. Huic retinendæ conſuetudini non parum contulit ſecundus a Deo ſortibus conceſſus eventus. Quare Deum illis præſidere ne ambigebatur quidem [22]; cujuſque explorandæ voluntatis ſi ratio aliqua nulla ſuccurreret, expeditior hæc via habita eſt. Non eſt igitur cur vehementer miremur, ſi Apoſtoli pariter electionem hanc ſuam ſortibus permiſerunt; more illis patrio præeunte, cui ſaviſſe leges videbantur, nec parum tribuerant authoritatis Sanctorum virorum exempla atque Dei ipſius approbatio.

Gagnæus aliique [23], qui in ea fuerunt perſuaſione, Apoſtolos ſecretis datis ſuffragiis Sanctum Matthiam in ſuum cœtum adlegiſſe, quæ ipſorum ſuffragia S. Lucas ſortium nomine deſignaverit, illi ſane pronam hujus vocis notionem evertunt; ecquis enim unquam electionem ſuffragiis factam ita deſcriberet, ut diceret jactas inter duos aliquos viros ſortes, in favorem alterius ceſſiſſe.

(1) 1. *Reg.* 10. 20. (2) *Gen.* 49. (3) *Deut.* 33. (4) *Prov.* 18. 18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque judicat.* (5) 1. *Par.* 24. 5. 7. 31. (6) 1. *Par.* 25. 8. 9. 1. (7) 1. *Par.* 26. 13. 14. (8) *Luc.* c. 9. (9) *Act.* 1. 26. (10) *Num.* 17. 8. (11) *Joſeph. Antiq. lib.* 20. c. 8. *pag.* 700. (12) *Donec veritas compleretur, figuram licuit exerceri. Inde eſt, quod Matthias, qui ante Pentecoſtem ordinatur, ſorte quæritur.* (13) *Chryſ. in Acta hom.* 3. *pag.* 31 (14) *Natal. Alex. tom.* 1. *Hiſt. Eccl. c.* 2. (15) *Sanct. in Acta* 1. 26. *numer.* 61. (16) *Numer.* 17. (17) *Joſue* 7 16, 17. (18) 1. *Reg.* 14. 42. (19) *Jon.* 1. 7. (20) *Eſth.* 3. 7. (21) *Ezech.* 21. 21. (22) *Prov.* 16. 33. (23) *Salmer. Sanct.*

Aſſerenda eſt igitur genuina vocis hujus ſignificatio. Apoſtoli duos ex omnibus viros ampliſſimos conſtituerunt in medio, quorum ſcripta in duabus ſchedis ſive lapillis nomina in vas aliquod, ſive in veſtis ſinum, ſive in pileum conjecerunt; extractuſque deinde alteruter in Apoſtolum electus eſt. Vel, ſi mavis, in unum aliquod vas conjecta ſunt duorum virorum nomina, quibus reſpondebant in urna alia geminæ ſchedæ, quarum alterutra inſcriptam ferebat hanc vocem *Apoſtolus*. Extractus igitur e priori urna Matthias, cui ex altera reſpondit ſcheda Apoſtoli nomine inſcripta; quod a toto cœtu ſatis ſuperque reputatum eſt, ut Matthias in Apoſtolum renunciaretur. Hæc nobis indita de electione per ſortes idea, vel ſaltem id obtinere in ſortibus conſtat; quamquam alias eſſe eligendi per ſortes rationes neque ignoremus, neque, ſemel conſtituta S. Matthiæ electione per ſortes, contentioſum funem trahere maluerimus, ſi quis forte alias ſervatas rationes in electione ejuſdem Apoſtoli defenderit.

An electio iſta per ſortes diutius ſervata ſit in Eccleſia, an legitima haberetur, & qua præſtaretur ratione diſquiritur. Extra controverſiam poſitum eſt, electionem per ſortes numquam communi uſu ab Eccleſia probatam fuiſſe, neque id ſibi licitum, vel neceſſario præſtandum Apoſtolorum exemplo Fideles reputaſſe. Ipſi pariter Apoſtoli aliam ſervarunt in electione Diaconorum rationem (1). Ab univerſo cœtu viri præſtantiſſimi electi ſunt, prout quiſque Spiritu Sancto afflatus reputabatur. Eadem cautione in Epiſcopum Jeroſolymitanum renunciatus eſt S. Jacobus (2); eadem primi quique ſingularium Urbium vel Provinciarum Epiſcopi Electionem per ſortes adhibuiſſe Apoſtolos in deligendis Epiſcopis ſive aliis Eccleſiæ Miniſtris, nuſpiam poſt Pentecoſten legimus. S. Paulus non ſemel ſcribit (3): *Nos ſorte vocati ſumus*, ad Fidem nempe & gratiam Evangelii; quibus tamen verbis nihil aliud ſignificavit, quam gratuito prorſus largientis Dei beneficio ad fidem ſe vocatum fuiſſe (4).

Certum ſive Apoſtolorum ætate, ſive prioribus Eccleſiæ ſæculis pro merito ſingulorum, arbitrio populi & Epiſcoporum, factas electiones numquam non legimus. Populus una & Clerus certum virtutis ejus, qui ab Epiſcopis proponebatur, teſtimonium ferebant; atque ipſi demum Epiſcopi, libratis omnibus; quos maxime probaſſent, eligebant, initiabantque. Tunc autem veluti de ipſius judicio facta electio cenſebatur: *Poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum*, ait S. Cyprianus lib. 1. Ep. 3. Apoſtoli ceterique Domini Diſcipuli, poſt obitum S. Jacobi Epiſcopi Jeroſolymitani, pro eligendo ſucceſſore coeuntes, Simeonem filium Cleophæ aſſumpſerunt (5). Narciſſus Epiſcopus Jeroſolymitanus relictam Urbis illius cathedram permiſit Dio, quem illi ſucceſſorem Epiſcopi ceteri ſtatuerunt (6). Rediit diu poſt Narciſſus, atque jure poſtliminii in ſuam Eccleſiam reſtitutus eſt; donec 116. annorum ætate grandævus, quod muneribus Epiſcopalibus præſtandis impar eſſet; Coadjutorem ſibi ab Epiſcopis datum admiſit Alexandrum, Epiſcopum antea in Cappadocia. Uno verbo, nulla uſpiam ſive vetus ſive nova Eccleſia Epiſcopos conſueto more per ſortes datos agnoſcit.

Cum de Paſtore aliquo Eccleſiæ & Miniſtro Jeſu Chriſti eligendo res eſt, nemo ſibi cautionis attuliſſe ſatis præſumit: & quamvis alioqui una ſit omnium perſuaſio, nihil in hoc mundo, niſi ſummo Dei conſilio ac diſpoſitione agi, ſortes pariter aliqua Dei gubernantis providentia regi; arbitrantur tamen, illis indiſcriminatim & nulla cogente neceſſitate uti; perinde eſſe ac ſi Deus tentaretur; atque ea ſemel data via, ſuperſtitiones plures criminoſas in mundum invehi. Experientia inſuper edocti ſunt, Deum audaciam atque præſumptionem eorum, qui talibus immiſcentur, ulturum, permittere non raro, ut ſortium diſpoſitio aliter quam pro eorum opinione agat. Quare hiſce omnibus tollendis abuſibus, Eccleſia abolendum omnem ſortium uſum præcepit. Cum, ait Honorius III. Papa, certiores facti fuerimus, deſtituta Paſtore Eccleſia veſtra, vos quemdam per ſortes elegiſſe, qui veſtro nomine tres alios elegerit, ac tandem ipſos tres veſtra authoritate quartum alium in Epiſcopum ſtatuiſſe, poſt diligentem hujus rei diſcuſſionem nos reprehendendam ideo ſtatuimus, quod ſortium interventu electio illa facta ſit (7). Ratum nihilominus haberi volumus noſtra authoritate, quod a vobis perperam factum eſt, ſed *ſortis uſum in electionibus perpetua prohibitione damnamus*.

Ea Pontificis ſanctione neutiquam tamen factum eſſe credimus, ut ſingularibus quibuſdam eventibus ſortium uſus reprobaretur. In Concilio Barcinonenſi A. 599. can. 3. ſtatutum eſt, ut ſi quando contigerit, populi & Cleri ſuffragia in duos aliquos conſenſiſſe, quos pariter Metropolitanus & Coepiſcopis præſentaverint; ipſi poſt jejunium & preces ad explorendam Domini voluntatem, ſortes jaciant, eumque in Epiſcopum approbent, *Quem ſors, præeunte Epiſcoporum jejunio, Chriſto Domino terminante monſtraverit*.

Narrat Sulpicius Severus in vita S. Martini l. 1. c. 7. populos una cum Epiſcopis ad eligendum Turonenſem Epiſcopum conveniſſe; & cum maxima electorum pars in S. Martinum non inclinaret tantum, ſed ingenti raperetur deſiderio; minor tamen portio cum paucis Epiſcopis reſiſtebat. Confertum interim populum perrumpere minus valente Lectore, eorum qui forte aderant, quiſpiam ex Pſalterio caſu aperto legit: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, ut deſtruas inimicum & defenſorem*. Defenſoris nomen auſcultans Populus; quippe quod cum Epiſcopi electioni S. Martini reſiſtentis nomine conſonaret, obſtupeſcere primum, tum ratus non ſine voluntate id accidiſſe, ingenti undique elato clamore in electionem S. Martini ita conſenſit, ut contraria omnis factio diſſiparetur.

In ſingularibus nonnullis eventibus uſus ſortium in Eccleſiis Orientalibus non reſpuebatur, quamquam ea ſervaretur cautione, nimirum poſt ceteras omnes tentatas vias, & cum de eligendis diſſidium fuiſſet. Hæc diſciplina Neſtorianorum in electione Catholici ſive Patriarchæ (8). Trium illorum nomina, in quos major eligentium portio conſentiebat, ſchedis quibuſdam ſive calculis inſcribebantur, quibus omnibus quartum aliud adjungebant, quod erat Jeſu Chriſti Summi Paſtoris. Aræ hæc omnia imponebantur, & poſt celebratam in eadem Ara Liturgiam, poſcendæ a Domino divinæ voluntatis ſignificationi, nomina in vas aliquod conjecta e puero quodam, nondum corruptis pro ætate moribus, extrahebantur. Cujus nomen omnium primum efferebatur ille ſtatim proclamantibus populis in Catholicum ſalutatus. Si primum obveniſſet nomen Jeſu Chriſti, certum ex eo argumentum capiebatur, Deum trium illorum electionem reprobaſſe; quare ad nova ſuffragia revocabatur electio.

Mos iſte in electionibus contentioſis obtinebat pariter Alexandriæ. Apud Cophtos ſive Jacobitas, Appellabatur ea electio *ſors Sanctuarii*, cujus is erat ritus (9). Centum Monachorum nomina adlegebantur e quibus ſelecta prius quinquaginta, dein 25. & minus etiam uſque ad tria. Trium igitur nomina totidem ſchedis committebantur, quibus adjungebatur altera inſcripta Jeſu Chriſti nomine. Poſt Liturgiam in eodem Altari celebratam, in quo Candidatorum nomina poſita erant, ex urna, puero quodam doli experte ſortes ducente, eadem illa nomina extrahebantur. Qui primus obveniſſet, in Præſulem ſtatim renunciatus. Si vero Jeſu Chriſti omnium primum nomen extrahi contingeret, infecta omnia, & ex integro repetenda. Si forte ante nominum extractionem unus e tribus acclamaretur, toto pariter in illum cœtu aſſentiente, rite ejus electio facta cenſebatur.

Enve-

(1) *Act. 6. v. 6.* (2) *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 1. & l. 3. c. 4.* (3) *Epheſ. 1. 11. Coloſſ. 1. 12. &c.* (4) *Aug. in Pſ. 30. n. 13.* (5) *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 11.* (6) *Ibid. l. 6. c. 11.*

(7) *Decretal. Honorii III. lib. 5. Decret. t. 21. de Sortileg. c. Eccleſia.* (8) *Renaudot Fidei perpetuitat. tom. 4. c. 7. pag. 56.* (9) *Idem tom. 4. lib. 1. cap. 9. pag. 76.*

En vetuſta ſatis & communia inſignium Eccleſiarum Orientis exempla, quas de tranſgreſſis Catholicis præſcriptis legibus reas agere vix aliquis ſuſtineret. S. Auguſtinus pariter ſortium uſum ſingularibus in avantibus probat (1), cum ſcilicet in perſecutionibus diſſident Sacerdotes, cui in Urbe ad ſolatium Fidelium semanendum ſit, cui recedendum, commodiori tempora utili Eccleſiæ operi lavandæ. Cum enim his temporis anguſtiis difficila ſit judicium illius, qui zelo, charitate, atque amore martyrii ceteris omnibus præſtet; malius Deus in omnibus ambagibus illis quam homines, judicat. *Res quidem*, addit Auguſtinus, *fiet minus uſitata, ſi ſiat iſta ſortis, ſed ſi facta fuerit, quis eam reprehendere audebit?*

Idem data proportione de electionibus reputandum eſt, ad ſortis judicium numquam recurrendum, niſi quando nulla alia voluntatis divinæ explorandæ ratio ſuppetit. *Quandoquidem*, ait S. Auguſtinus (2), *ſors non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humana divinam indicans voluntatem*. Profecto ſi malum aliquid ſortes reputandæ eſſent, numquam id commiſiſſent Apoſtoli, ut S. Matthiam ſortito eligerent. Tunc autem *electi ſunt duo judicio humano, electus eſt de duobus unus judicio Divino*. Nec tamen exemplo Apoſtolorum excuſantur ii, qui gravi nulla cogente neceſſitate ſortes admovent; ſive qui ſegnitia quadam explorandi atque ſecernendi digniorem, ad judicium divinum per ſortes explorandum omnem electionem deferunt. Scitum eſt enim illud S. Hieronymi (3): *Cum privilegia ſingulorum non poſſint legem facere communem*.

Solemne erat apud Chriſtianos quoſdam in Africa, ut in rebus etiam communibus Librum Evangeliorum per ſortes conſulerent, ſiniſtrum vel proſperum inde omen capturi, prout caſu ſeſe lagenda offerebat ſententia, qua favor aliquis vel ſecus ſponderetur. S. Auguſtinus Ep. 55. nov. edit. num. 37. ſuperſtitionem hanc ſuffragio approbandam ſuo numquam cenſuit, quamquam minus criminoſam judicaret altara, Magos nempe & Dæmones conſulendi. De hac pariter ratione conſulandi ſacros Libros ſermo eſt apud S. Gregorium Turonenſem Hiſt. lib. 5., feruntque id pariter in moribus poſitum habuiſſe S. Franciſcum Aſſiſienſem, ut in rebus agendis conſilium ex aperto caſu Libro Scripturæ quæraret (4). Obtinebat pariter, ut poſt electionem novi alicujus Epiſcopi, ex aperto Libro Evangaliorum omen futuræ illius adminiſtrationis caperetur.

Id pariter in alectionibus ſarvatum, axemplo S. Aniani Epiſcopi Aurelianenſis doceamur. Cum deceſſor illius vir ſanctiſſimus intelligaret, populum pro electione ſucceſſoris in diverſa abire ſtudia, quæſivit ab illis, num vellent ad judicium Dei omnia deferre, cujus voluntate ſtatim eligendum Anianum noſcerent. Indictum illico trium dierum jejunium; quo abſoluto, coactoque populo, ſchedæ ſuper Aram impoſitæ ſunt; ſtatimque accitus loqui ad neſcius præ ætate infantulus, vix manum ad apprehendendam ex Altari ſchedam extenderat, cum ſubito ſoluto linguæ vinculo Anianum Epiſcopum clara voce pronunciavit: quibus dictis, iterum ad priſtinam rediit imbecillitatem. Quo vero nullus eſſet ambigendi locus, aperto Pſalterio occurrit ſententia illa: *Beatus quem elegiſti*; tum ex libro Epiſtolarum ſubjectum oculis illud: *Nemo poteſt fundamentum aliud ponere*; tum ex Libro Evangeliorum: *Et ſuper hanc petram fundabo Eccleſiam*. Ita communi aſſenſu renunciatus in Aurelianenſem Epiſcopum Anianus. Sed pietati dandum eſt, quod negatur conſuetudini; numquam enim communi lege talia admiſſa unquam ſcimus, quæ pariter ſapientiſſimi Eccleſiæ Paſtores improbanda cenſuerunt, atque cultioribus ſæculis abrogata ſunt.

Profecto in electionibus magis quam in cæteris omnibus reprobanda fuerant, quod ſcilicet de re maximi momenti ageretur; Deus enim numquam adfuturum ſe promiſit electioni, quæ per ſortes fieret, ut proinde ea eligendi ratio numquam ſervaretur citra tentationem ipſius Dei, atque diſcrimen erroris, in quem electores ultro impingere voluiſſent. Si forte in ſingularibus quibuſdam eventibus id accidiſſet, ut ſuffragia electorum & meritum inter duos aliquos ambigerent, nec alia coeundi inter partes ſuppeteret ratio, tuto quidem tunc ad Apoſtolorum exemplum confugeretur, ſortibus admiſſis; prius tamen Dei manus imploranda jejuniis & precibus, quorum merito purgaretur quidquid illegitimum pravumque in ea eligendi ratione ſuppeteret. Illud inſuper a Deo precibus impetrandum eſſet, ut apertam adeo voluntatis ſuæ daret ſignificationem, quo lites omnes & pax inter electores componeretur. Hæc veterum recentiorumque Interpretum in hunc Scripturæ locum doctrina (5).

Quo igitur Diſſertationi huic noſtræ modum imponamus, ſtatuendum eſt, nullum electionis Summorum Sacerdotum apud Hebræos exemplum propoſuiſſe ſibi Apoſtolos in electione S. Matthiæ, quippe quorum electio aliter quam per ſortes agebatur. Favere tamen poterant eorum conſilio ſortes, quarum judicio munera inter Sacerdotes in Templo diſtribuebantur. Cum autem nullo adhuc ſuperne affulgente divini Spiritus lumine illuſtrarentur Apoſtoli; ideo poſtquam prudentiæ ſuæ partes expleverant omnes, inter ſelectos duos e toto cœtu viros præſtantiſſimos ſortes miſerunt, ut electio in unum aliquem ex illis caderet. Reputandum eſt tandem, ſortium uſum, quamvis rite ea occaſione ab Apoſtolis, & rite pariter in ſingularibus quibuſdam eventibus ab Eccleſiis nonnullis adhibitæ ſint, & in paribus rerum articulis modo etiam conſulto admitterentur: generatim tamen in electionibus, quibus Eccleſiæ Præſules ſtatuuntur, abjici prorſus & tamquam pernicioſas interdici par eſt.

IN EPISTOLAM

S. PAULI AD ROMANOS.

PROLEGOMENON.

POſt Sacroſancta Evangelia venerabile maxime ac ceterorum omnium pretioſiſſimum monumentum S. Pauli Epiſtolæ habendæ ſunt. Totum in illis continetur, quod formandis moribus, ſive ad myſteria & Religionem conſtituendam a Jeſu Chriſto traditum eſt. Tamquam ſupplamentum aliquod & interpretatio eorum, quæ Jeſus Chriſtus docuerat, ac veluti ſecundum aliquod Evangelium Jeſu Chriſti jam mortuis jam reviviſcentis, jure meritoque reputarantur. Etenim nihil aliud docuit Apoſtolus quam quæ a Jeſu Chriſto in gloria ſua jam conſtituto (*) didicerat, quo tempore ſcilicet ad tertium uſque Cœlum raptus, *audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui* (6).

(1) *Aug. Epiſt. 180.* [2] *S. Auguſt. in Pſal. & Epiſt. 160.* [3]: *Hieron. in Abacuk c. 1. p. 76. nov. Edit.* [4] *Bonavent. Vita S. Franciſ. c. 23.* (5) *Vide Bedum hic, D. Thom. ad Hebr. 8. Section. 2. Fromond. Al. Lapide hic, Natal. Alexand. tom. 1. Hiſtor. Eccleſ. Diſſertat. 6. ſæculi 1.* [*] *Galat. 1. 12.* (6) *2. Cor. 12. 2.*

S. Paulus Tharſi in Cilicia natus (1) ex patre Judæo item ac Romano ſive litteris Græcis excultus erat, quippe qui Epimenidem (2) laudet, & Aratum (3). Potuit autem Tharſi litteris vacaſſe, in qua ſcilicet Urbe humaniora ſtudia florebant adeo, ut Athenas litterarum gloria ſuperaret, teſte Strabone lib. 14. Sacris litteris addiſcendis Jeroſolymam miſſus eſt, Legis ſtudio ſub Gamaliele Doctore clariſſimo operam daturus. Tanto autem Legum avitarum amore tenebatur, ut acerrimum in primis perſecutorem ſe præberet adverſus Jeſu Chriſti Diſcipulos, quod Chriſtum perinde reputaret ac Moyſis æmulum, & Legum ipſius ſubverſorem. Veſtimenta ſervabat eorum, qui lapidibus S. Stephanum confecerunt (4); & poſt primi illius Martyris obitum, Summi Sacerdotis litteris ad Synagogas Damaſci datis, facultatem ſibi impetravit capiendi detinendique quemcumque in via Chriſti Diſcipulum offendiſſet. Cum igitur cædes & ſanguinem meditans ad eam Urbem ſeſe conferret, ſubita quadam vi in terram adactus, increpantem ſe vocem audivit: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Tum cæcitate percuſſus, Damaſcum manu deductus eſt. Ibi Ananiam Diſcipulum conveniens, & viſum ab illo, & Baptiſmi lotionem, ac tandem manuum impoſitionem recepit.

Præco inde Evangelii effectus, Jeſum Chriſtum in ea Urbe primum, tum in Arabia annunciavit; e qua poſt longiorem aliquam moram, iterum Damaſcum repetiit. Mutatum viri animum gravius ferentes Judæi, necis illius conſilia agitabant; quorum molitiones ſubodoratus Paulus, demitti ſe funibus ex Urbis mœnibus curavit, eo conſilio perſtructas ſibi inſidias declinaturus (5). Contulit ſe poſtea Jeroſolymam, ubi cum Apoſtolis, quos forte offendit, res ſuas omnes communicavit. E Jeruſalem Tharſum profectus eſt, quo veniens Barnabas virum deduxit Antiochiam (6), non inutilem futuram ejus præſentiam Evangelio propagando intelligens. Ambo pariter, Barnabas nempe & Paulus, Jeroſolymam conceſſerant, ferendis collectis e Fidelium erogationibus eleemoſynis (7). Reduces inde Antiochiam Spiritus S. ſeligi juſſit, ut in Apoſtolos dilatandæ apud Gentiles fidei ordinarentur. Novo hoc munere auctus S. Paulus, in Cyprum profectus eſt, ubi Sergio Paulo Procoſ. fidem perſuaſit (8). Venit inde Pamphyliam, tum in Piſidiam, & Lycaoniam, ac facile etiam in Galatiam; tandem Antiochiæ reſtitutus eſt (9).

Quinque poſt annos Jeroſolymam ad primum Concilium celebrandum venit. Sancitum ibi, Gentiles, qui ad Chriſtianorum ſacra tranſierant, adigi non oportere tum ad recipiendam circumciſionem, tum ad legales alias cæremonias obſervandas; cavere tantum monitos ab Idololatria, fornicatione, uſu ſanguinis, & ſuffocati. In eodem Concilio munus Apoſtolorum Gentium Paulo & Barnabæ aſſertum eſt. Reſtituti poſt hæc Antiochiæ, eo non diu poſt venientem S. Petrum exceperunt, cui Paulus coram omnibus in faciem reſtitit, quod præpoſtera diſſimulatione, non bono futura ceteris exemplo, utentem illum animadverteret. Poſt longiorem aliquam moram, conſilium agitavit Apoſtolus Eccleſias inviſendi, quas in Aſia minori opera ſua conſtituerat. Ut ſecum veniret Barnabam invitavit; ſed volente illo una ſecum ducere Joannem Marcum, recuſante vero Apoſtolo, ſeceſſio utrinque facta eſt, atque ita Aſiæ minoris iter Paulus & Silas; Cypri autem Barnabas & Joannes Marcus ingreſſi ſunt.

Per Phrygiam & Galatiam Paulus excurrens Evangelium annunciavit; petens inde Macedoniam (10), civibus Philipporum, Theſſalonicæ, & Berœæ prædicavit Evangelium; tum Athenas ſeſe conferens, Dionyſium Areopagitam ad Chriſtianorum ſacra traduxit. Exeunte anno Corinthum veniens, 18. menſibus ſubſtitit. Data ibi Epiſtola prima ad Theſſalonicenſes; quam paulo poſt ſecunda ad eoſdem ex eo loco conſecuta eſt (11). Corintho receedens Epheſum prius, poſtea Jeroſolymam, tandem Antiochiam petiit. Excurſum inde per Galatiam, & Phrygiam, tum Epheſum ventum eſt (12), ubi triennalis mora producta. Multa ibi Apoſtolo toleraта mala, ut & beſtiis expoſitum ſe ipſe profiteatur. Ex ea Urbe data Epiſtola ad Galatas (13); quos pernicioſa Doctorum quorumdam dogmata, jubentium jugum legalium cæremoniarum fidelibus inducere, turbaverant. Ad alterum annum ſpectat prior ad Corinthios Epiſtola (14). Tandem Epheſo movens Apoſtolus (15), Troadem profectus, inde in Macedoniam excurrit, ubi ſecundam dedit ad Corinthios Epiſtolam (16). Repetiit tandem Corinthum, triennalem ibi moram acturus, quo temporis intervallo ſcripta eſt ea, de qua modo, ad Romanos Epiſtola (17).

Revulſis Corintho Sedibus, Jeroſolymam non recta via, metu ne in manus Judæorum incideret, profecturus, tranſcurrit Philippos in Macedonia, Troadem, & Miletum. Venit tandem Jeroſolymam, reſignatiſque in manibus Apoſtolorum, quas deferendas acceperat, eleemoſynis, poſt ſeptem ab adventu ſuo diebus cum verſaretur in Templo, magno concitato a Judæis tumultu apprehenſus eſt. Nec ea in ſeditione mortem evitaſſet, niſi prompte accurrens Lyſias Romanorum *Præfectus*, ex adverſariorum manibus eductum Cæſaream miſiſſet, a Felice Judææ Præſide judicandum. Manſit apud eumdem Præſidem biennio in cuſtodia (18); cum datus Felici ſucceſſor Feſtus, tradere virum in manus Judæorum molitus eſt. Quare id intelligens Apoſtolus, Imperatorem appellavit; ad cujus judicium ſubeundum Romanam navigationem inivit. Infelici naufragio periit navis illa ad *Melitam*; ſed litus tenens Apoſtolus, in ea Inſula quatuor menſibus ſubſtitit, nec antea Romam, quam exeunte Februarii menſe pervenit (19). Biennio ibi in vinculis detentus eſt, numquam non adloquendis iis a quibus frequentabatur, atque Evangelio illis annunciando occupatus. Adhuc in conducta a ſe domo ſub vinculis detinebatur, cum Oneſimum Philemonis ſervum ſe convenientem ad fidem traduxit, & Epiſt. ad Philemonem pro illo & per illum commendatitiam miſit (20).

Sub idem tempus litteris a Fidelibus Laodiceæ, & Epaphrodito Epiſcopo Philipporum a Philippenſibus in obſequium miſſo recreatus eſt. Scripſit tunc ad Philippenſes & Coloſſenſes Epiſtolas (21). Anno tandem Jeſu Chriſti 63. a vinculis reſolutus eſt; nec diu poſt ad Hebræos Epiſtolam dedit (22). Eo revocandum eſt iter ejus in Hiſpaniam; ſi tamen quæ de profectione illius in eam regionem feruntur, cum veritate conſtent. Orientem denique repetens, in Creta Fidem annunciavit, in Judæam excurrit, tum in Aſiam, quemadmodum in ſuis Romæ datis Epiſtolis ſignificaverat. Plura pro fide illi ſubeunda in eo itinere fuerunt. In Macedonia verſans, ſcripſit ad Timotheum Diſcipulum ſuum Epheſi a ſe conſtitutum Epiſcopum (23). Poſt hyemem Nicopoli toleratam, una cum Tito poſtrema tandem vice Aſiam (24), Epheſum, Miletum inviſit. Secundum hæc Romam ſe conferens, circa Julii menſem in carcerem conjectus eſt, accuſatus, quod pincernam & concubinam Neronis ad Chriſti Fidem, uti communis fert opinio, traduxiſſet. Poſt primam interrogationem ad Principis tribunal, ſcripſit ſecundam ad Timotheum (25), tum & ad Epheſios ſingularem. Altero vertente anno, menſe Junio martyrium Romæ conſummavit (26). Epiſtola ad Romanos ordine prior inter ceteras, quamquam non omnes tempore præceſſit, conſtituta eſt. Datum id Romanæ Eccleſiæ dignitati, ſive Romanorum Fidelium merito, vel forte myſteriorum, quæ in ea Epi-

(1) *Act.* 21. 39. *&* 22. 3. (2) *Tit.* 1. 12. (3) *Act.* 17. 27. (4) *An. J. C.* 34. (5) *An. J. C.* 37. (6) *An. J. C.* 43. (7) *An. J. C.* 44. (8) *An. J. C.* 45. (9) *An. J. C.* 46. (10) *An. J. C.* 52. (11) Duæ Epiſtolæ ad Theſſalonicenſes *An. J. C.* 53. (12) *An. J. C.* 54. (13) Epiſtola ad Galatas *An. J. C.* 55. (14) *An. J. C.* 56. Epiſtola 1. ad Corinthios. (15) *An. J. C.* 57. (16) *An. J. C.* 57. Epiſtola 2. ad Corinthios. (17) Epiſtola ad Romanos A. J. C. 58. (18) *An. J. C.* 60. (19) *An. J. C.* 61. (20) *Circa An. J. C.* 62. Epiſtola ad Philemonem. (21) *An.* 62. *vel* 63. *J. C.* Epiſtolæ ad Philippenſes, & Coloſſenſes. (22) *An. J. C.* 63. Epiſtola ad Hebræos. (23) Epiſtola 1. ad Timotheum *An. J. C.* 64. (24) *An. J. C.* 65. (25) Secunda ad Timotheum *An. J. C.* 65. Epiſtola ad Epheſios. (26) *An. J. C.* 66.

Digitized by Google

Epiſtola referantur, majeſtati, ſive tandem ipſius Epiſtolæ excellentiæ. Omnes enim ſublimitate, adeoque & obſcuritate vincit, ut S. Auguſtinus (1), ſimplex adhuc Sacerdos, in unius tituli expoſitione Librum integrum impenderit; quare tædio, & moroſitate Operis victus incœptum deſeruit. S. Hieronymus ejuſdem epiſtolæ obſcuritate perculſus, illi exponendæ non Libro tantum ſed voluminibns laborari oportere dixit (2). Operis difficultatem novit pariter Apoſtolus Petrus, cum de hac potiſſimum Epiſtola ſcripſerit, 2. Petr. 3. 15. *Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi Sapientiam ſcripſit vobis. Sicut & in omnibus Epiſtolis loquens eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas ad ipſorum perditionem.*

Conſilium autem ſcribendi Apoſtolo fuerunt domeſticæ quædam in Eccleſia Romana diſſenſiones (3) ex eo inductę, quod jugum Legalis obſervantię Gentilibus ad Fidem converſis induci oportere Pſeudo-Apoſtoli prędicarent. Res primum ad diſputationes venit, deinde ad jurgia, & ſeditionem inter Fideles ex Judęis, & ex Gentibus, unde periculum non leve ſeceſſionis utrinque imminebat. Judęi partes ſuas defendebant, ac privilegium natalium ſuorum, & promiſſionum, quę Patribus ſuis divinitus factę ſunt, pręferentes, primas in Eccleſia arrogabant; volebant in ceteris dominari, & quaſi ex aſſe hęredes promiſſionum, & fidei Patriarcharum, ut alienigenas habebant, & nonniſi beneficio quodam in ſuum cœtum adlectos Fideles ex Gentibus. Invidiam pariter in Paganos creabant, revocatis in memoriam miſeræ Gentilitatis erroribus, criminibus, abominationibus, quibus juſta Dei permiſſione tot annorum ſæculis inhęſerant. Se vero dicebant Hebræos eſſe, genus jam inde ab ætate Abrahami electum in ſanctam charamque Deo ſobolem, ſacrarum Scripturarum, atque Propheticarum depoſitarios, ac veluti oculorum Dei pupillam.

Intolerabili hoc Judæorum faſtu offenſi Gentiles, & meritum ſuorum Philoſophorum, & Legiſlatorum ſapientiam efferebant; commemorantes inſuper quanta morum puritate, & ſanctimonia ſuorum quidam vitam egerint, ut ne lato quidem ungue a Legis naturalis tramite deviarent: Accuſabant inſuper Judæos adverſus Deum infidelitatis, adverſus Legem tranſgreſſionis, ac tandem adverſus inſignia Dei beneficia oblivionis; quorum criminum merito extorres a promiſſionibus & hæreditate eorum plerique facti fuiſſent. Ad ſe vero quod attineret, appellatos dicebant, ut in locum excluſæ Judæę gentis venirent; quippe qui minoris criminis rei ante Deum tenerentur.

Hiſce igitur diſſenſionibus componendis, atque in ordinem redigendæ audaciæ Judæorum pariter, & Gentilium, utriuſque Gentis crimina, & errores exaggerat Apoſtolus, demonſtrans, nemini præ alio gloriandum eſſe, quaſi meritorum ſuornm præmium aliquod recipere meruiſſent. Quod a Deo acceperant vocationis privilegium, merum fuiſſe Dei largientis beneficium; neque enim ſive ad juſtitiam, ſive ad gratiam Fidei promerendam aliquid valniſſet ſive Lex Moyſis ſola, & multo etiam minus naturalis Legis obſervantia. Sola ad juſtificationem momenti eſt Fides in Jeſum Chriſtum, quam charitas animat, ornat proborum operum meritum; quæ tamen opera, niſi a fide procedant, nihil agentibus proſunt. Plures occupat per tranſitum objectiones, quas ipſe ſibi conſtitutis ſemel principiis proponit; uti e. g. cum operum Legalium ſine Fide inutilitatem, cum revocationem & gratuitam Judæorum & Gentium prædeſtinationem ſtatuit; cum promiſſionum Divinarum fidem & veritatem; cum Judæorum ſupra Gentiles præſtantiam adſtruit; ex quo ſenſim deducitur ad verba de myſterio Prædeſtinationis & reprobationis facienda; & quamquam parergon illud ad potiſſimum Epiſtolæ argumentum videtur, portionem tamen non minimam ejuſdem ſcripti occupat, atque potiſſimas involvit ipſius Epiſtolæ difficultates,

In Capp. 12. & 13. & 14. & 15. aptiſſimas præſcribit formandis moribus regulas, qua in re nihil ab intentu Operis, componendi nempe domeſticas lites, recedit. Obſervantiæ legalis, & ciborum diſcernendorum inutilitatem fuſius demonſtrans, hortatur Gentiles, ut imbecillitati Fidelium hac in re conſulturi neque id committant, ut coram Judæis nullum habentes ciborum delectum offenſionis illis præbeant occaſionem; neve eorum hac in re religionem ſuperſtitionis, & imbecillitatis accuſent; ſed illud in primis ſtudeant, ut nihil potius, quam pacem, & unionem inter fratres, & Diſcipulos Dei illius, qui ſe Deum pacis appellat, nihil, inquam, potius ducant. Secundum hæc, in Pſeudo-Prophetas invectus, illorum imaginem exprimit, tamquam hominum unice lucro, & ventri ſtudentium; quare Romanos, ut talem hominum fœcem evitent, etiam atque etiam hortatur. Officioſa tandem peroratione epiſtolam claudit, ſalutari inſuper ſuo nomine præcipiens viros quoſdam Eccleſiæ Romanæ ſibi familiares.

De auctoritate hujus Epiſtolæ numquam dubitatum eſt. Data fuit Corinthi anno Jeſu Chriſti 58. quo tempore Apoſtolus ad ferendas e largitionibus Fidelium eleemoſynas iter Jeroſolymitanum initurus erat. Miſſa eſt per Phœben Diaconiſſam Eccleſiæ Cenchrenſis juxta Corinthum. Quamquam Romam, & ad Romanos miſſa, Græcis litteris exarata eſt, Amanuenſe Tertio, quem virum Romanum, ſive Latinum ex ipſo nominis indicio credimus. Sed familiare erat Romanis Græci ſermonis eloquium, familiare, inquam, adeo, ut vel a fœminis adhiberetur (4). Illud etiam accedebat, contingere facile potuiſſe, ut Latinas litteras non calleret Apoſtolus, cum viciſſim Græcis, ceu avitis Tharſi patria ſua excultus fuiſſet. Norat etiam Hebræum, nempe Syriacum, tum temporis in Palæſtina vernaculum, quemadmodum ex Actis (5) compertum eſt.

Stilus neque puritatem, neque elegantiam illam refert, quæ in Græcis ejuſdem ætatis delectat; horret enim aliquando Hebraiſmis, vix Hebræo homini, & in lectione Sacrorum Librorum enutrito evitandis. Inſpergitur etiam ejus eloquium ſolœciſmis; depravato interdum ordine, & longioribus parentheſibus moroſus eſt; quandoque e via pariter divertens, contextum ſermonis, & ſenſum abrumpit, quod difficultatem, & obſcuritatem Lectoribus ingerit non modicam. Sunt qui (6) vitia iſta ſermonis, quæ maxime in Epiſtola ad Romanos ſentiuntur, in Tertium Amanuenſem refundant; ſed præſtat Apoſtolo ipſi tribuere, qui rebus totus intentus, cum nec poſſet conceptuum ubertatem, nec ad majora ſemper feſtinantis ſpiritus impetum retinere, ſingula potius attingebat, quam proſequeretur; & alia aliis inferciens id efficiebat, ut obſcuro ſemper ſtilo tenebras potius, quam lucem Lectoribus offunderet.

Ad rem tamen quod ſpectat, ipſis fatentibus adverſariis, nihil erat gravius, & validius, quam Epiſtolæ ab Apoſtolo ſcriptæ (7). Ipſe pariter de ſe Apoſtolus prodit, rudem ſe quidem eſſe, parum inſtructum in regulis eloquentiæ; quamqnam neceſſaria Apoſtolicis muneribus implendis ſcientia abundaret (8). Excellere illum in regulis Dialectices obſervat S. Auguſtinus (9); eam enim in eloquio ſuo vim præfert, quam in Epiſtolis ipſius ſentimus, cœleſti pariter ſapientia redundantibus (10). Numquam ad divinorum illorum Operum lectionem conferre ſe S. Chryſoſtomus faſſus eſt (11), quin extra ſe admiratione & gaudio raperetur: quamquam, bis ter vel quater in hebdomada, & quoties alicujus S. Martyris memoria celebrabatur, auſcultaret. Et hom. 4. de Laudibus Pau-

(1) *Auguſt. Retract. lib. 1. cap. 25.* (2) *Epiſt. 151. cap. 8. Si voluero diſſerere, nequaquam mihi unus Liber, ſed multa & magna erunt ſcribenda volumina.* (3) *Vide Rom. 16. 16. 17. 18.* (4) *Juvenal. Satyr. 6. ...... Omnia Græce. Cum ſit turpe magis noſtris neſcire Latine.* (5) *Act. 21. 40. & 22. 2. & 26. 14.* (6) *Sixt. Senen. lib. 2. Bibliot. ex Diodor. Tarſ.* (7) *2. Cor. 10. 10.* (8) *2. Cor. 11. 6.* (9) *Auguſt. lib. 1. contra Creſcon. cap. 14.* (10) *Idem lib. 4. c. 7. de Doctrin. Chriſt.* (11) *Prolog. in Epiſt. Pauli.*

Pauli addit, Deum ſingulari quadam providentiæ ſuæ diſpoſitione grandia rerum divinarum myſteria viro illi cœleſti reſeraſſe. Cœlum eſt, ait, in quo juſtitiæ ſol regnat; pelagus eſt puriſſimus & altiſſimus, infinitæ ſapientiæ abyſſum continens. Et in 1. Timot. 3. hom. 4. ſcientiam & eloquentiam Pauli inſidenti Spiritui & ſingularis gratiæ prodigio adſcribit. Antequam ad Chriſti fidem converteretur, ait, Græcarum litterarum pene rudis, nihil eorum norat, quæ apud exteros in pretio habentur; ſolo Hebraico eloquio excultus erat; quo ſermonis genere nihil contemptibilius apud Romanos; vir erat Cilix, qui vitam ſcenofactoriam tolerabat, veſte erat & habitu corporis temnendus. Quæ a S. Chryſoſtomo hic aſſeruntur de ignoratis ab Apoſtolo Græcis litteris ante datum fidei nomen, nobis plane, quemadmodum ſupra inſinuavimus, nequaquam probantur.

Idem S. Doctor lib. 4. de Sacerdotio in eos invehitur, qui Paulum tamquam hominem humanarum litterarum rudem contemnebant. Fatetur ille quidem, humanæ eloquentiæ exercitium viro defuiſſe; inſtructum tamen alioqui defendit vi & ſcientia, promovendis Fidei rebus opportuna. Si quis comparationem inſtituat inter eloquentiam Apoſtoli, & Iſocratis, Demoſthenis, Tucididis, & Platonis, fateatur oportet, quemadmodum ipſe pariter de ſe teſtatur Apoſtolus, artificioſo eloquii genere deſtitui virum; præſtare tamen ſcientia veritatis & Religionis. Quod tamen viro fuiſſe par eſt eloquentiæ robur, cum maxime conſuadendus ſuſcepit Judæos, cum refutandos Gentiles in pleno Areopagitarum conceſſu verba fecit? Quinam, rogo, niſi ad eloquentiam viri, perſuaſi Lyſtrenies Apoſtolo tamquam Mercurio litandum ſuſceperant? Unde tanta erga ejus ſcripta admiratio capit, non Chriſtianos modo, ſed Judæos, ipſoſque Paganos? Nonne ex robuſta illa, maſcula & inſita quadam viro eloquentia?

S. Hieronymus Epiſt. 61. ad Pammach. ſcribit, Vas illud electionis tamquam buccinam aliquam Evangelii clangentem habendum eſſe, tamquam mugientem Leonem Juda, tamquam eloquentiæ Chriſtianæ fluvium, qui admiratione potius quam verbis rapit in contemplationem abdiſſimorum Chriſtianæ Fidei myſteriorum, omnibus retro ſæculis ignotorum, & in divinæ Sapientiæ abyſſum introducit. *Quem quotieſcumque lego*, addit ille, *videor mihi, non verba, ſed audire tonitrua*. Perſuaſum habet idem S. Doctor (1), Apoſtolum non niſi demiſſione quadam & modeſta de ſe ſentientis humilitate ſcripſiſſe 2 Cor. 11. 6. *Et ſi imperitus ſermone, ſed non ſcientia*; namque, ait S. Doctor, *illi utrumque non deerat, ſed unum humiliter renuebat*. Demonſtrat alibi (2), exculttiſſimum fuiſſe virum in regulis dialecticæ, quemadmodum ſatis demonſtrant, quæ proſequitur, argumenta, & quas ex conſtitutis a ſe principiis conſecutiones urgendis adverſariis deducit.

Ex Epiſtolis Pauli ac maxime ex Epiſtola ad Romanos, (3) plura detruncabant Marcionitæ. Ita e. g. e poſtrema hac Epiſtola duo integra noviſſima capita demebant (4). Hæreticorum vero alii, veluti Ebionitæ (5), univerſas ſine exceptione rejiciebant, utpote erroribus ſuis plane e diametro contrariis. Encratitis & Marcionitis geminæ Epiſtolæ ad Timotheum, & ſingularis ad Titum inviſæ fuerunt (6). Quidam Fabricii diſcipulus, quem Scripto ſuo exagitavit Auguſtinus (7), contendebat, in Epiſtolis Pauli plura admiſceri, Spiritu Sancto auctore non ſcripta, quibus ſcribendis viri induſtria ſive ſpiritus hominis valuiſſet; quod maxime de Epiſtola ad Philemonem ſentiebat, & de aliis quibuſdam, quæ Apoſtolus abſque ſpeciali Dei revelatione noſſe potuerat. Sed aliter Eccleſiæ Catholicæ viſum, cui quatuordecim Epiſtolæ integræ prorſus, nulloque dempto, tamquam divinum Opus probantur. Tertulliani ætate ſive earum Epiſtolarum Autographa, vel ex Autographis deſcripta Exemplaria ſervabantur. *Authentica ipſa littera, Apoſtolorum ſonantes vocem, & repræſentantes faciem uniuſcujuſque* (8). Idem in lib. de Monogam. cap. 11. ad Græcum originale S. Apoſtoli provocat: *Sciamus plane non ſic eſſe in Græco Authentico, quomodo in uſum exiit.*

Alibi etiam animadvertimus, modum Epiſtolæ ad Romanos imponere Apoſtolum facile voluiſſe, in exitu capitis 14. cui deinde opportunum tempus nactus, duo ſequentia capita ſubtexuit; quin & caput 16. variis conſtare poſt inſcriptis, colligitur ex illa clauſula bis recurrenti: *Gratia Dei ſit cum omnibus vobis*; ac tandem ſimilis clauſula in exitu capitis 15. legitur: *Deus pacis ſit cum omnibus vobis, Amen.*

S. Pauli nomine ſcripta plurima vulgata ſunt tanto viro indigna. Notæ ſunt Epiſtolæ Senecæ ad Paulum, & viciſſim; ſicut & alia ſuppoſititia ejuſdem Pauli ad Laodicenos. Meminit poſt Origenem de Princip. lib. 1. cap. 2. Euſebius hiſtor. Eccle. lib. 3. cap. 25. Actuum quorumdam S. Pauli, in quibus plura tum de itineribus cum de rebus ab eo geſtis. Nicephorus lib. 2. cap. 25. longum ex eo Opere fragmentum recitavit certaminis, veri, an ſecus, quod Paulo in urbe Epheſi beſtiis expoſito ſubeundum fuit.

Diſcipuli Simonis Magi erroribus ſuis vulgo imperito approbandis Librum ea de re ſuppoſuerunt, inſcriptum: *Prædicatio S. Pauli* (9); cujus præter nomen nihil ad poſteros tranſmiſſum eſt. Non defuiſſe narrat Tertullianus contra Marcion. lib. 4. cap. 5. viros, qui Evangelium S. Lucæ Paulo Apoſtolo tribuerent, ea plane ratione adductos, qua Diſcipulorum omnia ad Magiſtros referre ſolemus. Longius adhuc alii excurrentes (10) autumarunt, dictante Apoſtolo exceptum Evangelium illud a S. Luca; perſuaſum interim habentes, ſemper opus illud inſinuaſſe Apoſtolum, quoties phraſim illam uſurparet (11): *Secundum Evangelium meum*; quod nos in Prolegomenis ad S. Lucam diſcuſſimus. Ejus tandem nomine inſcripſerunt alii Evangelium & Apocalypſim, a Concilio Romano ſub Gelaſio cenſura inuſta.

Presbyter quidam Aſiæ ſuppoſuerat Pauli Apoſtoli nomine Itinerarium quoddam S. Pauli & Theclæ; ſed fraudis ſua pariter confeſſione a S. Joanne Evangeliſta convictus, amotus fuit a Sacerdotio (12). Apoſtolum in hæc verba loquentem inducit S. Clemens Alexandrinus, qui facile ſermonem illum ex Opere aliquo apocrypho deſcripſit (13): *Libros Græcorum ſumite, agnoſcite Sybillam, quomodo unum Deum ſignificaverit, & quæ futura ſunt. Hyſtaſpem ſumentes legite, & invenietis Dei Filium multo clarius, & apertius ſcriptum, & quemadmodum adverſus Chriſtum multi Reges inſtruent aciem, odio habentes illum, & iſtos, qui geſtant nomen ejus, & Fideles ejus, illiuſque tolerantiam & adventum. Deinde uno verbo nos interrogat: totus autem mundus, & quæ ſunt in mundo, cujus ſunt? nonne Dei?* Sed non inviti credimus, verba illa ejuſdem impoſtoris fraude ſuppoſita fuiſſe, qui nobis fictas Sybillas & non genuinum Hyſtaſpem fabricavit.

Suſpicati ſunt nonnulli, Apoſtolum inter duas Epiſtolas ad Theſſalonicenſes mediam aliam ſcripſiſſe ad Fideles pariter ejus Urbis; quod illis in mentem venit ex verbis Apoſtoli 2. Theſſalon. 2. 2. *Non cito moveamini, neque per Epiſtolam, tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.* Sed eo Apoſtoli teſtimonio probaretur tantum, hanc Epiſtolam, ſi forte aliqua miſſa eſt, Pauli Apoſtoli ementitum nomen prætuliſſe. Tertiam etiam ad Corinthios Epiſtolam invexerunt alii ex illis 1. Cor. 5. 9. verbis: *Scripſi vobis in Epiſtola ne commiſceamini fornicariis.* Sed præſtat poſtrema

(1) *Hieron. ad Marcellam, de Ephod. &c.* (2) *Hieron. ad Paulam, de alphabeto Pſal. 118.* (3) *Tertull. l. 5. cont. Marcion. c. 13. Quantas autem foveas in iſta maxime Epiſtola Marcion fecerit, auferendo quæ voluit, de noſtri Inſtrumenti integritate patebit.* (4) *Origen. ad finem c. 16. Ep. ad Romanos.* (5) *Irena. l. 1. c. 26. Euſeb. l. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 27.* (6) *Tertullian. contra Marcion. lib. 5. cap. 2.* (7) *Aug. lib. contra Adverſar. Leg. & Prophet.* (8) *Tertull. de Præſcript. cap. 36.* (9) *Cyprian. edit. Oxon. tom. 3. de Baptiſmo pag. 30* (10) *Athanaſ. ſeu alius in Synopſ. Sacr. Script. Appendic.* (11) *Rom. 2. 16. & 16. 25. & 2. Timoth. 2. 8.* (12) *Tertull. de Baptiſmo cap. 17. Hieron. de viris Illuſtr. cap. 7.* (13) *Clemens Alexan. lib. 6. Strom. pag. 636.*

Digitized by Google

ma hæc ad priora Apoſtoli verba 1. Cor. 3. 16. 16. referre: *Neſcitis quia Templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem Templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus:* & alia 1. Cor. 5. 6. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Secundum denique Epiſtolam ad Epheſios quidam ſuſpicati ſunt ex illo ad Ephes. 3. 3. *Quoniam ſecundum revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi, in brevi.* Sed verba illa ad ſuperius caput 2. ejuſdem Epiſtolæ referre juvat.

DISSERTATIO

In Prædeſtinationem & Reprobationem Hominum.

DOgma eſt Chriſtianæ Religionis ſanctum aſſertumque, homines ab ipſa æternitate irrevocabili decreto ſive gloriæ, ſive reprobationi æterniſque ſuppliciis addictos fuiſſe. Omnium etiam Catholicorum Theologorum conſenſu certum eſt & exploratum, prædeſtinationem ad gratiam, & vocationem ad Fidem, Dei munifica liberalitate donari. Quare aliud quæſtionis de prædeſtinatione & reprobatione hominum agitatæ punctum eſt; quæſtionis nempe, quæ tot jam ſæculis viros doctos in partes diſtraxit, ac turbas in Eccleſia concivit non infrequentes. Totus igitur controverſiæ cardo in eo verſatur, ut ratio ipſa prædeſtinationis, & quæ fuerint Deo prædeſtinandi reprobandique homines, cauſæ aſſignentur. Qui etiam fieri poſſit, ut variæ illæ Scripturæ phraſes concilientur, quarum aliquæ hominis ſalutem libero ejus arbitrio integram committunt; aliæ verò Deo totam reſervari ferunt? Quæ ſit pariter ratio componendi gratiam atque infallibilem certamque divinorum decretorum vim cum ipſa hominis libertate? En totius quæſtionis cardo, quem plenius verſandum in hac noſtra Diſſertatione neque ſuſcipimus, neque, ſi maxime ſuſciperé ſtatueremus, ut tantam rem pro dignitate unica Diſſertatione tractaremus, numquam contingeret. Quare id potius agendum eſt nobis in præſentia, ut hiſtoricam quamdam narrationem texamus variæ & multiplicis illius rationis, qua controverſia iſta in Eccleſia ad noſtram uſque ætatem tractata eſt; deſignato tandem ſyſtemate, quod nos commodiſſimum præ omnibus tollendis difficultatibus judicamus.

Veteres Judæi animas antea exiſtere quam in corpora immitterentur perſuaſi, ita de prædeſtinatione & reprobatione reputaſſe credendi ſunt, quaſi Deus inſita in animabus ad bona vel mala ab ipſis in corpore præſtanda indole perſpecta pro futuris illorum meritis præmia vel ſupplicia diſponeret. In Eccleſia Chriſtiana Syſtema illud Origeni ejuſque ſectatoribus arriſit. Poſt Origenem, animadvertentes Patres quantis abuſionibus per Manichæos & Marcionitas exponeretur principium illud de recta pravaque animarum indole, antequam in corpora illaberentur; illud ſibi aſſerendum ſuſceperunt, Deum ſupplicia vel præmia decernere, non pro anteactis meritis, quod Origeni perſuaſum, ſed futuræ vitæ operibus inſpectis, quæ bono pravoque liberi arbitrii divina gratia adjuti uſu præſtarentur. Ita de prædeſtinatione S. Chryſoſtomus & Græcorum plerique.

Plus aliquid libertati indulgendum cenſuit Pelagius defendens, prædeſtinare Deum ac reprobare homines, prænoſcens rectum pravumque uſum liberi arbitrii; quod ille ea confidentia aſſerebat, ut bono ſupernaturali præſtando naturales hominis ſufficere vires, neque auxilio indigere ſupernaturali contenderet. Defendit S. Auguſtinus, prædeſtinationis privilegium beneficium eſſe prorſus ex parte Dei largientis gratuitum; cum enim una damnationis ſententia primus Pater & ceteri deinde ejus filii obvolvantur, atque in unam corruptionis maſſam mortales omnes confunderentur, Deus ab ipſa ſtatuit æternitate certum quemdam ſelectumque numerum prædeſtinatorum eligere, quos, nullis propriis ipſorum meritis ſpectatis, clementiæ ſuæ & miſericordiæ exemplum ſtatueret; relictis interim aliis, latenti quidem, ſed numquam injuſta diſpoſitione, quippe quos deſerendi in cauſa habebat ſive originale illorum crimen, ſive peculiaria ſingulorum, quibus originalis ſceleris meritum auxerant. In hanc ſententiam conceſſerunt Patres & Theologi fere omnes Eccleſiæ Latinæ, uſque ad exortas noviſſimis ſæculis hæreſes Lutheri & Calvini.

Hæretici illi, Auguſtiniano ſyſtemate abuſi, docuerunt, liberum hominis arbitrium poſt Adami lapſum penitus intercidiſſe. Quibus revincendis, Theologi quidam noſtrates aliud ſibi defendendum ſyſtema opportunius judicantes, decreta quædam invexerunt certis quibuſdam conditionibus adſtricta, & futurorum meritorum prævisionem aliquam, in quam tota ratio prædeſtinationis & reprobationis hominum refunderetur.

Ita factum eſt, ut quæſtionis hujus ſtatus ſæpius in Eccleſia Chriſtianorumque Scholis mutaretur; ſed variata licet tanti myſterii exponendi ratione, inconcuſſa ſemper dogmatis de prædeſtinatione veritas manſit; nihil derogatum certitudini divinorum decretorum, & juribus, quæ miſericordiæ & juſtitiæ Dei, quæ libertatis hominum & gratiæ Servatoris. His enim ſi forte ab Hæreticis aliquando adverſum aliquid intentatum eſt, actutum a Doctoribus Catholicis impugnati, ab Eccleſia cenſura inuſti, temeritatis ſuæ pœnas luerunt. Sed hæc fuſius demonſtranda.

Perſuaſum habent Hebræi creatum a Deo hominem rectum, in ipſo innocentiæ & juſtitiæ culmine (1); mortem non a Deo factam (2), ſed invidia & nequitia Dæmonis in mundum invectam (3); poſito a Deo homine in manu conſilii ſui, ſtatuto ante illos igne & aqua, pravo rectoque, relicta illis libera eligendi facultate (4). Præmia pariter & ſupplicia æterna manere pro vitæ merito atque liberi arbitrii exercitio pravo rectoque, ſingulis rependenda. Philo (5), Joſephus (6), & Rabbini (7) docent, animas prius extitiſſe quam in corpora illaberentur; quin & ejuſdem eſſe naturæ variiſque tantum nominibus diſcretos Angelos, Dæmones & animas Philo (8) autumavit. Qua autem ratione boni ſunt pravique Angeli; ita pariter opinatur ille pravarum eſſe proborumque animarum genera duo. Addit, animas, non ſecus ac Angelos, in defæcatiſſima atque celſiſſima aeris parte ſedem habere, unde animæ illæ in corpora dilabentes, peculiarem ſingulæ indolem bonam pravamque ſecum referunt. Frui tandem illas dicit (9) plena in bonum malumque libertate, qua ſibi vel æterna præmia vel ſupplicia promereantur.

Phariſæorum hac de re dogma, quod & ejuſdem Hiſtorici Phariſæi eſſe conſtat, non ſemel exponit Joſephus, prodens (10), ita fatum ab illis admitti, ut nihil

(1) *Eccleſ. 8. 30. Hoc inveni, quod fecerit Dominus hominem rectum.* (2) *Sap. 1. 13. Deus mortem non fecit* (3) *Sap. 2. 24. Invidia Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* (4) *Eccli. 15. 14. Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui, &c.* (5) *Philo de Gigan. p. 285. & de Confuſ. Ling. p. 331. & de Plantat. Noe pag. 216. & de ſomniis p. 586.* (6) *Joſeph de bell. Judaic. l. 2. c. 12. pag. 787. &c.* (7) *Vide Manaſſe Iſrael, Bon Concil. in Geneſ. 96 p. 12. & de Creatione problemat. 25 p. 61. Vide & Grot. in Sap. 8. 20 & in Joann. 9. 2.* (8) *Philo de Gigant. p. 286. Idem l. 2. De Legis Allegor. p. 74 75. De Plantat. Noe pag. 216. Idem de ſomniis pag. 586. 592. & De Confuſion. Linguar. p. 329.* (9) *Philo lib. Quod Deus ſit immutabilis, p. 308.* (10) *Joſeph. Antiquit. l. 18. c. 2. de Phariſæis. Idem lib. 2. de bello cap. 12. p. 788. de Phariſæis. Joſeph lib. 3. de bello Jud. cap. 10. pag. 852.*

Digitized by Google

velint derogatum tum libero hominis arbitrio, cum ſummæ Dei poteſtati. Animæ, quæ ante illapſum in corpora, bona exercuerunt, corporeis reſolutæ vinculis ad priſtinas remeant ſedes, data illis pariter facultate in corpora pro arbitrio regrediendi; ſontes ſupplicia manent æterna. Ac de Eſſeniis lib. 2. de bello cap. 12. tradit, in ea viros illos fuiſſe ſententia, ut animas crederent immortales, eaſque inſita quadam a natura vi in corpora velut in carceres propelli: poſt obitum, juſtos in locis amœnis & deliciis plenis trans Oceanum otiari; impios vero pœnas luere æternas in horrentibus quibuſdam tormentorum locis. Auctor Sapientiæ, quem Librum Veteres nonnulli Philoni tribuerunt, ita loquentem Salomonem inducit cap. 8. 20. *Puer eram ingenioſus & ſortitus ſum animam bonam; & cum eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*. Scriptoris verba in partes defendentium animatum præexiſtentiam trahi facile potuiſſent; re tamen nihil aliud inſinuant, quam animas alias aliis præſtare; eſſe pariter corpora melioris alia præ aliis habitudinis.

Erant pariter, quibus in ea ſententia fuiſſe Apoſtoli viderentur (1); cæci enim nati occaſione quæſiverunt a Jeſu, cujus merito infortunium illud homini accidiſſet, parentum ne, an viri illius crimine? Quod in eam ſententiam dictum videri potuiſſet, nimirum hominem illum merendi & demerendi, antequam in mundum veniret, facultate inſtructum fuiſſe. Obtinet hodie uſque ea opinio apud Hebræos, quibus & animarum præexiſtentia & metempſycoſeos genus quoddam probatur juxta ac Menaſſe Ben-Iſrael aſſeruit. Exponunt in eam rem illud Jeremiæ 1. 5. *Priuſquam te formarem in utero, novi te; & antequam exires de vulva, ſanctificavi te*. Eo etenim ſententiam illam pertrahunt, quaſi anima Jeremiæ jam inde a mundi exordio extitiſſet, & ex tunc Deus ad munus propheticum ſtato tempore implendum illam deſtinaſſet. Favet huic interpretationi Origenes, ejuſque ſectatores, ſi S. Hieronymo in Jerem. 1. fides habeatur. Hujus ſententiæ fons in Pythagoreis ſtatuendus eſt, & facile in Ægyptiis, apud quos Pythagoras 22. annos egit.

His ſemel in animum inductis, myſterium prædeſtinationis & reprobationis ſtatim omne reſeratur, illud obtendendo nimirum, Deum ſalutem ſive reprobationem hominum decreto ſuo edicere pro merito indolis bonæ pravæque, quam in anima, antequam in corpus illabatur, explorat; nec modice ad eam rem conferre rectum, vel ſecus, liberi arbitrii uſum, quem ab illis præſtandum intelligit. Ita Origenes autumavit, qui ea tenebatur ſententia, qua Hebræorum plerique, de præexiſtentia animarum. Nec facile ex alio fonte, quam ex Judæis, Auctor iſte ſyſtema ſuum deduxiſſe credendus eſt.

Arbitratus eſt Scriptor ille (2), animas, quæ plura in aere ſæcula egerant, antequam in corpora deſcenderent, ibi pariter meritum prædeſtinationis reprobationiſque pravo rectove liberi arbitrii uſu ſibi paraſſe. Statuebat, hominem plena eſſe in bonum malumque libertate; quæ illi accidebant in hac vita proſpera, vel adverſa, hæc ſibi præmium ac ſupplicium bonorum malorumque, quæ in altera perpetraſſet vita, promeruiſſe (3). Quin etenim in eo rerum ſtatu animæ expeditam haberent merendi demerendique libertatem, ne dubitabat quidem (4). *Pro quibus omnibus non aliter poterit reſpondere, niſi priores quædam eis fuiſſe cauſæ dicantur, quibus antequam in corpore naſcerentur animæ, aliquid contraxerint culpæ in ſenſibus vel motibus ſuis, pro quibus hoc merito pati a Divina Providentia judicatæ ſunt. Liberi namque arbitrii ſemper eſt anima etiam cum in corpore hoc, etiam cum extra corpus eſt*. Alibi vero, poſt prolixum quoddam fragmentum Libri cujuſdam Apocryphi, quo tradebatur viros inſignes V. T. ab Angelis animatos fuiſſe, ſive ab animabus naturæ ceteris omnibus præſtantioris, ut e. g. in Jacob vicem animæ ſupplevit Angelus Iſrael, inter primores Aulæ cœleſtis, addit (5): Animadvertendum eſt, an ſemel hiſce conſtitutis ſolutio pateat notiſſimæ illius quæſtionis, cur Deus Jacob Eſau prætulerit, quamquam boni aliquid malive neuter adhuc egiſſet: *Non recurrentibus nobis ad Opera hanc vitam præcedentia, quomodo verum erit injuſtitiam non eſſe apud Deum, ſi major ſerviat minori, odio habitus antequam digna vel ſervitute vel odio fecerit?*

S. Hieronymus in Epiſtolam ad Epheſios (6) ſcribens, Origenis ſententiam de prædeſtinatione exponit, aſſerens ex ejus mente prædeſtinari homines a Deo, *Non ex præjudicio ſcientiæ ſuæ, ſed ex merito electorum*. Addit, ex Origenis perſuaſione, cœlum terramque inviſibilibus incoli creaturis, quas latenti divino conſilio præcipites egerit Deus in hanc lacrymarum vallem; & ante memorandum hunc creaturarum lapſum, S. Paulum ceteroſque illi ſimiles, quod ab omni labe puros videret, Dominum ſeceviſſe. Hanc ſententiam refutat S. Hieronymus, ipſius Pauli verbis demonſtrans, non ideo Deum homines prædeſtinaſſe, quod ſancti fuerint, ſed ut eſſent.

Pamphilus Martyr Apolog. pro Orig. teſtatur, hanc de præexiſtentia animarum Origenis ſententiam minus aliquibus probari, excuſatione tamen dignum illum cenſet, demonſtrans, nihil uſpiam certi ab illo de anima definitum; ſed propoſitis tantum conjecturis ſuis, Eccleſiæ judicio cauſam integram reliquiſſe. Tuetur inſuper Pamphilus Origenis partes, adverſæ opinionis incommoda omnia exaggerans. Fateamur quidem oportet, Origenem aliquando ambiguitatem ſuam ea de re prodidiſſe (7); ſed animatum præexiſtentiam tam frequenter in ſuis Operibus inculcavit, ut eadem ſentire ſe non obſcure demonſtret.

Ad prædeſtinationem vero quod attinet, nullus dubito, quin ea teneretur opinione, Deum pro merito ejus, quam in anima explorat, indolis, præmia illi vel ſupplicia decernere (8): *Ut autem ſcias, non præſcientia Dei unicuique ſalutis cauſam poni, ſed in propoſito & actibus ſuis, vide Paulum verentem, ne cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus inveniatur*. Et in Ep. ad Rom. 9. pag. 378. colum. 2. de Jacob & Eſau agens ſcribit (9), Jacob meritis ſuis accepto retuliſſe, ut a Deo in vas honoris formaretur, ipſum enim ſe diſpoſuiſſe atque ab omni elutum macula purgaſſe; quod autem inertiorem operam in hac re Eſau poſuiſſet, ideo in vas ignominiæ a Deo transformatum. Addit inſuper (10), Paulum ipſum ſibi in cauſa fuiſſe, cur ab eo, cui omnia antea explorata ſunt quam contigerint, eligeretur; Deum enim proſpexiſſe, quæ ipſe in agro Eccleſiæ colendo dura perpeſſurus eſſet. Uno verbo, *quos præſcivit Deus tales futuros, ut Chriſto ſe in paſſionibus conformarent, ipſos etiam conformes ac ſimiles imaginis ejus prædeſtinavit & gloriæ*. Ex quibus omnibus recta conſecutione deduxit S. Hieronymus in Ep. ad Cteſiphontem, ex Origenis doctrina profeciſſe Pelagium; cujus Hæretici dogma *Origenis ramuſculus eſſet*.

S. Chryſoſtomus ceterique coævi Patres, ut ab Origenis errore longius recederent, qui æternam atque tem-

(1) *Joan. 9. 2.* (2) *Vide Hieron. in Epheſ. 4. 2. p. 395. nov. edit.* (3) *Origen. in Matth tract. 35. p. 123.* (4) *Origen. l. 2. Peri archon, circa fin.* (5) *Orig. in Jo to. 5. edit. Huet. & edit. Genebr. pag. 181. Vide & Philocaliam pag. 70. edit Oxon.* (6) *Hieron. in Epheſ. 1. 4. & 4. 2. pag. 325. & 327. nov. edit. & pag. 395. Vide eumdem Epiſt. 8. & 61. & Epiph. Epiſt. ad Jo: Hieroſolymit.* (7) *Vide e. g. l. 2. Peri archon. pag. 420. & in Jo: to. 7. pag 187.* (8) *Origen. in Epiſt. ad Rom.* (9) *Ut enim Jacob eſſet vas ad honorem ſanctificatum... anima ejus emundaverat ſemetipſam. Et videns Deus puritatem ejus, poteſtatem enim habens ex eadem maſſa facere aliud vas ad honorem, aliud ad contumeliam: Jacob quidem, qui, ut diximus, emundavit ſemetipſum, fecit vas ad honorem; Eſau vero, cujus animam non ita puram nec ita ſimplicem vidit, ex eadem maſſa fecit vas ad contumeliam.* (10) *Idem in Epiſt. ad Rom. 1. lib. 1. Paulus electionis ſuæ cauſas in ſemetipſo dedit ei, qui ſcit omnia, antequam fiant. Prævidit enim Deus, quod abundantius ceteris laboraturus eſſet in Evangelio.*

temporalem hominis felicitatem, prædeſtinationem & reprobationem e meritis alterius vitæ repetebat; volentes inſuper adverſarios ſe præbere erroribus Marcionis & Manichæorum, qui, duobus admiſſis principiis, bono pravoque, totam liberi in homine arbitrii œconomiam ſubvertebant; prava enim natura ſua anima, neque in bonum libera eſt, neque, ſi crimen aliquod admiſerit, quod neceſſitate & natura peccaverit, jure corripienda eſt; Patres, inquam, illi, tria ſibi defendenda ſuſceperunt. 1. Hominem auxilio gratiæ præventum, vere expeditam in rectum pravumque, meritum & demeritum, habere facultatem. 2. Nullam nobis ex præſtituto reprobationis prædeſtinationiſque decreto imponi neceſſitatem. 3. Deum nulla ſibi præcedentia merita, ſed futura tantum propoſuiſſe, ut pœnas vel præmia mortalibus ſanciret.

Hæc nobis demonſtranda manent ex ipſo S. Chryſoſtomo, quem velut oraculum Græcæ Eccleſiæ ad noſtram uſque ætatem haberi ignoraverit nemo. Scribens S. Doctor in illa verba Epiſtolæ ad Romanus (1): *Cum nondum nati fuiſſent*, (Jacob. & Eſau) *aut aliquid boni egiſſent, aut mali, dictum eſt ei* (Rebeccæ) *quia major ſerviet minori. Qua de cauſa hic quidem amari, ille autem odio habitus erat? Quoniam quidem hic malus, ille autem bonus erat; quamquam illis nondum natis, alter quidem honorabatur, alter autem condemnabatur; adhuc enim nati cum non eſſent, dicebat Deus: Major ſerviet minori. Cur igitur hoc dixit Deus? Quod non expectat, quemadmodum homo a rerum exitu videre, quiſnam bonus ſit, quiſnam item non talis; ſed etiam antea novit, quiſnam malus, & quis non talis. Deus unus eſt, qui dignos noverit* (2); *hominum autem nemo, ut etiam valde noſſe videantur. Qui cognitionis arcana ſolus novit, is aperte novit quinam digni ſunt, qui coronas reportent, qui rurſus pœnam aut ſupplicium mereantur. Hoc igitur* (3) *præſcientiæ eſt, ab ipſorum partu electionem facere; a primo enim die bonum, & eum item qui talis non eſt, & novit, & pronuntiavit. Quam multi Matthæo meliores eſſe videbantur, ab apparenti operum argumento? Verum qui arcana novit, is & in cœno Margaritam jacentem novit. Non operum probationem* (pag. 232.) *quærit ſolum Deus, ſed voluntatis nobilitatem, ac probam gratamque mentem.*

De Pharaone vero agens (4), obſervat, Regem illum ſcelerum ſuorum merito in iniquitate animum obfirmaſſe, in vas indignationis transformatum; viciſſim autem fideles Judæos miſericordiæ vaſa effectos genuina ipſorum probitate atque integra in Deum fide; quamquam enim in negotio prædeſtinationis potiores Dei partes habendæ ſunt, de noſtro tamen minimum quid ponendum eſt. Quod enim ad prævenientem miſericordiam ſpectat, id unice in Deum referendum; quod autem velimus & curramus, non in noſtra tantum virtute poſitum, ſed in nobis, Divina tamen gratia adjutis. Concludit tandem (5), neque Judæos omnes, neque Gentiles pariter univerſos Deum ſalutis beneficio donaſſe, ſed eos tantum, quos inſigni illo privilegio dignos norat. Alibi inſuper obſervat (6), Deum non Judæos omnes & Gentiles vocaſſe, quippe qui ſciret plures vocationi ſuæ obſtaculo futuros. Plane ſi vocatio Dei unice ſufficeret, ait, ut quid non omnes ad ſalutem veniſſent? Itaque ſi ſalutis beneficio aliqui donati ſunt, id non in vocationem tantum Dei refundendum, ſed in bonam etiam eorum voluntatem: ita enim vocati ſunt, ut nihil libertati hominis derogaretur.

Alio in loco (7) ſcribit, Regnum Cœlorum electis deſtinatum eſſe jam inde ab exordio mundi, antequam ipſi prodirent in lucem; notat enim Deus quidquid ab illis ſuo ſingulis tempore præſtaretur. Et in Pſal. 138. 3. ad illa verba: *Tu cognoviſti cogitationes meas de longe*: Sunt, ait, homines adeo rudes & ſcientia deſtituti, ut dicant; Hic homo probus eſt, quod a Deo electus ſit & dilectus; iſte impius, quod a Deo odio habitus. Contrarium plane docet Propheta, operum noſtrorum experimento probari nos a Deo perhibens: noſſe vero illum, antequam in lucem veniant, an virtutis amore tenendi ſint homines; ex quo præſcientiæ ſuæ inſigne præbet documentum; quam ſcilicet præſcientiam experimento operum noſtrorum confirmat, veritus, ne præſcientia ſua virtutum noſtrarum cauſa reputetur. Eadem confirmat Apoſtolus ingeſto Jacob & Eſau exemplo; eorum enim futura merita Deus longe antequam naſcerentur, prænoſcens, alterum alteri ſubjecit.

Scribens autem in Epiſtolam ad Epheſios (8), docet. *Si homines eligentes, quæ ſunt optima & pulcherrima eligant, multo magis Deus. Electos quoque eſſe, eſt & Dei benignitatis & clementiæ, & ipſorum virtutis indicium; probatos enim elegit*. Et poſt modica: *Non fit* (prædeſtinatio) *a laboribus* (noſtris), *Sed a charitate* (Dei); *neque a charitate ſolum, ſed a noſtra virtute. Nam ſi a charitate ſola, oporteret nos eſſe ſalvos. Si autem rurſus a noſtra ſola virtute, ſupervacaneus fuiſſet ejus adventus, & quæcumque facta ſunt per diſpenſationem. Sed neque ſola charitate, neque noſtra virtute, ſed ex utriſque*. Et in Pſal. 134. obſervat, Deum, cum e medio gentium populum Judæorum diſcerneret, non infrequentem eorum numerum, ſed altum virtutis gradum, ad quem elevare illos meditabatur, ſpectaſſe. Magis enim futurum ut conſiliis ſuis ſerviret populus Hebræorum, prænoverat, quam gentes aliæ & numero hominum, & divitiis florentiores.

Laudantur alia S. Chryſoſtomi loca (9), quibus favere viſus eſt gratuitæ prædeſtinationi; ſed hæc a nonnullis Theologis referuntur ad prædeſtinationem ad gratiam, & vocationem ad fidem, quæ ſane beneficia eſſe gratuita, quis neget. In eamdem ſententiam conceſſerant poſt S. Chryſoſtomum cæteri deinde Græci Patres; quare ſupervacaneum reputamus integra referre Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii, & aliorum teſtimonia, quos maxime novimus fidos S. Doctoris ſectatores. Quod autem extra controverſiam poſitum eſt, illud reputandum, nimirum S. Chryſoſtomum in hoc argumenti genere, ſicut & in cæteris, nihil niſi Orthodoxum ſentire; ſi quæ vero minus correcta ſcribenti exciderant, hæc ideo excuſanda, quod caſtigatum nullum ſermonem Eccleſia adhuc præſcripſerat, neque Pelagiana hæreſis emerſerat, quæ Eccleſiaſticos Doctores in loquendo cautiores adverſus ejus errores redderet. S. Auguſtinus (10) pro ſua ſententia ſæpius S. illum Doctorem laudavit, veluti ſuarum partium vindicem adducens in diſputationibus de prædeſtinatione & gratia adverſus Pelagium. Semper ac de conciliatione Eccleſiæ Græcæ cum Latina tractatum eſt, magna fuit animorum hac de re conſenſio; in re enim conveniebat utrimque, quamquam loquendi phraſibus a Latinis diverſis Græci uterentur. Minus exacte præ Latinis Græci locuti videntur, quod Pelagiana hæreſis, occidentis maxime plagas infeſtans, Doctores noſtros cautiores doctioreſque effecerit.

Non ita tamen reputandum eſt, quaſi nihil prorſus de noſtris diſputationibus apud Græcos neſciretur. Norant enim ætate Photii (11) Scripta S. Auguſtini, Cæleſtini Papæ, S. Proſperi Libros de gratia adverſus Pelagianos & Semipelagianos damnabant veluti Hæreticos, quos cenſura inuſſerant Concilia Africana, & SS. Auguſtinus & Proſper ſcriptis ſuis refutarunt. Jam inde a pluribus ſæculis (12) doctrinam plerumque ſequuntur S. Joannis Damaſceni de prædeſtinatione & gratia, quemadmodum Gennadius in ſuis Lucubrationibus de prædeſtinatione & providentia teſtatur. Docet autem S. Joannes Damaſcenus, de Fide orthodoxa, lib. 4. cap. 19. (13), prædeſtinationis

(1) *Pag.* 234. (2) *Pag.* 235. (3) *Pag.* 236. (4) *Hom. in Rom.* 9. *p.* 239. 240. 241. (5) *Idem p.* 245. (6) *Chryſoſt. in Rom.* 8. *p.* 213. (7) *Hom.* 80. *in Matth.* 25. *p.* 837. (8) *Chryſoſt. hom.* 1. *in Epheſ.* 1. *ver.* 1. (9) *Hom.* 2 *in Epiſt. ad Epheſ.* 1. 11. *hom.* 7. *in* 1. *Cor.* 2. *pag.* 63. *hom.* 2. *in* 2. *Timoth.* 1. *pag.* 545. *In Pſ.* 5. *pag.* 40. *hom.* 4 *in Theſſalon.* 2. *pag.* 386. *&c. hom* 28. *pag.* 358. *hom.* 20. *in Galat.* 5. *pag.* 1036. (10) *Auguſt. l.* 1. *c.* 2. *contra Julian. & l.* 2. *c. ult. & l.* 4. *c.* 3. *&c.* (11) *Photius Cod.* 54. *Bibl.* (12) *Renaudot Præfat.* 5. *to. Perpetuit. fidei Galliæ.* (13) *Vide & Dialog. cont. Manich. pag.* 72. *nov. edit.*

nationis & reprobationis decreta cauſam habere conſtitutem bones maleſque hominum voluntates; quod perinde eſt ac ſi Deus pro merito ſingulorum pœnes decerneret, vel præmia. Dene anteeedente, quem vocant, voluntate ſalutem hominibus impertiri maxime cupit, quemadmodum idem S. Doctor [1] obſervet; ſed voluntate ſua conſequente ſupplicis in impios animadvertere intendit. Porro conſequenti voluntati duo propoſita inne, prædeſtinatio nempe & reprobatio; prædeſtinatione in ſalutem perducimur, juxta conſtitutes providentiæ Divinæ leges, interioribus ſcilicet gratiis & inſtitutionibus; reprobatio vero juſte nobis ſupplicia illa decernit, quæ in noſtrum caput criminibus admiſſis, prævisis a Deo & permiſſis, provocamus; cave tamen, ut ille, Deum ſive cauſam, ſive authorem, ſive approbatorem tantum eorum criminum reputes.

Græci recentiores eamdem & doctrinam & loquendi rationem, quam veteres Eccleſiæ ſuæ Patres, ſervant; æque tamen abhorrent ab erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum, quemadmodum deinde & a Lutheranorum, & Calviniſtarum de gratia & prædeſtinatione. Vix Jeremias Patriarca CP. certior factus eſt, quid Lutherani de juſtificatione, libero hominum arbitrio, ceteriſque eadem tam in Concilio Tridentino damnatis erroribus ſentirent, eſtutum demnatos geminis reſponſionibus ſuis refutavit [2]. Eadem cenſura ſubjecta eſt doctrina Cyrilli Lucaris, plane Calviniſtis conſentanea; confuta, inquam, ſtatim eſt in Conciliis CPP. An. 1638. & 1642. ac deinde in Concilio Jeroſolymitano. A. 1672. Syrigus dogma illud Lucaris ſuſiſſime refutaverat, cujus Operis vernaculis literis traditi impreſſio a Doſithæo Patriarcha Jeroſolymitano curata, ſatis probat, quanto omnium favore & approbatione Opus idem exceptum fuerit.

Fatemur quidem, antiquiſſimos hoſce Græcos Scriptores minus caſtigate loqui, quam Theologos Noſtrates Latinos & Controverſiarum Scriptores. Sed ab Authoribus Scholaſticæ exercitationi inſuetis, atque diſputationum noſtrarum pleon endibus, quis ſatis caſtigatum aliquid in ea re expectet? Si quid autem ſcribentibus adverſus Occidentales Hæreticos minus certum excidit, numquam tamen eo venerunt, ut in errorem aliquem receptæ in Eccleſia doctrinæ plane adverſum inciderent. Indulgendum eſt aliquid Theologis alterius linguæ, qui ſibi alteram, quam quæ apud nos obtinet, ſcribendi methodum proponunt.

Emergente jam in occidente Pelagiana hæreſi, poſt initum quintum Eccleſiæ ſeculum, ſummus erat in dogmate de prædeſtinatione Græcos inter & Latinos conſenſus. Uno omnium ſuffragio rejiciebatur error Origenis, autumantis, Deum homines prædeſtinare reprobareque merito operum, quæ in altera vita præceſſiſſent. Arbitrantur autem Orthodoxi Patres, Dei præſcientiæ expoſita fuiſſe futura hominum merita, quibus inſpectis, prædeſtinationis & reprobationis decreta prodirent (3); perſuaſum habebant decretis illis nihil derogari noſtræ libertati; merita verò hominum Dei largientis dona atque gratiarum in nobis & per nos germina eſſe; tandem hominem, originalis criminis corruptione, nihil meriti in cenſu ſuo habere; nihil in bonum (ſupernaturale intellige) poſſe, niſi ſupernaturali Dei ope præventum atque fulcitum.

Pelagio [4] adverſa omnia arridebant, contendentes, Deum eos maxime elegiſſe, quos bono libertatis uſû electione dignos futuros præviderat, quare non effecit ſanctos decreto ſuo, ſed jam effectos ſanctos prævidit. Larvas hæreſeos hujus virus omne detexit S. Auguſtinus; nec ſane error latuit in ambiguo, ex quo Hærefiarchæ illi docendum ſoceurrit, hominum ſatis in ſe virium habere, quo nullo adjutus gratiæ auxilio bonum præſtaret, & malum; quin & gratiam, bonum ex propriis viribus agenti, homini tamquam meritorum præmium, dari. S. Auguſtinus ceterique ejuſdem ætatis Epiſcopi defendebant, prædeſtinationis ad gloriam beneficium gratuito Dei largientis privilegio donari; addebant cum eodem Auguſtino [5]: *Hæc eſt prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud: præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur quicumque liberantur.*

Semipelagiani utramque improbantes ſententiam, Pelagii nempe de prædeſtinatione, & S. Auguſtini de eadem ipſa prædeſtinatione ſyſtema, maluiſſent ſilentio tantum myſterium premi: *De his taceri exigant, quarum altitudinem nullus attigerit* [6]. Cum autem S. Auguſtini rationibus urgerentur, *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendebant; & ea quæ de Epiſtola Apoſtoli Pauli ad Romanos ſcribentis ad manifeſtationem divinæ gratiæ prævenientis electorum merita proferuntur, a nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, ut nunc ſentitur, affirmant.* Fatebantur, nihil ſe apud Veteres quod ſatis quadraret, inveniſſe. Cum vero mentem ſuam promere urgerentur, ita rem autem exponebant: *Noſtram non præſcriviſſe Deum niſi Fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegiſſe ante mundi conſtitutionem, ac prædeſtinaſſe, ut etiam ſancti & immaculati gratia atque opere ejus eſſemus.* Vide S. Auguſtinum de Prædeſt. SS. cap. 19.

Sciſcitatur e S. Auguſtino S. Proſper Epiſt. ſup. cit. quid reponendum objectioni e Veterum conſenſu deductæ; una enim omnes ſententia tenebant, decretum ſive prædeſtinationem Dei ipſam eſſe ejus præſcientiam, *qua ſicut uniuſcujuſque præviderit, & ſub ipſa gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate, & actione præviderit.* Reſpondet Auguſtinus de Prædeſt. SS. cap. 14. num. 27. fruſtra ea de re veterum Scriptorum volumina excuti; cum enim ſero rem totam diſcutere nulla neceſſitate adigerentur, quemadmodum poſt exortam Pelagianam hæreſim factum eſt, leviori brachio, & veluti per tranſitum argumentum libarunt; in id omnes intenti, ut ſuorum temporum hæreſes refutarent: quamquam, eddit ille, Eccleſiæ doctrina ſervabatur in exhibitis Deo precibus; numquam enim poſtulaſſent ab ipſo, ut quæ maxime juberet, ipſe largiretur, niſi Dei opem ad id præſtandum neceſſariam eſſe autumaſſent.

Agnoſcit idem S. Doctor [7], ſe, antequam rem plenius excuteret, in eo cum pluribus aliis errore verſatum, fidem nempe non Dei beneficio præſtari, ſed noſtris in nobis parari viribus; ejus vero merito neceſſarias dari nobis vires, ut pietatem & juſtitiam colamus. In eo tamen, quem ad Simplicianum Archiepiſcopum Mediolanenſem ſcripſit, Libro, paulo poſt initium Epiſcopatus ſui, ab errore tandem ſe reſipuiſſe: *Hoc Apoſtolico præcipue teſtimonio (Quid habes, quod non accepiſti?) etiam me ipſum fuiſſe convictum, cum de hac re aliter ſaperem; quam mihi Deus in hac reſolvenda, cum ad Epiſcopum Simplicianum, ſicut dixi, ſcriberem, revelavit* (8). Adeo autem de ejus ſententiæ veritate, perſuadebatur, ut tamquam Eccleſiæ fidem (9) illam traderet: *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundum Scripturas ſanctas defendimus, niſi errando, diſputare potuiſſe* (10).

Pelagius & Cœleſtius toto Occidente damnati, Romæ, in Gallia, in Africa, in ultimas tandem Britannias ſeſe recipientes, dogmatum ſuorum virus ibi ſparſerunt. Cum autem caveret ab illis nemo, totam illico Inſulam pernicioſis dogmatibus ſuis infeſtarunt. Sævienti jam malo prompto remedio occurſuri Cœleſtius Papa, & Concilium quoddam Gallicanum eo deputarunt An. 429. S. Lupum Epiſcopum Trecenſem; & S. Germanum Epiſcopum Altiſſiodorenſem. Nec improſpero ſucceſſu; brevi enim Britannia univerſa ad ſanam doctrinam rediit; & cum non diu poſt in priſtinas errorum Pelagianorum tenebras recidiſſent, iterum eo miſſus S. Germanus Altiſſio-

(1) *Damaſc. l. 2. de Fide Orthodox. c. 29.* (2) *Vide Renaudot Perpetuit. Fidei in 3. tomum Præfat.* (3) *Vide Hilar. in Pſal. 118. p. 339. n. 10. 11. Epiſt. 345. n. 8. Ambroſ. l. 5. de Fide c. 6. n. 83. Hilar. Diac. in Rom. 9. 11. 12. 13. Hieron. in Ezech. 8. in Jerem. 27. in Epiſt. ad Paulin.* (4) *Aug. l. de Prædeſt. SS. c. 18.* (5) *Aug. de Dono Perſever. c. 14. n. 35.* (6) *Vide Proſper. Epiſt. ad Auguſt. inter Auguſtinianas nunc num. 3. & 8.* (7) *Ibid. c. 3. n. 7.* (8) *Ibid. c. 4. n. 8.* (9) *Aug. de Dono Perſev. c. 23. n. 65.* (10) *Idem de Dono Perſev. c. 19. n. 65. n. 48.*

Altiſſiodorenſis, & Severus Trecenſis priſtinam Eccleſiis pacem lucemque veritatis reſtituerunt.

Toto inde Occidente Pelagianorum reliquiæ depulſæ, penes Neſtorium Archiepiſcopum CP. totum invenerunt effugium, quippe cui eorum de prædeſtinatione error arrideret; docebat enim Jeſum Chriſtum operum ſuorum præmio divinitatem ſibi promeruiſſe; cum viciſſim Eccleſia & S. Auguſtinus (1) docerent, Jeſum Chriſtum ideam eſſe & exemplar prædeſtinatorum, in eo videlicet, quod gratuita eſſet prædeſtinatione donatus. Hinc ſcite S. Proſper (2) eamdem ipſam Neſtorianam hæreſim matrem & filiam Pelagianæ appellat; filiam, quod poſt Pelagianam prodierit, matrem vero, quod in Jeſu Chriſto gratiæ authore gratiam ſubverrat; docentem bonorum operum merito, veluti præmium, gratiam ſibi Chriſtum promeruiſſe. Nihil tamen juvandis Pelagianis Neſtorii authoritas valuit; quin & utriuſque Hæretici errores Concilium Generale Epheſinum damnavit (3).

Semipelagiani in ſpecie quidem Pelagianis modeſtiores, majori tamen pervicacia errores ſuos defenderunt. Quin & ſæpius poſt S. Auguſtini obitum caput relevarunt, hoc ſemper ſyſtema de prædeſtinatione & reprobatione obtrudentes. Docebant itaque, hominem propriis arbitrii viribus & nullo prævenientis gratiæ auxilio fultum credere & ſalutem velle poſſe (4): quod pernicioſiſſimum erat illius hæreſis dogma, unde virus in cetera ſpargebatur. Addebant, poſt jacta ea veluti prima ſalutis ſemina ab homine, Deum nunquam deſiſtere, quin gratia ſua illa foveat. Præter hæc, prædeſtinationem & reprobationem veluti neceſſarias conſecutiones deduci a præſcientia Dei, bona ſive mala prævidentis, quæ ab homine præſtanda ſunt, vel præſtarentur, ſi viveret. Quarto tandem docebant, gratiam aliunde efficacitatem habere, quam a ſe ipſa; quod enim a Deo in homines redundat auxilii, ita ejuſdem hominis diſpoſitioni atque libertati ſubdi, ut eo pro libito utatur rejiciatque.

S. Auguſtinus ſub extra vitæ ſuæ Hæreticos illos refutavit in Libris de Prædeſtinatione SS. & de Dono Perſeverantiæ; atque ipſo demum fatis functo, S. Proſper eamdem provinciam aggreſſus eſt. Cum A. 433. novi cierentur Semipelagianorum tumultus in Galliis, S. Proſper altero anno in lucem produxit Opus ſuum *Contra Collatorem*, nempe contra Caſſianum, quem refutandum ſuſcepit. Fauſtus Epiſcopus Rhegienſis & Gennadius, juncta ſimul opera, novare pro Semipelagianis res cœperunt An. 488. ſed validis adverſariorum conatibus oppreſſi ſunt. S. Cæſarius Arelatenſis, & Fulgentius Ruſpenſis omnium primas inter eoſdem adverſarios tenebant. Libri Fauſti, Caſſiani, & Arnobii cenſura inuſti ſunt in Concilio Romano ſub Gelaſio An. 494. Cum Fauſti errores ad Orientis uſque plagas penetraſſent, Scythæ quidam Monachi, litteris ad S. Fulgentium in Inſula Sardiniæ relegatum, ea de re miſerunt: quibus S. Doctor ſuo & ceterorum una ſecum exulantium Epiſcoporum nomine reſcripſit, probare ſe eorum ſententiam, quam conſentaneam Auguſtinianæ agnoſcebant. Novo deinde ad illos ſcripto anno 521. Fauſti errores plenius refutavit; quod pariter Opus exules in Sardinia Epiſcopi coacta Synodo probarunt. Concilium Aurelianenſe ano. 519. eoſdem Semipelagianorum errores damnavit; qua ejus ſententia tori controverſiæ finis impoſitus eſt. Concilii decretum confirmavit Bonifacius II. Papa, adverſus privatorum quorumdam & Epiſcoporum etiam obtrectationes; atque pax tandem hiſce Papæ litteris compoſita eſt.

Nihil agendum arbitror in præſentia de Prædeſtinatianorum hæreſi, quibus hunc appingit errorem Liber Prædeſtinati, a Sirmondo publici juris factus; nimirum bona opera fruſtra a Fidelibus præſtari, cum omnia a prædeſtinatione & reprobatione hominum pendeant. Quæ enim de Hæreticis illis feruntur, mera eſſe commenta doctiſſimi quidam Critici ſuſpicati ſunt, tati Prædeſtinatianorum nomine traduci a Semipelagianis quinti ſæculi S. Auguſtini Diſcipulos, affingentes illis per ſummam impudentiam præpoſteras illas conſecutiones, quas deduxiſſe ſe e principiis S. Doctoris arbitrabantur. Quando vero Hæreticos illos reapſe admitteremus, non ſemel refutati ſunt ſparſim inter Opera S. Auguſtini, & Diſcipulorum ipſius, qui Semipelagianorum cavillis reſponderunt.

Quieta omnia, quantum ad prædeſtinationem, in Eccleſia manſerunt, poſt Concilium Aurelianenſe anno 519. ſpatio 300. circiter annorum, quouſque nono vertente ſæculo turbæ de prædeſtinatione & gratia excitatæ ſunt, occaſione Gotheſcalchi, viri natione Germani & Monachi Orbacenſis in Sueſſionenſi Diœceſi. Cum ille aſſidua Patrum & maxime S. Auguſtini lectione ſe ſe exerceret, atque plures ejuſdem S. Doctoris ſententias memoriæ mandaſſet, curioſius aliquanto, quam par erat, nonnullas e Theologia quæſtiones excutiendas ſuſcepit, quemadmodum Lupus Ferrarienſis Epiſt. 30. Circa an. 846. ſub Sergio Pontifice Romanum iter aggreſſus eſt; cum redux, aliquanto temporis ſpatio apud Comitem Eberardum ſubſiſteret, in familiaribus colloquiis quædam de prædeſtinatione viro exciderant, Nethingo Epiſcopo Veronenſi minus probata. Quare cum Epiſcopus poſt aliquod temporis in Germaniam veniſſet, rem totam cum Rabano Archiepiſcopo Moguntino contulit; communique conſilio ſanxerunt, ut Rabanus ſcripto Opere Monachum refutandum ſuſciperet. Fidem ſuam Germanus liberavit, ſcripto in Epiſtolæ modum ad Nothinghum adverſus Gotheſcalchum Libro (5). Datis inſuper ad Comitem Eberardum litteris, monuit (6), Monachum illum docere, Deum prædeſtinationis ſuæ decreto neceſſitatem hominibus imponere; ut quicumque maxime vellet ſalutem conſequi, atque ejus rei gratia Fidei & bonorum operum exercitio laboraret, ageret ille fruſtra, ſiquidem prædeſtinatus non eſſet ad vitam; quibus dogmatibus ſuis plures in ultimas deſperationes induxiſſet; reputaſſe enim eos, quid ſibi laborandum eſſet pro ſalute ſua, cum nihil omnino ſint omnia, niſi prædeſtinationis decretum divinitus datum eſt? præſtando autem malo illud commodi ex ea ſententia accedere, ut nihil ſupplicii timeretur, ſi prædeſtinatus fuiſſet impius ad vitam.

Errorem illum refutandum aggreditur Rabanus authoritate SS. Auguſtini, Proſperi atque ceterorum Patrum. Fatetur ille quidem, de prædeſtinatione dogma in Sacra Scriptura conſtitui; conſtitui tamen eo ſenſu, nimirum omnes e ſtatu gratiæ primi hominis lapſu excidentes homines, ſola Jeſu Chriſti gratia relevari, quam ille gratiam tota æternitate paraſſet & prædeſtinaſſet. Addit, plures quidem e damnationis & criminis originalis ſtatu relevatos, damnari merito criminum poſt Baptiſmum admiſſorum, quæ Deus præſcientia ſua perpetranda ab illis libere & nulla adactis neceſſitate norat. Defendit tandem, Dei prædeſtinantis ſive reprobantis decreto nihil in homine immutari, nullamque mortalibus imponi agendi neceſſitatem. Si quos vero, ait, Deus e maſſa corruptionis educit, eos gratuita miſericordia tanto beneficio donat; quos vero in priſtino miſeriarum ſtatu relinquit, illos nonniſi poſt præviſa eorum crimina, libera ſingulorum voluntate committenda, ad æterna ſupplicia deſtinat.

Gotheſcalchus rem ſibi eſſe intelligens cum adverſario, eruditionis fama celebratiſſimo, ex Italia Moguntiam profectus circa annum 848. Rabanum convenit, mentem illi ſuam explicaturus. Scriptum exhibuit

(1) *In Jo tr. 105. n. 8. & tr 74 n. 3 & Oper. imperf. contr. Julian. c. 82. pag. 951.* (2) *Epitaph. Neſtoriana luis ſucceſſi Pelagiana, Quæ tamen eſt utero progenerata meo. Infelix miſera genitrix & filia nata Prodivi ex ipſo germine, quod peperi.* (3) *Concil. Ephe. act. 6. ſeſſ. 2. Vide Binii notas to. 3. pag. 1294. edit. Labb.* (4) *Vide Epiſtolam S. Proſperi ad Auguſtinum, & Hilarii Monaci ad eumdem, ordine 225. & 226. in nova Edit. S. Auguſ. Vide etiam Carmen* De Ingratis, *& S. Auguſ. de Prædeſt. SS.* (5) *Vide apud Sirmond. pag. 1312.* (6) *Idem p. 1342.*

buit Epiſcopo, cujus quædam ſuperſunt fragmenta; in eo vero ejuſdem Epiſcopi ſententiam arguit in dogmate de prædeſtinatione ad malum, de voluntate Jeſu Chriſti ſalvandi omnes homines, ac de libero hominis arbitrio. Ferunt, Rabanum eo Scripto accepto prodire in ſcenam noluiſſe; quippe qui cum pars eſſet, & accuſati reique locum teneret, inter judices Gotheſchalchi minus recipi potuiſſet. Concilium igitur Moguntiæ coactum eſt circa menſem Octobris anno 848. quo ad cauſam ſuam dicendam vocatus Gotheſcalchus, Scriptum protulit, in quo doctrinam ſuam luculenter explicans, defendebat, duas diſtinguendas eſſe prædeſtinationes, alteram nempe Electorum ad gloriam, alteram impiorum ad pœnam; quemadmodum Deus ante mundi conſtitutionem immutabili decreto ſno plures ad æternam vitam gratuita miſericordia prædeſtinaverit; ita pariter ſancto & inviolabili decreto impios *propter ipſorum mala merita* ad ſupplicia & mortem æternam deſtinaſſe.

Accuſabat Monachum Rabanus, quaſi defendentem prædeſtinari a Deo homines ad æterna ſupplicia, pravis eorum operibus, nec prævifis neque ſpectatis. Fatebatur ipſe quidem, noſſe Deum quicumque criminibus tenerentur, & quos criminum ſuorum merito æterna morte puniendos ſtatuerat; nolebat autem totam hanc œconomiam, prædeſtinationis ad mortem nomine appellari, metu ne forte prædeſtinare ad peccatum Deus crederetur. Gotheſchalchus pervicacius reſiſtebat, cootendens, geminas diſtinguendas eſſe prædeſtinationes, ad mortem nempe & ad vitam. Conveniebant utrinque, prædeſtinationem ad vitam gratuita Dei largientis miſeratione præſtari; Deum nempe e maſſa corruptionis quos maxime voluerit, ſecernere, ſecretiſque parare gratias & coaſequendæ ſaluti auxilia neceſſaria; ſicut viciſſim neminem ad mortem damnare, niſi pro meritis criminum, quorum ille nequaquam cauſa eſſet. Quare totus controverſiæ cardo in eo vertebatur, an nomine prædeſtinationis utendum eſſet deſignando reprobationis decreto, quemadmodum Gotheſcalchus contendebat, vel ab eo temperandum, quemadmodum Rabano viſum.

Fruſtra laborarunt Concilii illius Patres, ut Gotheſcalchum ad ſaniora conſilia & caſtigatiorem loquendi rationem perducerent; quare pervicacem damnarunt, damnatumque remiſerunt ad Hincmarum Archiepiſcopum Remenſem; apud quem Rabanus per Epiſtolam Monachum illum accuſavit, quaſi ſpargentem in vulgus, quemadmodum Dei eſſet prædeſtinatio in bonum, ita Dei eſſe in malum prædeſtinationem; dari autem in mundo homines, qui ab erroribus ſuis reſipiſcere non poſſent; Dei prædeſtinantis decreto coactos, præcipites in mortem ferri, cujus victimæ deſtinati ſunt; eſſe autem illos natura ſua incorrigibiles, & damnatione dignos. Hæc de Gotheſcalcho Rabanus; non vero de ſe Gotheſchalchus affirmabat.

Hincmarus hiſce Rabani litteris præmonitus, atque loquentem pro ſe Goteſchalchum auſcultatum, tandem in Synodum Cariſiacam produxit. Appellatus eo Rhotadus Epiſcopus Sueſſonienſis, ad quem Diœceſani ſui judicium pertinebat. Interrogatus igitur Monachus ab Epiſcopo, cum ſententiam ſuam, ſicut olim Moguntiæ, ita pariter eadem obſtinatione tunc defendiſſet, ab injuriis pariter in adverſarios ſuos non parcens, hæreſis damnatus eſt, a Sacerdotio amotus, & virgis ceſus coram Rege Carolo Calvo, & Epiſcopis; virgis, inquam, tandiu cæſus, quandiu ſcriptum pro aſſerenda ſententia ſua ex collectis Scripturæ & Patrum ſenteotiis Librum flammis manu ſua abſumendum traderet. Arcto deinde carcere damnatus eſt in Abbatia Altovillarenſi Diœceſis Remenſis.

Ex eo carcere Gotheſcalcus duas emiſit Fidei profeſſiones, prolixiorem alteram, aliam breviorem: in utraque vero defendebat, Deum numquam ad peccatum & malum prædeſtinaſſe, ſed tantum ad bonum, cujus duplex eſt genus diſtinguendum; nempe beneficiorum gratiæ ipſius, & pœnarum quæ ab ejus juſtitia decernerentur. Gratuito quidem illum elegiſſe hominem ad vitam æternam, prædeſtinaſſe vero Dæmones & reprobos in mortem æternam. Significabat optare ſe, ut poſſet doctrinam ſuam in cœtu aliquo publico coram Epiſcopis, Principibus & Clero tueri, probaturum etiam ſe orthodoxiam ſuam ſpondens, per quatuor dolia ebullientis aquæ, olei & picis, ac tandem per ingentem incenſum ignem, illæſus pertranſiens; e quibus ſi quid læſionis contraxiſſet, offerre ſe dicebat, ut tamquam de crimine convictus ignis ſupplicio perimeretur.

Interim Hincmari adverſus Gotheſcalchum molitiones, & quas ipſe tuebatur, ſententiæ in Libro ad Recluſos Diœceſis ſuæ, criminatores plurimos nactæ ſunt. Ratramnus Monachus Corbejenſis ſuis ad amicum Goteſcalchum litteris Scriptum illud Archiepiſcopi liberius carpit. Prudentius Epiſcopus Trecenſis, collectis pluribus Sacræ Scripturæ, Patrum, & præcipue S. Auguſtini ſententiis, veritatem duarum prædeſtinationum aſſeruit. Lupus Servatus Ferrarienſis Abbas lucubrationem ſuam ea de re edidit (1), Auguſtiniaoæ ſententiæ maxime conſentaneam. Docet autem inter cetera, ſcire ſe quidem, nec apud Scripturam, nec apud Patres prædeſtinationis nomine deſignari reproborum exitium, metu ne forte ideo creaſſe Deus homines aliquos dicatur, ut ultionis ſuæ monumenta in illis ſtatuat, neve id unquam reputetur, damnare Deum injuſte ad ſupplicia homines, qui in malum ſumma neceſſitate ferrentur. Hæc quidem, dicebat, ita ſe habent: ſed cum de re conſtat, de reprobatione nempe impiorum propter merita, ſtultæ ſunt pro vocibus concertationes.

Juſſus inſuper a Carolo Calvo Ratramnus de hoc argumento diſſerere, Librum ſuum edidit de Prædeſtinatione, demonſtrans tota Deum æternitate noſſe bonorum, impiorumque eventus omnes; Sanctorum autem prædeſtinationem merum eſſe Dei miſerentis beneficium; & electorum numerum neque minui, neqne augeri, ſed nec immutari quidquam poſſe. Ad prædeſtinationem vero impiorum quod attinet, demonſtrat, numquam prædeſtinari a Deo homines ad crimen, ſed ad crimioum pœnas, & ſupplicia; qua tamen poſita prædeſtinatione, nihil de hominis in bonum, malumque libertate detractum; quamquam, ait, quicumque mera puraque Dei miſeratione eliguntur, illos certa manet ſalus; ſed ſicut viciſſim in maſſa perditionis relictis certa pariter damnatio decreta eſt, quam ſibi merito criminum ſponte admiſſorum adſciſcunt. In calce Operis Imperatorem rogat, ne Opus evulget, antequam controverſiis illis plenius diſcuſſis, ſententia de re tota feratur.

Duos Libros Lupi, & Ratramni diſcutiendos tradidit Imperator Hincmaro, & Pardulo Epiſcopo Laudunenſi, qui geminis illis Scriptoribus geminos pariter adverſarios oppoſuerunt, Amalarium Diaconum Trevirenſem, & Joannem Scotum Erigenam. Periit noſtra ætate Opus Amalarii; ſed aliquandiu poſt Eccleſia Lugdunenſis in Lib. de trib. Epiſt. iniquius aliquanto virum agit; accuſat enim concitaviſſe illum turbas, vel ſaltem concitare molitum in pluribus Gallicanis Eccleſiis, dignumque judicat, cujus Scripta igni abſumenda tradantur. Joannes Scotus Erigena humanioribus litteris, & Philoſophia excultiſſimus erat, imperitus vero in Theologicis. Redundat ejus Liber cavillis, & ſubtilitatibus Scholaſticis; duplicem prædeſtinationem reprobat; demonſtrat inſuper, nullam ex prædeſtinatione imponi neceſſitatem; liberum hominis arbitrium, Adami crimine nihilo factum imbecillius: per crimen & criminis conſecutiones, ſicut etiam, quibus crimina plectuntur, ſupplicia, cum meræ ſint privationes, neque prædeſtinari unquam, neque prævideri a Deo potuiſſe. Qnibus belle planeque aſſertis, deducit inde, damnatorum pœnas in privatione tantum beatitudinis, ſive concepto inde dolore verſari; ut proinde juxta Scriptoris illius ſententiam, ita de univerſo damnatorum ſuppli-

(1) *Sup. tract. de Trib. Quæſtionibus.*

ſupplicio reputandum ſit, quaſi totum illius cruciatus momentum in alio, quam in materiali quodam igne conſtituatur; quippe non alio torquentur igne quam elementari per mediam enim ignis ſphæram animę hominum ſtatim poſt obitum traducuntur. Ne tamen flamma atque ignis impreſſione aliqua lædantur juſtorum animæ, in cauſa eſt, quod in naturam quandam æthereæm tranſmutentur; ſicut viciſſim in aetem transformatæ impiorum animæ, contraria igni qualitate inſtructæ, plurima ab eodem igne tamquam ab adverſario tolerant. Ad prædeſtinationem quod attinet, nullam dari affirmat, niſi pro rebus a Deo deducendo in ſalutem æternam homini paratis: prædeſtinationis hujuſce cauſam aſſignat in Deo quidem ſummam rerum omnium præviſionem, in homine vero rectum liberi arbitrii uſum.

Venilo ſive Ganelo Archiepiſcopus Senonenſis plures ex eo Opere propoſitiones a ſe excerptas miſit ad Prudentium Epiſcopum Trecenſem, qui vix lectis innovari credidit Veteres Pelagianorum errores, nec ab impietatibus Collyridianorum immunes prorſus eſſe; quare illis reſorandis calamum acuit. Diſtinguit ille prædeſtinationem a præſcientia, quarum nempe hæc ad crimina extenditur, non vero prædeſtinatio. Statuit ille tamen duo prædeſtinationum genera, quorum illo Deus gratuito prædeſtinat electos ad gratiam & gloriam; altero vero, quo impios, præviſo criminum ab illis perpetrandorum merito, æternis ſuppliciis deſtinat; aſſerit autem neminem unquam in tantam veniſſe impietatem, ut everti libertatem a gratia ſive neceſſitatem hominibus prædeſtinatione impoai docuerit.

Eadem excepta libri Scoti Erigenæ miſſa ſunt ad Eccleſiam Lugdunenſem, quæ reſutandi erronea dogmata Floro Diacono munus impoſuit. Florus itaque duas diſtinguit prædeſtinationes vel unam eamdemque duplici ratione ſpectari potuiſſe demonſtrat; & cum nempe gratuito beneficio electos ad gratiam & gloriam deſtinat; & eum viciſſim, reprobos, in ultionem admiſſorum proprio libertatis arbitrio criminum, ęternis ſuppliciis addicit. Ignorare ſe ait de Gotheſchalcho, quonam criminis merito infelix ille Monachus damnationem ſubierit & carcerem. Si enim, cujus accuſabatur, hæreſis reus deprehenſus fuiſſet, æquum erat ut juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam & lata in illum ſententia & crimina per omnes Regni Eccleſias promulgarentur.

Amolo Archiepiſcopus Lugdunenſis ſub idem tempus litteris a Gotheſcalcho pro defenſione cauſæ ſuæ acceptis, aliis datis litteris reſpondit; caviſſe ſe quidem dixit, ne Opus illud ſuum ad ipſum tamquam anathematis ſententia damnatum, dirigeret, ſed opportunius duxiſſe, ut ad Metropolitanum ejus mitteret, quo miſeratione aliqua permotus, fores tandem illi Eccleſiæ, præmiſſa antea errorum ſuorum palinodia, aperiret. Ad rem autem accedens, plures Gotheſcalchi ſententias notat, atque illam potiſſimum, nimirum Dæmones & reprobos tam certo & irrevocabili decreto ad damnationem prædeſtinari, quomodo Deus certus eſt, & nulli obnoxius mutationi. Obſervat inſuper Amolo, omnia quæ apud S. Auguſtinum alioſque nonnullos Patres leguntur de prædeſtinatione impiorum ad pœnas, non ita profecto intelligenda eſſe quaſi Deus prædeſtinatione ſua impios ſive damnatos ad impietatem & damnationem cogeret; ſed conſtituiſſe potius, ut qui in maſſa corruptionis ſive originarin Adami ſive propriis criminibus computreſcerent, æternis ſuppliciis damnarentur.

Hincmarus ex ea Amolonis Epiſtola ſatis intelligens, non abhorrere illum ab impietate Gotheſchalchi damnanda, e re ſua eſſe judicavit, ſi datis ad Eccleſiam Lugdunenſem ejus argumenti litteris in ſuas illam partes pertraheret. Miſit igitur prolixam ſatis Epiſtolam, qua totum Gotheſcalchi judicium, atque ſententias in illum a duobus Conciliis latas proſequitur; explicat deinde Monachi illius dogmata de prædeſtinatione ad gloriam, æternamque impiorum damnationem; nec omittit erroneas e principiis illis deductas conſecutiones.

Remigius, in Archiepiſcopatu Lugdunenſi ſucceſſor Amoloni datus, Eccleſiæ ſuæ nomine hæc repoſuit. Ac primo cauſam Gotheſcalchi deſerit, quem pariter temeritatis, & levitatis reum damnat; ſimul autem defendit, juxta S. Auguſtini doctrinam, e prædeſtinatis a Deo ab ipſa æternitate ad gloriam juſtis neminem periturum; ſicut viciſſim nihil demendum e numero prædeſtinatorum ad mortem æternam, quos juſta criminum ultio conſequetur: cavendum tamen, ne cogere in damnationem impios poteſtate ſua Deus credatur, ſed omnes, ait, admiſſorum propria voluntate criminum pœnas luunt.

Ad judicium & perſonam Gotheſchalchi deſcendens, perverſas in eo canonicas ſanctiones accuſat, quod damnatus prius in cœtu Abbatum, & Religioſorum ad regularem diſciplinam ſubeundam, judicio deinde Epiſcoporum ſiſteretur. Hæreticorum enim judicium ad Epiſcopos, non ad Abbates pertinere. Juſte autem in illum animadverſum, quod injuriis Epiſcopos proſcidiſſet; quamquam id per alios factum, quam per eoſdem Epiſcopos, maluiſſet Remigius. Ad dogmata viri quod attinet, addit ille, veniam facile impetrabimus, vera eſſe ſtatuentes, & a nemine Catholico Doctore rejicenda, quæ Monachus ille de prædeſtinatione aſſeruit. Dolemus proinde, judicio Epiſcoporum ſententiam latam fuiſſe, non adverſus infelicem hunc Monachum, ſed adverſus Eccleſiaſticam veritatem. Illud autem horrendum, quod inaudito crudelitatis exemplo, flagrorum ictibus toto corpore cæderetur, quemadmodum oculatorum teſtium relatione comperimus, donec ſuis ipſe manibus in ignem projiceret libellum ex collectis Scripturarum, teſtimoniis a ſe deſcriptum. Olim Hæretici argumentorum & rationum vi, non crudelitate conficiebantur. Longa plane, & inhumana miſeri illius carcere detentio, quantum nos reputamus, ſolatio aliquo temperanda eſt, ut charitate lucremur fratrem, cujus amore Jeſus Chriſtus mortem oppetiit; quod ſane magis conduceret, quam ſi triſtitia, & mœrore opprimeretur.

Ea reſponſione minus faveri conſiliis ſuis ſentiens Hincmarus, aliam ſuæ doctrinæ fulciendæ rationem inivit. Cum itaque ſoluto jam Concilio Sueſſionenſi an. 853. cum Epiſcopis, & Abbatibus nonnullis Cariſii verſaretur, quatuor articulos Imperatori propoſuit, ac deinde ejus authoritate publicavit. Primus ferebat, unam dari tantum prædeſtinationem ad vitam, qua Deus lapſos homines poſt Adæ peccatum in maſſam corruptionis, aliquos relevans, ad gratiam & gloriam prædeſtinat; ceteros vero, quos in eadem maſſa relinquit, perituros ſane illum prænoſſe, nec tamen ut perirent, ſed tantum ad æterna pro eorum merito ſupplicia prædeſtinaſſe. Ceteri articuli in rem præſentem nihil faciunt.

Porro capitula illa ab Hincmaro digeſta, Epiſcoporum, & Abbatum præſentium ſubſcriptionibus munita ſunt: agente pariter Hincmaro, ſubſcripſit Prudentius Epiſcopus Trecenſis. Sed ille mox facti pœnitens, ad Epiſcopos in Senonenſi urbe coactos pro electione Epiſcopi Pariſienſis litteras dedit, miſſo ſimul Arnoldo Presbytero Eccleſiæ ſuæ, ad ratam habendam ſuo nomine futuri Epiſcopi electionem, ea tamen conditione, ſi ab Epiſcopis probarentur quatuor a ſe propoſita Capitula, quorum de prædeſtinatione articulus ita conceptus erat, prædeſtinari a Deo alios gratuito Miſericordiæ ſuæ beneficio ad vitam æternam, alios juſto judicio ad damnationem. Ejus Epiſtolæ exitus ignoratur.

Memoriæ tamen proditum ſcimus, quatuor illa capitula Cariſiaca ad Eccleſiam Lugdunenſem tranſmiſſa, examine ab illa diſcuſſa, atque reſutata ejus juſſo a Remigio Archiepiſcopo fuiſſe [s]. Primo itaque queritur Operis illius Auctor de neglecta in rebus ad prædeſtinationem & gratiam attinentibus S. Auguſtini doctrina; atque in eo reprehenſione digna Capitula illa judicat, quod de electorum prædeſtinatione ita ſtatuant, quaſi a meritorum præſcientia deducatur;

(t) *An.* 854.

Digitized by Google

ducatur ; negetque pervicaciter, impios a Deo ad æterna ſupplicia prædeſtinari. Poſt refutata Capitula Cariſiaca, Remigius doctrinam Concilii Valentini, ſex canonibus de gratia, libero arbitrio, & prædeſtinatione traditam A. 855. defendit. Porro hujus Concilii Epiſcopi audacter adſtruunt & bonorum ad vitam æternam, & impiorum ad mortem æternam prædeſtinationem ; ea tamen cautione, ut quos Deus ſalvandos edicit, illos miſericordiæ ſuæ gratuito beneficio, ne meritis quidam eorum prævisis, donet ; damnatos vero ita juſto judicio puniendos ſtatuat ut eorum crimina antea præviderit.

Ejus Concilii canones una cum Lucubrationibus Eccleſiæ Lugdunenſis per Ebbonem Archiepiſcopum Gratianopolitanum oblati ſunt Carolo Calvo anno 856. Rex Hincmaro tradidit, qui ſtatim alterum Scriptum oppoſuit. Opus illud noſtra ætate intercidit ; ſupereſt tamen adhuc ejus Epiſtola ad Carolum Calvum, noti Operi præfixa, qua de damnatione quatuor Capitulorum, nec relatis illis, & in pravum detortis ſenſum, conqueritur. Tandem an. 859. cum iidem qui olim in Concilium Valentinum convenerant Epiſcopi, Concilio altero ad Saponarias in agro Tullenſi coiviſſent, priores ibi canones referri juſſerunt. Hincmarus ceterique ejus clientes eorum approbationi intercedebant ; quare Remigius Archiepiſcopus Lugdunenſis remittendam cauſam ad viciniorem Synodum propoſuit ; & cum in eamdem ſententiam iviſſent omnes Concilium diſſolutum eſt.

Sed Prudentius rem totam ad Romanum Præſulem deferendam arbitratus, Canones Valentini Concilii ad Nicolaum Papam confirmandos tranſmiſit. Approbatos reapſe a Pontifice affirmabat deinde Prudentius ; ſed negavit Hincmarus, a quo pariter vulgatum ſpiſſum Opus in Canones Concilii Valentini, quo demonſtrare enititur, Deum merita & gloriam electorum, ſicut & reproborum crimina, prævidiſſe ; prævidiſſe pariter & prædeſtinaſſe illorum ſupplicia ; ex quo tamen minime deduceretur Deus impios ad mortem ſive ad damnationem prædeſtinaſſe. Quare tota Hincmarum inter ejuſque adverſarios controverſia in eo tantum verſabatur, quod illi nullis verborum ambagibus prædeſtinari a Deo reprobos in damnationem aſſererent : cum Hincmarus parari illis ſive prædeſtinari diceret æternam pœnam in criminum ultionem.

Circa A. 864. Nicolaus I. Papa de Judicio & damnatione Gotheſcalchi certior fieri voluit. Hincmarus præoccupandum Pontificem ratus, Monachum illum invidioſiſſimis coloribus depinxit. Pontifex durius, quam par erat habitum Monachum improbare ſe ſignificavit ; ſed Archiepiſcopus datis ad ipſum litteris reſpondit, juſſiſſe ſe quidem abunde neceſſaria omnia viro ſufficí, ſed pervicacius ab illo recuſari. Pontifex Legatos ſuos ad Concilium Metenſe 865. proficiſcentes mandatis oneravit, ut Romam Hincmarum ad cauſam dicendam mitterent ; mitterent pariter & Gotheſcalchum : ſed Archiepiſcopus neque Pontificiis juſſionibus parere, neque obedire Monachum permiſit. Cum tandem Gotheſcalcho contigiſſet, ut ad Pontificem ſcriptas a ſe litteras Monacho Gonterio deferendas traderet : Hincmarus & detineri Gonterium, & intercipi litteras, ac tandem Gotheſcalchum arctiori carceri tradi præcepit. In extremis illis anguſtiis infelicem Monachum extremus morbus occupaverat ; quare Monachi Altivillarenſes quæſitum ab Hincmaro venerunt, quid agendum eſſet ; mandatumque illis a Præſule, ut Euchariſtia privaretur, ſiquidem erroribus ſuis non renunciaſſet. Ille in ſua ſententia perſiſtens, vitam denique cum morte commutavit an. 868.

Nec ingenium quidem, nec ſtudium, nec acumen deerat Gotheſchalcho ; forte etiam alia erat viri ſententia, quam quæ ab Hincmaro, Rabano, ejuſque adverſariis ſpargebatur in vulgus. Obſtinationem tamen viri, pervicaciam & violentam agendi rationem nemo prudens excuſaverit. Perſuaſum quidem habent multi, Prudentium Trecenſem, Ratramnum Monachum Corbejenſem, Lupum Ferrarienſem, Florum Diaconum, & Remigium Archiepiſcopum Lugdunenſem, quin & Amolonem ipſum, quamvis alio- qui obſtinationem ejus, atque inconſultam agendi rationem alta improbarent, ab ejus tamen doctrina non abhorruiſſe. Quod autem animadverſione dignum judicamus, illud eſt, nimirum inter utriuſque partis aſſertores conveniſſe, S. Auguſtini præ omnibus Patribus authoritatem, cum de prædeſtinatione & gratia agitur, maximi habendam eſſe momenti ; utrinque vero de eo certabatur, ut S. Doctorem in ſuas partes pertraherent. Quare tota tandem diſputationis vis ad nomen tantummodo redacta videbatur ; nimirum an nomine prædeſtinationis ad peccatum & ad damnationem, deſignari poſſit Dei in reprobos decretum.

Poſt nonum ſæculum uſque ad exortas Lutheri & Calvini hæreſes, nihil, ad prædeſtinationem & gratiam quod attinet, in Scholis Chriſtianorum tumultuatum eſt. Quamquam inter varios Theologos parvæ quædam agitabantur velitationes de variis exprimendi rationibus, variiſque diverſorum ſententiis ; quibus de Eccleſiæ pace nihil detractum, cum de opinionibus in utramque partem citra Fidei diſpendium agitandis res eſſet. Cum autem Lutherus ſtatuiſſet, poſt Adami lapſum omnes arbitrii vires excidiſſe, ſola relicta malorum agendorum facultate, in bonum enim ita ferri liberum hominis arbitrium, quomodo inanima quoddam inſtrumentum : cum pariter Zuinglius defenderet, ad prædeſtinationem & reprobationem nihil homines conferre ; totum enim a Dei voluntate, nihil ab homine pendere, ut neque prædeſtinati unquam damnari, neque reprobi ſalvari unquam poſſint ; Epiſcopi & Doctores in Concilio Tridentino an. 1546. coacti, propoſitiones illas ad trutinam revocarunt, & poſt ſedulam eorum diſcuſſionem, Cardinalis S. Crucis, cui anathematum digerendorum cura imponebatur, ea cautione rem totam perfecit, ut variis Doctorum Catholicorum ſententiis intactis, nihilque etiam anſæ tradens Proteſtantibus, doctrinam erroneam Hæreticorum damnaret.

Temperavit autem Concilium Tridentinum a ratione & cauſa prædeſtinationis & reprobationis : quod in cauſa fuit, cur varia ſuper eodem argumento ab ipſis etiam Concilii Tridentini Theologis prodirent Scripta, quibus ſinguli in ſuas partes trahere Concilium nitebantur. Anno 1549. Leonardus Urinenſis, Ordinis Prædicatorum, Italus, verba faciens e ſacro ſuggeſtu Urini, oppido agri Foro Julienſis, quo Sedes Patriarchalis Aquilejenſis tranſlata eſt, duas inde ſtatuit propoſitiones, quibus & inter Auditores murmur, & in tota Urbe ſcandalum inductum eſt. Affirmavit itaque primo, prædeſtinatum a Deo hominem damnari nequaquam poſſe ; quæcumque enim admiſerit peccata, a Deo tandem remitti ; neceſſarium eſſe enim, ut ſalutem tandem conſequatur. 2. Electionem & reprobationem adeo neceſſarias eſſe, ut ſalus ſive damnatio hominis ab ipſius voluntate & libertate nequaquam dependeat.

Vicarius Generalis ejus Urbis ſtatim per litteras ea de re monuit Joannem Grimani Aquilejenſem Patriarcham, tunc temporis Venetiis agentem : qui reſcriptis ad Vicarium ſuum, 17. Aprilis datis, liquido prodidit, noſcere ſe propoſitiones illas, quibus murmur in Civitate excitatum fuerat, veras eſſe & Catholicas ; neminem enim prædeſtinatum damnari, ſicut viciſſim reproborum neminem ſalvari poſſe : quod fuſius demonſtrandum, ingeſta SS. Pauli & Auguſtini authoritate, ſuſcipit. Publice per totam Diœceſim evulgata eſt Epiſtola, cujus pariter autographum in publico Tabulario ſervatum ; quare nihil ea de re innovatum uſque ad an. 1560. cum ejus adverſarii deterrendo Pontifici Paulo IV. ne virum cooptaret in cœtum Cardinalium, urgentibus ejus electionem Venetis, hanc ejus Epiſtolam ad Tribunal Inquiſitionis, veluti errorum Lutheranorum & Calviniſtarum ſuſpectam, detulerunt. Verſabatur tunc Romæ Epiſcopus ; quare ad Pontificem actutum ſe conferens, poſt doctrinam ſuam expoſitam, Epiſtolam & ſcriptum exhibuit. Pontifex adlegere virum inter Cardinales maxime optans, illi abſolvendo Congregationem indixit pervigilio ejus diei, qua in Conſiſtorio novorum Cardinalium in nomina edicere ſtatuerat. Coram

ſam Judicibus itaque venit Patriarcha, Epiſtolam ſuam defenſurus; ſed nihil ea de re pronunciare Judicibus viſum eſt: quare inter novos Cardinales, an. 1561. electos, nomen Grimani deſideratum eſt.

Conceptam tamen ſpem non depoſuit Patriarcha, judiciumque ſuum in dies urgebat. Coram Tribunali Inquiſitionis ſeptem propoſitiones ex ejus Epiſtola deductæ in examen revocatæ ſunt. 1. Prædeſtinatio Deum unum habet authorem. 2. Prædeſtinatio e liberis tantum Dei promiſſionibus dependet. 3. Nec prædeſtinatus damnari, nec reprobus ſalutem conſequi poteſt. 4. Numquam Deus miſericordiæ ſuæ oculis reprobos homines reſpicit. 5. Diabolus contra certum electorum numerum prævalere numquam poteſt. 6. In negotio ſalutis noſtræ omnia ad Deum referenda. 7. Nihil confert reprobis liberum arbitrium, ut ſalutem obtineant. In Congregatione die 11. Decembris 1561. cauſa illa agitata eſt; ſed cum in partes a Conſultoribus abiretur, Pius IV. novo examini rem totam deferri præcepit. Urgebat Grimanus; ſed differri in dies ſententiam animadvertens, Venetias tandem ſeſe recepit. Poſtulavit a Pontifice Reipublica, ut cauſa illa ad Concilium deferretur. Aſſentiente Pontifice, Concilium Epiſtolæ illius doctrinam 27. Theologis diſcutiendam tradidit; ac poſt longam 28. dierum diſcuſſionem, tandem die 13. Auguſti 1563. pronunciatum eſt, in Epiſtola & Apologia Patriarchæ nihil hæreticum neque hæreſis ſuſpectum contineri: quamquam, addebant, minus conducat in vulgus illas propalare ob arduas aliquas quæſtiones, non uſque adeo exacte in eodem Opere diſcuſſas.

Ambroſius Catharinus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Minoritanus in Regno Neapolitano, defunctus an. 1553. quædam & ipſe ſingularia de prædeſtinatione defendebat. Namque in Commentario ſuper priora quinque Geneſeos capita ſine ambagibus prodidit, nulla ſe neceſſitate teneri, uti in opiniones SS. Auguſtini & Thomæ, ad prædeſtinationem & gratiam quod attinet, concederet; quin & improbare ſe quæcumque S. Auguſtinus docuiſſet de prædeſtinatione gratuita, atque de maſſa corruptionis; eumdemque S. Doctorem data opera refutat. Diſertius aliquid addit in Commentario ſuper Epiſtolam ad Romanos: ubi duas hominum claſſes diſtinguit, electorum nempe & prædeſtinatorum, quos ſingulari quodam prædeſtinationis genere a Deo ſecretos dicit, ut ſuavi gratiarum & auxiliorum pellectu ita ad ſalutem certo aſſertoque trahat, ut libertati nihil neceſſitatis imponat. Priorem hanc claſſem componit rariſſimus hominum numerus, quos ſpeciali dilectione ſua Deus voluit diſtinctos; eidemque ſoli vindicat Author, quæ apud Apoſtolum in Epiſtola ad Romanos de vocatione & prædeſtinatione electorum traduntur.

Secundam claſſem implere autumat Catharinus reliquum de vulgo hominum genus, quos ita Deus ad ſalutem prædeſtinavit, ut non certo & abſoluto rem illam decreto conſtituerit, ſed conditionato & a futuris eorum meritis dependente; ut ſalvandos illos edicat, ſiquidem gratiis, quas Deus indulgens donaverit, præſto ſe paratoſque tradiderint. Refutavit viri ſententiam Dominicus Soto in ſuo Commentario, in Epiſtolam ad Romanos; defendit vero Sixtus Senenſis, Catharini Diſcipulus, eamque publice, ait idem Soto, docuit ab Anno ætatis 20. uſque ad 30. in præcipuis Italiæ Urbibus; deinde vero plura in eam doctrinam objici animadvertens, improbari pariter a doctiſſimis Theologis, aſſertam eandem opinionem deſeruit, ad partes SS. Auguſtini & Thomæ accedens. Verum ſuæ ſententiæ inhæſit Catharinus, eamque prolixius ingeſſit, ſcriptis ea de re Lucubrationibus impreſſis Lugduni 1542.

Anno 1581. Prudentius de Montemajor Jeſuita, Univerſitatis Salmanticæ, propoſita Theſi rejecit decreta Dei abſoluta, ad liberos hominum actus quod attinet, & maxime gratuitam prædeſtinationem a proborum operum prævisione independentem; quam Theſim Theologica Facultas ejuſdem Urbis cenſura inuſſit. An. 1584. Gregorius de Valentia, ipſe pariter Jeſuita, Theſes aliquas de prædeſtinatione Ingolſtadii defendit, quibus conditionata decreta admittit; inſinuans nequaquam alia ratione ſententiam de prædeſtinatione gratuita defendi poſſe, hominis illæſa libertate. Tandem an. 1586. Leonardus Leſſius, & Hamelius, ejuſdem Societatis, in Lovanienſi Collegio ſimilem defenderunt doctrinam ei, quæ prius Salmanticæ, & Ingolſtadii a Sociis ſuis aſſerta eſt. Certior ea de re facta Lovanienſis Facultas, geminis e ſuo cœtu Doctoribus eorum Scripta excutienda commiſit. Cum illi cenſuram ſuam retuliſſent, ſicut & ſinguli pariter Doctores ſeorſum Scripta illa expediſſent, ſolemnis tandem totius Facultatis cenſura data eſt. Subſcribere illi juſſi ſunt Jeſuitæ, tranſmiſſaque actutum exemplaria ad omnes ejus regionis Epiſcopos, ſicut & ad Univerſitates Pariſienſem, & Duacenſem. Lovanienſium exemplum ſecuta eſt Duacenſis, evulgata earumdem propoſitionum cenſura, die 20. Januarii 1588.

Hanc Lovanienſem cenſuram Jeſuitæ Romam tranſmiſerunt; & Leſſius datis ad Provincialem ſuum litteris, queſtus eſt, falſa plurima a Doctoribus Lovanienſibus Jeſuitis affingi; inauditos damnari, atque communes aliis pluribus Doctoribus Facultatis propoſitiones cenſura inuſtas. Epiſcopi Mechlinienſis, & Cameracenſis, huic controverſiæ ſopiendæ, atque cenſuris duarum Facultatum diſcutiendis, Concilium Provinciale indicere cogitabant. Sed Octavius Frangipani, Sixti V. in Belgio Nuncius, datis ad utroſque litteris, abſiſtere præcepit, judicium ejus rei Sanctæ Sedi reſervatum ſignificans. Inter hæc Theologi in duas diviſi factiones, & in partes Jeſuitarum non infrequentes conceſſerunt. Pontifex, datis ad Nuncium ſuum litteris, utrique parti ſilentium indici præcepit; quibus illi juſſionibus quamquam plurimum detulerint, a mutuis tamen declamationibus aliorum adverſus alios, qua in Scholis, qua in Cathedris non abſtinuerunt. Quare Nuncius promulgato die 10. Julii An. 1588. decreto vetuit, ne agitata inter utramque partem dogmata veluti ſuſpecta, hæretica, ſcandaloſa, ſive pernicioſa, uſque ad ferendam a S. Sede ſententiam, traducerentur.

Acriter utrimque, nec modico temporis ſpatio, diſceptatum eſt; ſed poſt plura acta & in vulgus prodita Scripta, tandem Pontificius Nuncius priori edicto innovato, vetuit Univerſitatibus Lovanienſi, & Duacenſi, utut etiam Jeſuitis, ne diſputationibus ea de re ullas deinceps agitarent, neque utriuſque partis ſententiam invidioſis titulis innotarent; permiſſis interim ſingulis quamcumque mallent opinionem ſequi, dummodo intra præceptos Chriſtianæ modeſtiæ fines ſeſe continerent, jurgiis, injuriis cenſuriſque invidioſis, uſque ad ferendam a S. Sede ſententiam, abſtinerent. Huic decreto obſecundatum eſt deinceps ab omnibus, resque adhuc pendet indeciſa. Secundum hæc, cum ad Facultatem Theologicam Lovanienſem delatum eſſet, falſo de illa rumore per Hiſpaniam & Italiam ſpargi, priori deſerta ſententia in adverſam conceſſiſſe, in Cœtu publico DD. die 10. Julii 1647. ſolemni proteſtatione palam omnibus fieri voluit, nihil a ſe de priori ſententia immutatum, ratamque haberi cenſuram, quam 60. annis antea adverſus Leſſium & Hamelium tulerat. Validius adhuc conſtantiam doctrinæ ſuæ aſſeruit Facultas Duacenſis, ſemel quidem die 10. Julii an. 1648. atque ſuccedenti proxime anno iterum. Nec ſegnior Leſſius veteribus opinionibus ſuis inhæſit, quibus & immortuus eſt an. 1623. Singulas eas diſputationes proſequi, longius nos quam pro intento deduceret.

Belgicæ de prædeſtinatione & gratia concertationes, graves alioqui, leves tamen velitationes haberi poſſunt, ſi cum illis comparentur, quæ ſub idem tempus exortæ ſunt in Hiſpaniis, occaſione Libri de Concordia gratiæ & liberi arbitrii, digeſti a Lodovico Molina Jeſuita, oriundo Conchæ in Hiſpaniis, & in Theologica Univerſitate Eboracenſi Profeſſore, defuncto Matriti 12. Octobris 1600. annorum 65. ætate ſene. Viſum eſt Authori ejuſdem Operis, facilem ſe inveniſſe liberi arbitrii cum gratia & prædeſtinatione conciliandi rationem, ſi illud ſequeretur ſyſtema, quod ipſe omnium primus clarius explican-

explicandum ſuccurriſſet [1]: Credere autem ſe dixit, ſi Auguſtino cæteriſque Patribus ſententia illa in mentem veniſſet, victas profecto illi manus traditures, ſuoque confirmaturos ſuffragio [2]. Addebat futurum fuiſſe, ut ſuis poſitis principiis, hæreſis Pelagiana numquam caput extuliſſet: Lutheranos a cavillis ceſſaturos, quibus non ulterius liberum arbitrium negandum ſuccurriſſet, ſub obtentu difficilis conſenſus gratiæ cum præſcientia & prædeſtinatione; nullo Fideles ſcandalo afficerentur, quo reipſa affecti ſunt, ſparſis in vulgus Auguſtini opinionibus, ejuſque adverſus Pelagianos diſputationibus. Nullo tandem negotio exſuſſlari potuiſſe reliquias Pelagianiſmi in Gallia, exituque facili terminari tot inter Catholicos acrius agitatas controverſias. Profitetur tandem, hanc liberi arbitrii cum prædeſtinatione Divina conciliandi rationem nemini ad eam uſque ætatem ſuccurriſſe: *A nemine, quem viderim, hue uſque tradita*. Quid de Veterum ſententia ante exortos Pelagianos? nonne facile ope ejuſdem Concordiæ cum S. Auguſtino coire poterit? ait Molina; cum S. Auguſtino, inquam, qui calamum ſtrinxit adverſus Pelagianos, libero arbitrio unice deferentes, atque initium converſionis in noſtris eſſe viribus aſſerentes.

Invehit ergo Molina Scientiam quamdam mediam, qua Deus ante voluntatis ſuæ decretum ea ſpeculatur, quæ a nobis in hoc vel illo articulo rerumque circumſtantiis poſitis, bona vel mala præſtarentur. Quare adultorum prædeſtinatio, quantum eſt ex Deo, nihil aliud reputatur, quam Dei actus liber, ſtatuentis opem & adjumentum præſtare, quo fultos nos prævidet ad vitam æternam iter facile expeditumque habituros, ſpectata cauſarum naturalium ſerie atque uſu liberi arbitrii. Reprobationi exponendæ tres diſtinguit in Deo erga reprobos voluntates. 1. Voluntatem crimina permittentem, quibus admiſſis, æterni Regni fores occludendæ impiis, recludendæ vero æterni carceris eſſent. 2. Voluntatem auxilia denegandi, quibus ab impietate crimino ſus reduceretur, permittendique, ut in nequitia animus obfirmetur. 3. Voluntatem excludendi a Regno Cœleſti, & ad ignem æternum damnandi. Deus itaque rerum naturalium, quam ipſe ordinavit, inſpecta ſerie, committendum a reprobo crimen volente illo ac libere aſſenſum præbente, quin & ad mortem uſque in vitio exſurdeſcente, prænovit.

Vix lucem aſpexit Molinæ Liber, cum Dominicani Ordinis Theologi acrius in illum invecti ſunt: defendere contra Jeſuitæ: nihil tamen ultra proceſſum, niſi ad Theſes publicas ab utraque parte propugnatas oppugnataſque. Inter hæc, Dominicani Molinæ doctrinam ad Inquiſitionem Valliſoletanam detulerunt; inſtare Jeſuitæ, ut quamdiu ſub Judice lis eſſet, vetarentur adverſarii, ne Molinæ propoſitiones hæreſis nota traducerent. Cum æqua poſtularent, voti compotes facti ſunt. Urgebant interim Dominicani, cauſamque adverſus Jeſuitas etiam Tribunali Inquiſitionis proſequebantur: nec judicium renuebant adverſarii, ea tamen conditione, ne Dominicani inter Cenſores adlegerentur. Eodem tempore Bannez doctrinam illam detulit ad Inquiſitionem Caſtellanam; quare cum utrimque animi incenderentur, Cardinalis Quiroga muneris ſui eſſe cenſuit, ſi de re tota Clementem VIII. faceret certiorem. Pontifex datis ad Inquiſitorem Hiſpanum & Nuncium ſuum litteris vetuit, ne ultra in ea cauſa cognoſcenda proſequerentur: ſed Theologis utriuſque Ordinis abſtinere a cenſura juſſis, exactas opinionum ab iis ſuarum declarationes exigerent, conſulerentque deinde de controverſiis illis Univerſitates Hiſpaniæ, Epiſcopos atque doctiſſimos Theologos. Mandatum id executioni die 15. Auguſti 1594.

Nec tamen ceſſantibus turbis, Pontifex alia Conſtitutione occurrendum cenſuit, qua utrique parti diſtricte interdicebatur, nequid palam loqui, neve ſcribere aliquid ſuper hoc argumento auderent. Sed fruſtra illud Theologis in ordinem redigendis; quod in cauſa fuit, cur Pontifex tertia Conſtitutione ſua judicium ea de re totum Inquiſitioni Generali adimens, ad S. Sedem redigeret. Miſſa actutum Romam omnia, tum quæ a Jeſuitis, tum quæ a Dominicanis pro cauſa ſua producta fuerant monumenta, una cum Univerſitatum, Epiſcoporum & Theologorum conſultationibus. Rex vero metuens, ne in tanto diſputationum molimine ſiniſtri aliquid contingeret, Præſidibus utriuſque Ordinis ſignificari juſſit, ne ad Theologicas cathedras aſſumerent, niſi Profeſſores doctrinæ S. Thomæ ſtudioſos, & a contentionum ſpiritu abhorrentes; id autem caverent, ne publicis congreſſionibus alter alterius partis diſputandi gratia convenirent; in Actibus vero, Lectionibus, quin & familiaribus colloquiis caverent, ne adverſas ſententias erroris cujuſquam & hæreſis accuſarent. Nihil tamen his cautionibus factum, nihilque de animoſitate alterutrius partis qua in Scriptis, qua in Congreſſibus remiſſum.

Inſtabant interim Dominicani, apud Pontificem, ut Opus Molinæ diſcuteret, cujus ſuſpicioſam doctrinam arguebant. Clemens VIII. menſe Novembri 1597. Congregationem ea de cauſa indixit, decem aſſignatis Conſultoribus, ut examini ejuſdem Libri incumberent. Porro illi die 2. Januarii 1598. primo convenerunt, inditumque Congregationi nomen *De Auxiliis*, quod ſcilicet de auxiliis Dei homini præſtitis ageretur. Quid in ſingulis Congregationibus præſtitum ſit, referre hic abſtinemus; contenti intra præſcriptos argumenti noſtri fines ſiſtere, quin & ſumma tantum eorum, quæ ad nos faciant, retuliſſe ſat erit; neque enim Diſſertationis modus fuſiorem de illis tractationem pateretur. Actum eſt igitur de Scientia media in decima Congregatione, habita 6. Martii 1598. atque unanimi Conſultorum aſſenſu rejecta. In undecima, omnium poſtrema, habita die 13. ejuſdem Menſis, ſtatutum eſt, Molinæ de prædeſtinatione ſententiam non doctrinæ tantum SS. Thomæ, Auguſtini, cæterorumque Patrum adverſari, ſed etiam refragari Scripturæ, Conciliorumque decretis, ac maxime cum erroribus Caſſiani & Fauſti conſonare. Quare de Conſultorum ſententia interdicendus erat Liber Molinæ de Concordia, ſicut & ejuſdem Authoris Commentarii in primam partem S. Thomæ, nullatenus permittendi, niſi prius ſedula virorum doctiſſimorum opera ad normam Doctrinæ Patrum & S. Thomæ reformarentur. Hæc in Actis ejuſdem Congregationis, aliquibus ab hinc annis publici juris factis.

Nequid vero niſi ſumma cura diſcuſſum prodiret, juſſi a Pontifice Conſultores ſingulis recurrentibus feriis ſextis uſque ad 22. Septembris in cœtu conveniebant. Nihil tamen de priori Sententia & cenſuris remiſſum eſt; ſcriptique judicium ſuum de doctrina Molinæ atque de ſententia Univerſitatum, & Theologorum, ab Hiſpaniis tranſmiſſa, tradiderunt. Scriptum illud digeſſit Coronellus, ejuſdem Congregationis a ſecretis, lectumque palam in congregatione 12. Martii 1599. approbatum ab omnibus, & uno excepto Antonio Bovio, confirmatum eſt.

Poſtularunt a Pontifice Jeſuitæ, impetraruntque facultatem, ut cum Dominicanis, coram electis ab eodem Pontifice arbitris, diſceptarent. Diſceptatum eſt a die 22. Februarii 1599. uſque ad 16. Maji ejuſdem anni. Sed cum nihil proficeretur, neque inter utriuſque partis Theologos ſpes aliqua pacis affulgeret, Jeſuitæ, omiſſa Libri Molinæ defenſione, totos ſe ad accuſandam phyſicam præmotionem Dominicanorum tranſtulerunt. Interim latam a ſe cenſuram, brevi complexam ſcripto, ſuiſque munitam ſubſcriptionibus ſibi remitti Pontifex Cenſoribus injunxit. Huic itaque digerendæ aliquibus menſibus laboratum eſt. Confecta tandem atque ſingulorum Conſultorum ſubſcriptionibus munita, ſolis exceptis Bovio & Plombino, qui in Jeſuitarum partes conceſſerant, Pontificis manibus die 12. Octobris 1600. reſignata eſt.

Ad exitum properare cauſa videbatur, cum Jeſuitæ queſti de expoſita perperam Molinæ ſententia, auſcultari ſe iterum poſtularunt, nec Pontifex quartam

(1) *Molina Præfat.* (2) *Molin. Concor. q. 23. a. 5. diſp. 2.*

eum aliud examen denegare potuit. Deſignati in eam rem Conſultores; habitæque 30. Collationes a die 25. Januarii uſque ad 31. Julii 1601. Utrique parti Molinæ propoſitiones communicatæ, auditum quid utrinque reponeretur, & reſponſiones ſcriptis exceptæ ſunt. Tum data a Conſultoribus ſuffragia, nec quidem a veteri ſententia receſſum. Cenſura Congregationis ſcriptis tradita a Coronello, & Boiſſu, una cum documentis, quæ jure proceſſum in damnatione demonſtrabant, manibus Pontificis conſignata eſt, die 30. Decembris 1601.

Iterum de hoc Conſultorum judicio querentibus Jeſuitis, coram ſe, adſiſtentibus Cardinalibus, noviſque adjectis Conſultoribus, agitari cauſam Pontifex juſſit. Habitæ ſunt 68. congregationes a die 20. Martii 1602. uſque ad 22. Januarii 1605. Duo ex Conſultoribus pro Molinæ partibus ſteterunt, Antonius Bovius, & Epiſcopus Aquilæ: reliqui omnes, & ipſe pariter Plumbinus Dominicanis aſſenſi ſunt. Pontifex in prima Congregatione velle ſe declaravit, ut diſceptationum de gratia norma ſtatueretur doctrina S. Auguſtini, quam Summi Pontifices deceſſores ſui Zoſimus, Bonifacius, Cæleſtinus, Leo, Hormiſdas ſummis laudibus celebrarunt; ejuſque ſcripta adverſus calumnias Gallorum, Pelagianæ hæreſi aliquanto faventium probarunt, confirmaruntque: quare nihil opportunius ſe facturum credere, quam ſi hiſce Sanctiſſimorum Pontificum veſtigiis inſiſteret. Adjecit, totam hanc de gratia controverſiam tam alte penetraſſe Auguſtinum, omneſque ejus modos ita explicaſſe, ut nihil ultra a Pelagianis opponendum ſupereſſet; quare nullius alterius Doctoris Scripta tutius conſulenda eſſe, ut præſentes de gratia lites componerentur.

Actum eſt de Scientia media, & prædeſtinatione in Congregationibus 59. & deinceps ad totam 67. Vaſtida Jeſuita palam aſſeruit a Calvini hæreſi neceſſitatem impoſitam fuiſſe Theologis, ut hanc mediam Scientiam rerum futurarum conditionibus implicitarum, & a cauſa libera pendentium, admitterent; Scientiam vero illam abſolutum omne divinæ voluntatis decretum præcedere. Lemos Dominicanus defendebat. Scientiam mediam, quam Molina Deo affingebat, ab ipſo Authore conſtitui antequam ullum a Deo emanet decretum, ex præviſione nimirum operum præſtandorum ab homine, liberæ ſuæ voluntati permiſſo: noſſe ſcilicet Deum in talibus rerum circumſtantiis poſitum hominem ad libere volendum aliquid ſeſe determinaturum, modo Deus ipſe concurſum præſtare voluiſſet: voluiſſet, inquam, voluntate, juxta Molinam non præveniente, & efficaci, ſed concomitante: ex qua præſcientia quædam in Deo reſultaret abſoluta eorum, quæ per liberam hominis voluntatem agerentur, abſque eo quod ad opus voluntas ipſa a Deo determinaretur. Sententiam vero illam ita expoſita contendebat Lemos apertos habuiſſe adverſarios SS. Auguſtinum & Thomam. Actum eſt pariter de Scientia illa media in quatuor inde ſuccedentibus Congregationibus, atque in ſententiam Lemos ab omnibus, uno excepto Bovio, conceſſum eſt.

De Prædeſtinatione actum eſt in Congregatione 65. habita 4. Januarii 1605. Contendebat Vaſtida, decretum prædeſtinationis in Molinæ ſententia abſolutum eſſe; id agente Deo, ut prædeſtinatum in ipſa rerum ſerie conſtitutum, inſpecto illarum ordine, ſalutem conſecuturum noſceret. Lemos contra propugnabat, prædeſtinationis decretum unicum eſſe, efficax, & abſolutum, nihilque pendere a præviſione eorum, quæ a prædeſtinato in hoc, vel illo rerum ordine conſtituto agerentur. Poſt acres per ſuccedentes pariter Congregationes agitatas controverſias, decretum a Conſultoribus, prædeſtinationem ab unico petendam decreto abſoluto Dei, quo nimirum ille & gloriam largiri electis, & auxilia ad illam obtinendam neceſſaria ſuppeditare conſtituiſſet, atque in hanc ſententiam S. Auguſtinum conſentire.

Accidit, ut exitum cauſæ Clemens VIII. die 3. Martii 1605. morte occuparet: conſecutus eſt Leo XI. qui 21. dierum Sacerdotium poſt ipſum geſſit. Renunciatus eſt deinde Pontifex die 16. Maji Paulus V. quem Rex Hiſpaniæ, ut cauſam tandem abſolveret, per Legatum ſuum rogavit. Viciſſim Rex Galliæ per Cardinalem Perronium perſuaſit, rem illam maturo examine adhuc indigere. Deferendam cauſam aliqui ſuadebant, atque in ſilentio manendum. Utraque vero diſceptantium pars pro ſua cauſa illi urgendo, Jeſuitæ vero retardando judicio laborabant. Conſultores apud Pontificem inſtabant, ut inceptum ſub deceſſore ſuo judicium abſolveret. Hæſit aliquandiu ſuſpenſus Pontifex; ſed tandem cœptum opus minime deſerendum ratus, coram ſe 16. Congregationes haberi voluit, a die 14 Septembris 1605. uſque ad 1. Martii 1606. Diſceptationum argumentum præbuit & gratia efficax, & phyſica prædeterminatio.

Abſolutis tandem Theologicis concertationibus, auditiſque Conſultorum judiciis, Paulus V. cum Cardinalibus deliberavit die 8. Martii 1606. num ad ſupremam ferendam ſententiam procedendum eſſet. E duodecim Cardinalibus decem affirmabant, duo tantum, Perronius, & Bellarminus, negarunt. Saniori parti inhærendum cenſuit Pontifex, haberique juſſit 9. vel 10. Congregationes, ut de propoſitionibus damnandis conveniret. Aſſerunt demandatam a Pontifice curam duobus a ſecretis, & duobus Congregationis Archiepiſcopis, ut Conſtitutionem ad mentem Conſultorum digererent, qua in re ſex menſium ſpatio laboratum fuerit.

Cenſura inuſtæ propoſitiones ad 14. referuntur, quarum tres, nempe 12. 13. & 14. ad prædeſtinationem pertinent. Duodecima in hæc verba concepta erat. *Qui dixerit, Deum ab æterno non ita conſtituiſſe, propoſuiſſe, prædefiniſſe, ſeu prædeterminaſſe illos omnes, & ſingulos conſenſuros, credituros, operaturos, perſeveraturos, quicumque in tempore a Deo vocati ad ſalutem conſentiunt, & conſentientes, credunt, operantur, & perſeverant, ut decreto abſoluto, id eſt, quo abſolute vult, ut conſentiant, credant, operentur, ſeu perſeverent, præordinaverit unicuique eorum dare auxilium gratiæ, cujus virtutem, ſeu motionem præſcit tam eſſe efficacem ad ſubjiciendum ſibi liberum arbitrium ejus, cui datur, ut ex ea certum ſit & infallibile, & inſuperabile, quod is conſentiet, credet, operabitur, ſeu perſeverabit: aut ejuſmodi decretum Dei abſolutum, ſeu efficacem motionem libertatem arbitrii tollere, vel ei adverſari; Errat.* Decimatertia ſic habebat. *Qui dixerit, Præſcientiam de hominum ſalute, ſeu quocumque illorum actu ad ſalutem pertinente, fundari non in virtute auxilii, ſeu motionis efficacis, ad ſubdendum ſibi arbitrium ejus, cui datur; ſed in præviſo uſu humani arbitrii, pro ſua libertate auxilio Dei utentis, vel non utentis: aut hujuſmodi Præſcientiam eſſe neceſſariam ad conciliandum inter ſe auxilium gratiæ Dei & liberum uſum humani arbitrii; Errat, ponendo in Deo ſcientiam, quæ nullum prorſus habet vel habere poteſt objectum.* Decimaquarta ſic. *Qui dixerit, prædeſtinationem Electorum ſic pendere ab ipſorum arbitrio, ut non per efficaciam ſeu virtutem auxiliorum, quæ Deus ſua prædeſtinatione decrevit dare, fiat quod bene iis utantur; ſed quia Deus in præſcientia ſua videt, quibus auxiliis pro ſua libertate bene utentur electi, hæc ipſis dare decreverit; Errat; in illud incidens, prædeſtinationem Dei eſſe ex meritis hominis: ita nimirum ut gratia, qua adjuvantur homines ad conſequendum effectum & finem, ad quem ſunt prædeſtinati, inde iis detur, quia ipſi volunt uti illo ſui arbitrii, quem pro libertate ſua adhibent; non autem ideo velint, quia per gratiam adjuvantur.*

Secundum hæc, in cœtu Cardinalium Pontifex die 28. Auguſti 1607. ſententiam ſingulorum pro controverſia abſolvenda requiſivit. Quid ſingulis viſum fuerit, incertum; ſed triduo poſt Summus Pontifex accitis utriuſque Ordinis Summis Præſulibus ſcriptam quamdam ſyngrapham dedit, qua Theologis & Conſultoribus in cauſa de Auxiliis ad propria remeandi venia dabatur: expectarent autem propediem, quæ ab ipſo prodiret ſententia, atque interim ab invidioſis mutuo ſe titulis laceſſendo abſtinerent. Tranſmiſſa hujus decreti exemplaria ad Nuncios Apoſtolicos & Generales per orbem Chriſtianum Inquiſitores,

quo ejus executionem urgerent. Hiſpaniæ Rex apud Pontificem pro ſententia inſtabat; inſtabant & Dominicani, ſupplici ad eam rem libello exhibito; ſed fruſtra omnes. Nam Paulus V. decreto ſuo 3. Decembris 1611. cavit, ne quis deinceps quidquam de hoc argumento imprimere auderet. Innovatum eſt hoc Pauli decretum ſub Urbano VIII. die 22. Maji 1625. ſub Innocentio X. 23. Aprilis 1654. ſub Innocentio XII. 28. Januarii & 6. Februarii 1694.

Innocentius X. decreto ſuo 23. Aprilis 1654. edixit, nullam addendam eſſe fidem Actis Congregationis de Auxiliis, ſicut nec Conſtitutioni Pauli V. quo tamen minime factum eſt, quin publici juris Acta illa tandem fierent, primo a Coronello in ſummam redacta; deinde totidem verbis a Lemoſ relata. Denique inter utriuſque partis Theologos ſummum ſemper jus ſcribendi, docendi, atque doctrinam ſuam prædicandi retentum eſt; abſque eo quod coercendis illis in ordinem Summi Pontifices aliquid molirentur. Nos autem operæ pretium facturos autumavimus ſi earum, quæ in Eccleſia ſuper hoc argumento agitata ſunt, hiſtoriam brevioribus verbis complecteremur, potius quam nudam utriuſque ſententiæ relationem expoſitionemque tradentes, tædium pararemus Lectoribus.

Nunc vero, ut Diſſertationi modum imponentes noſtram ſuper ea re ſententiam promamus illud aſſerendum ſtatuimus: Prædeſtinationem ad gratiam & vocationem ad Fidem mera eſſe, & prorſus gratuita Dei largitoris beneficia: prædeſtinari nos pariter ad Beatitudinem divinæ voluntatis beneplacito, non meritorum præſcientia: quod autem ad gloriam ſeligamur, ejus rei in cauſa nequaquam fuiſſe Dei præviſionem, quaſi ſcilicet ſpectaverit, quid eſſemus liberi arbitrii viribus præſtituri, nullis adjuti auxiliis ſupernaturalibus & gratia. Neque pariter in animum inducimus, explicando prædeſtinationis myſterio, ſive Scientiam mediam, ſive decreta conditionibus adſtricta, ſive futurorum meritorum præſcientiam invehere oportere. Sed juxta traditam a SS. Auguſtino & Thoma doctrinam ſancimus, virorum Sanctorum ad gloriam prædeſtinationem nullam aliam habere, quantum ad Deum, cauſam, quam volentis favorem præſtare gratuitam in illos propenſionem; prædeſtinationem etenim perinde reputandam, quaſi præſcientia ſit & præparatio gratiarum, ad ſalutem viam certam paratamque inſtruentium.

Eo ſemel poſito ſyſtemate, ſalva ſunt omnia juſtitiæ, præſcientiæ, miſericordiæ, ſicut & libertatis humanæ jura. Totam Adami poſteritatem in crimine, & corruptione ſquallentem reſpiciens Deus, nihilque in illa non odio, non execratione, non æterno ſupplicio dignum intuitus, puro miſerationis affectu certum quemdam eorum numerum ad ſalutem ſelegit; cujus rei gratia abſolutum ab illo decretum prædeſtinationis emanavit, parataque certa & infallibilia ad prædeſtinatos in gloriam perducendos auxilia. Hujus decreti beneficio homo gratiæ cujuſdam pellectu, & efficacia libere in bonum & virtutem propellitur auxilioque Dei numquam deſerentis fultus, ad finem uſque vitæ in bono perſeverat.

Quos vero Deus ſimili beneficio donandos non cenſet, nec talibus inſtruit auxiliis, quamquam alioqui ſincera Dei voluntate ad ſalutem vocantur, in tranſverſum tamen a voluntate ſua & naturæ corruptione acti, certum ſibi indubitatum parant exitium, non neceſſitate, ſed libera voluntate, originali crimini nova ſuperaddentes ſcelera, quorum merito æterno ſe ſupplicio dignos exhibent. Ita reprobationis decretum in adultis quidem non originale tantum, ſed actualia etiam hominis crimina reſpicit: id agente per ſummam juſtitiam Deo, ut criminum merito reprobis valida illa deneget auxilia, quæ nemini præſtare tenetur, nec juſtis niſi gratuito miſerationis affectu indulget.

In eam vero inclinari ſententiam cogimur ſolemni illo approbationis elogio, quo Eccleſia S. Auguſtini in dogmate de prædeſtinatione & gratia doctrinam commendavit; modo ex verbis S. Doctoris fidei canones dirigens, modo, quid ab Eccleſiis totius Africæ factum novimus illum eligens ſingularem ad Fidem adverſus Pelagianos aſſerendam Doctorem (1): ut proinde nobis jure meritoque cum eodem Auguſtino affirmandum cenſeamus (2), neminem conſtitutæ ab illo de gratia & prædeſtinatione doctrinæ repugnare, quin ſimul & in diſcrimen fidei ſuæ venerit. Nemo melius Pelagianorum & Semipelagianorum arcana penetravit; nemo feliciori ſucceſſu hæreſibus illis proſtratis Fidei Catholicæ veritatem aſſeruit, ſolidis inſuper jactis fundamentis, quibus innitamur, ſi quid forte ea in re controverſiæ ſuſcitari contigerit in Eccleſia. Ita a recto itineris tramite nequaquam nos diverſuros credimus, ſi tantum viæ ducem ſequamur.

Nec minori aſſenſu doctrinam ejus probarunt Summi Pontifices vel S. Auguſtino coævi, vel non diu poſt illum Summum Sacerdotium tenentes, uti Innocentius I. Zoſimus, Bonifacius, Cæleſtinus, Leo Magnus, Gelaſius, Hormiſdas. Quibus pariter accenſendi Pontifices, ſucceſſu temporis Eccleſiæ clavum tenentes. *Auguſtinum*, ait Cœleſtinus Papa Epiſt. de Epiſc. Galliæ *ſanctiſſimæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam ſiniſtræ ſuſpitionis ſaltem rumor aſperſit*. Addit, ejus doctrina tantam fuiſſe apud omnes laudem, ut Romanæ Eccleſiæ Præſules deceſſores ſui inter ſummos doctrinæ Eccleſiæ Magiſtros ſemper habuerint.

Romanæ Eccleſiæ, i. e. Catholicæ, ſententiam noſſe in dogmate de libero arbitrio & gratia ſi quis velit, ait Hormiſdas Epiſt. ad Poſſeſſorem t. 4. Conc. pag. 1532. adeat Auguſtini Scripta & maxime libros ad Hilarium & Proſperum (3). Joannes II. Papa Epiſt. 3. declarat, Eccleſiam Romanam ſequi, & tamquam pretioſum aliquod depoſitum ſervare doctrinam S. Auguſtini in dogmate de gratia, juxta deceſſorum ſuorum Pontificum Statuta (4).

Alexander VII. in ſuo Brevi ad Facultatem Lovanienſem ſub die 7. Auguſti 1660. monet hortaturque, *ut præclariſſimorum Eccleſiæ Doctorum Auguſtini, & Thomæ inconcuſſa tutiſſimaque dogmata ſequantur* (5). Tandem Clemens Papa XI. decreto ſuo ſub die 18. Januarii 1704. cenſura inuſſit Librum Gallicum inſcriptum: *Vera Eccleſiæ traditio in dogmate de prædeſtinatione & gratia D. Launoji* (6); profeſſus inſuper, a Deceſſoribus ſuis S. Auguſtini Doctoris præclaram doctrinam magno ſemper in pretio habitam, *quam toto mentis affectu*, ait, *amplexi ſunt, veſtigiis ejus firmiter inhærentes &c.*

Ad locum Epiſtolæ ad Romanos (7), cujus occaſione Diſſertationem hanc noſtram dedimus, quod attinet, de prædeſtinatione aliqua gratuita ſermonem ibi ab Apoſtolo fieri, ſatis convenit inter Commentatores. Uſque adeo tamen certum non eſt, an de prædeſtinatione ad gloriam & reprobatione ad æterna ſupplicia, dicta illa exponantur, vel tantum de prædeſtinatione ad gratiam & vocatione ad Fidem. Contendunt plures, toto inſpecto Apoſtoli in univerſa hac Epiſtola conſilio ſatis inſinuari, omnia hæc de prædeſtinatione ad gratiam & vocatione ad Fidem, beneficiis prorſus, quantum ex Deo, gratuitis, dicta intelligi oportere. Prædeſtinationem gratuitam ad gloriam in verbis Apoſtoli legere ſe alii autumarunt. Vix tamen ambigimus, quin oblique ſaltem Apoſtolus præ-

(1) *Auguſt. Epiſt. 150. Curam Scripturarum mihi Fratres, & Patres mei Coepiſcopi duorum Conciliorum Numidiæ & Carthaginis imponere dignati ſunt.* (2) *De Dono Perſev. c. 19. n. 48.* (3) *Quid de libero arbitrio, & gratia Dei Romana, hoc eſt, Catholica ſequatur Eccleſia in variis Libris Auguſtini, & maxime ad Hilarium & Proſperum cognoſci poteſt.* (4) *Auguſtini doctrinam de Gratia ſecundum Prædeceſſorum meorum ſtatuta, Romana ſequitur; & ſervat Eccleſia.* (5) *Vide etiam Breve Innocentii XII. ad Facultatem Theologicam Lovanienſem ſub die 6. Februarii 1694.* (6) *La veritable Tradition de l'Egliſe, ſur la prædeſtination & la grace, par de Launoy, &c.* (7) *Rom. 9. 22. 12. 13.*

prædeſtinationem ad gloriam innuat; eum veluti neceſſaria conſecutione ex prædeſtinatione ad gratiam & Fidem deducatur. Hanc utriuſque prædeſtinationis connexionem demonſtrat Apoſtolus ad Rom. 8. 30. *Quos vocavit, hos & juſtificavit, quos autem juſtificavit, hos & glorificavit.*

DISSERTATIO

De Circumciſionis Effectibus.

De origine Circumciſionis in Diſſertatione ad Geneſim diſſerentes, demonſtravimus ejus invectæ primum Authorem Abrahamum fuiſſe. De effectibus ejus ceremoniæ agendum modo; ad quem nempe finem Deus ritum illum ordinaverit; & maxime, an Originalis criminis expiationi inſtitutus ſit.

Circumciſionis ritus altius quam e Lege Moſaica repetendus; tradidit enim Deus Abrahamo Patriarchæ, atque apud ipſum deinceps ejuſque poſteros etiam ante latam a Deo Legem obtinuit. Hæc autem Deus Abrahamo injunxit [1]: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te. Circumcidetur ex vobis omne maſculum, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circumcidetur .... eritque pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* His verbis non obſcure Circumciſionis effectus exprimuntur; invexit enim hunc ritum Deus tamquam in monumentum ſui cum Abrahamo fœderis.

Fœderis initi pactiones pleromque tabulis marmoreis ſive æreis inſcribebantur; non ſemel monumenta publica erecta ſunt, quo memoria apud poſteros perennaretur; adhibiti teſtes, quorum aſſertione de re tota conſtaret, nihilque inter poſteros deinde ambigeretur. Nunc autem Deus fœderis a ſe initi monumentum manere æternum voluit, non tabulis lapideis vel metallo committens, ſed corpori illius, quocum ſœdus ſancitum eſt, ac toti deinceps ejus poſteritati eorumque mancipiis inſcripſit. Ejus autem violati juris reis, ne quis unquam talia auderet, excidium ex univerſo populo ſuo ſolemni proteſtatione minitatur.

Solemne erat apud Orientales, ut ſtigmatibus compuncti totos ſe in Numinis alicujus ſingularem clientelam & obſequium conſecrarent. Mos ille facile ante Abrahami ætatem obtinebat: forte etiam Abrahami imitatione factum eſt, ut in alias gentes reciperetur. Illud ſane apud mortales inſitum ſemper fuit, ut ſuæ erga Numen aliquod religionis indelebilibus expreſſa characteribus documenta exhiberent. Ita ſacris Bacchi initiati cauterio impreſſam hederaceæ frondis notam præferebant [2]; ſacris characteribus ſive in corpore, ſive in pulſibus, ſive in collo inurebantur, quicumque ſe religioni Deæ Syriæ addixiſſent [3]. Sunt, ait Philo de Monarchia, qui ad id ſtultitiæ devenerint, ut omnes ſibi præcluſuri reditus ad Deum, & pœnitentiam vias, ac totos ſe Numinum ſuperſtitioni addicentes, ſervile impietatis notas admittant, cauterio ſe in carne ſua ſtigmaticantes, quaſi id committentes, ne impietatis ſuæ memoria ullo unquam tempore deleatur.

Erat itaque Circumciſio indelebile aliquod ſignum, quo totum Abrahami genus divini Numinis obſequio ſe penitus addixit; inſigne erat populi electi peculiare, quo a ceteris diſtingueretur: *Circumcidere genitalia inſtituere, ut diverſitate noſcantur*, ait Tacitus hiſtor. l. 5. ſub init. Eidem ſuam obſtrinxerat Deus, propagandi ſcilicet Abrahami genus velut ſtellas Cœli, & arenas maris; commiſſurum inſuper pollicitus, ut in ejus ſtirpe omnes Tribus terræ benedicerentur. Illud igitur conſequebatur, ut genus illud diſtingueret ſigno aliquo aperto, omnibuſque explorato, quo divinarum promiſſionum fides illuſtrius ſpectaretur. E medio ejuſdem populi proditurus erat Meſſias: quare nunquam gens illa cum ceteris Orbis nationibus admiſcenda erat, ne forte Servatoris humani generis origo incerta maneret, & ambigua: *Ne ſoboles dilecti Abrahami ceteris nationibus miſceretur, & paulatim familia ejus fieret incerta, gregem Iſraeliticum quodam circumciſionis cauterio annotavit* [†].

Itaque de circumciſione ſua plurimum gloriabantur Hebræi, apud quos incircumciſi nomen, ſi quod aliud unquam, invidioſiſſimum. Probro erat apud illos maximo, ſi quis in carne ſua inſigne fœderis cum Domino initi non oſtentaret. Summo reſpiciebant horrore populos incircumciſos, ut quantæ invidiæ erat Judæis circumciſio apud Paganos, tanto pariter contemptui incircumciſio Paganorum apud Judæos. Nulla volebant cum ipſis commercia, nulla connubia, nullas pariter compotationes, & vix ſalutatione illos dignabantur [4]. *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu. Sed adverſus omnes alios hoſtile odium; ſeparati epulis, diſcreti cubilibus.* Exaggeratum fortaſſe aliquid ea in re apud Paganos; quippe qui faſtui, & odio imputabant, quod tantum ab amore, & ſtudio æternæ puritatis repetendum erat. Veriti enim, ne quid contraherent maculæ, a commercio ſe alienigenarum interdicebant. Ita nonniſi exaggeratione quadam Hebræis imputatur apud Juven. Sat. 14. verſ. 104.

Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti.
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Præter hanc litteralem circumciſionis ſignificationem, qua ſcilicet invectam illam intelligimus, tamquam Judæorum peculiare inſigne, morales illi effectus aliqui tribuuntur; revocandi nempe memoriam originis ſuæ ex Parente, qui eximiæ fidei merito auctor, & princeps electi generis, & Pater Meſſiæ conſtitutus eſt. Ad hæc, Circumciſio Judæos urgebat, *ut æmuli eſſent paternæ fidei, & crederent in Jeſum, qui Abrahamo promiſſus eſt* [5]. Ipſe pariter Moyſes inſinuaverat, externam carnis circumciſionem internæ argumentum fuiſſe [6]; *Circumcidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui, ut diligas Dominum*. Idem apud Prophetas traditum: *Omnes gentes habent præputium: omnis autem domus Iſrael circumciſi ſunt corde*, ait Jeremias 9. 26. Corporis circumciſio, ait Philo [7], ſenſualium voluptatum, animam in malum pellicientium, præciſionem ſignificat, ſed omnium maxime blandas voluptates, & opiniones vanas noxiaſque ſubducendas, retrahendaſque imperat.

Quemadmodum autem inſtitutum a Jeſu Chriſto Baptiſmatis Sacramentum indelebili quodam charactere ſpiritum obſignat, quo nos & filii Dei conſtituimur, & in cœtum adlegimur novorum hominum, a crimine ſegregati, atque ad jura fœderis cum Jeſu Chriſto

(1) *Geneſ. 17. 10. 11. 12.* (2) *3. Macchab. 2. & 2. Macchab. 6. 7. & 14. 33.* (3) *Lucian. de Dea Syria.* (†) *Hieron. in Ep. ad Galat. 3.* (4) *Tacit. hiſt. l. 5. circa initium.*

(5) *Ambroſiaſter in Rom. 4.* (6) *Deut. 30. 6. Levit. 26. 41. Donec erubeſcat incircumciſa mens eorum.* (7) *Philo De circumciſione. Et de Migrat. Abraham.*

initi evocari; ita pariter circumciſio carnis ſtigmate quodam corpus inurit, quo Hebræi divino ſe famulatui mancipatos profitebantur. Segregabantur pariter ab omnibus circum prophanis gentibus, ſpeciali eo ritu Domino conſecrati. Porro circumciſio typus erat, Baptiſmus typi hujus veritas. Illa Judæis ad Religionem Domini fores recludebat, ubi ſemel admiſſi, in promiſſiones atque populi electi hæreditatem jure optimo fruebantur. Circumciſione initiati Legis acturum imperio ſubmittebantur [1]. Nec ceteræ per orbem Nationes a publica Judaicæ Religionis profeſſione, atque jure promiſſionibus Domini potiundi excludebantur; ea tamen conditione, ſi Circumciſione initiatæ, Idolatriæ ſuperſtitiones ejurarent; quare illud identidem oggerebatur recens ad fidem converſis Gentilibus a Judæis [2]: *Niſi circumcidamini ſecundum morem Moyſi, non poteſtis ſalvari.*

Diu poſt Hebræi circumciſione ſimul & Baptiſmo, toto emergentes corpore, illos initiabant, qui inter Proſelytos juſtitiæ nomen daturi veniſſent. Docebant, tria exigi oportere ab illis, qui in fœdus Domini admitti poſtulaſſent; circumciſionem, baptiſmum, & oblationem ſacrificii [3]. Nil tamen ea de re in Lege expreſſum; quare traditione tantum, vetuſtiſſima illa tamen, diſciplinam illam obtinuiſſe, conſtat. Curandum vero erat in eo baptiſmate conferendo, ne aqua tantum initiandus aſpergeretur, neve ad collum uſque demergeretur tantummodo; ſed id pariter committendum, ut ne minima corporis portio relinqueretur illota, alioqui nullus erat baptiſmus [4]. Semel autem lotos, novo baptiſmate ſive ipſos, ſive eorum poſteros, etiam apoſtaſiæ reus abluere nefas.

Hujus regenerationis, quæ ex baptiſmo & circumciſione inducebatur, effectus hi habebantur, juxta Rabbinos. 1. Ejus generis Proſelyti, cujuſcumque antea fuiſſent ſive gentis ſive religionis, Hebræorum jure donabantur. Hinc diſtinctio apud illos, Hebræi e parentibus Hebræis, & ſimplicis Hebræi. S. Paulus *Hebræum ſe ex Hebræis & e Tribu Benjamin* [5] profitetur, quod ſcilicet a Proſelytis, adeptione quadam Hebræis, diſtingueretur. Judæorum quidem vindicare ſibi appellationem fas erat Proſelytis: non tamen e genere ſe Judæorum jactare. 2. Ea cæremonia veluti denuo naſcebantur, ut tamquam nati tum primum infantes, & innocenti quodammodo natura, nec priores parentes agnoſcere amplius, nec ſanguinis conjunctione ſibi devinctos neceſſarios habere diutius ſuſtinerent. Neque id tantum cum parentibus & neceſſariis, a Judæorum ſacris abhorrentibus, ſervatum, ſed ipſis & parentibus & fratribus & filiis quoque, inter Judæos nomen dantibus, nihil habebant Proſelyti commune [6]; perinde enim reputabantur, ac e Cœlo tum primum delapſi homines. Neceſſitudinis conjunctione hæredes a ſucceſſione defuncti Proſelyti excludebantur. Eo ventum a nonnullis, ut credant, priorem etiam animam Proſelytum demittere, ut novam recipiat [7].

Hæc Rabbinorum commenta ne retuliſſe quidem ſuſtineremus, niſi alluſione quadam ſpectata animadverteremus a Scriptura, ſicubi ſermo occurrat de Baptiſmo Chriſtianorum, atque ſpirituali e ſacro lavacro illo regeneratione. Nec abs re pariter ſuſpicamur, Hebræos plura e Libris N. T. ea de re ſuffuratos. Huc pertinet illud Jeſu Chriſti ad Nicodemum de regeneratione [8]: *Niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre Regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? Numquid poteſt in ventrem matris ſuæ iterato, introire, & renaſci? Reſpondit Jeſus: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.... Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras?* Huc etiam illud 2. Cor. 5. 17. *Si qua in Chriſto nova creatura, vetera tranſierunt: ecce facta ſunt omnia nova.* Et ad Galatas 6. 15. *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura.* Et Ephes. 4. 24. *Deponite ſecundum priſtinam converſationem veterem hominem. Induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia, & ſanctitate veritatis. Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis* [*]. *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Jeſu, in morte ipſius baptizati ſumus* [9]? *Conſepulti enim ſumus cum illo per Baptiſmum in mortem; ut quomodo Chriſtus ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus .... Ita vos exiſtimate, mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo. Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* [10], *ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit. Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem.*

Hæ loquendi phraſes ſatis cum iis conſonant, quibus Judæi circumciſionis & Baptiſmatis in Proſelytis ſeu veros ſeu fictos effectus deſignant: ſeu fictos, inquam, ſoli etenim qui Chriſtianorum Baptiſmate abluuntur, regeneratione quadam reipſa innovantur, atque in novos reformati homines novaſque creaturas, veterem exuunt hominem, ut Jeſu Chriſto induantur. Circumciſio & Baptiſmus Proſelytorum eorumque effectus, typus erant Baptiſmi a Jeſu Chriſto inſtituti. Utrumque enim inter Sacramenta primas tenent: illud Veteris, hoc novæ Legis; ſicut enim circumciſione in populo Dei cenſebantur homines; ita pariter Baptiſmo in Fidelium, & Filiorum Dei cœtu cooptamur. Circumciſione, juxta veterum quorumdam phraſim [11], veluti lorica quadam adverſus nefarii Dæmonis ictus muniebantur Hebræi, ſicut & Chriſtiani, juxta S. Baſilium [12], Baptiſmo. Angelus ille, qui Moyſi, ſive Eliezer e Madian venienti occurrit ſtricto in necem gladio, filio a Sephora initiato Circumciſione repreſſus eſt [13]: neque Dæmon adverſus Fideles Baptiſmate munitos audere quidquam poteſt, niſi intento in malum Spiritui ſegnities & iniquitas Fidelium aditum præbeat, viamque veluti ſternat.

Rite collatum Baptiſmum iterum repetere nefas; nefas pariter & Circumciſionem; quamvis extra Judaiſmum ſecti, uti apud Samaritanos, Arabes, Ægyptios, Æthiopes, ad Judæorum ſacra tranſeuntes novæ circumciſioni ſubderentur; nullam enim rite dari circumciſionem autumabant Hebræi, niſi Judaicam, qua ſcilicet initiari in jus promiſſionum & fœderis Dominici admitterentur. Quicumque igitur apud alios circumciſi ad Judæorum ſacra tranſiiſſent, portio reliquæ cuticulæ iis præcidebatur; ſive cruoris aliqua gutta e priori circumciſionis cicatrice educta, nova initiati circumciſione habiti ſunt [14]. Ita in Eccleſia quoque receptum eſt, ut novo abluantur Baptiſmate quicumque alio quam SS. Trinitatis nomine, vel deficiente alio maximi momenti ritu, abluti fuerint.

Mira de circumciſione ſua prædicant Judæi; in ea enim, qua Proſelytum recens ablutum proſequuntur, oratione precantur [15]: *Benedictus ſis Rex Mundi, qui nos ſanctificaſti præceptis tuis, qui nos juſſiſti Proſelytos circumcidere, atque ex illis educere ſanguinem fœderis: ſine cruore enim fœderis Cœlum & terra non firmarentur, juxta verbum tuum* [*]. *Si pactum meum inter diem & noctem, & leges Cœlo & terræ non poſui.* Quibus verbis ſatis demonſtrans, omnia

(1) *Galat. 5. 3. Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quoniam debitor eſt univerſæ Legis faciendæ.* (2) *Act.* 15. 1. (3) *Gemar. Babylon ad tit. Jabimoth cap. 4. & tit. Ceritoth cap. 2. Maimon. Halac Iſuri Bia, cap. 13. &c.* (4) *Maimon. Halac. Iſuribia, cap. 13. & Halac. Mictaoth cap. 1. 2.* (5) *Philipp. 3. 5. Vide & Rom. 11. 1.* (6) *Vide Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth, cap. 2. Maimon. Halac. Jabom Vachaliza cap. 1. & Iſuri Bia cap. 14. &c.*

(7) *Vide Selden. de jure Nat. & Gent. l. 2. c. 4. p. 163. 164.* (8) *Joan. 3. 3. 4.* (*) *Galat. 3. 27.* (9) *Rom. 6. 3. 11.* (10) *2. Cor. 5. 15.* (11) *Origen. l. 5. p. 263. contra Celſum. Vide & Chald. Interpr. in Cant. 3. 8. 9.* (12) *Baſil. Exhort. ad Baptiſmum.* (13) *Exod. 4. 24.* (14) *Gemar. Babyl. ad tit. Jabimoth, cap. 4. Maimon. & Mikotzi, &c. Epiph. l. de ponderibus & menſuris.* (15) *Vide Maimonid. Hu nch Milla* (*) *Jerem. 33. 25.*

omnia a ſe, conditum nempe, & conſervationem univerſi, circumciſionis obſervantiæ accepto referri. Defendunt alii, Patres ſuos in Ægypto e gladio Angeli exterminatoris ſubductos, non Agni tantum Paſchalis pervigilio ejus diei immolati virtute, ſed etiam cruore circumciſionis omnium, quotquot ex Hebræis nati fuerant, liberorum, quorum ſanguis eadem ac ſanguis Agni die, ſi fides Judæis effuſus eſt. Sed circumciſi veſpere Judæi, quomodo eadem nocte iter inire potuiſſent?

Circumciſionem capitali lege præceptam credunt; nec Deus quidem mitius agendum præcipit cum iis, qui octava die circumciſione non initiarentur [1]. Sicut autem morti obnoxios cenſent incircumciſos, ita vitæ fontem credunt circumciſionem; quare ritum illum adminiſtrantes fauſtis illis vocibus applaudunt: Bene, *bene, bene: Vive in ſanguine tuo, vive* [2]: Suſpicatur quin etiam Maimonides, Deum ipſo mortis articulo extinguere animas eorum, qui dum viverent ſacramentum illud neglexerant; belluino proinde more ſpiritum illum efflare. Blandiuntur ſibi pariter ex Hebræis quidam [3], cruore circumciſionis penitus ſatisfactum criminibus ſicuti & in abſciſſione præputii abolita crimina mortuorum. Docent alii, Abrahamum ante Inferorum fores excubantem, omnes admittere incircumciſos; excludere vero animas gentilium ſuorum; nec excludere tantum, ſed & ad Cœlum mittere: Circumciſione etenim illud præſtatur, ut & Paradiſi recludantur fores & Deo gratæ animæ efficiantur.

Ante S. Auguſtinum, Patres nihil de Circumciſione præclarum ſenſerant; quippe qui ejus omnes effectus eo ferme redegerint, ut ſignum illud datum crederent, quo electus in fœdus Domini populus a ceteris per Orbem gentibus diſtingueretur. Melius de illa S. Auguſtinus, ceterique ejus doctrinam ſecuti Patres & Latini Theologi defenderunt, originale crimen Circumciſione remitti, eaque ſimul in juſtitiam revocari. Hiſce autem rationibus ſententiam hanc ſuam fulcront.

S. Paulus de Abrahamo Patriarcha ſtatuit [*]: *Et ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ Fidei, quæ eſt in præputio:* ſignaculum nempe juſtitiæ, per Fidem adhuc incircumciſo collatæ. Circumciſionem igitur admiſit, tamquam ſignum ſanciti eum Deo fœderis: *Ut ſignum fœderis inter me & inter vos* [4]. Et vero Circumciſio inſigne habebatur juſtitiæ Abrahami, non quaſi juſtitiam exterous ille ritus contuliſſet, ſed exceptam jam fidei merito, externo veluti indicio prodebat. Quare unicum juſtitiæ hujus momentum non in Circumciſione reponendum erat, ſed in virtute Fidei Mediatoris, quam Circumciſione Judæi profitebantur [5]. *Eadem Fides Mediatoris Chriſti ſalvos faciebat juſtos omnes tam puſillos quam magnos.* Alterum Sententiæ ſuæ argumentum deducit Sanctus Auguſtinus ex ipſis inſtitutæ Circumciſionis Sacri Textus Gen. 17. 14. verbis: *Maſculus, cujus præputii caro circumciſa non fuerit octava die, delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit.* Abſunt verba illa *octava die* in Codicibus Hebraicis; leguntur tamen in Samaritano, & Septuaginta; atque apud Judæos, recens natos infantes octava die circumcidi, juxta illud Geneſ. 17. 12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, neminem latere arbitror.

Quomodo autem recens natus Infans, Circumciſione intra dies octo non initiatus exterminandus eſſet e populo, cum cognitione deſtitutus, nec peccaverit, nec peccare unquam potuerit, ſi maxime voluiſſet [6]. *Niſi quia etiam parvuli non ſecundum ſuæ vitæ proprietatem, ſed ſecundum communem generis humani originem omnes in illo uno teſtamentum Dei diſſipaverunt, in quo omnes peccaverunt.* Alibi vero idem Auguſtinus obſervat [7], Iſaacum octo dierum infantem Circumciſione initiatum, eo pariter Sacramento veluti ſignaculum juſtitiæ Fidei, cum primum ſibi communicatæ, recepiſſe; quæ juſtitiæ ſemina magis deinde magiſque fovit, tot præclaris fidei ſuæ exhibitis ſpeciminibus, quot edere Abrahami filium par erat. Et l. 2. contr. Epiſt. Petil. cap. 72. *Populus Dei*, ait, *Circumciſionem pro Baptiſmo habebat.* Addit [8] *Cum parvulus proprium nullum omnino habeat peccatum, reſtat ut nullum eidem aliud auferatur, niſi originale, illo remedio ſine quo perit anima ejus de populo ſuo: quod ſub juſto Deo non fieret, niſi eſſet culpa, qua fieret.* Eadem ſæpius in ſuis Operibus inculcat.

Nec minus luculenter conſonat Auguſtino Gregorius Moral. in Job lib. 4. cap. 3. Diſtinguit ille tres obtinendæ ante adventum Jeſu Chriſti juſtitiæ ſtatus; juſtitiæ nempe, quæ in Eccleſia Chriſti Baptiſmo confertur. Primo, Fidei parentum merito originale crimen infantibus remittebatur. Secundo, adultis expiationi erant ſacrificia ab ipſis pro ſe oblata. Tertio, Judæis e genere Abrahami ſaluti erat Circumciſionis myſterium: *Quod apud nos valet gratia Baptiſmatis, hoc egit apud Veteres vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, vel pro iis, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium Circumciſionis.* Probant, & ſequuntur eamdem doctrinam cum Venerabili Beda in Luc. 2. S. Bernardo, S. Fulgentio, S. Proſpero frequenti numero Theologi [9].

Obſervant illi tamen in multis, Circumciſionem a Baptiſmo diſcrepaſſe, 1. Baptiſmus excellentiæ ſuæ merito, quam ſcilicet paſſioni Domini accepto refert, juſtificationis gratiam confert: contra Circumciſio gratiam juſtificationis largitur, non virtutis ſuæ privilegio, ſed fidei in Paſſionem Jeſu Chriſti [10], cujus erat & typus, & ſignum; quicumque enim Circumciſionem in ſe admitteret, una ſimul eo externo ritu profitebatur credere ſe in futurum Meſſiam, & in eum pariter implicitam ſaltem fidei profeſſionem emittebat: ſuam pariter edebat, & pro ſe & pro infante, qui infantem ipſum afferebat initiandum. 2. Baptiſmus Characterem quemdam ſpiritualem, & indelebilem in anima imprimit; Circumciſio tantum corpus obſignat, atque inſigne eſt fœderis, ad quod initiatus admiſſus e genuinis Abrahæ filius unus habebatur. 3. Pleniori gratia diteſcit Baptiſmus, quam Circumciſio; hæc enim Sacramentis novæ Legis præ Veteris eſt prærogativa, ut facilius, efficacius, & largius effectus ſuos conferant [11]. Quare cum S. Auguſtinus non ſemel [12] Circumciſionem loco Baptiſmi datam fuiſſe Hebræis aſſerit, de effectu potiſſimo, atque principali Baptiſmatis intelligendus eſt, nempe de remiſſione originalis criminis, non de varia dimittendi ratione.

(1) *Geneſ. 17. 14.* (2) *Ezechiel. 16. 6.* (3) *Vide Majum Syntagm. Jud. l. 16. p. 250. Leo Muden. Theol. Jud. cap. 16. p. 562.* (*) *Rom. 4. 11.* (4) *Gen. 17.* (5) *Aug. de Nuptiis & Concup. lib. 2. cap. 11. Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, quod erat tunc ſignaculum juſtitiæ Fidei, ad ſignificationem purgationis valebat, & parvulis originalis veteriſque peccati: ſicut & Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innovationem hominis, ex quo eſt inſtitutus &c.* (6) *Aug. de Civit. lib. 16. c. 27.* (7) *Idem lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 24.* (8) *Auguſt. contra Julian. Pelagian. lib. 6. c. 7. p. 673. Vide eumdem de peccato Originali contra Pelag. & Cœleſt. cap. 30.* (9) *Vide Perer. in Geneſ. 17. & in Rom. 4. Diſput. 6. Eſtium, & Cornel. in Geneſ. 17. Vide Innocent. III. capite Majores &c. Et Proſper. ad Demetriad. Fulgent. l. de Incarnat. cap. 15. Bernard. ſermone in Cœna Domini; Iſidor. Rupert. Hugon. de S. Vict. Petr. Lombard. in 4. Sent. diſt. 1. & Scholaſticos paſſim.*
(10) *D. Thomas 3. part. qu. 70. art. 4. In Circumciſione conferebatur gratia non ex virtute Circumciſionis, ſed ex virtute Fidei paſſionis Chriſti, cujus ſignum erat Circumciſio.* (11) *Auguſ. lib. 19. contra Fauſt. cap. 13. Sacramenta (novæ Legis) inſtituta ſunt virtute majora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Vide & Epiſt. olim 118. nunc 54. cap. 1. Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione faciliimis, ſignificatione præſtantiſſimis ſocietatem novi populi colligavit.*
(12) *Auguſt. Epiſt. olim 57. nunc 187. c. 11. & ſer. 152. n. 11. c. 5. nov. Edit. &c.*

Plura tamen in hanc ſententiam, inſtitutæ nempe Circumciſionis in remiſſionem originalis criminis, objiciuntur. Textus Scripturæ, quos illi fulciendæ adducit S. Auguſtinus alterum plane ſenſum obtinent apud Veteres Patres; nec ſane diffitendum, ambiguos eſſe, nec ſingulari ſenſui ſervire. S. Auguſtinus autumat illud Scripturæ: *Exterminabitur de populo ſuo*, de pœna Inferni exponendum; ſicut & fœdus illud his verbis inſinuatum: *Pactum meum irritum fecit*, ſancitum a Deo cum primoribus humani generis parentibus, pactum exprimit, cujus nos pacti in Adamo prævaricationis rei damnamur. Plures tamen doctiſſimi Interpretes defendunt, [e]xterminari de populo ſuo perinde eſſe, atque capitis pœna, ſeu violenta & præcipiti morte damnare (1); vel etiam e reliquo Iſraelitici populi cœtu interdici omnibus multari gratiis & privilegiis, quibus recepti in fœdus Dei cum Abraham populi donantur.

Sed quiſnam e cœtu populi exterminandus? an infans, an alius ad quem infantis cura pertineret? Sunt qui nihil in infante cautum arbitrantur; neque enim in infantia ſitum eſſe facultate poterat, ſive ut hanc Circumciſionis legem cognoſceret, ſive cognitam in ſe executioni mandaret. Quando vero lex illa ad infantem ſpectare defenderetur, eſſe contendunt ejus diſtinctionis rigorem tandiu ſuſpendendum, quandiu puer ipſe intelligendi atque volendi capax, ſubmittere ſe Legi ſive neglexiſſet ſive contempſiſſet (2). Malunt alii (3), vindicem illum Legis rigorem in eorum tantum caput detorqueri, quibus ſive a Lege, ſive a conſuetudine onus impoſitum eſſet curandi, ut infans ſacramento illo initiaretur, uti parentum, & horum defectus ſanguinis conjunctione magis ad puerum accedentium. Nemo unus ante S. Auguſtinum exterminium illud de pœna Inferni uſurpavit, ſicut neque exterminii pœnæ infantem intra octo dies Circumciſione non initiatum ſubegit. Semper omni ætate Judæi permiſſum ſibi arbitrabantur, ut cæremoniam illam ſive valetudinis tuendæ gratia, ſive officii, ultra octo illos dies differrent. Nullo vero argumento probatur, Hebræos ſive veteres, ſive recentiores virtutem remittendi criminis originalis Circumciſioni tribuiſſe. Illud *octavo die*, quod in Textu legit S. Auguſtinus, neque in Hebræo, neque in Vulgata apparet; ex quo pariter totum Auguſtini argumentum evaneſcit.

Adde, voces illas Textus, *Quia pactum meum irritum fecit*, a S. Auguſtino quidem de pacto Domini cum Adamo, cum primum in mundum veniret, expoſitas, de fœdere Dei cum Abrahamo plano & obvio ſenſu reddi potuiſſe. Perinde enim accipienda ſunt verba illa, quaſi Deus ea ſe die inire cum Judæis fœdus proteſtaretur, fidem ſuam obligans opem ſe illis præſtiturum, immiſſurumque in hæreditatem Chananitidis, ea conditione, ſi mares omnes ſacro Circumciſionis myſterio initiarent; quare Circumciſionem veluti pignus, & ſigillum ejuſdem fœderis proponebat; ut quicumque Sacramentum illud neglexiſſet, ille e cœtu populi ſegregatus, & a ſpe promiſſionum excluſus, veluti pacti fœderis tranſgreſſor haberetur. Veram hanc & genuinam ſententiæ hujus expoſitionem eſſe, ſola Textus lectione abunde intelligimus (4).

Apertiſſime tandem conſtat, ſententiam illam, quemadmodum in Hebræo & Vulgata præfertur, *Cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur*, (ſive abſcindetur) *anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritum fecit*; non infantes, ſed adultos, Sacramento illo initiari vel initiandos liberos ſuos tradere negligentes, ultioni ſubmittere. Quod enim octo dierum infans tanta pœna afficiatur, ut e cœtu populi ſui ejectus ſit, tamquam pacti fœderis violator, nihil eſt. Ita quidem ſatis appoſite philoſophatus Cardinalis Bellarminus, intentum plane convincit (5).

Alter S. Pauli locus, (6) cujus occaſione nos argumentum iſtud tractandum ſuſcepimus: *Abraham ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio: ut ſit pater omnium credentium per præputium, ut reputetur & illis ad juſtitiam*; iſte inquam, locus nihil minus, quam Circumciſione crimen originale remitti, demonſtrat. 1. Sermo eſt ibidem de Circumciſione Abrahami, cui remittendi originalis criminis virtutem, niſi mendacii Apoſtolus arguatur, nemo vindicaret. Apoſtolo enim locupletiſſimo teſte, ante receptam Circumciſionem Abraham a crimine abſolutus eſt, cujus remiſſionis veluti ſignaculum in Circumciſione prætulit. 2. Quando vero ad alios Judæos accommodatione quadam extenderetur, non inde tamen probaretur continuo, Circumciſione & gratiam juſtitiæ in illis produci, & Originale crimen remitti. Nihil enim tale ſive Apoſtolus exprimit, ſive in ejus verbis latere doctiſſimi Interpretes animadvertunt. Origenes in Rom. 4. 11. perſuaſum habet, Circumciſionem veluti ſigillo quodam clauſam tegi juſtitiam Fidei, mox remoto ſigillo ſub Meſſia promendam. Theophylactus philoſophatur, eo plane modo, quo ſigillum actibus & inſtrumentis auctoritatem affert, ita Circumciſionem in Abrahami corpore impreſſam, veluti ſigillum adſcitam oſtendere coram omnibus ejuſdem Patriarchæ juſtitiam; quo indicio Deus aperuit, quantum ſibi in eo viro placeret. Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius ſuper hunc locum ſcribentes, non obſcure docent, Circumciſione veluti ſigno quodam receptæ jam per fidem juſtitiæ Abrahamum donatum fuiſſe. Nec aliter ſentiunt Patres Latini ante S. Auguſtini ætatem; ſicut & gemina tradunt Græci pariter & Latini, ita de Circumciſione philoſophati, quaſi de inſigni quodam diſtinguendis Judæis a ceteris gentibus, atque futuræ mox ſacramenti Baptiſmi veritatis typo; neque ultra quidquam in illa virtutis ſupernaturalis expiandi criminis unquam agnoverunt. Sed promenda modo ſelecta quædam ex illis teſtimonia.

S. Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryphone docet, ante receptam Circumciſionem Abrahamum fidei ſuæ in Deum merito largum ſibi divinarum benedictionum præmium impetraſſe; nec Circumciſionem ideo admiſiſſe, ut ex illa juſtus efficeretur, ſed veluti in ſignum obtentæ jam a Deo juſtitiæ. Addit, fœminas a juſtitia excludendas fuiſſe, ſiquidem Circumciſio ad juſtitiam conferendam valeret, cum nulla ſit fœminarum Circumciſio. Conſtat autem, ait, Creatoris beneficio in medio conſtitutam eſſe juſtitiam, ut a ſingulis, qua viris, qua fœminis, perciperetur. Eſt itaque Circumciſio, inquit, quoddam ſignaculum, non cauſa juſtificationis; neque promerendo nobis Deo niſi pietatem & juſtitiam conferre cenſendum eſt.

Sanctus Irenæus lib. 4. cap. 3. paria docet, adductis in eam rem Scripturæ teſtimoniis. Circumciſio univerſæ Abrahami familiæ data eſt; quæ non tamquam ad juſtitiam adjumento utereotur, ſed tamquam inſigni, ut a ceteris Gentibus Iſraelitæ diſtinguerentur. Probat id Scriptura Gen. 17. 10. 11. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos*. Eadem docet Ezechiel 20. 12. de Sabbatho: *Sabbatha mea dedi eis, ut eſſent ſignum inter me & eos*. Signa igitur erant Circumciſio, & Sabbatum, non vana tamen, & inutilia; ſed latenti Dei conſilio in rem aliquam diſpoſita. Carnis circumciſio cordis circumciſionem aliam deſignat, Apoſtolo teſte Coloſſ. 2. 11. *Circumciſi eſtis circumciſione non manufacta*. Et Deut. 10. 16. *Circumcidite præputium cordis veſtri*. Quod autem plane demonſtrat, circumciſionem non juſtificando homini valuiſſe, ſed Judæis diſtinguendis, illud eſt, omnium ante receptam Circumciſionem Abrahamum merito fidei ſuæ juſtitiam obtinuiſſe (7). Hæc S. Irenæus, nihil affirmans, quin ſimul adductis e Scriptura teſtimoniis probet?

Ter-

(1) *Ita Jareh. Abenezra & Rab. alii*. (2) *Vide Lyr. & Carth. ad Gen. 17. & alios plures*. (3) *Perer. in Geneſ. 17. n. 6. Lyran. Carth. alii, ut Diod. Tarſenſ. Procop. in Gen.* (4) *Geneſ. 17. 4. 5. 6. ... 10. 11. 12. 13. 14. &c.*

(5) *Vide Bellarm. lib. 2. de Sacramen. in Genere c. 17.* (6) *Rom 4. 11.* (7) *Geneſ. 15. 6. Rom. 4. 3. Galat 3. 6. 1. Machabæor. 2. 52. Iſai 41. 8. Judith. 8. 21. Jacob 2. 23.*

Tertullianus in Opere adverſus Judæos hoc ſibi argumentum ſolvendum proponit. Nonne Abraham circumciſione initiatus eſt. Reſpondet: *Accepit quidem circumciſionem, ſed quæ eſſet in ſignum illius temporis, non in ſalutis prærogativam*. Iterum vero opponentibus Judæis exemplum Angeli, qui incircumciſum filium Moyſis neci traditurus venerat [1], a quo ſtatim Sephora mater, circumciſione lapideo gladio facta, imminens vitæ diſcrimen avertit; iterum reponit Tertullianus, vix fieri potuiſſe, ut Moyſes tandiu circumciſionem illam in filio neglexiſſet, ſi quidem tantæ neceſſitatis Sacramentum reputaſſet. 2. Sephoræ Circumciſione initiare filium ſuum properantis exemplum, cur in legem univerſo populo Iſrael ſtatueretur, nihil eſſe. 3. Deum, quo tenebatur conſilio inſtituendi Circumciſionem Hebræis non ut inſtrumentum parandæ ſed tamquam ſignum jam partæ juſtitiæ, id pariter voluiſſe, ut in filio Moyſis ejus rei monſtraretur exemplum, ne arduum ſibi quiſquam reputaret, quod nec in filio Summi Ducis, & Principis totius gentis omiſſum ſpectabat. Quanti ponderis habenda ſint hæc Tertulliani argumenta in examen adducere non vacat. Poſſet optima hæc ſententia melioribus fulciri; ſed ea teneri opinione Tertullianum, nihil obtinendæ ſaluti Circumciſionem valere ſatis ex his demonſtratum arbitror.

S. Chryſoſtomus exponens illud: *Circumcidetur ex vobis omne maſculum* [2], his potiſſimum rationibus nihil ad ſalutem conferre Circumciſionem demonſtrat. Duo ſunt, quæ ſtatuendæ parvulorum Circumciſioni poſt octo ab editis in lucem diebus apud Deum valuerunt: 1. ut tolerabilior eſſet ejus ætatis infantibus vulnerum dolor (arbitratur facile minori ſenſu doloris ejus ætatis pueros affici); 2. quo demonſtraretur, Circumciſionem ad ſalutem animæ obtinendam nihil conferre, ſed ideo datam, ut eo veluti ſtemmate Judæi a ceteris diſtinguerentur juxta illud Pauli ad Romanos: *Abraham ſignum accepit Circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ eſt in præputio*. Exuite, ait Paulus, o Judæi inſenſati, hanc mentium veſtrarum perſuaſionem, Circumciſione nempe juſtitiam acquiri. Abraham Fidei ſuæ merito ante receptam circumciſionem juſtitiam adeptus eſt. Hæc Chryſoſtomus. Gemina ferme habet in Epiſtolam ad Romanos; eumdemque præceptorem ſequuntur Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius.

Probat S. Epiphanius hæreſ. 30. carnis circumciſionem neque omnibus eſſe numeris abſolutum Sacramentum, nec altius ſurgere, quam ut ſignum & typum exhibeat, ad altiorem circumciſionis ſenſum Judæos invitans. Si enim, ait, ritus ille ad juſtitiam & morum ſanctitatem contuliſſet, ſanctiſſimæ illæ fœminæ V. T. Sara, Rebecca, Lia, Rachel, a cœleſti hæreditate & ſanctitatis gratia, quemadmodum erant a Circumciſione, excluderentur. Cum itaque ſuas obtinuerint in Regno Cœlorum ſedes, illud pariter conſtat, ad obtinendam ſalutem perinde ac nihil valere Circumciſionem.

Hilarius Diaconus in Epiſtolam ad Romanos ſub S. Ambroſii nomine vulgatus, luculenter aſſerit: *Non ergo Circumciſio aliquid habet dignitatis, ſed ſignum eſt tantum*. Abraham præſtitæ ſibi Deo, filium pollicenti, fidei merito Circumciſionem obtinuit, tamquam ſignum vel argumentum juſtitiæ, quam ſibi fide jam promeruerat. Eodem ſigno donari tunc Iſraelitæ, quo ſcilicet revocarent in memoriam genus ſe referre ex Abrahamo, viro fidei ſpectatæ, cujus proinde virtutem & obſervantiam ſibi imitatione referendam proponerent, credentes in Meſſiam Abrahamo promiſſum, & Iſaaci typicis natalibus expreſſum.

S. Joannes Damaſcenus [3], quem virum reputant locupletiſſimum ſententiarum totius Græcæ Eccleſiæ teſtem, atque doctrinæ præcedentium Patrum cuſtodem fidiſſimum, S. Joannes Damaſcenus, inquam, cap. 25. docet, Abrahamum poſt receptas primo Dei benedictiones & promiſſiones, Circumciſionis inſigne obtinuiſſe, quo genus illius & familia a ceteris per orbem nationibus diſtingueretur; cujus rei, Circumciſionem nempe non niſi ad diſtinguendos Judæos ab Idololatris datam fuiſſe, documentum eſſe dicit, quod Hebræorum filii ſolidis 40. itineris per deſertum annis nulla Circumciſione initiati ſunt. Cum enim ſoli per deſertum gradeſcerentur Hebræi, cur ſigno aliquo a ceteris gentibus diſtinguerentur, nihil erat. Tranſgreſſi demum Jordanem, & regionem variis occupatam gentibus penetraturi, circumcidi ad unum juſſi ſunt omnes; quæ Circumciſio ſecunda appellata eſt [4]. Addit, Circumciſionem in eo potiſſimum Baptiſmum referre, quod ſuperflua carnis amputaret, atque Judæum diſtingueret a pagano; quemadmodum Baptiſmus vitia cordis reſcindit, atque ab Infidelibus diſtinguit Fideles.

S. Hieronymus [5], inter Patres Latinos iiſdem fere rationibus datam Judæis circumciſionem, ut ea veluti teſſera a ceteris diſtinguerentur, demonſtrat. *Gregem Iſraeliticum quodam circumciſionis cauterio denotavit, ut viventes inter Ægyptios, inter Aſſyrios, Babylonios, atque Chaldæos hoc ſignaculo diſtinguerentur*. Addit, toto itineris per deſertum 40. annorum ſpatio dilatam fuiſſe eam ceremoniam, quod ſcilicet nullo ceterarum gentium commercio Hebræi implicarentur; ſed *ſtatim ut in Palæſtina terram Judæam ſe examen effudit, circumciſio neceſſaria futuro ex commixtione gentium providit errori*. Tandem Pererius in Rom. 4. Diſp. 5. & Eſtius in Rom. 14. 11. conveniunt, vix unum aliquem reperiri ante Sanctum Auguſtinum, qui remittendi originalis criminis virtutem circumciſioni tribuerit. Sanctus Gregorius Nazianzenus Orat. in S. Baptiſma docet quidem, vitæ diſcrimine laborantes pueros Baptiſmo initiari octava nativitatis die poſſe, quemadmodum octava pariter die nati liberi Hebræorum circumcidebantur; quibus verbis parem in circumciſione ac in Baptiſmo virtutem agnoſcere viſus eſt. Sed hæc nimis longe deducitur conſequutio, & obſcurior eſt S. Doctoris textus, quam ut apertiſſimis aliorum opponatur.

Quamquam ſi una Patrum Græcorum authoritate ſententia illa fulciretur, momenti aliquid in contrarium faceret S. Auguſtini ſententia, in quam vulgo apud Eccleſiam Latinam conceſſum eſt; ſed authoritati accedit ratio, cui vix aliquid reponeretur. Demonſtrant Patres illi, numquam fieri potuiſſe, ut Circumciſio delendi originalis criminis in Sacramentum deſtinaretur, nec enim alioqui ſatis cum fœminis proviſum fuiſſet: Sapientiæ nimirum eſt Dei, ut communi utriuſque ſexus malo communi remedio ſuccurrat. In quibus Scripturæ Textibus mandatum de circumciſione traditur, nullus unquam de re tanti momenti eſt ſermo; neque Judæis unquam ſuccurrit, ut eorum de circumciſione ſibi data præſumerent. Quis, rogo, in animum inducat, fieri potuiſſe, ut a Moyſe toto 40. annorum ſpatio negligeretur inter Hebræos circumciſio? Quot enim tam longo temporis intervallo e vivis exceſſiſſe credendi ſunt, ſub ipſis Legiſlatoris oculis, quos æternum cruciandos incuria ſua tradidiſſet, quippe quibus originalis criminis noxam omiſſa circumciſione demere recuſaſſet?

Ceteri Judæorum numquam tanta de Circumciſione ſua prædicarunt, non Joſephus, non Philo, quamquam alioqui horum alter virtutem Circumciſionis pluribus extulerit. Puerorum, qui fato ceſſerunt, animas conſtituunt Rabbini in loco quodam deliciarum [6], nullo facto diſcrimine inter infantes Circumciſione initiatos ceteroſque, qui in ipſo matris utero nondum in lucem editi deceſſerunt. Et unde melius, quam ex Judæis Circumciſionis ab

(1) *Exod. 4. 24.* (2) *Chryſoſt. in Geneſ. hom. 39.* (3) *Damaſcen. de fide orthodoxa, l. 4. c. 25.* (4) *Vide Joſue 5. 2. 3. 4. &c.* (5) *Hieron. l. 2. in Epiſt. ad Galat.*

(6) *Vide Manaſſe Ben Iſrael l. 2. de reſurrectione mortuorum c. 12. ex l. Zohar; & l. a mult. tract. Sanhedrin c. 11. & Gemar. Ketuboth c. 13.*

ipſis admiſſæ effectus diſceremus? An forte admittere illos incognitum aliquod Sacramentum in animum induxerimus, reputantes nihil tale unquam apud eorum Patres ſuccurriſſe, quamquam alio qui adeo magni res eſſet momenti ut nihil ſupra?

In ipſo inſtituendæ Circumciſionis articulo Dominus deſtinare ſe dixit inſigne vel ſigillum fœderis initi cum Abrahamo [1]; quod ſpectans Apoſtolus Rom. 4. 11. diſerte aſſerit, Circumciſionem ſigillum eſſe juſtitiæ, quam ſibi Abraham fidei merito ante ipſam Circumciſionem comparaverat. Docet pariter Rom. 2. 25. circumciſionem juvare quidem religioſos Legis obſervatores, refractariis nihil profuturam. Profecto ſi remittendi criminis originalis ſingularem agnoſcamus in Circumciſione virtutem, etiam ſine Lege proderit ſane multum. Ad hæc nihil Circumciſio Baptiſmo concederet, ſi una eſſet utriuſque virtus criminis nempe remittendi & gratiæ conferendæ. Hoc autem inter ſacramenta utriuſque Legis diſcrimen conſtituunt Concilia, Florentinum in Decret. Eugen. ad Armen. & Tridentin. ſeſſ. 7. can. 2. 6. 8. *Hæc non cauſabant gratiam, ſed ſolum per paſſionem Chriſti dandam figurabant; noſtra vero Sacramenta & continent gratiam, & digne ſuſcipientibus eam conferunt.* Siquid vero gratiæ a veteribus Sacramentis dabatur, id non Sacramentorum efficacitati, ſed eorum, a quibus reciperentur, diſpoſitioni & merito accepto erat referendum: quare ut phraſi Scholarum utamur, gratiam cauſabant, non *ex opere operato* [2], quemadmodum novæ Legis Sacramenta, ſed *ex opere*, ut ajunt, *operantis*.

Quamvis autem vulgo Scholaſtici & Commentatores in Auguſtini & Gregorii Magni ſententiam concedentes autumaverint, originale crimen piaculo Circumciſionis deleri; alia tamen ſedit pluribus aliis Theologorum opinio, ratis cum Græcis & Latinis vetuſtiſſimis Patribus nihil in Circumciſione agnoſcendum, quam merum aliquod ſignum, nullam habens remittendi criminis efficacitatem. Id ſibi diſertiſſime aſſerendum ſuſcepit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Sacram. in gener. cap. 16. 17. [3], Sasbout in c. 4. Epiſt. Rom. Stapletonius [4], Sylvius [5], S. Thomas [6], aliique plures ejus Interpretes, docentes originale crimen Circumciſione non niſi ex obliquo & ex conſequenti remitti; quod enim deleretur, in cauſa fuiſſe fidem atque meritum illius, qui ſe Circumciſione initiandum traderet; quorum ſane ſententia æquior nobis probatur.

DISSERTATIO
AN GENTILES,
Quibus neque de Lege Moyſis, neque de Evangelio aliquid innotuit, ſalutem obtinere potuerint.

CUM de æterna ſalute & damnatione judicium ferendum eſt, nulli parcendum cautioni autumamus. Qua enim laboramus ignoratione abditiſſimorum ſapientiæ pariter & miſericordiæ divinæ conſiliorum, nonniſi per ſummam audaciam certi aliquid de viis Domini aſſerendum eſſet. Obfirmatum licet in malo cor nullo poteſt negotio Divinæ gratiæ ſuæ efficacitate lenire, pro libero ſuæ voluntatis arbitrio uno poteſt momento cor lapideum in carneum tranſmutare, indomita rebellium colla ſub amoris & gratiæ jugum redigere? Quis latrem e cruce in Paradiſum uno eodemque temporis articulo tranſtulit?

Cum itaque diſcutiendum nobis ſuſcipimus, an Gentiles, quos ſive Judæorum Lex, ſive Evangelium æque latebant, quamquam alioquin Deum noſcerent, atque naturæ lumine juſtitiæ tramitem diſpicientes, rectam virtutis viam tenuiſſe hominibus viſi ſunt, ſalutem juſtitiæ ſuæ virtute obtinuerint: nullum nos limitem divinæ miſericordiæ præſcribere, neque latentium divinorum conſiliorum atque judiciorum abyſſum ſcrutari audemus, ſed diſputationem hanc noſtram totam redigendam volumus ad normam eorum, quæ Deus ipſe in Scriptura revelavit, docuerunt Patres: an ſcilicet, juxta conſuetam divinæ Providentiæ rationem, omni remoto ſubitæ reſipiſcentiæ per Dei gratiam factæ, atque juſtificationis ipſo mortis articulo obtentæ prodigio, accidiſſe potuerit, ut Gentes, quibus nihil cognitum de Lege naturali ac Deo, niſi ſi quid incerto ſpeculativæ cognitionis lumine diſpicere valuerunt, exactam tamen ad naturalis honeſtatis regulas vitam compoſuerunt, probitatis illius ſuæ merito, quamquam fide ſupernaturali & gratia Jeſu Chriſti deſtitutæ, æternam ſalutem obtinuerint.

Occaſionem ambigendi præbet Apoſtolus in ea, quam modo tractamus, Epiſtola Rom. 1. 19. 20. ita de Gentilium Philoſophis diſſerens. *Veritatem Dei in injuſtitia detinent, quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis: Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius a creatura mundi, per ea quæ facta ſunt intellecta, conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut ſint inexcuſabiles: quia cum cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt:* Et cap. 2. 9. &c. *Tribulatio & anguſtia in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primum & Græci: gloria autem honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicumque enim ſine Lege peccaverunt, ſine Lege peribunt; & quicumque in Lege peccaverunt, per Legem judicabuntur..... Cum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt; ejuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis.* Et ver. 26. *Si igitur præputium* (Gentilis) *juſtitias legis cuſtodiat, nonne præputium illius in circumciſionem reputabitur? Et judicabit id quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per literam & Circumciſionem prævaricator legis es?*

Ex quibus Pauli verbis duo recta conſecutione deducuntur. 1. Gentiles & maxime Philoſophos, viroſque doctiſſimos tantum de Deo legibuſque noſſe, quantum ejus legis tranſgreſſæ Rei merito arguantur. 2. Nullum eſſe perſonarum diſcrimen apud Deum, qui Gentiles perinde ac Judæos legibus ſuis obſequentes habeat acceptos; ſicut & damnet reos, ſi prævaricatores teneat. Sive igitur ideam habeant exactam & diſtinctam rerum divinarum, quam Judæis Leges Moſaicæ inducunt, ſive confuſam, quam præbent Gentibus naturalis legis ſanctiones, utrique tamen æque Deo placent diſplicentque. Quare illud pariter conſequi neceſſe eſt, Gentiles ſcilicet ſolum rationis & luminis naturalis ductum ſequentes, ad ſalutem pervenire.

Ut

(1) *Gen. 17. 11.* (2) *Vide Concil. Trid
ent. ſeſſ. 7. Canon. 8.* (3) *Vide & Vaſquez. in 1. 2. diſp. 130. cap. 2.* (4) *Stapleton. Antidot. Apoſtolic. contra Hæreticos in Epiſt. ad Rom. 4.*
(5) *Sylvius in D. Thom. 3. partem queſt. 70. art. 4.*
(6) *D. Thomas 3. part. & in Rom. 4. & in 2. part. qu. 62. art. 6.*

Ut autem omnis ambigendi ratio tollatur, tria Paganorum genera diſtinguenda ſunt. Primum eorum, qui ſive ante, ſive poſt rogatam a Moyſe Legem, veram tenentes religionem, atque in Deum ejuſque promiſſiones fidem, ſpem tandem in merita Liberatoris & Meſſiæ, ad legis naturalis normam vitam inſtituerunt, quemadmodum memoriæ proditum eſt de Abele, Setho, Noe, Abrahamo, Melchiſedecho, Jobo, & de aliis facile ſimile ferri poſſit judicium, qui ſcilicet nullo Scripturarum legum præſidio, omnia tamen juſtitiæ & pietatis in Deum atque homines officia impleverunt.

Secundum genus tenent ii, qui in medio Paganiſmi erroris verſantes, nulla veræ religionis idea inſtructi, adeo tamen ingenio valuerunt, ut ejus unius ope in cognitionem unius Dei atque officiorum in ipſum ab hominibus exhibendorum venirent; tum & vitam inſtituerent ad omnes juſtitiæ & naturæ leges compoſitam.

Tertii tandem ſunt generis Idololatræ, qui nihil a ſe corruptionis ducentes alienum, Paganiſmum veluti plenis ſcyphis hauſerunt, nihil de Numinis, nihil de naturalis legis cognitione ſolliciti; vel ſi mavis, eorum notitia abuſi, bonæ indolis ſemina criminibus opprimentes. Perditos hoſce ſalvare nemini unquam ſuccurrit, niſi forte Origeni [1], qui præpoſtera ſane pietate, Dei miſericordis clementiam extendit in criminoſos quoſcumque, ne exceptis quidem Angelis perduellibus; ratus poſt exactam plurium annorum in Infernis periodum, eos tandem impetraturos felicitatem, quam Jeſus Chriſtus merito Sanguinis ſui mundo obtinuit univerſo.

Perſuaſum eſt pariter omnibus [2], primi generis Paganos ſalutem obtinuiſſe, veluti pietatis & juſtitiæ, quam impenſe coluerunt, retributionem. Quæſtionis igitur ſtatus in ſecundi generis Paganis conſtitutus eſt; an ſcilicet illi ſalutem obtinuerint; qua de re variis apud Patres.

Certum habuerunt quidam, Gentiles, nec Dei cognitione, nec inſtitutæ ad leges naturalis normam vitæ merito deſtitutos ſalutem obtinuiſſe. Putarunt alii Gentiles tamdiu in Infernis detentos pœnas luiſſe, quamdiu Jeſus Chriſtus ad eos deſcendens, ad pœnitentiam annunciandam non venit. Prædicanti enim illi fidem adhibentes, ejuſdem Dei Filii merito ſalute tandem æterna donati ſunt. Defenderunt tandem alii, neminem dono ſupernaturalis fidei, ſpei in Meſſiam, & luminis gratiæ deſtitutum pervenire ad ſalutem potuiſſe; quæ nos fuſius in præſentia examinanda ſuſcipimus.

S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. aſſerit, veteres illos Philoſophos, qui rationis normam ſecuti ſunt, anticipatione quadam Chriſtianos merito habitos fuiſſe; quamquam enim Chriſtum Jeſum ignorarent, dogmata tamen norant & doctrinam; ut inter ceteros reputandi e Græcis quidem Socrates, Heraclitus, aliique nonnulli; e Barbaris vero Abraham, Ananias, Azarias, Miſael, Elias, aliique plures. S. Clemens Alexandrinus [3] docet, viris illis, qui Chriſti ætatem præceſſerunt, acquirendæ juſtificationis duplicem patuiſſe viam, Legem nempe, & Philoſophiam; Philoſophia quidem juſtos effici vel ſaltem animum ad juſtitiam diſponi; ea enim tamquam via habebatur, quæ ad juſtitiam deduceret; conferebat inſuper juſtitiam, quamquam non omnibus numeris abſolutam. Addit, Paganos ante Chriſti adventum fatis functos, ipſum Chriſtum ſive ex Apoſtolis ejus aliquem in Infernis præſtolatos fuiſſe, uſque nudatæ fidei prædicationi lætos acquieviſſe, ut ejus obedientiæ merito ſalutem obtinuerint. Spectat eo loci vir Sanctus ad illud 1. Petri 3. 19. *Jeſus Chriſtus, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu; in quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando.*

S Chryſoſtomus Hom 39. in Matth. aſſeruit, Gentiles, qui Chriſti ætatem præceſſerant, ſalutem obtinere potuiſſe, abſque prævia ejus confeſſione; neque enim in Meſſiam fides ante ejus adventum exigeretur. Illud igitur ab hominibus hiſce poſtulabatur, ut rejecto Idolorum cultu, ſe ſe in unius Dei clientelam aſſererent, unicum illum rerum omnium agnoſcerent Creatorem &c. Et paulo infra docet, eos, qui venturi in mundum Meſſiæ ne levem quidem admiſerant ſuſpicionem, ſi rejecta idololatria, ad cultum unici & ſolius Numinis ſeſe contuliſſent, compoſita ad recti normam vita ad cœleſtem felicitatem aſpirare cum electis potuiſſe, juxta illud S. Pauli ad Rom. 2. 10. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum* [4].

S Auguſtinus de Geneſ. ad lit. lib. 12. cap. 33. fatetur [5], Jeſu Chriſti animam ad inferna penetraſſe, nempe, ut ipſe paulo poſt exponit, ad loca torquendis impiorum ſpiritibus deſtinata; ibique in vinculis detentas, quas tamen maxime dignas tanto dono judicaverat, ſolviſſe; quam in rem exponit illud Act. 2. 24. *Quem Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo.* S. Epiphanius [6] tradit, Jeſum Chriſtum ideo ad inferna deſcendiſſe, ut in libertatem vindicaret eos, qui Deum quidem ſemel norant, ſed pluribus admiſſis erroribus in loco tormentorum cruciabantur. Quibus verbis ſatis aperte inſinuantur Philoſophi, qui Deum juxta Apoſtoli [7] phraſim noverunt, *Sed non ſicut Deum glorificaverunt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis.* Marcio apud S. Epiphanium Hæreſ. 42. defendit, Jeſum Chriſtum eo veniſſe, ut inſultaret Deo Judæorum, Legi, & Prophetis, ſalvaret autem Cain, Core, Dathan, Abiron, & Eſau, ceteraſque gentes, quibus Deus Judæorum incognitus; reliquiſſe vero inter tormenta ſpiritus Abelis, Henoch, Noe, Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſis, Davidis, Salomonis, addictiſſimos Dei Judæorum cultores. Apage blaſphemias, quibus ne fulciendæ quidem ſingulari quorumdam Patrum opinioni uti audemus. Neque enim Marcionis nomine niſi malum præjudicium ſententiæ illi conciliaretur; quare dicta tantummodo hæc de Hæretico volumus, ne quid præteriremus eorum, quæ in hanc quæſtionem apud Veteres occurrunt.

Origenes lib. 2. contra Celſum defendit, Spiritum Jeſu Chriſti corpore ſolutum humanos ceteros ſpiritus conveniſſe, quo dociliores mortuorum animas ad fidem converteret. S. Gregorius Nazianzenus de Jeſu Chriſti ad Inferos deſcenſu agens Oratione 42. incertum relinquit, an omnes, nemine excepto ſalvaverit, vel eos tantummodo, quibus prædicationibus ſuis perſuaſerat: quo in loco Nicetas Philoſophus Platonicus hæc adnotat:

Memoriæ proditum eſt, ait, in hiſtoria Patrum de pio quodam Chriſtiano, qui cum in Platone longa jam ætate defuncto plus nimio invectus, impietatis illum & injuſtitiæ traduceret, ſuccedenti nocte per quietem eumdem Philoſophum obvium habuit, maledicta præcedentis diei exprobrantem. Fateor, ajebat ille, me immodicis detineri criminibus; ſed Jeſu Chriſto vix apud Inferos prædicanti omnium priorem credidiſſe me ſcias. Hilarius Diaconus in Comment. ſuper Epiſtolam ad Epheſios 4. 8. docet [8], Jeſum Chriſtum captivos omnes, qui ſive prævaricationis Adami ſive proprii criminis rei in infernis detinebantur, ſolviſſe, & quos prædicationibus ſuis obſequentes nactus fuit, ſecum veluti in triumphum ad Paradiſum deduxiſſe. Et in Epiſt. ad Rom. ita differit; *Omnis enim quicumque vife Salvatore*

apud

(1) *Origen. lib. 1. de Princip. cap. 6. & contra Celſum lib. 4. & 8. & in Exod. hom. 6. & in Pſal. 36. hom. 3 & in Luram hom. 14 & 24.* (2) *Vide Auguſt. de Civit. lib. 18. cap. 41.* (3) *Clemen. Alexand. lib. 6. Strom. pag. 637. 638. 639. & Strom. lib. 1. pag. 319.* (4) *Vide Chryſoſt. pag. 432. cap. 3.* (5) *Chriſti quidem animam veniſſe uſque ad ea loca, in quibus peccatores cruciantur, ut eos ſolveret a tormentis; quos eſſe ſolvendos occulta nobis ſua juſtitia judicabat, non immerito creditur.* (6) *Hær. 46.* (7) *Roman. 1. 21.* (8) *Expoliavit Inferos, captivos, quos ex prævaricatione Adæ, aut propriis captivos peccatis in conditione tenebant, abſolvit conſentientes ſibi, & aſcendens inde in Cœlos induxit.*

apud inferos ſperavit de illo ſalutem ; liberatus eſt ; Petro Apoſtolo teſtante , quia & mortuis prædicatus eſt .

Author Cœleſtis Hierarchiæ cap. 9. autumat , SS. Angelos a Deo Principes in Gentes datos , veri Numinis cognitionem & cultum ſubjectis ſibi populis inſpiraſſe ; quare plures e Gentilibus Angeli ductu ſalutem , atque cœleſtem beatitudinem obtinuiſſe . Ammonius Presbyter [1] conſultus a Cæſario Scholaſtico , an ſcilicet Jeſus Chriſtus , cum in infernum veniſſet , omnes , quicumque eo in carcere detinebantur , aſſeruiſſet in libertatem ; reſpondit omnibus , ne Juda quidem excepto , providiſſe , reſolutis omnium vinculis ; iis tantum relictis , qui prædicationibus ipſius pervicaces reſtitiſſent . Jobius Monachus in excerptis Photii Cod. 222. omnes , quicumque credere in Salvatorem non renuerunt libertati reſtituros , cum Jeſus Chriſtus ad inferos deſcendit , aſſerit .

Laudatur tamquam ejus ſententiæ aſſertor S. Joannes Damaſcenus Orat. *de iis qui in fide dormierunt* ; ubi refert exemplum Falconillæ , ex Inferni ſuppliciis precibus S. Theclæ liberatæ ; quod pariter in vetuſtis precationum in honorem S. Theclæ formulis recurrit [2] . Meminit etiam idem vir Sanctus calvariæ viri cujuſdam Pagani , interrogationibus S. Macarii reſpondentis , Virorum Sanctorum precibus , animas ſuorum ſontium in Inferno ſolamine quodam aſpergi . In ea tandem Oratione , ſicut & in aliis pluribus vetuſtis Libris , occurrit hiſtoria liberati ex Inferni pœnis Trajani Imperatoris , S. Gregorio Papa rogante [3] . Docet etiam , Jeſum Chriſtum , cum ad inferos deſcendiſſet , fidei & juſtificationis donum impertitum fuiſſe iis , quos forte eo loci invenit , viris frugi & modeſtis ; neque enim clementiſſimus Deus ſuo præmio deſtitui voluit tam multa ſanctiſſime a Viris illis geſta .

Inter Recentiores Ambroſius Catharinus in Epiſt. ad Rom. cap. 2. Eraſmus , aliique nonnulli ſaluti Philoſophorum Gentilium faviſſe plurimum viſi ſunt . Philoſophorum , inquam , quorum vita adeo cum Lege & Evangelio congruebat , ut unius ejuſdemque ſpiritus utraque opus viderentur . Adeo vero admiratione Socratis arreptus eſt Eraſmus , ut diceret : *Parum abeſt ut dicam : Sancte Socrates ora pro me .*

Toſtatus Epiſcopus Abulenſis in Gen. 17. defendit , Gentiles , quos laudabilis vitæ probitas ornabat , nihilque non expreſſum ad normam naturalis legis habebant in moribus , nullum præbuerunt Idolis cultum , ſed unius Dei ſingularitatem norant , Dei , inquam , præmia juſtis conferentis , probitatis ſuæ merito ſalutem obtinuiſſe , quamquam nihil ſive de Trinitate , ſive de ceteris aliis noſtræ Religionis dogmatibus noſſent . Cum enim illi juſtitiam ad exitum uſque ita voluerint , ut nullo mortali crimine tenerentur , cum obirent , in Abrahæ ſinu poſt mortem conſtituti ſunt , ubi nullo doloris ſenſu tangebantur . Eodem pariter privilegio illos donat , ſi poſt commiſſum crimen nec rejectam Idololatriam , inquinatiſſimæ vitæ maculas pœnitudine ante mortem eluiſſent ; tunc enim igne Purgatorii , quidquid reliquum eſſet criminis , poſt mortem expiaſſe illos dicit ; quam enim vim contritio modo obtinet , eamdem ſemper quacumque demum ætate obtinuit .

Nec Seneca vulgaria , quantum ad morales diſciplinas attinet , ſentire viſus eſt , quorum admiratione noſtri quidam Scriptores Chriſtianum Stoicam plenis buccis appellantes ; e Philoſopho Diſcipulum S. Pauli reddunt . Fatetur pariter Tertullianus de Anima cap. 20. Senecam in noſtras partes ſæpe tranſire : *Seneca ſæpe noſter* . Eumdem Authorem ſæpius in Paganos Lactantius ; non raro etiam laudat S. Auguſtinus plura ex ejus libro adverſus ſuperſtitiones referens , agnoſcens inſuper , ſtrenue Paganicæ ſuperſtitionis errorem ab illo impugnari [4] : Obſervat autem idem S. Auguſtinus , tamquam ab illo laudari Chriſtianos , invidiam ſuorum metuens , ſi quid de ipſis boni referret ; conſcientia vero prohibitum , nequid mali de illis dicere auderet [5] . Tandem S. Hieronymus genuinas eſſe , quæ ferebantur , Senecæ ad S. Paulum Epiſtolas ratus , eumdem Philoſophum inter Eccleſiaſticos Scriptores recenſet .

Judæorum Doctores , quamquam alioqui gentis ſuæ privilegiorum ſtudioſiſſimi , fores tamen æternæ beatitudinis pluribus Paganorum reſerant . Admittunt enim omnes , quicumque præceptis Noemo datis colla ſubmiſerint [6] , videlicet Idola non coluerint , a cæde , adulterio , a maledictis , a nomine Dei violando abſtinuerint , ad furta manus non extenderint , pariter ab eſu viventis cujuſcumque animantis temperarint ; quibus urgendis præceptis Judices conſtituti erant . Hiſce Noachidarum præceptorum legibus ſubjectis Gentilibus accenſet R. Moyſes Ægyptius omnes quicumque Deum noſſent , æqua de ejus divinitate ſentirent , ac tandem vitam frugi probamque inſtituiſſent , uti Socrates , & Plato . Tandem in Talmud relatum eſt , quatuor hominum genera a futuri ſæculi beatitudine excludenda , videlicet Balaam , Doeg , Achitophel , & Giezi , ceteroſque eorum imitatores ; ex quo recta conſuetudine deducunt , ceteris Paganis ſalva manere omnia [7] .

Patrum authoritatem fulciunt hæ potiſſimum rationes . Cum Deus mortales omnes ſuis , Dei videlicet , commodis genuiſſet , ſicut viciſſim Jeſus Chriſtus omnium hominum ſaluti mortem oppetiiſſet , quod ex univerſo mortalium hominum cœtu rari tantummodo ſalutem reipſa obtinuerint , vix ac ne vix quidem intelligeretur . Quantus autem , rogo , electorum eſſet numerus , excluſis ab eorum conſortio Gentilibus , qui Deum noſſent , & ad rationis normam vitam inſtituiſſent ? Quis credat , ante diluvium 1656. annorum ſpatium modicum illum prædeſtinatorum numerum impleſſe , quem referente Scriptura legimus ? Quis Abrahamo , Melchiſedecho , & Jobo coævos plures viros , non diſſimilem ab illis vitam morum ſanctitate , & Dei cognitione & cultu puram ducentes , non ſtatuat ? Cur arctis adeo limitibus , Dei miſeratio claudatur , in anguſtum coacto electorum numero . Maxime pariter ad Dei majeſtatem ſpectat , ut beneficia ſua in omnes ſpargens creaturas , omnes ad deſtinatam ſibi felicitatem inviter . Invitat autem , juxta phraſim S. Clementis Alexandrini Strom. lib. 7. Gentiles Philoſophia & naturali illa Religione , quam ſingulorum cordibus miniſterio inferiorum Angelorum inſculpſit ; invitat Judæos Lege , quam per Angelos ſapientes , præcone Moyſe , rogavit .

Eadem fuſius lib. 6. Strom. proſecutus , docet , triplici veluti fœdere Deum ſibi homines ſociaſſe , ſuo nempe Gentiles , peculiari Judæos , ac tandem tertio quodam ſingulari Chriſtianos ; a ſingulis vero , ait , ſingulari ac diſtincta religione cultum obtinuit . Dedit Gentilibus Philoſophiam , Judæis Legem , ac tandem utriſque in unum conjunctis Eccleſiam compoſuit , tria veluti fœdera in unum conciliáns ; tria nempe , quæ unius Dei verbo nectuntur utque firmantur . Ita enim reputandum eſt , ut , quemadmodum Judæis Prophetas conſtituit , ita pariter ſuos dederit Gentilibus Prophetas nempe Philoſophos . Laudat in eam rem teſtimonium S. Pauli , cujus tamen verba in Scriptis Canonicis nuſpiam leguntur : *Libros Græcanos ſumite , agnoſcite Sibyllam , quomodo unum Deum ſignificant , & quæ ſunt futura .* Et pag. 637. tamquam Apoſtoli Petri verba refert : *Dicit Petrus Dominum dixiſſe Apoſtolis : Egredimini in mundum , ne quis dicat : Non audivimus : nam ſicut hoc tempore prædicatio Evangelii ad nos delata eſt , ita pariter tempore elapſo Lex & Prophetæ data ſunt Barbaris ,*

(1) *Vide Biblioth. Coislini Cod. 35. p. 76.* (2) *Apud Grab. Spicileg. PP. Tom. 1.* (3) *Euchológ. cap. 96. & alii Libb. Græc. Damaſ. loc. citat. pag. 588.* (4) *Aug. lib. 6. de Civit. cap. 10.* (5) *Idem lib. 6. de Civit. cap. 11. Chriſtianos jam tunc Judæis inimiciſſimos in neutram partem commemorare auſus eſt , ne vel laudaret contra ſuæ patriæ veterem conſuetudinem , vel reprehenderet contra propriam forſitan voluntatem .* (6) *R. Moſes , & R. Meyr Gabay.* (7) *Vide Menaſſe Ben Iſrael lib. 2. cap. 9. de Reſur. Mortuor.*

baris, & Gravis Philoſophia, ut ad Evangelium recipiendum diſponerentur.

Idem proſequens inſtitutum vir ſanctus, tandem ſententiam ex illo Scripturæ probat, quo Jeſus Chriſtus prædicaſſe traditur apud Inferos; aſſerit autem, Apoſtolos Præceptoris ſui imitatione ad inferna loca veniſſe, ut incœptum opus tandem abſolverent, appellandi nempe ad ſalutem eos, qui nullam veri Dei, & Servatoris cognitionem haberent: ex quo factum, ut Jeſus Chriſtus ad ſaniora conſilia revocandis Judæis eo veniret: Apoſtolos vero in Gentium ſalutem, ſeu potius Jeſum Chriſtum ideo deſcendiſſe, ut indiſcriminatim omnibus prædicaret, ac ſalutem omnibus, quotquot in ipſum crederent, largiretur. Laudat in eam rem ſententiam illam Paſtoris (1): *Deſcenderunt ergo ecram, qui dormierunt, in aquam; ſed hi quidem deſcenderant viventes, & viventes aſcenderunt.* (Hæc de Juſtis Hebræorum dicta accipe) *Illi autem mortui deſcenderant, & vivi aſcenderant.* Quibus verbis Gentiles deſignantur, ante receptam fidem decedentes; ex infernis tandem aſcendentes, merito fidei, prædicatione Jeſu Chriſti ſive Apoſtolorum receptæ, vitam conſequuti.

Nihil eſt, ait ille, inter Juſtos ſive Græcos ſive Judæos, vel ſub Lege, vel ſecus, diſcriminis, eſt enim omnium hominum unus & ſingularis Deus, qui Patris amore ſpeciali omnes in ſe credentes complectitur. Sentit autem (2), iniquitatis eſſe & injuſtitiæ, ſi æternis damnentur ſuppliciis, qui cum ante Chriſti adventum e vivis exceſſiſſent, nihil de illo ſubodorati, vitam in ignoratione Meſſiæ traduxerunt; quam in rem illud velut e Scriptura laudat: *Quæcumque veſtram fecit aliquis in ignoratione, Deum aperte non cognoſcens, ſi ea agnoſcens ductus fuerit pœnitentia, ei omnia peccata remittentur.*

Quibus late diſcuſſis, illud tandem conſequitur, Gentiles, qui & mentem Dei cognitione illuſtrarunt, & vitam morum ſanctitate probatam duxerunt; ſalutem tandem impetrare potuiſſe. Sed æquivocationes demum tollendæ ſunt, & apertius promendum, quid ſit Deum noſſe, & vitam laudabilem inſtituiſſe. Poteſt itaque Deus ſterili quadam & ſpeculativa contemplatione cognoſci, quemadmodum impii & Dæmones Deum, quem noſcunt, blaſphemant: Poteſt Deus cognoſci ſolo rationis lumine, uti factum novimus a Philoſophorum pluribus, ex creaturis in Creatoris cognitionem venientibus, deſtitutis tamen illis fide & charitate, vitamque plane agentibus ſcientiæ ſuæ oppoſitam, & vitæ in ſpeciem exactæ decora corrumpentibus, juſtitiæ & charitati plane adverſis criminibus. Cur illi ſuis hiſce contemplationibus atque fucatis probitatis exemplis ſalutem æternam obtinuerint, nihil eſt; deerant enim illis, quæ unice ad ſalutem requiruntur, Fides, gratia, charitas, & bona opera, quorum ſi quid deſideretur, etiamſi cetera adſint, actum eſt de adultorum ſalute.

Viri illi ſanctiſſimi, qui Legem Moſaicam præceſſerunt, uti Seth, Noe, Melchiſedech, Deum fidei lumine norunt, cognitumque in ſpiritu & veritate adorarunt, cultu puro & religioſo, corde igne charitatis inflammato, & vita ad omnem juſtitiæ normam compoſita. Nihil tale de Paganorum Philoſophis affirmare, vel ſuſpicari quidem audemus. Fatetur quidem Apoſtolus, viros illos creaturis inſpectis in Dei cognitionem veniſſe; addit tamen continuo, illos ipſos viros Deum non tamquam Deum glorificaſſe, ſed evanuiſſe in cogitationibus ſuis; vitam pluribus admiſſis criminibus egiſſe Dei cognitione indignam; quod ab Apoſtolo aſſertum, ex Hiſtoriæ fide plus nimio confirmatum eſt. *Veritatem illi Dei in injuſtitia detinuerant* (3); ex quo factum, ut vana quadam & ſterili meditatione recta viderent, præſtiterint ſiniſtra, & quem norant Deum, neque coluerint, neque ſuper omnia amaverint, nec tandem metuendo commendarint. Numquam illi ſatis aperte adverſus idololatriam reclamarunt, ſed interno mentis conceptu, illam temnentes, externa ſpecie, probare viſi ſunt; unde illud Pauli 1. Cor. 1. 20. 21. *Ubi ſapiens? ubi ſcriba? ubi conquiſitor hujus ſæculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus ſæculi? Nam quia in Dei ſapientia non cognovit Mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes.*

Profecto ſi Philoſophi, qui naturali lumine, & ingenii perſpicacitate Deum agnoverunt, contemplatione hac ſua abuſi, alia mente norant, alia opere præſtiterunt, Deumque, quem noverant, numquam precibus ſuis implorarunt; Deus viciſſim illis opem ſuam naturalem jure merituque denegavit, retinuit gratias, & interiorem illam lucem, quibus ſemel denegatis, omnis eorum cognitio vana erat, & ad ſalutem æternam inutilis. Scimus plane Deum neque impoſſibilia jubere, neque miſerationis ſuæ largitates denegare iis, qui gratiæ auxilio præventi, toto animi niſu efflagitant, quæ ſupra virtutem ſuam poſita eſſe cognoſcunt (4). Æque tamen fide certum eſt, ſine fide numquam fieri ut Deo placeamus (5); hominem ſolis arbitrii viribus, gratiæ & charitatis ope deſtitutis, ad ſalutem admitti numquam poſſe (6); ſpeculativam rerum agendarum, atque Dei cognitionem ſine probis operibus nihil de ſe ipſa pro æternitate valere.

Perſuaſum inſuper habemus, Deum, ſi quid gratiarum Philoſophis dare recuſavit, id nonniſi ſummo jure feciſſe, indignos ſe tanto Dei beneficio, ſive ingrati animi vitio, ſive infidelitate, ſive pervicacia exhibentibus Philoſophis. Si tandem æternæ damnationis pœnam ſubierunt, ejus rei in cauſa non fuiſſe ſubtractam illam beneficiorum copiam, ſed crimina, & pravi cordis habitudines, cujus culpa nullam poſſent obtendere damnationis ſuæ cautationem; quippe qui, ſicut Apoſtolus ait, cum Deum noſſent tamquam bonorum omnium authorem, & prave factorum ultorem, qui primus eſt gradus accedentium ad Deum, juxta eumdem Apoſtolum ad Hebr. 11. 7. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*; eum, inquam, Deum noſſent, *non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt* (7).

Conferat, ſi quis vult, laudatiſſimorum Philoſophorum vitam cum exactiſſimæ moralis regulis, & quid præmio æterno dignum oſtendet? Anne forte contemptum illum Idolorum, & ſuperſtitionis eorum ætate obtinentis? Nemini ſane melius id perſuaſum, quam Socrati, Platoni, & Senecæ; nihilo ſecius tamen Socrates cicutam bibens, nonne aperte dixit, rogandos ſibi eſſe Deos, ut exitum ſibi darent felicem? Et cum animam efflaret, ſocios rogavit, ut gallum, quem voto Æſculapio promiſerat, ſuo nomine offerrent. Digna ne ſunt iſta homine, qui in fide unius Dei Judicis vivorum, & mortuorum, in horrore idololatriæ immoritur? Crimini etiam viro datus eſt perditus puerorum amor (8); jurabat in canes, in quercum, in anatem (9); cum interim Deos Athenarum amaris ſarcaſmis irrideret. Vitio illi pariter datus cultus nubium, & veteris religionis Athenarum ſubverſio, quam a ſe invidiam leviſſimo, ut ajunt, brachio depellit, ac teſtimonium ea occaſione debitum veritati defraudat. Ita vero Philoſophum illum traducit Lactantius de falſa Sapientia lib. 3. cap. 19. *O hominem ſcurram, ſi cavillari voluit religionem; dementem, ſi hoc ſerio fecit, ut animal turpiſſimum pro Deo haberet.*

Xenophon, & Plato ejus Diſcipuli virum a calumnia atheiſmi purgaturi, demonſtrant, ſacris illum Numinibus Græcorum litaſſe, quin & coluiſſe ipſum, atque alios ad eorum cultum induxiſſe. In rebus agen-

---

(1) *Ibidem p. 638.* (2) *Strom. l. 6. pag. 699.* (3) *Rom. 1. 18.* (4) *Concil. Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis. Vide & Conc. Arauſican. 2. cap. 25.*

(5) *Hebr. 11. 6. Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* (6) *Vide Perer. in cap. 1. Rom. diſp. 17.* (7) *Rom. 1. 21.* (8) *Juvenal: Satyr. 2. Inter Socraticos notiſſima foſſa Cynædos. Vide Menag. not. in Laert. lib. 2. Segm. 138.* (9) *Tertull. Apologet. & l. 1. ad Nationes.*

agendis plerumque inſtinctu illius agebatur, quem Dæmonem ſuum appellabat: tenebant autem apud Paganos Dæmones, & Genii (1) locum a Diis inferiorem. *Secundum Deos Philoſophi Dæmones deputant. Socratis vox eſt: Si Dæmonium permittat.* Illuſtre huic Philoſopho ſapientiæ teſtimonium tulit Apollinis oraculum: quod ſane vix de Numine crederetur, ſi Deos omnes Socrates ſuſtuliſſet (2): *O Apollinem inconſideratum! Sapientiæ teſtimonium reddit ei viro, qui negabat Deos eſſe.*

Modo ad Senecam, quem aliqui admirantur tamquam omnigenæ virtutis exemplar, & prototypum. Porro Seneca Librum ſuperſtitionum Paganicarum digeſſit, cujus inſignia aliqua fragmenta ſervavit S. Auguſtinus de Civit. lib. 6. cap. 10. eorumque lectione intelligimus, abſurda omnia ſuperſtitioſiſſimorum rituum ſapientem illum Scriptorem relevaſſe; & poſtquam ſingula ſuis coloribus expreſſiſſet, ſtatuiſſe demum in hæc verba: *Quæ omnia ſapiens ſervabit tamquam legibus juſſa, non tamquam Diis grata; atque omnem iſtam ignobilem Deorum turbam, quam longo ævo longa ſuperſtitio congeſſit, ſic adorabimus, ut meminerimus, cultum ejus magis ad morem, quam ad rem pertinere.* Ita magnus ille Senator & Philoſophus Romanus Numina illa externa religionis ſpecie colebat, quæ intimo mentis conceptu temnebat; & quam intus apud ſe execrabatur, ſuperſtitionem, ſuo interim exemplo fulciebat confirmabatque.

Nonne pariter Apoſtolus omnibus æque Philoſophis vitio vertit (3), quod prudentes ſcienteſque errorem ſectati, nullam criminis ſui cauſationem obtendere potuerint; quippe qui Deo, quem noſſent, cultum impendere, debitas illi actiones gratiarum agere recuſaſſent; ſed erraticæ mentis ludibriis rapti, in veram dementiam incidiſſent, tunc maxime quando majorem de ſe opinionem ſapientiæ ingerere volebant. Ejus rei merito a Deo, voluptatum ac paſſionum ſuarum præda relicti, eo abrepti ſunt, unde natura ipſa maxime refugeret. Scitum eſt, quam in rebus Juliæ Auguſtæ de adulterio aliiſque criminibus delatæ Seneca implicaretur (4); ſicut & probroſiſſima crimina, quæ ipſe Neroni inſtillaſſet, eidem Philoſopho vitio vertit Dio (5). Strenue licet in divitias idem Philoſophus decertaret, locupletem tamen gazam poſſidebat; quam brevi tempore collectam, in dies fœnoribus immodicis augebat (6).

Nec meliora facile ſpectarentur in ceteris Philoſophis Græcis, Ægyptiis, Chaldæis, & Indis, ſiquidem geſta ab illis omnia in medium ferrentur. Singuli prorſus illi æternam ſibi damnationem induxerunt, ſive Idololatria, ſive infidelitate, vel ſimulatione, ſive altero aliquo admiſſo crimine: Quod tantum fide, & charitate deſtituerentur, id ſatis ſuperque habebatur, cur a Cœlorum Regno perpetuo ablegarentur. Vidimus in ſuperioribus, in ea quidem fuiſſe opinione S. Chryſoſtomum homil. 37. in Matth. nulla adductos neceſſitate Gentiles, qui Chriſtum præceſſerunt, ut in Meſſiam crederent, ſed omnia illis ſalva futura, ſi errori, & Idololatriæ tantum renunciantes, Deum noſſent, colerentque, ac vitam ad rationis normam componerent. Verum S. Auguſtinus, cui Theologi omnes poſt Apoſtolum adſtipulantur (7), numquam fieri poſſe defendit, ut ad ſalutem quis admittatur ſine fide in Jeſum Chriſtum, nempe abſque ſupernaturali illo lumine, quo credenda pariter & agenda non demonſtrantur tantum, ſed & ad veritates demonſtratas homines invitantur: neque ſatis eſſe in Deum tantum credere, ſed oportere ſimul, ut fides in Jeſum Chriſtum teneatur, juxta illud Scripturæ (8): *Non eſt in alio aliquo ſalus; nec enim aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.*

Fatemur quidem, non omnibus æque Theologis eam ſedere opinionem, fidem nempe in Meſſiam explicitam unice eſſe ad ſalutem momenti, ſunt enim qui fide tantum implicita ſalvari Gentiles potuiſſe defendant (9), eam rationem ineuntes conciliandi inter ſe S. Chryſoſtomum cum S. Auguſtino; quorum hic neceſſariam eſſe ad obtinendam ſalutem fidem in Servatorem affirmavit, negavit alter. Itaque S. Chryſoſtomus explicitam, uti vocant, fidem a Paganis non exigit, ſed tantum implicitam, qua nempe in Deum crederent, Authorem, & Reparatorem generis humani, Reparatorem nempe ea ratione, ordine, & tempore, quo ipſe latenti providentiæ ſuæ conſilio propoſuiſſet.

Qui vero ex Patribus defenderunt, Jeſum Chriſtum, & Apoſtolos ad Inferna loca deſcendentes Philoſophis & Paganis quampluribus, nec fruſtra, prædicaſſe, quibus docilitatis ſuæ merito, æternæ vitæ præmium contigiſſet; illi plane numquam in eam veniſſent opinionem, niſi ea poſita veritate, quam nos ſupra conſtituimus, nimirum abſque fide in Jeſum Chriſtum nemini æternæ vitæ fores reſerari. Hæc cogitantibus fucum faciebat textus quidam Epiſtolæ S. Petri, & alter Libri Paſtoris. Illud tamquam certum ſibi conſtituebant, Jeſum Chriſtum ſalvandis omnibus qua Judæis qua Paganis veniſſe; nec poterant in animum inducere, alios a Regno Dei excludi, quam qui annunciatæ veritati aures volentes prudenteſque occluſiſſent. Ex quo illud pariter reputabant, omnes, quicumque ante adventum deceſſiſſent, numquam a ſalute excludendos fuiſſe, cum præſertim vitam ad rationis normam direxiſſent. Maxime autem ad rem eſſe arbitrabantur, ſi Jeſum Chriſtum, qui viventibus fidem annunciaverat, mortuos pariter non neglexiſſe autumarent. Facile pariter aliqui in eam venerant opinionem, quod commodiorem arbitrarentur conciliandis Paganorum animis, quibus ingrate accidiſſet, ſi credere cogerentur, Philoſophos, quorum maxime virtutem & doctrinam ſuſpiciebant, ſine ſpe veniæ damnari. Maluerunt proinde in vitam æternam illos admittere, ad partes Jeſu Chriſti transferentes, ſive quando mortalem adhuc vitam agerent, defendentes, quæcumque Philoſophi vera ſentirent, hauſiſſe e veritate & ratione æterna, nempe Chriſto Jeſu, uti S. Juſtino viſum; ſive poſt mortem, ſtatuentes, Jeſu Chriſto vel Apoſtolis in Infernis prædicantibus victas manus dediſſe: quod S. Clementi Alexandrino, Origeni, Nicetæ, Jobio, aliiſque nonnullis aſſertum eſt.

Sed utraque hæc opinio æque rejicitur; neque enim reputari poteſt, Gentiles, de quibus in præſentia ſermo, palam in Deum crediſſe, quem non niſi obſcure, quantum naturali lumine permiſſum eſt, noverant: omnia illis incognita, ſive quæ ad vulnus ab originali crimine inflictum, ſive quæ ad neceſſitatem Reparatoris pertinent. Cum de ærumnis atque imbecillitate hominum agendum eſſet, nemo illis melius diſſeruit; nemo pariter abſurda Idololatriæ apertius propalavit: ſed cum ad quærendum animæ languentis remedium in Servatore, vero illo animarum Medico ventum eſt, æque omnes aberrant. Audaces & ſuperbi tantum ſe habere virium & ſcientiæ præſumebant, quantum vitiis excindendis valeret, ſeque a paſſionum impetu in tutum reponerent. Quis unquam vidit Philoſophos pectus plangentes, oranteſque, criminum ſuorum coram Deo exomologeſin habere, imbecillitatem ſuam plorare, ſpem in ipſum ſuam reponere, & quidquid in ſe boni eſſet, accepto illi referre. Quis unquam, ait quidam Philoſophus, de virtute ſua grates Diis egit (10)? Aguntur illis quidem grates de acceptis divitiis, oris venuſtate, ceteriſque exterioribus donis, ſed propriæ ſinguli virtutis authores ſumus. *Det vitam, det opes; æquum mi animum ipſe parabo* (11). En Philoſophiæ Paganicæ indolem: en Philoſophorum tumor & ſuperbia. Sapiens ille eſt; *qui eſt totus*

(1) *Tertull. Apol.* (2) *Tertull. ibid.* (3) *Rom.* 1. 20. 21. (4) *Tacit. Annal.* 12. *cap.* 8. *Sueton. in Claudio c.* 29. (5) *Dio lib.* 61. & *in Excerptis Valeſ. pag.* 685. (6) *Dio in Excerptis Valeſ. pag.* 686. *Tacit. Annal. lib.* 13. *cap.* 41. (7) *Auguſt. Epiſt. olim* 157. *ad Optatum, nunc* 190. *Item Epiſt. olim* 89. *nunc* 157. *Item l. de Nat. & Grat. c.* 44. & *lib.* 2. *de Peccator. remiſſ. cap.* 1. *pag.* 39. (8) *Act.* 4. 12. (9) *Vide Perer. Diſput.* 18. *in cap.* 1. *Ep. ad Rom.* (10) *Cicer. lib.* 3. *de Natur. Deor.* (11) *Horat. Epiſt.* 18. *lib.* 1.

tus aptus ex ſeſe , quique in ſe uno ſua ponit omnia (1). Hæc de ſe Stoicus Philoſophus ; (2) . *Sapiens uno minor eſt Jove.*

Origenes in ſuo Commentario in Matth. Hom. 4. aſſeruerat, S. Joannem Baptiſtam duos ex Diſcipulis ſuis ad Jeſum Chriſtum miſiſſe, poſtulatum, an idem ipſe eſſet, quem tantis votis Judæi expectaverant ; quod a ſancto viro , ait , non tamquam de veritate ambigente factum eſt, ſed ut majori perſuaſione veritatem illam poſſet apud Inferos annunciare (3). In ſuo vero Commentario in 1. Reg. aſſerit luculenter, S. Joannem Baptiſtam ad Inferos deſcendiſſe, ut anticipatione quadam Jeſum annuncians, eo ſimul venturum prædiceret . Et in Commentario in Matth. tom. 12. docet, Moyſem & Eliam poſt colloquium cum Jeſu Chriſto in ejus Transfiguratione, priſtinas Inferorum ſedes repetentes, lætum ad ſuos detuliſſe nuncium, ſimulque omnia, quæ a Jeſu Chriſto audierant, iis expoſuiſſe, quos tempore Paſſionis Chriſti e captivitate redimendos norant. Hanc opinionem, ſuppreſſo Authoris nomine, de ridiculo agit S. Chryſoſtomus; demonſtrans, toto quidem vitæ hujus ſpatio merendi ſive demerendi facultatem ſingulis permitti ; ſed poſt obitum nemini reſipiſcendi manere poteſtatem ; unicuique enim poſt obitum pro vitæ merito ſive præmia reſtant vel ſupplicia. Profecto ſi Jeſus Chriſtus ad Inferna prædicandæ impiis veniæ deſcendiſſet, omnibus ad unum perſuaſiſſet. Si infidelibus poſt obitum veniæ ſpes aliqua relicta eſt , nemo ſane noviſſima ſaltem die peribit; omnes enim genua coram Judice flectent , parati judicium omne ſubire. Intimo quidem criminum ſuorum dolore tangentur ; ſed fruſtra illi , cogentur enim vel inviti ad lacrymas & ejulatus.

Porro hæc S. Chryſoſtomi momenta æque valent adverſus Origenem, ceteroſque omnes, qui Paganis Philoſophis poſt obitum ſalutis ſpem factam in prædicationibus Jeſu Chriſti vel Apoſtolorum tuentur , Sive enim S. Joannes Baptiſta , ſive Jeſus Chriſtus , ſive S. Petrus, ſive alius quicumque Evangelium illis annunciaverit, æque tamen impoſſibile eſt, aliquem ex iis, qui in Infernis torquebantur, potuiſſe annunciatis ſibi veritatibus non acquieviſſe ; maxime poſt tolerata tam longa ſupplicia, quæ incredulæ pervicaciæ ſuæ merito ſubiiſſent, & poſt exploratam in ſe veritatem eorum, quæ ſibi ab Evangelicis illis Præconibus annunciarentur, nempe immortalitatis animæ, ſuppliciorum & pœnarum alterius vitæ : quæ quidem hominibus in hac vita degentibus ægre perſuaderentur, facile tamen nulloque negotio iis, qui in altera vita tormentis addicti ſunt , & e mortuis reſurgente Jeſu, ipſis oculis intuentur. Jam inde ergo a pluribus ſæculis incolis deſtituerentur inferna loca , incolis, inquam, ab ipſo mundi exordio, illic degentibus , ſiquidem poſt obitum illis via reſipiſcendi eſſe potuiſſet. Scite autem obſervat idem S. Chryſoſtomus hom. 37. inſinuatam a Jeſu Chriſto eam veritatem, nimirum ad exitum uſque mundi futuros in Inferno impios Abrahamo pene coævos; prædicit enim Jeſus Chriſtus Matth. 11. 21. tolerabilius futurum extrema die judicium Tyriis, Sidoniis, Sodomæ, & Gomorrhæ, quam Corozaim, Betſaidæ, & Capharnaum , qui omnem ſibi ad ſalutem aditum , opemque volentes prudenteſque præcluſerant.

Cum vero S. Auguſtinus (4) ſupra a nobis laudatus docuit , Jeſum Chriſtum ad inferna loca , ubi nempe impiorum animæ torquebantur, deſcendiſſe, atque inde omnes, quoſcumque aptos ſecundum juſtitiæ ſuæ leges norat, eduxiſſe, numquam plane S. Doctori ſuccurrit, Inferni illum fores recluſiſſe iis, qui numquam in Deum credidiſſent, vel ſpeculativa tantum illum nollent cognitione, qua nec ad cultum Deo præſtandum, nec ad referendas gratias inducerentur : alioqui enim ipſe ſibi S. Doctor , ſicut & Apoſtolo Paulo, adverſaretur. Quare illud tantummodo inſinuatum eſt ab illo, inter eos, qui ſuppliciis detinebantur, ſuppliciis, inquam , quæ Purgatorii diceremus, aliquos deprehendiſſe, qui debitas criminibus ſuis pœnas jam luiſſent, eoſque proinde veluti jam expiatos ſecum deduxiſſe , æterna Beatitudine pro virtutum merito donandos. Hebræi erant imbecilliores, qui nondum ad purum elota criminum macula ex hac vita deceſſerant, vel ſi mavis, Gentiles, qui Deum norant quidem, ſed rudiori adhuc fide infirmiores, vel ſaltem levioribus aſperſi criminibus, tormentis alterius vitæ cruciabantur.

Significat autem, ſe, ſiquidem indulgentioris naturæ indolem ſequi voluiſſet , in eam inclinaturum ſententiam, quæ æquior eſſet Philoſophis illis, qui Deum noſſent, & idololatriæ fuiſſent averſati; retrahi ſe tamen ab ea opinione, quod conſtitutis a ſe principiis repugnaret: *Si omnes omnino dixerimus tunc eſſe liberatos, qui illic inventi ſunt, quis non gratuletur, ſi hoc poſſimus oſtendere? Præſertim propter quoſdam, qui nobis litterario labore ſuo familiariter innotuerunt, quorum eloquium ingeniumque miramur.* Addit deinde, vix fieri poſſe, ut ſolertius diſcuſſa ſingulorum vita, purum aliquid a faſtu , & inanis gloriolæ ambitu deprehendatur: ex quo totum proborum operum meritum ita corrumpitur , ut quanto indulgentioris animi indole in ſalutem Philoſophorum ferremur, tanto pariter ab opinione juſtitiæ divinæ retraheremur. *Verumtamen quadam indole animi ita delectant, ut eos, in quibus hæc fuerunt, vellemus vel præcipue, vel cum ceteris ab inferni cruciatibus liberari; niſi aliter ſe haberet ſenſus humanus, aliter juſtitia Creatoris.*

Ad fabellas ex S. Joanne Damaſceno laudatas quod attinet, reponimus, 1. Lucubrationes talia referentes, viro tanto ficte inſcribi, uti Leo Allatius primum, deinde P. le Quien in nova editione Operum S. Joannis Damaſceni convincunt. 2. Quando genuina eſſent opera , certe e minus authenticis monumentis deductæ hiſtoriolæ, in Scripta licet S. Damaſceni tranſlatæ, nihilo meliorem obtinent fidem. Opinionem eorum, qui damnatos jam ad inferos Gentiles, ad Fidem , auditis Apoſtolis concionantibus, traduxerunt, ſatis jam refutavimus.

Si Toſtatus in ea fuit perſuaſione, Gentiles abſque Fide explicita vel implicita in Jeſum Chriſtum ſalutem conſequi potuiſſe, nos virum doctum, Scripturæ & Patribus repugnantia docentem, non admittimus: ait enim Scriptura (5) de Jeſu Chriſto: *Nec aliud nomen eſt ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Si vero ille nomine *Fidei in unum Deum, qui bona operantibus æqua retribuit*, inſinuat Fidem ſaltem implicitam in Jeſum Chriſtum, paria ſentit nobiſcum.

S. Clemens Alexandrinus vix ab omni errore purgaretur, in iis, quæ de Philoſophis Paganis, & prædicatione Jeſu Chriſti, atque Apoſtolorum apud Inferos ſcripſit. Illud tamen Authori illi excuſando reputandum eſt, nimirum vitium id fuiſſe illius ætatis, qua non bene diſcuſſis earum rerum veritatibus, omnia offuſcabantur. Accedebant ſcripta quædam, opinione quidem authentica, & ſecundam a ſacris Libris authoritatem obtinentia , quibus facile credulis illis Patribus impoſitum eſt . Ad hæc , S. Clemens ita de Philoſophia agit , quaſi nihil ſatis commodi de illa ſentiret (6) : adeo longe abeſt, ut in pari cum Fide & veritate noſtræ Religionis gradu illam conſtituat. Nullam peculiarem Philoſophorum ſectam probans , damnat univerſas (7) . Quis autem credat, harum, quas reprobat, ſectarum Authores, vel Sectatores æternæ ſalutis præmio donare illum voluiſſe? Tandem in Admonitione ad Gentes obſervat, tenues illos veritatum, ſeu potius Verbi Divini igniculos, qui Philoſophis affulſerunt, & veritatis quanta ſit vis, & Philoſophicæ ſcientiæ quanta ſit imbecillitas, aperte ſatis demonſtrare; noverint enim licet Philoſophi quædam, ad finem tamen ſibi intentum venire numquam valuerunt. Abunde his etiam demonſtratur, eos, qui ſine Verbo veritatis, i. e. Jeſu Chriſto ad agendum ſe diſponunt . per-

(1) *Paradox.2. Cicero.* (2) *Horat. Epiſt.1. l.1.* (3) *Vide noſtr.Comment.in Matt.11.3.* (4) *Auguſt.l.12.de Geneſ. ad litter.c.33.* (5) *Act.4.11.2.* (6) *Clem.Alex.l.1.p.*203. 204.234. (7) *Strom.lib.1.pag.*211.*&* 218.

perinde eſſe, ac ſi pedibus deſtituti ad gradiendum adniterentur. Qui de hoc argumento plura voluerit, conſulat Librum Gallicum *de Neceſſitate Fidei in Jeſum Chriſtum*, impreſſum Pariſiis 1701. qui in prima Lucubrationis hujus editione nos latuit.

Ita ergo Diſſertationem hanc noſtram cogentes ſtatuimus. Pagani, quorum totus erat cenius ſpeculativa quædam, oſtutalis, & ſterilis Dei, & veritatum moralium cognitio, nulla Fidei ſaltem implicitæ in Meſſiam, & humani generis Reparatorem, ac ſupernaturalis gratiæ radio illuſtrati, nullo charitatis igniculo foti, ad Regnum Cœlorum obtinendum nunquam evadere valuerunt. Hæc Apoſtoli Pauli mens, docentis, Philoſophos illos, qui Deum norant, cum debitam illi gloriam denegaſſant, nullam criminis ſui excuſationem coram Deo obtendere potuiſſe.

IN PRIMAM EPISTOLAM
AD CORINTHIOS
PROLEGOMENON.

Corinthus Achajæ celeberrima, & opulentiſſima Civitas, cui ipſa ſui loci inter Ægeum ad Orientem, & Mare Jonium ad Occaſum conſtitutio ad negotiationis commodum, & ad opum incrementum quam maxime contulit, ſuperbiæ, epulis, voluptati, & ceteris, quæ commercium & divitiarum copiam comitantur, vitiis ſe ita dediderat, ut cultui, & religioni impudicitia haberetur; meretrices enim adhiberi ad publicas preces canendas conſueverant, Veneri que a quibuſdam dicabantur centum proſtitutæ, quarum copia ea erat, ut proverbio nomen effecerit.

Anno circiter Chriſti 52. Apoſtolus Corinthum profectus, Servatoris multum in ea Urbe ſibi populum ſelegiſſe teſtantis viſione confirmatus (1), duodeviginti menſes ibidem egit, quibus & Judæorum & Ethnicorum plurimos Deo quidem peperit, ſed plures etiam calamitates exhauſit; ab Judæis (2) præſertim ægre ferentibus, quod Evangelium Ethnicis annunciaret. Quare incredulos obſtinationi ſuæ reliquit, eiſdemque diſcedens, veſtibus prius excuſſis, ita eſt minitatus (3): *Sanguis veſter ſuper caput veſtrum: mundus ego ex hoc ad gentes vadam.*

Corintho Paulus Epheſum venit, ubi tribus annis concionandi muneri incubuit. Apollo interim, & forte S. Petrus, ſeu quis ex Petri Diſcipulis Corinthum profecti, quoſdam ſibi aſſeclas adſciverunt. Corinthii diverſis, quæ Græciam invaſerant, Philoſophorum ſectis aſſueti, eumdem & a Catholicis ſervari morem, & a Paulo eapropter, Petro, Apolline, ceteriſque Evangelii Præconibus totidem ſectas conſtitui arbitrantes, eorum cuilibet proprios, qui Præceptoris nomine initiarentur, aſſeclas adhærere ſibi ſuſſerant. Chriſtiana præterea, quæ mundis omnia munda eſſe docet, fideles quidam libertate abutentes, & nonnullas propoſitiones veras alioqui ad errorem diſtrahentes, idola verbi gratia nihil eſſe, atque oblata ab iiſdem neque ſacra fieri poſſe neque turpia, cibis promiſcue omnibus, iis etiam, qui Idolis oblati fuerant, nulla religione abſterriti veſcebantur: quod vel Hebræis recens fidei addictis, fratribuſque conſcientiæ imbecillioris, vel Ethnicis eam temeritatem demirantibus, pravitatis exemplum exhibebat.

Fœdiſſimis alii non modo non coercitis verum etiam cultu probatis impudicitiis aſſueti, prava conſuetudine difficile nimium ſe abdicabant; quare & Fidelium unus Novercæ, Patris ſui uxoris, inceſtu pollui auſus eſt. Aderant præterea, qui lites ad Laicorum Tribunalia deferrent, quique Eloquentiæ atque Philoſophiæ plus nimio addicti, mortuos reſurrecturos inficiarentur. Cum vero una convenirent, ſeu concionibus, ſeu myſteriis ſacris, divites cœnam in Templum minime deferentes, ut in pauperes quidquam erogarent, domi accumbebant, vel ſi accumberent in Templo, ab egenis ſeorſum veſcebantur.

Alterum ambitio abuſum invexerat: qui enim exterorum idiomatum, prophetiæ, & concionis ad populos habendæ dono divinitus ditati fuerant, eodem una tempore dicabant ſinguli, & aliena, licet auditorum nemo ea perciperet, idiomata oſtentabant. Mulieres ipſæ nudo capite Templum ingreſſæ: populos edocturæ publica verba facere idcirco audebant, quod præcipuo loquendi munere a Spiritu Sancto donatas ſeſe jactarent. Quædam denique de ſtatu Virginum, de Matrimonio, deque Conjugatorum obligationibus difficultates irrepſerant, quibus in diverſas ſententias Corinthi Eccleſia diſtrahebatur.

S. Paulus Epheſi immorans, hæc omnia accepit vel a Stephana, Fortunato, & Achaico, qui Corintho ad ſe inviſendum perrexerant (4); vel ab Epiſtolis, quas Paulo reddendas Chloes domeſtici eiſdem tradiderint (5), vel ab Eccleſiæ Corinthi Principibus viris, qui ad eum litteras dederint (6); vel denique ab horum ſingulis, quorum alter de hoc, de illo alter monitum fecerint. Epheſi igitur (7), non vero Philippis, ut probat inſcriptio ad calcem Græcorum Exemplarium, hanc Epiſtolam Apoſtolus exaravit, qui Eccleſiæ Aſiæ nomine, & præſertim Aquilæ & Priſcillæ (8), quos Epheſi commoratos certo ſcimus (9), Corinthi Eccleſiæ ſalutem dicit, & ejuſdem Epiſtolæ cap. 16. 8. ſe uſque ad Pentecoſten Epheſi moram ducturum teſtatur; ubi ſane & tunc eum ſcriberet, domicilium ibidem habuiſſe ſatis conſtat. Latina, pleraque etiam Græca Exemplaria Epheſi ſcriptam oſtendunt; ſubſcriptionem vero, qua Philippis exarata fertur, neque in Manuſcripto Alexandrino, neque in Græco & Latino Claramontano, neque in Græco S. Germani (quamvis in Latino ejuſdem manuſcripto legatur) neque in præclariſſimis aliis minime eſt reperire. Singula hæc, de quibus agit Paulus in hac Epiſtola, proſequi ſingillatim ſupervacaneum arbitramur; videnda enim ſingula exhibentur ab eadem Epiſtola, quæ, ſi tot tantaque, de quibus agit, perpendantur, breviſſima habenda eſt: nec non maxime commendanda occurrens Apoſtoli ſapientia, ſcientia, vis, zelus, charitas, & animi moderatio.

Miſſam ad Romanos hæc ad Corinthios Epiſtola præceſſit; hanc enim Apoſtolus anno Chriſti 56. illam vero anno 58. dedit. Abuſus vero, quos tollere nititur Apoſtolus, omnino tamen exſcindere reipſa non valuit. Pontifex enim Clemens S. Petri Diſcipulus, aliquot poſt annos eoſdem Corinthios ambitionis, ſuperbiæ, contentionum, litium, & diſſenſionum coarguit.

Ante

(1) *Act.* 18. 10. (2) *Vide* 1. *Theſſal.* 37. *&* 2. *Cor.* 11. 9. *&* 1. *Cor.* 2. 3 (3) *Act.* 18. 6. (4) *Vide* 1. *Corinth.* 16. 15. *&c. & Chryſoſt. & Theodoret. ibid.* (5) 1. *Cor.* 1. 11. (6) *Vide Chryſoſt. hom.* 44. *&* 1. *Cor.* 7. 1. *&c.*

(7) *Chryſoſt. Theodoret. Athanaſ. in Synopſ. Oecumen. Syrus Tremelii Arab. Latina inſcriptiones ad caput hujus Epiſt. Capell. Grot. Ham. alii paſſim.* (8) 1. *Corinth.* 16. 19. [9] *Act.* 18. 19. *&c.*

Ante hanc ad Corinthios, alteram ab Apoſtolo ad eoſdem datam, ſed modo deperditam, nonnulli opinati ſunt [1], eo ducti, quod ejuſdem Epiſtolæ capite 5. v. 9. Paulus dixerit: *Scripſi vobis in Epiſtola, ne commiſceamini fornicariis, non utique fornicariis hujus mundi.... alioquin debueratis de hoc mundo exiſſe. Nunc autem ſcripſi vobis, ſi is qui frater nominatur, eſt fornicator, aut avarus ..... cum ejuſmodi nec cibum ſumere.* Hæc tamen facile ad ea referuntur, quæ ſuperius Paulus enunciaverat [2] v. g. cap. 5. 2. *Non luctum habuiſtis, ut tollatur de medio veſtrum qui hoc opus* (inceſtum) *fecit.* Et verſic. 6. *Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit?* Præterea nullam duas præter, quæ extant, Epiſtolam Veteres agnoverunt. Hanc vero iidem Stephanus, Fortunatus, Achaicus, qui Epheſum profecti Corintho delatas Epiſtolas S. Paulo tradiderant, ab eodem Apoſtolo acceptam ad Corinthios detulerunt.

DISSERTATIO

De baptiſmate pro mortuis, ad 1. Corinth. 15. 29.

QUamvis Mortuorum Reſurrectionis dogma optimis Fidelibus ſolatium ſemper attulerit, atque explicitam orthodoxæ Religionis Fidem ſibi ſemper comparaverit, inter Ethnicos non modo, ſed ipſos inter Fideles, ſæpiſſime nihilominus adverſarios offendit. Vel ante Chriſti adventum quædam Judæorum ſecta ſe Reſurrectioni præſertim infenſam profitebatur. Sui reſurrectionem, ceteroſque ad vitam homines poſtrema ſæculorum die reverſuros, in omnium animos præ ceteris inducere Servator ſtuduit; cujus equidem reſurrectio Catholicæ ſtabiliendæ Religionis maximum, atque Fidelium ad vitam revocandorum certius erat argumentum. Apoſtoli etiam, dum conciones habebant, de Chriſti Reſurrectione potiſſimum in Auditores inducenda ſatagebant. Dæmon vero hæreſibus, quas primo in Eccleſiam invexit, vel Reſurrectioni prorſus eliminandæ vel eidem in incertum ſaltem adducendæ vehementer incubuit.

S. Paulus ad Corinthios, ab eorum quibuſdam Reſurrectioni Fidem minime adhiberi conqueritur [3]; *Quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam reſurrectio mortuorum non eſt?* Timotheo etiam per Epiſtolam nunciavit [4], *Hymenæum & Philetum a veritate excidiſſe, dicentes, reſurrectionem eſſe jam factam.* Nos vero, Simoni Magi Diſcipulos [5], Nicolaitas [6], Gnoſticos [7], Arconticos [8], Cerinthianos quoſdam [9], Valentinianos [10], Marcionitas [11], Marcoſianos [12], Cainitas [13], Saturninum [14], Baſilidem [15], Apellem [16], Bardeſanem [17], Menandrum [18], denique omnes fere Hæreticos, qui duobus, ſeu tribus prioribus ſæculis in Eccleſiam invaſerant, corporum reſurrectioni adverſaros ſcimus, eamque tantummodo faſſos eſſe reſurrectionem, qua Baptiſmate abluti per juſtificantem gratiam reviviſcunt. Harum hæreſum plurimæ vel Pauli ætate jam irrepſerant: quare Apoſtolus in ſuis Epiſtolis Reſurrectionis omnium argumentis eas ſæpe refellit, ſuoſque inſtruit Diſcipulos, ne a Pſeudo-Doctoribus orbem, ut errores evulgent, circumeuntibus intercipiantur.

Prioris ad Corinthios Epiſtolæ capite 15. Reſurrectioni infenſos validiſſime oppugnat, quam propterea 1. Scripturis, & de reſurrectione agentibus Prophetiis: 2. Apoſtolorum, qui Jeſum redivivum viderant, ſuique ipſius, cui ſe Dominus prope Damaſcum exhibuerat [19], teſtimonio firmat. 3. Ex Chriſti reſurrectione homines ad vitam reverſuros colligit: *Si mortui non reſurgunt, neque Chriſtus reſurrexit.* 4. Si Chriſtus non reſurrexit, inanes Apoſtolorum conciones, ipſoſque Apoſtolos ſubdolos atque mendaces. 5. Catholicorum Fidem a veritate alienam, eoſque per Baptiſmum a peccatis minime liberatos: 6. noſtram ſpem vanam; noſque 7. quod calamitatibus ſemper obruamur, omnium miſerrimos enunciat. Scribit denique (20): *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi omnino mortui non reſurgunt? ut quid & baptizantur pro illis?*

Hæc præcipua S. Pauli de reſurrectione argumenta: quorum profecto prima validiſſima, & ſatis probantia; poſtremum vero quibuſdam obvolvitur difficultatibus, quas hac Diſſertatione explanandas aſſumimus. Nova quidem hic non promittimus, aliter hujuſmodi quæſtio ſilentio prætereunda eſſet, de qua late adeo actum eſt, ut fuſius forte nihil. Cum vero noſtri interſit ea referre, quæ Authores præcipui de Scripturæ locis ediſſerunt, noſtri etiam erit diverſas hujus loci interpretationes, argumenta pariter, atque ſententias recenſere; noſtramque demum ea de re mentem aperiemus.

I. Putant vetuſtiores Interpretes; Apoſtolum hic meminiſſe quorumdam, qui *pro mortuis*, ſeu mortuorum vice, *baptiſmate* idcirco abluebantur, quod ante baptiſma morte correptos, ſacri lavacri, quo eorum ſeu amici, ſeu cognati perfunderentur, virtute levari, atque peccatis omnibus liberari, ſibi ſuaderent. Sicuti & nos precibus, & eleemoſynis Deo pro defunctis oblatis, peccatorum, quibus minime, dum viverent, ſatisfeciſſent, pœnas adimi, atque etiam omnino abſorberi, fide tenemus. Hanc ſane ſententiam Textus prima verba videntur innuere: cui etiam præ Latino Græcus favet, qui proprie ſonat *baptiſma pro mortuis*, ſeu mortuorum beneficio; quomodo pluribus in locis *pro hominibus*, ſeu propter hominum ſalutem Chriſtus mortuus a Scriptura annunciatur. Utrumque igitur eodem modo explicandum.

Eos Corinthios, qui Reſurrectioni adverſabantur, argumento, quod *ad hominem* vocant, Apoſtolus hic urgere quibuſdam videtur. Corinthios redarguenda quadam pietate pro mortuis baptiſmate ablui ſciens, Deus avertat, inquit, ut conſuetudinem veſtram, ſeu laudem, ſeu comprobem: at ſi mortui, ut aſſeritis, non reſurgunt, cuinam utilitati ſacro fonte pro ipſis luſtrari conducit? Cerinthianos, & Marcionitas Reſurrectioni infenſos baptiſmalibus aquis pro mortuis perfundi ſolitos certo ſcimus.

Qui plane Hæretici per vitam juſtificantis gratiæ, qua in baptiſmate donantur, reſurrectionem tantummodo fieri ſibi ſuadentes, non inepte ratiocinantur (21). Cum enim Chriſtus defunctos reſurrecturos fuerit pollicitus, inde ſtatim facile ducunt, poſſe mortuos juſtificante gratia di[illegible], adeoque & baptiſ-

(1) *Eſt. Juſtin. Bez. Parc. Ligfoot. Grot. Laud. de Dieu.* (2) *Chryſoſt. Theodoret. Jeronym. Eſt. Tir. in* 1. *Cor.* 5. 9. *Glaſſ. Sud. Capell.* (3) 1. *Cor.* 15. 12. (4) 2. *Timoth.* 2. 18. (5) *Epiph. hæreſ.* 21. *Auguſ. hæreſ.* 1. (6) *Auguſt. hæreſ.* 18. (7) *Epiph. hæreſ.* 25. *c.* 15. (8) *Epiph. hæreſ.* 40. *c.* 2. (9) *Epiph. hæreſ.* 28. *cap.* 6. (10) *Tertullian. Præſcript. cap.* 33. (11) *Iren. l.* 1. *c.* 19. (12) *Epiph. hæreſ.* 45. (13) *Auguſt. hæreſ.* 18. (14) *Tertullian. Præſcrips. cap.* 48. (15) *Tertullian. Præſcrips. cap.* 46. (16) *Epiph. hæreſ.* 44. (17) *Epiph. hæreſ.* 56. (18) *Tertullian. Præſcript. cap.* 46. & *Iren. lib.* 1. *cap.* 21. (19) *Act.* 9. 6. 7. (20) 1. *Corinth.* 15. 29. (21) *Epiph. hæreſ.* 28. *Iren. lib.* 1. *cap.* 19.

baptiſmate, cujus virtute gratia acquiritur, peccata deleantur (1). Cum vero ſacro fonte per ſe ipſos ablui defuncti minime poſſint, ſuperſtites de eorum ſalute ſolliciti, ut ipſi hac reſurrectione gaudeant, jure pro iiſdem baptiſmo expiantur, ſicuti filii æs alienum quo genitores tenentur, exſolvunt.

S. Paulus a Fide alienum dogma everſurus in hoc eodem capite (2), mortuos poſtrema judicii die reſurrecturos dilucide oſtendit; ut vero iiſdem eorum armis adverſarios oppugnet, inanem, & riſu dignum, niſi mortui reſurgant, eorum moram appellat; quem tamen minime approbat, ſi mortui reſurgant; ſed iis minime reſurgentibus abſurdum prorſus irridet. Cur enim mortale, quod numquam reſurrectione fruetur, corpus abluitis pro cadavere jam tabido, quod e mortuis nullatenus revocabitur? Qua utilitate alterutrum baptiſmus afficiat? Si juſtificationem, innocentiam, reſtaurationem vitæ, & veteris hominis expoliationem, hanc tantummodo reſurrectionem agnoſcitis, quonam iſta modo hominem mortuum afficere valent, qui ad baptiſmum, quo vos abluimini, neque per corpus, neque per fidem, neque per voluntatem accedit? Si & vos de vera mortuorum reſurrectione nobiſcum conveniretis vobis utique in promptu eſſet reſponſum: vos nempe baptiſmate eluis, ut incolumem mortuis reſurrectionem afferatis, eo ſane modo, quo triticum terræ commiſſum irrigatis, ut aliquando floreſcat (3), & per reſurrectionem reviviſcat; quod adhuc argumentum ut omnino convinceret, ipſummet triticum, non aliud, irrigandum foret. At pro altero, quem reſurgere numquam continget, expiari baptiſmo, inſanum profecto, & prorſus inane eſt.

Nihil hac de re difficilius, quam ut Pauli ætate Hæreticos reſurrectioni adverſos, & pro mortuis baptiſmo ablui ſolitos extitiſſe dilucida exhibeamus. Nos hic una cum præſtantiſſimis Authoribus, ad Corinthios, de qua agimus Epiſtolam Neronis anno a. a Chriſti adventu 56. a Servatoris reſurrectione 23. exaratam fuiſſe, certo arbitramur: cujus datæ argumenta apud præclariſſimos noſtros Chronologiſtas Uſſerium, Pearſonium, Tillemontium, & alios videnda relinquimus. Illis ſane temporibus Simoniani, Gnoſtici, & Nicolaitæ, reſurrectioni omnes infenſi, & Cerinthiani, homines pro mortuis baptiſmo expiare conſuetis jam Eccleſiam invaſerant. Marcionitas vero, qui eumdem exercentes morem, ſuos a Gnoſticis errores exhauſerant, cum Paulus hanc epiſtolam ſcriberet, jam extitiſſe omnes fatentur.

Marcionitas baptiſmate pro mortuis ablui conſueviſſe, Tertullianus ſatis oſtendit, cum neque eum morem inductum ab Apoſtolo, confirmatum affirmat (4): *Noli Apoſtolum novum Authorem, aut confirmatorem ejus denotare*: adduque Paulum eorum, qui baptiſmo pro mortuis perfundebantur, idcirco meminiſſe, ut ipſos eorum armis oppugnaret, & mortuorum reſurrectionem dilucide comprobaret. *Ut tanto magis ſiſteret carnis reſurrectionem, tanto illi, qui vane pro mortuis baptizarentur, fide reſurrectionis hoc facerent.* Præterea in libro de Carnis reſurrectione (5), Pauli ætate quoſdam extitiſſe aſſerit, qui ſecundum baptiſma pro mortuis idcirco ſuſcipiebant, quod illud ad reſurrectionem profuturum arbitrarentur: *Certo illu præſumptione hoc eos inſtituiſſe contendit, quia alii etiam carni ut vicarium baptiſma profuturum exiſtimarent ad ſpem reſurrectionis.*

Refert Chryſoſtomus (6), Marcionitas, ſtatim ac quis ex eorum Cathecumenis deceſſerit, viventem aliquem ſub ejus lecto recondere, & cadaveri accedentes, an baptiſmum appetat, poſtulare: quibus illo nil referente, qui ſub lecto proſternitur, baptiſmum admodum cupere, pro defuncto reſpondet: quare illum theatro potius, quam ſanctiſſimo Myſterio actione digna, mortui loco Baptizant.

Addit Epiphanius (7), Marcionitas eoſdem, non modo ſemel, ſed bis, & quoties collibitum eſſet, baptiſmali fonte conſueviſſe perfundi. Ad morem eumdem (8) Tertullianus alludit; cum enim de Marcionitis pro mortuis baptiſmate ſe abluentibus ſermonem habuiſſet, eam Baptiſmorum pluralitatem a Paulo jam improbatam enunciat: *Habemus illum alicubi unius baptiſmi definitorum.*

Quoad Cerinthianos, S. Epiphanius (9) aperte docet, eorum plurimos mortuorum reſurrectioni adverſatos eſſe, eoſque oppugnandos ab Apoſtolo ſibi proponi, cum reſurrectionem in ſua epiſtola ſtrenue tuetur. Et in hos ipſos forte Polycarpus inſurgens (10), Antichriſtos appellat, quod Chriſti Domini Incarnationem, Judicium, & Reſurrectionem oppugnarent. Epiphanius denique (11) ſe traditione accepiſſe ait, Cerinthianos baptizari ſolitos eorum nomine, qui de ſuis ſine baptiſmo deceſſerant. Cerinthianos imperante Domitiano proprie tantum extitiſſe, ab Authoribus plurimis accepimus: nihilominus refert Epiphanius, Cerinthum Chriſtianæ Fidei nomen dediſſe ea ætate, qua Cornelius baptiſmate eſt initiatus (12). Euſebius vero (13), S. Polycarpus, S. Irenæus (14), Philaſtrius, & S Hieronymus (15), cum florerent Apoſtoli, eumdem in vivis egiſſe aſſeverant. Eſto tamen florente adhuc S. Joanne Evangeliſta ſub Domitiano vixerit, noſtram nihilominus tuemur hypotheſim, ſi Cerinthianorum hæreſes diu ante a Nicolaitis, qui de omnium ſententia ſub Eccleſiæ initium extitere, evulgatas fuiſſe, una cum (16) Irenæo aſſeramus.

Nec hæreſes illæ in obſcuro quodam loco inglorie jacuerunt; quin potius ſeſe late diffuderant. Etenim Pſeudo Apoſtoli, quos & hæretici, Eccleſiæ Catholicæ inſtar, ſibi conſtituerant, quoſque ſæpiſſime in ſuis Epiſtolis Paulus oppugnat, ex Simonianis, ſeu Gnoſticis, ſeu Cerinthianis erant, qui Provincias diſcurrentes ea Catholicarum rerum pernicie venenum effundebant, ut Paulus vel ex ſuis Diſcipulis quoſdam dira labe infectos (17) Reſurrectionis fidem amiſiſſe ingemat & queratur. Quare ad Corinthios ſcribens, inter quos & hæ hæreſes irrepere cœperant, & pro mortuis baptiſmo quidam luſtrabantur, mirum minime fuerit, ſi eo utatur argumento: *Si mortui non reſurgunt, ut quid baptizantur pro illis?*

Hanc, ut diximus, ſententiam vetuſtiores, qui hunc locum explanant, Patres tuentur, Tertullianus (18), Hilarius Diaconus (19), Syriacus Interpres, Arabs, Haimo Alberſtadienſis, Valafridus Strabo (20), S. Anſelmus, ſeu Author Commentarii ejus nomine editus, Petrus Abbas Cluniacenſis, Theophylactus, S. Thomas, Gloſſa ordinaria, Recentiores plures tam ex Catholicis, quam ex Proteſtantibus in primam ad Corinthios epiſtolam, veluti Clarius, Zegerus, Eraſmus, Titelmanus, D. Godeau, Grotius, Tremellius, Diodati, Scultetus, Calovius, Danhavar, Camero, Schligtingius; aliique etiam, ut Bochartus (21), Juſtellus (22), Dallæus (23), Iſaacus Caſaubonus, Joſeph Scaliger, Pelicanus, Muſculus, &c.

Ambroſiaſter (24) ſeu Hilarius Diaconus, Tertullia-

(1) *Matt.* 28. 19. *Mar.* 18. 16. (2) 1. *Cor.* 15. 4. 13. 14. *&c.* (3) *Epiph. hæreſ.* [illegible] n. 6 (4) *Tertull. contr. Marcion. l.* 5. *c.* 10. *& Chryſoſt. in* 1. *Cor. hom.* 40. *p.* 450. (5) *Tertull. de Reſurrect. Cap.* 48. (6) *Chryſoſtom. hom.* 40. *in* 1. *Corinth.* (7) *Epiphan. hæreſ.* 42. (8) *Tertull. lib* 5. *contr. Marcion. cap.* 10. (9) *Epiphan. hæreſ.* 28. *cap.* 6. (10) *Polycarp. Epiſt. ad Philippenſ.* (11) *Epiphan. hæreſ.* 28. *c.* 6. (12) *Epiph. ibid.* (13) *Euſeb. l.* 3. *c.* 12. *Hiſt. Eccleſ.* (14) *Iren. l.* 3. *c.* 3. *ex Polycarp.* (15) *Hieron. de Viris Illuſtr. cap.* 9. (16) *Iren. l.* 3 *c.* 11. (17) 1. *Cor.* 15. 12. *&* 2. *Timot.* 2. 18. (18) *Tertul. de Reſurrect. carnis cap.* 48. (19) *Ambroſiaſt. in* 1. *ad Cor.* 15. 29.

(20) *Valafrid. Strab. de Ritib. Eccl.* (21) *Boch. Diſſertat. ſingular. t.* 2. *Geograph. p.* 1026. (22) *Juſtell. not. ad Can.* 12. *Neocæſar.* (23) *Dall. lib.* 1. *de Satisfactione.* (24) *Ambroſiaſt. ad* 1. *Cor.* 15. 29. *In tantum ſtabilem & ratam vult oſtendere reſurrectionem mortuorum, ut exemplum det eorum, qui tam ſecuri erant de futura reſurrectione, ut etiam pro mortuis baptizarentur; ſi quem more præveniſſet, timentes ne aut male, aut non reſurgeret, qui baptizatus non fuerat, vivus nomine mortui tingebatur; unde & ſubjicit: quid baptizantur pro illis? Exemplo hoc non factum illorum probat, ſed fixam fidem in reſurrectione oſtendit;*

Digitized by Google

tulliaous, Venerabilis Petrus Abbas Cluniacenſis [1] in ſua adverſus Petrobruſianos Epiſtola, Joſeph Scaliger in ſua in hunc locum Diſſertatione non modo hos hæreticos, ſed & Catholicos quoſdam idcirco baptizari ſolitos ſentiunt, quod Baptiſma, eorum ſaluti qui repente, quin baptizari poſſent, deceſſerant, admodum conferre pia ſimplicitate arbitrarentur. Quare Apoſtolus, ait Petrus venerabilis, recta mente eumdem morem exercentium voluntatem commendat, morem vero minime approbat. Februarii Kalendas huic baptiſmati potiſſimum deſtinatas refert Tertull. in Marc. l. 5. c. 10. *Videris inſtitutio iſta, Kalendæ ſi forte Februariæ reſpondebunt illi, pro mortuis petere*. Ea de cauſa hanc diem ſelectam Joſeph Scaliger opinatur, quod Chriſtum Dominum eadem die baptiſmate perfuſum aliquot annis putaverint. Neque nobis permirum nimis accidere debet, ſub Eccleſiæ initium mentis quadam ſimplicitate, & pietate animi, ad rationis normam non omnino compoſita, fideles quoſdam huic ſuperſtitioſo mori adhæſiſſe, cum temporibus clariori lumine jam perfuſis ipſos interdum mortuos baptizare conſueverint; quam quidem conſuetudinem pluribus in locis Concilium Africanum memorat, Concil. Carthag. c. 18. ſeu 19. & Conc. III. can. 6. atque omnino interdicit. Alibi etiam vel in mortuorum ore Sacram Euchariſtiam recondere, vel ſuper eorum pectora [2] componere ſolitos Fideles comperimus. Quæ omnia mirifice quidem reſurrectionem probant: eos tamen mores numquam Eccleſia comprobavit.

II. S. Chryſoſtomus, Oecumenius, Photius, Theophylactus, Harmenopulus [3], Zonara, & Balſamon [4], Petrus Martyr, Forbeſius [5], Hammondus, aliique S. Paulum ei conſuetudini alluſiſſe putarunt, cum aliàs Catechumenus, antequam baptiſmo ablueretur, Fidei profeſſionem enunciabat, qua peccatorum remiſſionem, mortuorumque reſurrectionem ſe credere teſtaretur; veluti hujuſmodi eſſet Apoſtoli ratiocinium: Ad reſurrectionis futuræ ſpem deſignandam Fidem profiteri, & aqua immergi, cuinam conducit, ſi mortui minime reſurgant? Nonne hæc Theatri vaniſſima actio? Quid ei, quod numquam eveniet, Fidem adhiberi compellimus? Hoc itaque loco *pro mortuis baptizari* idem ſonat, ac *baptizari pro noſtris corporibus mortalibus*, ut futuram eorumdem reſurrectionem ſolemniter profiteamur.

Sed hujus ſententiæ vitio vertitur nimia textus diſtractio, & maxime omnium implexæ difficultates. Cum enim verba ſonent: *Ut quid pro mortuis baptizari?* eo torquenda ſunt, ut ſignificent: *Ut quid baptizari pro corpore morti obnoxio, quod reſurrectionis ſpe baptizatur?* Præterea S. Chryſoſtomus rei nimium incertæ innititur, quod nempe D. Pauli ætate ii, qui baptizabantur, expreſſe & ſolemniter remiſſionis peccatorum, & mortuorum reſurrectionis fidem profiteri cogerentur.

III. Idem Chryſoſtomus, Theodoretus, Zonara, Balſamon, Cajetanus, aliique [6] explanatione non longe alia a ſuperiori hunc etiam locum interpretantur: ſentiunt enim *baptizari pro mortuis* idem ſonare ac *baptizari pro operibus mortuis, nempe peccato*: in baptiſmi aquas deſcendere, veluti ſi mortui eſſent, in quoddam ſepulchrum, ut quadam reſurrectionis ſpecie, quæ poſtrema judicii die revera futuram præſignat, a peccatis abluti inde egrediantur: Conſueto loquendi more uſurpamus: deſeri velut mortuum, veluti alterum reputari, velut omni vitæ ſpe deſtitutum relinqui: quare eadem prope phraſi dici poſſet: *baptizari pro mortuis*, ſeu veluti mortuos, eorum, qui mortui ſunt, ſpeciem referentes, & Chriſti Domini mortem, & ſepulturam exhibentes, cum baptiſmatis aquis immergimur.

Veremur tamen ne hæ loquendi formulæ, idiomati noſtro ſatis accommodæ, a Græco nimis abhorreant. Græca propoſitio *hyper* ut plurimum ſonat *pro*, ſeu ad alterius utilitatem; quare & apud Evangeliſtas, & apud D. Paulum Chriſtus *hyper emou*, pro nobis, mortuus ſæpiſſime memoratur. Ad id vero innuendum, quo vellet hic detorqueri, nempe *baptizari pro mortuis*, veluti ſi mortuus eſſet, eamdem phraſim uſurpari nullibi reperimus. His præterea verbis, *baptizari pro mortuis*, nequit naturaliter induci, baptizari ad peccatum, quod eſt animæ mors, abolendum, ſeu ad opera mortua, peccata nempe expianda, ſeu ad mortuorum reſurrectionem referendam ſeu denique ad moriendum homini veteri. Hæ omnes interpretationes ad ſenſum moralem faciunt, ad litteram non faciunt.

IV. S. Iſidorus Peluſiota [7], & Author Commentarii in Pauli Epiſtolas, quem D. Hieronymo tribuunt [8], Apoſtoli mentem fuiſſe putant, ut mortuorum nomine mortalia noſtra corpora deſignaret, noſque baptiſmate elutos iiſdem immortalitate comparare. Quid baptiſmo carnem luſtramus, ſi numquam reſurget? Quid corpus morti obnoxium abluimus, ſi a morte numquam emerget? *Carnem noſtram* Apoſtolus *mortem appellat, quoniam hac morte anima non moritur*. Hæc tamen *mortuorum* interpretatio ad noſtra mortalia corpora denotanda, obſcura nimis eſt atque detorta, quam Apoſtolus ad Catholicam tanti ponderis veritatem comprobandam minime adhibuiſſet.

V. S. Epiphanius [9], quem plures ſequuti ſunt [10], hunc Pauli locum ita vertunt: *Quid fiet de his, qui baptizantur imminente morte?* qui nempe dum gravius ægrotant, & omni incolumitatis ſpe deſtituti, jam prope mortui decumbunt, de reſurrectione, vitaque feliciori ſperantes baptiſmate expiantur in lecto? Chriſtianorum plurimos, quos perludum Clinicos appellabant, in poſtremis vitæ finibus baptizari aliàs conſueviſſe nemo ignoret. Quamvis Eccleſia hanc baptiſmi conſuetudinem numquam omnino repulerit, attamen de eorum incuria, qui baptiſmum ad mortis anguſtias protrahebant, quodam mœrore affectam ſemper ſe exhibuit, eoſque, qui forte incolumitati reſtituerentur, e Clero rejiciebat.

Cui ſententiæ adverſatur 1. Ipſa textus verſio, quæ dura nimis, atque obſcura fuerit, ſi *mortui mortem* interpretemur; & *baptizari pro mortuis* reddatur, *baptizari imminente periculo mortis*. 2. Pauli ratiocinium imbecille ſane foret, neque vi reſurrectionis fidem profecto ab incredulis extorqueret; qui enim in extremis baptizabantur, eo tantum reſpicere poterant, ut æterna ſupplicia evitaturi, a peccatis abluerentur, quin de reſurrectione cogitarent.

VI. Ex Proteſtantibus [11] Commentatoribus pluſimi cujuſdam veteris Eccleſiæ moris Apoſtolum hic meminiſſe tuentur, quo ſuper Martyrum ſepulchra baptiſmo initiabantur. Originalis Græci phraſis optime ſane verti poteſt: *baptizari ſuper mortuos*, ſuper illuſtrium mortuorum ſepulchra, in Chriſti fidelium Cœmeteriis. Cujus tamen baptiſmi conſuetudo, licet ſecundo, tertio, & quarto ſæculo frequens

(1) *Petrus Cluniacenſis Epiſt. contra Petrobruſianos. Baptizatos tunc temporis quoſdam ajunt bona quidem, ſed non ſana voluntate, pro mortuis non baptizatis, exiſtimantes Baptiſmum, quod viventes non perceperant, ſi pro ipſis vivi baptizarentur mortuis prodeſſe. Quod Apoſtolus ſic de hoc eorum opere loquens temperat, ut Baptiſmum talem non approbet, & Baptizantium voluntatem collaudet.* (2) *Concil. Carthag. can. 18. & Concil. in Trullo can. 83. & l. 2. Dialog. S. Greg. Papæ cap. 24.* (3) *Harmenopul. de hæreſ. Martion.* (4) *Zonar. & Balſam. ad Can. 18. Concil. Carthag.* (5) *Forbeſ. Inſtitut. Theolog. l. 13. c. 13.* (6) *Primaſ. Sedul. Haymo, D. Thom. Lyr. Rigalt. not. in Tertull. Molinæus in aquis Siloe, Cornel. a Lapid. Chamier. t. 3. lib. 26. cap. 19. n. 7. Epiſcopius in hunc locum Knatchbull.* (7) *Iſidor. Peluſ. l. 1 Epiſt 221.* (8) *Hieronymiaſter in 1. Cor. 15, 29.* (9) *Epiph. hæreſ. 28. c. 6.* (10) *Jacob. Capell. Calvin. Petr. Martyr, Hyperius. Vide & Eſtium, & Heſſel. in 1. Petr. 4. & Galen. Cathet. 3. & Fromond. hic.* (11) *Luther. Hammond. Balduin. Meiſner. Hutter. Chemnit. Gerhard. Piſc. Gerard. Joh. Voſſ. diſput. 2. de Reſurrect. Amyrald. in 1. Cor. 15. 29. Gloſſ. Gram. 3. p. l. 3. c. 14. alii plures.*

quens ætate illa Pauli, florere plane non poterat. Quæ enim tunc apud Corinthios Martyrum ſepulchra, quæ ſacella, quæve Chriſtifidelibus tantummodo deſtinata cœmeteria?

VII. Heinſius [1] hunc locum vertit: *Quid facient, qui mortuorum gratia baptizantur?* Etenim ei conſuetudini Apoſtolum alluſiſſe putat, qua alicujus ſeu ex veteri, ſeu ex novo Teſtamento ſpectatæ ſanctitatis viri nomine in baptiſmate inſigniri ſolebant.

Si vero ea fuiſſet Apoſtoli mens, verſionis duritie, & S. Pauli ratiocinii imbecillitate prætermiſſis, ad reſurrectionem probandam duo neceſſario poſtularentur. 1. Ut ſinguli ſuo ſemper nomine inſignirentur in baptiſmate, quod vix de infantibus impleri poſſet, qui perraro ea ætate baptiſmo initiari conſueverant. 2. Ut ſola defunctorum nomina in baptiſmate tribuerentur. Eo ſane, quod collibitum erat, ſeu Patris, ſeu Avi, ſeu Compatris nomine vocabantur: quam utique conſuetudinem vel dum floreret Chryſoſtomus [2] adhibitam, nos etiam in præſentia retinemus. Cum vero baptizarentur adulti eodem, quo ante, tametſi a Chriſtifidelibus ſatis alieno, nomine ſæpiſſime appellabantur; ejuſmodi erant Diodorus, Diotrephes, Apollo, Apollodorus, Aphrodiſius, Hermes, Poſidonius &c. quibus Ethnicorum Idola memorabantur.

VIII. Ludovicus de Dieu ideo viventes *pro mortuis* baptizari putat, quod reſurrectionem mortuis promiſſam, quam ipſi mortui omnino adimpleri operiuntur, baptiſmatis ſuſceptione confirment.

Quæ quidem interpretatio ſubtilis eſt nimium, & detorta. Qui Deo in cœlis jam perfruuntur, eorum, qui baptizantur, teſtimonio ad reſurrectionem ſperandam nullatenus indigent. Eorum præterea multi, qui baptiſmo initiantur, minime profecto cogitant de reſurrectione iis probanda, qui non amplius lumine fidei, ſed dilucida Dei viſione eamdem futuram & ſciunt, & expectant.

IX. Arias Montanus *Baptiſma pro mortuis*, ſeu *ad mortuorum reſurrectionem probandam* illud eſſe tuetur, quo abluebantur ii, quos ante baptiſmum Spiritus Sanctus perfuderat, quique deinde baptiſmalibus aquis tantummodo lnſtabantur, ut reſurrectioni futuræ, cujus ſymbolum exhibebat baptiſmus, ſe Fidem adhibere publice profiterentur.

Tamen 1. neque Cornelius, neque S. Paulus, neque ceteri ante Baptiſmum Spiritu Sancto perfuſi, ab aquarum ſuſcipiendo baptiſmate exempti ſunt. 2. Si is animus fuiſſet Apoſtolo, ſuam utique mentem clarius patefeciſſet. 3. Pauli ratiocinium imbecille nimis eſſet ad reſurrectionem probandam; qui enim ita baptizabantur, alia multa ſibi potuiſſent proponere, quin de reſurrectione probanda minimum cogitarent.

X. *Pro mortuis baptizari*, ait Joannes Cloppenbourgius [*], idem ſonat, ac mortuorum, Martyrum præſertim, a quibus Catechumeni fidem hauſerant, memoriæ & obſequiis baptizari. Quare ut eorum memoriam colerent, & ſectarentur exempla, baptiſmate perfundebantur.

Quid vero hæc ad futuram mortuorum reſurrectionem argumentis evincendam? Nimis præterea anguſtiis eorum, qui baptizabantur, mentem circumſcribimus, ſi ut mortuorum memoriam commendarent, & veſtigiis inhærerent, baptiſmate ſe abluiſſe velimus.

XI. D. Spanhemius ita hunc locum explanat [3]. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* Qui nempe ſeu martyrum, ſeu Chriſtifidelium conſtantiam, atque hilaritatem, quam imminente morte de reſurrectione ſperantes exhibebant, admirantes, ut eamdem ſibi felicitatem facerent; ad baptiſmum adducebantur.

Verum hæc interpretatio Pauli phraſim nimium diſtrahit, atque detorquet, ſi per eam induci volumus: quid fiet iis, qui ea, quam ſpe reſurrectionis morientes exhibent, conſtantia ducti ad baptiſmum accedunt?

XII. P. Harduinus [4] fuſius rem explicat: *Quid proderit iis, qui mortuorum occaſione poſtulant, & ſuſcipiunt baptiſmum, ſi mortui non reſurgunt?* Iis nempe, qui morientium inter Corinthios frequentiam intuiti, ad baptiſma feſtinabant, ne, ſi forte ante illud interciperęntur a morte, calamitatibus obnoxii fierent, & ab immortalitate & reſurrectione excluderentur; iis, inquam, quid ea proderit ad baptiſmum feſtinatio, ſi mortui non reviviſcant? Sane igitur alteram poſt reſurrectionem vitam opperiuntur, cum temporalem mortem baptiſmus minime avertat.

Harduinus quidem Corinthiorum plurimos, eos potiſſimum, qui ad Sacramenta indigne accedebant, a Deo morte correptos ipſius Apoſtoli teſtimonio dilucide oſtendit [5]: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi:* Oſtendit præterea ex pluribus Patrum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ locis, cum publicum calamitates obruerent, hominum frequentiam ad baptiſmum ſæpiſſime feſtinaſſe, ſibi conſulentibus ſingulis, ne ſine baptiſmate e vivis egrederentur.

Quæ tamen interpretatio corruit, ſi ea, de qua Paulus, mortuorum multitudine Chriſtifideles tantummodo, qui indigne ſacra gerebant, laboraſſe animadvertamus: quæ quidem calamitas longe alia eſt ab iis publicis ærumnis, quarum meminere hiſtoriæ, quæque populos feſtinanter ad baptiſmum impellebant. Ab hac itaque improborum ſolummodo fidelium animadverſione, Judæi, Ethnici, & ipſi Catechomeni avertendi potius videbantur, quam ad baptiſmum impellendi: quid enim, quis forte dixiſſet, ad Sacramenta properemus, quæ tot homines calamitate conficiunt? Satius profecto nobis conſultum fuerit, ſi ad poſtremas vitæ anguſtias baptiſmum rejiciamus.

XIII. Beza, poſt quem & alii [6], Apoſtolum ei conſuetudini hic alluſiſſe ſcribunt, qua Judæi, qui mortuum tetigiſſent, ſeptem diebus habebantur impuri, & ceremoniis, lotionibuſque a Lege præſcriptis ablui cogebantur [7]; quem Eccleſiaſticus morem *a mortuo baptizari* [†] appellat. Hæc vero ablutio reſurrectionis, ut ajunt, ſimbolum cenſebatur. Revera quo alio conſilio hujuſmodi conſuetudo induceretur? Si forte ad ſenſibilem, & corporalem turpitudinem detergendam poſt cadaveris tactum ablui conſueverant, quare ſeptem poſt diebus fiebat ablutio?

XIV Nonnulli [8] Apoſtolum veteris moris hic meminiſſe volunt, quo non Hebræi modo, ſed omnes prope Infideles mortuorum cadavera priuſquam vel ſepulchro, vel flammis committerent, abluebant. Quid itaque mortuorum corpora deterguntur, ſi minime reſurgunt? Nonne ſatius illa horroris & corruptionis argumenta vel humi conderent, vel flammis abſumerent? Honorem ſane mortuis exhibitum vel idcirco tribuebant, quod dum in vivis agerent, meriti fuerint, vel quod forte reſurrecturos arbitrarentur. Cadavera apud Veteres ablui, & ſæpe oleo, & a plurimis etiam opobalſamo perfundi ſolita, late oſtendere prætermittimus: vetuſti & recentiores Hiſtorici conſulantur.

Utraque tamen ex duabus hiſce ſententiis ſatis refellitur; quod dura nimis fuerit interpretatio, ſi *baptizari pro mortuis* ſeu *ſuper mortuos* vertatur: *ablui* poſt

(1) *Heinſ. Exercit. ſacr. in hunc locum 1. Corinth. 15.* (2) *Chryſoſt. Hom. 21. in Geneſ. 6.* (*) *Joan. Cloppenbourg. Syntagm. Selectar. diſp. 6.* (3) *Frideric. Spanhem. Exercit. in 1. Corinth. 15. 29. tom. 3. noviſſim. edition. Operum ejus, ſect. 5.* (4) *Harduin. de Triplici Baptiſmo, pagin. 217. nov. edition. Amſtelodam.* 1709.

(5) 1. *Cor.* 11. 30. (6) *Ligfoot. Hor. Hebr. in* 1. *Cor.* 15. *& Vaſquez* 3. *p.* 1. 2. *q.* 69. *d.* 157. *c.* 3. *n.* 48. 51. *C. Bertram. Lucubrat. Franceth. cap.* 18. *Jo: Cocc*ius *in Heb.* 9. 13. 14. *Franciſ. Bueman. Chamier. Panſtratia Catholica tom.* 3. *l.* 26. *c.* 19. *n.* 35. *Alii apud Nebriſſenſem, Spanhem.* (7) *Num.* 19. 11. (†) *Eccli.* 34. 30. (8) *Paeans, & Bullinger. hic.*

poſt mortui contactum ſeu *corpus mortuum detergere*. 2. Quod neque Ethnici, neque Judæi, qui ſeu aqua, ſeu oleo, ſive opobalſamo perfundebant cadavera, de docenda reſurrectione minime cogitarent. Ethnici enim ei fidem nullam præſtabant; Judæi vero ſi in eamdem animum intendebant, cum ut Rabinorum [1] nonnulli tuentur, hujuſmodi ritus reſurrectionem ſpectaret, hunc ea tantum de re inſtitutum, & ab Hebræis ad reſurrectionem inſinuandam adhibitum fuiſſe, inducere minime poſſumus; ii quippe Hebræorum, qui reſurrectioni adverſabantur, & populi, qui eidem fidem minime adhibebant, eadem, qua ceteri, pietate, mortuis abluendis, & ſervandis cadaveribus incumbebant. 3. Quod imbecille nimis foret Apoſtoli argumentum: dicenti enim: *Quid faciant Judæi, qui abluunt mortuos, ſi non reſurgunt?* illico reſponderi potuiſſet: quid facient Ethnici, qui eoſdem detergunt? An illi Judæorum & Chriſtifidelium inſtar, mortuorum reſurrectionem operiuntur?

XV. Sebaſtianus Schmid [2], qui huic loco explicando expreſſe operam ſuam navavit, eidem poſt mortui contactum abluendi conſuetudini Apoſtolum alluſiſſe cenſet, cujus tamen lotionis aliam exhibet cauſam. Cum, inquit, quorumdam in mortuos populorum impietatem Moyſes animadvertiſſet, qui cadavera ſordium inſtar, in ſterquilinium, ſeu in cloacas canibus, vulturibus, aliiſque id genus animalibus pabulum projiciebant; adeo reverenter eadem tractari juſſit, ut ab eorumdem contactu labes referretur, non alia ab ea, qua ii afficiebantur, qui alicui impuritati obnoxii res ſacras tetigiſſent: quos idcirco, ſicuti eos, qui immunda tetigerant, Lex a Sanctis arcebat.

Tangi autem mortuos, addit Schmid, Moyſes ideo interdixit, quod reſurrecturos fide certum teneretur; cum vero quis poſt mortui contactum ſeſe abſtergeret, Deum, tacite ſaltem, exorabat, ne ſibi id vitio tribueret, non enim per contemptum tetigerat cadaver; poſtulabatque, ut quemadmodum legalem ad labem detergendam eluebatur exterius, ab occultis etiam ſordibus, & a peccatis interius expiaretur.

Hæc vero ſententia iiſdem, quibus ſuperiores fere omnes, difficultatibus obvolvitur. 1. Quin probet, eam Moyſis fuiſſe mentem affirmat, ut ab impietate, & ſævitia, quibus populi quidam mortuos excipiebant, Judæos averteret. Ægyptii, inter quos diu vixerant, nimio potius cultu mortuos proſequebantur; Patriarchas vero, quorum progenies erant, in mortuis ſepeliendis curam omnem, & cognitionem impendiſſe conſtat. Imo ipſi Judæi, vel ante Legem, maximum cadaveribus cultum adhibuere. 2. Si Moyſes de probanda reſurrectione cogitabat, quare eadem lege non modo ab hominis mortui, ſed a beſtiarum etiam contactu labem referri decrevit? An forte & has immortales, & reſurrecturas oſtentabat? 3. Denique etiamſi eumdem, quem Authores nonnulli, huic textui ſenſum tribueremus, adhuc Apoſtoli ratiocinium Judæos quidem, minime vero Ethnicos convinceret. Paulus autem ad omnia pertinenti argumento exhibendo animum ſuum intenderat. Novimus profecto quoſdam [3] Ethnicorum populos, qui labem aliquam a mortui contactu referri ſibi ſuadebant, quare quamdam ad ſe detergendos, Judæorum inſtar, lotionem invexerant, qui nihil tamen de futura reſurrectione cogitabant.

XVI. Eſtius [4], aliique ferunt, ſi forte Judæorum quis alicui impuritati obnoxius, antequam purificationis dies abſolveret, migraſſet e vivis, eorum alterum loco illius ſeſe juxta legem abluere conſuevíſſe; quem quidem morem idcirco induxerant, quod

eam lotionem mortuo conferre arbitrarentur, & de animæ immortalitate, & corporis reſurrectione optime ſentirent.

Cujus quidem opinionis nullum huc uſque argumentum, neque ullum Authoris Judæi textum agnovimus. Eſto tamen, fautoribus minime deſtituta fuerit. Judæos tantummodo, quorum plerique reſurrectionem minime inficiabantur, Apoſtolus ſuo illo ratiocinio convinceret; Corinthios vero Fidei recens adſcriptos, quorum plurimi ab idololatria ad Eccleſiæ ſacra tranſierant, nulla vi urgeret.

XVII. Dionyſius Carthuſianus, Catharinus, Gagnæus, Cardinalis Hugo, Turrianus, Stapletonius, Becanus, Bellarminus, aliique [5] metaphorice hunc locum explicant, baptiſmi nomine ærumnas, afflictationes, crucem, & martyrium interpretantes. Quo quidem ſenſu & Dominus interdum hanc phraſim adhibuit: *Poteſtis baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari* [6]? Poteſtis nempe calamitatum fluctibus, mei inſtar, obrui, & dolorum & lacrymarum undis demergi? Quid proderit pro mortuis vos baptizari, ſi mortui non reſurgunt? Cui bono eleemoſynis, jejuniis, lacrymis, precibus, ſpontaneiſque pœnis animas, quæ in Purgatorio torquentur, juvare nitimini, ſi mortui numquam reviviſcant?

Quidquid de Purgatorio docet Catholica Eccleſia, noſtraſque preces ad mortuorum utilitatem conferre, & certo ſcimus, & religioſiſſime profitemur. Hujus vero loci eam, quam modo retulimus, veram interpretationem minime credimus. 1. Conveniunt omnes ad metaphoricam explicationem tunc eſſe tantummodo confugiendum, vel cum litterali & obvio ſenſu deſtituimur, ſeu a fide alienum offendimus: quæ omnia hic longiſſime abſunt. 2. Verbum *baptizari*, ſeu baptiſmum ſuſcipere, in Scriptura ſpontaneas pœnas, ſeu pœnitentiæ opera numquam ſonat.

XVIII. Maldonatus [7], Guillaudus [8], Gagnæus, Boneius [9], Tilenus, Tarnovius, Ligfootus, Sclaterus, Vorſtius eumdem Apoſtoli locum ita interpretantur: *Quid fiet iis qui proprio ſanguine*, nempe per Martyrium, *baptizantur, ad reſurrectionis fidem tuendam, ſeu in fide reſurrectionis*, ſi mortui non reſurgunt? Vana utique eorum tolerantia, & ſpes inanis.

XIX. Alexander Morus ita legit [10]: *Quid facient qui baptizantur pro mortuo?* nempe pro Jeſu Chriſto, ſi Chriſtus non reſurrexit, & ſi mortui non reſurgunt? Si enim mortui non reviviſcunt, neque Chriſtus reſurrexiſſe dicendus eſt. Licet autem in Græco *pro mortuis* legatur, ibi tamen pluralem pro ſingulari numero poſitum volunt.

XX. Domina Schurmam [11], ſingulari eruditionis fama celeberrima, hanc in quadam Epiſtola explanationem affert: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* qui videlicet plurima quotidie ſuſtinent *pro mortuis*, nempe pro fidelibus, qui quodammodo jam mortui reputantur, ſi nulla eos manet reſurrectio? Ea ſane Eccleſiæ naſcentis exordio Chriſtifidelium vita nonne mortem referebat? Quam vero de calamitatibus voluptatem illi percepiſſent, niſi de immortalitate, & reſurrectione ſperaſſent?

Duobus abſurdis hæ tres ſententiæ laborant. 1. A litterali & obvio Pauli ſenſu longe recedunt, cum Baptiſmum interpretentur pœnas, & ſine neceſſitate ad metaphoricam, & ſymbolicam explanationem confugiant. 2. Hanc vocem *mortui* nova quadam interpretatione exponunt; nempe ad *ſpem reſurrectionis mortuorum*, ſeu *Chriſtum Dominum*, ſeu *Chriſti Fideles morti expoſitos* detorquent.

(1) *Rabb. Bechai. & lib. Zohar, citati a Ligfoot, Hor. Hebr. in hunc locum.* (2) *Sebaſt. Schmid Diſput. in 1. Corinth. 15. 29. Argentor. ann. 1656.* (3) *Vide Priorium not. in lib. 5. Tertullian. cont. Marcion. alios.* (4) *Eſtius hic, & quidam apud Hugon. Cardinal. Vide & Salmer. & Juſtinian. & Turrian. lib. 4. pro Epiſt. Pont. cap. 14.* (5) *Vallemburgenſ. Fratres de unitate Eccleſ. 13. cap. de Purg. n. 84. Tirin. Juſtinian. Salmeron, Sa, Henriquez, Tanner, Bail, Feuardent. Coſter. & alii. Vide Henric. Muller. Diſſert. in hunc locum pag. 16.* (6) *Marc. 10. 38.* (7) *Maldonat. in Matth. 20. 25. & Luc. 12. 50.* (8) *Guillaud. Doctor Pariſ. in hunc locum.* (9) *Gagnæ. & Bonc. in hunc locum.* (10) *Rivet. & Alexand. Morus in hunc loc.* (11) *Anna Maria Schurman, Epiſt. Reſponſoria ad Jacob. Lydium.*

Quæ mens ſi fuiſſet Apoſtolo, is profecto reconditas adeo, atque prorſus abſcuras phraſes non adhibuiſſet?

XXI. Franciſcus Junius, & alii [1], Apoſtoli ratiocinium ita exhibent: Si mortuorum reſurrectio nulla, quare in dies ultro occurrimus pœnarum, calamitatum, perſecutionum, & martyrii baptiſmo pro mortuis [2]? pro Chriſtifidelibus nempe, qui e vivis emigrarunt? cur in tuenda eorum fide plurimum laboramus? Cur tam incerta ſpe ducti atque inani periculis omnibus nos exhibemus?

Hæc quoque ſententia Baptiſmum metaphorice interpretatur. Videantur, quæ in articulos 18. 19. 20. paulo ante diſſeruimus.

XXII. D. Clericus [3], qui *pro mortuis baptizabantur*, eos fuiſſe cenſet, qui quotidie Eccleſiæ accedentes, baptiſmate expiabantur, ut fidelibus, qui in dies decedebant, ſufficerentur. In hujus Epiſtolæ capite 15. ubi ſententia Apoſtoli, quam in hac Diſſertatione verſamus, eorum ſingulos, qui Eccleſiæ addicebantur, de reſurrectione ambiguos non fuiſſe Paulus oſtendit; cum enim eos, qui decedebant, miſerrime, quantum ad mundi ſpeciem, occubuiſſe cernerent, ad baptiſmum nihilominus accedebant, ut mortuis ſuccedentes, eadem infelici vita viverent, & miſerrima morte interirent. Quare Apoſtolus reſurrectionem directe probandam hic non aſſumit, ſed tantum eam eſſe totius Eccleſiæ, omniumque Chriſtifidelium fidem oſtendit, ut eadem deſtituti omnium infeliciſſimi reputari potuerint [4].

Cum hac interpretatione, omnium, quas retulimus, ſubtiliſſima poteſt Græca phraſis [5] cohærere, quamvis ejus ſyntaxis a conſueto longe diſcedat, neque ſimilem uſquehuc in novo Teſtamento noverimus. Id tamen illi adverſatur, quod Pauli ratiocinium ita detorquea, ut a communi totius Eccleſiæ conſuetudine argumentum ſuum Apoſtolus repetere cogatur; cum potius peculiari quorumdam more, apud Fideles communiter non obtinente, deducat. Si enim Chriſtifidelium ſinguli Reſurrectionis Fide, ut præfertur, ad baptiſmum accedebant, Pauli ratiocinatio minime concludit: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis? Si mortui non reſurgunt, ut quid baptizantur pro illis?* Dicendum ei fuiſſet: *Quid vos, ſeu quid nos omnes & ſinguli baptiſmum ſuſcipimus pro mortuis*, & ut iis Chriſtifidelibus, qui deceſſerunt, ſuccedamus?

XXIII. Putat Brochmandus [6], Apoſtolum per ea verba: *Quid facient qui baptizantur pro mortuis?* idem ſcripſiſſe ad Corinthios, quod & ad Theſſalonicenſes: *Nolumus vos ..... ut non contriſtemini, ſicut & cæteri, qui ſpem non habent* [7]. Nimium, ait Brochmandus, de cognatorum morte triſtitiam Baptiſmum quemdam Paulus appellat, ſic ratiocinatus: Quid dicemus iis, qui propter cognatorum interitum prorſus conſolationem reſpuunt, ſi mortui non reviviſcunt? Quomodo afflictos a mœrore animos erigemus, ſi nulla poſt obitum felicitas? nulla poſt mortem reſurrectio?

Si vox *baptizare* ſine addito interdum in Scriptura pœnarum & lacrymarum baptiſmum ſonaret, forte huic interpretationi ſubſcribi poſſet; verum eo ſenſu numquam adhibitam invenimus; vel ſi invenimus, altera voce, ſeu phraſi adjuncta ad metaphoricam ſignificationem deflectitur. Hæc præterea explanationis diſtractio Sancti Pauli argumentum talem infirmat; cum enim ſcripſerit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* ſcripſiſſe cogitur: *Quid faciemus*, ſeu quid nos dicemus iis, qui nimio de cognatorum morte mœrore tenentur?

XXIV. Henricus Mullerus, qui ea de re Diſſertationem anno 1656. Roſtochii vulgavit, poſtquam ſeptemdecim diverſas in hunc locum ſententias recenſuit, perpendit, & improbavit, ſuam denique ſic proponit: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* videlicet, pro mortuorum defenſione, pro fulcienda reſurrectione, de qua ſperantes occubuerant? Ita ergo ratiocinatur Apoſtolus: Si nullam reſurrectioni fidem vos adhibetis, quare per baptiſmi ſuſceptionem eorum ſententiam tuemini, qui reſurrectionis fidem confirmarunt? baptiſmum enim & vos idcirco ſuſcipitis, ut reſurrectionem, de qua mortui ſperaverunt, vobis promereamini.

Hæc explanatio ad ſententiam Ludovici de Dieu, & Cloppenburgii numero 8. & 10. relatam, ſatis accedit. Nimis vero Apoſtoli phraſis detorqueatur oportet, ut ejus animus cum horum mente cohæreat. Etenim *baptizari pro mortuis*, vel ſi lubet, *pro defenſione mortuorum*, pro fide & reſurrectionis promiſſione tuendis baptizari, nullatenus ſonat. Hæc præterea ſententia Pauli argumentum infringit, atque infirmat: *Quid facient, qui baptizantur pro fulcienda fide, quam reſurrectioni mortui adhibuerunt?* Hoc plane non ſatis urget.

Poſtquam diu immorati ſumus in diverſis plurimorum ſententiis recenſendis, quarum quædam a veritate deficiunt, quod improprie, myſtice, & violenter Baptiſmi nomen uſurpent; quædam vero, quod vocem *mortui* vi adhuc majori detorqueant; quædam pariter, quod ambiguis factis rebuſque difficultatibus quam maxime obnoxiis innitantur; quædam denique, quod textum Græcum methodo ab hoc idiomate longe aliena interpretentur; noſtram tandem pandimus, & Tertulliani, & Hilarii Diaconi ſententiam, cui celeberrimi ætatis noſtræ Critici adhærent, veriorem, firmioribuſque innixam argumentis arbitramur.

1. Enim de Textus perſpicuitate, qui ab omnibus, quemadmodum a nobis, legitur, ambigi nullatenus poteſt: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis?* gratia nempe, ſeu mortuorum beneficio, ad peccatorum abſolutionem mortuis comparandam. Si nihil in ea interpretatione abſonum ſuſpicati fuiſſent. Scriptores omnes plane victas illi manus dediſſent. Cum de interpretationibus agitur, quæ primum Lectoribus occurrit, ſi generatim loquamur, cæteris anteferenda eſt, præſertim cum argumentis aliis ad eam improbandam non adigamur.

2. Omnem argumenti vim hæc explanatio tuetur, ſive cum Tertulliano, Hilario Diacono, Petro Venerabili, Scaligero, aliiſque plurimis Chriſtifideles etiam, licet non ſine quodam abuſu, pro mortuis baptizari crebro conſueviſſe velimus; ſive eam conſuetudinem ab Hæreticis Reſurrectioni infenſis tantummodo exercitam arbitremur, quos Apoſtolus argumento *ad hominem* ſic oppugnet: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt?* Quonam modo hoc viventium baptiſma mortuis conducet, ſi de reſurrectione omnino deſperent? Si per hujuſmodi baptiſmum gratiam vivens ſuſciperet, eamdemne in mortuum referre valeret? Qua itaque mente hæc induci potuit baptiſmi conſuetudo, niſi ut reſurrectionis ſpes referatur, & a Domino id impetretur, ut quemadmodum viventis corpora per baptiſmum renaſcuntur, & quodammodo reviviſcunt, iis qui deceſſerant, aliquando reſurgant?

3. Id vero, cui hæc interpretatio innititur, ſuperius ſatis ſuperque probavimus; Hæreticorum enim pleroſque, qui Pauli ætate in vivis agebant, fuiſſe reſurrectioni infenſos, & eorumdem quoſdam pro mortuis baptizari conſuetos oſtendimus. Quam baptiſmi conſuetudinem & apud Fideles obtinuiſſe, mini-

(1) *Franciſc. Juni. in Bellarmin. Contr. 6. de Purgat.* (2) *Rambourt. Profeſſ. Sedan. apud Boch. Diſſert. in hunc locum pag. 1028. Turnov. Exercit. Bibl. pag. 609. Tilen. par. 2. diſp. 65. apud Henric. Mull. Diſſer. ſingul. in hunc loc.* (3) *Cleric. Not. in Hammond. & in hunc loc.* (4) *1. Cor. 15. 16.* (5) *1. Cor. 15. 25. Baptizontai yper ton nekron. Dionyſ. Halicarn. lib. 8. pag. 553. ypor ton apothanonton en te pros Antiatas poleme ſtratioton axioun ετέrous antigraphein. Viſum eſt novos conſcribere milites pro iis, qui in bello Antiatino interierunt.* (6) *Brochmand. P. 3. Syſtem. Theol. art. de mort. c. 2. Apud Henric. Muller. Diſſert. in hunc loc. Huic ſubſcribit Joh. Tobias Major. orat. pro defunct. contr. Got. cap. 2.* (7) *1. Theſſal. 4. 13.*

minime probari poſſe ultro admittam; veteres tamen, & recentiores, quos attulimus, Authores id eveniſſe nullatenus improbant: quod ſane magis de illis perſuademur, quam de Africæ fidelibus, quos quarto adhuc ſæculo ipſos mortuos baptiſmo abluere conſueviſſe legimus.

4. Abſurda vero, quibus hæc interpretatio notatur, quæque Commentatores ab eadem avertunt, difficultatem ſuperficie tenus præferunt, & ſi ſerio pendantur, vim omnem amittunt. Apoſtolus, ajunt, baptiſmi pro mortuis conſuetudinem probare videretur, non enim credendus foret inde futuræ reſurrectionis argumentum deduxiſſe, ubi pravitatem, & ſuperſtitionem agnoviſſet. Ita enim vel Fidelibus, ſi vere apud eorum quoſdam mos ille invaluerat, ad eumdem retinendum animum adjeciſſet, vel Hæreticorum conſuetudini faviſſet, qui reſurrectioni inficiantes, eodem baptiſmate expiabantur. Præterea neque Hæreticos reſurrectioni infenſos, neque Chriſtifideles eamdem profitentes, neque baptiſmum pro mortuis ſuſcipientes, neque eidem non adhærentes, Pauli ratiocinatio convinceret.

Cerinthiani & Marcionitæ, qui baptiſmate pro mortuis eluebantur, Apoſtolo ſic ratiocinanti: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non reſurgunt, utquid & baptizantur pro illis?* reſpondiſſent: Baptiſma, quo abluimur, ideirco mortuis conducit, quod eiſdem peccatorum ſolutionem conſequatur, veram nempe reſurrectionem, ſicuti & a Chriſto appellatur, cujus in tuis Epiſtolis ſæpius ipſemet meminiſti, cum Baptiſmi dignitatem extolleres, atque eumdem cum Servatoris reſurrectione conferres. Anne Deus, cujus cordi omnium hominum eſt incolumitas, antequam baptiſmo abluerentur, repente morte interceptos iis deſtitueret, quæ eorum ſaluti maxime conducerent? Quid porro eorum ſaluti opportunius, quam quod inſtitui voluerit, ut eorum beneficio regenerationis Sacramentum ſuſciperetur?

Neque majori vi Chriſtifideles, quibus forte reſurrectio in dubium, incertumque veniſſet, Apoſtoli argumentum urgeret. Quapropter reſpondiſſent: Quidquid ſeu Hæretici, ſeu quis ex Fidelibus ſimplicioribus egerint, ad nos nihil pertinet. Ex te ipſo unam eſſe Eccleſiam, unumque baptiſma didicimus: alia agitur, ut nos convincas, tibi via incedendum. Etenim quæ ſunt fidei Catholicæ, per abſurdos & nugatorios mores minime comprobantur, alias nil prohiberet, quin aliquibus Eccleſiæ dogmatibus Fidem præſtitiſſe Ethnici dicerentur, ſi ex plurimis ſuperſtitioſis, quibus inhærent, ritibus eorum fides colligi valeret. Ex Hæreticorum denique pro mortuis baptiſmate neque probe omnino, neque proprie reſurrectio concluditur, quamvis eorum de animæ immortalitate opinio rite poſſit induci. Immortalitatem vero animæ a corporis reſurrectione longe aliam eſſe quis ignoret?

Quibus omnibus ſeponimus, S. Paulum neque Hæreticorum, neque eorum Fidelium, qui ſimplicitate nimia pro mortuis baptizarentur, morem ſuo argumento comprobaſſe, ſed adverſus eoſdem *ad hominem*, ut diximus, ratiocinatum eſſe. Probos Chriſtifideles, & lumine Fidei optime inſtructos minime hic Paulus alloquitur; illi enim neque reſurrectioni adverſabantur, neque in eorum, qui pro mortuis baptizabantur, conſuetudinem ibant. Sed adverſus Hæreticos, & rudes, atque ſuperſtitioſos Fideles validiſſime probat, ab ipſa eorum conſuetudine argumentum optime deduci, quo ſibi de reſurrectione perſuadeant. Utique enim inanem prorſus de mortuis curam aſſumerent, ſi ad vitam numquam revocarentur, vel hinc ablati alibi non viverent. Quod ſi, quod anima immortalitate donetur, alibi vivunt, facile ſatis hominum reſurrectio concluditur. Alienum quippe ab juſtitia foret, niſi corpus, quod veluti pars operam ſuam vel bene, vel male geſtis contulit, aut pœna afficeretur, aut præmio. Deus vero, ſi animæ tantummodo vel pœnam infligeret, vel præmium perſolveret, ſolius partis aut innocentiam, aut pravitatem remetiretur. Hæreticos itaque ſuo illo pro mortuis baptiſmate indirecte ſaltem ad reſurrectionis fidem tenendam Apoſtolus adigit.

ARGUMENTUM

II. Epiſtolæ S. Pauli Apoſtoli ad Corinthios.

INcertus Apoſtolus, quem Corinthiis ſenſum ſua illa Epiſtola induxiſſet, Titum, cui & Diſcipulum comitem nobis adhuc ignotum adjecit [1], ad eos miſit, ut per illos totius rei eventum addiſceret. Ejus vero Epiſtola Corinthios adeo concuſſerat, & ad Apoſtoli amorem una & reverentiam ita excitaverat, ut, ubi Titus Corinthum pervenit, officioſi & pavidi eumdem exceperint. Interea Epheſius quidam, quem Demetrium vocant, Aurificum ſeditionem concitaverat; quare Paulus Epheſo egredi coactus, per Helleſponti oram Troadem venit, ſi forte Titum Corintho regredientem offenderet: quem cum obvium minime habuiſſet, tametſi de ſuæ Epiſtolæ eventu ſollicitus, ne aliquo fructu Evangelium prohiberet, ab incepto itinere non abſtinuit, & in Macedoniam [2], quæ plurima ei perferenda objecit, trajecto mari pervenit.

Verum Deo humiles, & doloribus obrutos animos ſolari conſueto, maximam Paulus de Titi adventu lætitiam percepit; a quo Chriſtifideles a fornicario jam disjunctos, amotis etiam, vel ſaltem ſeditioſorum ceteris cohibitis, ab ipſo Apoſtolo veniam poſcere, eleemoſynas Jeruſalem erogandas rurſum congerere [3], res denique Corinthi Eccleſiæ optime cedere, quam maximo animo ſolatio accepit. Dolorem tamen ſatis etiam idcirco exhauſit, quod eorum quidam ab impudicitiis omnino non deſtitiſſent [4]; quod præterea Pſeudo-Apoſtoli ab Judæis egreſſi ea, quæ ipſe ædificaverat, evertentes, Moyſis Legi obtemperandum docerent, ipſumque Paulum Legis everſorem, hominem neque a Chriſto, neque a primis Apoſtolis miſſum, & Apoſtolatus munere non decoratum, appellarent [5].

Quibus malis ut Paulus confeſtim occurreret, hanc ſecundam Epiſtolam dedit, quam Tito, duobus fratribus, quos & laudibus quam maxime attollit [6], eidem ſociis adjectis, deferendam commendavit. His litteris primo ea, quæ ſpoponderat, celeritate ſe Corinthum non contuliſſe fatetur, ne in eorum quoſdam, ægre quidem, ſed graviſſime animadvertere cogeretur [7]. Eos laudat, quod optime cum fornicario ſe geſſerint, cui illorum gratia veniam indulget [8]. Adverſus Pſeudo-Apoſtolos ea ſapientia, eaque modeſtia ſui Apologiam inſtituit, ut ſocios ſuos potius, ſuumque miniſterium, quam ſe ipſum efferre videatur. Corinthios ut eleemoſynas [9], in Jeroſolymitanos pauperes erogandas, conferant, nihil ad illos ſuadendos omittens, hortatur [10]. Ad ſui apo-

(1) 2.Cor.12.18. (2) 2.Cor.7.5. (3) 2.Cor.8.6.& 9.12. (4) 2.Cor.12.21. (5) 2.Cor.11.21.22. (6) 2.Cor.8.18.22. (7) 2.Cor.1.15.23. (8) 2.Cor.2.13. (9) 2.Cor.7.2.6. (10) 2.Cor.8.& 9.

apologiam demum regreſſus, Pſeudodoctorum nequitiam detegit, & impulſu atque prorſus Apoſtolica libertate eos, qui iiſdem fidem adhibebant, nimiæ credulitatis arceſſit. Ut ea diluetet, quæ in ipſum conjecerant, de ſe præclare loqui coactus, id ita præſtat, ut vim, quam humilitati ſuæ inſerebat, ſatis exhibeat.

Philippis in Macedonia Apoſtolus hanc Epiſtolam ſcripſiſſe creditur, ut Exemplarium Græcorum pleraque oſtendunt. Exemplaria vero Latina Troade in Aſia minore datam præferunt. Certo tamen in Macedonia exaratam ſcimus [1], quamvis an Philippis, an in altera ejuſdem regionis Urbe, minime conſtet. Subſcriptiones Epiſtolis S. Pauli appoſitæ inter ſe differunt, & authoritatem fidemque non præferunt [2]. Quædam vetuſtiſſima Mſs. iis omnino carent; quædam a Tito, & S. Luca; alia ſolummodo a Tito; alia a Tito & Timotheo; alia denique a Tito, Barnaba & Luca hanc Epiſtolam delatam oſtendunt. Duos Diſcipulos laudibus quam maxime cumulatos, quorum alterum Timotheum credimus, alterum penitus ignoramus, itineris comites Tito fuiſſe exploratum habemus.

Dimidio circiter anni a Chriſti adventu quinquageſimi ſeptimi, integro fere anno poſtquam primam ſcripſerat, hanc ſecundam Epiſtolam ad Corinthios Apoſtolus dedit.

IN EPISTOLAM
S. PAULI AD GALATAS
PROLEGOMENON.

Ex Galliis originem Galatæ trahunt. Gallorum manus in Græciam, deinde, Brenno duce, in Aſiam Minorem effuſa, Cappadociam inter & Phrygiam, in Provincia quam ſuo nomine Galatiam appellarunt, ſedes ſibi tandem ſtatuere [3]. Ad eos non ſemel de Evangelio dixit Apoſtolus [4], florentiſſima Eccleſia ibidem conſtituta. At primum Galatiam venit, quamvis tum vel corporis ægritudine forte laborans [5], vel exantlatis perſecutionibus eliſus, triſti admodum, macilentaque facie, veluti Dei Angelus, aut ipſemet Chriſtus exceptus eſt [6]. Facile omnium primus ibi Fidem Ethnicis nunciavit [7]: quamquam ante illum S. Petrus Judæos edocuiſſe videtur, uti ex ipſius Epiſtola *ad Judæos diſperſionis, Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ*, colligimus [8]; quibus tamen Fidem, nonniſi Eccleſia Antiochiæ jam conſtituta, antequam primo Romam conferretur, a Petro nunciatam non ambigimus [9].

Hos fortaſſe Judæos a S. Petro edoctos, incentores expertus eſt Apoſtolus ſeditionis contra ſe, inter Fideles ex Gentibus excitatæ, cujus occaſione hanc ad eos epiſtolam dedit. Qui ſane novi Doctores non aliunde valuiſſe videntur, quam quod ceremonias legales enixe tuentes, & Paulum quam maxime Petro poſthabendum dictitantes, ejuſdem Petri authoritate abuterentur, ut eidem Paulo, quem Apoſtolatu minime decoratum præferebant, detraherent: quo præterea Circumciſioni, & Moyſis Legi ita neceſſario obtemperandum docerent, ut Petrus ipſe, & Apoſtolorum ceteri eiſdem obſequerentur. Paulum denique [10] a ceteris ſecerni, ab eoque doctrina a Deo prorſus aliena Eccleſiam erudiri ſpargebant in vulgus. Galatarum plurimi, utpote ſimplices & rudes, his ſermonibus capti, partim Circumciſi ſunt, partim Circumciſionem decreverant. Plurimi vero ei novitati adverſantes, Paulum Epheſi tunc forte commorantem admonuere. Quare Galatis ſibi invicem diſcrepantibus, hi ab illis omnino diſceſſerant, de qua Eccleſiæ disjunctione ſub Epiſtolæ finem Paulus conqueritur [11].

Quibus irruentibus malis ut viam Apoſtolus intercluderet, ad Galatas, recens ab Idololatria ad Fidem traductos, Epiſtolam tanti ponderis, quanti res tanta expoſcebat, exaratam miſit, qua Apoſtolatui ſuo, ab ipſomet Chriſto ſibi commiſſo, validiſſime ſtabiliendo incumbit; admirandam ſui converſionem exhibet; ſuamque miſſionem a ceterorum Apoſtolorum poteſtate immunem oſtendit: præterea S. Petrum non modo ſuæ prædicationi non eſſe adverſatum, neque in ſua doctrina quidquam a recto abſonum reperiſſe; verum etiam eamdem laudibus extuliſſe, in Jeroſolymitano Concilio una cum Apoſtolis approbaſſe, eademque ipſum Petrum promiſcue cum Ethnicis diſcumbentem uſum eſſe. Quam quidem cum Ethnicis conſuetudinem caute & clanculum, ne Judæis admirationem cearet, a Petro adhibitam ultro fatetur. Cum vero die quadam Antiochiæ in quamdam diſſimulationem incidiſſet, ſe eidem nimiam infirmitatem exprobraſſe teſtatur. Quæ omnia percurrit, ut ora tandem obſtrueret Petri Diſcipulis, præpoſtero quodam zelo in ſe obtrectantibus, qui Principis Apoſtolorum nomine, & dignitate, ut Paulo detraherent, abutebantur.

Ad quæſtionem deinde tractandam accedens, an nempe Circumciſio, & Legalia ſaluti neceſſario conducerent, pluribus ex Scriptura argumentis oſtendit, & Circumciſionem & Legem Moyſis inanes eſſe; benedictiones Abrahamo promiſſas ad eos, qui in Chriſti Fide perſtitiſſent, pertinere. Servatorem, ejuſque Diſcipulos veros Abrahami filios, & benedictionum hæredes appellari; Judæos carnales in Agar, & Iſmaele, Chriſtifideles vero in Sara, & Iſaaco exprimi; in libertatem Filiorum Dei per Fidem nos eſſe aſſertos; Hebræos ſemper ſervos extitiſſe, iiſque, ut a peccatis continerentur, Legem conſtitutam; eorum ſingulos, qui ſub Lege vivebant, maledicto fuiſſe obnoxios, a quo Chriſtus per ſuæ Crucis ſupplicium nos vindicavit. Meminit demum, non per legem, ſed per Fidem eos Spiritu Sancto donatos: quo quidem argumento, apud illos validiſſimo, nullam Legis ad juſtificationem neceſſitatem demonſtrat.

Poſtquam Apoſtolus ita ſuam apologiam texuit; pluribus ad mores recte inſtruendos congeſtis, & ne Evangelii libertate ad concupiſcentiæ deſideria abutantur, iiſdem inſtructis. A ſpiritu & a carne, a concupiſcentia & a ratione per gratiam lumine perfuſa opera noſtra egredi docet; & quæ a ſpiritu, quæve a carne dimanant, fuſius enumerat. Monitos deinde, ut mutua benevolentia ſibi reſpondeant, utque delinquentibus miſericordiam indulgeant, ad ſumptus pro magiſtris & Doctoribus munifice conferendos, hor-

(1) *2. Corinth.* 7. 5. 6. & 8. 1. 3. 8. 11. (2) *Vide Variet. Lection. D. Mille.* (3) *Vide Liv. lib.* 38. *Juſtin. lib.* 25. *Uſſer. ad ann. M.* 3728. & 4430. *Period. Julian.* (4) Primo Ann. Chriſt. 51. *Act.* 16. 6. deinde Ann. 54. *Actor.* 17. 23. (5) *Ad Galat.* 4. 13. 14.

(6) *Vid. Hieronymum, & Theodoretum in eum loc.* (7) *Theodor. hic Proleg.* (8) 1. *Petr.* 1. 1. (9) *Vide Euſebium lib.* 3. *capit.* 1. & *Tillemontium tom.* 1. *artic.* 28. *de Sancto Petro*, & *not.* 26. (10) *Galat.* 5. 7. 10. (11) *Galat.* 5. & 6.

hortatur. Neque Circumciſionem denique neque Incircumciſionem, ſed in Chriſto novum hominem, novamque creaturam, ſaluti & ſanctitati acquirendæ conducere oſtendit.

Interdum ita Galatas alloquitur, ut quondam Judæi fuiſſe videantur [1]: *Quomodo convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſervire vultis?* Alibi etiam [2]: *State, & nolite iterum jugo ſervitutis contineri*. Cetera vero ejuſdem Epiſtolæ ab Idololatria ad Fidem traductos ſatis perhibent. Paulus enim eodem [3], quo ſupra, capite, *Tunc*, ait, *ignorantes Deum, iis, qui natura non ſunt Dii, ſerviebatis*. Alibi vero [4], ſi Circumciſioni ſubderentur, toti Legi iis fore obtemperandum denunciat. Quæ quidem verba neque tunc, neque alias unquam Circumciſioni obnoxios fuiſſe oſtendit.

Pſeudo Apoſtolos, in quos Paulus hic validiſſime inſurgit, non Judæos, ſed exteros, quorum Princeps Cerinthus, in Judæa degentes, fuiſſe Grotius autumavit [5]: additque, ab iis, non ut Religioni inſervirent, Legem ſervandam tunc doceri, ſed ut ab Judæis honores ſibi extorquerent; uſque iis, quibus Chriſtifideles, utpote novam ſectam Judæis & Ethnicis æque adverſam conſtituentes, oppugnari incipiebant, perſecutionibus uteperentur. Quam quidem ſententiam, cui Commentatores ceteri adverſantur, ipſo Apoſtoli Textu ſatis improbatam arbitramur.

Maximum de tempore, quo ſcripta, & de loco, unde Epiſtola miſſa fuerit, diſcrimen. Magnus [6] Gregorius, Lodovicus Capellius [7], Uſſerius [8], Pearſonius [9], aliique plures, Epheſi exaratam ferunt [*]. Quorum omnium ſententiæ, quam veroſimiliorem ducimus, Latinæ inſcriptiones, Eſtio teſte, reſpondent. Ex capite primo v. 6. paulo poſt, tribus nempe, ſeu quatuor, poſtquam Galatæ Fidei ſe addixerant, annis exarata præfertur. Ait enim Apoſtolus: *Miror quod ſic tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gratiam Chriſti, in aliud Evangelium*. Itaque poſt annos ſupra decem Apoſtolus eam dediſſet, ſi ab eo Romæ in carcere adhuc detento datam velimus. Chryſoſtomus ad Romanos Epiſtolam hac poſteriorem putat [10]; quare Romæ minime exaratam cenſet, cum Paulus aliquot tantum annis, poſtquam ad Romanos ſcripſerat, eo perrexerit.

Græcorum exemplarium ſubſcriptiones Romæ datam perhibent. S. Hieronymus a Paulo in vinculis ſcriptam refert [11]. Theodoretus datam primam omnium, quas Apoſtolus Romæ ſcripſerit, tuetur [12]. Inde factum eſt, ut Paulum inter vincula eam dediſſe crederetur, quod dixerit [*]: *Nemo mihi moleſtus ſit; ego enim ſtigmata Domini Jeſu in corpore meo porto*. Sed ille Chriſti Crucem in ſemetipſo nonne ſemper exhibuit [13]? nonne verbera, vexationes, vulnera plures pertulit, & pericula ſæpiſſime exhauſit? Præclariores Interpretes ſubſcriptiones hujus Epiſtolæ Græcas, authenticas non eſſe conveniunt, quæ neque in S. Germani, Claramontanos, & aliis Vetuſtiſſimis Mſſ. reperiuntur. Eam denique anno a Chriſti adventu 55. Epheſo ad Galatas miſſam & nos arbitramur, quod validioribus argumentis hæc opinio innitatur.

DISSERTATIO

An Cephas, quem Paulus Antiochiæ redarguit, alius fuerit a S. Petro, Gal. 2, 11.

VEtuſtiſſimam diſſenſionem perpendendam aſſumimus, quæ vel priorum ætatum ſpectatiſſimos Authores, qui utram ſententiam tuentur, in contraria diſtraxit. Hæc ſane quæſtio Petri, & Pauli, totiuſque Catholicæ Eccleſiæ permagni intereſt; hinc enim noſtræ Fidei hoſtes Petrum prævaricatorem, Paulum vero zelotypum & audacem fuiſſe, noſtram vero Religionem ambiguam, atque incertam collegerunt. Quæſtionem facti primum hic ſtatuere oportet, videlicet, an is, quem Paulus Antiochiæ redarguit, Petrus fuerit necne. Quæſtionem deinde juris, & ceteras ejus connexiones perpendemus.

In Epiſtola, quam Paulus ad Galatas dedit, hæc legenda occurrunt [14]: *Poſt annos quatuordecim*, ex quo Jeruſalem ſe contulerat, tribus poſt annis a ſui converſione [15], ſeu tantummodo in itinere, quod *quatuordecim poſt annis* a ſui converſione inſtituit [16], *iterum aſcendit Jeroſolymam*. *Aſcendi autem*, inquit Apoſtolus, *ſecundum revelationem, & contuli cum Apoſtolis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ſeorſum autem iis, qui videbantur aliquid eſſe, ne forte in vacuum currerem, aut cucurriſſem. Qui cum vidiſſent, quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro Circumciſionis, (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum Circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes) & cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ ſocietatis; ut nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſione .... Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat ...... Dixi Cephæ coram omnibus &c.*

Mentio, qua brevibus his verborum finibus bis nomen *Petri*, verſu nempe 7. & 8. ter nomen *Cephæ*, verſu 9. 11. & 14. invenitur, Interpretibus ambiguitatem creavit. Quidam enim utrumque nomen Petro commune fuiſſe ſibi ſuadentes, Paulum Petro exprobraſſe tuentur. Quidam vero ſubſcribentes oppoſito, Cepham, cui Paulus exprobravit, alium omnino a Petro aſſeverant. Hæc autem ſententia paucos nacta eſt fautores; illi vero omnes prope non modo veteres, ſed & recentiores Patres & Interpretes adhæſerunt.

Sunt, ait S. Hieronymus [17], qui Cepham, cui in faciem Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, non putent Apoſtolum Petrum, ne locus detur Porphyrio blaſphemanti, ſi aut Petrus erraſſe, aut Paulus procaciter Apoſtolorum Principem confutaſſe credatur. Porphyrius revera Apoſtolorum Principes de iis, quæ docebant, inter ſe non conveniſſe hinc deducens, Petrum erroris, ambitionis Paulum, utrumque mendacii, & totam Eccleſiam inanis credulitatis inſimulat. *Volens & illi* [*Petro*] *maculam erroris inurere, & huic* [†] [*Paulo*] *procacitatis, & in commune ficti dogmatis accuſare mendacium, dum inter ſe Eccleſiarum*

(1) *Galat.* 4. 8. *&c.* (2) *Gal.* 5. 1. (3) *Gal.* 4. 8. (4) *Gal.* 5. 2. (5) *Grot. Proleg. in Epiſt. ad Galat. Ita & Hamm.* (6) *Gregor. Magn. Moral. in Job. lib.* 30. *cap.* 8. (7) *Lodovic. Capell. Hiſt. Apoſtol.* (8) *Uſſer. ad ann.* 58. (9) *Pearſon. Annal. Paul. p.* 15. (*) *Tillemont. in S. Paul. art.* 29. *Mill. not. in ſubſcript. hujus Epiſt. alii.* (10) *Chryſoſt. in Rom. Proleg.*

(11) *Hieronym. in Gal.* 6. 11. (12) *Theodoret. in Paul. Proleg. pag.* 5. (*) *Galat.* 6. 17. (13) 2. *Corint.* 4. 10. (14) *Galat.* 2. 10. 14. (15) *Galat.* 1. 18. *Act.* 9. 25. *&c.* (16) *D. Th. Cajet. Perer. in Epiſt. ad Rom. Baron. Ann. Chr.* 51. *Harduin. Diſſert. in hunc locum. Eſtius &c.* (17) *Hieron. in Galat.* 2. 10. (†) *Porphyr. apud Hieronym. Proleg. in Ep. ad Galat.*

rum Principes diſcrepent. Hic Catholicorum infenſiſſimus hoſtis S. Paulo, veluti homini procaci, & S. Petri dignitatem ægre ferenti, detrahit; & eam quæſtionem veluti puerorum quamdam diſceptationem habendam enunciat (*): minime intelligens, quanti Religionis tunc id intereſſet, quod tam Judæi, quam Ethnici, qui recens Fidei nomen dederant, Legalia inania eſſe, nihilque ſaluti conducentia, omnino ſuaderentur.

Hinc Origenes, & veteres Interpretes Græci, teſte Hieronymo (1), ut Porphyrii calumniam everterent, Paulum, de Petri conſilio ipſi Petro exprobraſſe eſſerunt; cum enim eadem uterque ſentirent, eadem gererent, & de omnibus & ſingulis convenirent, Petrus tamen Paulo ſuaſit, ut ſibi coram omnibus exprobraret, quo Judæi intelligerent, de Legalium inanitate, & de fidelium tam Judæorum, quam Gentilium libertate, qua ad eadem minime tenerentur, ſe quamplurimum perſuaſum eſſe oportere; cum libenti animo, veluti ſuo exemplo Legalium neceſſitatem comprobaret, redargui ab Apoſtolo pateretur.

S. Hieronymus Græcis Patribus non modo ſubſcribit (*), ſed addit præterea, totam diſceptationis ſeriem pia ſimulatione, ſanctaque politia de utriuſque Apoſtoli conſilio inſtitutam fuiſſe; ut a ſuis quibus pertinaciter nimium inhærebant, ceremoniis Judæos removerent. Quam Hieronymi explanationem perlectam (2) S. Auguſtinus improbavit; eumque datis litteris monuit, per illam aditum Ethnicis pateſieri, ut de Scripturarum ſimulatione, & Sacrorum Auctorum mendacio ſuſpicentur, quo quidem Catholica Religio omnimode everteretur. Si enim Paulus ficte Petrum redarguit, Petrus profecto dignus non erat, cur objurgaretur; ſi vero dignus objurgatione non fuerat, mendax Paulus, quod illum merito increpandum aſſeruit. Auguſtinus utique & Hieronymus Petrum eumdem eſſe ac Cepham, cujus mentio in Epiſtola ad Galatas, perſuaſum habebant; quare convenientes in facto, de quæſtione juris tantummodo diſceptabant.

Ad os Porphyrio, ait Auguſtinus, cæteriſque obſtruendum, id, quod Paulus geſſerat, commendandum oſtendere, quam infirmis, quæ nova adverſarii in noſtram perniciem arma exhiberent, excuſationibus defendere, latius fuiſſet (3): *Magis fuerat adverſus Porphyrium defendenda, quam ut ei daretur obtrectandi major occaſio*. Re enim ſatis expenſa, uterque potius laudibus eſt decorandus, quam ſit excuſationibus protegendus: etenim Paulus Charitati inſerviens, Apoſtolo dignam libertatem prætulit; Petrus vero objurgationem non rejiciens, maximum humilitatis ſpecimen exhibuit: *Eſt itaque laus juſta libertatis in Paulo, & ſanctæ humilitatis in Petro*.

Auctores Latini, qui de hac quæſtione poſt Auguſtinum egere, eidem ſententiæ ſubſcribunt. Ipſe etiam S. Hieronymus, cum aliquamdiu poſt adverſus Pelagianos ſcriberet, Petrum tunc erraſſe, Paulum vero jure merito ei exprobraſſe fatetur (4), & addit, nemini ſuccenſendum, ſi a peccatis omnibus non habeatur immunis, cum & Apoſtolorum Princeps erroribus ſe obnoxium duxerit: *Quis indignabitur id ſibi denegari, quod Princeps Apoſtolorum non habuit?*

S. Auguſtinus de hac eadem ſententia S. Cyprianum in ſua ad Quintum Epiſtola ſecum convenire teſtatur (5). Cui etiam favent Tertullianus (6) & Hilarius Diaconus (7). Poſt ea tempora Gregorius Magnus (8), D. Thomas (9) & clariſſimi nominis recentiores Interpretes eidem ſubſcribunt; quare, cum Veterum, quibus Hieronymus adhæſit, opinionem nemo in præſentia tueatur, diſceptationem hanc prorſus abſolutam cenſendam ducimus. De facti vero quæſtione, an nempe Petrus a Cepha ſecerni debeat, quod eſt præcipuum Diſſertationis argumentum, diverſimode dijudicandum. Vir doctiſſimus (10) ſententiam hanc jam prope extinctam nuper excitavit, Petrum prorſus alium e Cepha eſſe contendens. Præſtantiſſimus alter (11) hac de re opere inſtituto, oppoſitum tuetur. Mox utriuſque argumenta hic exhibemus.

S. Clemens Alexandrinus (12) in quinto ſuorum Hypotypoſeon libro, omnium primus, ut putamus, Cepham a Paulo Antiochiæ redargutum, alium prorſus a Petro eſſe defendit. Euſebius vero ejus, quam refert, ſententiæ minime reſiſtit. Sæculo quarto Dorotheus Tyrius Cepham, cui Paulus exprobrarat, inter ſeptuaginta Diſcipulos recenſet (13). Chryſoſtomus (14), Hieronymus (15), & Gregorius Magnus (16), ſua quilibet ætate quoſdam Cepham e Petro adhuc ſecernentes extitiſſe teſtantur; quam quidem ſententiam eorum nemo comprobat, ſed tum, dum viverent, neque incognitam, neque fautoribus prorſus deſtitutam oſtendunt.

Chronicorum Alexandrinorum Author (17) ſæculo ſeptimo ad A. J. C. 30. duos & ſeptuaginta Diſcipulos enumerans, *Cepham, quem propter Judaiſmum Paulus increpavit*, tertium recenſet. Quo quidem contentionem ab utroque Apoſtolo Antiochiæ habitam ſatis innuit. Oecumenius, qui decimo, & undecimo ſæculo floruit, ſententiam, quæ Petrum a Cepha ſecernit, probabilem vocat. Author denique Commentarii in Pauli Epiſtolas, S. Anſelmi nomine, ad duodecimum circiter, ſeu decimum tertium ſæculum pertinens, quorumdam meminit, qui an Cephas Antiochiæ a Paulo increpatus idem cum Petro fuerit, adhuc ambigebant. Hæ præcipuæ, quibus hæc ſententia fulcitur, auctoritates. Ad alia argumenta pergamus.

Paulus, ait P. Harduinus (18), anno a Chriſti adventu 35. Fidei ſe dedit; & anno 38. Æræ, tribus poſt annis a ſui converſione, primum Jeroſolymam profectus eſt. Undecim poſt annis a primo hoc itinere, & quatuordecim a ſui converſione (19), ut ea quæ illucuſque in Evangelii prædicatione geſſerat, (20) cum Jeroſolymitanæ Eccleſiæ Principibus conferret, iterum eo reverſus, ab Jacobo, Cepha, & Joanne, Diſcipulis a tribus Apoſtolis ejuſdem nominis longe aliis, dexteras accepit (21); e quibus etiam gentium Apoſtolus exceptus, Barnaba & Joanne ſociis ſibi aſſumptis, Antiochiam remigravit.

Petro tunc temporis Jeroſolymis commorante, Cephas, cujus modo ante mentio, aliquandiu poſt, nempe poſt Paſcha, Antiochiam profectus, Paulo & Barnabæ adhæſit, cum quibus una & cum Gentibus Fidei Catholicæ adjectis, quibus Legi minime ſubjiciendos fore ſpoponderant, convivebat. Interea Judæi quidem Fidem amplexi, qui Ethnicos ad Catholicam Religionem traductos Circumciſioni, cæteriſque Legalibus obſtringi volebant, Antiochiam, quo Diſcipulus Jacobus ab Apoſtolo alter, eos dimiſerat, pervenere. Quare Cephas ſe iis ingratum futurum veri-

(*) *Chryſoſt. tom. 5. hom. 64. p. 706. e.* S. Hieronymus pro hac ſententia Origenem, Didymum, Apollinarem, Euſebium, Edeſſenum, Theodorum Heracleæ, Chryſoſtomum, Theodoretum, aliosque Græcos. Caſſian. collat. 7. Græcis Patribus ſubſcribit. (1) *Vide Hieron. Ep. ad Auguſt. p. 75. nov. Edit. Oper. S. Auguſt.* (*) *Hier. Comm. in Epiſt. ad Galat.* (2) *Aug. Epiſt. 28. 40. & 71. nov. Edition.* (3) *Auguſt. Epiſt. 82. n. 22. nov. edit.* (4) *Hier. Dialog. cont. Pelag. l. c. 8. Vide & Auguſt. Epiſt. 260. ad Oceanum.* (5) *Cyprian. Epiſt. 71. ad Quint.* (6) *Tertullian. lib. 5. contr. Marcion. cap. 3.* (7) *Ambroſiaſt. ſeu Hilar. Diacon. in Galat. 2.*

(8) *Greg. Magn. lib. 1. Moral. cap. 12. & lib. 18. in Ezech.* (9) *D. Thom. in Galat. 2. & in Summa I. 2. q. 103. a. 4. ad 2. & 2. 2. q. 33. a. 4. ad 2.* (10) *Harduin. Diſſert. in hunc loc. Epiſt. ad Galat. 2. 10.* (11) *Boileau Canonicus S. Capellæ, Diſquiſit. Theolog. in Gal. 2. 10. Pariſ. 1713.* (12) *Clem. Alex. apud Euſeb. lib. 1. cap. 12.* (13) *In Chronico Paſchali Edit. Cang.* (14) *Chryſoſt. tom. 5. hom. 64. p. 719.* (15) *Hier. ad Galat. 2.* (16) *Greg. Magn. in Ezechiel. homil. 18.* (17) *Chronic. Alexandrin. pag. 213.* (18) *Harduin. Diſſertat. in Galat. 2. 10. Edit. Amſtelod. ann. 1706. pag. 920.* (19) *Ann. Chr. 49.* (20) *Galat. 2. 2. &c.* (21) *Galat. 2. 9.*

veritus, a Paulo, ceteriſque, quibuſcum antea diſcumbebat, Gentium Fidelibus diſceſſit; cujus exemplum Barnabas ſecutus, eorumdem conſuetudine abſtinuit. Paulus itaque ut iis, quæ ab ea ſimulatione facile erupiſſent, malis occurreret, Cephæ, quod coarguendus eſſet, coram omnibus exprobravit.

Poſt eam diſceptationem Paulus & Barnabas deſignati, ut ea de re Petrum conſulturi Jeroſolymam ſe conferrent. Julio ſeu Auguſto menſe eo profecti, quæ Antiochiæ contigerant, renunciarunt. Ad litem prorſus dirimandam Jeroſolymitanum Concilium coactum fuit [1]. S. Paulum, quæ Deus per ſe ipſum in Gentibus Fidei pariendis egiſſet, hic referentem Petrus, totuſque cœtus commendarunt, & decreverunt, ne impoſterum Gentibus ad Eccleſiam accedentibus Legis jugum imponeretur. Quo quidem Cepham, qui Antiochia non diſceſſerat, merito a Paulo redargutum comprobarunt.

Paulus & Barnabas una cum Juda, Joanne, & Sila Epiſtolas Apoſtolorum hac de re decretorias Antiochiam detulerunt [2]. Quare Fideles Gentium in ea, quam Paulus eiſdem ſpoponderat, libertate acquievere.

Aliquandiu poſt Paulo in Syriam & Ciliciam profecto, *Cephas* Galatiam & Corinthum contendit; Harduinus enim Cepham, propter quem Corinthii in partes diverſas diſtracti exclamarunt: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ* [3]; eſſe eumdem, cum quo Paulus Antiochiæ diſceptaverat, a Petro quidem omnino alium, arbitratur. Hoc ordine rem totam Harduinus componit: quo utique ſtatim fit, ut Paulus Antiochiæ Petro non exprobraverit, cum Petrus tunc temporis Jeroſolymis moraretur.

Neque itineris, quod propter diſceptationem cum Cepha Jeroſolymam uſque inſtituit, neque ipſius Jeroſolymitani Concilii, quod ad dirimendam litem coactum fuit, in Epiſtola ad Galatas Paulus unquam meminit; quod utique hac in quæſtione animadvertere operæ pretium ducimus; ii enim, qui Petrum a Cepha minime ſecernunt, Jeroſolymitani Concilii eum meminiſſe, contendunt, cum ſcribit ad Galatas [4] ſe cum Jacobo, Cepha, & Joanne, qui Eccleſiæ Columnæ habebantur, ea quæ geſſerat contuliſſe; eumque ab iiſdem, qui ſimul conſenſerant, ut Fideles Gentium ad Circumciſionem non adigeret, dexteras accepiſſe teſtatur. Tertium vero Pauli iter [5], quod ſtatuit Harduinus, qui ejus ſententiam oppugnant, nullatenus defendi poſſe aſſeverant. Nos tamen utri adhæreamus, adhuc non ſtatuimus.

Joannes, ita Harduinus rei ſeriem proſequitur, Joannes, Judas & Silas, qui Apoſtolorum Epiſtolas Antiochiam detulerant, paulo poſt Jeroſolymam ad eos, a quibus dimiſſi fuerant, reverterunt [6]. *Dimiſſi ſunt cum pace ad eos, qui miſerant ad illos*, ideoque & ad Petrum, qui Jeroſolymis adhuc commorabatur. Totam profecto difficultatem locus iſte conſtituit; qui enim Petrum a Cepha ſecernunt, ei omnino innituntur, quod tunc Petrus Antiochiæ non degeret. Quod infra nos perpendemus.

Ut Petrum a Cepha ſecernant, aliud argumentum inde hauriunt, quod alias Petrus in hæreſi incidiſſet; exemplo enim ſuo Circumciſionem & Legalia ad ſalutem neceſſario adhibenda & docuiſſet, & comprobaſſet; quod utique hæreſim prorſus olebat, præſertim poſt Jeroſolymitani Concilii, cui Petrus ipſe præfuerat, deciſionem; quo etiam fiebat, ut Gentium Fideles ad Legalia per vim cogerentur, ut Paulus Cephæ exprobravit [7]: *Quomodo Gentes cogis judaizare?* Cum vero Petrum hæreſi obnoxium aſſerere a pietate prorſus abhorreat, ſtatuendum eſt ſane a Petro alium fuiſſe, quem Paulus, utpote objurgatione dignum, increpavit.

Injuſta præterea hæreſis crimen non modo Petrum laceſſit, ſed & ab omni probabilitate, ut ea labe Petrus inficeretur, longiſſime abeſt. Poſtquam enim de totius Concilii Jeroſolymitani ſententia Gentium Fideles ad Circumciſionem minime adigendos eſſe protuliſſet; poſtquam Cornelium diu ante baptiſmate abluiſſet, & minime ad Circumciſionem compulſo, cum eodem diſcubuiſſet; poſtquam denique Jeroſolymæ Fidelibus, qui, quod Ethnici conſuetudine non abſtinuiſſet, offenſi fuerant, repoſuit [8]: *Si eamdem gratiam dedit Gentibus Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum; ego quis eram, qui poſſem prohibere Deum?* quomodo Antiochiæ ſeſe ei pavori, & infirmitati conceſſerit, ut ne Judæis ingratus evaderet, a Gentium Fidelibus diſcederet?

Si Petrus in hæreſim vere incidit, quid de ejus vita, doctrina, & conſiliis nobis fuerit cogitandum? Si ſemel a fide aberravit, cur bis, cur ter, cur centies etiam non defecerit? Si autem Apoſtolorum Princeps ita corruit, nonne & nutat noſtra Fides, ejus prædicatione, & teſtimonio quam maxime innixa? Paulus etiam anne Petro pluris habendus? anne ab erroribus magis immunis? Quæ igitur eorum verbis adhibenda Fides? Ecce, inquiunt, ad quas anguſtias redigimur, ſi Petrum, quod a veritate deficeret, merito a Paulo objurgandum fuiſſe tuemur.

S. Paulus in ſua ad Galatas Epiſtola Petrum & reverenter, & ejus conſueto nomine appellat [9]: *Qui videbantur eſſe aliquid, mihi nihil contulerunt; ſed cum vidiſſent quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut Petro circumciſionis, (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter Gentes) & cum cognoviſſent gratiam, quæ data eſt mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi &c.* Credibile ne fuerit, quod poſtquam bis Petrum ſuo nomine vocaverat, *Cepham* ſtatim ſequenti verſu appellet; neque eum ceteris, quos recenſet, præponat, ſed poſt Jacobum conſtituat, cum primam ei dignitatem numquam ademerit? Hæc nominis mutatio, hæc dignitatis inverſio nonne Paulum aliquatenus Petri contemptorem induerit? Adeone indigno majorem natu Apoſtolum, & Senatus Apoſtolici Principem Paulus accepiſſet? In Græcis exemplaribus hic locus diverſimode legitur: quam varietatem infra perpendendam ſuſcipiamus.

Cepham, quem Paulus redarguit, Barnaba, imo & Legatis, qui Jeroſolymis Antiochiam venerant, inferiorem ab ipſo Paulo habitum eſſe, ex ipſius Epiſtolæ [10] Textu inſinuari videtur; dicitur enim Cephas, poſt illorum adventum, a Gentium Fidelibus diſceſſiſſe; quare Judæorum ceteri, qui illucuſque cum eiſdem diſcubuerant, in eamdem ſimulationem devenare; ipſe vero Barnabas ceterorum exemplo adhærens, ab iiſdem Fidelibus abſtinuit. *Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem*. Ab eis, nempe Jeroſolymitanorum Legatis, non a Cepha, quod tanti ſibi non eſſet authoritatis, adductus refertur. Anne hic, vel Barnabam ſe Petro majorem reputaſſe, vel Apoſtolorum Principi a Paulo præferri voluiſſe autumemus?

Ex ipſa objurgatione, qua Paulus Cepham corripuit, argumentum, quo Cepham alium a Petro conſtituat, Harduinus deducit. Illum, inquit, imperio & authoritate coarguit, quin documentis de monitione fraterna in Evangelio a Chriſto exhibitis [11] uteretur, cum enim Chriſtus delinquentem, antequam palam redarguatur, clam primum corripi juſſerit, Paulus coram omnibus Cephæ, veluti Præceptor diſcipulo, imperioſe exprobravit. Paulum vero eam in Petrum ſibi authoritatem tribuiſſe, ut illum palam arguere ſui muneris eſſe duceret, ſeque eodem Petro ſuperiorem reputaſſe, nemo unquam crediderit.

Ex duobus Diſcipulis, quibus ad Emmaus vicum pergentibus ſe itineris comitem Chriſtus exhibuit, unum fuiſſe Cepham, eumdemque, quod de circumciſionis neceſſitate eos ſuadere conaretur, Galatis turba-

(1) *Act.* 15. 1. *&c.* (2) *Act.* 15. 22. (3) 1. *Cor.* 1. 12. (4) *Galat.* 2. 9. *Confer. Act.* 9. 1. *&c.* (5) Nulla fit mentio itineris Pauli & Barnabæ uſque Jeruſalem, de quo *Act.* 21. 19. quod ad hanc rem nihil pertineat. (6) *Act.* 15. 30. (7) *Galat.* 2. 14. (8) *Act.* 11. 17. (9) *Galat.* 2. 7. *&c.* (10) *Ad Galat.* 2. (11) *Matth.* 18. 15.

turbationem creaſſe, Harduinus conjectura comprehendit (1), contra quem etiam Apoſtolum loquutum addit, cum Epiſtolæ ad Galatas initio ſuam authoritatem roborat, ſuumque bis verbis Apoſtolatum confirmat: *Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum*. Qua in re Paulus utique Petro præſtantior minime fuerat; fuerat vero longe præſtantior Cepha, quem Chriſtus per ſemetipſum neque miſerat, neque erudierat.

Diſtractionis propter Cepham, & Apollo, qui ad Corinthios poſt Paulum conciones habuerant, exortæ cum ipſe Apoſtolus meminit, poſt ipſum Apollo Cepham collocat (2). *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ*. Si igitur de Petro egiſſet, anne ſibi & Apollo poſthabuiſſet? Se quidem, & merito, primi nominis Apoſtolum, & Cepha, & Apollo, quorum ille Diſcipulus, hic tantum Evangelii præco, longe majorem ſtatuit.

Alibi etiam Cephæ, ac ſi primos inter Apoſtolos non recenſeatur, Paulus meminit (3): *Numquid* ait, *non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi, ſicut & ceteri Apoſtoli, & Fratres Domini, & Cephas?* Nonne hic dilucide Apoſtolis, & Domini Fratribus, qui ex Apoſtolis non erant, inferiorem Cepham conſtituit.

Cephas, cui Chriſtus videndum ſe obtulit, ut in prima ad Corinthios (4), juxta Harduinum, alius forte a Petro ſtatuendus. Ex S. Luca Dominum *Simoni apparuiſſe* habemus (5), non vero antequam undecim Apoſtolis exhiberetur. Paulus autem Chriſtum primo Cephæ, deinde undecim Apoſtolis ſe obtuliſſe teſtatur: *Quia viſus eſt Cephæ, & poſt hæc undecim*. Cephæ igitur in Emmaus pergenti, eademque die ad veſperum undecim Apoſtolis Jeruſalem congregatis ſe Chriſtus exhibuit. Cephas itaque alius omnino eſt a Petro.

Ut primum Simonem Andreæ fratrem Dominus vidit, eumdem ſic eſt alloquutus (6): *Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas; quod interpretatur Petrus*. *Cepham* igitur Petrum ab iis Chriſtus appellari voluit, qui Syriace vel ſcriberent, vel loquerentur, a Romanis vero *Petrum*, *Petron* tandem a Græcis. Cum itaque Novi Teſtamenti Authores Græco idiomate ſcripſerint, Petrum ſemper ſuo nomine appellarunt, numquam *Cepham*. Quare, ſi Cephas hic dicitur, alius protinus a Petro cenſendus.

Harduinus adhuc validiſſimum, ut putat, argumentum exhibens, Patres, inquit, & Authores, qui Cephæ nomine hic Petrum accepere, Catholica Eccleſia rejecit, quod ſtatim ita probat: Qui Petrum hic accepere, eo ſunt ducti, quod pro *Cepha* ibi *Petrum* legerint: quam quidem lectionem Eccleſia rejecit, cum in Tridentino Concilio probaverit Vulgatam, quæ utroque loco *Cepham* præfert, minime *Petrum*, ut in Græcis Exemplaribus excuſis eſt reperire. Si igitur Eccleſia per Vulgatæ approbationem primam lectionem rejecit, rejecit etiam eorum ſententiam, qui Cephæ nomine Petrum accepere; hoc enim ab illo neceſſario inducitur.

Si denique Cephas idem cum Petro fuerit, ea explanatione abutuntur hæretici, ut ſummi Pontificis authoritatem infirment, ut Eccleſiæ Principem in rebus dirimendis infallibilem non eſſe oſtendant, atque Epiſcopum Præſuli ſuo, cum eo major nemo adſit, obſiſtere interdum poſſe tueantur.

Hæc argumenta præcipua, quibus P. Harduinus S. Paulum Antiochiæ non Petro exprobraſſe oſtendit, ſed Cephæ, uni ex Diſcipulis, qui pertinaciter circumciſionis & Legalium neceſſitatem defendebat. Nunc ad contraria.

1. Veteres, qui hujus ſententiæ fautores afferuntur, eo rem non duxerunt oportet, quo a ſyſtemate quod Harduinus ſibi proponit, detorquetur: ii enim, & eorum ſane plerique, Cepham a Paulo redargutum alium ab Apoſtolorum Principe aſſeruiſſe contenti, eo non ſunt progreſſi, ut Petrum nullibi, niſi ſemel apud Joannem (7), *Tu es Simon filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, Cepham appellari, & ceteris in locis, in quibus Cephæ mentio, de ejuſdem nominis Diſcipulo, a Petro longe alio, ſermonem inſtitui tenerentur.

Hypotypoſeon Liber, quem citat Euſebius (8), ubi Cephas unus ex ſeptuaginta Diſcipulis aſſeritur, omnino periit. Ejuſdem neque in Codice genuino S. Clementis, neque apud Authores Euſebii coævos ulla mentio. Illum præterea ipſe Euſebius Clementem tantummodo, non Clementem Alexandrinum appellat. Photium quidem ejus in ſua Bibliotheca meminiſſe, & ea propter ſæculo nono adhuc extitiſſe fateor; at ne verbo quidem hanc peculiarem S. Clementis de Cepha ſententiam Photius attingit; ſe tantummodo Hypotypoſes evolviſſe (9), eaſque craſſis erroribus, inanibus fabulis, & ſenſibus impiis refertas reperiſſe teſtatur; quorum exemplum aliquod referens, ſuum a veritate teſtimonium non diſcedere, ſatis oſtendit. Cl. Boileau, qui ſyſtema relatum ſtrenue refellit, an S. Clementis Alexandrini opus Hypotypoſes fuerint, opinione ſibi peculiari, videtur ambigere (10). Certo ſaltem conſtat, ejus generis, quod Photius refert, Opus nullatenus accommodum eſſe, ut in eo tanti ponderis factum contineatur; cui peſſima quidem baſis ſupponitur, ſi Hypotypoſeon imbecillæ nimium, & nutanti authoritati commendetur.

Miror equidem tam e ſententiæ Petrum a Cepha ſecernentis fautoribus, quam ab ejuſdem oppugnatoribus, productum non fuiſſe Chryſoſtomum, qui dilucide eos improbat, qui an Petrus Cephas fuerit, ambigebant. Æque enim allegari poterat ac Hieronymus, qui eam opinionem nonniſi oppugnaturus adducit; poteratque etiam veluti affirmantis ſententiæ fautor proferri, ſi authoritati authoritatem libuiſſet opponere. Ait igitur Chryſoſtomus, quoſdam ut difficultatem explicare, ut Petrum hunc (ſic enim legit ipſe pro Cepha) minime illum eſſe dicerent, qui Princeps eſt Apoſtolorum, cui dominus ovium ſuarum curam tradiderat, ſed alium, e vulgo, & ſine nomine homunculum. Quæ vero ſubdentur, hanc opinionem confirmare. Barnabam etenim ipſum in eamdem ſimulationem prorupiſſe: quæ quidem verba, ſubdit S. Chryſoſtomus, innuere videntur, majori dignum eſſe admiratione, quod Barnabas ipſe erraverit, quam vir ille; qui Petrus appellatur. Barnabas vero Petro inferior profecto eſt.

Hanc difficultatem ſolvens Chryſoſtomus, non inde aſſerit majorem creatam eſſe admirationem a Barnabæ ſimulatione, quod ipſe Barnabas Petro præferretur, verum quod cum eſſet Pauli comes, ad Ethnicos erudiendos Præco conſtitutus, nihilque cum Judæis ei eſſet agendum: nihilominus Petri, & ceterorum ſimulationem fuerit ſequutus, qui Judæorum aſſidua conſuetudine utebantur, & Judæis Evangelio imbuendis potiſſimum fuerant mancipati. Illud vero, addit Chryſoſtomus, eo loco Petrum vere affici oſtendit, quod id omne, ſeu quod præmittitur, ſeu quod ſubſequitur, ad Petrum dilucide pertineat.

Sententiæ Cepham e Petro ſecernenti Hieronymum minime favere, omnibus eſt compertum, aperte enim mentem ſuam exhibet (11): *Sunt qui Cepham, cui hic in faciem Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, non putent Apoſtolum Petrum, ſed alium de ſeptuaginta Diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum*. Quibus ſtatim ſubjungit, ſibi de alio Cepha prorſus non conſtare, præterquam de illo, qui in Evangelio, & in Pauli Epiſtolis modo *Petrus*, modo *Cephas* appellatur. *Quibus primum reſpondendum, alterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen, niſi ejus, qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa,*

---

(1) *Diſſert. in hunc loc. §. 9. 10. pag. 957.* (2) *1. Cor. 12. & 3. 22. 6.* (3) *1. Cor. 9. 5.* (4) *1. Cor. 15. 5.* (5) *Luc. 24. 34.* (6) *Joan. 1. 42.* (7) *Joan. 1. 42.*

(8) *Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 1. c. 12.* (9) *Phot. Biblioth. Cod. 109.* (10) *Boileau Diſq. Theol. in hunc loc. Pariſ. 1613 n. 10. pag. 57. &c.* (11) *Hier. in Gal. 1. p. 244. nov. Edit.*

ſa, *modo Cephas, modo Petrus ſcribitur*. Ceterum, addit Hieronymus, ad os Porphyrii blaſphemantis obſtruendum Cephas alter produci debeat, ne Petrum hic erraſſe nos fateri cogamur, per plurima etiam Scripturæ loca, quæ hic Eccleſiæ hoſtis idcirco tantum oppugnat, quod non intelligat, delenda eſſent.

Sancti Auguſtini mentem hic afferre ſupervacaneum ducimus, cum ſe ſibi de Cepha a Petro non ſecernendo quam maxime ſuaſiſſe, omnibus ſit perſpicuum. Nos adhuc de quæſtione juris, & de cauſa, quare Paulus ei exprobraverit, ejus ſententiam ſupra attulimus.

Dorothæi Tyrii teſtimonium iidem ipſi, a quibus affertur, quanti ſit faciendum, dijudicent. Propter nugatorias fabulas, quibus ſtatet, nullius fidei Author reputatur; cumque viri docti vel numquam allegant, niſi ut oppugnent, vel ut quaſdam falſas & commentitias opiniones jam cognitas quarto ſæculo perhibeant. Idem Dorothæus Cepham, quem ſeptuaginta inter Diſcipulos enumerat, *Conie*, forte Iconii, ſeu alterius urbis, forte eidem ipſi incognitæ, Epiſcopum ſtatuit. Ejus Opus ambiguorum, & apocryphorum congeries eſt.

Gregorius (1) Magnus, in Petri virtutibus defendendis nemini plane ſecundus, eumdem in ſimulationem (*Non ſolum culpam, ſed quod eſt majus, hypocriſim*) incidiſſe, & merito a Paulo redargutum ultro fatetur. Eos præterea repoſuit, qui Petro obſequuturi, non Apoſtolorum Principem, ſed ejuſdem nominis alium quemdam exprobratione dignum a Paulo increpatum tuentur. *Sunt nonnulli, qui non Petrum Apoſtolorum Principem, ſed quemdam alium eo nomine, qui a Paulo ſit reprehenſus, accipiunt. Qui ſi Pauli ſtudioſius verba legiſſent, iſta non dicerent.* Demiſſum ac mitem Petri animum laudibus attollit, quod Pauli Epiſtolas, quibus ipſe objurgatione dignus perhibetur, vehementer commendat. Eas ſane, ſubdit Gregorius, Epiſtolas Petrus legerat, quod eaſdem alleget, atque extollat: ſuis itaque, quod de ſe ſcripſerat Paulus, oculis perceperat: *Amicus ergo veritatis laudavit etiam, quod reprehenſus eſt quatenus cui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus & in humilitate.*

Inter Authores, qui Cepham a Petro ſecernunt, allatus eſt Oecumenius (2), qui ſæculo undecimo floruit, quique Cepham ab Euſebio unum ex Diſcipulis ſeptuaginta habitum refert, & *hanc ſententiam probabilem* appellat. Quod quidem teſtimonium Hypotypoſeon authoritati nihil addit. Ceterum Oecumenius eam probabilem appellaſſe contentus, minimi eamdem feciſſe ſatis oſtendit.

Commentarium qui ſub S. Anſelmi nomine diu latuit, Hervæo Natali Britanno, qui, teſte Bellarmino (3), ann. 1325. florebat, nonnulli attribuunt (4): Gerberonius vero Hervæum Monachum Bugidolenſem ejuſdem Authorem profert. Omne ſane S. Anſelmo recentiorem eſſe conveniunt: Hujuſmodi autem Scriptor novi nihil producit, & inſtar præclarorum Interpretum, quoſdam extitiſſe refert, qui Apoſtolorum Principem a Cepha ſecernerent: quam tamen ſententiam neque aſſumit, neque tuetur.

Contra pauciſſimos, qui ſententiam Petrum a Cepha ſegregantem vel probant, vel modo proponunt, omnium hucuſque ab Eccleſiæ initio ætatum, omnium in hunc locum Interpretum, & vetuſtiſſimorum Græcorum Exemplarium, quæ (adeo Petrum eumdem cum Cepha eſſe conſtabat) pro *Cepha* hic *Petrum* legebant, unam vocem, & conſenſum producimus. Hinc factum eſt, ut Tertullianus (5), Hieronymus, Auguſtinus, Hilarius Diaconus, Gregorius Magnus pro Cepha Petrum invexerint. Ita etiam legunt Veteris Vulgatæ Exemplaria, Claramontis & S. Germani Pratenſis Mſ. celeberrima, Mſ. D. Bornier, quod in Novi Teſtamenti D. Millii recentiori editione, a Kuſtero vulgata, allegatur.

Præterea hæc Mſs. Tertullianus, Ambroſiaſter, ſeu Hilarius Diaconus, & Theodoretus, ubi Vulgata, & Græcum impreſſum exhibent, *Jacobus, Cephas, & Joannes* (6), legunt: *Petrus, Jacobus, & Joannes*. Paulo vero poſt, verſu nempe 11. cum Græco impreſſo cohærent, & *Petrum* ingerunt, ubi Vulgata, & plurima præclariſſima Græca Exemplaria (7) Mſs. præſertim Alexandrinum, quod ad decem & tria ſæcula vetuſtatem ſuam protrahere dicitur, plura denique Latina exemplaria *Cepham* præferunt. Quam quidem lectionem veram eſſe, atque vetuſtam, & a plurimis præſtantiſſimus Mſs. Græcis, ab Alexandrino potiſſimum, quo Cyrillus Lucar Magnæ Britanniæ Regem donavit, a pluribus etiam Mſs. Latinis allatam fateor. Ea denique lectio Clementis Alexandrini, Euthalii, & Euſebii Cæſarienſis adhuc ætate, ut citatum Hypotypoſeon teſtimonium præfert, invaluerat. Et quidem ſi alia fuiſſet genuina lectio, numquam de Cepha cum Petro confundendo dubitatum fuiſſet.

Earum variarum lectionum primos Authores, quicumque ii fuerint, hæreticos S. Sedis infenſos, vel callidos Scripturarum corruptores, vel ſaltem rudes Scriptores, qui imprudentes hæreticis faverint, ſi quis fuiſſe aſſeveret; Sanctorum Patrum, & clariſſimorum Iterpretum plurimos graviſſime quidem, immerito, & injurioſius criminaretur. Eo in loco de Petro ſermonem inſtitui, & Petrum eumdem eſſe ac Cepham, Veteres omnes credidere. Ad æquivocis aditum prorſus intercludendum, Mſ. Alexandrinum *Kephas* appoſuit; ubi Græcum & Latinum exhibebant *Petrum*; alii vero *Petrum* intulere, ubi in vetuſtis Latinis & Græcis Textibus *Cephas* præferebatur. Quæ ſane omnia idcirco tantummodo inſtituta ſunt, ut lectorum errori occurreretur; & forte ut eorum ſententia interciderentur, qui, veluti Hypotypoſeon Author, Cepham quemdam alium a Sancto Petro, Veteribus omnibus prorſus ignotum, cujus ne minima quidem in Scripturis mentio, inferre ſtudebant.

Argumentum a Chronologia petitum nunc evertamus. Ejus utique ſi ſtet veritas, cetera, quæ ad eamdem ſententiam improbandam afferrentur, infirma corruerent. Si enim cum Paulus Cepham redarguit, Antiochiæ Petrus non aderat, Cepham alium eſſe a Petro exploratum utique habemus.

De tempore, quo Jeroſolymis coactum ſit Concilium, minime conveniunt; ab his enim A. 49, ab illis vero A. 51. conſtituitur. Ejus quidem epocham omnes repetunt ex illo Epiſtolæ ad Galatas, ubi Paulus (8) *quatuordecim poſt annis* Jeroſolymam profectus enunciatur. Inde fit, ut quidam quatuordecim poſt annis a ſui converſione eo ſe contuliſſe putent, & A. 49. Concilium ſtatuant; quidam vero quatuordecim poſt annis a primo itinere, quo Jeroſolymam profectus eſt a ſui converſione anno tertio, illuc perrexiſſe tueantur (9), & anno 51. Concilium conſtituunt.

Utrum præterea Concilium ante, an poſt Pauli, & Cephæ diſſidium Jeroſolymis coactum fuerit, adhuc diſcrimen. S. Auguſtinus & alii (10) ante alii vero poſt eam diſceptationem congregatum defendunt. Qua de re certi nihil neque allatum, neque adhuc compertum; quod tamen hic maximi intereſt; etenim ſi argumentum, cui Petrum a Cepha ſecernens ſententia innititur, ſola conjectura fulciatur, adverſa opinio utique de ea triumphum jam ſatis agit, cum maxime juſtificatur a Patribus, (11) Interpretibus, & iiſdem Scripturæ Textibus adeo eidem faventibus, ut ſola eorum evidentia omnes prope ad eamdem adduxerit.

Quoniam vero de Chronologia digerenda, requidem

---

(1) *Gregor. Magn. lib. 18. Moral. in Job num. 10, 11.* (2) *Oecum. in Galat. 2.* (3) *Belar. l. de Script. Eccleſiaſt.* (4) *Harduin. & Boileau locis citatis.* (5) *Tertullian. lib. 5. contr. Marcion. capit. 3.* (6) *Galat. 2. 9.*

(7) *Steph. in Cod. Alex. Barb. 2. Petit. 3. Colb. 7. Cor. 2. Copht. Velez.* (8) *Galat. 2. 1.* (9) *Galat. 1. 18.* (10) *Auguſtin. Epiſt. 82. nov. Edit. pag. 193.* (11) *Pelag. II. Papa t. 5. Concil. pag. 662. Ita Harduin Vorſt. Piſcat. Grot.*

dem a Scriptura petita ; arbitraria vero quoad ſui circumſtantias, agitur, noſtram ab Apoſtoli converſione annorum ſupputationem docemus. Paulus igitur anno poſt Chriſti Reſurrectionem, nempe J. C. 34. Fidem amplexus, & tribus (1) poſt annis, nempe Chriſti 37. Jeroſolymam profectus Chriſti fidelium eleemoſynas Antiochiæ collectas delaturus, eo iterum reverſus eſt (2). Antiochiam regreſſus, ibique Gentium Apoſtolus iterum conſtitutus, iis Fidem allaturus, Cyprum, Pamphyliam, Piſidiam, Lycaoniam, Galatiam, aliaſque Provincias peragravit, uſque ad annum 51. quo Jeroſolymam reverſus eſt collaturus cum Apoſtolis, quod ſcilicet Ethnicos ad fidem deductos nulli Circumciſioni adegiſſet (*). Concilium tunc Jeruſalem ideirco coactum eſt, quod Judæorum quidam Fidem recens amplexi, & adhuc de Lege ſolliciti, eam ad ſalutem prorſus neceſſariam enixe defenderent (3). A Concilio itaque dirempta lite, & Apoſtoli doctrina comprobata, Paulus Antiochiam redit una cum ſociis, ab Apoſtolorum conſenſu dimiſſis, ut de iis, quæ ſtatuerant, per Epiſtolam, quam deferebant, Eccleſiam Antiochenam admonerent. Poſt Pentecoſten, vel, ſi lubet, circa Septembrem, ſeu Octobrem Concilium hoc coactum arbitramur.

Aliquanto poſt Cephas ipſe, ſeu Apoſtolorum Princeps Antiochiam migravit : ſed ante, an poſt eorum, qui dimiſſi fuerant, reditum decernimus, licet vero ſimilius poſt reditum arbitraremur, cum legatur in Actis (4): *Facto ibi aliquanto tempore, dimiſſi ſunt cum pace a Fratribus ad eos, qui miſerant illos*. Cum igitur res probe geſtas, & Concilii ſententiam Antiochiæ optime exceptam. Petrus ab iiſdem, qui redierant, accepiſſet, eo & ipſe ſe contulit: cum Fidelibus Gentium & circumciſis aliquamdiu convixit, & eorum conſuetudine & menſis minime abſtinuit. Quibuſdam interea fratribus a Sancto Jacobo Antiochiam profectis (5), Cephas circumciſos Judæos, Moyſis Legem una cum Evangelio adhuc profitentes veritus, a Gentibus diſceſſit.

Hinc factum eſt, ut Jeroſolymis Concilium poſt hæc coactum fuiſſe nonnulli ſibi ſuaſerint: ſi enim, inquiunt, ea de re ſolemniter ſtatutum fuerat, anne S. Petrus iis, quæ in Concilio cum Jacobo & Joanne ipſemet decreverat, adhærere erubuiſſet, & Jeroſolymæ Fratres de ſe permiſſa, & quibuſdam ante menſibus authentice ſancita offenſionem accepiſſent?

Quibus eodem fere argumento reſpondemus. Si ambigua & ſub judice adhuc res fuerat, anne Petrus promiſcue cum Gentium Fidelibus diſcumbens, Judæorum Fidelibus, qui Antiochiæ degebant, offenſionem creare ſe paſſus eſſet? Paulus vero, qui humilitate præſtabat, primamque Petri Dignitatem optime ſciebat, anne coram omnibus Apoſtolorum Principi exprobrare auſus fuiſſet?

Utcumque fuerit, hoc enim ambiguum, & problematicum ultro fatemur, Sanctus Paulus ea, quæ illoc uſque docuerat, a Petri exemplo everti perpendens, ejus enim ſimulatio circumciſis Fidelibus legalium neceſſitatem obtrudebat, ſui muneris eſſe duxit Petrum arguere, quod ſibi exprobratione dignus videretur.

Jeroſolyma vero Antiochiam iter res certe tanta non erat, ut tempus ad conſultandum & conficiendum expoſceret. Hanc & illam Gallicæ leucæ 125. interjacent, quæ quidem minus diebus quindecim abſolvuntur. Petro itaque tempus ſupererat, quo poſt illorum, quos Antiochiam dimiſerat, reditum, eo & ipſe contenderet ante Paſcha anni 58. quo adhuc tempore, ſeu paulo ante, Paulus, & Barnabas Antiochia diſcedentes, ad Gentes concionibus erudiendas perrexere (6). Hæc utique rerum, quæ in Actis & in Epiſtola ad Galatas recenſentur, conſtitutio, neque a temporum ordine, neque ab hiſtorica veritate nonnihil diſcedit. Quare argumentum inde deductum de abſentia Petri Antiochia, per ſe ipſum infirmatur, & prorſus evertitur.

Abſurda, quæ ſententiæ Petrum a Paulo redargutum defendenti tribuuntur, nihili profecto facienda. Petrum tunc fuiſſe impeccabilem nemo unquam dixerit; Pontifices autem ejus ſucceſſores peccandi potentia expertes ſe nullatenus oſtentarunt. Petrus fragilitatis peccato deliquit; optime vero de iis, quæ cum Apoſtolis in Concilio Jeroſolymitano decreverat, ſemper ſenſit; legalia tum quoque interius improbans, nulli errori pertinaciter adhæſit, & a Pauli mente ne in minimis quidem diſcrepavit.

Nulla igitur in Petro hæreſis, labes, nil prorſus, quod Apoſtolorum Principem, ſucceſſoreſque Pontifices injuria nimium contumelioſa afficiat. Tum Petrus de iis, quæ ſui ſimulatione induci poterant, non cogitavit; Paulus mentis aciem ulterius defixit, & futura veritus ad Petro exprobrandum animos ſibi adjecit, *Paulus ſane reprehendit Petrum*, inquit Tertullianus (7), *non ob aliud tamen, quam ob inconſtantiam victus, quem pro perſonarum qualitate variabat, non ob aliquam Divinitatis perverſitatem*. Petrus ei indulgentiæ conceſſit, quæ vel ab honeſtis aliquando abſtinendum ſuadet; ne debilibus offenſiones ſtruantur. Paulus vero ea proſpexit, quæ Fideles ad Legalium neceſſitatem comprobandam a Petri exemplo forte exhauſiſſent.

Quod vero Petrum impeccabilem non fuiſſe fateamur, non ideirco dogmata, vel quæ docuerit, vel quæ ſcripſerit, infallibilia non eſſe, & veluti ipſius verba non accipienda, jure merito inducitur. Chriſtus enim, qui Apoſtolos miſit, Spiritu ſuo perfudit, eorumque doctrinam plurimis miraculis comprobavit: per eoſdem, dum ſuo nomine verba facerent, ſe quidem loquuturum (8) pollicitus fuit; non vero ab omnibus prorſus peccatis, præſertim a minimis, ſe eos vindicaturum ſpopondit.

Argumentum inde depromptum, quod intra paucas lineas in Epiſtola ad Galatas bis *Petrus* (9) deinde ſtatim (10) *Cephas* appellatus fuerit, omnium profecto infirmiſſimum arbitramur. Duobus nominibus præditus eadem forte pagina decies hoc, decies illo nequeat appellari? Petrus ſane tribus nominibus, Simone, Petro, & Cepha, vocabatur. *Licet autem Paulus Cepham ibi non præponat Jacobo, ſed Jacobum inter & Joannem medium conſtituat, non ideirco obſequio defuit, aut Apoſtolorum Principis dignitatem diminuit. Eo enim loco de ejus Primatu nulla quæſtio. Sacri præterea Authores, ſicuti & vulgares Scriptores, eorum, quorum meminerint, dignitati non ita adhærent, ut interdum non ſupponant præferendos, & ſupponendos non præferant, præſertim ſi aliqua lege nil cautum fuerit, Apoſtoli interdum Chriſtum ante Deum Patrem memorant (11). Paulus Priſcam ſæpe ante (12), ſæpe poſt Conjugem ejus Aquilam locat (13). In Geneſi Sem Noe filius ſemper præponitus, tametſi eorum ſecundus veroſimilius fuerit. Moyſes Aaron, licet natu minor, præfertus. Veterum Conciliorum extant Acta, in quibus plures juniores Epiſcopi ante ſeniores ſubſcribunt. Hæc ſatis, ut iis locis omnibus, quibus nominum ordo invertitur, occurramus.

S. Chryſoſtomus in eadem, quam ſupra attulimus, ſua authoritate [14] ſatis objectionem occupavit,

(1) *Galat.* 1. 18. (2) *Act.* 11. 29. 30. (*) *Act.* 15. 1. *&c.* (3) *Act.* 15. 1. *&c.* (4) *Act.* 15. 33. (5) *Galat.* 2. 12. *Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat (Petrus): cum autem veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe, timens eos, qui in circumciſione erant.* (6) *Act.* 15. 36. (7) *Tertullian. lib.* 5. *contr. Marcion. capit.* 3. (8) *Matth.* 10. 19.

(9) *Galat.* 2. *verſ.* 7. *&* 8. (10) *Galat.* 2. *verſ.* 9. 11. *&* 14. (11) *Galat.* 1. 1. *Sed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem.* 1. *Joann.* 2. 24. *In filio & Patre manebitis.* (12) *Rom.* 16. 3. *Salutate Priſcam, & Aquilam. Ita* 2. *Timotheus* 4. 19. *Vide & Act.* 18. 18. 26. (13) 1. *Corinth.* 16. 19. *Act.* 17. 2. (14) *Chryſoſtom. tomo* 5. *pagin.* 719. 720.

pavit, quæ ab eo Actorum loco ducitur, ubi hæc leguntur: *Ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem*; ac ſi Petro, ſeu Cephæ ceteriſque Judæis, qui Petri imitatores a Gentium conſuetudine diſceſſerant, ipſe Barnabas major extitiſſet. S. Lucas inter Petri & Barnabæ dignitatem minime ſecernit, ſed præcipuum Barnabæ munus perpendit, cujus, quod Pauli ſocius eſſet, præ viribus Gentes Legalibus minime ſubjiciendas defendere omnino intererat, cum eorum uterque Gentium Apoſtolatui potiſſimum fuerit mancipari.

S. Paulum authoritate quadam S. Petro acriter exprobraſſe, haud equidem ſuperbiæ, & procacitati tribuendum, imo vero ejus maximo veritatis amori, & metui jure graviſſimo, ne Principis Apoſtolorum exemplo Antiocheni Fideles Circumciſioni, Legalium neceſſitatem tenerent. Quo quidem & Auguſtinus [1], & Magnus Gregorius [2] dilucide exhibuere, ut nos ſupra attulimus.

Qui apparitionem, qua Chriſtus ſe videndum exhibuit Cephæ, aliam putant ab ea, qua ſe obtulit Simoni, ſeu Sancto Petro, Evangeliſtarum Textui adverſari videntur. Refert Sanctus Lucas [3] duos Diſcipulos ab Emmaos Jeroſolymam regreſſos eſſe, ut undecim Diſcipulis, quæ ſibi in itinere evenerant, enunciarent; quibus Apoſtoli de Domini, qui apparuerat, reſurrectione ſe conſcios eſſe aſſeruere. Cum vero duo itinerantes Apoſtolos adhuc alloquerentur, Chriſtus Dominus omnibus ſe ſpectandum præbuit. Hoc ſane innuit Paulus, aſſeverans Chriſtum *viſum eſſe Cephæ, & poſt hoc undecim* [4]. Quare hunc Apoſtoli locum veram hic Sancti Lucæ interpretationem habendum arbitramur. Qua hora Chriſtus Petro apparuerit, incertum; ei vero apparuiſſe, antequam undecim Apoſtolorum cœtui ſe exhiberet, exploratum. Lucæ Evangelium a D. Paulo ut plurimum allegari, merito hic animadvertendum ducimus.

Quod Tridentinum Concilium Vulgatam probaverit, non continuo tamen reprobaſſe cenſendum eſt Textum Græcum, & Authores Veteres, qui eumdem adhibuere; nec inde pariter conſecraſſe ſuſpicaremur errores, qui vel in Latina Verſione cum Originalibus collata offendi queant; ſicut nec viciſſim Vulgatam ipſam ad Originalium, quæ extant, normam ſemper componendam voluiſſe. Ea omnia cognitionem & prudentiam quam maximam ſibi expoſtulant. Illud ſane conſtat, quod Eccleſia priorum Textuum authoritatem aut infirmare, aut evertere numquam voluerit; alias ſe ipſam oppugnaſſet, & verſionum omnium, quæ ab eiſdem exhauſtæ ſunt, fidem infirmaviſſet. Authentica & Canonica quæcumque fuerit Verſio, Verſio ſemper reputabitur; Originale haberi non deſinet [5]. Numquam eo adducemur, ut Patres, qui *Petrum* pro *Cepha* legerunt, & veteres, recentioreſque Interpretes, qui *Cepham* pro *Petro* accepere, ab Eccleſia improbatos eſſe ſuadeamur. Ita enim fieret, ut eadem Eccleſia olim reſpuiſſet, recenſque eam reſpueret Doctorum, ſuique ſaurorum patrem, quæ ceteris & pietate & ſcientia præſtat, omnibuſque Eccleſiæ ſæculis ab eadem, quam prætulimus, lectione non diſceſſit.

Si Religionis Catholicæ hoſtes, veluti Porphyrius; ſi veteres & recentiores Hæretici; ſi ii, qui S. Sedis authoritatem infirmare conantur, hujus Diſſertationis loco abuſi ſunt, ne demiremur: ubi enim Scripturæ textum invenire fuerit, quod impii, & hæretici improbe & perverſe non corruperint, & uſu iniquo non exercuerint [6]? Donec eidem, cui nos, hujus loci interpretationi adhæſerint, eo numquam abuſuros pollicemur. Catholica & Romana Eccleſia numquam ſibi ſuaſit, Pontifices ſibi a Deo conſtitutos iis quotidianis erroribus expertes omnino ubire, in quos, infirmitate humana impellente, vel majori lumine & ſanctitate donatos ſæpe prolabi ultro fatemur.

In exordio Epiſtolæ ad Galatas noſtrum de iis conjecturam præpoſuimus, adverſum quos Paulus Apoſtolatum ſuum ſtabiliens, Apoſtoli dignitatem, nullo aliorum miniſterio interpoſito, ab ipſomet Chriſto ſibi collatam extollit [7]. Petrum non cum Cepham, quem ex ſeptuaginta Diſcipulis unum volunt, in Galatia concionatum arbitramur: quod utique per ſuam Epiſtolam ad diſperſionem Ponti, Galatiæ, Cappadociæ &c. ſatis ſuperque præfertur. Paulus ſeu ante, ſeu poſt Petrum, ad Galatas conciones habuit; cum vero, poſtquam & Petrus & Paulus inde diſceſſerant, quidam Petri Diſcipuli eo perveniſſent, Paulo obloquentes, hominem authoritate, & miſſione deſtitutum; Legis everſorem, & Doctrinæ, quæ a ceteris Apoſtolis longe aberat, Præconem appellabant. Quare hic Apoſtolus, ut os eiſdem obſtrueret, *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum*, verum Apoſtolum ſe oſtendit.

Apoſtolus præterea, quin Cephæ, ſeu Petri, cujus iidem Judæorum Præcones dignitatem & auctoritatem evehere ſatagebant, Primatum, & Principatum nulli utique diſcrimini obnoxium tangat, nihil ab eo accepiſſe, ſuamque Doctrinam & Apoſtolatum ab ipſo Cepha, & præclariſſimo Jeroſolymæ cœtu comprobatum prætert. Idcirco igitur Petri primatum in Epiſtola ad Galatas Paulus non extollit; non quidem quod Apoſtolorum Principem minimi faceret, vel contemptui haberet, ſed quod dumtaxat ejuſdem prima Dignitas a nemine in dubium incertumque revocaretur.

Hic tandem Diſſertationem abſolvimus, qua ſatis oſtendimus, Cepham Antiochiæ a Paulo redargutum a Petro alium nequaquam fuiſſe: nullum argumentum proferri, quo Cephas ex ſeptuaginta Diſcipulis unus, & ab Apoſtolorum Principe alius conſtituatur; S. Petri ſimulationem ejus Primatui minime officere; S. Pauli exprobrationem Porphyrio, aliiſque Catholicæ Religionis hoſtibus nullatenus favere; a temperamento, ad quod, Petrum & Paulum excuſaturi, veteres Græci Patres confugiunt, plurima poſſe per abſurda induci; ſententiam denique, cui Auguſtinus adhæſit, omnium optimam & accommodam eſſe, ut Apoſtolum utrumque, excuſemus, & Catholicam Religionem ab hoſtium ſuorum exprobrationibus eripiamus.

DISSER-

(1) *Auguſt. Epiſt. olim 8. nunc 28. Item Epiſt. 49. & 71. & 93.* (2) *Greg. Mag. lib. 28. Moral. capit. 12. homil. 18. in Ezechiel.* (3) *Luc. 24. 34.* (4) *1. Corinth. 15. 5.* (5) *Vide Auguſt. l. 2. cap. 15. de Doctr. Chriſt.*

(6) *Hieronym. in Galat. 2. Si propter Porphyrii blaſphemiam alius nobis fingendus eſt Cephas, ne Petrus putetur erraſſe infinita de Scripturis erunt radenda divinis, quæ ille, quia non intelligit, criminatur.* (7) *Galat. 1. 1.*

DISSERTATIO
DE ANTICHRISTO

ARTICULUS PRIMUS.

Variæ de Anti-Chriſto Sententiæ.

QUicumque Veritati, Pietati, Juſtitiæ adverſetur, Anti-Chriſtus dicitur, quod Jeſu Chriſto, qui eſt eſſentialis Juſtitiæ & Veritas, obſiſtat; quod etiam *Anti-Chriſti* nomen juxta ſuam etymologiam *Jeſu Chriſti inimicum* ſignificet. Anti-Chriſti hoc ſenſu accepti, ſæculis omnibus & ante & poſt Domini adventum extitere, & ſemper uſque ad Mundi finem, & uſque ad illius adventum, qui omnium Jeſu Chriſti hoſtium impietatem, & malitiam vincet [1]. Eo adhuc ſenſu Eccleſiæ perſecutores, Pſeudo-Prophetæ, Hæretici, & nefarii Chriſti fideles totidem Anti-Chriſti appellantur; quorum plurimi ſua ætate orbem refertum Evangeliſta Joannes ingemuit: *Et nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt* [*]. Eccleſiæ Patres in Simone Mago, Nerone, Cajo Caligule, Appollonio Thyanæo, Barchocheba, Domitiano, Diocletiano, Juliano Apoſtata, & in pluribus aliis Jeſu Chriſti hoſtibus, & eorum Diſcipulis quoſdam hujus perditiſſimi hominis, & perditionis filii characteres agnovere. In Veteri etiam Teſtamento nonne Nebuchodonoſores, Cambyſes, Antiochi Epiphanes, Herodes occurrunt, qui veluti Præcurſores, effigies, & aſſeclæ Anti-chriſtum nimium prætulere? Deus in ira ſua eos excitaſſe videbatur, ut is, qui ceteros crudelitate, impietate, & malitia præcelleret, qualis quantuſque futurus eſſet, intelligeretur.

Judæi, & Chriſtifideles Antichriſtum, Mahometani autem Anti-Mahometum expectant. Judæi vero quod de Meſſia Servatore in primo ſui adventu prolatum fuit, cum eo confundunt, quod de Meſſia ultore ſub mundi exitum adventuro enunciatum eſt. Ajunt præterea [†], Eliam, ſeu alterum e Prophetis Meſſiæ præiturum, ut parentes cum filiis conciliet [2], & Meſſiæ ſemitas apparet. Poſt quem ipſe, ut ſubdunt, Meſſias adveniet, Iſraelitiſque omnibus in promiſſam regionam coactis, urbe Jeroſolymæ & Templo reſtauratis, populos ſuos pace, & rerum effluentia cumulabit. Gog deinde & Magog, potentes nationes, Anti-Chriſto ſibi duce præeunte, eam everſuræ pacem irrumpent; quas Meſſias primo devictas, plurimis tandem maris & terræ prodigiis prorſus delebit. Quibus etiam in bellis multum ſanguinis a Fidelibus effundetur, & tunc forte implebuntur *Dolores Meſſiæ*, quorum meminere Rabbini, & qui tot tantique futuri ſunt, ut omnes ingemant [3]. *Ah veniet! ſed ego eum non videam! quid faciemus ut a Meſſiæ doloribus liberemur?*

Ex Rabbinis quidam [4] Anti-Chriſtum, quem *Armillum* vocant, ex nationum fœdiſſima conjunctione cum Virginia cujuſdam ſimulacro Romæ erecto proditurum ferunt. Qui Armillus admiranda ſtatura ſublimis, ſe Meſſiam, & Deum, cui ſit cultus exhibendus, oſtentabit. Omnis Edom progenies, (ita Romanos appellant) ei adhærebit, ultroque obtemperabit. Nehemias vero, Joſephi filius, e progenie Ephraim, alter ex duobus Meſſiis, quos Judæi expectant; triginta Judæorum millibus inſtructos cum Armillo congredietur, & bis centum hoſtium millibus cæſis, eum conjiciet in fugam; qui exercitu iterum coacto, ſecundum cum Nehemia certamen committet; quo, innumeris ex ſuis gladio peremptis, tandem, quin rem animadvertat, ipſum Nehemiam fortuito interficiet; quare Judæi fugæ ſe dantes, perſecutionibus undique vexabuntur.

Archangelus Michael tuba canet, primoque ſtatim clangore ſecundus ex progenie David Meſſias veniet, quam Elias Propheta comitabitur. Tunc Judæi huc illuc effuſi, animis iterum collectis, ad eum undique confugient. Quare territus Armillus in eos irrumpes, pugnam committet, & cæſus occumbet. Tum felix Meſſiæ Regnum, quod quam maxime Prophetæ oſtenderunt, totuſque terrarum orbis, morbis, belliſque prorſus inde exturbatis, hortus Eden Judæorum ſolatio evadet. Hæc Judæi de Anti-Chriſto, de quo vel inter ipſus variæ ſententiæ. Singulas recenſere non lubet.

Horum bellorum inter initium, & exitum, ſeu, ut ajunt Hebræi, præſens inter & futurum ſæculum, alii quadraginta, alii ſeptuaginta, alii annorum quadringentorum, alii denique longe minus intervallum conſtituunt. Omnes tamen mortuorum reſurrectionem, & perfectum Meſſiæ & beatorum regnum nonniſi poſt Anti-Chriſti interitum, futura defendunt, Qua in re & nobiſcum conveniunt. Noſtrorum vero Scriptorum plerique imperium, bella, & Anti-Chriſti perſecutiones tribus tantummodo annis, ſexque menſibus [5] definiunt.

Mahometani etiam [6] ſuum Anti-Mahometum expectant, quem *Dejal*, nempe *Impoſtorem* appellant, quemque gigantem monſtro ſimilem, ſolo oculo & ſupercilio in frontis medio horridum effingunt. Præterea Mahamedem Mehdy ex eorum Imanis duodecimum, e Deo, ut ajunt, viventem adhuc e terris ſublatum, & in voluptatum loco hominibus impervio conſtitutum, ſub mundi exitum iterum adventurum putant, ut cum *Dejal* congrediatur, & id adverſus illum perficiat quod nos ab Elia adverſus Anti-Chriſtum agendum credimus. Ad hæc, Jeſum Chriſtum Ducem ſupremum copiarum Imani fore, iterumque in urbem, ut Anti-Mahometum oppugnet, reverſurum arbitrantur. Eo ſuperato, eademque clade Gog & Magog affectis, uxorem ducet, & triginta, ſeu quadraginta annis, non ut Dominus, ſed ut Imani Mahamedis Mehdy Procurator, totius terrarum orbis imperium geret: quibus elapſis occumbet, & una cum Juſtis omnibus, vitæ iterum in ſæculorum exitu reſtituendus, prope Mahometi ſepulchrum tumulabitur. Judicium denique de omnibus pronunciabit, cum ad Chriſtum hoc Judicium univerſale pertineat. Quantum de Anti-Chriſti ſub mundi exitum adventu fides in pleriſque terrarum nationibus inoleverit, per has fabulas comperimus.

Aliqui Judæorum Authores, quos inter Menaſſe ben Iſrael [7], aliqui etiam Proteſtantium Scriptores [8] Anti-Chriſtum, quomodo a Chriſtifidelibus expectatur, numquam adventurum aſſeruere. Dogma hujuſmodi inter fabulas recenſere, quibus, ut ajunt, creduli Romanæ Communionis Chriſtiani enutriuntur.

(1) *Auguſ. in Pſal. 9. 6. n. 24. Ille ferrus peccati totum nequitiam, & iniquitatem, quam omnes Pſeudo-Prophetæ inchoaverant, impleturus eſt.* (*) *1. Jo. 2. 18.* (†) *Vide Maimonid. de Rege Meſſiah c. 2.* (2) *Iſai. 40. 3.* (3) *Gemar. Sanhedrin. §. 35.* (4) *Hulſius de Theolog. Jud. lib. 1. par. 1. p. 92.*

(5) *Vid. Daniel. 7. 25. & 12. 11. Apoc. 11. 2. 3.* (6) *Chardin. Itinerar. Perſ. tomo 3. pag. 192. Vide & Keſſeum, & Ibn Alaſſi.* (7) *Menaſſe ben-Iſrael., de reſurrect. l. 3. c. 5. p. 290.* (8) *Centuriatores Magdeburg. ita & Beza in 2. Theſſalon. 2. & Grot. in Apocalypſ. 13. 18.*

Digitized by Google

tur. Aſſerit Grotius (1), vel ipſum S. Paulum paulo poſt Jeroſolymæ everſionem mundum ad ſuum exitum perventurum putaſſe; Caligulam vero Anti-Chriſti Præcurſorem, & Simonem Magum ipſum fuiſſe Anti-Chriſtum. Pontificem denique, Eccleſiæ Catholicæ viſibile caput, Anti-Chriſtum eſſe; Communionem Romanam eſſe Babylonem; authoritatem, qua S. Petri Succeſſores in Fideles obtinent, Regnum eſſe & imperium Anti-Chriſti, Authorum Proteſtantium plerique defenderunt (2). Quæ quidem ita a veritate abhorrent, ut vel ab eorum Communionis ſapientiſſimis improbentur, & in iis, a quibus comprobantur, non aliam, quam cæcæ paſſionis ſpeciem præſeferant.

ARTICULUS II.

De Anti-Chriſti Characteribus.

SCriptores Sacri, teſte S. Hieronymo (3), typis & figuris futuros profundere eventibus, & ſimilitudinibus atque parabolis veritatem obvolvere conſueverunt. Sicut itaque Jeſus Chriſtus per Davidem, & Salomonem, qui illum referunt, & adventurum ſpondent, nobis exhibetur; ita etiam Anti-Chriſtus per ejus præcurſores & figuras, nempe Antiochum Epiphanem, Neronem, Domitianum, & id genus cæteros, optime inducitur. Ut igitur hujus perditiſſimi effingamus imaginem, merito ad eorum characteres confugimus, qui veluti hujus Deo infenſiſſimi hoſtis exemplaria a Sacra Scriptura exhibentur (4). *Hæc autem ſub Antiocho Epiphane in imagine præceſſerunt, ut Rex ſceleratiſſimus, qui perſequutus eſt populum Dei, præfiguraret Anti-Chriſtum ..... unde & multi noſtrorum putant ob ſævitiæ, & turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem Anti-Chriſtum fore.*

Patres & Interpretes tam Judæi, quam Catholici de Anti-Chriſti perſecutionibus adverſus Sanctos explicarunt id omne, quod de Gog & Magog adverſus Iſraelitas bellis Ezechiel enunciat (5). Quo etiam ſpectat illud Joannis in Apocalypſi (6), ubi refert, poſt mille annorum Regnum, Satanam e carcere egreſſum ſeducturum plurimos, eoſque adducturum, ut bello Sanctos inſequantur, & Urbem dilectam obſideant; ex populis ſubinde Gog & Magog a quatuor mundi finibus coactis innumeras inſtar arenæ maris copias inſtructurum. Quas tamen Deus flammis e cœlo delapſis prorſus abſumet, & Dæmonem, qui eas coegerat, & Pſeudo-prophetas, qui eas ſeduxerant, in ſulphuris & ignis ſtagnum detrudet, ubi una cum beſtia ſupplicio perenni torquebuntur. Eſto, Gog & Magog bellum adverſus Iſraelitas ab Ezechiele præmunciatum per Cambyſis, ſeu Holophernis, ſeu Antiochi Epiphanis in Hebræos perſecutiones ad litteram impletum fuerit; certo quidem conſtat, hoc Apocalypſis bellum potiſſimum ad ea mala referri, quibus Anti-Chriſtus ante mundi exitum Catholicam Eccleſiam vexabit.

Ab Antiochi Epiphanis exemplari, quod a Daniele (7) accepimus, perditionis filius, cujus meminit Paulus (8), dilucide nobis exhibetur. *De cornu ille*, ait Propheta (9), *quod habebat oculos, & os loquens grandia. Aſpiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum adverſus Sanctos, & prævalebat eis: donec venit Antiquus dierum, & Judicium dedit Sanctis Excelſi, & tempus advenit, & regnum obtinuerunt Sancti.* Vir autem ille, qui per cornu repræſentabatur, Deum blaſphemiis impetere, Sanctos proculcare, ſuoque arbitrio tempora, & leges immutandas eſſe jactitare debuerat, ut Propheta per viſionem intellexit. Sed tandem a ſupremo Judice ipſius potentia deſtruenda, & in æternum exterminanda.

Idem Propheta Antiochum Epiphanem ſibi rurſus repræſentari (10) percepit per ſpeciem modici cornu, quod maximis incrementis auctum, in ipſum cœlum inſurgere, ſtellas dejicere, & conculcare vidit: *Uſque ad Principem fortitudinis* (ad Deum ipſum) *magnificatum eſt, & ab eo tulit juge Sacrificium, & dejecit locum ſanctificationis ejus. Robur autem datum eſt ei contra juge ſacrificium propter peccata: & proſternetur veritas, & faciet, & proſperabitur .... uſque ad veſperam & mane dies duo millia trecenti.* Quomodo, Antiocho Epiphane imperante, hoc vaticinium impletum fuerit, ſcimus; adhuc tamen, Eccleſiam inſectante Anti-Chriſto, iterum adimplendum non ambigimus, ut ipſe Daniel præferre videtur, cum poſt tot tantaque mala ab eo cornu ad populi Dei perniciem invecta, mortuos reſurrectione, & Fideles æterna felicitate donandos enunciet (11) *Multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt; alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant ſemper.* Quæ quidem verba de ſola ad ſtatum feliciorem tranſmigratione, niſi per vim detorqueantur, ad litteram nequeunt intelligi.

Zacharias Meſſiæ adverſarium (12) deſcribens, *Ecce*, ait, *ego ſuſcitabo Paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſolvet. O Paſtor, & Idolum, derelinquens gregem! gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus, brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus tenebreſcens obſcurabitur.* Is erit Anti-Chriſtus, id regnum ipſius: Regnum non modo in exteros, ſed etiam in ſuos barbarum, & injuſtum.

Perſpicuas Anti-Chriſti deſcriptiones & e Novo Teſtamento accepimus. Jeſus Chriſtus Impoſtores (13), qui ſe Meſſiam jactitantes in fraudem plurimos inducent, & peſtem, famem, ſeditiones, terræmotus, bella, nonniſi initium imminentium dolorum, ultimam diem præceſſura prænunciavit. Tunc impii Juſtis dominabuntur, eoſque crudeli morte afficient; boni plures ſcandalizabuntur; in Loco Sancto abominatio deſolationis erit; tantaque ingruent mala, ut niſi dies illi propter electos minuerentur, nemo ſalutem conſequeretur. Falſi occurrent Chriſti, falſique Prophetæ, qui, ſi fieri poterit, electos etiam falſis ſignis in errorem adducent. Poſt ea omnia, Filius Hominis in ſua Majeſtate adveniet. Hæc Regni Anti-Chriſti tempora.

S. Paulus ad Theſſalonicenſes ait (14), *Niſi primum revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. Nunc*, addit, *quid detineat, ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore. Nam myſterium jam operatur iniquitatis. Tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum, cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ in omni virtute & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt.*

Ab his characteribus præfertur Anti-Chriſtus, in cujus imagine ab Apoſtolo expreſſa plures ex Antiquis (15) Neronem deprehendiſſe ſibi viſi ſunt, ut crediderint Neronem eſſe, vel Anti-Chriſtum, vel ipſius Præcurſorem; de quo etiam illud Apoſtoli (16) referebant. *Jam myſterium operatur iniquitatis*: & brevi, poſt ipſum, Anti-Chriſtum adventurum arbitrabantur (17). *Jam enim*, ait D. Hieronymus, *myſterium operatur iniquitatis, hunc habet ſenſum: multis malis atque peccatis, quibus Nero mundum premit,* Anti-

(1) *Grot. in 2. Theſſalon. præfat. & in 2. Theſſalon. 2.* (2) *Vide Malvend. lib. 2. c. 1. de Antichriſto.* (3) *Hier. in Dan. 11. 24. Hunc eſſe morem Scripturæ ſanctæ, ut futurorum veritatem præmittat in typis. Sicut igitur Salvator habet & Salomonem, & cæteros Sanctos in typum adventus ſui, ſic & Anti-Chriſtus peſſimum Regem Antiochum, qui Sanctos perſecutus eſt.* (4) *Idem in Daniel. 11.*

(5) *Ezech. 38. & 39.* (6) *Apoc. 20. 7.* (7) *Daniel. 7. 19. &c.* (8) *2. Theſſ. 2.* (9) *Daniel loco citato.* (10) *Daniel. 8. 9. 10. 24. 25.* (11) *Daniel. 12. 1. 2. &c.* (12) *Zach. 11. 16. 17.* (13) *Matth. 24. 4. 5. 11. 12.* (14) *2. Theſſal. 2. 3. &c.* (15) *Victor. in Apoc. Ambroſiaſt. in 2 Theſſ. 2. Chryſoſt. hom. 4. in 2. Theſſ. Hier. ad Algaſ. q. 2. Aug. de Civ. l. 20. c. 19.* (16) *2. Theſſ. 2.* (17) *Vid. Malvend. de Antichriſto l. 2. c. 3. p. 65.*

Digitized by Google

Anti-Chriſti parturitur adventus, & quod ille operaturus eſt poſtea, in iſto ex parte completur. Autumarunt alii, Neronem aliquando e mortuis reſurrecturum, & eum futurum Anti-Chriſtum, cujus ſæpiſſime Scripturæ meminerunt (1).

Aſſerebant alii apud Auguſtinum (*), Neronem adhuc viventem ignoto in loco barbariem immanitatemque ſuam in Dei famulos certa die exercendam reſervare. Victorinus Petavienſis, Apocalypſis Interpres celeberrimus (2), qui ſæculo tertio floruit, illud ejuſdem Apocalypſis, *Vidi unum de capitibus beſtiæ quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt*, explicat de Nerone, quem eumdem adhuc eſſe putat, de quo Paulus ad Theſſalonicenſes (3): *Ut qui tenet imperium, teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus .... cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ*.

S. Martinus ita loquens inducitur a Severo Sulpitio, Neronem ſcilicet, & Anti-Chriſtum ante mundi exitum adventuros; illum in Occidentem, ubi Idolorum cultum inſtaurabit; hunc vero in Orientem, ubi Templum & Jeruſalem iterum excitabit, ut ibi imperii ſui ſedem conſtituat (4). Anti-Chriſtum præterea enixe acturum, ut tamquam vero Meſſiæ populi ſeſe ſibi ſubmittant; & bello tandem in Neronem illato, eumdem interfecturum prænunciat. Idem Sulpitius alibi de Neronis adventu ambiguus (5), *Dignus*, ait, *extitit, qui perſecutionem in Chriſtianos primus inciperet: neſcio an & poſtremus expleturus, ſiquidem opinione multorum receptum ſit, ipſum eſſe Anti-Chriſtum venturum*.

Ipſi Ethnici, Svetonio & Tacito teſtibus, Neronem minime occubuiſſe vulgarunt; cujus etiam nomine dicta ſæpe proferebant, ac ſi certo adhuc viveret, & ad maximam ſuorum hoſtium perniciem eſſet reverſurus. *Modo edicta*, inquit Svetonius (6), *proferrent quaſi viventis, & brevi magno inimicorum malo reverſuri*. Aliquot poſt annis quidam nequiſſimus Nero ſurrexit (7), qui plurimis deceptis, plurimos etiam ſeditioſos ſibi adjunxit. At Calphurnius Aſprenas, quem Galba Galatiæ, & Pamphyliæ, ubi ſeductor ille plurimum profecerat, Præſidem conſtituerat, eumdem interfecit: cujus etiam caput, ut populis errorem adimeret, Romam & in Provincias juſſit circumferri.

Verum ad characteres, quos de Anti-Chriſto Scriptura nobis exhibet, revertamur. S. Joannes in prima ſua Epiſtola (8), *Qui*, ait, *negat Patrem & Filium, hic eſt Anti-Chriſtus*. Alibi etiam (9): *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Jeſum*, (qui nempe Jeſum, vel Meſſiam, vel Deum ſimul & hominem negat) *ex Deo non eſt, & hic eſt Anti-Chriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt*. Idem Evangeliſta hæc habet (10) de hoc nequiſſimo viro; quem deſignat nomine *beſtiæ, quæ aſcendit de abyſſo, quæ occidet duos teſtes*, (Henoch nempe & Eliam) *quæ faciet adverſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos: & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt*. Deſcribit ſubinde hanc beſtiam (11), *habentem cornua decem, & ſuper cornua ejus decem diademata, & ſuper capita ejus nomina blaſphemiæ. Draco* (ſeu Diabolus) *dedit illi virtutem ſuam, & poteſtatem magnam, quod omnes adoraverunt Draconem, & beſtiam, cui datum eſt os loquens magna, & blaſphemias, & poteſtas facere* (ideſt pugnare) *menſes 42. cum ſanctis, & vincere eos, & quod adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram*.

Omnia ea loca ad litteram præciſe de Anti-Chriſto intelligenda eſſe, aſſerere non audemus; plures enim dicendi modos allegoricos ſcimus. Cum vero Anti-Chriſtus adhuc non venerit, perfecte de eodem prophetias explanare non poſſumus; quod tunc tantummodo fiet, cum vitam ſuam peregerit: ſicut de Jeſu Chriſto Prophetiarum ſenſus nonniſi poſt ejus adventum, mortem, & reſurrectionem omnino patuit. Eo tamen ducti exemplari, quod nobis a Scriptura exhibetur, aſſerere non ambigimus, Anti-Chriſtum futurum eſſe monſtrum omni flagitiorum genere inquinatum, & ita ad barbariem, atque impietatem educatum, ut Caligulæ, Nerones, Domitiani, & perditiſſimi ceteri, ſi cum eo conferantur, inter innocentes ſint recenſendi. Illud vero majorem ingeret admirationem, quod vir nequiſſimus ita ſanctitatem ſimulabit, ut plures Meſſiam reputaturi, alii veluti Deum adoraturi ſint. Idcirco Patres (12) hypocritam, & deceptorem omnium maximum futurum eſſe tuentur. Quare etiam illud Job de eo uſurpant (13): *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*.

Ut tot tantaque, quæ Scriptura memorat, ſigna gerat, utique nonniſi Dæmonis ope præſtanda, peritiſſimus Magus ſit oportebit (14). Patres & Interpretes de eo quoque uſurpant, quod de nimiis Antiochi Epiphanis divitiis Daniel enunciat (15); imo illi Regi Anti-Chriſtum opibus præiturum addunt, quod in regiones remotiſſimas ſuum protrahet imperium, ſibique felicioribus belli rebus cedentibus, Templa & loca ſacra diripere non abſtinebit. Ope adhuc Dæmonis plurimos theſauros abditos ſcrutabitur, & conſequetur, omnique tandem diſſolutionum, & libidinum fœce inquinabitur. Hæc omnia quibuſdam Danielis nituntur Textibus, quæ ad litteram de Antiocho Epiphane explicantur, & Anti-Chriſto etiam accommodari poſſunt. Nil tamen certo exploratum aſſerere audemus; nimium enim quia periclitatur, cum de rebus futuris, quin præcipua revelatione acceperit, ſermonem inſtituit.

ARTICULUS III.

De Nomine, ſeu Charactere Anti-Chriſti.

S. Joannes in Apocalypſi hæc habet (16); *Beſtia faciet omnes puſillos & magnos, & divites, & pauperes, & liberos, & ſervos habere characterem in dextera manu ſua, aut in frontibus ſuis, & ne quis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiæ, aut numerum nominis ejus. Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ. Numerus enim hominis eſt, & numerus ejus ſexcenti ſexaginta ſex*. Multi hic multa. Vulgo tamen creditur hic numerus 666. juxta valorem numeri, literas nominis Anti-Chriſti deſignare; etenim tam apud Hebræos, quam Græcos & Latinos, Alphabeti literæ ad numeri valorem uſurpantur. E. g. I. Latine valet 1. V. 5. X. 10. IↃ. 500. CIↃ. 1000.

Primo hic inveſtigandum, an nomen Anti-Chriſti Hebraice, Syriace, Græce, an Latine vel alio idiomate ſcribendum ſit? quo enim idiomate Anti-Chriſtus loquuturus ſit, ignoramus. Inveſtigandum præterea, an nomen illud Perſonæ ſit, an Dignitatis; an quod illi ab Aſſeclis, ſeu ab amicis delatum erit, ſive quod pro criminum, & cædium merito ſibi adſciſſet. An denique locus iſte de ipſo Anti-Chriſto explicandus ſit, an vero in iis adimplendus;

(1) *Hieron. in Dan. 11. Multi noſtrorum putant, ob ſævitiæ & turpitudinis magnitudinem Domitium Neronem Anti-Chriſtum fore.* (*) *Auguſtinus de Civitate lib. 20. capit. 19.* (2) *Victor. Petav. in Apocalypſim in 13. 13.* (3) *2. Theſſalon. 2. 6.* (4) *Severus Sulpit. Dialog. 2. de vita Sancti Martini.* (5) *Severus Sulpit. lib. 2. hiſtor.* (6) *Sveton. in Nerone, c. 57.* (7) *Tacit. l. 17. & 18. Annal. Vide & Svetom. in Neron.*

(8) *1. Joan. 2. 22.* (9) *1. Joan. 4. 3. & 2. Joan. verſ. 7.* (10) *Apocalypſ. 11. 7.* (11) *Apocalyp. 13.* (12) *Vide Hyppol. Mart. lib. de Antichriſto, Cyrillus Jeroſolymitanus Catech. 15. Gregorius Magnus lib. 38. in Job. cap. 17. Damaſcen. lib. 4. de Fide orthodox. c. 27.* (13) *Job. 34. 30.* (14) *2. Theſſal. 2. Vide Iren. l. 5. c. 28. Vide & Interpretes ad Apocal. 11. & Malvend. lib. 6. de Antichriſto cap. 4.* (15) *Daniel. 11. 2.* (16) *Apoc. 13. 17.*

Digitized by Google

dus, qui infenſiſſimo huic Dei inimico velut exemplaria, & præcurſores præibunt. Hæreus nonnulli, an ipſum Anti-Chriſti nomen numerus iſte *666.* deſignet, an characterem, a Viri perditiſſimi aſſeclis in ſuis frontibus præferendum. Nonnulli demum hujuſmodi Anti-Chriſti characterem in ſigno quodam, ſeu monogrammate, vel in quibuſdam literis, aut ſententiis continendum fore putant, ut apud Veteres ſervorum profugorum frontes interdum Heri obſignabant.

Tot inter varias ſententias, quidnam hac in re ſtatuamus, ambigimus: nihilominus vetuſtioribus & plerisque Scriptoribus adhærentes, vel in Anti-Chriſti, vel in cujuſdam ex crudelioribus Eccleſiæ perſecutoribus, Diocleſiani videlicet, ſeu Juliani Apoſtatæ, nomine hunc numerum ſeſe nobis oblaturum arbitramur: quem quidam in quibuſdam nominibus Hebraice, Græce, & Latine tranſlatis invenere. Hebraice v. g. *Elion*, *Adonai*, *Jehova*, *Hakkadoſch*, nempe *Altiſſimus*, *Dominus*, *Deus*, *Sanctus*, ſeu *Abna Hakkadoſch Appipi*, noſter S. Pater Papa, ſeu *Romiit* Romana, in Hæreſiarchæ Lutheri Hebraice inſcripto nomine alii indagarunt. Adhuc plurima id genus nomina ſane poſſent inveſtigari.

Operam vero omnino perdimus, ſi neceſſario incertum, quod vel per ſolam revelationem, vel per ejus eventum tantummodo ſciri poteſt, divinare velimus. Præterquam quod Hebraici idiomatis Periti, Hebraici Alphabeti literis numericum valorem Joannis Evangeliſtæ ætate non adhuc accommodatum putant (1): quem morem tunc addunt invaluiſſe, cum hujus numeri myſterium in literis invicem collatis Cabaliſtæ inveſtigare cœperunt. Cujus quidem inventionis apud veterem Bibliorum textum nulla mentio, ubi numeri nunquam per numericas literas, ſed per ipſa numeros exprimentia verba ſemper referebantur.

Plura quidem, ſed ejuſdem ambiguitatis, quæ Anti-Chriſto tribuunt, nomina a Græcis exhibentur. Tria ab Irenæo recenſentur (2): *Euanthas* Floridus, *Lateinos*, Latinus, & *Teitan*, Titan, Gigas; quorum nominum literæ, ſi numericum earumdem valorem ſupputemus, ſummam *666.* adimplent. Primaſius & falſus Hippolytus afferunt *Arnoume* (3), abrenuncio. Alius exhibet (4), *Lampetis*, lucens, ſeu (5) *Niketes*, Victor: ſeu *Kakos odegos* (6), pravus Dux; ſeu *Alethes blaberos*, vere noxius; ſeu *Palai-baſkanos*, diu invidus; ſeu *Amnos adikos*, Agnus injuſtus. Tichonius, poſt quem Primaſius, profert *Antemos*, qui proprie nihil ſignificat. Alii, cujuſmodi ſunt Clictovæus, Genebrardus, Hentenius, in nomine *Mahometis*, Græce ſcripto, numerum *666.* invenere; alii in Genſerico, *Genſerikos*, Vandalorum in Africa Rege. Grotius demum in *Oulpios*, quo nomine Trajanus appellatus eſt (7). Studium utique vanum & inanes notæ, quas hic tantum recenſuiſſe nos forte pœniteat.

Numerus *666.* apud Latinos in variis nominibus occurrit. Haimo, Anſelmus Laudunenſis, Rupertus, & alii legunt: *Dic*, *Lux*: ac ſi Anti-Chriſtus de ſe ſit dicturus: *ego ſum lux*. Cl. Boſſuet Meldenſis Epiſcopus, hiſtorice Apocalypſim explicans, Diocletiano accommodat, quod nos Anti-Chriſto, legitque: *Diocles Auguſtus* (8). Diocletianum, antequam imperaret, *Dioclem* vocatum conſtat. Legit De la Chetardie (9): *C. F. Julianus Caeſar Atheus*, ſeu Anti-Chriſtus. Brevius etiam (10) *C. F. Julianus Ceſar Aug.* ſicut hujus Imperatoris nomen in nummis, & inſcriptionibus videbatur. Hæc omnia nomina juxta valorem, quem Latinis literis tribuunt, ſum-

mam *666.* adimplent. At S. Joannem, qui Græce ſcripſit, Latini Alphabeti numeris alluſiſſe, nonne ea de re monitos non voluiſſe credemus?

Qui Beſtiæ, ſeu Anti-Chriſti Characterem ejus nomen non fore putant (11), ſed ſymbolum, ſeu notam quamdam, qua ejus aſſeclæ obſignabuntur, adhuc inter ſe ipſos non cohærent; alii enim in verbo quodam, v. g. Creatori abrenuncio, abrenuncio baptiſmati, vel in ſigno, Cruci a Chriſti fidelibus ab Eccleſiæ exordio hucuſque adhibitæ oppoſito, ſignum illud conſtituunt. Alii vero Anti-Chriſtum inſignia gentilitia, ſeu ſpecioſum aliquod ſignum inventurum putant, quibus ſuum cælabit ſigillum, vexilla ornabit, milites ſuos diſtinguet, vel ſuorum omnium frontes obſignabit, veluti Chriſtiani Imperatores ſuum *Labarum* monogrammate *Chriſti* decorarunt, X P, initiales nempe nominis Chriſti Græcæ inſcriptæ literas, eidem intexebant.

Quæ omnia plane ſatis incerta: quomodo enim numerus *666.*, cui præcipua loci hujus difficultas nititur, ibi futurus ſit, minime Authores oſtendunt. Cum (12) Irenæo igitur, ſatius eſſe tot prædictionum exitum operiri, quam in ambiguis nominum, de quibus niſi poſt eventum nunquam conſtabit, conjecturis tempus inſumere, concludamus; licet enim validiſſima nobis occurrerent argumenta, inde tamen nil haurire poſſemus, quod abſque peculiari revelatione ambiguitatem expelleret. Qualibet igitur notitia, quæ neque nos, neque ceteros certos conſtituat, vera utique cognitio non eſt reputanda. Ea ſcientia ſæpe magis expedit inſcitia, hæc enim faſtum expellit, illam vero, licet ambiguam atque incertam, ſæpe ſæpius ſuperbia comitatur.

ARTICULUS IV.

Tempus venturi Anti-Chriſti.

Ipſa S. Pauli ætate impoſtores erant, qui ad Fidelium terrorem diem Domini jamjam adventuram prædicabant (13). *Rogamus vos Fratres*, ait Apoſtolus ad Theſſalonicenſes, *per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ Congregationis in ipſum, ut non cito moveamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam, tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini. Nequis vos ſeducat ullo modo, quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus &c.* S. Joannes ad ſuos Diſcipulos ita ſcribit (14): *Filioli, noviſſima hora eſt, &, ſicut audiſtis, quia Anti-Chriſtus venit, & nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt; unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.* Alibi etiam (15): *Omnis Spiritus, qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Anti-Chriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Hinc videre eſt, quomodo priores Eccleſiæ Fideles & Chriſti, & Anti-Chriſti adventum proxime opperirentur.

Viennenſis & Lugdunenſis in Galliis Eccleſiæ ſævitium, qua Marcus Aurelius ſæculo ſecundo Eccleſiam perſequebatur, ingemeſcentes, ad Aſiæ Fideles habuerunt (16) Epiſtolas, quibus Dæmonem in Sanctos perſecutionem jam inſtituiſſe, & ſuas vires & malitiam, quibus citius in Fideles omnes irrumperet, quodammodo experiri, ferebant. Nos belli, quod citiſſime nobis eſt illaturus, jam veluti præludia conſpicimus.

Judas Syrus (17), qui ſub Severo Imperatore florens ſcripſit in Danielem, hujus Principis adverſus

(1) *Merc. & Bertram. Theſaur. radic. Malvend. lib.* 8. *c.* 17. *p.* 433. *de Anti-Chriſto.* (2) *Iren. l.* 5. *c.* 3. *EVANTHAS* 5. 400. 1. 50. 9. 1. 200. *Floridus. ſumm.* 666. *LATEINOS.* 30. 1. 300. 5. 10. 50. 70. 200. *Latinus. Summ.* 666. *TEITAN.* 300. 5. 10. 300. 1. 50. *Gigas. ſumm.* 666. (3) *ARNOUME* 1. 100. 50. 70. 400. 40. 5. *abrenuncio ſumm.* 666. (4) *LAMPETIS.* 30. 1. 40. 80. 5. 300. 10. 200. *Lucens. ſumm.* 666. (5) *O NIKETES.* 70. 50. 10. 20. 8. 300. 8. 200. *Victor. ſumm.* 666. (6) *KAKOS ODEGOS* 20. 1. 20. 70. 200. 70. 4. 8. 3. 70. 200. *Pravus Dux. ſumm.* 666. (7) *OULPIOS. Ulpius* 70. 400. 30. 80. 10. 70. 6. *ſumm.* 666. (8) *DIOCLES AUGUSTUS. DCLXVI.* (9) *C. F. JULIANU CÆSAR ATHEUS. DCLXVI.* (10) *C. F. JULIANUS CÆS. AUG. IDCLVVVI.* (11) *Vide ſi lubet, Malvend. l.* 8. *c.* 18. *de Anti-Chriſto pag.* 438. *& ſeq.* (12) *Iren. lib.* 5. *cap.* 30. (13) 2. *Theſſal.* 2. 1. (14) 1. *Joan.* 2. 18. (15) 1. *Joan.* 4. 3. (16) *Apud Euſeb. lib.* 5. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 1. (17) *Judas Syrus apud Euſeb. lib.* 6. *Eccleſ. Hiſtor. c.* 6.

Fideles tyrannidem exoſos Anti-Chriſtum jam prope adventurum aſſeruit; quem & Tertullianus ejuſdem ſæculi Author jam proximum teſtabatur (1): *Anti-Chriſto jam inſtante, & in ſanguinem, non in pecunias hiante*. S. Cyprianus, qui Gallo & Voluſiano imperantibus degebat in vivis, Fideles ad perſecutiones conſtanti animo perferendas hortatur, eoſque monet, ut quoniam Mundi exitus, & Anti-Chriſtus imminebant, de ſola æternitate cogitarent (2): *Scire debetis, & pro certo tenere, occaſum ſæculi, atque Anti-Chriſti tempus appropinquaſſe, ut parati omnes ad prælium ſtemus, nec quidquam niſi gloriam vitæ æternæ, & coronam confeſſionis Dominicæ cogitemus*. Arianiſmo late graſſante, *neceſſe eſt*, inquit Hilarius *in ipſum nos ætatem Anti-Chriſti incidiſſe* (3). Eidam fere opinioni Baſilius Magnus (4) & Ambroſius (5) adhærere, quamvis ſuam aliquanto magis ambiguam ſententiam proferant. S. Hieronymus (6), tam multis, quibus Romanum Imperium ſua ætate affectum erat, calamitatibus tactus, Anti-Chriſtum, virum illum perditiſſimum, ab Jeſu Chriſto ſpiritu oris ſui interficiendum, cito adventurum prænunciavit. S. Martinus apud Sulpitium Severum (7), Anti-Chriſtum tunc temporis jam natum aſſeruit, qui ſtatim ac adoleviſſet, ſeſe nobis eodum exhiberet, & imperium ſuum occuparet. S. Chryſoſtomus bella, calamitates, terræmotus, Charitatis remiſſionem, Mundi citiſſimè abſolvendi prænuncia credebat (8), & orbem veluti moriturum doloribus obrutum, & terrore, ſibi morte imminente, confectum appellabat.

S. Gregorius Magnus non longe eſſe mundi interitum pluribus in locis aſſeruit. *Omnia nobis*, ajebat, *peſtes, bella, terræmotus, nationum ſeditiones, populorum calamitates extremam diem jam prope adventuram portendunt*. Quamvis vero mundus a nobis diſcedat, diſcedenti præ viribus inhæremus, ac ſi vel ille vel nos perenniter maneremus (9). Bernardus (10) inter Eccleſiæ Patres junior, ex tot, quæ ingruerant, flagitiis mundi exitum in limine eſſe colligabat. Veterum traditio de mundi fine poſt millenarium a Chriſti nativitate futuro, circa decimum ſæculum ad loca ſancta & Monaſteria erigenda plurimos compulit, ut facultatibus ante diem ultimam dimiſſis, rebus hiſce ſoluti coram ſupremo Judice ſiſterentur.

Paſchalis II. (11) anno 1105. Concilium Florentinum coegit ex quadraginta ſupra trecentum Epiſcopis, ubi Fluentium Florentiæ Epiſcopum condemnavit, quod Anti-Chriſtum jam natum protuliſſet. Abbas Joachim duodecimo ſæculo Anti-Chriſtum poſt annos 60. venturum credidit. Arnaldus de Villanova venturum ſtatuit anno 1326. Petrus Alliacenſis Cardinalis, & Epiſcopus Cameracenſis ex ſuis Aſtronomicis ſpeculationibus anno 1789. proditurum determinavit. Cardinalis Cuſanus 1700. ſeu 1734. Joannes Picus Mirandulanus 1994. Franciſcus Meletius 1530. ſeu 1540. Joannes Pariſienſis 1560. Hieronymus Cardanus 1800. nonnulli denique Germaniæ Fanatici 1533. Anti-Chriſtum adventurum ſcripſere. S. Vincentius Ferrerius ſæculo decimoquinto ſcripſit ad Benedictum XIII. quem genuinum Pontificem (12) habebat, Anti-Chriſtum in limine eſſe, cujus ortum jam inde a novem annis ipſe a pio quodam Heremita didicerat. Quod plurimorum, qui idem per auditum acceperant, & plurium Dæmonum, qui inter energumenorum exorciſmos idem fateri coacti fuerant, teſtimonio confirmat.

Has fere omnes prædictiones falſas ex eventu deprehendimus; ceteras vero non ſolidiori innixas fundamento, merito judicamus. Hinc eſt, quod Concilium Lateranenſe ultimum Concionatoribus omnibus etiam futuris; ne Anti-Chriſti adventum, ſeu Mundi exitum in poſterum ſtatuerent, interdixit [13]: quod utique præſtari ab iiſdem non poſſet, quin & in temeritatis notam inciderent, & Scripturæ adverſarentur, a qua hæc accepimus: *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate* (14).

Iniquitatis myſterium ſua ætate jam cœpiſſe perfici S. Paulus aſſerit (15); noſque ibi Neronem, quod inum imperium ſceleribus cumularit, ab Apoſtolo deſignari, ex Veterum plurimis [16] jam ſatis intelligimus. Theſſalonicenſibus addit Apoſtolus, Anti-Chriſtum tunc temporis non adhuc adveniſſe, quod *diſceſſio*, ſeu *Apoſtaſia primum venerit*, oportaat. Per quæ verba populorum adverſus Romanum Imperium ſeditionem, & Imperii ejuſdem everſionem præferri quidam ferunt; quidam vero, Fidelium per Apoſtaſiam ſchiſma, & hæreſes ab Eccleſia Matre defectionem induci tuentur. Teſte denique ipſo Chriſto, Evangelium in omnes omnino regiones illatum prius fuerit, oportet (17) *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo Orbe, in teſtimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet conſummatio*.

Hæc tria loca: *Myſterium jam operatur iniquitatis*; *diſceſſio* ſeu Apoſtaſia *primum venerit, oportet*: *Prædicabitur hoc Evangelium Regni in univerſo orbe … & tunc veniet conſummatio*, quid ſignificent, Patres atque interpretes non conveniunt. Plures enim primum de Neronis Imperio; alii ſecundum de Judæorum in Romanos defectione; alii denique de Templo, & Urbe Jeroſolymitana a Romanis evertanda ultimum explicant. Omnes tamen Anti-Chriſti adventui præmittenda alio ſenſu deſignari poſſe conſentiunt, cui quidem ſententiæ Veterum & Recentiorum pleriqne ſubſcribunt.

Antequam igitur homo peccati ſe exhibeat, per hæreſes, & morum corruptionem iniquitatis myſterium perficiatur, & penitus adimpleatur, oportet; hinc Servator ajebat (18): *Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Præterea Romanum Imperium per Regnorum, & Provinciarum ſeparationem, & populorum ſibi parentium ſeditiones, neceſſe eſt evertatur; & in regionibus omnibus Evangelium prædicetur, ut omnes veritatis lumine perfundi poſſint, & nemo, quod Fidei non adhæſerit, excuſationem afferat.

Plura ex his, quæ attulimus, exitu jam comprobata perſpicimus, Charitatem videlicet infirmatam, & in Fidelium pleriſque jam prope extinctam. Fidem & Veritatem ab innumeris hæreſibus oppugnatam; unionem per ſchiſmata ſciſſam; Regna, & Provincias ab Eccleſia Catholica penitus ſejunctas, veritates enervatas; pietatem interitui proximam; errores, flagitia, morum denique omnium fere ubique graſſantem corruptionem. Quæ omnia myſterium iniquitatis in Eccleſia impleri utique oſtendunt. An vero illud eo perveniſſe, quo Chriſtus denunciat, & quo Paulus perventurum prædixit, temere aſſeramus? Vel Apoſtoli ætate impleri quidem cœperat; at quandonam implendum omnino fuerit, quis nobis aperuit? Chriſti adhuc Eccleſia plurimos numerat, qui conſtanti Fide & fervida Charitate inſtructi, ad ſæculi flagitia non defluxere; plurimos adhue Homines Dei

recen-

(1) *Tertul. de fuga in perſecutione c. 2.* (2) *Cyprian. Epiſt. 66. ad Tibaritanos. Vide & ad Fortunatum. Ep. 53. Et in fine, atque conſummatione Mundi Anti-Chriſti tempus infeſtum appropinquare nunc cæp. &c.* (3) *Hilar. contr. Auxentium n. 5. p. 1265.* (4) *Baſil Epiſt. 71.* (5) *Ambroſ. l. 10. in Luc. c. 3. & Orat. de obitu Fratris ſui Satyri. Raptus eſt ne totius orbis excidia, mundi finem videret.* (6) *Hieronym. ad Ageruchiam.* (7) *Sulpit. Dialog. 1. Non eſſe autem dubium, quin Anti-Chriſtus malo Spiritu conceptus eſſet, etiam in annis puerilibus conſtitutus, ætate legitima ſumpturus imperium.* (8) *Chryſoſt. hom. 33. in Jo. circa finem.* (9.) *Gregor. Magn. lib. 4. ep. 34. & ep. 38. & hom. 1. in Evangel.* (10) *Bernard. in Pſal. 90. ſerm. 6.* (11) *Vide Hieronym. Vitlm. lectione 6. de ſex diebus conditi orbis, & Malvend. de Anti-Chriſto lib. 1. cap. 37. & 38.* (12) *Dies 27. Julii Epiſtola appoſita eſt ann. 1412.* (13) *Concil. Lateranenſ. cap. 11. Superna Majeſtatis &c.* (14) *Act. 1. 7.* (15) *2. Theſſal. 2. 3. &c.* (16) *Hieronym in Dan. 11. Auguſt. lib. 20. de Civit. cap. 19. Victorinus in Apoc. 13. alii.* (17.) *Matth. 24. 14.* (18) *Luc. 18. 8.*

recenſet, qui ante Baal minime procubuere. Si hæreſis, ſchiſma, & Mahometi nequitia Fideles innumeros ab Eccleſia extorſerunt, divinitus actum eſt, ut, America detecta, innumeri pariter earum regionum incolæ ad Fidem accederent. Hæreſes præterea ad ſcientiam Eccleſiaſticam inſtaurandam, ad Paſtorum zelum excitandum, & Fidelium pietatem augendam contulerunt. Hinc de proximo Anti-Chriſti adventu nil jure concluditur.

Licet autem Romanum Imperium, quod Provinciæ, Regna, & populi innumeri ab eo deficientes, ejus quoque jugum excuſſerint, valde infirmatum videatur; nihilominus everſum penitus non conſtat. Extat adhuc in Germanico Imperio, cujus Imperatores veterum Cæſarum legitimi ſucceſſores ſunt. An hujuſmodi Imperium omnino ante Anti-Chriſtum delendum ſit, quodve temporis intervallum inter hujus adventum, & illius everſionem, neceſſe eſt intercedat, nobis Deus non aperuit. Si forte non omnino evertendum, ſed tantum ſit infirmandum, quo perventura eſt ea infirmitas, ut inde proximum Anti-Chriſtum eruamus? De his omnibus neque revelatione, neque traditione quidquam accepimus, quod certam notitiam afferat, & noſtram ambiguitatem tollat.

Quamvis denique in omnes, quarum apud nos cognitio, regiones Evangelium forte delatum ſit, nullum prorſus populum adhuc nos latere quis aſſerat? Sunt qui ultra meridionalem Oceanum regionem adhuc late detegendam defendunt. Eſto tamen, nulla regio notitiam noſtram effugerit, quis Fidei Præcones in omnes penitus Aſiæ, & Africæ oras ſe contuliſſe affirmet? Plurima eſſe remotiſſima loca, quo Itinerantes numquam pervenere, & a noſtris Geographis ignorantur, omnes conveniunt. His ne igitur Evangelii Præcones Fidem denuntiaverint? Scimuſne præterea, ad quem uſque modum Deus populis denunciari, cognoſci, & Evangelium exerceri decreverit? An ſufficiet, ſi illud plurimi audierint, quin exceperint, vel a pleriſque exceptum alii rejecerint? An demum ſatis forte, ſi omnes ad Fidem acceſſerint, eique ſtaturo quodam tempore adhæſerint, itaut ſinguli, quos Deus beatitudini deſtinavit, æternam conſequuti fuerint felicitatem? Quamvis igitur Scriptura Anti-Chriſti prænuncia nobis præferat, quo tamen tempore adventurus ſit, penitus ignoramus: quare non modo ejus adventus annum, ſed neque ſæculum ſtatuere audemus.

ARTICULUS V.

De Origine, Nativitate, & Educatione Anti-Chriſti.

EX Judæorum progenie Anti-Chriſtum egreſſurum, Patres omnes, & Interpretes conveniunt. Author S. Hippolyti nomine vulgatus, ſicut, inquit (1), Chriſtus ab Judæis, ita ab iiſdem Anti-Chriſtus prodibit. Hilario Diacono teſte (2), circumcidetur, & in mediis Judæis orietur, ut populus iſte eidem adhæreat, eique ſe, ſuaſque res omnino committat. S. Hieronymus illud Danielis explicans: *Aſcendet in modico populo*, Anti-Chriſtum ab Judæis oriturum refert (3): *Conſurgere debet Anti-Chriſtus de modica gente, id eſt de populo Judæorum.* Quamvis autem, ſubdit, Judæorum nemo toti unquam orbi dominatus fuerit, Anti-Chriſtus omnibus regionibus imperabit: *Nullus Judæorum, abſque Anti-Chriſto, in toto unquam orbe regnavit* (4).

Unanimiter & Patres & ceteri, Anti-Chriſti parentes ex Tribu Dan futuros arbitrantur, quo ſenſu accipiunt illud Jeremiæ (5): *A Dan auditus eſt fremitus equorum ejus, a voce hinnituum pugnatorum ejus commota eſt omnis terra; & venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus, Urbem, & habitatores ejus.* Illud Jacob ſimiliter explicant (6): *Dan judicabit populum ſuum, ſicut & alia Tribus in Iſrael. Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens ungulas equi, ut cadat aſcenſor ejus retro.* Putant denique, Joannem Evangeliſtam (7) cum Tribus Iſrael recenſuiſſet, Tribum Dan idcirco omiſiſſe, quod ex illa Anti-Chriſtum egreſſurum agnoſceret.

Qui equidem Textus, atque argumenta, neque perſpicua ſunt, neque convincunt, & ſine Patrum conſenſu, ad Anti-Chriſtum credi poſſent nullatenus pertinere. Licet autem ea ſententia tot fautoribus invaleſcat; nihilominus Bellarminus (8) non niſi probabilem, & eorum Textuum allegoricam explanationem habendam cenſet. S. Irenæus (9), Pſeudo Hippolytus (10), S. Ambroſius (11), S. Auguſtinus (12), Theodoretus (13), S. Gregorius Magnus (14), Author Tractatus de Anti-Chriſto, qui inter Auguſtini opera occurrit, & S. Proſper (15), Anti-Chriſtum a Tribu Dan ortum ducturum defendunt. Aretas vero, Beda, Primaſius, Rupertus, Haimon, aliique non pauci Apocalypſis Interpretes, S. Joannem Tribum Dan præteriiſſe ferunt, quod ex ea Tribu Anti-Chriſtus ſit egreſſurus (16).

Ad cujus opinionis fulcimentum Tribum Dan trans Euphratem vel Babylone, vel in Babylonia adhuc ſubſiſtere, ibique Anti-Chriſtum oriturum, & Imperium auſpicaturum affirmant. Cui ſententiæ, addit Hieronymus, (17) unanimis Patrum & Interpretum Catholicorum conſenſus favet. *Noſtri interpretantur hæc omnia de Anti-Chriſto, qui naſciturus eſt de populo Judæorum, & de Babylone venturus.* Quare qui poſt Hieronymum ſcripſere, eidem opinioni ſubſcribunt, Aretas etiam, cujus apud nos Commentarium Græcum in Apocalypſim (18), Anti-Chriſtum a regione trans Euphratem venturum aſſerit. Cum vero Babylon ad nihilum ferme redacta ſit, & ultra mille ab hinc annis adeo ſui ipſius obruta ruinis, ut, ubi quondam condita fuerit, ne veſtigium quidem exhibeat, qui Babylone Anti-Chriſtum oriturum volunt, eam urbem rurſus ædificandam arbitrentur, vel forte myſtico & allegorico ſenſu Babyloniam accipiant, oportet. Lactantius Anti-Chriſtum e Syria ducit: *Orietur ex Syria, malo ſpiritu genitus, everſor, ac perditor generis humani.*

De Anti-Chriſti patre inter Scriptores non convenit. Dæmonem a perditiſſima fœmina (19) Anti-Chriſtum excepturum quidam tulere. Neque ea opinio nobis admirationem ingerat; Veterum enim plurimi (20) a Dæmone poſſe fœminas gravidari, imo & plures gravidatas ſentiebant. De Angelis filiarum hominum amore captis, & de Gigantibus ante diluvium ab eorumdem concubitu progenitis, nonnulli Patres quid ſcripſerint, ſcimus. Authores ex veteribus,

(1) *Pſeudo-Hippolyth. de conſummat. mundi.* (2) *Ambroſiaſt. in 2. Theſſal. 2.* (3) *Hieron. in Daniel. 11.* (4) *Hieronym. ibidem.* (5) *Jerem. 8. 16.* (6) *Gen. 49. 16.* (7) *Apoc. 7. 5. &c.* (8) *Bellarm. l. 3. c. 12. de Summo Pontifice, Vide & Suarez tom. 2. diſp. 54. ſect. 2.* (9) *Iren. l. 5. adverſ. hæreſ. c. 38. Hieremias Tribum, ex qua veniet, manifeſtavit, dicens; De Dan audivimus vocem velocitatis equorum ejus &c.* (10) *Pſeudo Hyppol. orat. de conſumm. mundi. Ille certe (Anti-Chriſtus) naſciturus eſt ex tribu Dan.* (11) *Ambroſ. l. de Benedict. Patriarch. c. 7. & in Pſal. 40.* (12) *Auguſt. q. 22. in Joſue. Talia dixit de iſto Dan, ut de ipſa Tribu exiſtimetur exſurrecturus Anti-Chriſtus* (13) *Theodoret. q. 109. in Geneſ.* (14) *Gregor. Magn. l. 31. in Job. c. 18. Nonnulli enim de Tribu Dan venire Anti-Chriſtum ferunt &c.* (15) *Proſper de promiſſion p. 4.* (16) *Vide Malvend. l. 2. c. 11. & ſeq. de Antichriſto, ubi citat Eucher. in Geneſ. 49. Alcuin. qu. in Geneſ. Raban. Opuſcul. de Anti-Chriſto, alios plurimos.* (17) *Hieronym. in Dan. 11.* (18) *Aretas in Apoc. 9.* (19) *Lactant. l. 16. c. 17. Alter Rex orietur ex Syria, malo ſpiritu genitus. Sulpit. Dialogo 2. de S. Martino. Hieronym. in Iſa. 17. Conſummato Anti-Chriſto, & parente ejus Diabolo. Beda in Apoc. 8. Author lib. de Anti-Chriſto inter opera S. Auguſtini.* (20) *Vide Bellarm. lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 12. Malvend. de Anti-Chriſto lib. 2. cap. 8. Valleſ. de Sacra Philoſoph. cap. 8.*

& ex recentioribus innumeri, incuborum, & ſuccuborum, maribus & fœminis noctu illudentium, Dæmonum meminere. Neque præſtantiſſimi deſunt Scriptores, qui fœminas implendi virtutem Dæmoni tribuant, non quod per ſe ipſum id præſtet, ſed per ſemen ab aliquo homine ereptum, & in fœminam callide infuſum.

Facile quidem Philoſophorum argumentis hanc opinionem refelleremus, ſi hæc id expoſceret Diſſertatio. Quin vero ad Phyſicam confugiamus, hæc utique ſententia Servatoris noſtri ex Matre Virgine Nativitatis prodigium evertit, & vehementer infirmat. Si enim Dæmonis ope præter miraculum, quin viro adhæreat, mulier concipiat, quare & Angeli induſtria præſtari non valeat? Si vero Angelus, & Dæmon ea in re virtute ſuam exerceant, ruit protinus argumentum, quo Jeſum Chriſtum, quod ex Virgine ortum duxerit, Meſſiam, & Deum comprobamus. Hoc autem miraculum ita omnium vires exhaurit, ut, Auguſtino teſte [1], neque a Dæmone, neque a ceterorum quolibet præſtari valeat. Conſtat itaque, a Dæmone arte ea, quæ præfertur, ullum hominem procreari non poſſe, & ea propter neque Anti-Chriſtum ex matre, quæ viri conſuetudine uſa non fuerit, minime progreſſurum.

Putant alii, Anti-Chriſtum non hominem fore, ſed Dæmonem humana carne indutum: *Unus de hominibus, in quo Satanas habitaturus ſit corporaliter* (2); alii vero & Dæmonem ſimul & hominem fore, vere humana natura ex anima & corpore præditum, & vere etiam Dæmonem, quod Satanas, veluti anima corpus, eum quodammodo animaturus ſit. Porro, ait Hilarius Diaconus (3), ſicut Jeſus Chriſtus in aſſumpta humanitate Divinitatis ſuæ majeſtatem editis prodigiis oſtendit; ita Dæmon in Anti-Chriſto falſis ſignis Deum ſe eſſe demonſtrare conabitur. Quin & Virgine Matre, non ſecus ac Chriſtus, juxta falſi Hippolyti opinionem, ſe natum oſtentabit, quamquam Chriſtus veram, ille vero phantaſticam carnem ſit ſuſcepturus (4).

Opiniones has Philonis (5), Origenis (6), Tertulliani (7), Rabbinorum (8), aliorumque, Dæmones videlicet & Angelos naturam poſſe humanam aſſumere, ſi nobis refellere proponamus, plus nimio Diſſertatio eſſet protrahenda. His itaque prætermiſſis, ea præferenda eſt ſententia, quam probat Eccleſia, & Chryſoſtomus (9), Theodoretus, Theophylactus, Rabanus Maurus (10), & vulgo omnes docent, Anti-Chriſtum nempe verum futurum hominem, qui Dæmoni, ut in Fideles omne crudelitatis, ac malitiæ genus exerceat, omnino obſecundabit. Porro ſicut Jeſus Chriſtus nobis ſalutem allaturus, naturam humanam, noſtraſque infirmitates aſſumpſit; ita Satanas eum inter homines ſecernet, quem, ut homines decipiat, ſibique Meſſiæ nomen vendicet, ſuæ malitiæ magis accommodum judicabit.

Docentes, Anti-Chriſti matrem omnium fœminarum libidinoſiſſimam futuram (11), ſeu illum oriturum ex inceſtu Patris cum filia, vel filii cum matre, vel fratris cum ſorore, vel demum ex matre voto, ac ſacramento virginitati obſtricta, ipſi ſibi conſtare non poſſunt. Si ex matre perditiſſima, & famæ jam deploratæ ortum ducturus eſt Anti-Chriſtus, quomodo ſeſe Virgine ſatum jactabit, ut Meſſias valeat reputari? Quomodo etiam ex Judæis Parentibus generandus, ſi matrem religioſa profeſſione Deo mancipatam eſt habiturus, cum Judæi Virginitatem profiteri minime conſueſcant? Sunt qui affirment [12], illam ſub ementita ſolitudine, pietatis ac puritatis ſpecie corruptiſſimos mores ita Dæmonis ope occultaturam; ut ipſi ejus cognati, & familiares nil tale de ea poterint cogitare. Addunt præterea, ex iis incognitis hominibus, qui ſecreto ad eam accedent, quibus ſui copiam faciet, hominem peccati, quin ejus Patrem agnoſcat, concepturam, & filium illum maledictionis fructum efformandum, poſſidendum, & a Dæmone gubernandum, divino miraculo de ſe adhuc Virgine genitum promulgaturam. At quibuſnam fraudibus, & mendaciis ſuo teſtimonio fidem acquirat? Si Matris Jeſu Chriſti Virginitas infirmis adeo fulcimentis innixa fuiſſet, eorum, qui Servatori crediderunt, Judæorum fidem ſibi forte comparaſſet?

Rabanus Maurus [13] ex Parentibus communibus Anti-Chriſtum oriturum, in peccato, & per peccatum concipiendum, & veluti ex peccatis compingendum putat; e peccatis præterea non emerſurum, ut ejus horoſcopus, quo peccati homo præfertur, adimpleatur. Dæmoni permittet Dominus, ut a conceptione Anti-Chriſto potitus, ad extremum uſque ſpiritum non derelinquat. Sicuti enim Spiritus Sanctus in Virginem puriſſimam ſuperfuſus, donis ſuis eamdem cumulavit, & in ipſius utero vitæ & ſanctitatis germen efformavit, ut fructus, quem peperit, Sanctitas ipſa & eſſet, & diceretur; ita, proportione ſervata, nequiſſimus Spiritus Anti-Chriſti parentem ſuperimplebit, ut filius quem fuderit, maledictionis fructus, & filius perditionis habeatur.

E variis hiſce de origine & ortu Anti-Chriſti conjecturis certi nihil hauriri poſſe fatemur. Neque certius Quidquam de ejus educatione invenimus. Quid tamen de hominis in peccato concepti, per Dæmonem, ut ſibi in flagitiis omnibus peragendis obſecundet, efformati, & peſſimis tam corporis, quam ſpiritus diſpoſitionibus affecti educatione cogitemus? Satanas, a quo potiſſimum ad prava quælibet erudiendus, nihil ſane præteribit, ut alumnum ſe dignum, & ad ſua perditiſſima conſilia compoſitum conſtituat; is vero diſcipulus nequiſſimæ diſciplinæ nimium capax, nil intentatum omittet, ut tanti præceptoris documenta omnia exequatur. Peſſimas animi qualitates, & propenſiones nequiſſimas vel a teneris annis ita exhibiturum cenſent, ut qui ſit in poſterum evaſurus, cumque præcipuum eſſe Dæmonis alumnum & filium, nullo negotio inde percipi poſſit [14].

Verumtamen ſi Anti-Chriſtum vel a puerilibus annis ita perditum conſtituamus, quomodo id conſtabit, quod alibi diximus, & Patres aſſerunt, hominem nempe peccati omnium maximum hypocritam evaſurum, ac ſpecie pietatis, & ſcelerum & idololatriæ ſimulato odio Fideles potiſſimum decepturum? Illud ſane per hypocriſim facilius conſequetur, ut & veluti Meſſias habeatur, & veluti Deus adoretur. Dæmonis per hunc iniquitatis filium tot malis mundum obruere cogitantis intereſt, ut is lucis filium, & Sanctitatis germen hominibus ſeſe exhibeat: quare id illi maxime curandum credimus, ut omnem ſanctitatem exterius præferat, interius vero ab omni virtute longiſſime diſcedat.

Ut præterea præſtantiſſima omnium artium ſcientia decoretur, quas per ſe ipſum facillime, quin erudiatur a præceptore, ſibi comparare videatur; ut identidem ſuam conſueta multo majorem perſpicaciam præferat, ſeque hominem ingenti admiratione dignum oſtendat; ut omnia magiæ arcana perdiſcat, eaque identidem ad praxim ex induſtria redigens, de ſe nomen humano majus hominibus ingerat. Quæ omnia Satanæ, per Anti-Chriſtum homines in fraudem impellere apparantis, conſiliis maxime conducent. Porro ut Scripturas Sacras, argumenta ſuis fraudibus faventia inde exhauſturus, optime teneat; Theologorum ſententias; Philoſophorum ſyſtemata; varia Religionum, Chriſtifidelium præſertim, Judæorum, & Mahometanorum dogmata præſtantiſſime calleat; numquam vero immature nimis malitiam, ſævitiam, & impietatem proferat. Hinc enim fieret, ut omnia

ſui

(1) *Auguſt. Ep. olim 3. nunc 137. cap. 4. num. 13.* (2) *Hieronym. in Daniel. 7. Ita & Beda in Apoc. 13.* (3) *Ambroſiaſt. in 2. Theſſal. 2.* (4) *Hippolyt. de Conſumm. mundi* (5) *Philo de Gigantib. p. 286. &c.* (6) *Origen. tom. 2. in Joan. Vide & Hier. in Agg. 2.* (7) *Tertull. l. 3. cont. Marcion. c. 9. & de carne Chriſti cap. 3.*

(8) *Vide Lyran. in Joſue 2. 4. &c.* (9) *Chryſoſt. in 2. Theſſal. 2. Theophyl. ibidem* (10) *Raban. Opuſcul. de Anti-Chriſto.* (11) *Vide Pſeudo-Hippol. Orat. de conſumm. mundi. Ephrem Syr. ſerm. de Anti-Chriſto. Damaſcen. l. 4. de fide c. 27.* (12) *S. Hildegardis ex Chriſti revelatione.* (13) *Opuſ. de Anti-Chriſto.* (14) *Vide Malvend. l. 2. c. 19. & ſeq. de Anti-Chriſto.*

ſui Præceptoris Satanæ conſilia ruerent, & ab ipſo quiſque animum averraret.

Ceterum eum Anti-Chriſtum a Dæmone afformandum, nrudiandum, & poſſidendum dicimus, Eoargumenorum initar, ſpiritus ſui uſu, ratione, & libertate deſtitutum non aoſtituimus; ſpiritu nnim ſuo, & libertatis arbitrio omnino pollabit, nequa eodem, niſi ubi ſibi aollibitum ſnarit, abutator. Satanæ anaatus nullam parditioois filio vim inferent; qui tamen a Deo perditiſſimæ ſuæ voluntati derelinquetur; qnare Dæmon oaque ex gratia, naqua ax Cœli lumine, neqne ex ipſa nequiſſimi viri voluntate ullum ſuæ malitiæ obſtaculum oſtendet. D. Thomas (1), cui nonnolli Theologi ſubſcripiere, Cuſtodem Aogelum ei adſuturum porat, qui, ne per eum, quæcumqun volar, mala ingerst, Dæmonem cohibabit. Alii vero, eum inamnndabili pravirate affectum Maſſiæ Fidem, & honores divinos præſtari ſibi præſumentem intelliget, ab Aogelo ſtatim derelinquendum arbitrantur.

ARTICULUS VI.

De Imperio, Bellis, & Morte Anti-Chriſti.

DE loco ubi Anti-Chriſtus Imperium ſuum exordietur, ioter Scriptores ſatis eonveoit (2). Sicuti Babylone oritorus, ita in ea Urba Regnum ereditur auſpicaturus. Omoam induſtriam, politiam, magiam, præſtigia, falſaqnn prodigia exerat, ot authoritatem naque origini, naqua virtuti ſuæ debitam conſequatur (3). Ad illum primo accedent Judæi, quibus proinda ſumma Regoi & Aulæ munera aommittet. Plnrima iis videotibus prodigia efficiet, & per ſaoctitatis, manſuetudinis, pietatis, clnmantiæ, juſtitiæ ſpeciem, & per idololatriæ ſcelerumqna ſimnlatum odium, eorum animos ita capiet (4), ut tamquam vero Meſſiæ ſatellli ſubmittentas, Ragnum Iſraal in promiſſionis terra ab eo inſtaurandum ſibi ſpondeant.

Novus illico Rex de toto ſibi orbe ſubigendo cogitabir; quare qusmmaximo inſtructo axareitu, per pulaharrimam populos a Tyrannorum jugo arutos libertate donandi, & veram Raligionem reſtitnandi ſpeaiem, omnia tarrarum Imparia, Romanum præſertim tunc tamporis in decem Regna diviſum, omnioo evertare aggredietur (5) primumqua Ægypti, Lybiæ, & Æthiopiæ Rages cæteris præſtantiores aggreſſus, eorum Regna occupabit. *Mittet manum ſuam*, ait Dsniel (6), *in terras, & terra Ægypti non effugiet, & dominabitur theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti, & per Lybiam quoque & Æthiopiam tranſibit*. Horum Ragnorum caſus aliorum ſaptam ruinam ſecum trahat; Principes enim & populi turmatim confluantes ſaſe Victori ſubmittere properabunt.

Anti-Chriſtum in Palæſtina aducandum, ab eoque Bethſaidæ, & Corozaim ſibi imperium nrigandum; demum, ot victorias ſuas in orbem univerſum effundar, indn ngreſſurum, Vaterum nonnulli idairco ſenſeront (7), qnod Servstor in eas Urbas maledictionam enunciaverit (8): *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone facta eſſent virtutes, quæ facta ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*. Veruntamen hac conjectura nihil infirmius; neque hinc Anti-Chriſtum in iis urbibus morarurum, conſtat. Vaterum præterea pla-

Diſſert. Calmet Tom. II.

ſique eum, nonoiſi poſtquam omnas omnino ſegiones ſubegerit, in Palæſtinam advanturum ſcripſare.

Undiqoa aonfluentas Judæi, Anti-Chriſti militiæ nomen dabunt, quod eum, quem tut ſæculis veoturum ſparavarant, Meſſiam eſſe ſibi earto ſuadebunt: quorum exarcitu Dux nequiſſimus Palæſtinam invadat; eaque nollo nagotio ſubacta, imperii ſoi ſedam Jeroſolymis collocabit. Antequam vero hæa egerit, Judæam ingreſſus, Gog & Magog Regas in ſe ipſum fortiſſimis copiis irrumpentes, bello axeipiet; iiſque penitus averſis (9), Judæam omnam eæſorum ſpoliis locupletabit. His geſtis, Anti-Chriſtus totius Univarſi Prinaaps habebitur, ſequa verum Meſſiam jactitans, in Chriſti Ragnum furorem ſuom convertet, & *extollatur ſuper omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur* (10). Tamplum Jaruſalam itarum extitabit, Latriæ aultum impendendum ſibi præcipiens (11). Sunt, qui ſcribant, in Chriſtifidelium Templis ſeſſurom, ut a Fidei perduelhbus adorationes axcipiat (12)

Tuna ad Anti-Chriſti progreſſus cohibendos, & ad Juſtos in majori, quo eorum unquam aonſtantia tantata fuarit, diſarimine adjuvandos, Enoch & Eliam Dominus axcitabit. Sive hi duo Chriſti Præcones ante Anti-Chriſti manifeſtationem, ut nonnulli Vetares ſentiunt, ſive, ut Patrum plariqua putant (13), poſtquam Vir ille nequiſſimus imperare cœparit, advanturi ſint; illud ſana aonſtat, quod vara prodigia falſis Aoti-Chriſti ſignis objiciant, ejuſque conaribus & præſtigiis anixe adverſabuntur. Qua de re hæc Joannes in ſua Apoaalypſi (14): *Ego dabo* (ſpiritum meum) *duobus teſtibus* (Haooch, & Eliæ (15),) *& prophetabunt diebus mille ducentis* (16) *amicti ſaccis. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eis nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum.... Hi habent poteſtatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipſorum, & poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcumque voluerint. Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo* (Satanas nempe, qui poſſidat, & animat Anti-Chriſtum) *faciet adverſus eos bellum, & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt.* (nempe Jeroſalem) ..... *Et poſt dies tres & dimidium ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos, & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos, & audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in Cœlum in nube.*

Religio, quam Anti-Chriſtus ſtatuet, alia erit ab Idololatria (17), quæ, eum exiſtimationem omnem amiſarit, ejus Fidem prorſus infirmaret. Veteras & recentioras ſuperſtitiones oppugnabit. Judaiſmo æque ac Chriſtianiſmo, & Mahometiſmo adverſatus, ſingularem Religionem conſtituet, cujus Author & Objectum aliud a ſe ipſo non ſuarit. Vararam demum quodammodo inierat recentiori Judaiſmo, cujus cultus in eo ſitus erit, ut ſe ipſum Meſſiam hominem fateantur, & veluti Deum venerantur.

Quæ hucuſque diximus de initio & progreſſu imperii Anti-Chriſti, de victoriis, quibus Ægyptum, Lybiam, & Æthiopiam ſibi ſubmittat, de bello adverſus Gog, & clade, qua hoſtes penitus evertat, certis argumentis non inniti ultro faremur. Ad ea comprobanda mos inolavit, ut Danielis &

 Eze-

(1) *D. Thom. 1. p. qu. 113. ar. 4. ad 3.* (2) *Vide Hieronym. in Dan. 11. Lactant. l. 7. c. 17. Aretam in Apoc. 9. 14. Alios.* (3) *Cyrill. Jeroſal. Catech. 15. Hieronym. Theodoret. Strab. Alii in Dan. 11.* (4) *Hippol. orat. de Conſumm. mundi Ephrem ſerm. de Anti-Chriſto.* (5) *Vide Hieronym. in Dan. 7. & 11.* (6) *Dan. 11. 42.* (7) *Vide Method. Martyr. ſeu alium ſub ejus nomine, Anſelm. in Elucidar. Raban. Opuſcul de Anti-Chriſto.* (8) *Matth. 11. 21.* (9) *Vide Ezechiel. 38. & 39.* (10) *2. Theſſal. 2.* (11) *Vide Iren. l. 5. c. 25. Hilar. in Matth. 24. Cyrill. Catech. 15. Pſeudo-Hippol. &c.* (12) *Hieronym. Epiſt. ad Algaſiam q. 11. Oecum. in 2. Theſſal. 2. &c.* (13) *Victorin. in Apoc. Raban. Opuſ. de Anti-Chriſto Pſeudo-Hippol. Beda, Primaſius &c.* (14) *Apoc. 11. 2. &c.* (15) *Ita PP. & Interpp. paſſim.* (16) *Nempe tribus annis cum dimidio, & toto perſecutionis Anti-Chriſti tempore* (17) *Chryſoſt. in 2. Theſſal. 2. 4. & alii in eumdem locum. Pſeudo-Hippol. Iren. Cyrill. Jeroſ.*

Ezechielis Textus allegentur; qui tametſi hiſtorice & ad litteram vel Epiphanem Antiochum, vel alium Principem deſignent, a Patribus nihilominus aptantur Anti-Chriſto. Ea igitur in re a Patrum auctoritate potiſſimum ducimur, quæ ſane maxime habenda eſt, cum Eccleſiarum veterem de his traditionem ex ea diſcamus. Quamvis autem vel ab aliqua circumſtantia, vel in alicujus facti ordine falleremur. Anti-Chriſtum ſaltem Regem potentiſſimum, & impoſtorem omnium nequiſſimum, futurum, ambigi nullatenus poteſt. Nec Anti-Chriſti inimicorum numerum, neque victoriarum copiam, nec Imperii amplitudinem certo ſcimus: at omnem Satanæ potentiam ei adfuturam, cumque calliditatem, præſtigia, ſigna, & vim omnem ad Imperium ſibi conſtituendum enixe adhibiturum non ignoramus.

Signa ab Anti-Chriſto gerenda Scriptura ſatis memorat (1): *Cujus eſt adventus ..... in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent*. Tria Anti-Chriſti prodigia in Apocalypſi Joannes recenſet. 1. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de Cœlo deſcendere in terram* (2), ut olim Elias (3). 2 *Et datum eſt illi, ut daret ſpiritum imagini beſtiæ, & ut loquatur imago beſtiæ* (4). Oracula nempe ſibi faventia vulgare inſtituet, ſeu quædam ſimulacra magiæ ope ita conſtruet, ut ad ſimplicium ſeductionem verba proferant. 3. Imaginem beſtiæ gladio interfectæ vitæ reſtituet: *Beſtia, quæ habet plagam gladii, vixit* (5): quo etiam illud ſpectat: *Vidi unum de capitibus ſuis* (beſtiæ) *quaſi occiſum in mortem, & plaga mortis ejus curata eſt* (6). Quod de Anti-Chriſti morte, & commentitia reſurrectione, Patrum, & Interpretum plerique explicant (7). Lethali vulnere ſauciabitur, mortuuſque reputabitur, & aliquandiu poſt ceu vitæ reſtitutus prodibit, eaque re captos innumeros ſibi aſſeclas vindicabit.

Jeſu Chriſti reſurrectionis prodigium ea perſpicuitate patet, ut a ſuo Antagoniſta ſimulari non poſſit. Chriſtus vere mortuus eſt; ejus latus perfoſſum eſt; quare vel poſt mortem mortali vulnere affectus fuit. Anti-Chriſtus vero vulnere, quod mortale videbatur, ſauciatus præfertur. Veluti mortuus reputatus eſt, ſed incolumitati reſtitutus, reſurrectionis ſpeciem exhibebit; quare ejus reſurrectio nonniſi ludus atque præſtigium.

Signa cetera, quæ Eccleſiaſtici Authores recenſent, incerta ſunt. Lepra, ut ajunt (8), infectos deterget; paralyticis greſſum reſtituet; Dæmones fugabit; prænunciabit futura; mortuos revocabit; montes transferet; per mare ſicco pede gradietur; ignem e cœlo deducet; diem tenebris, noctem luce perfundet: Soli denique & elementis omnibus imperabit. Hæc omnia conjecturis nituntur. Nos vero præterea, quæ a Scriptura accepimus, permaxima prodigia ab Anti-Chriſto gerenda non ambigimus: quare, qui eadem videbunt, a Deo quidem geri credent, & ſi fieri poterit, ipſi Electi in errorem devenient (9).

An prodigia hujuſmodi vera futura ſint, an falſa, ac virtutes ſupernaturales, an tantum præſtigia prodigiorum ſpeciem præferentia, non decernimus. A S. Paulo mendacia ſigna appellantur (10): *Signis & prodigiis mendacibus*. Quod quidem, de Interpretum plurimorum ſententia (11), ad prodigia fallacia referri poteſt, vel ad vera ideo geſta, ut homines per ea in fraudem impellantur (12). Vel ut improbis vera ſigna interdum geri poſſe Patres non improbant (13); quare a veritate nil recedemus, ſi ab Anti-Chriſto plurima vera ſigna gerenda fore arbitremur, quæ tamen nequiſſimo ſibi ſine propoſito perditiſſimus ille præſtabit.

Quo temporis ſpatio Imperium penes Anti-Chriſtum futurum ſit, Scriptura palam numquam edicit; ipſius tantum perſecutionibus trium annorum cum dimidio ſpatium aſſignat (14). Patrum tamen plurimi ejus imperii tempus cum perſecutionum tempore componunt (15). Tres ſane anni cum dimidio ſatis ſuperque ſunt, ut ea, qua Anti-Chriſtus, felicitate omnium terrarum orbis ſubigatur, utque innumeris Dei famuli calamitatibus obruantur. Hujus crudeliſſimi Principis dies, ut Servator ſpopondiſſe videtur, Electorum gratia contrahentur (16): alter quis ejus impetus declinare, vel fallaciis valeret obſiſtere? Ipſa Eccleſia, quam per mulieris ſpeciem Joannes nobis exhibet (17), Anti-Chriſti furorem verita, confugiet ad *ſolitudinem, ubi habebit locum paratum a Deo, ut ibi paſcat eam diebus mille ducentis ſexaginta .... Et draco perſequetur mulierem .... & mittet ex ore ſuo poſt mulierem aquam, tamquam flumen ut eam faciat trahi a flumine ..... & aperiet terra os ſuum & abſorbebit flumen, quod mittet draco de ore ſuo. Et iraſcetur Draco in mulierem, & abibit facere prælium cum reliquis de ſemine ejus, qui cuſtodiunt mandata Dei, & habent teſtimonium Jeſu Chriſti*.

Nemo ex Dei famulis illius miſerrimi temporis tentatione liberabitur: Anti-Chriſtus enim vel per ſe ipſum, vel per ſuos inſequutus, nihilo abſtinebit, non ſuppliciis, aut promiſſis, non blanditiis, minis, aut prodigiis, ut eos decipiat, & ad interitum perducat. Ammon tantummodo, Moab, & Edom, juxta Danielem (18), ejus cædes idcirco evitabunt, quod ejus omnino voluntati obtemperantes, veluti Meſſiam, & Dei Filium libenter excipient, eique cultum impendent. Edom, Moab, & Ammon nomine nefarii omnes deſignantur, Anti-Chriſto ſe ultro ſubmittentes.

Inter Chriſti aſſeclas & Anti-Chriſti alumnos mille annorum diſſidium (totidem namque annis Juſti vivent in terra) veteres quidam millenarii conſtituentes, adverſus ſanctos bellum ad annos mille protrahendum putavere. Vulgo tamen Juſtos permaxima eo temporis intervallo pace fruituros, & Satanam ſub annorum mille exitum e vinculis ſolutum, ut bellum ſanctis inferat (*), ex abyſſo egreſſurum ſentiunt (19). *Tunc exibit, & ſeducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus eſt ſicut arena maris* (20). *Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra Sanctorum, & civitatem dilectam. Et deſcendit ignis a Deo de cœlo, & devoravit eos, & Diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus in ſtagnum ignis, & ſulphuris, ubi & beſtia, & Pſeudo-Propheta cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum*.

De quo etiam eventu hæc habet Daniel (21): *In tempore illo conſurget Michael Princeps Magnus, qui ſtat pro filiis populi tui, & veniet tempus, quale non fuit ab eo, ex quo gentes eſſe cœperunt, uſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis, qui inventus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt: alii in vitam æternam, & alii in opprobrium, ut videant ſemper*. Ad illud idem tempus certamen, de quo Joannes in Apocalypſi (22), plures referunt (23): *Et factum eſt prælium magnum in Cœlo; Michael, & Angeli ejus præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat & Angeli ejus, & non valuerunt, neque locus inventus eſt eorum amplius in Cœlo. Et projectus eſt Draco ille magnus, ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus, & Satanas qui ſeducit univerſum orbem, & projectus eſt in terram, & Angeli ejus*

cum

(1) 2. *Theſſal*. 2. 9. *&c*. (2) *Apoc*. 13. 13. 14. (3) 4. *Reg*. 1. 10. *&c*. (4) *Apoc*. 13. 15. (5) *Apoc*. 13. 14. (6) *Apoc*. 13. 3. (7) *Vide Greg. Magn. l*. 11. *Ep*. 3. *Primaſ. Bed. in Apoc. Dom Haymon. Auſbert. Richard. Rupert. Anſelm. Strab. Thom. &c*. (8) *Hippol. de Anti-Chriſto*. (9) *Matth*. 24. 24. (10) 2. *Theſſal*. 2. 9. (11) *Cyrill. Jeroſolym. Catech*. 15. *Theodoret. in* 2. *Theſſal*. 7. (12) *Ambroſiaſt. in*. 2. *Theſſal*. 2. *& Chryſoſt. ibidem. Vide Aug. de Civit. l*. 20. *c*. 19. *num*. 4. (13) *Vide Auguſt. de diverſ. qu*. 82. *qu*. 79. *n*. 4. 5. (14) *Apoc*. 11. 2. 3. *Daniel*. 7. 25. *&* 12. 11. (15) *Iren. Cyrill. Jeroſolym. Theodoret. Hieron. Aug. de Civit. l*. 20. *c*. 13. (16) *Matth*. 24. 22. (17) *Apoc*. 12. 6. 14. (18) *Daniel*. 11. 41. (*) *Apoc*. 20. 1. *&c*. (19) *Vide Aug. de Civ. lib*. 20. *c*. 13. (20) *Apoc*. 20. 7. *&c*. (21) *Daniel*. 12. 1. (22) *Apoc*. 12. 7. 8. (23) *Greg. hom*. 14. *in Evang. Victor. Aretas. Haym. Ribera, alii in Apoc*. 12.

cum illo miſſi ſunt. Et audivi vocem magnam in Cœlo dicentem: Nunc facta eſt ſalus, & virtus, & regnum Dei noſtri, & poteſtas Chriſti ejus, quia projectus eſt accuſator fratrum noſtrorum, qui accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri die ac nocte.

Hæc omnia allegorice ſcripta ſunt, & Dæmonis potius, quam Anti-Chriſtiani imperii everſionem referunt, quamquam alterum ab altero indiviſum ſcimus. Ut vero quidquam de Anti-Chriſti exitio præcipuum afferamus, ex Patribus & Interpretibus conſtat (1), perditiſſimum hunc Dei hoſtem ad montis Oliveti faſtigium ſe collaturum, ubi in ſuo tentorio, ac Throno inſidens, nemine opem ferente, occidetur, juxta illud Danielis (2) *Figet tabernaculum ſuum Apadno inter duo Maria ſuper montem inclytum, & Sanctum, & veniet uſque ad ſummitatem ejus, & nemo auxiliabitur ei.* Qui locus de Antiocho Epiphane in urbe Tabes trans Euphratem vita functo ad literam explicatur, verumtamen Anti-Chriſti neci vulgo aptatur. Lactantius teterrimum Anti-Chriſti exitium ita deſcribit (3). In Juſtos in Montem Oliveti ſeſe receptos omnes ſuas copias Anti-Chriſtus impellet, ut eos arcta obſidione primum urgens, vel igne vel ferro penitus tandem exterminet. Quare Juſti iis anguſtiis preſſi, ad Dominum clamabunt; quibus, nocte media enſe veluti Divini Judicis prænuncio e Cœlis delapſo, Jeſus Chriſtus præſto occurret, comitantibus Angelis, atque flamma inextinguibili illum præeunte: Angelis vero Juſtos adjuvantibus, tanta impii clade a tertia hora diei uſque ad veſperum afficientur, ut ipſorum ſanguis inſtar torrentis in vallem deſluat.

Anti-Chriſtus ea clade animis non deſpondens, iterum atque iterum Sanctos invadet; donec tandem quarto commiſſo certamine, penitus enervatus in Victorum manus incidet, & una cum Principibus & Tyrannis, qui eo imperante orbem vexaverint, coram Jeſu Chriſto ſtatuetur; a quo impietatis & flagitiorum omnium ſinguli redarguti, in ignem æternum detrudentur. Unde Lactantius hæc eruerit, ignoramus. Ejus forte ætate de genere & circumſtantiis mortis Anti-Chriſti non conveniebat; ſicut & nunc nos inter non convenit.

Illud ſane conſtat, quod Paulo teſtante didicimus (4): Anti-Chriſtum *a Domino Jeſu ſpiritu oris ſui interficiendum fore*: ſive ille vero Jeſu halitu, ſive ejus verbo, aut imperio, ſive denique terrore, quo vir nequiſſimus coram Domino conſtitutus obruetur, fuerit interimendus. Quo e vivis ablato, iterum paci ſuæ reſtituetur Eccleſia, & nefarii omnes, qui perditiſſimo deceptori adhæſerint, pudore quammaximo afficientur. Judæi porro ſeſe deceptos tandem intelligentes, & de Meſſia tandiu expectato deſperantes, ad Chriſtum, ejuſque Fidem, juxta Scripturas (5), adducentur.

Prolixam forte nimis Diſſertationem hanc abſolvamus; quamvis ſatis contracta videri etiam poſſit, ſi rei gravitas, & amplitudo animadvertatur. Sæpius de hoc argumento data eſt agendi occaſio in Commentariis; & variæ adeo ea de re ſunt opiniones, ut integra Diſſertatione non perfunctorie de illa tractare operæ pretium cenſuerim. P. Malvenda Dominicanus Hiſpanus latum de Anti-Chriſto volumen edidit: illum conſulat, qui plura petit. Contractum ex iis, quæ & ille, & ceteri de Anti-Chriſto referunt, epilogum ſatis nobis ſuperque ſit exhibuiſſe. De quo perditiſſimo Viro certa vix pauca, incerta & problematica ferme innumera vidimus; quare ejus adventus ſtatutum tempus, regio, origo, parentes, infantia, nomen, imperii ſpatium, mortis genus, dubia omnia.

Verumtamen ad mundi interitum certo adventurum ſcimus, qui profecto etiam imperabit, innumeros ſeducet, ſanctos bello vexabit, Meſſiæ nomen & Dei cultum ſibi uſurpabit, & poſtquam brevi imperaverit, a Dei verbo, vel ſpiritu, ſeu ejus juſſu interficietur. Anti-Chriſtos præterea hujus nequiſſimi figuras, & præcurſores, qui ſanctos perosi Veritatem, & Eccleſiæ communionem oppugnarunt, omnibus ætatibus extitiſſe ſentimus. Quamvis denique teterrimo Anti-Chriſti tempore nos minime nunc vivamus, evigilandum nihilominus, & vi, & conſtantia nobis conſulendum, ne Dæmonum, & nefariorum hominum, qui a veritate, pietate, & juſtitia nos avertere ſtudent, præſtigiis, & ſeductionibus obruamur.

DISSERTATIO

De fine & mundi ſtatu poſt judicium.

DE corruptione, & duratione mundi inter ſe Philoſophi non convenere. Quidam enim æternum, incorruptibilem (6), animatum (7), & ipſum tandem Deum eſſe (8); quidam vero creatum, novum, corruptibilem, & tranſeuntem (9) putaverunt. Rabbini (10) etiam ea de re diſſident. Cabaliſtæ periturum, & in nihilum reverſurum; ceteri numquam deſiturum opinati ſunt; verumtamen ita deſiturum plerique defenderunt, ut ad ſtatum perfectiorem redigatur.

Fides & Catholica Religio diſcrimen dirimunt, quibus mundum, nempe terram, & ea, quibus ambitur, aerem, elementa per ignem abſumenda eſſe erudimur. Terribilis hæc mutatio Diſſertationis argumentum eſt. Primo igitur hic rationem; 2. tempus, quo mundus deſinet; 3. an tantum permutandus, vel prorſus in nihilum ſit redigendus; 4. denique, permutandum tantummodo conſtituentes, ejus poſt Judicium ſtatum perpendemus.

Ut plurimum de mundo Scriptura loquitur, non ut eſt reapſe, ſed ut nobis apparet. Terra, quam incolimus, veluti præcipua univerſi pars, cetera veluti terræ & homini accedentia, nobis exhibentur. Hinc ſane fit, ut, cum mundum flammis abſumendum, cœlos novos, novamque terram creandam accipimus, quin Scripturæ veritati obſiſtamus, ea omnia de ſola, quam incolimus, terra explicare pronum ſit. Hanc enim & Scriptura, & ipſi prophani Authores mundum ſæpiſſime appellant, quamvis revera minimam tantum univerſi partem conſtituat. Vide Auguſtinum lib. 20. de Civitate Dei cap. 24.

ARTICULUS I.

De Mundi per ignem interitu.

LOca, quibus Mundus per ignem abſumendus prædicitur, & plura ſunt & perſpicua. *Cœli*, inquit Iſaias

(1) *Hier. in Dan. 11. Theodoret. in Dan. 11. Haym. Strab. ibid. S. Thom. & Anſelm. in 2. Theſſal. 2. alii paſſim.* (2) *Daniel.* 11. 45. (3) *Lact. lib. 7. de divino præmio c.* 17. 19. *& in Epitome.* (4) 2. *Theſſ.* 2. 8. (5) *Oſee* 3. 4. *Rom.* 11. 25. (6) *Vide Philon. lib. Utrum mundus ſit incorruptibilis. Laert. lib. 7.* (7) *Zeno apud Laert. l. 7.* (8) *Laert. li 7. in Zenon. Senec. Epiſt. 97. Totum hoc, quo continemur, & unum eſt, & Deus eſt. Manil lib. 1. Quo putant mundum divino numine verti Atque ipſum eſſe Deum.* (9) *Stoici apud Laert. l. 7. p.* 454. (10) *Vid. Menaſſe ben Iſrael reſurrection. mort. l. 3. c. 4.*

Digitized by Google

Iſaias (1), *ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur*. Alibi etiam (2): *Tabeſcet omnis militiam Cœlorum, & complicabuntur ſicut liber Cœli, & omnis militia eorum* (nempe ſydera) *defluent, ſicut defluit folium de vinea, & de ficu*. *Domine*, ait Pſalmiſta (3), *Cœli peribunt, tu autem permanes & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent . . . . . tu autem ipſe es*. Petrus etiam (4): *Adveniet dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu tranſient; elementa vero calore ſolventur; terra autem, & quæ in ipſa ſunt, opera exurentur*.

Plures Cœli novi, & novæ terræ Iſaias meminit (5): *Ecce ego creo Cœlos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora*. Cui loco alludit Joannes in Apocalypſi. (6) *Vidi cœlum novum & terram novam, primum enim Cœlum & prima terra abiit, & mare jam non eſt*. Servator Dominus in Evangelio (7) de ſæculorum interitu, & de ſecundo ſuo adventu ſæpiſſime loquitur, cujus plurimas circumſtantias in Epiſtola ad Theſſalonicenſes S. Paulus congeſſit (8).

Qua de re, quam Judæi, & Chriſti-Fideles Fide ſciunt, utrorumque teſtimonia referre ſupervacaneum ducimus. Ipſi etiam Philoſophi huic veritati ſubſcripſere. Mundum a flammis prius abſumptum, ex mediis deinde flammis ad formam pulchriorem reformandum, Heraclitus eſt arbitratus (9): Stoici præterea ab eadem ſententia non diſceſſere. Cicero vero ſuam mentem in 2. libro de natura Deorum dilucide aperiens, *Ex quo*, ait, *eventurum, ut ad extremum omnis mundus ignesceret, cum humore conſumpto, neque terra ali poſſet: neque remearet aer, cujus ortus aqua omni exhauſta, eſſe non poſſet: ita relinqui nihil præter ignem, a quo rurſum animante, ac Deo, renovatio mundi fieret, &c.* Lucanus (10), ad Julium Cæſarem carmen convertens, inane eſſe dixit hæc corpora flammis abſumere, quæ una cum ceteris terris aliquando fuerint conſumenda.

Hos, Cæſar, populos ſi nunc non abſtulit ignis,
Uret cum terris, uret cum gurgite ponti,
Communis mundo ſupereſt rogus.

Lucretius mundum aliquando diſſolvendum Memmio oſtendit, cum ab elementis adeo contrariis, aqua nempe, terra, & cœlo, conſtituatur (11)

. . . . Tria talia texta
Una dies dabit exitio; multoſque per annos.
Suſtentata ruet moles, & machina mundi.

Ovidius veterem populorum traditionem memorat, qui cœlos, terram, mare comburenda; & mundum in nihilum reverſurum tenent (12).

Eſſe quoque in fatis reminiſcitur, adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia Cœli,
Ardeat, & mundi moles operoſa laboret.

Phyſici etiam, & Aſtronomi (13) ex ipſa natura Univerſi diſſolvendi argumenta ducunt; plures enim terrarum mutationes animadvertunt, quæ mundi infirmitatem, & ſenectutem oſtendunt. *Scire debes*, inquit Cyprianus ad Demetrianum, *ſenuiſſe jam mundum, non illis viribus ſtare, quibus ſteterat, nec vigore, & robore eo valere, quo ante prævalebat. Hoc mundus ipſe jam loquitur, & occaſum ſui rerum labentium probatione teſtatur.*

Copernicus, Joachimus Rhætius, Gemma Friſius (14), Solem ad terram nimium accedere, compertum habent. Si terra, ſicut immoderato frigore quandoque vexatur, ut anno 1709. contigit, ita etiam ira immodico, & aſſiduo calore torqueatur, ut a frigore, & humiditate in terræ viſceribus veluti carcere incluſus, ſubterraneus ignis erumpat, quomodo per Ætnam, & Veſuvium ſæpe ſolet; & ignibus, rebuſque combuſtioni aptiſſimis, quibus interius tellus exteriuſque abundat, adjungatur, ſtatim utique fiet, ut flammæ undique per orbem dilatatæ, quodcumque pabulum nactæ fuerint, prorſus abſumant. *Omni flagrante materia, uno igne quidquid nunc ex diſpoſito lucet, ardebit* (15).

Mundi vero, quem nos ſcimus, interitus naturæ opus minime fuerit, ſed Potentiæ Dei prodigium, qui tempore a ſua Providentia ſtatuto, ut Electorum numerus, & ſua de humano genere decreta adimpleantur, elementis, quæ inter ſe cohærentia mundum conſtituunt, & ſervant, permittet, ut bello ſibi indicto, invicem decertent, & ſua ipſorum opera evertant. *Expectatio* [16] *creaturæ revelationem filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eam, qui ſubjecit eam in ſpe; quia, & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.*

Quoniam igitur, juxta S. Petrum (17), *Cœli, qui nunc ſunt, & terra igni reſervati ſunt in diem judicii, & perditionis impiorum hominum*; an ignis ille Judicium anteveniet, an ſubſequetur, inquirimus. Qua de re inter Doctores non convenit; alii enim ante, alii poſt judicium ſtatuunt; alii denique media via incedentes, ignem ante Judicium aggreſſurum, eo Judicii intervallo proſequuturum, poſt Judicium mundi conſumptionem impleturum arbitrantur. Quæ fuſius hic explicanda.

Ignem Judicio præiturum illud Pſalmorum probat [18]: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus. Illuxerunt coruſcationes ejus orbi terræ: vidit, & commota eſt terra. Montes, ſicut cera, fluxerunt a facie Domini, a facie Domini omnis terra. Annunciaverunt Cœli juſtitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.* Præterea ab Apoſtolo accipimus (19): *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit; dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; & uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis probabit.* Quibus Judicio ignis præiturus ſatis innuitur, cum omnium opera, antequam coram Judice ſtatuantur, igne probanda reſerventur.

S. Thomas ex Epiſtola ad Romanos hæc etiam (20) allegat: (21) *Expectatio creaturæ revelationem filiorum Dei expectat; vanitati enim creatura ſubjecta eſt, non volens, ſed propter eum, qui ſubjecit eam in ſpe: quia & ipſa creatura liberabitur a ſervitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Quibus plane creaturæ, inſtar Beatorum corporum, quidem ante Judicium, innovandæ oſtenduntur. Alter denique Apoſtoli textus profertur [22]: *Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur, ipſe autem ſalvus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Noſtra igitur opera, priuſquam coram Jeſu Chriſto, ut de nobis judicet, ſtatuamur, probentur, & igne purgentur, oportet. *Cœli*, inquit Petrus (23), *qui nunc ſunt, & terra igni reſervati ſunt in diem judicii, & perditionis impiorum hominum.* Paulus etiam (24): *Revelabitur Dominus Jeſus de Cœlo cum Angelis virtutis ejus, in flamma ignis dantis vindictam iis, qui non noverunt Deum.*

Ex his omnibus ignis Judicio præiturus ſatis oſtenditur, quod ab unanimi S. Thomæ (25), Magiſtri Sententiarum, Paludani, Durandi, Majoris, Richardi, Gabrielis, Soti & aliorum conſenſu probatur (26). Nihilominus Auguſtinus, poſt Judicium, & mortuorum reſurrectionem ignem arſurum putat. Primum, inquit, Eliæ adventus; deinde

(1) *Iſai.* 51. 6. (2) *Iſai.* 34. 4. (3) *Pſal.* 101. 27. (4) 2. *Petr.* 3. 10. *&c.* (5) *Iſai.* 65. 17. *&* 66. 22. (6) *Apoc.* 21. 1. (7) *Matth.* 13. 39. *&* 24. 3. *&* 28. 20. (8) 1. *Theſſal.* 5. 1. *&c.* *&* 2. *Theſſal.* 2. 2. *&c.* (9) *Simplicius Comment. in Ariſt. de Cœlo l.* 1. *c.* 9. (10) *Lucan. l.* 7. *prope finem.* (11) *Lucret. lib* 4. (12) *Ovid. Metamorph.* 1. (13) *Columel. l.* 1. *c.* 1. *de re ruſtic. Multos jam memorabiles Auctores comperi perſuaſum habere, longo ævi ſitu qualitatem Cœli, ſtatumque mutari, eorumque conſultiſſimum Aſtrologiæ profeſſorem Hipparchum prodidiſſe, tempus fore, quo cardines mundi loco moverentur, idque etiam non ſpernendus Author rei ruſticæ Saſerna videtur accredidiſſe.* (14) *Vide apud Grot. Not. in lib.* 1. *de Verit. Relig. Chriſt. art.* 22. *p.* 120. (15) *Senec. ad Marciam, verſus finem.* (16) *Rom.* 8. 19. *&c.* (17) 2. *Petr.* 3. 7. (18) *Pſal.* 96. 3. *&c.* (19) 1. *Cor.* 3. 13. (20) *S. Thom. in* 4. *diſt.* 47. *qu.* 2. *art.* 3. (21) *Rom.* 8. 19. *&c.* (22) 1. *Cor.* 3. 15. (23) 2. *Pet.* 3. 7. (24) 2. *Theſſ.* 1. 7. 8. (25) *D. Thom. in* 4. *diſt.* 47. (26) *Vide Thomam in Epiſt. ad Hebr. c.* 1. *diffic.* 13. *ſect.* 6. *& Cornel. a Lapide in* 2. *Petr.* 3. 7.

Digitized by Google

de Judæorum converſio; Anti-Chriſti perſecutio; Jeſu Chriſti Judicium; mortuorum reſurrectio; Juſtorum ab improbis diſcretio, incendium denique & totius mundi innovatio (1). Alibi etiam Cœlum hoc, & hanc terram peracto Judicio deſituram aſſerit, & Cœlum novum, novamque terram conſtituit (2), juxta illud Apocalypſis (3): *Vidi Thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, a cujus conſpectu fugit terra, & Cœlum.*

Cado hic ejuſdem Auguſtini verba, quibus poſt Judicium orbis innovationem futuram dilucide oſtendit: *Peracto quippe Judicio, tunc eſſe deſinet hoc Cœlum, & hæc terra, quando eſſe incipiet Cœlum novum, & terra nova.* Eodem etiam de Civitate Dei Libro ſibi objicit (4). Si totum poſt Judicium orbis eſt comburendus, & ignis Cœli & terræ innovationi præibit, ubi Sanctorum corpora vitæ jam reſtituta eo univerſalis conflagrationis intervallo morabuntur? Reſpondet, Sanctos ſe in ſuperiores aeris regiones elatuтos, quo flamma non aſcendet, quemadmodum & quindecim tantummodo cubitis montes altiſſimos diluvii unda ſuperexceſſit. *Talia quippe*, ſubdit, *illis inerunt corpora, ut illic ſint, ubi eſſe voluerint; ſed nec ignem conflagrationis illius pertimeſcent, immortales, & incorruptibiles facti.*

Ludovicus Tena (5), & Cornelius a Lapide (6), ut ſententiam utramque componant, a Deo ignem, qui orbem abſumet, primo excitandum ferunt; ſive Deus ignem illum juxta aliquos ab inferis educturus ſit; ſive e cœlo, juxta alios, demittat, ut olim in Sodomam, aliaſque flagitioſas Urbes demiſit; ſive denique res ipſas terreſtres combuſtioni aptas per Angelos incendat, ut Scholaſtici vulgo arbitrantur (7). Prior iſte ignis, qui ſtatim omnem terræ ſuperficiem comburet, atque homines omnes & animalia interficiet (8), in omnem omnino orbem effuſus omnia vorabit, præter eam telluris partem, quæ, Domino ibidem Judicium exercente, veluti Divinæ Juſtitiæ theatrum conſtituetur. Judicio peracto, partes ignis ſubtiliores in locum ſibi naturalem, nempe, ut ajunt, in ignis regionem ſupra aerem, revertentur; partes vero craſſiores una cum improbis in inferos detrudentur. Verumtamen hunc rerum ordinem Contemplantium, & Scholaſticorum potius meditamentum habemus; ſatiuſque ducimus ea ſilentio præterire, de quibus nonniſi temere loqueremur.

Veterum Patrum plurimi ignem, quo mundus comburatur, in homines ſingulos Divinæ Juſtitiæ inſtrumentum futurum docuerunt. Omnes per ignem tranſibunt, & uniuſcujuſque opus ignis probabit. Juſti omnibus ſordibus, quibus forte abſtergendi erunt, purgabuntur; quare & poſt ultimam diem Purgatorium deſinet. Qui vero, quibus purgentur, caruerint, puriores ab igne egredientur, quemadmodum pretioſiora metalla, quin ſeu lædantur, ſeu minuantur, ab igne educuntur.

Ego puto, inquit Origenes (9), *quod & poſt reſurrectionem ex mortuis indigeamus Sacramento eluente nos, atque purgante, nemo enim abſque ſordibus reſurgere poterit.* Quo autem in altera vita baptiſmate abluamur, niſi igne, per quem tranſibimus? Cui quidem opinioni, poſt Origenem, Ambroſius ſubſcribit (10): *Omnes oportet per ignem probari, quicumque ad Paradiſum redire deſiderant.... Omnes oportet tranſire per flammas &c.* (11). Putat præterea, ignem illum deſignatum fuiſſe per Angelum, qui flammeo gladio Paradiſi terreſtris aditum tuebatur. Duo Sermones, quos Auguſtino olim tribuerunt (12), omnes homines poſt Judicium per ignem tranſituros ferunt; flammas vero aliquo modo intelligentes ea tantum pœna nos affecturas, quam peccata noſtra repoſcent. *Quanta fuerit peccati materia, & pertranſeundi mora; quantum exegerit culpa, tantam ſibi ex homine vindicabit quædam flammæ rationalis diſciplina.* Author idem (13) Jacob Patriarcham omnibus maculis in hac vita a Deo purgatum aſſerit, ut in altera nil, quod ureret, ignis iſte reperiret. *Ab illo omnes maculas peccatorum abſterſit, ut in eo ignis ille arbiter, quod exureret, invenire non poſſet.*

S. Hilarius (14) pluries hujus ignis meminit, quo homines etiam Juſti poſt hanc vitam comburentur. Quis diem illam teterrimam concupiſcat, qua vel inanium verborum ratio nobis erit reddenda, quave terribili, peccatis nos abſtergente, igne vexabimur? *An cum ex omni otioſo verbo rationem ſimus præſtituri, diem Judicii concupiſcemus, in quo nobis eſt ille indefeſſus ignis ſubeundus? &c.* Hunc ignem baptiſmi nomine appellat (15).

Hujus ignei baptiſmi, qui nos Judicii die a ſordibus abſterget, & apud Baſilium mentio (16); & probos & improbos per ignem tranſituros Lactantius (17) aſſerit, hoc tamen diſcrimine, quod probi nulla pœna a flamma afficientur; *Tanta enim virtus eſt innocentiæ, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius, qui accepit a Deo hanc poteſtatem, ut impios urat, Juſtis obtemperet.* Improbi e contra comburentur, quin abſumantur: *Nam divinus ignis una eademque vi, atque potentia & cremabit impios, & recreabit. Et quantum e corporibus abſumet, tantum reponet; ut ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit, quod Poetæ in vulturem Titii tranſtulerunt.*

S. Thomas (18), S. Bonaventura (19), Leſſius (20), & alii plures ab igne, qui Judicio præibit, omnes homines & bonos & improbos interimendos, & pœna peccatis, quibus quiſque invenietur obnoxius, reſpondente, torquendos eſſe arbitrantur; Juſti vero ab omni omnino ſorde immunes nullo dolore cruciabuntur. Ceteri eas, quas culpæ exegerint, pœnas rependent. Nil ſane prohibet, quominus ignem hoc ſenſu explicatum Judicio præiturum admittamus, qui & ſingulos, & ſingulorum, qui tunc temporis vel in vivis, vel in purgatorio degerint, opera probabit. Verumtamen & Beatos jam diu Deo perfruentes, & Juſtos ab omni omnino labe immunes eodem igne minima purgandos eſſe, Catholica Fide erudimur.

ARTICULUS II.

Quandonam Mundus exitum habiturus ſit.

QUæſtio eſt ſæpe agitata, numquam ſoluta. Ægyptii (21), qui poſt evolutos 36525. annos aſtra

(1) *Aug. de Civit. Dei l. 20. c. 30. n. 5.* (2) *Idem de Civit. l. 20. c. 14.* (3) *Apoc. 20. 11.* (4) *Aug. de Civit. l. 20. c. 18.* (5) *Tena in Epiſt. ad Hebr. cap. 5. difficul. 13. ſect. 7* (6) *Cornel. in 2. Petr. 2. 7.* (7) *Acoſta, & Scholaſtici apud Tenam loco citato.* (8) *D. Thom. in 4. diſt. 47. & Bonav. ibid. & Leſſ. de Divin. Attrib. l. 13. c. 20.* (9) *Origen. in Luc. hom. 14 Vide & hom. 3. in Pſal. 36.* (10) *Ambroſ. in Pſal. 36. n. 56. Væ mihi, ſi opus meum arſerit, & laboris hujus patiar detrimentum! & ſi ſalvos faciat Dominus ſervos ſuos, ſalvi erimus per fidem; ſic tamen ſalvi quaſi per ignem; & ſi non exurimur, tamen uremur &c. Vide & in Pſalm. 118. ſerm. 3. n. 14. Eſt etiam Baptiſmum in Paradiſi veſtibulo, quod antea non erat; ſed poſtquam peccator excluſus eſt, cœpit eſſe romphæa ignea, quam poſuit Deus &c.* (11) *Ambroſ. in Pſal. 118. ſer. 20. nu. 12.* (12) *Auguſt. ſerm. olim 16. ex hom. 50. nunc 252. in append. n. 3.* (13) *Serm. olim 82. de tempore nunc 25. in append. tom. 5. nov. edit. n. 4.* (14) *Hilar. in Pſal. 118. lit. 3. nu. 12.* (15) *In Pſal. 118. lit. 3. n. 4.* (16) *Baſil. in Iſai. 4. p. 124.* (17) *Lactan. l. 7. de vero Sap. c. 21.* (18) *S. Thom. in 4. diſt. 47.* (19) *Bonavent. in 4. diſt. 47.* (20) *Leſſ. l. 13. de Divin. Attrib. c. 20. Vide & Cornel. in 2. Petri 3. 10. & Tenam loco citato* (21) *Vide ſi places Marſham. Canon. Ægypti p. 10. 11.*

aſtra omnia ad idem punctum reductum iri commini-ſcuntur, eumdem mundo terminum præſcribunt; poſthæc enim veterem diluvio quod hyemi, ſive incendio quod æſtati noſtræ quodammodo reſpondebit, diſſolvendum, ut novus emergat mundus, autumarunt (1). Quam quidem mundi innovationem ſæpius antehac contigiſſe, & iterum eventuram addunt.

Stoici (2), ante quos & Heraclitus Epheſius, Ægyptii per omnia adſtipulantur. Ariſtarchus apud Cenſorinum annorum evolvendorum numerum ſtatuit 2484. Aretas Dyrrachii 5552. Heraclitus & Linus 1800. ſeu 18000. Dio 10884. Orpheus 100020. Caſſander 603000. Alii demum hunc Cœli, & aſtrorum ad idem ſignum regreſſum impoſſibilem cenſent. Joſephus hanc annorum ſupputandorum inveſtigationem (3) Adamo tribuere videtur. Cum enim, inquit, univerſalem mundi interitum per diluvium primo, deinde per incendium oraculo prænunciaſſet, filii Seth ſua aſtronomica inventa duabus columnis inſcripſerunt, quarum alteram lateritiam, ut igni, alteram lapideam, ut aquis ſupereſſet indemnis, excitarunt. Ipſe autem Joſephus totam annorum ſummam intra annos 600. concludit.

Plato, ejuſque Sectatores, & Origenes futurum eſſe putarunt, ut plures mundi ſibi invicem ſuccederent. Hanc opinionem refert, & refellit Auguſtinus (4); oſtendit enim fieri non poſſe, ut ex mundo, & ex hominibus & animalibus omnibus vel diluvio, vel igne conſumptis, alia viventia renaſcantur, niſi id præſtiterit nova creatio, quam Philoſophi naturæ donare non dubitaverint. Revera nonne inane eſſet omnium hominum ſpeciem paulo poſt reſtituendam prorſus delere? Nonne tot mundi pereuntis, & redeuntis vices quamdam præferunt inconſtantiam, a qua Divinitas omnino abhorreat? Origenes (5) ad mundi pluralitatem, ſucceſſionemque probandam, illud Eccleſiaſtæ (6) offert: *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt, quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole novum; nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt; jam enim præceſſit in ſæculis, qui fuerunt ante nos.*

Rabbinus *Barbybia* (7) docet, Philoſophos de mundo reſolvendo, vel innovando inter ſe ſatis convenire; ſatis viciſſim de ætate, qua mundus abſolvetur, diſſidere. Alii enim annis 4320000. alii 36000. illam abſolvendam cenſent: quo annorum ſpatio aſtra omnia ad idem ſuæ creationis punctum regreſſura opinantur. Alii denique annis 360000. alii 49000., alii 7000. mundum permanſurum putant; quo temporis ſpatio evoluto, ad ſuum Chaos reverſurum; deinde ad ſtatum priori ſimillimum reſtituendum ferunt. Hi Philoſophi, ſubdit Rabbinus, a ſuis Patribus de mundo abſolvendo traditionem forte acceperant; ſed male in Planetas & aſtra, quorum motus & aſpectus nihil ad rerum ſublunarium neque durationem, neque naturam conducunt, mundi interitum referebant.

Revera de Philoſophorum ſententia, per cauſas tantum naturales mundus innovandus eſſet: ſicut noſtri anni ordinarii vices, hyems, æſtas, nox, dies ſibi naturaliter ſuccedunt. At de mundi interitu diverſam nobis ideam ingerunt Scripturæ, a quibus dies illa præfertur, veluti dies Divinæ ultionis, cui omnia iracundiæ Dei ſigna præibunt; dies præterea, quæ nedum homines, Angelos etiam later (8), quæ veluti fur per noctem superveniet (9). Diſcipulis de mundi ultima die poſtulantibus Jeſus Chriſtus reſpondit, id ex iis eſſe, quorum ſcientiam æternus Pater ſibi reſervavit; ab ipſis etiam Angelis ignorari, neque inter ea recenſeri; quæ Pater per ſe ſuum Filium hominibus aperire ſtatuerat (10): *De die autem illa vel hora nemo ſcit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, niſi Pater.*

Quæ omnia quamvis extremam mundi diem incertiſſimam præferant, nihilominus Veterum plurimi mundi ætati annos 6000. præſcribunt, quorum bis mille in ſtatu naturæ ſine Lege, & bis mille ſub Lege tranſactis, bis mille ſub Meſſia tranſigendos ſtatuunt. Quare, juxta Chronologiam, cui nunc vulgo adhærent, quæve Jeſu Chriſti Nativitatem poſt annos 4000 a creatione mundi conſtituit, modo uſque ad mundi exitum minus quam anni trecenti ſupereſſent.

Hæc vero ſententia non aliunde ortum duxit, niſi a veteri Traditione (11) cujuſdam Eliæ (alterius a Propheta), qui poſt Babylonicam captivitatem, annis 154. poſt reſtitutum ſecundum Templum floruit. In Talmud *annis 6000. permanſurus dicitur mundus, deſiturus in uno*: quod Rabbini plures (12) de ſeptimo quodam millenario explicant; cujus intervallo in vetus Chaos mundus reſolvetur; poſt reſolutionem novus iterum excitabitur, qui 6000. annis peractis, & ipſe in ſuum Chaos redigetur; quibus vicibus iterum iterumque evolutis plures mundi evertentur, plures conſtituentur, uſque dum 49000. annorum numerus abſolvatur. His tandem abſumptis, Cœlum & terra in nihilum redibunt. Quam quidem ſententiam Scripturis fulcire conantur, mos enim apud Rabbinos invaluit, ut nihil afferant, quin Scripturis probent, ſive apte, ſive inepte illas allegent.

Sicut igitur, inquiunt, ſex diebus mundus eſt conſtitutus, ita annis 6000. conſiſtet, anni enim 1000. veluti dies una coram Deo reputantur (13). Porro litera *Aleph*, quæ mille ſignificat, ſexies primo Geneſis verſiculo interſeritur. Dominus denique in Lege jubet (14), ut tellus ſex annis exculta unius anni otio concedatur, uſque ſeptem annorum tranſacta hebdomadia, nempe anno quoque quinquageſimo, Jubilæum celebretur. Per ſex annos anni ſexies mille durationis mundi; per annum vero Jubilæi ultima reſolutio, & univerſi totius everſio deſignantur.

Cum vero, ut traditione acceperunt, & ſupputatione inveſtigarunt, Meſſias adventurus ſit duobus ultimis vel ingredientibus, vel decurrentibus millenariis, cumque ſextum jam valde defluxerit, quin eorum ſtatum in meliorem mutatum viderint, ſeu fortunæ in melius brevi vertendæ ſpem ullam conceperint, opinionem de mundo poſt annos 6000. evertendo penitus rejecerunt (15).

Verumtamen eadem de mundi ætate per annos 6000. abſolvenda ſententia apud Patres invaluit, & a quibuſdam ultimi ſæculi Doctoribus defenditur. Eamdem amplexi ſunt Cyprianus (16), Lactantius (17), Ambroſius (18), Hieronymus (19), Auguſtinus (20), Irenæus (21), Hilarius (22) Gaudentius Brixienſis (23), Author Quæſtionum ad Orthodoxos, ſub nomine Juſtini Martyris (24), Victorinus in Apocalypſim (25), Rabanus Maurus

(1) *Ariſtot. Meteor. l. 1. c. 14. Cenſorin. de Die Natali c. 18. Eſt præterea annus, quem Ariſtoteles maximum potius quam magnum appellat, quem Solis, & Lunæ, vagarumque quinque ſtellarum orbes conficiunt, cum ad idem ſignum, ubi quondam ſimul fuerunt, una referuntur, cujus anni hyems ſumma eſt cataclyſmos quam noſtri diluvium vocant: æſtus autem empyroſis, quod eſt mundi incendium.* (2) *Origen. contr. Celſ. l. 5.* (3) *Joſeph. Antiq. l. 1. c. 3.* (4) *Aug. l. 12. de Civit. c. 22. & 13.* (5) *Origen. l. 3. c. 5. Peri Archon* (6) *Eccleſ. 1. 9* (7) *Rab. Abrah. Barbybia in lib. Megilat, H megila, apud Menaſſe Ben Iſrael loc. cit. l. 2. c. 1.* (8) *Marc. 13. 32* (9) *2. Petr. 3. 10.* (10) *Marc. 13. 32.*

(11) *Gemar-Abod. Zara c. 1. Vide, ſi placet, Malvend l. 1. c. 28. & 29. & 30. de Anti-Chriſto.* (12) *Vide Menaſſe Ben Iſrael, l. 3. de reſurrect. mortuor. c. 4. p. 271.* (13) *Pſal. 89. 4.* (14) *Exod. 23. 11.* (15) *Vide R. Moſ. cc. 12. de Leon in Sepher Hammiſcal. Vide alios apud Menaſſe Ben-Iſrael l. 3. de Reſurrect. mortuorum c. 4.* (16) *Cyprian. ad Fortunat. de exhortat. ad Martyrium.* (17) *Lactant. l. 7. c. 14* (18) *Ambroſ. in Luc. l. 7. c. 5.* (19) *Hier. Ep. ad Cipriau.* (20) *Aug. de Civ. l. 20. c. 7.* (21) *Iren. l. 5. c. ult.* (22) *Hilar. can. 17. in Matt. ſeu c. 17. p. 693. nov. Edit. Vide notas Couſtantii ibidem.* (23) *Gaudent. Brixienſ. tract. 10.* (24) *Juſtin. quæſt. 71.* (25) *Victorin. in Apoc. 20. 5.*

Digitized by Google

rus in Deuteronomium (1), Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, Julius Hilarion, Iſidorus, & alii plurimi, quos Cornelius a Lapide in Apocalypſim allegat (2), qui & hanc ſententiam vero ſimillimam vocat: fatetur tamen 6000. annorum terminum non eſſe arcte accipiendum, ſed late, & moraliter, ita ut Mundus ſeptimum millenarium non excedat, imo & ſextum paulo prætergrediatur. Bellarminus (3), Genebrardus (4), Fevardentius (5), aliique huic opinioni favere videntur; vel eam ſaltem aperte non oppugnent.

Auguſtinus vero, quem inter ſententiæ hujus fautores adnumeravimus, alibi acrius invehitur (6) in illos, qui 6000. annorum numerum Mundi ætati determinant, cum certum poſtremæ diei tempus & horam unius Patris cognitioni reſervatam eſſe Jeſus Chriſtus in Evangelio pronunciaverit (7). Aretas Cretenſis (8), Millenariorum opinionem recenſet, qui 6000. annis tranſactis Juſtos tantummodo reſurrecturos, aliis deinde 1000. peractis omnes omnino homines ad vitam revocandos fore arbitrabantur. Quam tamen ſententiam, quod ab Eccleſia comprobata non fuerit, prorſus rejicit. Beda etiam eamdem improbat, & inanem & nugatoriam appellat, cujus exemplum plurimi recentiores ſequuti, eorum alii veluti omnino falſam ſpernunt (9), alii veluti argumentis deſtitutam derelinquunt (10), alii demum ſuſpendentes ſententiam, quæſtionem ab eventu dirimendam remittunt (11).

Apollinaris Laodicenus, quem citat Hieronymus (12), poſt annos 434. ab Imperantis Claudii anno octavo, Prophetam Eliam reverſurum, ab eoque Templum, & Jeruſalem trium annorum & dimidii intervallo reſtituendam; Anti-Chriſtum denique adventurum tuebatur. Alii, quorum meminit Philaſtrius (13), a Chriſti adventu annis 365. Mundi ætatem determinabant. Nonnulli fuere, quos allegat Auguſtinus (14), qui ab Jeſu Chriſti Aſcenſione uſque ad mundi interitum 400. ſeu 500., nonnulli etiam, qui 1000. annos numerarent. Alii denique Chriſti Religionem nonniſi annis 365. conſtitutam arbitrabantur.

S. Vincentius Ferrerius (15) quorumdam meminit, qui a Chriſti Nativitate uſque ad Mundi exitum tot annos conſtituebant, quot in Pſalterio ſunt verſiculi (2537. circiter.) Alii (16) tot annis a Chriſti adventu mundum permanſurum ferebant, quot a mundi initio ad diluvium uſque interceſſere, (nempe 1656) alii vero, quot ab orbis exordio uſque ad ipſius Chriſti nativitatem evoluti fuerant, (4000. circiter) quam opinionem referebant ab illo (17): *Domine, opus tuum in medio annorum notum facies.* Chriſtianus Drutmarus (18), Corbejenſis Monachus, qui ſæculo nono florebat, ſcriptam Veterum Traditionem profert, qua octavo Kalendas Aprilis, die nempe 25. Martii, Mundus creatus; eadem die Dominus Carnem aſſumpſiſſe, eademque occubuiſſe, eadem denique mundus evertendus dicebatur. Quæ ita levia pendimus, ut in iis refellendis nil immoremur.

Veterum plures ea nocte Mundum deſiturum ſtatuunt, qua Jeſus Chriſtus vivos & mortuos judicaturus deſcendet, cum eo tempore, quo minus de ejus adventu cogitabitur, prodibit velut fur, qui parietes per noctem perfodit. Ducuntur autem iis Petri verbis (19): *Adveniet Dies Domini, ut fur in nocte*: illis etiam Evangelii (20): *Media nocte clamor factus eſt: Ecce ſponſus venit, exite obviam ei*, Hieronymus Dominum per noctem adventurum Apoſtolica traditione conſtare aſſerit. Eapropter Paſchatis nox in Templo tranſigi conſueverat; & Epiſcopus domum, nonniſi poſt actum noctis dimidium, populum dimittebat; quod eo ipſo tempore, quo alias Ægypti Primogenitos percuſſit, Dominus adventurus crederetur. Lactantius (21), Cœlo ſub noctem mediam patefacto, maximo præeuntem lumine Jeſum-Chriſtum, ut Anti-Chriſtum oppugnet, deſcenſurum arbitratur: *Tum cœlum intempeſta nocte pateſiet, & deſcendet Chriſtus in virtute magna, & antecedet eum claritas ignea.* Eamdem Traditionem Chryſoſtomus (22), Theophylactus, & Euthymius referunt, ejuſque etiam fit mentio in Carminibus quibuſdam, quæ uni ex Sibillis tribuunt (23).

Alii Dominum diluculo adventurum enunciant, ut his Prudentii carminibus (24), quæ ſuis precibus Eccleſia interſerit,

Et mane illud ultimum
Quod præſtolamur cernui,
In lucem nobis effluat,
Dum hoc canore concrepat.

S. Thomas (25), Toſtatus (26), Suarez (27) Judicium meridie eventurum putant; quod utique in incertum revocari non poteſt, cum lux, ignis, Majeſtas, quæ Divinum Judicem comitabuntur, eo lumine noctem perfundent, ut hæc a meridie ſecerni non poſſit.

Mundum totum illico non evertendum nonnulli autumant, ſed paulatim totius millenarii intervallo; quod, ut vidimus, a Talmud inſinuatur (28). Veruntamen quidam Judæorum (29) Doctores una die, vel etiam uno momento diſſolvendum ferunt; & ita explicant illud ex Talmud allatum: *in uno.* Hæc ſane hac de re certo ſcimus: Mundum nempe ab igne abſumendum (30); Dominum, cum minus de ejus Judicio cogitabitur, adventurum (31); momento, & ictu oculi mortuos reſurrecturos (32), diem & horam qua mundus evertetur, & Dominus adveniet, ab hominibus prorſus ignorari (33); inaniter denique ac temere Judicii tempus & modum inveſtigari, cum id nemini voluerit Dominus revelare. *Et tamen quaſi ſunt homines præſumere ſcientiam temporum, quod ſcire cupientibus Diſcipulis Dominus ait: non eſt veſtrum ſcire tempora, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate* (34).

ARTICULUS III.

An in ſæculorum exitu Mundus ipſe immutandus ſit, vel quædam ejus tantum, re intacta. An in nihilum redigendus, vel tantum immutandus.

De hac quæſtione adhuc diſcrimen; Scripturæ enim phraſes, & Patrum, & Theologorum ſententiæ ea de re non conveniunt. Authores Sacri quandoque evertendi mundi meminerunt, veluti ſi in nihilum prorſus eſſet redigendus; v. g. (35) *Cœli ſicut fumus liqueſcent, & terra ſicut veſtimentum atteretur*

(1) *Raban. in Deut. l. 2. c. 51.* (2) *Cornel. a Lap. in Apoc. cap. 9.* (3) *Bellarm. l. 3. Roman. Pontif. cap. 3.* (4) *Genebr. lib. 1. Chronographia p. 2.* (5) *Fevardent. notis in S. Irenæum* (6) *Auguſt. in Pſal. 89.* (7) *Act. 1. 6. Matth. 24. 36.* (8) *Andreas, & Aretas in Apocalypſ. 20.* (9) *Malvend. l. 1. de Anti-Chriſt. c. 30. Procul dubio aſſertio eſt falſiſſima, & intolerabilis, graviorem cenſuram; ut par eſt, ſacro Eccleſiæ Tribunali reſervantes.* (10) *Suarez tom. 2. diſp. 53. ſect. 4. Sois 4. diſt. 43. qu. 2. art. 2.* (11) *Galatin. lib. 4. cap. 20. Franc l. 5. c. 11. Sixt. Senenſ. Biblioth. l. 5. annot. 190.* (12) *Apollin. Laodicen. apud Hieronym. in Dan. 9.* (13) *Philaſter de hæreſ.* (14) *Auguſt. de Civit. l. 18. cap. 53.* (15) *Vincent. Ferr. Ep. ad Benedict. XIII.* (16) *Apud Perer. in Geneſ. l. 1. ad finem.* (17) *Habac. 3. 2.* (18) *Chriſtian. Drutm. in Matth. 26.* (19) *2. Petr. 3. 10.* (20) *Matth. 25. 6.* (21) *Lactant. Inſtit. Epitom. & lib. 7. de Divin. præm. cap. 19.* (22) *Chryſoſt. in Matth. 25.* (23) *Sybill. apud Lactant. l. 7. c. 19.* (24) *Prudent. hym. Cathemer.* (25) *D. Tom. 3. p. in ſupplem. q. 77. ar. 3.* (26) *Toſtat. in Matth. 25.* (27) *Suarez 3. part. tom. 2. diſp. 57. Vide Cornel. a Lapid. in 2. Petr. 3. 10.* (28) *Talmud. tract. 4. Sanhedrin.* (29) *Rab. Iſaac Loria Cabaliſta inſignis apud Menaſſe Ben-Iſrael, loco citato.* (30) *Pſal. 96. 3. & 1. Cor. 3. & 1. Cor. 3. 13. & 2. Petr. 3. 7. 12.* (31) *Matth. 24. 36. 42. 43. & 2. Petr. 3. 10.* (32) *1. Cor. 15. 52.* (33) *Marc. 13. 32.* (34) *Vid. S. Aug. in Pſal. 8. 4. 4.* (35) *Iſai. 51. 6.*

Digitized by Google

teretur. Joannes etiam in Apocalypſi [1]: *Angelus juravit per viventem in ſecula ſeculorum, qui creavit Cœlum & terram, quia tempus non erit amplius.* Rerum creatarum menſuram tempus eſſe quis neſciat? Ut igitur tempus eſſe deſtiterit; ſenſibiles etiam creaturæ ſucceſſiones, & motus locales eſſe deſiſtent. Idem Joannes alibi [2]: *Vidi Cœlum novum, & terram novam; primum enim Cœlum, & prima terra abiit, & mare jam non eſt.* Jeſus Chriſtus apud Matthæum [3]: *Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt.* Quæ dicendi phraſis pluries in novo Teſtamento.

Aperte in Pſalmis Cœli perituri dicuntur (4). *Ipſi peribunt & mutabuntur.* Dicuntur etiam ibidem ſicut veſtimentum atterendi; Dominus autem in æternum permanſurus. Cum igitur æternus Domini ſtatus Cœlis perituris ibi opponatur, in nihilum prorſus hi redigendi eſſe videntur. S. Petrus aperto inquit [5]: *Elementa calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur.* Dominus adhuc per Iſaiam [6]: *Ecce ego creo Cœlos novos, & terram novam;* veluti utraque prioribus Cœlis & terris omnino in nihilum redactis eſſent ſufficienda.

Cabaliſtæ inter Hebræos mundum in nihilum reverſurum cenſent [7]. *Porphyrius* [8] *Chriſtianos ab hoc arguit maxima ſtultitia, quod iſtum mundum dicunt eſſe periturum.* Chriſtiani igitur mundum in nihilum penitus diſſolvendum ſentiebant; ſi enim novam ei tantummodo formam acceſſoriam putaſſent, id ſane docuiſſent, quod & Philoſophi publice fatebantur. Hæc profecto plurimorum Veterum Patrum ſententia.

Recognitionum Author S. Petrum dicentem inducit [9], duo eſſe Cœlorum genera, quorum alii inviſibiles, æterni, atque immutabiles Beatorum ſedem conſtituunt, alii viſibiles ſyderibus ſparſi, & corruptioni adeo ſunt obnoxii, ut vere ſint evertendi; cum homines, quorum beneficio creati fuere, terram incolere deſiverint. Alibi etiam, Libro nempe ſequenti, eumdem Petrum hanc ſimilitudinem exhibentem præfert. Sicuti ovi teſta, licet ad ejus conſervationem inſtituta videatur, nihilominus, ut pullus inde egrediatur, infringitur; ita mundus iſte adimendus eſt, ut Regni cœleſtis beatitudo prodeatur.

Eorum ſententiam S. Baſilius evertit [10], qui ex Mundi ſphærica figura ejus æternitatem inducunt; & idcirco mundum ad exitum perventurum, quod principium habuerit, optime oſtendit, Scripturæ verba allegans: *Præterit figura hujus mundi: Cœlum & terra tranſibunt.* S. Ambroſius [11] cum Baſilio cohæret: *Quæ autem initium habent, & finem habent: quibus finis datur, initium datum conſtat:* & addit, totum mundi globum corruptioni neceſſario obnoxium eſſe, quod ejus partes a corruptione non ſint immunes: *Cujus partes corruptioni, & mutabilitati ſubjacent, hujus neceſſe eſt univerſitatem iiſdem paſſionibus ſubjacere.* De mundo penitus diſſolvendo S. Gregorius Nyſſenus [12] idem Fratris ſui Baſilii argumentum urget.

Juſtinus Martyr, vel ejus nomine alius [13], in Quæſtionibus ad Orthodoxos aſſerit, Cœlum & terram poſt reſurrectionem inſtituenda, ab his omnino alia, alia etiam futura elementa; quibus proinde quantò Philoſophi, qui Cœlos increatos & incorruptibiles ſentiunt, errore laboraverint, oſtenderetur. Hanc ſententiam & Catholici plures [14], & plures Proteſtantes tuentur v. g. Lutherus, Melancton, Brentius, Bucerus, Beroaldus, Vorſtius, Gerhardus &c.

Plurimi tamen, imo Patrum & Theologorum plerique Mundum non eſſe prorſus in nihilum redigendum, ſed in melius commutandum defendunt. Cui opinioni etiam Scriptura ſatis favet. Tam in Veteri, quam in Novo Teſtamento legimus v. g. *Novos Cœlos novamque terram* a Domino creanda [15]. Et quidem non Cœlos alios, aliamque terram, ſed novum utrumque, ut utriuſque innovatio inſinuetur. *Non dixit alios Cœlos*, ait Hieronymus [16], *ſed veteres antiquos in melius commutatos.* Cum quis de parvulo adoleſcens, de adoleſcente vir, de viro tandem fit ſenex, toties periiſſe non dicitur, ſed tantum ſtatum mutaſſe, & in maturiorem ætatem tranſmigraviſſe.

Idem etiam uſuvenit, cum Architectus vetuſtam domum reſtaurans, novam excitat; & colonus incultum agrum excolens feracem reddit. Pſalmiſta [17], Cœlorum everſionem memorans, veſtis, quæ uſu atteritur, nomine eam inducit: uſu autem atteri longe aliud eſt, quam ſi totum deſtruatur. *Ipſi peribunt, & omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & ſicut opertorium mutabis eos.* Iſaias [18] mundi ſtatum poſt reſurrectionem referens, Solem, & Lunam velut antea effulſura, ſed radiis multo fulgidioribus, teſtatur. *Et erit Lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum.*

Omnes creaturæ, teſte S. Paulo [19], ſe vanitati obnoxias ingementer, a corruptionis ſervitute eripi, & in libertatem gloriæ Filiorum Dei aſſeri optant. Illæ igitur innovari, & in meliora converti, non vero in nihilum prorſus redigi ſperarunt, *Cœlum*, ait Dominus [20], *& terra tranſibunt*, Paulus etiam: *Præterit figura hujus mundi* [21]. Non igitur mundus & Cœli in nihilum reverſuri, ſed ad formam perfectiorem tantummodo tranſmigraturi dicuntur. S. Petrus in loco hac de re omnium apertiſſimo hæc habet [22]: *Adveniet dies Domini, ut fur, in quo Cœli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſolventur: terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* Ex his, quæ huc uſque attulimus, Mundi in nihilum reverſio minime probatur.

Ex Dei revelatione univerſum ex nihilo creatum certo ſcimus, at eſſe in nihilum iterum convertendum a Deo nullibi adhuc accepimus. Omnia in nihilum a Deo redigi poſſe fatemur; an vero redigenda, per Scripturas minime patet. Quid ſit redigi in nihilum, nos utique non percipimus.

Omnia Dei opera in æternum permanſura Salomon aſſeverat [23]: *Didici quod omnia opera, quæ fecit Deus, perſeverent in æternum.* Quod explicans S. Gregorius Magnus [24], Scripturam Scripturæ conciliat, qua modo in æternum terra permanere dicitur, modo Cœli tranſituri aſſeruntur, *Cœli*, inquit, *per eam, quam nunc habent, imaginem tranſeunt: ſed tamen per eſſentiam ſine fine ſubſiſtunt.* Cum vero novos Cœlos, novamque terram Scriptura memorat, non alia creanda præfert, ſed innovanda: *Non alia condenda ſunt, ſed hæc hic ipſa renovantur.* Hanc denique innovationem cum ea confert, quam qualibet anni tempeſtate videmus, cum hyems æſtati, hyemi ver ſuccedit; terra enim, licet imaginem ſuam tunc mutet, naturam utique numquam innovat.

Author Epiſtolæ S. Barnabæ [25] Solem, lunam & aſtra non deſtruenda, ſed a Deo mutanda teſtatur. Philo, ſeu ejus nomine alius, in Libro, *An mundus corruptibilis ſit*, mundum corrumpi, ſeu deſtrui non poſſe, ſed tantum aliqua ex parte innovari, fuſe oſtendit.

S. Irenæus & Veteres omnes, qui Millenariorum opinionem defenderunt, poſt plurimam reſurrectionem, mundum & terram eamdem conſtituram, feraciorem vero, & iis, quibus nunc ſubjacet, mutationi-

(1) *Apoc.* 10. 6. (2) *Apoc.* 21. 1. (3) *Matth.* 24. 35. (4) *Pſal.* 101. 27. (5) 2. *Petr.* 3. 10. (6) *Iſai.* 65. 17. (7) *Apud Manaſſe Ben-Iſrael de reſurrect. Mortuorum lib.* 3. *capit.* 4. (8) *Apud Auguſt. tom.* 7. *lib.* 20. *capit.* 24. *de Civit.* (9) *Recognitionum lib.* 2. (10) *Baſil. homil.* 1. *in Hexaemeron.* (11) *Ambroſ. in Hexaemeron. lib.* 1. *cap.* 3. (12) *Gregor. Nyſſen. de creatione hominis capit.* 14. (13) *Juſtin. ſeu alius quæſt. ad Orthodoxos quæſt.* 93. 94. 95.

(14) *Catharin. Salmeron, Serarius, Hieron. Magius, Franc. Valleſius, Lud. Molina, & alii apud Cornel. a Lapide in Iſai.* 34. 4. *&* 2. *Petr.* 3. 10. (15) *Iſai.* 65. 17. *&* 66. 22. *Apoc.* 21. 1. (16) *Hier. in Iſai.* 51. *&* 65. (17) *Pſal.* 101. 27. 28. (18) *Iſai.* 30. 26. (19) *Roman.* 8. 19. 20. (20) *Matth.* 24. 35. *&* 5. 18. *Luc.* 21. 33. (21) 1. *Cor.* 7. 31. (22) 2. *Petr.* 3. 10. (23) *Eccl.* 3. 14. (24) *Greg. Magn. l.* 17. *Mor. in Job. c.* 5. (25) *Epiſt. Barnab. ſ.* 55.

tionibus & vicibus minime obnoxiam, putabant S. Juſtino Martyri [1], quem ſententiæ de mundi omnimoda everſione fautorem ſupra allegavimus, ea tantummodo mens fuit, ut Philoſophos illos refelleret, qui mundum incorruptibilem, æternumque pronunciabant. Ceterum ipſa novi Cœli, novæque terræ meminit, ubi probi & improbi ſuorum operum vel pœnam, vel præmium conſequentur. Tandem Scripturæ adhærens, terram & Cœlos tranſituros, non vero penitus evertendos affirmat. Ipſe Baſilius mundum ad exitum quidem perventurum, non in nihilum reverſurum probat; eaque addit Scripturæ verba: *Præterit figura hujus mundi; Cœlum & terra tranſibunt*: ad utrumque, mundi nempe conſumptionem, atque ejuſdem in melius innovationem, poſſe referri [2].

Nemo tamen ſuam luculenter adeo ſententiam aperuit, quemadmodum Auguſtinus [3], quo teſte, igne illo, quo poſtrema die mundus ardebit, corruptibiles elementorum qualitates, quæ corruptibilibus noſtris corporibus congruebant, abſumentur, & in qualitates, quæ corporibus immortalibus conveniant, mutabuntur: *Ut ſcilicet mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus, etiam carne in melius innovatis*. Alibi etiam terram & Cœlos innovandos, non evertendos affirmat [4]: *Mutatione namque rerum non omnimodo interitu tranſibit hic mundus ..... Figura ergo præterit, non natura*. Ignem etiam, quo mundus in ſæculorum exitu flagrabit, cum diluvii aquis confert [5]; & phraſes, quas utrinque Scriptura adhibet, invicem confert; utrinque enim mundus dicitur *periturus* [6]. Sicut igitur per eam vocem *perire* mutationem conſueto majorem a diluvio terris inferendam Scriptura ſignificavit; ita cum in ſæculorum exitu mundum *periturum* aſſerit, ejuſdem innovandas eſſe qualitates, non ſubſtantiam abſumendam ſignificat.

Proclus, & Methodius apud Epiphanium [7] mundi tantum aliqua immutanda eſſe arbitrantur; quam opinionem fuſius probans Oecumenius [8], Terra, inquit, & elementa penitus non diſſolventur, ſed quemadmodum nos metalla flammis committimus, ut puriora fiant & pretioſiora; ita Deus, cum per ignem mundum abſumere intentat, de eodem in nihilum redigendo minime cogitat. Ea vero tantummodo evertet, quæ huic mortali, & periturae vitæ inſerviunt, animalia nempe, arbores, & id omne, quod ad immortalitatis, & incorruptionis ſtatum, quo corpora poſt reſurrectionem donabuntur, non pertinent. Cetera vero in melius perfectiuſque redacta, ad novi Cœli, & terræ novæ, ſeu innovatæ venuſtatem, & ad Juſtorum, qui tunc vivent, voluptatem conſervabit. Sicut, addit, qui novam domum ædificat, ex nihilo eamdem non excitat; ita Deus e Cœlis & terris nunc exiſtentibus novos Cœlos, novaſque terras poſt Judicium componet, & perfectiori ſtatu donabit. Vide & Cyrillum in Iſaiam [9].

An hæc elementa, quibus corpora omnia conſtant, poſt reſurrectionem permanſura ſint, adhuc diſcrimen. S. Petrus [10] per calorem ſolvenda aſſerit. S. Joannes mare deſiturum enunciat: *Mare jam non eſt* [11]. Revera cui mare tunc inſerviat, cum deſinent piſces, & pluvia, & navigatio ceſſabit? Ven. Beda in hunc Apocalypſis locum, & in ſecundam Petri c. 3. mare poſt Judicium amplius non extiturum liquido aſſeverat; cui ſubſcribere videntur Andreas Cretenſis, Aretas, Haymo, Rupertus, & D. Anſelmus, ſeu ejus nomine Apocalypſis Interpres. S. Auguſtinus, quid decernat, incertus [12], *Utrum*, ait, *ille maximo ardore ſiccetur, an & ipſum vertatur in melius, non facile dixerim*.

S. Thomas hac de re [13] geminam ſententiam refert; alteram eorum, qui quatuor elementa reipſa permanſura, qualitates vero naturales deſtitutas putant; alteram eorum, qui ignem & aquam adimendam, aerem vero & terram in melius redactam conſtituram arbitrantur. Utramque tamen S. Doctor rejicit; primam quod neque argumentis neque Scripturæ oſtendi poſſit, quare quæ Deus ab initio creavit, inſitis ſuis qualitatibus exſpolianda ſint; alteram vero, quod probari nequeat, cur ignis potius & aqua deſtruenda ſint, quam aer & tellus; cum ſingula quatuor elementa ad univerſi perfectionem, & complementum conferant. Addit præterea, ignem, quo omnia exurentur, ad ignis regionem, quæ aeri ſupereminet, non perventurum; quare ignis elementaris obnoxius minime fiet incendio, quo mundus conflagrabit.

S. Auguſtinus [14], cui utique Theologorum omnium præſtantiſſimi adhærent [15], ea S. Petri verba, *Cœli magno impetu tranſient* [16], ad Cœlos tantummodo aereos, qui ſæpiſſime cœli vocantur, v. g. *aves Cœli*, referenda eſſe tuetur. Argumenta vero, quæ Scriptorum plerique exhibent, rem omnino non probant. Ajunt 1. Sicut aquæ diluvii non niſi cubitis quindecim montes altiſſimos ſunt ſupergreſſæ, ita & ignis mundi everſor eos fines non prætéribit. 2. Cœli ſuperiores, Firmamentum Aſtrorum ſedes, cum juxta Ariſtotelem [17] incorruptibiles conditi fuerint, nullo detrimento per ignem afficientur. 3. Cum iidem Cœli nil ad flagitia, quibus homines creaturis abuſi ſunt, contulerint, neque per ignem tunc erunt expiandi.

Quæ omnia utique refelli poſſunt. 1. Ignem altiſſimos montes nonniſi cubitis quindecim prætergreſſurum nullibi conſtet; alias neque ſphæram ignis attinget: quod iis repugnat, qui per ignem Cœlos aereos expiandos ſtatuunt. 2. An Cœli ſuperiores incorruptibiles vere ſint, adhuc eſt diſcrimen. Philoſophi recentiores Sole clarioribus, ut ſibi ſuadent, argumentis eoſdem potius corruptioni obnoxios oſtendunt. 3. Si quod homines creaturis, elementis, metallis &c. abuſi ſint, idcirco ea omnia per ignem expianda; utique & expiendi Cœli, aſtra, Sol, Luna, quibus homines eo uſque abuſi ſunt, ut in ea divinos etiam honores contulerint.

Eorum quidem argumenta, qui Cœlos & aſtra per flammas expianda tuentur, his, quæ modo rejecimus, validiora minime eſſe fatemur. Ea propter neque in eam ſententiam omnino deſcendimus, neque veluti certam tuemur. Philoſophorum eam defendentium auctoritatem nihili facimus; cum id, de quo hic diſcrimen, eorum ſuffragiis non ſit dirimendum. Patrum fidem, quæ majoris habeatur, dignam ducimus; ex iis tamen pauciſſimi eidem ſententiæ adhæſerunt. Nihil utique ab Eccleſia ea de re conſtitutum. Porro ipſum ſententiarum diſcrimen id expoſcit, ut nulli, quin diſcutiantur, adhæreamus. Hujus ultimæ de Cœlis per ignem expiandis fautores, ſolis conjecturis innituntur; ceterum mundi ſyſtema, cui ſubſcribunt, a Philoſophorum plerìſque in præſentia rejicitur, neque cœli ſolidi, & ab igne velut ænea fornix immunes amplius habentur.

Ut igitur Scripturæ phraſes explanemus, & difficultates ea de re ſolvamus, hæc ſtatuimus; terram nempe, & cetera ejus omnia, ab igne comburenda, & in melius, perfectiuſque innovanda; Cœlos, aerem videlicet, ſeu atmoſphæram concremandum; terram denique, & aerem poſt reſurrectionem nulli ex his, quæ noſtræ corruptioni, & mortalitatis ſtatui modo congruunt, mutationibus obnoxiam futuram [18]: *ut mundus in melius innovatus, apte accommodetur hominibus etiam carne innovatis*.

ARTI-

(1) *Juſtin. ſeu alius quæſt. 95. ad Orthodox.* (2) *Baſil. hom. 1. in Hexaemeron. p. 4.* (3) *Auguſt. lib. 20. de Civit. c. 16.* (4) *Aug. l. 20. de Civit. cap. 14.* (5) *Idem c. 18.* (6) *2. Petr. 3. 6. Cœli erant prius, & terra de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua inundatus periit.* (7) *Epiph. hæreſ. 64.* (8) *Oecum. in 2. Petr. 3.* (9) *Cyrill. l. 4. in Iſai. c. 51.* (10) *2. Petr. 3. 10.* (11) *Apoc. 21. 1.* (12) *Aug. lib. 20. de Civit. cap. 16.* (13) *D. Thom. in 4. diſt. 47. qu. 2. a. 2.* (14) *Aug. de Civit. l. 20. c. 14. 16. 18. 24.* (15) *Vide Gregor. Magn. l. 17. Moral. c. 5. Damaſcen. l. 2. de Fide c. 6. Scholaſtici in 4. Sentent. diſt. 47. 48. Tena in c. 1. ad Hebr. Interpr. ad 2. Petr. 3. 10.* (16) *2. Petr. 3. 10.* (17) *Ariſt. l. 1. de Generation.* (18) *Auguſt. de Civit. l. 20. c. 16.*

ARTICULUS VI.

De terræ poſt Reſurrectionem ſtatu.

QUæſtio hæc ad eos tantum pertinet, qui terræ qualitates poſt reſurrectionem innovandas, non ejuſdem ſubſtantiam in nihilum redigendam cenſent. S. Thomas (1) aquam inſtar cryſtalli nitidam; aerem inſtar cœli limpidum; ignem, veluti ſol & aſtra, rutilantem; terræ denique ſuperficiem, ecu vitrum, pellucidam futuram arbitrantur. Quomodo interius terra innovanda ſit, non meminit; alii tamen Scholaſtici omnem omnino pellucidam autumant; præter infernos, qui ad pœnarum incrementum caligine, & tenebris obvolventur. Hæc terræ perſpicuitas, juxta Paludanum (2), & Suarez (3), atque ad Infantium Limbum pertinget; plus enim nimio miſeri eſſent, ſi æternis tenebris offunderentur.

Cœli etiam, juxta eoſdem Authores, amplius non movebuntur, neque diei, & noctis vicibus ſubjicientur, ſed & ipſi, & elementa immutabilia conſiſtent. *Non erit*, ait Iſaias, *tibi amplius. Sol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te: ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam. Non occidet ultra Sol tuus, & Luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam* (4). S. etiam Joannes in Apocalypſi (5): *Civitas non eget Sole, neque luna ut luceant in ea, nam claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.* Et alibi (6): *Et nox ultra non erit, & non egebunt lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos.* Iſaias nihilominus alibi ait (7): *Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum.* Terra itaque eadem ſemper luce fulgebit, neque ulla temperamenti mutatione afficietur. Aſtra & elementa & ſibi, & nobis ſemper eadem ab iis vicibus, quibus nunc ſubjacent, prorſus immunia conſpicientur. S. Hieronymus tunc Solem eclypſi, aut quacumque altera defectione numquam laboraturum (8) cenſet.

Qui Solem poſt reſurrectionem amplius non occaſurum, neque terras circuiturum aſſerunt, iis forte arrideant, qui Antipodas negant, aut iis, qui Solem vere circa terram orbem non conficere putabant: quæ tamen ſententia nullatenus defendi nunc poteſt; tunc enim Antipodes, qui & ipſi reſurgent, numquam ſolis lumine fruerentur, & ampliſſimæ illæ Regiones æternis tenebris damnarentur.

Denſitatem, & raritatem, gravitatem & levitatem inter elementorum imperfectiones non recenſemus; neceſſe enim erit, ut diſpoſito aliquo ordine in Univerſi regimine dirigantur: ſuas etiam activas ſervabunt qualitates, calorem nempe & frigus, humiditatem & ſiccitatem; his enim deſtituta, elementa eſſe deſinerent. Quæ tamen qualitates corpora, ut ante, ſuis effectibus non afficient; tunc enim, cum generationes, & corruptiones deſtiterint, Deus quodam prodigio, quod, utpote futuro mundi ſtatui congruens, veluti naturale evadet, eaſdem qualitates in corpora agere non permittet. Sic ſol & luna, orante Joſue, immobiles quondam conſtitere; ſic Babylonicæ fornacis flamma, trium Hebræorum adoleſcentium beneficio, a ſua activitate quibuſdam horis abſtinuit.

Quamvis autem tellus arboribus, animalibus, & ceteris mixtis corporibus, quæ ad ejus ornatum conferunt, omnino ſit deſtituenda, juxta S. Petrum (9): *Terra, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur:* imperfecta nihilominus aut inornata reputari non poterit; tunc enim iis omnibus inſtruetur, quæ ſuum ſtabilitatis, & incorruptionis ſtatum perficient, licet quibuſdam caritura ſit, quæ ejus imperfectioni modo conveniunt. Ornamenta, quæ privati cujuſdam domus expoſcit, ei congruere deſinunt, ſi in ampliſſimi Principis Aulam convertatur: Sancti nullam tunc ex cibo & potu voluptatem percipient; quam utique voluptatem indigentia & infirmitas noſtra modo expoſcit; deliciis vero longe majoribus fruentur.

Putabant Millenarii, Juſtos ante Judicium ad vitam fore revocandos, una cum probis cane ſuperſtitibus, & cum Jeſu Chriſto jam in terram reverſo, in nova Jeruſalem urbe mille annis imperaturos, & ingenuas omnes voluptates de potu, de cibo, & de nuptiis tunc exhauriruros. Novam Jeruſalem gratiſſimum domicilium futuram; terram omnium fructuum genera uberi affluentia editatam; animalia denique omnia in mutuam, plenamque concordiam adducta, ſeſe hominibus penitus ſubmiſſura. S. Irenæus ab Joannis ſe Diſcipulis didiciſſe teſtatur (10), eam tunc frugum copiam futuram, ut vix digna ſit, quæ fidem inveniat. Tertullianus (11) novam Jeruſalem jam conſtructam, atque ornatam e cœlis deſcenſuram arbitratur; ſuaque ætate ejus exemplar quadraginta diebus in aera penſilem ſeſe omnibus exhibuiſſe narrat.

Hinc ſatis comperimus, quam variet a Scholaſticorum noſtratum Veterum Patrum de terra ſententia; qui præterea eamdem tunc temporis in tanto ubertatis ſtatu conſtitutam terram, igne tamen non adhuc expiatam ſentiebant. Lactantius nihilominus (12), licet mortuorum reſurrectionem, Judicium poſtremum, & mundi incendium mille annorum regno præitura ſtatuat, eamdem ferme terræ deſcriptionem exhibet. In medio, inquit, terræ urbs a Sanctis frequentanda conſtruetur, ubi Deus dominabitur una cum famulis ſuis, qui ab juſtitia, & innocentia minime deflectent, & ingenuarum omnium voluptatum conſuetudine perfruentur, & ab uxoribus natos etiam excipient. Ignis vero, qui univerſum invadet, prodigio ſimilis plantis nullatenus oberit (13): *Sine ullo vireſcentium corporum detrimento adaret tantum, ac ſenſu doloris afficiet.* Tunc mundus, nocte etiam ac tenebris amotis, nullis calamitatibus obruetur; Luna ab omni defectione immunis, Solis inſtar, fulgebit; Sol ſepties conſueto clariores radios emittet. Omnes omnino fruges tellus progignet, rupes mel effundent. Vino rivi, lacte flumina effluent. Feræ mitigabuntur; leo & vitulus in eodem vetcentur præſepi; infantes cum anguibus ludent; ea denique omnia tunc temporis futura ſunt, quæ de aurea Saturni imperantis ætate Poetæ cecinerunt. Cum Prophetæ noſtri de futuris veluti de peractis ſermonem facere conſueverint, Poetæ eorum idiomatis ignari, eorumdem phraſes, ac ſi ad tranſacta referrentur, uſurparunt.

Hæc omnia, ſubdit Lactantius, a mundi creatione ſexies mille poſt annos contingent, & jucundiſſimum hoc Regnum ad annos mille protrahetur; quibus peractis Dæmonum Princeps vinculis ſolutus, bellum in Sanctos inferet. Sancti in terræ ſinu triduo celabuntur; Deus prodigiis innumeris de hoſtibus ſuis ultionem repetet; terra deinde dehiſcet, findentur montes; corpora in amplam vallem coacta, vitæ a Deo reſtituentur, a quo etiam inſtaurabitur mundus; Cœli inſtar voluminis complicabuntur; tellus innovabitur, homines denique in Angelos convertentur. Nives candidiores iidem fulgebunt, coram Domino perpetuo adſiſtent, eique ſacrificia & obſequium in æternum inferent. Tunc altera mortuorum reſurrectio: qua & improbi ad vitam revocati, æternis apud infernos pœnis mancipabuntur. Hæc Lactantius veluti Catholica fide certa exponit.

His tamen omnibus & ſingulis a Catholicis fidem adhibitam fuiſſe ne putemus. Mundi exitus, Jeſu Chriſti adventus, Judicium poſtremum, mortuorum reſurrectio, retributio, ſeu Regnum Juſtorum, improborum ſupplicium, mundi innovatio vulgo credebantur. Modus vero, tempus, & rerum plerumque circumſtantiæ & nobis & illis incerta. Ita de his, quæ

(1) *S. Thom. in 4. diſt. 48. quæſt. 2. art. 4.* (2) *Paludan. in 4. diſtinct. 28.* (3) *Suarez 2. tomo 3. part. diſp. 56. ſection. 2.* (4) *Iſai. 60. 19.* (5) *Apoc. 21. 23.* (6) *Apoc. 22. 5.* (7) *Iſai. 30. 26.*

(8) *Hieronym. in Abac. 3.* (9) *2. Petr. 3.* (10) *Iren. lib. 5. c. 33.* (11) *Tert. l. 3. c. 24. contr. Marcion.* (12) *Lactant. de divin. præm. l. 7. c. 24. collat. cum Epitome c. 11.* (13) *Lactant. de Divin. prov. præmio l. 7. c. 21.*

Digitized by Google

quæ in hac Diſſertatione hucuſque diximus, ſtatuendum.

Quamvis Hebræorum Doctores de tempore, & de ceteris reſurrectionis, Juſtorum Regni, & terræ poſt reſurrectionem ſtatus circumſtantiis inter ſe non conveniant, plura tamen apud eoſdem occurrunt, ad ea, de quibus hic agimus, referenda. Quarti Libri Eſdræ Author; qui vel ſub primi Eccleſiæ ſæculi exitum, vel ſub ſecundi initium floruit, homines vitæ reſtitutos, & juſtos, qui terras tunc incolent, temporalibus voluptatibus fruituros affirmat [1]. Saducæi dum Chriſtum interrogarunt, vulgo ab Judæis credi putabant (2), in altera vita homines terram incolentes, omnes ſenſus voluptates eſſe percepturos. Celebris Menaſſe-Ben Iſrael (3) ea quæ in mundi innovatione eventura ſunt, ita nobis exhibet, ut iis, quæ in univerſi creatione evenerunt, reſpondeant.

Prima die lucem Deus creavit, minime vero lucem Solis, quam die quarta condidit, ſed lucem ſupernaturalem, quam Sanctorum beneficio futuris ſæculis reſervavit, ut Solis vices tunc ſuppleat.

Die ſecunda Deus Firmamentum condidit, aerem ſcilicet, ut ajunt Interpretes ſapientiores. Aer futuri ſæculi purior, quam nunc, mitior erit, atque ſalubrior; quem Scriptura, juxta Abenezram, & Menaſſe Ben-Iſrael, Cœlum novum appellat. Eadem die, juxta Veterum Hebræorum plurimos, una cum Inferis Dæmones conditi fuere. Hi, veluti Idololatriæ argumenta, ſæculo futuro exterminabuntur.

Die tertia terram & plantas Dominus excitavit, quas deinde propter Adami flagitium maledictione devinxit. In mundi innovatione eam telluri & plantis benedictionem impertietur, ut, ſicut Adami tempore, die qualibet, juxta aliquos, juxta alios quolibet menſe, fructus producant. Arborum quolibet menſe fructus proferentium meminit Ezechiel (4): *Super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum ...... per ſingulos menſes afferet primitiva.*

Quarta die ſolem & lunam & aſtra cetera Deus condidit. Eadem futuro ſæculo ita perficiet, & tanto lumine decorabit, ut Sol quadragies novies, quam nunc, clariores radios emiſſurus ſit (5). Eadem proportione & aſtra cetera rutilabunt.

Die quinta aves & piſces creati; in mundi innovatione ad ſtatum longe perfectiorem redigentur. Tunc homines cum animalibus, & animalia cum ceteris, eam, qua Prophetæ, pacem inibunt, ut alteri nemo amplius obfuturus ſit; & feræ ipſæ ita cicurandæ, ut hominibus ſeſe prorſus ſubmittant. Tunc etiam Deus celeberrimo illo convivio electos excipiet, quod trium magnitudinis prodigio ſimilis animalium carnibus inſtruet; piſcis nempe Leviathan, bovis Behemoth, & avis, cujus pedes terram, caput vero cœlos attingit. Deus ut ſplendidas epulas Electis ſuis inſtituat, hæc tria animalia interficiet, quorum carnes, quæcumque convivarum copia fuerit, omnium ſatietati ſupererunt.

Sexta die Deus Adamum creavit, cujus corpus pellucidum, & procero majus, propter peccatum utraque dote fuit deſtitutum; utraque vero optimis incrementis adaucta poſt reſurrectionem rurſum donabitur, quin iis iterum deſtitui pertimeſcat, quod iterum peccati labe commaculari non poterit.

Hanc rerum ſimilitudinem inter mundi creationem, & ejus poſt reſurrectionem innovationem, Hebræorum Doctores inſtituerunt. Illa tamen prior a futura hac idcirco differet, quod 1. mundus prior e nihilo eductus fuit, alter ex olim condito excitabitur. 2. prior diebus ſeptem conditus, alter ictu oculi reſtaurabitur. 3. denique vetus orbis nocte creari cœpit, novus die innovari exordietur, juxta illud Zachariæ: *In tempore veſper erit lux* [6].

D. Tillemontius Lucubratiunculam hac de re ſcripſit, vulgatam ad calcem vitæ ipſius pag. 197. ſed quæſtionem, an ſcilicet mundus perſeveraturus ſit, nec ne, problematice tractans in utramque partem agitat.

Antequam Diſſertationem abſolvamus, tria ſunt hic animadvertenda. 1. Plurimi ex locis, quos veluti ſub orbis exitum eventura referentes attulimus, Judæorum poſt captivitatem, & Eccleſiæ poſt Chriſti Adventum figuram præferunt: quare litterali eorum ſenſui non eſt maxime inhærendum. Ubi, v. g. lux lunæ ſicut lux ſolis futura; lux ſolis quadragies novies conſueto clarior refulſura; & ferocia, atque venenoſa animalia ferocitatem, & venenum poſitura dicuntur; Gentes ad Deum Fidemque traductæ deſignatæ ſunt. 2. Tempus, ratio, & ceteræ mundi exitus circumſtantiæ nonniſi temere ſtatui poſſunt, præter eas, quæ ambiguitate non obvolvuntur, & allegorice a Scriptura non referuntur: hæ autem vix occurrunt; pleræque ſane hyperbolicis interſeruntur phraſibus, quarum vim, ſenſum, & amplitudinem ignoramus. 3. Hac de re tria nobis credenda Fides proponit: 1. Mundum eſſe ad ſuum exitum perventurum; 2. per flammas abſumendum; 3. non eſſe in nihilum, ſed in perfectiorem ſtatum redigendum. Quare ea omnia, quæ de mundi duratione, de ignis, quo mundus ardebit, qualitatibus, & natura, an Judicium anteibit an conſequetur, de terræ figura, de elementorum ſtatu poſt Judicium, huc uſque attulimus, problematica ſtatuimus. Ambigere qui novit opportune, ille ſane inter doctos laudem non infimam meretur.

DISSERTATIO

De Mortuorum Reſurrectione.

Reſurrectio mortuorum, inquit Auguſtinus [7], *præcipua Fides Chriſtianorum*. Hæc ſane potiſſimum eſt inter hujus vitæ caſus ſpei & ſolatii noſtri argumnetum [8]. Reſurrectionem deme, illico Chriſtianiſmum evertis. Hæreſum nulla Chriſti Religioni magis adverſatur, quam quæ adimit Reſurrectionem [9]. Si Chriſtus non reſurrexit, Apoſtolorum prædicatio fallax, Fides inanis, ſpes noſtra eſt nugatoria [10]. Si vero reſurrexit reſurectio fieri poteſt, imo homines certo reſurgent; cum eorum reſurrectio Chriſti promiſſis innitatur, qui reſurrectionem ſuam veluti noſtræ reſurrectionis pignus, & argumentum nobis exhibuit. Judæi in hoc dogmate reipſa nobiſcum conveniunt; nonnulli etiam Philoſophi quamdam reſurrectionem fatentur: Catholicorum vero hac de re fidem a Philoſophorum opinionibus, & ab Hebræorum fide longe aliam agnoſcimus.

Mortuorum reſurrectionem vulgo Ethnici anile commentum reputabant. Cum Paulus in Areopago Chriſtum reſurrexiſſe pronunciaſſet (11), plerique dicentem irriſerunt. Chriſtianam Religionem vix e cunis

(1) 4. *Eſdr.* 4. & 6. (2) *Matth.* 22. 34. &c. (3) *Menaſſe Ben-Iſrael, lib.* 3. *de reſurrect. mort. cap.* 4. (4) *Ezechiel* 47. 12. (5) *Iſai.* 30. 26. (6) *Zach.* 14. 7. (7) *Aug. Ser.* 150. *nov. Edit. n.* 2.

(8) *Idem in Pſ.* 101. *ſerm.* 2. *num.* 7. (9) *Auguſt. in Pſal.* 88. *ſer.* 2. *nu.* 7. *In nulla re ſic contradicitur Fidei Chriſtianæ, ſicut de Carnis reſurrectione.* (10) 1. *Cor.* 15. 14. (11) *Act.* 17 32.

cunis egreſſam Hæreticorum reſurrectioni adverſantium frequentia invaſit, cujuſmodi fuere Simonis Magi Diſcipuli, Cerinthiani, Gnoſtici, Nicolaitæ, Valentiniani, Marcionitæ, Manichæi, Seleuciani, aliique plures. Apoſtoli ætate [1] ex Corinthiis erant, qui eam oppugnarent. Idem Apoſtolus ad Timotheum ſcribens [2], Hymenæi, & Phileti præſertim meminit, qui reſurrectionem jam peractam defendebant; quod naturalem reſurrectionem, generationem nempe & hominum propagationem, ſeu reſurrectionem moralem, juſtificationem videlicet, cum noſtrorum corporum reali, quam poſtrema die futuram opperimur, reſurrectione confunderent.

Veteres quidam Philoſophi reſurrectionem quamdam admittebant; v. g. Pythagorei metempſycoſim, ſeu de uno in aliud corpus animæ tranſmigrationem. Ariſtoteles Thaleti per tranſitum exprobrat [3], quod corporum reſurrectionem poſſibilem aſſeruerit; quo tamen argumento reſurrectionem ſibi Thales ſuaſerit, non inſinuat. Chaldæi etiam, juxta Theopompum [4], reſurrectionem tuebantur. Ex his forte Democritus, qui eorum doctrinam didicit (5), ſententiam illam exhauſerat (6): *Similis & de aſſervandis hominum corporibus, ac reviviſcendi promiſſa Democrito vanitas, qui non revixit ipſe.*

Plato (7) reſurrectionem alicubi docet; Platonici, teſte Auguſtino (8), animas e corporibus, quæ animaverant, in libertatis ſtatum reſtitutas rurſum in nova corpora perpetuo tranſmigrare putabant. *Alternantibus vicibus indeſinenter vivos ex mortuis, & ex vivis mortuos fieri.* Hos juxta Philoſophos a communibus viris Sapiens tantum differt, quod poſt mortem aſtro ſibi congruo anima nectitur, donec aliud corpus animandi cupidine capta inde revertitur, & alicujus Infantis jam organis ſatis inſtructo corpori intius adhæret. Improborum vero ſpiritus vix a ſuo corpore egreſſi, aliud corpus ei vitæ, quam antea egerant, accommodum ſibi comparant, vel belluam, vel corpus humanum male conſtitutum.

Porphyrius, qui poſt cœptam Chriſtianam Religionem floruit, eum, eodem teſte Auguſtino, Præceptoris ſui Platonis ſententiis inhæſiſſet, eaſdem hac de re prorſus rejecit; hominumque animas numquam in belluas tranſmigrare, Sapientum vero Spiritus a corpore ſemel ſejunctos, numquam in aliud regredi, ſed in Deo æternis voluptatibus abſorberi, defendit. Hinc eſt, quod de Juſtorum beatitudine cum Chriſtianis conveniret, & ab illis etiam valde recederet, quod proborum animas ſuis corporibus numquam reſtituendas, & corpora beatis animarum voluptatibus numquam fruitura, cenſerent.

Platonica animarum tranſmigratio vel apud Judæos, qui reſurrectionem credebant, fidem invenit. Joſephus, qui Phariſæorum ſectam, & Philo, qui Platonis Philoſophiam profitebatur, Juſtorum animas e corpore egreſſas, in aerem, vel in Sphæram, unde diſceſſerant, regredi, poſtque inde revertentes in alia corpora tranſmigrare ſentiebant (9). De reali mortuorum reſurrectione perſpicue non meminere; eam tamen in veteris Teſtamenti Libris (10), & in Macchabæorum ſecundo (11) ſatis offendimus; Phariſæos etiam & vulgo Judæos adverſus Sadducæos reſurrectionem defendiſſe, ex Evangelio, & ex Apoſtolorum Actibus (12) conſtat. Verumtamen hoc reſurrectionis dogma præcipuum eorum Religionis articulum non conſtituebat; non enim a ſua communione, neque a conventibus, neque a ſummis Reipublicæ dignitatibus Sadducæos arcebant, imo ex his aliquem vel Summum Pontificatum geſſiſſe Joſephus teſtatur (13). Modo Religionis ſtudioſiores Sadducæos Hæreticorum & Epicuræorum nomine appellant, neque ulla futuri ſæculi voluptate fruituros enunciant (14).

Judæorum nonnulli non omnes omnino homines, ſed Iſraelitas tantummodo, præter eorum flagitioſiſſimos, ad vitam revocandos fore docebant. Alii vero omnes prorſus homines vitæ reſtituendos enunciabant. Erant, qui ſemel redivivos iterum morti obnoxios negarent; erant etiam, qui [15] eam opinionem improbantes, ſolas animas æterna beatitudine donandas defenderent. Eorum itaque dogma hac de re adhuc in diverſa diſtractum.

Et apud Catholicos hujus dogmatis nonnulla olim varietas. Plures enim e Veteribus Patribus (16) geminam reſurrectionem memorabant; alteram, quæ Meſſiæ annis mille terris dominaturo præibit; alteram, quæ ipſum hoc regnum conſequutur, Sanctorum in Cœlis æternam exordietur felicitatem: quam quidem ſententiam ex Judæis repetierant; eam enim in Eſdræ quarto (17), in duodecim Patriarcharum Teſtamento [18], apud Rabbinos plurimos offendimus; eamdemque ſemi-Judæus Cerinthus ſæculo primo defendebat. Stephanus Gobbarus, cujus excerpta a Photio accepimus, de reſurrectionis dogmate methodo problematica diſſerit (19), & de corporum corruptione ad reſurrectionem; partem utramque defendit. Nos præterea eadem ſtatura, & ætate, qua deceſſerimus, reſurrecturos, mox negat, docens Infantes ætate jam completa vitæ reſtituendos. Nos non eodem omnes ſed diverſo tempore e mortuis revocandos; corpora noſtra ſubtilia, & ſpiritualia fore; tum e contra fore compacta, & terreſtria, & his, quibus modo conſtamus, ſimillima enunerat. Primos omnium Juſtos reſurrecturos, deinde animalia cetera; poſt reſurrectionem, adhuc in terra edentes, bibentes, & filios procreantes immoraturos; cujus demum pacis & voluptatis millenario peracto, omnium omnino reſurrectionem futuram teſtatur: tum e contra Juſtos reſurgendo ceteris non præituros, & mille annorum Regnum poſt reſurrectionem minime adventurum affirmat. Eadem demum methodo de Paradiſo diſſerens, Juſtos poſt reſurrectionem ibidem commoraturos, & non commoraturos defendit, eamque deliciarum Aulam neque in terris, neque in cœlis, ſed medio quodam loco conſtituit.

Ex Moyſis Libris ſatis perſpicua futuræ omnium reſurrectionis argumenta minime deduximus. Cum [*] Chriſtus ea Exodi verba allegaſſet (20): *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob;* ſtatim intulit: *Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium.* Quo quidem ratiocinio anima tantum immortalis, & Patriarchæ vel poſt mortem ſuperſtites directe probantur. Inde vero corporum reſurrectio facile deducitur; ſi enim veterum Juſtorum animæ adhuc ſuperſint, neque bonorum operum, quibus incubuerant, præmium in hac vita retulerant, ad Dei Juſtitiam pertinet, ut in altera idem referant non animæ modo, ſed etiam corpora, per quæ Animæ ipſæ virtutes & opera ingenua exercuerant. Sola anima Abrahæ non eſt totus Abraham.

R. Schammai (21) ex illo Exodi [22]: *Apparui Abraham, Iſaac, & Jacob .... pepigique fœdus cum eis, ut darem eis terram Chanaan*, reſurrectionem probat. Cum enim, ſubdit, ea regione, dum viverent, potiti non fuerint, eo reverteotur ut potiantur. Eo Rabbinus hic ducebatur, quod cum Hebræis Juſtorum & Patriarcharum Regnum poſt reſurrectionem in omnes terras futurum arbitraretur. Nos vero & Abraham, & Iſaac reſurrecturos ſcimus, non ut regioni Chanaan, cujus profecto ipſis neceſſitas nulla, ine-

(1) 1. *Cor* 15. 12. (2) 2. *Timoth.* 2. 18. (3) *Ariſtot. l.* 3. *de Anima c.* 6. (4) *Theopomp. Philippic.* 8. *apud Laertium in proœmio.* (5) *Laert. in Democr.* (6) *Plin. l.* 7. *c.* 55 (7) *Plato in Politic.* (8) *Aug. de Civ. l.* 13. *c.* 19. & *l.* 22. *c.* 12 *n.* 2. (9) *Vide Philon. de Gigant.* 222, 223. & *de Confuſione linguarum p.* 270 *Joſeph. l.* 3. *de Bello Jud. c.* 14. *in Lat. in p.* 855 & *alibi non ſemel*, (10) *Vide Job* 14. 12. & 19 25. *Ezech.* 37. 1. &*c. Sap.* 3. 13. & 6 4. (11) 2. *Macc.* 7. 9. 14. 23. (12) *Act.* 23. 6. (13) *Joſeph Antiq. l.* 18 *c.* 2. *Vid.* & *Act. Apoſt.* 5. 17. (14) *Vide Menaſſe Ben-Iſrael de reſur. mor. l.* 1. *c.* 2. (15) *Abarb.* & *Moſ. Ægypt. apud Menaſſe Ben-Iſrael. l.* 3. *c.* 11. (16) *Papias apud Euſeb. l.* 3. *hiſt. c.* 39. *Juſtin. Dialog. cum Tryphone. Iren. l.* 5. *c.* 33. *Tertull. l.* 3. *contr. Marcion.* &*c.* (17) 4. *Eſdr.* 4. 35. & 6. 18. &*c.* (18) *Teſtam.* 12. *Patriar. Teſtam. Jud n.* 25. & *Zabul. n.* 10. *Dan, n.* 5. & *Levi, n.* 18. (19) *Phot. Cod.* 232. *Mat.* 22. 23. 29. 30. (20) *Exod.* 3. 15. (21) *R. Schammai Perek Helec.* (22) *Exod.* 6. 3.

inerit, ſeu voluntas, dominatur, ſed ut viventium regione, quam Chanaan allegorice præferebat, æterna voluptate potiantur. Menaſſe Ben-Iſrael ex Libris Moyſis futuræ reſurrectionis veriſimilia tantummodo argumenta ab Hebræis hauriri, ultro fatetur (1).

Reſurrectionem aperte præfert Iſaias (2): *Interfecti mei reſurgent: expergiſcimini, & laudate, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus, & terra mortuos projiciet.* Judæorum Doctores (3) huic rori virtutem creatricem tribuunt, a qua tellus fœcunditate donata mortuos omnes ad vitam producet. Quam etiam reſurrectionem cum hominum productione conferentes, rorem veluti Patrem, terram matrem, mortuos redivivos filios generatos appellant.

Æque perſpicuum teſtimonium Ezechielis (4), qui in ſpiritu in campum mortuorum oſſibus refertum raptus, Deo vitæ ſpiritum eiſdem impertiente, primum ea commoveri vidit, deinde ſimul copulari, nervis inſtrui, pelle veſtiri, in viros denique redivivos aſſurgere. Sammai & Hillel de reſurrectione maxime olim diſceptarunt, utrum ſcilicet reſurrectio, ordine per Ezechielem allato, inchoanda ſit ab oſſibus & nervis, per carnem deinde, & pellem abſolvenda; an vero fieri debeat, quemadmodum in utero Matris inſtituitur fœtus, juxta illud Jobi (5): *Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & nervis compegiſti me.* Hanc Hillel, illam Sammai ſententiam tuebantur. Diſceptatio utique inanis, reſurrectio enim, Apoſtolo teſte, illico & ictu oculi fiet.

Rabbini quidam (6) ea oſſa, de quibus paulo ante Ezechiel, vere revixiſſe, eoſque homines, poſtquam reverſi ſunt Jeruſalem, filios procreaſſe ferebant. Ab his oſſibus Rabbinus Juda originem ſuam oſtentans, quædam etiam *Tephilim*, ſeu frontalia in eorum precibus adhiberi ſolita, quæ ab his Ezechielis redivivis ad ſuum uſque Patrem pervenerant, ab eodem Patre ſuo ſe accepiſſe prædicabat. Noſtri vero Interpretes ea omnia Ezechieli in ſpiritu viſa ejuſque vaticinium, ſicuti & Iſaiæ paulo antè allatum, duo pretuliſſe docens Hebræorum nempe a captivitate in terram Chanaan regreſſum, & mortuorum reſurrectionem. Regreſſus ille reſurrectionem hanc deſignabat.

Reſurrectionis Evangeliſtam jure merito Jobum appellamus. In toto ejus Libro phraſes undique occurrunt, quibus quantis ipſe votis reſurrectionem eam opperiretur, oſtenditur. Ipſa ejus valetudinis & fortunæ mutatio futuram iſtis reſurrectionem præſignavit. *Scio*, inquit (7), *quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius: repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo.* Pſalmiſta etiam perſpicue reſurrectionem præfert (8): *Deus redimet animam meam de manu Inferi*, (de ſepulchro) *cum acceperit me.* Et alibi (9): *Avertente autem te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur* (iterum), *& renovabis faciem terræ.* Oſee futuram reſurrectionem non obſcure prænunciat (10): *Dominus cepit & curabit nos; vivificabit nos poſt duos dies: in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus.*

Luculentius adhuc in libris poſt Babylonicam captivitatem reſurrectio futura exhibetur. Libri Sapientiæ Author *viſitationis* nomine, ut plurimum, reſurrectionem indicat (11): *Juſtorum animæ in manu Dei ſunt.....ſpes illorum immortalitate plena eſt.... Et in tempore viſitationis ipſorum refulgebunt, & judicabunt nationes.* Eccleſiaſticus de Iſraelis Judicibus agens, Deum orat (12): *ut ſit memoria illorum in benedictione, & oſſa eorum pullulent de loco ſuo* (de ſepulchro). Quæ dicendi phraſis ad illam Iſaiæ refertur (13): *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt.* Ad illam adhuc Pſalmiſtæ (14), *Oſſa veſtra germinabunt ſicut fœnum terræ.* Daniel, ea quæ Antiochi Epiphanis perſecutionem conſecutura eſſent, præcinens (15), *Multi*, ait, *de his, qui dormiunt in terræ pulvere, evigilabunt* (reſurgent), *alii in vitam æternam, & alii in opprobrium ut videant ſemper.*

Macchabæorum Scriptor, æque ac Evangeliſta, & ipſe Apoſtolus, de reſurrectione perſpicue. Quidam ex Machabæis Fratribus Antiochum compellans (16), *Tu quidem*, inquit, *ſceleſtiſſime in præſenti vita nos perdis: ſed Rex Mundi defunctos nos pro ſuis Legibus, in æterna vitæ reſurrectione ſuſcitabit.* Ex iiſdem Fratribus quartus ſic etiam Regem eſt alloquutus (17): *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare a Deo, iterum ab ipſo reſuſcitandos: tibi enim reſurrectio ad vitam non erit.* Eorum etiam Mater, ut filiis ad pœnas ſubeundas animos adderet (18), *Mundi creator*, ait, *qui formavit hominis nativitatem, quique omnium invenit originem, & ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet & vitam, ſicut nunc voſmetipſos deſpicitis propter Leges ejus.* Ejuſdem Libri Author, poſtquam Judam Macchabæum plurimas ad templum pecunias miſiſſe meminerat, ut pro interfectis in certamine ſacrificia Deo offerrentur (19), *Niſi enim*, ſubdit, *eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.* Author quarti Macchabæorum, quem Librum plures Joſepho Hiſtorico tribuere, quique inſcriptus: *De rationis imperio*, ejus Operibus interſeritur, hæc eadem de mortuis ad vitam revocandis repotabat.

Plura hic de reſurrectionis veritate argumenta congerere ſupervacaneum: hac enim diſſertatione non reſurrectionis dogma probandum, ſed ejus rationem, tempus, & ceteras, quæ a nobis attingi poſſunt, circumſtantias perpendendas aſſumpſimus. Jeſu Chriſti ætate Judæi omnes, præter Sadducæos, reſurrectioni fidem adhibebant. Idemmet Chriſtus pluribus Evangelii locis eamdem comprobavit. S. Paulus & Apoſtoli ceteri non modo mortuos reſurrecturos docuerunt, ſed adverſus Sadducæos, & ſuæ ætatis hæreticos, imo & contra Philoſophos defenderunt. Eccleſia Catholica inter præcipuos fidei articulos Reſurrectionem habuit. Hæc recto ſcire ſatis, quæ ſane ea de re omnem omnino adimunt ambiguitatem.

Eorum Judæorum (20) paulo ante ſententiam retulimus, qui non omnes homines, ſed Juſtos & probos Iſraelitas tantummodo vitæ reſtituendos aſſerebant. Huic opinioni favere videtur illud Pſalmorum (21): *Ideo non reſurgent impii in judicio.* Quidam etiam ex Macchabæis Fratribus Tyrannum increpans, *Nos*, inquit, *denuo iterum vitæ reſtituendos ſperamus* (22): *tibi reſurrectio ad vitam non erit.* Veteres (23) qui reſurrectionem geminam, & Juſtorum in terris regnum ad annos mille protrahendum conſtituerant, ab ea felicitate & primæ reſurrectionis gloria improbos repellebant. Hæc vero prima reſurrectio, & mille annorum regnum Eccleſiæ minime probantur: Dominus præterea & probos & improbos ad vitam revocandos (24), & coram ſe Judice conſtituendos enunciat: illos, ut æterna voluptate donentur, hos autem, ut æternis mancipentur ſuppliciis. Hæc ſane & Paulus, & ceteri Apoſtoli edocuerunt.

Superſtitioſus honor, quem Chananiticæ regioni Judæi habent, illud egit, ut mortuos ibidem ad vitam revocandos putarent. Inde etiam eorum vota de ultimis

(1) *Menaſſe Ben-Iſrael. lib. 1. cap. 5. ad finem de reſurrect. mort.* (2) *Iſai. 26. 19.* (3) *Joſeph Albo, & Viri Synagog. magna.* (4) *Ezechiel. 37. 1. &c.* (5) *Job. 10. 11.* (6) *Rab. Juda, & alii apud Menaſſe Ben-Iſrael, l. 2. cap. 15. de Reſurrect.* (7) *Job 19. 25.* (8) *Pſalm. 48. 16.* (9) *Pſalm. 103. 29.* (10) *Oſee 6. 2.* (11) *Sapient. 3. 1. &c. Vide & cap. 4. & 5.* (12) *Eccli. 46. 14.* (13) *Iſai. 66. 14.* (14) *Pſal. 71. 16.* (15) *Daniel. 12. 2.* (16) *2. Macch. 7. 9.* (17) *2. Macch. 7. 14.* (18) *2. Macchab. 7. 23.* (19) *2. Macch. 12. 44.* (20) *Kimchi in Pſal. 1. Maimon. Abarbanel, Joſeph Albo. Vide Buxtorf. Synag. Jud. cap. 1. & Mais in Pſal. 2. &c.* (21) *Pſalm. 1. 6.* (22) *2. Macch. 7. 14.* (23) *Iren. lib. 5. cap. 35. Quid. apud Aug. l. 20. c. 7. de Civit. Vide & Hieron. in Iſai. 18.* (24) *Joan. 5. 29.*

ultimis vitæ diebus ibidem tranſigendis, & de ſibi in ea regione ſepulchro comparando. Inde eorum opinio de illis, qui alibi ſepulturæ mandati, per occultos terræ meatus in eam regionem a Deo devolverentur, ut ibidem reſurrectionis die vitæ reſtituantur (1). Huc referunt omnes laudes, quibus regionem Chanaan Scriptura commendat, & promiſſa, quibus illam Deus ſibi ſuiſque poſteris perpetuo ſe traditurum ſpopondit. Inde denique, ut mille annos ſub jucundo Meſſiæ Regno ibidem ſe traducturos ſperarent, antequam ſecunda fieret reſurrectio, & univerſale Judicium in valle Joſaphat, Jeruſolymam inter & Oliveti montem a Domino Judice pronunciaretur. Verumtamen & ex Judæis erant (2), qui & undique, & eodem tempore mortuos vitæ reſtituendos nobiſcum crederent; qui etiam (3) reſurrectionem in Terra Sancta inchoandam, & ſucceſſive in ceteris regionibus quam maxima celeritate perficiendam cogitarent.

Certum reſurrectionis tempus ignoramus, quod & Angelis ignotum Chriſtus aſſerit (4), & Apoſtolis de eo flagitantibus pandere detrectavit. In ſæculorum calcu, Dei Filio iterum adveniente, omnes reſurrecturos tantummodo ſcimus. Qui ſexies mille annorum ſpatio totam mundi ætatem determinant, nunc prorſus ferme rejiciuntur. Hanc ſibi Deus reſervavit (5), tantumque nos eam diem furis more adfuturam, & homines, præter omnem opinionem deprehenſuram, præmonuit (6).

S. Paulus hominum plurimos tunc adhuc viventes ſtatim morituros, eaque celeritate iterum reſurrecturos aſſerit, ut eorum mors non mortis, ſed mutationis & tranſitus nomine appellari debeat (7): *Fratres*, inquit, *myſterium dico vobis: omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur*: ſeu juxta Græcum, & optima exemplaria, *Omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba: canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem*. Nos igitur eodem, quo decedemus, momento ad vitam revocabimur, morſque noſtra leviſſimus potius ſomnus appellandus, qui noſtri mortalis corporis in incorruptibile, & immortale mutatione abſolvetur.

Plurimi ſunt Interpretes, ex Græcis potiſſimum (8), qui eos, qui tunc temporis vivent, mortem omnino non ſubituros, ſed in eam, de qua Paulus, mutationem tantum tranſmigraturos putent. Qua de re, æque ut Interpretes noſtri, etiam Hebræorum Doctores ambigunt (9). Alii enim eos, qui jamjam incipiente reſurrectione non obierint, neque obituros, ſed ſtatim e vita ad incorruptionem, & immortalitatem tranſituros autumant. Negant alii, nullam in futuro ſæculo partem neminem obtenturum contendentes, quin primum a vivis migraverit. Decretum de omnium omnino Adæ poſterorum obitu ſane adimplebitur. *Statutum eſt hominibus ſemel mori: poſt hoc autem, Judicium* (10). Aliunde vero S. Paulus ad Corinthios alteram potius ſententiam ſtatuere videtur; ait enim juxta emendatiora Exemplaria: *Omnes quidem non dormiemus, ſed omnes immutabimur*.

Nonnulla etiam difficultas, ut Paulus de reſurrectionis momento a ſe ipſo non diſcrepare oſtendatur. Modo enim momento eodem, *in ictu oculi*, ad tubæ clangorem omnes reſurrecturos aſſerit (11); modo *unumquemque in ſuo ordine*, nempe juxta ſuum meritum, ſeu ætatem, ad vitam revocandum prænunciat (12): quare Sancti v. g. ante reprobos, veteres Patriarchæ ante noviſſimos, Catholici ante ceteros reſurgent; *Primitiæ Chriſtus; deinde ii qui ſunt Chriſti*. Utrumque tamen optime conciliatur, ſi Apoſtolum non de temporis, ſed ordinis anteceſſione meminiſſe animadverterimus (13). Electi & Chriſti Diſcipuli primi reſurgent, ceteris nempe & fulgore, & aliis reſurrectionis glorioſis dotibus antecellent. *Vel primi reſurgent; prius* videlicet (14), quam Chriſto Judici in nubibus advenienti occurrant; cum reprobi e contra, qui eodem momento reſurgent, æterno opprobrio perfuſi, Domino, a quo judicandi, & inferorum pœnis mancipandi erunt, obviam ferri verebuntur.

Judæorum traditio, teſte Hieronymo (15), reſurrectionem noctu, aut diluculo, qua nempe hora Jeſus Chriſtus egreſſus eſt ſepulchro, adimplendam ferebat: quam etiam traditionem a Synagoga accepit Eccleſia, ut alibi oſtendimus. In reſurrectionis articulo, ait Paulus (16), tubæ clangor, & vox Archangeli perſonabunt, quibus in ſepulchris dormientes excitabuntur. Chriſtus etiam in Evangelio (17): *Venit hora*, inquit, *in qua omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filii Dei, & prodibunt*. Et alibi (18): *Et mittet Filius hominis Angelos ſuos cum tuba & voce magna*. Ubicumque de hac ultima die Scriptura loquitur, etiam de tubæ ſonitu meminit; quare Interpretes vel tubam vere ſonantem audiendam, vel ſonitum tubæ ſimilem aſſerunt; ſonitum, inquam, tubæ Dei, *in tuba Dei*, nempe conſueto majorem & ſtridentiorem, non ab illo diverſum, quo Mons Sinai perſonuit, cum Dominus Moyſi legem traditurus deſcendit (19), quoque adeo Judæi fuere perterriti, ut Moyſen, non Dominum, ſeſe alloqueretur, ne interirent, oraverint.

Putant alii, hanc tubam ipſam fore Archangeli vocem, ſeu vocem Dei, vel tonitru, vel imperium, Dei tandem voluntatem; qua mortuos e pulvere eductos vita & immortalitate donabit: eodem enim *fiat*, quo olim a nihilo, nunc a ſepulchris excitatos reſtituet. Tubam pluries ſonitum edituram Paulus prænunciat, cum mortuos in *noviſſima tuba* reſurrecturos affirmat (20). Chryſoſtomus & Theophylactus Apoſtolum ad litteram explicant, Divinum Judicem, nonniſi poſt ultimum tubæ ſonitum, adventurum autumantes.

Hebræi etiam ad litteram explicantes verba Iſaiæ (21): *Expergiſcimini, qui habitatis in pulvere, quia ros lucis ros tuus &c.* eumdem rorem vivifica præditum virtute, quæ vel in ima terra conditos revocabit ad vitam, ſtatuunt. Alii docent (22), mortuos a Deo reſtituendos per oſſiculum quoddam in dorſi ſpina conſtitutum, incorruptibile, quod *luz* appellant. Eo autem ducuntur, quod cecinerit Pſalmiſta (23): *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum* (Juſtorum): *unum ex his non conteretur*. Hoc itaque oſſiculum numquam vel corrumpendum, vel conterendum, illud eſt, cujus modo meminimus. Adrianus Imperator die quadam & reſurrectionis fidem, & Judæum hujus oſſis virtutem oſtentantem irridens, verum ne aſſereret, experimento tentari voluit. Os igitur molæ ſuppoſitum, deinde in flammas projectum, denique in incude percuſſum incolume inde ſemper evaſit. Circum os iſtud, addunt, ceteræ corporis partes in reſurrectione coibunt; quare veluti novæ earum copulationis centrum ſe præſtiterit, ſeu, ut quidam fert Rabbinus, veluti fermentum, quod cetera corporis membra in pulverem ſoluta iterum reſtituet; denique veluti tritici ſemen, quod terræ mandatum, frumentum progignit. Hoc Hebræorum commentum, quod eorum ſatis prafert levitatem, ſerio refellere ſuper-

(1) *Vide Talmud. Babyl. Cetoboth. cap. 13. & Jeroſolym. Chilai cap. 9. &c.* (2) *Menaſſe Ben-Iſrael de Reſurrect. lib. 2. cap. 2.* (3) *Vide Bereſchit Rabba Paraſch. 27. & 96. & Semoth Rabba Paraſch 32.* (4) *Marc. 13. 32.* (5) *Act. 1. 7.* (6) *Matth. 24. 43. & 1. Theſſal. 5. 2. &c.* (7) *1. Cor. 15. 51. &c.* (8) *Vide Chryſoſt. Theodoret. Theophylact. in 1. Cor. 15. 52. 52. Tertull. de reſurrect. cap. 41. 42. Hieronym. ad Marcellam.* (9) *Menaſſe Ben-Iſrael, lib. 2. cap. 13. de reſurrect.* (10) *Hebr. 9. 27.* (11) *1. Cor. 15. 52.* (12) *1. Cor. 15. 23.* (13) *Vide Tertull. de reſurrect. carn.* (14) *Vide Chryſoſt. Theophylact. in 1. Theſſ. 4. 15. Ita & Grot. Eſt. Pagn. Vat. Eraſ. Men. Tirin. &c.* (15) *Hieronym. in Matth. 25. 6.* (16) *1. Theſſal. 4. 15. 16.* (17) *Joan. 5. 28.* (18) *Matth. 24. 31.* (19) *Exod. 20. 18.* (20) *Vide 1. Cor. 15. 52. & Chryſoſt. & Theophylact. in 1. Theſſal. 4. 16.* (21) *Iſai. 26. 19.* (22) *Bereſchit Rabba. Paraſch. 28. & Zear.* (23) *Pſalm. 33. 21.*

ſupervacaneum. An eo iſtud extiterit, nemo unquam probavit.

Auctores iidem de tempore, quo anima corpori iterum copulabitur, quæſtionem inſtituunt, an nempe id fiet corpore adhuc in ſepulchro jacente, an inde egreſſo, & in priorem ſtatum reſtituto? Animam plerique (1), corpori novis organis perfecte jam inſtructo ſeſe iterum adjuncturam defendunt. Quod ſatis apud Ezechielem innuitur (2): *Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris.....cum aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris, & dedero ſpiritum meum in vobis, & vixeritis*. Si vero tota ſimul & in momento reſurrectio fiet, ut jam prætulimus, quæſtio hæc prorſus inanis.

Reginam Cleopatram ferunt quondam a Meir Rabbino poſtulaſſe, an mortui nudi, an veſtibus amicti reſurgerent (3). Cui ille, ſicut granum tritici nudum terræ mandatum, pluribus integumentis indutum reſurgit, ita mortuos veſtibus inſtructos e ſepulchro prodituros reſpondit. Has veſtes eaſdem putabant, quibus cadavera ſepulchro inferuntur (4), quod & per veſtes probant, quibus amictum ſeſe Samuel Pythoniſſæ exhibuit (5). Inde factum eſt, ut Rabbini potiores pulcherrimis veſtibus indutos ſe tumulari juſſerint. Ut plurimum indumentis albis ornabantur, quæ lætitiam & ſolemnitatem deſignant. Deus itaque vel iis veſtibus, quibus mortui in ſepulchrum illati fuere, vel recens creatas eiſdem impertiet. Cur tamen hæ veſtes? An ut a frigore, vel calore vindicent; vel ut nuditatem operiant; vel ut corpora ita venuſta & pellucida exornent? Minime profecto. Nudi igitur omnes reſurgent. Cum vero Judæi mille annorum in terris regnum deliciis omnibus, & voluptatibus cumulatum poſt reſurrectionem opperirentur, mirum non fuerit, ſi homines redivivos veſtibus inſtructos inducerent.

Ex his difficultatibus ad intricatiores alias deducuntur, quo nempe in loco tot homines redivivi, quibus naturalis eo in Regno beatitudo competet, conſtituendi ſint? Quo quidem ii potiſſimum urgentur, qui Juſtos omnes, plurimos etiam ex integerrimis Ethnicis, reſurrecturos ſentiunt, ut millenaria felicitate fruantur (6). Terram nihilominus inquiunt ab ea, quæ modo eſt, longe aliam futuram; nil tunc in ea incultum aut impervium, ſed omnia plana, omnia ſata, omnia incolatui accommoda. Quare ſat erit orbis, ut domicilium iis omnibus præſtet, qui ea fruitori felicitate vitæ reſtituentur. Paria vel ſimillima reſpondiſſe etiam Millenarios credere par eſt.

Metempſycoſis, cui Judæorum plurimi adhæſerunt, & omnium & ſingulorum reſurrectioni repugnat. Cum enim anima una in plures juſtos ſucceſſive tranſmigraverit, quomodo omnes iterum animare valeat; vel forte huic rurſus adhæreat, & ceteros prætermittat? An primum animaverit, an ſecundum, an denique illum, qui præ ceteris reſurrectionem meritus fuerit? Quidam primum (7), quidam ultimum ex ſuis corporibus aſſumpturam putant (8); quare alia corpora, quæ antea animaverat, velut arbores infructiferæ in medio agri deſertæ habebuntur. Quamlibet Animam in tria ſaltem corpora tranſmigrare iidem cenſent, ut quæ primo vitiatum corpus nacta fuerat, perfectius aliud nanciſci valeat: quæque per primum offenſis Deum affecerat, per ſecundum ſibi veniam conciliet. Hæc vero metempſycoſis ſententia vulgo & ab Hebræis, & a Catholicis rejicitur; quare in abſurdis, quæ hinc oriuntur, refutandis non immoramur.

Plurima adhuc de hominum poſt reſurrectionem ſtatu inquiruntur; quæ nempe eorum futura ſit natura, quæ ætas, quæ ſtatura, qui ſexus: an naturalibus ſuis vitiis obnoxii; an integra, an decrepita, an ea reſurrectori ſint ætate, quæ cuique fuerat, cum deceſſit; an denique monſtra & infantes iiſdem affecti incommodis ad vitam revocandi ſint? Ad harum difficultatum pleraſque ſolvendas nec ſatis in Scriptura, nec etiam quibuſdam ſolvendis ſatis eſt rationem conſuluiſſe. Verumtamen, quæ apud Authores meliora, hic recenſebimus. Ipſo Chriſto teſte (9) Juſtorum corpora erunt ſicut Angeli Dei; Paulus (10) immortalia, & incorruptibilia, & Patres vulgo gloria undique coruſcantia, agilia, pellucida fore aſſeverant. Præter hæc, certi fere nihil.

Quorumdam errorem, qui ut poſt reſurrectionem corporeis oculis Deum videndum probarent, carnem in Dei ſubſtantiam tunc reformandam, atque ab ea aliquo modo ſic divinitate donata Deum ſenſibili modo aſpiciendum, defendebant, hunc & contemnit, & optime refellit Auguſtinus (11), qui etiam alibi (12) aliorum opinionum refert, qui, ut nimium extollerent, videbantur reſurrectionis veritatem evertere, corpora in ſpiritum convertenda, & ab iis Deum corporeis oculis videndum aſſerentes. Corpus quidem ſpirituale nobis ſpondet Scriptura, non vero corporis ſubſtantiæ in ſubſtantiam ſpiritus converſionem (13). Noſtra utique reſurrectio Chriſti reſurrectioni non præſtabit; Chriſtus vero corpus verum, palpabile, carne & oſſibus compactum Apoſtolis ſuis poſt reſurrectionem videndum, & tangendum exhibuit (14).

Beatorum corpora, inquit Chriſtus (15), *fulgebunt ut ſol*, & tanto nitore donabuntur, ut ad Dei lucem proxime accedant. *Reformabit* (16) *corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ*. Et alibi (17): *Nos omnes revelata facie gloriam Domini ſpeculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini ſpiritu*. S. Auguſtinus (18) corporum beatorum vigorem cum radiorum viſualium activitate confert, qui juxta veteres Philoſophos, objecta ad noſtros oculos deferunt, vel a noſtris oculis ad objecta lumina celeritate rapiuntur. Eadem penetrandi virtute & agilitate beatorum corpora donabuntur; & ſicuti Jeſu Chriſti corpus poſt reſurrectionem clauſis foribus Apoſtolorum cœnaculum ingreſſus eſt; ita glorioſa corpora, nulla re eorum virtuti obſiſtente, ſecretiora & prorſus impervia loca pervadent.

Docent Hebræi (19), Animam beatitudine jam donatam & a corpore ſejunctam, ſuperiori, a quo maxime decoratur, & penitus pervaditur, lumine nitere; cum vero in reſurrectione corpori rurſus copulabitur, lumine, quo ipſa fulgebit, corpus omne ita illuſtrandum, ut membra omnia, Cœli inſtar effulgeant: *Fulgebunt* (20) *quaſi ſplendor firmamenti....& quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*.

Quidam, Auguſtini ætate (21), homines vitiis ſuis corporalibus obnoxios reſurrecturos eſſe ſentiebant; ſicut etiam Chriſtus cum ſuis manuum, pedum, & lateris cicatricibus reſurrexit. Qui tamen Clariſſimus Doctor a quolibet corporis incommodo prorſus immunes ad vitam fore revocandos ſtatuit; ſi vero Chriſtus ſibi reſervavit cicatrices, *hoc, addit, poteſtatis fuit, non neceſſitatis*: eas enim deleri noluit, ut Diſcipulorum incredulitatem convincerent, & ad gloriæ ſuæ incrementum conferrent. Alibi etiam Juſtos ſine corporis vitiis, gravitate, infirmitate, & cujuslibet indigentiæ expertes reſurrecturos teſtatur (22).

Hebræorum Doctores vetuſtiſſimi (23) iiſdem ſtatura, temperamento, qualitatibus, & corporis pravitatibus mor-

(1) *Vide Menaſſe Ben-Iſrael. l. 2. de reſurrect. c. 7.* (2) *Ezechiel. 37. 12.* (3) *Vide Tract. Sanhedr. Rabi Jonathan. in Gebel. Rabbn.* (4) *Talmud. Jeroſ. Chilai c. 9.* (5) *1. Reg. 28. 14.* (6) *Vid. Rab. Moſen, & Rab. Moſen Gabay. Talmud. apud Manaſſe Ben-Iſrael, l. 2. cap. 9. de Reſurrect.* (7) *Abarbanel apud Menaſſe Ben-Iſr. l. 2. c. 8. de reſurrect.* (8) *Rab. Hiskiah. in Zohar.* (9) *Matth. 22. 30.* (10) *1. Cor. 15. 53.* (11) *Aug. Epiſt. olim 6. nunc 92. n. 5.* (12) *Idem Epiſt. 147. cap. 21. & Epiſt. 205. n. 10* (13) *1. Cor. 15. 44.* (14) *Luc. 24. 39.* (15) *Matth. 13. 43.* (16) *Philipp. 3. 21.* (17) *2. Cor. 3. 18.* (18) *Aug. ſerm. 277. n. 12.* (19) *Rab. Levi Midgne Hanchelam.* (20) *Daniel. 12. 3.* (21) *Auguſt. ſerm. olim 147. nunc 242. n. 3. 2. & ſerm. 140. c. 3.* (22) *Aug. Enchirid de Fide, Spe, & Charitate c. 91.* (23) *Bereſchit Rabba Paraſch. 95. Gemar. Sanhedrini & Jalkut Rabbati.*

mortuo eſſe vitæ reſtituendos ſentiebant. Quare de eorum ſententia, qui antea cæcitate, triſtitia, gradiendi debilitate laboraverant, cæci, triſtes, claudi reſurgent; Deus vero deinde eos incolumitati reſtituet, & ſtatu longe feliciori donabit. Quam opinionem fulciunt illo Eccleſiaſtæ (1): *Generatio præterit, & generatio advenit*: & Pythoniſſæ viſione, cui figura eadem, & iiſdem veſtibus, quibus antea vivens utebatur, ſenex Samuel ſe exhibuit (2). Iſaias reſurrectionem memorans, corporis vitia tunc a Deo abolenda inſinuat (3): *Dicam Aquiloni: Da: & Auſtro, Noli prohibere: affer filios meos, & filias meas .... Educam foras populum cæcum, & oculos habentem; ſurdum, & aures ei ſunt.* Deus igitur eorum cæcitatem, vel ſurditatem avertet. Quod tamen donum in Juſtos tantummodo conferetur; reprobi vero ſuis deformitatibus æternum laborabunt. Quæ quidem juxta eorum principia illi enunciant; putant enim ſe iterum vitam in terris traducturos, ubi ſuæ quiſque Tribui adjunctus bibet, comedet, & ducet uxorem; neceſſe eſt igitur eo ſtatu donentur, quo ſibi commoda omnia & pergrata contingant. Cum vero nos principiis ab Judæorum doctrina longe aliis nitamur, & eorum ſententiis ſubſcribere, & eorum de corporum poſt reſurrectionem ſtatu explorationibus uti minime cogimur.

Increduli & Ethnici, S. Auguſtini ætate (4), plures de Infantium reſurrectione implexas quæſtiones inſtituebant. Poſtulantes a Catholicis, quomodo infantes reſurrecturi eſſent, urgebant: Si integra ætate reſurgent, ii ſunt futuri, qui numquam fuerunt; neque idem ita erit homo, qui deceſſerat, ac ille, qui reſurget. Si pueruli, infirmi, informes, ac iidem, qui in Matris utero vel in primo nativitatis momento fuerant, reviviſcent; quam voluptatem, quam gloriam, quam felicitatem percipient? Nonne numquam in lucem prodiiſſe, quam humili adeo atque demiſſo ſtatu deprimi, illis expedivisset?

An infantes ad vitam revocati ſuam corporis exilitatem ſervaturi ſint, quod certi nil Scriptura afferat, nec Auguſtinus decernit. Eorumdem vero reſurrectionem ſtatuit, veroſimiliuſque ducit & integra ætate & corpore integræ ætati accommodo reſurrecturos. *Credibilius plenas ætates reſurrecturas, ut reddatur munere, quod acceſſurum erat tempore.* Eſto etiam, inbdit, in infantiæ ſtatu reviviſcerent: anne proinde infirmitate, & turpi corporis vitio laborabunt? Deeſt ne venuſtas, quæ infantiam deceat? Deus permaximam in corpus exile gloriæ lucem conferre non valet? *Poſtremo*, concludit, *corruptionem tolle, & quod vis adjice.* Alibi etiam (5) de infantibus agens, qui antequam egrediantur in lucem, decedunt, neminem inquit aſſerturum per reſurrectionem redivivis corporibus non eſſe tribuendum quidquid perfectionis per ætatis incrementum iiſdem adveniſſet; ſicut etiam per eamdem non eſſe adimendum, quidquid vitiati corpori acceſſiſſet: *Ut non deſit perfectio, quæ acceſſura erat tempore, quemadmodum non erunt vitia, quæ acceſſerunt tempore.*

Iis, qui parvulus in matris utero anima tantum ſenſitiva & vegetativa, non vero rationali animatus eſſe putant (6), de eorum poſt reſurrectionem ſtatu nil penitus inveſtigandum; cum enim numquam fuerint anima inſtructi, neque inter homines ſunt recenſendi, neque ea propter in vitam reſtituendi. Cum vero poſtquam corpus ſaltem organis inſtructum fuerit, ab anima rationali animari vulgo ſentiant; neceſſe eſt & hi pueruli cum ceteris reviviſcant: quibus vel Deus, qui ne crinem quidem capitis noſtri periturum ſpopondit, prompte ſatiatam, ad quam vivendo perveniſſent, ſtaturam impertietur; vel quod in iis jam adumbratum eſt, perficiet, vel quod in eiſdem contractum latet, explicabit; vel denique auguſtam, quam exhibent, effigiem in extenſum producet. *Creatori, qui creavit cuncta de nihilo, quomodo deeſſe poſſet, unde adderet, quod addendum eſſe mirus artifex noſſet?* ait Auguſtinus (7).

Veteres plures & Recentiores (8) iis Pauli verbis innixi, *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*, homines ea ætate reſurrecturos aſſeruere, qua Dominus nempe 33. ſeu 37. circiter annos natus, obiit; quare Infantes excreſcent, decreſcent ſenes, ut omnes *in menſura ætatis plenitudinis Chriſti* conſtituantur. Apoſtolus, ait Auguſtinus, nos ad ætatem quidem, non ad Chriſti ſtaturam perventuros teſtatus eſt: alter qui Chriſto ſtatura præſtitiſſent, aliquid illis eſſet detrahendum, quod profecto Domini promiſſo repugnare videtur, qui Diſcipulis ſuis ne eorum quidem crinem periturum ſpopondit: non vero nec ætatis nec aliquid ſtaturæ ſe cuiquam addi- turum aſſeruit.

Hæc interpretatio, vulgo licet obtinens, nihilominus difficultate non caret. Græci (9), & Latini plures (10) eumdem Pauli locum aliter explicant. Ipſe Auguſtinus (11), S. Hieronymus (12), & D. Thomas alia quidem via progredientes, in Græcorum ſententiam deveniunt; nempe illum de Fidelibus interpretantur, qui Evangelii Præcmuum ope in Fide, & in virtute ita progrediuntur, ut ad perfectam ætatem, nempe ad virium, vigoris, & perfectionis ſpiritualis ſtatum perveniant.

Et monſtra quidem reſurrectura certo ſcimus, quæ tamen Deus a corporis vitio vindicabit: *Nec reſurrectura negabuntur: nec ita reſurrectura ſunt, ac non potius correcta emendataque natura* (13). Quidquid morti obnoxium eſt, quidquid homo eſt, vitæ eſt reſtituendum. Si monſtrum geminum fuerit, & animabus geminis imbutum, duo homines & quidem ſejuncti reſurgent; ſi anima una ſolummodo inſtructum, unus tantum homo reviviſcet. Hermaphroditi eum, qui ſibi potior fuerit, ſexum aſſument. Vel propter proceritatem, vel propter exilitatem monſtro ſimiles ad perfectam menſuram redigentur. Si vas inſtitui cœptum vel forte frangitur, vel aliter perit, figulus eamdem argillam iterum miſcens, novum inde vas perfectum, & formoſum excitat. Quod in primo vaſe ſupererat, hic excedebat, hic deerat, in ſecundo utrinque æqua proportione diſtribuitur; quare quod ad ejus deformationem antea, poſtea confert ad venuſtatem. Ita, proportione ſervata, in corporum reſurrectione fiet. Ex partibus ſingulis velut in maſſam unicam fuſis, id, quod uni lateri ſupereſt, alteri deficienti Deus ita impertiet, ut in quolibet corpore perfectus ordo eluceat. *Nulla*, inquit Auguſtinus, *ibi erit deformitas, ubi & quæ prava ſunt corrigentur, & quod minus eſt quam decet, unde Creator novit, inde ſupplebitur. Et quod plus eſt quam decet, materia ſervata integritate detrahetur* (14).

Beatorum inter & damnatorum corpora maxime ſane intererit; an vero reprobi ſuorum corporum pravitate affecti reſurrecturi ſint, non inquirimus (15): *Neque enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo, aut pulchritudo, quorum erit certa & ſempiterna damnatio.* Fruſtra etiam nobis objicimus, eorum corpus fore corruptibile, ſi doloribus ſit obnoxium, & non fore incorruptibile, ſi ſit mortis immune. Quæ enim ea incorruptio, quæ aſſiduis ſemperque innovatis doloribus afficitur? quæ ea fuerit vita, quæ omnibus prorſus calamitatibus ſemper obruitur? *Non eſt enim vera vita, niſi ubi feliciter vivitur; nec vera incorruptio, niſi ubi ſalus nullo dolore corrumpitur.* Incorruptio, robur, & eorum corporum integri-

tas

(1) *Eccl.* 1. 4. (2) 1. *Reg.* 28. 14. (3) *Iſai.* 43. 6. *&c.* (4) *Vide Aug. ſer.* 147. *nunc* 242. *cap.* 3. *num.* 4. & *Epiſt.* 167. *edit. nov.* & *lib.* 22. *de civit. cap.* 14. (5) *Auguſt. Enchirid. de fide, ſpe & charitate cap.* 85. & *lib.* 24. *de Civit. cap.* 13. (6) *Bereſchit. Rab. Paraſch.* 34. *Talmud. Paraſc. Tinide & Nida* 1. 3. (7) *Aug. l.* 22. *de Civit. c.* 14. (8) *Vide Auguſt. l.* 22. *de Civitate, c.* 15. & *ſeq. Anſelm. D. Thom. hic, & Hieronym. in Epitaph. Paulæ cap.* 12. *Eſt. alii.* (9) *Chryſoſt. Theophyl. Oecumen.* (10) *Ambroſiaſt. Hayme, Saſbold. alii plures.* (11) *Auguſt. l.* 22. *de Civit. c.* 18 (12) *Hieronym. in Epheſ.* 4. 13. (13) *Auguſt. Enchirid. de fide, ſpe, & charit. c.* 85. *Vide & lib.* 22. *de Civit. c.* 19. (14) *Aug. l.* 22. *c.* 19. *de Civit.* (15) *Auguſt. Enchirid. c.* 92.

Digitized by Google

ras ad pœnarum incrementum conferent: incorruptibiles & immortales vivent, ut perpetuo moriantur. *Reſurgent inviolati integritate membrorum, ſed tamen corrumpenti dolore pœnarum* (1).

D. Fulgentius (2), improborum corpora non eſſe immutanda, & eam immutationem, de qua Paulus (3), *Et nos immutabimur*, ad Juſtos tantummodo pertinere putavit. Impii quidem, addebat, ut Juſti, reſurgent, at in ea feliciſſima innovatione nullam partem obtinebunt. Eadem, quam a nativitate duxerant, infirmitate & corruptione afficientur; ideo nihilominus a tormentorum vi non interficientur, ut eorum pœnis diutius obruantur. Vermis, quo vorabuntur, non occumbet; ignis, quo adurentur, non extinguetur; a quo etiam igne velut quodam ſale perfundentur, ut aliquatenus incorruptibiles evadant (4): *Omnis enim igne ſalietur, & omnis victima ſale ſalietur*.

In eam ſententiam venit cum S. Auguſtino S. Fulgentius, quod utrque incorruptibilitatem & pœnam ſeſe invicem repellere autumarent. Nos vero cum utramque ſibi mutuo prorſus adverſari nolumus, cum dolor ſoli animæ inſideat. Animam, doloribus licet obnoxiam, natura immortalem ſcimus. Quis vero avertat, quominus corpori incorruptibili juncta, ex iis, quæ corpus afficiunt, dolorem exhauriat, quamvis inde corpus mortem non ſit contracturus? Sunt mala quædam, v. g. podagra, dentium dolor, quibus anima permaxime torquetur, quamvis ab iis corpus minime interimendum compertum habeat.

Diu apud Catholicos diſceptatum, an fœminæ in reſurrectione proprium ſint ſexum mutaturæ. Veterum (5) plures affirmarunt, eo potiſſimum ducti, quod dixerit Paulus (6): *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti*. Alibi etiam (7): *Quos Deus prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui*: quod etiam aſſeruerit Chriſtus (8): *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei*. Huic ſententiæ favent præterea quædam Theologorum, & Philoſophorum argumenta: v. g. virum tantum e terra fuiſſe eductum, fœminam autem e viro. Addit celeberrimus Scotus, fœminam eſſe vir accidens, & nonniſi viri occaſione progenitam. Naturam ſemper ad virum procreandum intendere, aliquando vero vel generantis, vel concipientis vitio invitam fœminas producere. Hæc majoris momenti argumenta.

Tertullianus (9) vero, Hieronymus (10), Auguſtinus (11) & Theologorum plerique, fœminam putant æque ac virum perfectam, a Creatore inſtar viri primo intentatam; creaturam Dei eſſe ad generis humani propagationem neceſſario conſtitutam, denique a naturæ ſeu vitio, ſeu monſtro longiſſime abeſſe. *Non eſt enim*, ait Auguſtinus, *vitium ſexus femineus, ſed natura*. Porro ſi fœminæ originem animadvertamus, ipſo viro aliquatenus perfectiorem inveniemus; vir enim e terra tantum eductus, fœmina vero ex ipſius viri ſubſtantia. Inane eſt objiciendo inquirere, ad quid ſexus varietas poſt reſurrectionem conducet? aliter neceſſe foret, ut & a viro ſuum ſexum immutandum enunciaremus: quæ ſane illatio ipſius objicientis menti adverſaretur.

Procul tunc erunt nuptiæ, generatio, & conjugis in uxorem poteſtas. Sicut Angeli Dei erimus, morborum, indigentiæ, pudoris, & concupiſcentiæ expertes. Primos noſtros Parentes in horto Edem nuditatis non pudebat, quod integerrima innocentia decorarentur. Ita profecto & Beatis in Cœlo continget, qui mentis acie in Dei Magnitudinem, Sapientiam, Bonitatem prorſus attenti, puritate & innocentia longiſſime perfectiori ditabuntur.

Ex eiſdem Jeſu Chriſti verbis, *In reſurrectione neque nubent, neque nubentur*, Hieronymus (12) argumentum ducit, quo ſexus diverſitatem tunc futuram concludat: *Non enim*, inquit, *de lapide, & ligno dicitur: non nubent, neque nubentur, quæ naturam nubendi non habent; ſed de iis, qui poſſunt nubere*. Tertullianus, quod Chriſtus omnibus hominibus reſurrectionem promiſerit, eamdem probat ſententiam: Cum enim, ait, integer homo reſurrecturus dicitur, excitandus promittitur omnibus omnino membris inſtructus: quæ quamvis ei, cui nunc conferunt, eſſent inutilia, ad corporis nihilominus venuſtatem, & integritatem neceſſario poſtulabuntur. Eadem fere occurrunt in Quæſtionibus ad Orthodoxos, Juſtini Martyris nomine inſcriptis (13), & apud Gennadium in Tractatu Eccleſiaſticorum dogmatum, S. Auguſtini Operibus inſerto (14). S. Irenæus quoslibet ſuum in reſurrectione ſexum ſervaturos perſpicue inſinuat (15).

Qui ſibi de ingenio placent Eruditi, reſurrectionis dogmati perplurima objiciunt. Ajunt enim: Quomodo beatorum animæ corpus, quod ad ſuas ipſarum pœnas tantummodo contulit, proſequantur amore? quomodo corpus a vermibus corroſum, a flammis abſumptum, in pulverem redactum, ab animalibus carnivoris, a vulturibus, a piſcibus devoratum, ad vitam revocabitur? quomodo ea corporis particulæ, quæ per inſenſibilem tranſpirationem aſſidue evaneſcunt, in idem corpus iterum coaleſcent? quomodo demum populi, qui hominum carnibus veſcuntur, ſuam iterum carnem reſurgendo aſſument, cum inter ipſos ſæpiſſime unius caro in carnem alterius tranſmigret?

Quæ omnia ſatis evertimus, modo tantum ſtatuatur, reſurrectionem inter ea, quæ a naturalium cauſarum ordine dependent, minime eſſe recenſendam. Hoc plane ſolius Divinæ poteſtatis eſt opus (16), cujus cauſas & rationem nonniſi temere & nequicquam indagaremus. Eo tantum hic intendimus, ut rei veritatem confirmemus. Ne igitur, inquit Auguſtinus (17), de redivivorum corporum natura humana infirmitas dirimere audeat, ne propter inanem inquiſitionem Fidei & felicis reſurrectionis meritum deperdat. Novi & Veteris Teſtamenti Libri certa futuræ reſurrectionis argumenta præferunt; cujus etiam vadimonium & arrham Domini, & Lazari, & Sanctorum, qui una cum Chriſto ſurrexerunt, reſurrectio nobis impertit (18). Fruſtra igitur contra iis, quæ Dei Filius ſpopondit, & certo conſtant, difficultates adſtruuntur.

Quamvis autem corporis noſtri materia ſive in pulverem, ſeu cinerem redacta fuerit, ſive per tranſpirationem erogata, ſive in carnivoræ belluæ, ſeu barbari hominis ſubſtantiam tranſmigraverit; Deus eamdem diſcernet, & corpori, cujus erit, impertietur. Quod ſane ut præſtet, neque hominis ope, neque conſilio indiget, eaſque difficultates, quæ nullo labore nobis ſuperandæ videntur, nullo negotio abſorbet. Num qui ex materia aliena hominem per ſuum verbum momento creavit, ex propria materia compactum reſtituere non valeat? Particulæ omnes, quæ a nativitate ad uſque mortem corpus noſtrum compegerunt, nobiſcum utique non reſurgent; tunc enim magnitudinis monſtra excitaremur. Id tantummodo nobis reſtituetur, quo, vel quanti in ætatis anno trigeſimo, vel ante mortem fueramus, venuſta proportione conſtituamur. D. Auguſtinus mortuorum reſurrectionem cum metalli ſimulacro comparat (19), quod contritum & fuſum veterem ſui ſpeciem omnino deperdit; e fuſore iterum conflatur, partibuſque una immixtis in formam priori effi-

Diſſert. Calmet Tom. II. N 3

(1) *Auguſt. Ep.* 156. *nov.* 15. *nov. edit. & ſer.* 362. (2) *Fulgent. lib. de Fide ad Petrum cap.* 3. *num.* 37. (3) 1. *Cor.* 15. 52. (4) *Matth.* 9. 48. (5) *Origen. in Matth.* 23. 30. *Hilar. & Hieronym. in eumdem locum. Baſil. ſeu alius in Pſal.* 114. *Athanaſ. ſerm.* 3. *contr. Arian. alii apud Auguſt. lib.* 22. *cap.* 17. *de Civit.* (6) *Epheſ.* 4. 13. (7) *Roman* 8. 29. (8) *Matth.* 23. 30.

(9) *Tertull. de Reſurrect. carn. c.* 60. 61. (10) *Hier. Epitaph. Paulæ & Epiſt. ad Pammachium contr. errores Joan. Jeroſol.* (11) *Auguſt. l.* 22. *de Civit. c.* 17. (12) *Hier. loc. cit.* (13) *Reſponſ. ad q.* 53. *ad Orthodox.* (14) *Gennad. de Eccl. Dog. c.* 43. (15) *Irenæus l.* 2. *c.* 23 *& l.* 5. 13. (16) *Vide Atenagor. de reſurrect. mort. p.* 43. (17) *Aug. ſer.* 287. *n.* 13. (18) *Matth.* 27. 52. (19) *Auguſt. Enchirid. de fide, ſpe, & charit. c.* 89. *& l.* 22. *de Civit. c.* 90.

effigiei conſimilem injicitur, & novum contrito ſimillimum ſimulacrum conſtituitur.

Sive igitur Deus vel quanti ante mortem fueramus, nos excitare, vel ſtaturam triginta annorum congruentem nobis impertiri, vel denique æque omnes ejuſdemque menſuræ nos reſtituere decreverit; a quonam prohiberi poteſt, ne quod ſupereſt, uni detractum, in alium, cui deerat, conferat, & quidquid velit, perficiat (1)? *Ita modificabitur illa in unoquoque materies, ut nec aliquid ex ea pereat, & quod alicui defuerit, ille ſuppleat, qui etiam de nihilo potuit, quod voluit, operari.* Huc etiam pertinet ſutoris exemplum, qui ex pluribus ſimulacris ſpecie & ſtatura inæqualibus, contritis, immixtis, & ſimul fuſis, ejuſdem speciei & ſtaturæ totidem ſimulacra conflat.

Cuicumque hac de re ſententiæ adhæreamus, nihil ullam nobis ingerat difficultatem, cum reſurrectio, & omnes, quæ ad eam pertinent, mutationes Divinæ ſint opus poteſtatis. Ceterum unumquemque figuram, ſexum, & ſtaturam ſibi propriam ſervaturum, veriſimilius nos ducimus; neceſſe enim putamus, ut quiſque eo ipſo, quo vivens, ſtatu iterum donetur; alioqui eorum reſurrectio, nova potius foret appellanda creatio, ſi ab iis, qui fuerant, alii reſurgerent.

De hominibus, quos barbari homines voraverint, difficilior ſolutio: iis enim, quos carnivora animalia abſumpſerint, cum hæc non ſint ad vitam revocanda, iterum reſtituetur quod in eorumdem animalium nutritionem tra[n]ſmigraverat. Rabbini (2) in ſæculorum exitu, & Meſſiæ temporali Regno florente animalia perfectiora, quam nunc, extitura, & eidem, quo ante Adæ lapſum fruebantur, ſtatui reſtituenda putant. Licet vero minime reſurrectura velint, quæ obierint, nihilominus ſtat difficultas de iis ſaltem animalibus carnivoris, quæ, cum ante primam reſurrectionem Juſtorum carnes comederint, poſt eamdem reſurrectionem adhuc vita non exceſſerint. Quid enim de Juſtorum carnibus, quæ in eorumdem animalium ſubſtantiam tranſmigraverint? Qui huic favent opinioni, difficultatem ſolvant.

Nunc vero ei occurramus, quod de *Anthropophagis*, ſeu hominum comeſtoribus objicitur. Corpus, quod comeſum fuerit, anne illi, qui comederit, & in ſuam ſubſtantiam converterit, an ipſi comeſo reſtituetur? S. Auguſtinus comeſo reſtituendum non ambigit (3): *Redderur caro illa homini, in quo eſſe caro humana primitus cœpit.* Tam comeſus quam comeſtor ſuæ uterque propriæ ſubſtantiæ reſtituetur.

Athenagoras idem ſibi objiciens, ſibi etiam reſpondet (4), humanam carnem, quod hominum congruum non ſit nutrimentum, non poſſe idcirco ad eorum ſubſiſtentiam conferre, nec in eorumdem ſubſtantiam converti; adeoque, licet corpori humano per cibum copuletur, vel per tranſpirationem diſſipari, vel projici per excrementa: Penitus, addit, in corpore humano detinetur, neque in carnem convertitur: quare ejus, qui reſurgit, corpus proprie conſtituere non poteſt. Nos vero, ne noſtris Philoſophis reſponſum hoc non arrideat, ſatis veremur. Caro utique humana ad ordinariam & naturalem hominis nutritionem non pertinet, quod Deus eamdem hominibus interdixerit. Veruntamen, qui eam comedunt, eamdem digerunt, & veluti cibos ceteros ſuum in ſuccum convertunt: quam tempore, & modo quo Deus voluerit, comeſis reſtituent, ut ait Auguſtinus. Sapientiæ Dei erit noſtrorum corporum materiam ita omnibus impertiri, ut & ſui promiſſi veritas, & ſuorum operum venuſtas undequaque refulgeat.

Hanc tandem diſſertationem abſolvamus. Veritatem ex præcipuis, quibus Catholica Religio Fidem adhibet, perſpicuis Veteris & Novi Teſtamenti textibus, & Jeſu Chriſti promiſſis innixam, Domini etiam, & ceterorum, quos ipſe excitavit, reſurrectione comprobatam perpendimus. Quot nihilominus tenebris myſterium iſtud obvolvitur? Quando, quomodo, qua ſtatura, qua ætate reſurgemus? Hæc humana curioſitate nequicquam ſane indagantur. In ſæculorum exitu nos reſurrecturos, ſemel tantum reſurrectionem futuram, & momento, ſeu oculi ictu abſolvendam, corpora demum Juſtorum incorruptibilitate, & immortalitate donanda, certo ſcimus. At qualia reproborum corpora ſint evaſura? Quomodo immortalitas & incorruptibilitas cum pœnis innumeris, aſſiduiſque ſuppliciis cohæreant? Quomodo infantes, quo ſtatu, qua ſtatura reſurgent? Quomodo monſtra, & qui in matris utero deceſſerunt, reviviſcent? Hæc omnia ſibi Dominus reſervavit, nobiſque ea tantum aperuit, quæ ſcire maxime expedit. Omnes nempe, & ſingulos homines reſurrecturos, & ante Divini Judicis Tribunal conſtituendos fore, ut probi donentur præmio, ut improbi mancipentur ſupplicio.

IN EPISTOLAM
S. PAULI AD EPHESIOS
PROLEGOMENON.

EPheſus, Aſiæ Minoris Metropolis, Idololatriæ maxime dedita, cultui præſertim Dianæ, cui etiam celeberrimum Templum erexerat. Epheſios ſuperſtitioſos etiam fuiſſe & Magiæ quammaxime addictos inde conſtat, quod S. Paulus una die tot libros magicos flammis tradidiſſe dicatur (5), quot 50000. denariorum pretio conſtaſent (6). Impudicitia & effrænis licentia totam Aſiam, Epheſum præſertim, pervaſerant.

S. Paulus anno Chriſti 54. primum Epheſum venit (7), qui poſtquam Judæorum Synagogæ de Evangelio dixiſſet, ut apud ipſos aliquamdiu moraretur, poſtulatus, ſi Deo collibitum fuerit, ſe regreſſurum ſpopondit. Aquilam & Priſcillam, qui ſe domi ſuæ Corinthi exceperant, quique Epheſum uſque comitati fuerant, in ea Urbe reliquit. Paulo poſtquam Paulus inde diſceſſerat, Judæus Alexandrinus, quem Apollinem appellabant (8), vir diſertus, Scripturarum peritus, & licet ſolo Joannis baptiſmate initiatus, acer Fidei Catholicæ propugnator, Epheſum venit, & prædicationi incubuit. Optime ibidem ab Aquila & Priſcilla inſtructus, Corinthum contendit, ubi quod Paulus plantaverat, irrigavit (9).

Sub anni 54. exitum D. Paulus Epheſum reverſus, triennio conſtitit (10). Diſcrimen eſt, an S. Joannes

(1) *Auguſtin. Enchirid. cap. 90.* (2) *Vide, ſi placet, Philonem de præm. & pœn. p. 924. & Semoth Rabba & Menaſſ. Ben-Iſrael, l. 3. c. 6. p. 303.* (3) *Aug. l. 22. de Civit. c. 19.* (4) *Athenagor. lib. de reſurrect. mort.* (5) *Act. 19. 19.*

(6) *Hi 50000. denarii ſunt 25000. libræ, decem ſolidis Gallicis, qui communis eſt denarii Romani valor, in ſingulos denarios ſupputatis.* (7) *Act. 18. 19. 22.* (8) *Act. 18. 24. 25.* (9) *1. Cor. 3. 5.* (10) *Act. 19. 1. & 20.*

ner Evangeliſta Apoſtolo prior eo Fidem intulerit. S. Joannes Chryſoſtomus (1), & alii affirmant; Irenæus (2) vero, & Theodoretus (3), & quidem melius, negant, adduntque S. Paulum ei mori & ſtie inſtitiſſe, quo ſuper fundamentum alienum conſtruere recuſabat, neque de Chriſto dicebat, niſi ad ea loca, quæ Chriſtum penitus ignorarent (4). Ab Judæis & ab Ethnicis Paulus ibi plurima pertulit, ſibique tandem fuga conſulere coactus eſt, ut ſeſe ei ſeditioni eriperet, quam aurifex Demetrius, qui conficiendis Dianæ ædiculis victum ſtenſigebat, Epheſi excitaverat (5). In Græciam inde profectus, Corinthi aliquandiu ſubſtitit, donec eleemoſynas in Græcia, & Aſiæ congeſtas deferens, Jeroſolymam navigavit. In Templo ab Judæis interceptum Romanorum militum Præfectus Cæſaream miſit: unde Romam traductus, biennio (6) in carcere detentus eſt, ubi hanc ad Epheſios Epiſtolam, anno circiter Chriſti 62. ſcripſiſſe putamus. Præterquam quod Paulus ſuorum vinculorum in ea meminerit (7), ejuſdem etiam in Græcis Exemplaribus ſubſcriptiones Romæ exaratam præferunt.

Cum vero bis in vincula conjectus fuerit, primum Jeroſolymis comprehenſus a Judæis, Neronis Imperantis anno ſeptimo; ſecundo cum Romam profectur, eodem Imperatore jubente, regni ſui anno 12. detentus, & anno ſtatim conſequente Martyrio interemptus fuit; diſſentiunt idcirco Interpretes, cujus in hac Epiſtola carceris mentio facta ſit. De prioribus vinculis Paulum loquutum nonnulli autumant (8): in quam ſententiam & nos idcirco propendemus, quod Apoſtolus ſuæ proximæ mortis non meminerit, imo Epheſios oraverit, ut ſibi per preces libere evulgandi Evangelii virtutem a Deo obtineant (9): quo de ſuis ſibi vinculis ſolvendis, deque Evangelio Gentibus enunciando ſe adhuc tunc ſperaſſe, ſatis oſtenditur: quod præterea hanc, ſicuti & Epiſtolam ad Coloſſenſes, per Diaconum Tychicum miſerit, & eadem fere verba, ut eum Diſcipulum Epheſiis, & Coloſſenſibus commendaret, Epiſtolæ utrique inſeruerit (10). Epiſtolam vero ad Coloſſenſes a Paulo exaratam, poſtquam primum Romam venerat, certo ſcimus; ergo & hanc, quam habuit ad Epheſios.

Baronius, Eſtius, Tillemontius, & alii, vix anno ante mortem, poſtquam iterum ſe Romæ reſtituerat, ad Epheſios miſſam ſtatuunt (11). Hieronymum etiam in ſuam ſententiam pertrahere ſtudent, quod, an Paulus, priuſquam Epiſtolam hanc ſcriberet, in Hiſpaniae ſe jam contuliſſet, ambigere fateatur. Addunt præterea, in hac, ſicut in Epiſtola ad Coloſſenſes, Tichyco Oneſimum non jungi, neque Timotheum in ejus titulo una cum Paulo memorari, ut ſit in eadem ad Coloſſenſes, & in ceteris, quas, poſtquam primo Romam contenderat, Paulus dedit. Hæc eorum argumenta.

Veterum nonnulli (12) Paulum adhuc Epheſum non peragraſſe, cum hanc ad Epheſios Epiſtolam dedit, idque omne, quod de prædicatione, & de ejus ad hanc urbem itineribus Acta recenſent, nonniſi aliquandiu poſtquam eamdem ſcripſerat, eveniſſe putarunt. Vincula vero Pauli vel de vinculis aliis ab iis, quibus Romæ devinctus fuit, vel ſpirituali ſenſu de corporis ſui carcere explicarunt (13), juxta illa ejuſdem Apoſtoli verba (14): *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quæ quidem ſententia ab omnibus nunc vulgo rejicitur, quamvis aliqua hujus Epiſtolæ loca ei favere videantur, verbi gratia (15): *Propterea & ego audiens Fidem veſtram, quæ eſt in Domino Jeſu, & dilectionem in omnes Sanctos, non ceſſo gratias agens pro vobis, memoriam veſtri faciens in orationibus meis;* quod utique quammaxime ad illud accedit, quod ad Romanos ſcripſit (16), cum eos ſolo nomine noverat. Et alibi (17): *Hujus rei gratia, ego Paulus vinctus Chriſti Jeſu, pro vobis Gentibus, ſi tamen audiſtis diſpenſationem gratiæ Dei, quæ data eſt mihi in vobis.* Sed objectionem hanc diluimus in Commentario.

Marcion (18) hanc Epiſtolam non ad Epheſios ſed ad Laodicenſes a Paulo datam aſſeruit, illam enim vocem primi verſus, *Epheſi*, ademit (19); quod vitium a Marcionitarum Exemplaribus etiam in Catholica tranſlatum eſt: quare Baſilius Magnus (20) vetuſtiſſimos Libros allegat, in quibus ſic: *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei omnibus Sanctis, qui ſunt, & fidelibus in Chriſto Jeſu,* pro, *omnibus Sanctis, qui ſunt Epheſi.* Hieronymus etiam (21), hanc varietatem tangit, & Baſilii opinionem culpans, ab aliquibus jocoſe potius quam graviter explicari aſſerit ea verba: *Omnibus ſanctis qui ſunt:* ac ſi ea mens eſſet Apoſtoli, ut Epheſios aliquatenus natura Sanctos eſſe teſtaretur, ſicuti Sanctus eſt Deus, qui idcirco appellatur: *Ego ſum qui ſum* (22). Marcion, Epiphanio teſte (23), geminas Epiſtolas, ad Epheſios alteram, alteram ad Laodicenos noviſſe dicitur; locus vero, qui veluti per Marcionites ab Epiſtola ad Laodicenos laudatus affertur, in Epiſtola ad Epheſios occurrit c. 4. 5. 6.

Grotius (24) huic ſimillimam ad Laodicenos Epiſtolam a Paulo datam putat, eamque a Marcione, forte Laodicenæ Eccleſiæ authoritati innixo, Epiſtolæ ad Laodicenos nomine allegatam cenſet: quid enim alioqui contuliſſet Marcioni ut titulum interpolaret? Hanc præterea de ſua ſententia eamdem eſſe edit, quam Paulus, veluti ad Laodicenos miſſam, memorat, *Coloſſ.* 4. 16. Proxime ad Grotium accedit Uſſerius (25), qui hanc Epiſtolam ad omnes Aſiæ Eccleſias circularem ducit: quare Paulus Eccleſiæ, ad quam Epiſtola mittebatur, nomine prætermiſſo, illud tantummodo appoſuit (26): *Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, Fidelibus ......* Quod vero Epheſus Provinciæ Metropolis eſſet, in Exemplarium pleriſque hæc Epiſtola Epheſi nomen ſervavit, quare mirum non fuerit, ſi Baſilii ætate ex iiſdem Exemplaribus quædam nullius Eccleſiæ nomine inſcripta legerentur, & Laodiceni ſibi miſſam oſtentarent. Hinc forte Marcion ad Laodicenos datam defendit, & veluti ad eoſdem miſſam allegavit.

Hæ ſane conjecturæ & Interpretum ingenium, & quamdam veri ſpeciem præferunt; quædam vero in eadem Epiſtola occurrunt, quæ ad Epheſios maxime pertinere videntur. Eos v. g. quamplurimum Magiæ deditos ſcimus; ea propter, *Vos*, ait Paulus, *cum eſſetis mortui delictis & peccatis veſtris, in quibus aliquando ambulaſtis ſecundum ſæculum mundi hujus, ſecundum principem poteſtatis aeris hujus ſpiritus, qui nunc operatur in filios diffidentiæ* (27). Sanctus Ignatius Martyr Epheſi Fideles (28) per totam

(1) *Chryſ. Prolog. in Ep. ad Epheſ.* (2) *Iren. lib. 3. cap. 3.* (3) *Theodoret. ad Epheſ. prolog.* (4) *Rom.* 15. 20. &c. (5) *Act.* 19. 24. (6) *Ab ann. 61. uſq. ad Chr.* 63. (7) *Epheſ.* 3. 1. & 4. 1. & 6. 20. (8) *Theodoret. Grot. Prolog.* (9) *Epheſ.* 6. 19. (10) *Confer. Epheſ.* 6. 21. &c. *cum Coloſſ.* 4. 7. &c. (11) *Hier. in Epheſ.* 3. *Vide not.* 42. *D. Tillemont. in S. Paulum.* At idem Hieronymus *in capit.* 3. *v.* 1. diſerte aſſerit, hanc Epiſtolam Romæ ſcriptam eo ipſo tempore, quo & Paulus ſcripſit ad Philemonem, ad Coloſſenſes, & ad Philippenſes: ad quos utique ſcripſit, poſtquam primo Romam pervenerat. (12) *Vide Theodoret. Prolog. ad Epheſ. c.* 15. *& Oecumen. Prolog.* (13) *Hieronym. in Epheſ.* 3. *initio.* (14) *Rom.* 7. 24. (15) *Eph.* 1. 15.

(16) *Rom.* 1. 8. 9. 10. (17) *Epheſ.* 3. 1. 2. (18) *Tertull. l.* 5. *contra Marcion. c.* 11. *Præterea & de alia Epiſtola, quam nos ad Epheſios præſcriptam habemus, Hæretici vero ad Laodicenos.* (19) *Tertull. lib.* 5. *cont. Marcion. c.* 17. *Eccleſia quidem veritate Epiſtolam iſtam ad Epheſios habemus emiſſam, non ad Laodicenos; ſed Marcion. ei titulum aliquando interpolare geſtiit, quaſi & in iſto diligentiſſimus explorator.* (20) *Baſil. Magn. l.* 2. *adverſ. Eunom.* (21) *Hier. in Epheſ.* 1. (22) *Exod.* 3. 14. (23) *Epiphan. hæreſ.* 42. *c.* 9. *p.* 310. & 371. 374. (24) *Grot. Prolog. in Ep. ad Epheſ.* (25) *Uſſer. ad ann.* 64. (26) *Epheſ.* 1. 1. (27) *Epheſ.* 2. 1. *Vide etiam c.* 1. 21. *& c.* 5. 11. *& c.* 6. 12. *& Præfat. S. Hieronymi in* 1. *lib. ſui Commentarii in hanc Epiſtolam.* (28) *Ignat. ad Epheſ. pag.* 24. *Vide Cotel. not. ibid.*

hanc Epiſtolam a Paulo commendatos aſſerit. Apoſtolum igitur Epheſios præcipue per eamdem alloquutum ſentit. Præterea ibi Paulus in aſſrænem licentiam, quæ Epheſum nimium pervaſerat, inſurgit; (1) turpes & ſcurciles ſermones damnant, monet (2) denique, ut a quoromdam Philoſophorum ſententiis caveant, e quibus turpium operum pleraque veluti indifferentia vulgabantur. Epheſus maximæ voluptatis Urbs, Philoſophos plurimi faciebat.

Ante hanc, ad Epheſios alteram a Paulo datam Epiſtolam olim nonnulli putarunt (*), quod capite 3. 3. hæc legantur: *Quoniam ſecundum revelationem notum mihi factum eſt ſacramentum, ſicut ſupra ſcripſi in brevi*. Interpretes vero id Apoſtolum innuiſſe cenſent, quod præcedenti capite de eorum ad Fidem vocatione, & de eorum ſine Legis operibus juſtificatione præmiſerant.

Patrum & Interpretum teſtimonio (3) hæc Epiſtola captu difficilior, & forte omnium S. Pauli difficillima. Præter magnitudinem, & rerum, de quibus in ea agitur, ſublimitatem, ſtylus utique confuſus phraſis dura, & periodi nimium protractæ. Præcipua noſtræ Fidei myſteria, Redemptio; per mortem Jeſu Chriſti Juſtificatio, Prædeſtinatio, Gentium ad Fidem vocatio, & Gentium ab Abrahæ fœdera alienarum cum Judæis primis Divinarum promiſſionum hæredibus conjunctio in prioribus tribus Epiſtolæ capitibus fuſius ab Apoſtolo recenſentur.

Illuc Paulum intendiſſe credimus, ut non modo Fideles Judaizantes, ſed etiam Ethnicos recens ad Fidem traductos, e ſua in Idololatriam, Magiam, curioſas artes, & licentiæ flagitia proclivitate adhuc non penitus amotos, ioereparet. Gnoſtici illius ætatis hæretici, & Philoſophi quidam turpia, adulterio minora, inter indifferentia opera recenſentes, impudicitiæ flagitiis authoritatem adjungebant. Tribus ultimis Epiſtolæ Capitibus ad eorum mores componendos regulas Epheſiis Paulus præſcribit; ad concordiam, pacem, & flagitiorum fugam hortatur; Conjugibus & Uxoribus, Genitoribus & filiis, ſervis & Dominis ad vitam optime inſtituendam, plurima impertit; preces denique ab iis poſtulat, ut, perſecutionibus invictis, robur, & Evangelii enunciandi virtutem a Deo conſequatur.

IN EPISTOLAM
S. PAULI AD PHILIPPENSES
PROLEGOMENON.

S. Paulus a Deo in Macedoniam vocatus, anno Chr. 52. Troade navim conſcendit; in Samothraciam venit, die proxima Neapolim Macedoniæ urbem maritimam appulit, & hinc Philippos, Romanorum Coloniam, hujus Macedoniæ partis Metropolim profectus, primam Lydiam purpurariam Deo per Fidem peperit (4). Aliquot poſt diebus cum ab ancilla quadam per familiarem Cacodæmonis conſuetudinem abdita revelante, quæ ſuorum dominorum quæſtui plurimum conducebat, Pythonem ejeciſſet, ab ejuſdem heris apud Magiſtratus, tamquam novæ Religionis author delatus, poſt virgarum animadverſionem, una cum Sila in carcerem conjectus fuit. In noctis vigilie, concuſſa repentino impetu terra, atque edificii fundamentis ab imo nutantibus, carceris fores ultro recluſæ, & captivorum vincula ſponte contrita ſunt. Carceris cuſtos captivos diffugiſſe ratus, ſtricto in ſe gladio mortem ſibi intuliſſet, ſui ſtatim Paulo ſe ie prodente interceptus fuiſſet: qui illico ab eodem Apoſtolo fidei myſteriis inſtructus, una cum tota familia baptiſmo eſt initiatus. Mane ulterius diei e Magiſtratibus impetratum, ut Paulus & Silas dimitterentur. Paulus vero cum civibus Romanis ſic agi indignatus, nonniſi ab ipſis Magiſtratibus palam dimiſſum carcere ſe egreſſurum aſſeruit; quibus ad magiſtratus delatis, ipſi per ſe injuriam illatam deprecaturi venerunt; atque e carcere eductum, ex Urbe ſecederet, rogarunt: quare Philippis Apoſtolus Theſſalonicam contendit.

Paulus Philippenſes maximo ſemper amore proſequutus, in ſuis precibus (5) illorum aſſidue meminerat. Præ omnibus, quos Apoſtolus ad Fidem traduxit beneficii memores Philippenſes fuere. Soli enim inter omnes, quacumque ad Fidem enunciandam pergeret, eleemoſynas ad illum tranſmittebant (*): quibus proinde ei præſto fuere bis Theſſalonicæ (6), & forte etiam Corinthi (7). Diu poſt, anno ſcilicet circiter 62. cum Romæ vinculis detentum audiſſent, Epaphroditum ſuæ Eccleſiæ ſeu Epiſcopum, ſeu Miniſtrum (8), & pecuniis, & miniſteriis ejus ſolamini deſtinarunt (9).

Epaphroditus, ubi Romam pervenit, Pauli famulatui ſe totum impendit (10): quare neque vitæ ſuæ parcens, in morbum incidit, & diu Romæ immorari coactus eſt. Paulus vero, ut Philippenſes a ſollicitudine pro illo liberaret, vix convaleſcentem remiſit, adjecta Epiſtola, quam modo explanamus. Hæc igitur *ad Epiſcopos & Diaconos Philippenſes* inſcripta eſt. Epiſcopi nomine vel hujus Eccleſiæ Preſbyteros vel Philipporum vel proximarum Eccleſiarum Epiſcopos (11) a Paulo deſignatos credimus. Epiſtolæ initio ſibi Timotheum jungit (12), quem ad Philippenſes ſe facile miſſurum poſtquam ſuis rebus aliquanto conſuluerit, pollicetur (13). Et ipſum ſe ad eoſdem aliquando perrecturum ſperat (14), etenim per totam Epiſtolam e Deo vinculis ſe eripiendum, & iterum libertate donandum confidit. Seu vitæ ſeu mortis optionem a Deo datam Apoſtolo, Chryſoſtomus opinatur (15).

Faciliori ſtilo, & ſpiritu tranquilliori hanc præ ceteris Epiſtolam Apoſtolus exaravit. Sui amantiſſimi cordis documenta exhibet ſingularia, neque gravioribus verbis eos unquam increpat, quo quidem, ait Chryſoſtomus (16), Philippenſes, qui non modo Fidei ſe dederant, ſed etiam pro Chriſto plura pertulerant (17), præſtantiſſima virtute præditi præferuntur. Suorum, Pauli nempe, vinculorum communem ſecum ut habeant gaudium, hortatur: præclare vero ſecum agi putaturum, ſi ſuo ipſe ſanguine veluti liba-

(1) *Epheſ.* 4. 29. 28. & 5. 3. 4. 5. (2) *Epheſ.* 5. 5. 6. 7. (*) *Quidem apud Theodoret. ad Eph.* 3. 3. (3) *Chryſoſt. Prol. in Ep. ad Epheſ. Hier. Prolog. in lib. 1. & in lib. 3. cap. 4. Non vobis moleſtum ſit, ſi diu in obſcurioribus immoremur; cauſati enim in principio ſumus inter omnes Pauli Epiſtolas hanc vel maxime & verbis & ſenſibus involutam.* (4) *Act.* 16. 18. 12. &c. (5) *Philippenſ.* 1. 4.

(*) *Philipp.* 4. 15. (6) *Ibid.* 4. 16. (7) 2. *Cor.* 11. 9. (8) *Vide Comment. ad Philipp.* 2. 25. (9) *Philipp.* 2. 26. (10) *Philipp.* 2. 27. &c. (11) *Vid. Hammond. ad Philipp.* 1. *pag.* 210. 211. (12) *Phil.* 1. 19. &c. (13) Revera duobus poſt annis Philippos venit, A. Chriſt. 64. *Vid. Philipp.* 2. 24. (14) *Chryſoſtomus hom.* 3. *pag.* 30. (15) *Chryſoſt. in Philipp. prolog.* (16) *In Philipp. Prolog.* (17) *Philipp.* 1. 29.

Digitized by Google

libationem addere poſſet ſacrificio, quod Philippenſes fide ſua Deo offerrent [1]. Sua denique vincula ad Divinæ Gloriæ, & Evangelii incrementum contuliſſe teſtatur [2]. Pſeudo-Apoſtoli Philippos, ſicuti & urbes ceteras, peragrantes, Legem & circumciſionem neceſſario ad ſalutem poſtulari enunciabant; quare Paulus magno ſermonis impetu in eos inſurgens, graviſſime increpat, eoſdemque quod ſolius quæſtus ſpe, & ambitionis pabulo prædicent, ſibique ventrem pro Deo conſtituant, canes, & nequiſſimos operarios appellat.

Philippenſes, ut animis mutuo cohæreant, hortatus, Evodiam, & Syntychem, ac fœminas emeritas, quæ enunciandæ Fidei maximo ſibi fuerant adjumento, eorum humanitati quamplurimum commendat. Eleemoſynarum, quibus ſui Philippenſes conſuluerant, ita meminit, ut & vacuum cupiditate animum, & charitate redundantem præferat [3]: quos plena gratiarum actione exceptos, ſtatim admonet, pluris quam munus, a ſe meritum pendi, quod ſibi apud Dominum vindicaverant. Ceterum nihil ſibi deeſſe, copia æque ac egeſtate contento, per Deum ſibi allaborantem omnia poſſe teſtatus. Satis tamen eos commendat, quod veterem ſui beneficio liberalitatem exercentes, ad ſui ſolatium quammaxime contuliſſent. Eis denique Romanorum Fidelium, Aulicorum potiſſimum [4], nomine valedicit: quo vel Imperatoris Domum Evangelium intuliſſe [5], ibique Diſcipulos ſibi Paulus peperiſſe ſatis oſtenditur.

S. Polycarpus ad Philippenſes ſcribens, plures ad eos Epiſtolas Paulum dediſſe aſſerere videtur [6]: *Neque enim, inquit, ego, neque alius mei ſimilis, aſſequi poteſt beati, & glorioſi Pauli ſapientiam, qui cum eſſet apud vos in conſpectu hominum, qui tunc vivebant, perfecte ac firmiter docuit verbum veritatis, qui & abſens vobis ſcripſit Epiſtolas, in quas ſi intueamini, ædificari poteritis in fide, quæ data eſt vobis, quæ eſt mater omnium noſtrum.* Polycarpo illud favere videtur, quod ejuſdem Epiſtolæ capite 3. ſubdit Apoſtolus: *De cetero fratres mei gaudete in Domino*, ſeu vobis in Domino valedico. *Eadem vobis ſcribere mihi quidem non pigrum, vobis autem neceſſarium.* Quo quidem iis, quæ iterat, mille aliquid ad eos ſcripſiſſe inſinuatur; nihilominus de unica tantum ad Philippenſes Epiſtola & apud Veteres, & apud Recentiores Interpretes conſtat. Polycarpi vero textus neceſſario Epiſtolas non ingeminat; Græce enim, & Latine, & Gallice etiam uni epiſtolæ pluralis litterarum numerus ſæpe tribuitur.

Tertium & quartum caput Epiſtolæ ad Philippenſes, ab Apoſtolo addita Grotius putat; cum enim, ait, de iis tantum, quæ duobus prioribus Capitibus recenſuit, ad eoſdem ſcribere ſtatuiſſet, & cetera deinde ſubdere optimum duxit. Addit præterea Grotius, Pſeudo-Apoſtolos, quos Paulus atris coloribus depictos aſperius habet, non ex Judæis ad Fidem traductis, neque ex Fidelibus Judaizantibus, ſed ex Ethnicis extitiſſe, qui, humana penitus prudentia Gentibus Fidei participibus ſuadere ſtudebant, ut a perſecutionibus, quibus Catholica augebatur Religio, ſe ſubducturi, & circumciſioni parerent, & Judaiſmum profiterentur. Quam utique ſententiam ſcribentes in Epiſtolam ad Galatas jam refutavimus. A Judæis quamplurimum tunc cavendum ſibi ex iis perſpicue conſtat, quæ Paulus adjecit [7]: *Videte canes, videte malos operarios, videte conciſionem; nos enim ſumus circumciſio, qui ſpiritu ſervimus Deo ..... ſi quis alius videtur confidere in carne, ego magis, circumciſus octavo die, ex genere Iſrael, ex tribu Benjamin, Hebræus ex Hebræis.*

IN EPISTOLAM
S. PAULI AD COLOSSENSES
PROLEGOMENON.

Coloſſæ, e præcipuis Phrygiæ Urbibus, non procul a Laodicea totius provinciæ Metropoli. *Coloſſæ*, ne an *Colaſſæ* appellarentur, diſcrimen. Ab Allatio [8] & aliis [9] *Colaſſæ* legendum defenditur, cujuſmodi & in optimis & vetuſtiſſimis Mſs. eſt reperire [10]. S. Chryſoſtomus, Oecumenius, Theodoretus, & Græca Exemplaria quamplurima *Colaſſas* habent [11]. Strabo vero [12], Herodotus [13], Xenophon [14], Plinius [15] *Coloſſas* præferunt. Ita etiam optima & plurima Mſs. [16]. Ita adhuc Theophylactus, qui ſua ætate eam urbem *Chonas* appellatam adjecit. Geographicum Cellarii [17] monumentum, nempe Imperii Orientalis notitia, ex quodam Vaticani Mſ. impreſſa, quam Hierocli tribuunt, *Coloſſam* præfert. Latini *Coloſſenſes* conſtanter legunt; cujus proinde nominis conjectura ducti Græci & Latini non defuerunt, qui crederent, hanc Epiſtolam datam fuiſſe ad Fideles degentes Rhodi, urbe ſolis Coloſſo celeberrima [18]. Verum ex totius Epiſtolæ contextu eam ad Phrygiæ Coloſſenſes directam ſatis compertum.

Omnes ferme Interpretes [19], quamvis Paulus in Phrygia prædicaverit, Coloſſas numquam adiiſſe conveniunt. Ipſe etiam Paulus numquam ad Coloſſenſes pertexiſſe ſatis innuit, ubi *Volo*, inquit [20], *vos ſcire, qualem ſollicitudinem habeam pro vobis, & pro iis, qui ſunt Laodiciæ, & quicumque non viderunt faciem meam in carne.* Theodoretus, & Baronius, quibus pauciſſimi adhærent, contrarium ſtatuunt, Coloſſenſes ab Epaphra Fidem recepiſſe creduntur, de quibus eum Evangelii fructum Eccleſia retulit, ut iidem maxima erga Sanctos Charitate flagrantes, ferventi ſpiritus ardore complexi fuerint veritatem [21].

Pſeudo-Apoſtoli ab Judaiſmo ad Fidem traducti, omnes Gentium Eccleſias pervagantes, ut ſibi undique proſelytos crearent, Coloſſas venere; & circumciſionem, & Legalia ad ſalutem neceſſaria annunciantes, & Platonicæ Philoſophiæ Judaiſmum immiſcentes, Fideles adhuc ſimplices, recenterque Fidei myſteriis initiatos, ſuperſtitioſo Angelorum cultu, & falla-

(1) *Philipp.* 2. 17. (2) *Philipp.* 1. 12. (3) *Philipp.* 4. 10. *&c.* (4) *Ibidem verſ.* 22. (5) *Philipp.* 1. 13. (6) *Polycarp. Ep. ad Philipp.* §. 3. Hammond. *in c.* 4. *ad Coloſſ. putat duas Epiſtolas ad Theſſalonic. pro Philippenſibus etiam fuiſſe*: hinc S. Polycarpum numero plurali ad Philippenſes Epiſtolas memorare. (7) *Ad Philipp.* 3. 2. *&c.* (8) *Allat. obſerv. in Geograph. Caroli a S. Paulo p.* 142. (9) *Ita Bodin. de abditis rerum ſublimium arcanis. Thom. de Pinedo.* (10) *Codex Vatican. admirandæ vetuſt. & alius minor apud Allat. Clarom. & S. Germ. & alii paſſim.*

(11) *Ita Roberti Steph. in fol.* 1550. *& alia in* 8. 1549. *Edit. Millii, & alia quamplurima.* (12) *Strabo l.* 12. *ſub finem.* (13) *Herodo. lib.* 7. *cap.* 30. (14) *Xenophon. lib.* 1. *Expedit. Cyri Junioris.* (15) *Plin. lib.* 5. *cap. ult.* (16) *Borner. G. L. Stephan. & alii apud Mill.* (17) *Cellar. lib.* 3. *cap.* 4. *Geograph. antiq. p.* 63. (18) *Suidas, Zonar. Glycas Euſtat. Calep. Munſt.* (19) *Hier. in Ep. ad Philem. verſ.* 22. *Chryſoſt. Theophyl. Athanaſ. in Synopſi, Eſt. Zanch. Cornel. à Lap. Tillemont. art.* 68. *alii.* (20) *Coloſſ.* 2. 1. (21) *Coloſſ.* 1. 6. *&c.*

Digitized by Google

fallacibus demiſſionis ſenſibus imbuerant; Deum enim nobis infinite majorem docentes, non ipſi Deo, neque Jeſu Chriſto preces offerendas ſuadebant, ſed ad Angelos dirigendas, per quos olim Deus Moyſi Legem tribuerat, & per quos etiam in Evangelii Lege preces noſtras excipiens, ſuam nobis miſericordiam indulgebat.

Cum hæc Paulus, ſive referente Epaphra, tunc Romæ ſecum vinculis devincto, ſeu per Laodicenſium Epiſtolam, quam & apud Coloſſenſes legi deinde juſſit [1], reſciviſſet, ſui, utpote Gentium Apoſtoli, eſſe duxit, Coloſſenſium Fidem defendere, & Pſeudo-Apoſtolorum ea diſſeminantium audaciam cohibere. Attollit primo Jeſu Chriſti amplitudinem, quem Patris imaginem appellat, Dei & hominum Mediatorem, & Eccleſiæ Caput, quod membris ceteris actus, motus, ſpiritum, & vitam impertit. Pſeudo-Apoſtolos ſuis coloribus exprimit, & ſubinde oſtendit, Chriſtum ſolum eſſe ſalutis authorem: natura Deum eſſe: poteſtatibus & cœleſtibus omnibus virtutibus eumdem præſtare: per Jeſum etiam veram cordis circumciſionem ipſos eſſe aſſequutos, cruci affixos, ſepulchro conditos, & tandem cum Domino per Baptiſmum vitæ eſſe reſtituros. Ex quibus Legalia veluti inania reſpuenda, & vitam ita inſtituendam deducit, ut homines cum Chriſto redivivos deceat, quorum caput in cœlis jam conſtitutum, eos ibi coronis donandos expectat. Hortatur præterea, ut veteri ſe homine exuentes, novum ſibi ſuper inducant; optimis denique moralis doctrinæ præceptis conſtitutis, Epiſtolam abſolvit.

Dum hæc ſcriberet Apoſtolus, Romæ in vinculis detinebatur [2], anno Chriſti 65. poſtquam primum Romam venerat, & paulo antequam a vinculis ſolveretur. Epaphram una captivum, Timotheum, cujus Epiſtolæ initio meminit, Ariſtarchum, Joannem Marcum Barnabæ conſobrinum, Lucam, Demam, & Jeſum cognomento Juſtum, vinculorum ſolatia apud ſe habebat. Tychicus vero fidelis illius adminiſter, & Oneſimus, quem Philemon miſerat, ut eo famulo uteretur, hanc Epiſtolam detulere. De priori, quam ferunt hoc eodem tempore ad Laodicenſes ſcriptam, Epiſtola egimus in Commentario.

Jure merito animadvertit Chryſoſtomus [3], omnium pulcherrimas, & quæ magis afficiunt, D. Pauli Epiſtolas eas fuiſſe, quas vinculis detentus dedit, videlicet ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Philemonem, ad Timotheum, & hanc potiſſimum ad Coloſſenſes, quam ſenſibus, & nobilibus clariſque phraſibus, & Moralis Divinæ præceptis undique refertam admiramur. Chryſoſtomus S. Paulum in vinculis ſcribentem comparat *Viro forti, qui ſcriberet, a cædibus interim deſiſtens, & trophæis.*

IN PRIMAM EPISTOLAM
S. PAULI AD THESSALONICENSES
PROLEGOMENON.

Epiſtolam, quam examinandam aſſumimus, omnium S. Pauli ad Eccleſias primo ſcriptam ſcimus [4]. Anno 52. ſeu 53. datam vulgo conveniunt; de loco, a quo miſſa ſit, diſſentiunt. In veteribus Exemplaribus Græcis, Latinis, Syriacis, Arabicis, Cophticis, & apud Theodoretum, & Synopſis ſub Athanaſii nomine Authorem, & in Latinis Inſcriptionibus hujus Epiſtolæ initio appoſitis, Athenis exaratam legimus. Ea forte S. Pauli verba [5]: *Propter quod non ſuſtinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis*, huic opinioni aditum recluſerunt.

Doctiores tamen Critici [6] & Actorum ſeries, & denique ejuſdem Epiſtolæ Textus, niſi Corinthi miſſam demonſtrant. Poſtquam Paulus aliquandiu, non ſine Fidei progreſſu, Evangelium Theſſalonicæ enunciaverat [7], Judæis inſimulantibus, quod rebellis in Cæſarem alterum Regem Jeſum inveheret, illinc abire coactus, aſſumpto ſibi comite Sila Berœam iter inſtituit: quo cum perveniſſet, & plurimos Fidei myſteriis initiaſſet, Judæi Theſſalonicæ re cognita, Berœam venere, ut eadem adverſus Paulum dictitantes, ab ea etiam Urbe expellerent: quare ad mare Fratribus comitantibus, Sila ſibi, & Timotheo ad Eccleſiam recens erectam confirmandam relictis, navigavit Athenas.

Quo ubi pervenit, Silam, & Timotheum ſtatim per litteras accivit; & Athenis egreſſus, eorum adventum oppertus eſt Corinthi. Interea de Fidelibus recens in Macedonia baptiſmo initiatis, ſed eo tempore inopia non ſatis confirmatis ſollicitus; plurimis præterea Corinthi calamitatibus obrutus, quammaxime angebatur [8]. Silæ tandem, & Timothei adventu gaviſus [9], maxima animi voluptate ab eiſdem accepit res Eccleſiæ Theſſalonicenſis ſe optime habere, & Macedoniæ Fideles Fidei, & Charitatis præceptis adeo inhæſiſſe [10], ut iiſdem, quibus Judææ Fideles a Judæis, a ſuis civibus vexationibus affecti nihil dimoverentur [11].

Accepit præterea, ex Fidelibus illis nonnullos domeſticorum morte nimio dolore confici, nec ſatis inſtructos eſſe de iis, quæ ad Domini Adventum, & ſupremum Judicium pertinerent [12], nonnullos pariter otio & curioſitati [13] vacare, & ingenio eſſe inſtabili. Illos itaque Epiſtola hac ſua Paulus ſuaviter increpat, objurgationibus laudes interſerens: ut maximi caſtitatem faciant, & ab omni omnino turpitudine abſtineant, hortatur; ſupremum Judicium, & lugendi in domeſticorum funeribus modum docet; ſingularem denique amorem, & charitatem, ſtudiumque eos adeundi ſummum præfefert.

Marcionitæ, Epiphanio teſte [14], utramque ad Theſſalonicenſes Epiſtolam vitiaverant, quæ tamen locum corruperint, Epiphanius non deſignat. Primam ad Theſſalonicenſes falſo primam nuncupatam, & vere primam ſecundo, ſecundam vero primo exaratam Grotius contendit [15]; cujus argumenta initio ſecundæ ad Theſſalonicenſes & perpendemus, & refutabimus.

IN PRI-

(1) *Coloſſ.4.16.* (2) *S.Gregor.l.30.c.8.Moral.in Job* Paulum Epheſi, ubi carcere detinebatur, ſcripſiſſe putat. Cophtica Athenis ſcripſiſſe fert. Hæ vero opiniones defendi non poſſunt. (3) *Chryſoſt. Prolog. in Ep. ad Coloſſ.* (4) *Chryſoſt. Theodoret. alii.* (5) *1.Theſſ.3.1.* (6) *Ooſam. Eſt. Baron. Tillemont. alii plures.* (7) *Act.17.1.&c.* (8) *1.Theſſ.3.7.& 1.Cor.2.* (9) *Act.18.5.* (10) *1.Theſſal.1.6.& 2.14.* (11) *1.Theſſ.4.14.* (12) *1.Theſſ.4.12.&c.& 5.1.* (13) *1.Theſſ.4.11.* (14) *Epiph.hæreſ.42.* (15) *Grot.Prolog. in 1.Theſſal.*

IN PRIMAM EPISTOLAM
S. PAULI AD TIMOTHEUM
PROLEGOMENON.

S. Timotheum, Lyſtris Lycaoniæ, ut credimus, natum [1], Origenes idcirco Pauli conſanguineum fuiſſe duxit [2], quod Apoſtolus ad Romanos ſcripſerit [3]: *Salutat vos Timotheus adjutor meus, & Lucius, & Jaſon, & Soſipater cognati mei*. Matre Judæa Eunice, forte ei fuerat propinquitate conjunctus: allatus vero Epiſtolæ ad Romanos textus utriuſque cognationem perſpicue non probat. Ut ut fuerit, Timotheus vel a teneris annis Sacrarum Litterarum ſtudio addictus fuerat [4], & ſuum Eccleſiæ nomen jam dederat, priuſquam Paulus Lyſtras perveniret [5]. Hunc Apoſtolus Fratrum omnium teſtimonio commendatum, ſuorum itinerum ſocium aſſumpſit; eum vero, quod Patre ſatus eſſet Gentili, circumciſione careret, ne Judæos offenderet, eumdem Lyſtris circumciſione initiavit [6].

Timotheum prophetiæ atque peculiari Spiritus Sancti juſſu ad Epiſcopi munus accitum [7] ipſemet Paulus initiavit [8]. Quo id tempore contigerit, ignoramus; illud vero ſcimus, eum poſtquam Apoſtolo adhæſerat, ab eo numquam, niſi eo ipſo mandante, diceſſiſſe, & una cum ipſo, veluti Filium cum patre, in Evangelii prædicatione quamplurimum laboraſſe [9]. Una utroque in Macedoniam profecto, Paulus Berœa egredi coactus, Athenas contendit, & Silam & Timotheum Fidelibus confirmandis Berœæ reliquit. Cum vero Paulus Athenis degeret, eo ſtatim Timotheum accitum, ut Fidelibus perſecutione vexatis præſto eſſet, Theſſalonicam miſit [10]; unde is iterum paulo poſt Corinthum ad Apoſtolum regreſſus eſt [11].

Ab Apoſtolo Corintho Jeroſolymas, & Jeroſolymis Epheſum profecto, Timotheum numquam divulſum credimus; a quo deinde una cum Eraſto in Macedoniam & in Achajam miſſus, ut eleemoſynas in Fideles Jeruſalem erogandas congereret; aliquandiu poſt Epheſum rediit; unde iterum diſcedens, una cum Apoſtolo in Macedoniam & Corinthum venit; Paulus vero inde in Aſiam regreſſus, Jeroſolymas iter inſtituit.

An Timotheus hoc in itinere Apoſtolo ſemper comes adhæſerit, ignoramus; ex eodem tamen Paulo ſecum Romæ tunc immorantem habemus, dum carcere detentus ad Philemonem, Philippenſes, & Coloſſenſes Epiſtolas dedit, quarum initium utriuſque, Pauli videlicet & Timothei nomen præfert.

Timotheus in carcerem conjectus fuerat paulo antequam Paulus, ſub Nerone Romam primo profectus, a ſuis vinculis ſolveretur. Anno Chriſti 64. Hebræi Timotheum carcere dimiſſum, & ſi celerius regrederetur, cum eodem Apoſtolo ad ſe venturum, ab ipſo Paulo per epiſtolam acceperunt [12]. Ubi tunc degeret, incertum; niſi forte Philippis Macedoniæ moraretur, quo Timotheum aliquandiu ante ſe miſſurum ſpoponderat [13]. Ubi vero Roma Epheſum reverſus eſt Apoſtolus, Timotheum ei gerendæ Eccleſiæ reliquit; ad quem hanc, de qua modo, Epiſtolam miſit, ejuſque curæ plurima commendavit [14].

Epheſo in Macedoniam anno Chriſti 64. Paulus profectus, inde, ut credimus, hanc Epiſtolam dedit, qua Timotheum monet, ut provide Pſeudo-Apoſtolis occurrat, qui novæ doctrinæ ſemina Epheſi & in Aſia jacientes, ſcientiamque & perſpicaciam oſtentantes, a Fide defecerant, & per Eccleſias errores, & hæreſes evulgabant. Porro de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis ordinandis, de Viduarum curæ præficiendis, de peccatoribus publice redarguendis, de Presbyteris judicandis [15], de cœtibus dirigendis, de vita denique ab omnibus inſtituenda monita impertit. Agit præterea de moribus, qui Epiſcopos, Diaconos, & Viduas fideles decent [16]; & veluti coloribus exprimit ejus ætatis hæreticos, quo Gnoſticos putamus, & Simonis Magi Diſcipulos, qui de pietate, mercaturam facientes flagitia quælibet ſpecie Religionis obducerent [17]. Hinc Patrum teſtimonio factum eſt, ut Marcionitæ [18], Encratitæ [19], & Gnoſtici [20] hanc Epiſtolam rejicerent.

Quod Timotheus ſola aqua contentus ſtomacho ſuo nimium nocuiſſet, ut modico vini hauſtu ſibi provide medeatur, Paulus ſuadet [21]; eique etiam ſe Epheſum adventurum pollicetur, quod, ut ultimo itinere Romam contendit, per Epheſum tranſiens forte perfecit [22]. Hortatur denique, ut, cum annos 35. ſeu 40. tunc temporis ageret, gravitate, & prudentia ſibi conſulat, ne ejus juventus contemptui habeatur [23]; & de Hymenæo, & Alexandro fabro ærario [24], quorum primus reſurrectionem mortuorum jam peractam dictitabat, [25], alter vero, de quo in ſecunda ad Timotheum Epiſtola, a probitate defecerat, a ſe excommunicatione inuſtis illum certiorem facit. Horum uterque Epheſi tunc immorati videntur, ſicut & hæretici, pravique Doctores; a quibus ut ſibi caveat, Timotheum monens, maxime commendat, ut a prophanis novitatibus, & fabulis, quas veluti res ſummi momenti illi oſtentabant, penitus abhorreat.

Inſcriptiones Græcis exemplaribus appoſitæ hanc Epiſtolam Laodiceæ Phrygiæ Pacatianæ Metropoli ſcriptam oſtendunt, [26]: quas utique nihili faciendas ducimus, quod & recentes nimium, & ab Auctoribus ſine ullius conſenſu ultro adſcriptæ fuerint. Ex iis verbis [27]: *Rogavi te, ut remaneres Epheſi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibuſdam, ne aliter docerent*: Apoſtolus tum cum ſcriberet, in Macedonia conſtitiſſe, & paulo ante a Timotheo diſceſſiſſe, ſatis innui videtur. Ita etiam cenſent Critici periticres [28], in ſua Synopſi Athanaſius [29], & Theodoretus [30]. Extat in Calce Commentarii Theodoreti eadem ferme inſcriptio ac in Impreſſis; ſed vir ille doctus vel numquam legiſſe illam, & alie-

(1) *Vide Act. 16. 1. 2. Chryſ. in Rom. hom. 10. & in 2. Timoth. hom. 8. & Theodoret. in Rom. 16. 21. Tillemont. not. c. in S. Timoth.* (2) *Origen. in Rom. p. 632.* (3) *Rom. 16.21.* (4) *2. Timoth. 3. 15.* (5) *Act. 16. 1. Ecce Diſcipulus quidam nomine Timotheus: huic teſtimonium bonum reddebant, qui in Lyſtris erant & Iconio Fratres.* (6) *Act. 16. 3.* (7) *1. Timoth. 4. 14.* (8) *2. Timoth. 1. 6.* (9) *Philipp. 2. 22.* (10) *1. Theſſal. 3. 1. 2. 3.* (11) *Act. 18. 5.* (12) *Hebr. 13. 23.* (13) *Philipp. 2. 19. 23.* (14) *1. Timoth. 1. 3.* (15) *1. Timoth. 5. 19.* (16) *1. Timoth. 3. & 5. 9. 10.*

(17) *1. Timoth. 4. 1. &c. & 6. 3. 4. 20. 21.* (18) *Tertull. lib. 5. contr. Marcion. cap. ult.* (19) *Origen.* (20) *Clemens Alex. Strom. lib. 2.* (21) *1. Timoth. 5. 23.* (22) *1 Timoth. 3. 14. & 4. 13.* (23) *1. Timoth. 4. 12.* (24) *1. Timoth. 1. 20.* (25) *2. Timoth. 2. 17. 18.* (26) Nominis Phrygiæ Pacatianæ nulla niſi poſt Conſtantini Imperium mentio. (27) *1. Timoth. 1. 3.* (28) *Grotius Baron. Ligfoot. Ham. Capell. in Appendice Criticor. pag. 3919. Tillemont. Gothofred. Mill. Eſt.* (29) *Athanaſ. in Synopſ.* (30) *Theodoret. Præfat. in Rom.*

& aliena manu ejus Operi adjecta videtur, vel ſaltem minimi illam habuit, cum in Præfatione Epiſtolæ ad Romanos hanc in Macedonia exaratam perſpicue præferat; quod præterea etiam conſtat ex inſcriptionibus huic Epiſtolæ appoſitis in quibuſdam Græcis Mſs. & aliis excuſis [1]. Per Tychicum Baronius, Cophtica per Titum miſſam docent: utrumque incertum.

IN SECUNDAM EPISTOLAM
D. PAULI AD TIMOTHEUM
PROLEGOMENON.

PRimam ad Timotheum Epiſtolam anno Chriſti 64. in Macedonia ſcriptam demonſtravimus. Ea quæ a prima uſque ad ſecundam ad eumdem Timotheum Epiſtolam, ab Apoſtolo acta ſunt, modo exhibemus. Paulus igitur in Macedonia degens, Nicopoli Epiri urbe [2], ſecus Ambraciæ ſinum, ſeu juxta alios, Nicopoli Thraciæ civitate, ſecus flumen Neſſum in finibus Macedoniæ, hyemare decrevit. Ut ut fuerit, inde ſane Apoſtolus ad Titum, quem in Macedoniam advocat, ſcripſiſſe creditur.

Proximo Chriſti anno 65. in Aſiam progreſſus, Troadem venit, ubi a Carpo exceptus hoſpitio, apud eumdem veſtem quamdam [3] & Libros reliquit. Inde, ut credimus, Epheſum regreſſus, ut ei præcedente anno ſpoponderat, Timotheum inviſit [4]. Epheſo Miletum pergens, ibi Trophymum ægrotantem reliquit [5]; contendit ſub hæc Corinthum, ubi ex ſuis Diſcipulis Eraſtus conſtitit [6]; Romam denique aſſequutus, Judæis atque Ethnicis ad fidem traducendis plurimum incubuit: cum vero, teſte Chryſoſtomo [7], Neronis pellicem Deo reddidiſſet, ejuſdem Imperatoris juſſu carceri fuit addictus. Id veroſimillimum eſt eveniſſe, cum *pro primo ſui defenſione* ante Neronem conſtitutus [8], ab hujus Leonis faucibus a Deo eſt liberatus.

An omnino vinculis tunc fuerit ſolutus, an tantummodo mortis diſcrimen evaſerit, ignoramus; conſtat vero tunc vinculis fuiſſe devinctum [9], cum hanc ſecundam ad Timotheum Epiſtolam dedit. Tunc temporis Epheſinæ Eccleſiæ Timotheus præerat: Paulus vero jam martyrio proximus, veluti victimam libationibus jam perfuſam; jamque prope abſumendam, ſe ipſum intuebatur [10]. Quare Chryſoſtomus veluti ſupremas Pauli tabulas hanc Epiſtolam ducit [11]. In ea Apoſtolus Timotheum urget, ut celerrime Romam proficiſcens, ſui comitem itineris Marcum adhibeat, & eam veſtem & Libros, quos Troade tranſiens apud Carpum reliquerat, ſecum afferat.

An Timotheus ante Pauli mortem Romam pervenerit, incertum; hanc enim poſt Epiſtolam neque de hujus Diſcipuli vita, neque de morte certi quidquam. Sub Nerone obiiſſe ferunt [12]. Joanne Pathmos exulante Epheſi infideles ſolemnitatem celebraſſe die 22. Januarii dicuntur, qua per ſupplicationis ſpeciem Idola per Urbem deferentes, prætereà multa perpetrabant. Quare Timotheus, ut impiam ſolemnitatem interpellaret, medius in eos irrupit: a quibus illico fuſtibus contritus, & lapidibus obrutus, exanimis prorſus relictus eſt; ſtatimque a Diſcipulis ſuis in montem proximum delatus, paulo poſt occubuit, ibique conditus eſt ſepultura. Die 22. Januarii juxta Græcos & Latinos ejus Feſtum recurrit.

Ad Epiſtolam quod attinet, Paulus ad Timotheum ſcripſit, non modum ut eum accerſeret, verum etiam ut ei ad ſui muneris labores conſtantiſſime obeundos, & perſecutiones, quibus urgebatur, alacriter perferendas, animos adderet atque virtutem. Porro ut Spiritus Sancti afflatum, quem in ſua ordinatione acceperat, ſpiritum nempe [13] virtutis, & fiduciæ, non infirmitatis & timoris iterum excitet, hortatur: de falſis Doctoribus, & ejus ætatis Hæreticis, de Simonianis, & Gnoſticis, deque poſt illos venturis, ei plurima enunciat [14]: ut ſibi ab iis caveat monet: & præ viribus agit, ut tot tantiſque a veritate deficientibus, ipſe conſiſtat interritus, ſtrenueque iis adverſetur, qui veritatem oppugnantes, nova & inania dictitant, ut audientium aures oblectent, & paſſiones demulceant.

Demadis lapſum ingemit [15], & Phileti, & Hymenæi a Fide defectionem, qui præterea reſurrectionem jam peractam docentes, plurimos in fraudem adduxerant [16]; de malis ſibi ab Alexandro fabro ærario illatis queritur [17]; pium Oneſiphori in ſe animum, & famulatum commendat [18]. Aviæ Loidis, & Eunices Timothei matris [19], quæ a teneris annis pietate, & ſacris Litteris Virum erudierant, meminit [20]; hortatur, ut plurima muneri ſuo implendo accommoda a Scripturis percepturus, earum lectioni incumbat [21]. Ei denique valedicit Fidelium Romanorum nomine, Eubuli, Pudentis, Lini, & Claudiæ, quorum ſingulos Timotheus, poſtquam una cum Apoſtolo Romam primo adierat, anno Chriſti 62. ibidem forte cognoverat.

Alexandrinum Mſ. hanc Epiſtolam Laodiceæ ſcriptam præfert; addit præterea Cophtica ab Oneſimo fuiſſe delatam. Verumtamen Romæ exaratam vulgo ſentiunt: quis vero ad Timotheum eam detulerit, incertum. Quod Paulus [22] ſe *Tychicum miſiſſe Epheſum* dixerit, ab ea Urbe tunc Timotheum abfuiſſe nonnulli putarunt: quod utique allato Apoſtoli textu minime probatur.

IN EPI-

(1) *Edit. Complut. Froben. Mſs. Lin. Laud. 2. Roe. 2. Hunt. 1. Vide Mill. ad calcem hujus Epiſtolæ.* (2) *Tit.* 3. 12. (3) 2. *Timoth* 4. 13. (4) 1. *Timoth.* 3. 14. & 4. 13. (5) 2. *Timoth.* 4. 20. (6) 2. *Timoth.* 4. 20. (7) *Chryſoſt. in Act. hom.* 46. (8) 2. *Timoth.* 4. 16. (9) 2. *Timoth.* 2. 9. & 1. 8. &c. (10) 2. *Timoth.* 4. 6. (11) *Chryſ. hom.* 9. p. 615. (12) *Vide Timoth. apud Boll.* 24. *Januar.* (13) 2. *Timoth.* 1. 6. (14) 2. *Timoth.* 3. 1. &c. (15) 2. *Timoth.* 4. 9. (16) 2. *Timoth.* 2. 16. 17. (17) 2. *Timoth.* 4. 14. (18) 2. *Timoth.* 1. 16. & 4. 19. (19) 2. *Timoth.* 1. 5. (20) 2. *Timoth.* 3. 5. (21) 2. *Timoth.* 3. 16. 17. (22) 2. *Timoth.* 4. 12.

IN EPISTOLAM
S. PAULI AD TITUM
PROLEGOMENON.

Titus, natu Ethnicus [1], adhuc junior Apoſtolo adhæſit, a quo ab Idolorum cultu ad fidem genitus, Filii etiam nomine diſtinguitur [2]. Hieronymus [3], quod vane junior Fidei nomen dederit, ad extremum uſque ſpiritum, illibatum Virginitatis florem retinuiſſe autumat, & Pauli Interpretem, ſeu Amanuenſem fuiſſe [4]. Huic ſane Diſcipulo Apoſtolus quamplurimum fidens, plurima implenda ultro commiſit, eumque ſuorum itinerum comitem ſæpiſſime adhibuit.

Sunt qui Titum Corintho oriundum ſtatuant, eumque illum eſſe, qui *Titus Juſtus* in Actis appellatur [5]: *Intravit in domum cujuſdam, nomine Titi Juſti, colentis Deum*. Chryſoſtomus [6] licet & Grotius hanc de Tito opinionem defenderint [7], a ceteris tamen tam Actorum, quam Epiſtolæ ad Titum Interpretibus, prorſus rejicitur. Titus, ad quem Paulus Epiſtolam habet, jam ipſi adhæſerat, antequam anno Chriſti 51. Concilium Jeroſolymitanum cogeretur [8], adeoque priuſquam Apoſtolus Corinthum pergeret, quo nonniſi anno poſt contendit. Præterea aliquandiu poſtquam Paulus Corintho diſceſſerat, ſuborto illic opinionum diſſidio, ad res ſedandas [9] eo Titum ab Apoſtolo miſſum, & a Corinthiis comiter exceptum ſcimus; qui licet ex miniſterio Evangelico ſibi victum comparare jure poſſet, ab iiſdem nihil accepit: maximo etiam Corinthiorum amore tum captus eſt, ſeque, ut Pauli veniam inceſtuoſo obtineret, interpoſuit. Iter ad Corinthios tum ſecundo etiam inſtituit, cum ſecundam ad eoſdem Pauli Epiſtolam detulit. Hæc, quæ ab utraque Pauli ad Corinthios Epiſtola deduximus, Titum Juſtum, Corinthi civem, & Apoſtoli hoſpitem, a Tito, de quo hic, Pauli Diſcipulo alium prorſus eſſe nobis ſatis oſtendunt.

Paulus, poſtquam primum ſe Romam contulerat, e carcere eductus, anno Chriſti 63. in Orientem iterum perrexit, & plurimos, ut credimus, in Creta inſula ad Fidem traduxit [10]. Cum vero ad Eccleſias de omnibus erudiendas, & ad Epiſcopos, & Sacerdotes ubique conſtituendos tempus ſibi non ſuppeteret, Titum rebus curandis reliquit, quem & Epiſcopum conſecravit. Quibus peractis, in Judæam facile profectus, ſicuti ad Hebræos ſcribens ſpoponderat [11], inde in Aſiam [12], & demum in Macedoniam regreſſus eſt [13], ubi Nicopoli Thraciæ urbi, in Macedoniæ finibus juxta Græcos [14], ſeu in Nicopoli urbe Epiri, ſecus Sinum Ambraciæ, juxta Hieronymum, & Recentiores pleroſque [15], hyemare conſtituit.

Teſtibus Hieronymo, & Authoribus Inſcriptionum in calce hujus Epiſtolæ [16], cum ad Titum ſcripſit, Apoſtolus jam Nicopoli degebat. Textus, cui hæc opinio innititur, de noſtra ſententia, intentum ſatis aperte non probat, ait enim Apoſtolus [17]: *Feſtina ad me venire Nicopolim, ibi enim ſtatui hyemare*; quo quidem in via ad Nicopolim ſe tum fuiſſe tantum innuit. Hanc Epiſtolam per Zenam, & Apollinem ad Titum miſſam nonnulli arbitrantur [18]. Horum uterque in Cretæ inſula tunc ſane conſtiterant, ſive Paulus illac tranſiens eos jam reliquiſſet, ſive illuc eoſdem poſtea miſiſſet, ſive eo ſe ultro contuliſſent. Illuc vero ab Apoſtolo miſſos idcirco credimus, quod Ipſe Tito, ut de omnibus, quæ ad iter poſtularentur, inſtructi remittantur, commendet [19].

Ne Creta Inſula per Titi abſentiam careret Epiſcopo, Titum Paulus præmonuit, ut inde non diſcederet, niſi cum Tychicus, ſeu Artemas, quos mittebat, eo perveniſſent [20]; qui ejus munera, dum abeſſet, ſatis implerent. Titus primus Cretæ Epiſcopus habetur, ibique mortuus, & ſepulturæ mandatus creditur. Ejus Inſulæ Cathedralis Eccleſia Titi nomini conſecrata, ejuſdem adhuc integrum caput oſtentat. Qua vero morte S. Epiſcopus, & quo tempore obierit, ignoramus.

Potiſſimum hujus ad Titum Epiſtolæ argumentum in Epiſcopi officio exhibendo verſatur; cum autem præcipuum Titi munus in ea Inſula eſſet initiare Sacerdotes & Epiſcopos, ſumma illi cura ſatagendum erat, ut optimos eligeret. Eadem fere omnia, quæ Timotheo eidem muneri addicto alias ſcripſerat, hic Apoſtolus recenſet, & vitæ rationem ſingulis hominum ſtatibus, ſenibus nempe, viris, fœminis, junioribus cujuſque ſexus, & mancipiis ab Epiſcopo præſcribendam, perſequitur. Monet inſuper, ut in Cretenſes authoritatem ſuam exerat, & acrioribus verbis caſtiget, uti viros nempe mendaces, iniquos, pigros, & voraces.

Judæorum plurimi in eadem Creta Inſula Fidei Catholicæ nomen dederant, ſed peculiares errores, cæremonias, & traditiones in Eccleſiam invexerant; quare Apoſtolus Titum hortatur, ut vanis illorum traditionibus, atque Judaicis fabulis adverſetur, ſimulque oſtendat, neminem ultra Legalibus cæremoniis adigendum eſſe: ciborum delectum abolitum eſſe, omnia enim munda mundis, omniaque immundis immunda. Fideles vero, ut temporalium Principum dicto audientes ſint; diſputationes, querelas, maledictiones evitent; honeſtis ſe exercitationibus impendant; ſedulo autem Hæreticos caveant poſt primam & ſecundam correctionem pervicaces. Titum denique orat, ut ubi Artemas, aut Tychicus Cretam pervenerint, ſe ipſum viſurus Nicopolim contendat.

Sua ſemper huic Epiſtolæ in Eccleſia manſit Canonica authoritas, ſoloſque Hæreticos habuit refragantes, Marcionitas nempe [21], Baſilidianos, alioſque nonnullos [22]. Tatianus Encratitarum author non probabat tantum, ſed & ceteris præferendam contendebat [23]. Unde, & quo tempore ſcripta, & a quo delata fuerit Epiſtola, adhuc incertum. Veroſimile tamen ducimus anni Chriſti 64. autumno datam fuiſſe in Græcia, ſeu in Macedonia, cum Paulus adhuc iter faciens Nicopolim Epiri proficiſceretur.

(1) *Galat. 2. 3. Sed neque Titus, qui mecum erat, cum eſſet Gentilis, compulſus eſt circumcidi.* (2) *Tit. 1. 4.* (3) *Hier. in Tit. 2. 7.* (4) *Hier. Ep. 150. qu. 11.* (5) *Act. 18. 7.* (6) *Chryſ. hom. 1. in Tit.* (7) *Grot. in Tit. Proleg.* (8) *Galat. 2. 3.* (9) *2. Cor. 12. 18.* (10) *Hier. in Tit. 3. 12. Theodoret. in Pſal. 116. Vid. Tit. 1. 5.* (11) *Hebr. 13. 23. Vide Chryſ. Proleg. in Ep. ad Hebr.* (12) *2. Timoth. 4. 13. Philem. verſ. 22.* (13) *Philipp. 2. 24. Vide Chryſoſt. proleg. in Philipp. p. 2.* (14) *Chryſoſt. Theophyl. Theodoret. Oecumen. alii.* (15) *Hier. in Ep. ad Tit. Grot. Eſt. Eraſm. Baron. Uſſer. Tillem. Ligfoot.* (16) *Hier. in Tit. 3. 12. Athanaſ. in Synopſ. Subſcriptiones Græcæ ad calcem hujus Epiſt. Eſt. alii nonnulli.* (17) *Tit. 3. 12.* (18) *Ita Syr. & Copt. p. 66.* (19) *Tit. 3. 13.* (20) *Tit. 3. 12.* (21) *Tert. cont. Marcion. l. 5. c. ult.* (22) *Hieron. Proleg. in Ep. ad Tit.* (23) *Id. ibid.*

IN EPISTOLAM
S. PAULI AD PHILEMONEM
PROLEGOMENON.

PHilemon, locuples Coloſſarum civis, ab Epaphra Pauli Diſcipulo Fide initiatus. Oneſimus Philemonis ſervus, quibuſdam rebus hero ſurreptis, ab eo profugus [1], Romam ad Paulum primis ibi vinculis devinctum tranſmigravit, eique ſtudioſum adeo famulatum exhibuit, ut diligentius ipſe Philemon impendere minime valuiſſet. Paulus vero de fuga, & furto Oneſimum ſuaviter increpatum, myſteriis deinde Fidei imbutum, baptiſmo initiavit; pauloque poſt una cum hac, quam modo explanamus, Epiſtola ad Philemonem remiſit.

Hac profecto in Epiſtola ſingularis Apoſtoli eloquentia plurimum elucet [2], qua Paulus Philemonem undique adigit, ut Oneſimo veniam indulgeat: Authoritatem precibus, commendationibus laudes, pietati comitatem interſerens vivida adeo, & convincentia adhibet argumenta, ut ad Dominum cum ſervo conciliandum nihil eſſe reliquum arbitremur. Optime res ceſſit. Philemon non modo Oneſimum comiter excepit, verum etiam paulo poſt ad Paulum Romam remiſit, ut ei carcere detento ſtudioſiſſime famularetur: qui deinde Epiſtolis deferendis ab Apoſtolo adhibitus, una cum Tychico litteras ad Coloſſenſes detulit; quibus etiam Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtoli præſertim ſtatum aperuit, cum vinculis, a quibus Paulus paulo poſt ſolutus fuit, adhuc detineretur.

Cum Appia uxor, ceterique domeſtici Fidei nomen dediſſent, Philemon ædes ſuas in Eccleſiam deſtinaverat, ſeque Fidelibus patrem, & refugium præſtabat; quare Apoſtolus ejus fidem, charitatem, liberalitatemque commendat. Una cum Uxore Appia, & Ariſtarcho amico eum ſub Nerone in Martyrologiis, ubi etiam die 22. Novembris ejus memoria colitur, martyrium conſummaſſe legimus [3]. Theodoreti ætate [4], Philemonis domus Coloſſis adhuc videbatur.

Theodoretus [5] ab Archippo Philemonem Fidei myſteriis initiatum putat; nos vero ab Epaphra Coloſſarum Epiſcopo veroſimilius arbitramur; ſaltem ſi ei domicilium Epheſi non fuerit, ut Grotius defendit [6]. Si autem ibi morabatur Philemon, ab ipſomet Paulo potuit erudiri, ut iis Pauli verbis inſinuari videtur [7]: *Ut non dicam tibi quod & te ipſum mihi debes*, Philemon tunc Epheſi conſtitiſſe potuit cum Paulus ibidem Evangelium enunciaret, vel alibi ſaltem Apoſtolum prædicantem audiſſe, preterquam Coloſſis [8], quo Paulus non abiiſſe ante hoc tempus, & ubi Philemon, cum Apoſtolus hanc ad eum Epiſtolam ſcriberet, domicilium tunc habuiſſe videtur.

Oneſimus vero, quem Paulus veluti ſuorum vinculorum triumphum oſtentabat, Diaconus, ſeu Chriſti Eccleſiæ miniſter ab Apoſtolo conſtitutus, Evangelicis miniſteriis ſe protſus addixit [9]. Apoſtolorum Conſtitutiones Berœæ in Macedonia Epiſcopatu a S. Paulo initiatum tradunt (10). Quædam Martyrologia Oneſimum non alium ab eo eſſe ferunt, de quo, anno Chriſti 107. veluti de Epheſi Epiſcopo meminit Martyr Ignatius: cujus tamen ſententiæ validum nullum eſt argumentum (11). A Martyrologiis Apoſtolus vocatur, & Martyrio conſumptus docetur.

Hanc ad Philemonem Epiſtolam eodem, quo illam ad Coloſſenſes, tempore ab Oneſimo delatam Hieronymus cenſet (12). Theodoretus vero (13), & Interpretum ceteri, poſtquam Oneſimus Romam ſecundo redierat, cum ab Apoſtolo datam ad Coloſſenſes tuliſſe veroſimilius ducunt. Cum Marcionitæ, Tertulliano teſte (14), ceteras Pauli Epiſtolas vitiaverint, hanc incolumem excepere. *Soli huic Epiſtolæ brevitas ſua profuit, ut falſarias manus Marcionis evaderet.* Iiſdem fere verbis rem perhibet Hieronymus (15): *Pauli Epiſtolam ad Philemonem ſaltem, Marcione authore, doceantur; qui cum ceteras Epiſtolas ejuſdem vel non ſuſceperit, vel quadam in his mutaverit, atque corroſerit, in hanc ſolam non eſt auſus manus mittere; quia ſua illam brevitas defendebat.* Hanc nihilominus a Marcionitis penitus vitiatam Epiphanius ingemit (16).

Olim nonnulli (17) de hujus Epiſtolæ authoritate idcirco ambigebant, quod ſine Spiritus Sancti præcipuo flamine eam Paulus ſcripſerit, utpote quæ non totam Eccleſiam ſed rem Apoſtolo peculiarem afficeret. Forte a Paulo non exaratam addebant, nulliuſque eſſe momenti, cum ſolam profugi ſervi Domino ſuo commendationem ferat. Verumtamen Patres, ut infirma hæc argumenta everterent, & Criticis ora obſtruerent, oſtenderunt, ab Eccleſia huic, veluti ab Apoſtolo per Spiritus Sancti flamen exaratæ, Fidem ſemper adhibitam; ipſumque Marcionem eam ab Apoſtoli Epiſtolis numquam rejeciſſe; non a fuſa verborum dimenſione authoritatem creari, cum Prophetarum vaticinia hac Epiſtola nihilo prolixiora in Veteri Teſtamento occurrerent; Spiritum Sanctum ſe non minus præſto exhibuiſſe Apoſtolo, cum ad Fideles ſcribens, ea, quæ comitatis, & grati animi erant, adimpleret, quam cum de ſublimioribus myſteriis loqueretur; pauciſſimas denique Pauli Epiſtolas veluti canonicas accipiendas, ſi earum ſingulæ, quæ res tantummodo Apoſtolo peculiares attingerent, rejiciendæ eſſent. Ceterum plurima ſervis & Dominis, & Epiſcopis in ſuas oves utiliſſima, & Fidelibus omnibus ad ſui ſolatium & ædificationem accommodata ab eadem hac Epiſtola recenſeri fatentur.

IN EPI-

(1) *Vide Philem. verſ. 18. Chryſoſt. Prolog. alii.* (2) *Scultet. hic. Si quid in genere ſuo ſerio admirandum eſt, certe hoc Epiſtolium eſt. In iſta enim brevitate ſingulis fere verbis ſua ubique argumenta ſunt ſubjecta.* (3) *Vide Caniſ. t. 2. p. 918. Martyrol. Rom. 22. Novembr.* (4) *Theodoret. in Philem. Prolog.* (5) *Theodoret. ad verſ. 1.* (6) *Grot. ad Philem. verſ. 1.*

(7) *Philem. verſ. 19.* (8) *Cajet. Eſt. ad verſ. 18.* (9) *Hier. Ep 62. c. 2.* (10) *Conſtitut. l. 7. c. 46.* (11) *Vid. Cl. de Tillemont. not. 70. in Sanctum Paulum.* (12) *Hier. ad verſ. 1.* (13) *Theodoret. ad verſ. 24.* (14) *Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. ult.* (15) *Hier. procem. in Philem.* (16) *Epiph. contr. hæreſ. l. 1. c. 42. n. 9.* (17) *Quidam apud Hieron. Procem. in Ep. ad Philem. Ita & alii apud Chryſoſt. & Theophylact.*

IN EPISTOLAM
S. PAULI AD HEBRÆOS
PROLEGOMENON.

Epiſtolam ad Hebræos inter pretioſiſſima monumenta, quibus Eccleſia Catholica ornetur, habendam ducimus. Rerum in ea amplitudo, & magni ponderis argumenta a phraſium nobilitate, & ſtili elegantia plurimum decorantur. In hac præ ceteris maxime laborarunt Interpretes, quod de hac præ ceteris plurima in controverſiam adducta ſint. Fuere primo, qui de firmiſſima ejus authoritate ambigerant; alii etiam, qui Paulo ereptam S. Clementi Papæ, vel S. Lucæ, vel Apollini, aut Barnabæ tribuerent. Quo idiomate, ſeu Græco, ſeu Hebraico conſcripta fuerit, non conveniunt. Diſcrimen præterea de loco, ad quem miſſa; de tempore, quo ſcripta; de iis, ad quos directa, & demum de ordine, quem ceteras inter Pauli Epiſtolas ſibi vendicat. Nos hæc omnia perpendentes, utrinque argumenta afferemus, & ei, quæ veri ſpeciem magis prætulerit, ſententiæ de noſtro more adhærebimus.

ARTICULUS I.

De Authore Epiſtolæ ad Hebræos.

POſtquam Origenes ea [1], quæ de hujus Epiſtolæ Authore feruntur, diu perpendit, a Deo tantummodo rem perſpectam haberi tandem fatetur. Quamvis autem eam plures S. Clementi Papæ Apoſtolorum coævo, plures etiam S. Lucæ Evangeliſtæ tribuerint, addit nihilominus de ſua ſententia res, & argumenta Apoſtolo, ſtilum vero, texturam & ordinem tribuenda eſſe alteri, qui S. Pauli ſenſibus pluſimum inſtructus, in hac Epiſtola eoſdem congeſſerit. Stilum denique, & periodos præ ceteris Epiſtolis politiores, atque elegantiores eſſe defendit; cujus ſententiæ omnes, qui S. Pauli opera perlegerint, vel hac in re peritiores habentur, teſtes exponit. Conceptus vero eam ſui admirationem vendicant, ut eorum cuiquam, quæ majoris momenti Apoſtoli ſcripſerint, non ſint poſthabendi.

Qui Origenis ætate hanc Epiſtolam Clementi Papæ tribuebant, eo ducebantur, quod hac cum Clementis ad Corinthios Epiſtola collata, ſimillimus utriuſque ſtilus appareat [2]; quod præterea Clemens & conceptus & phraſes Epiſtolæ ad Hebræos, quin eam alleget, ſæpiſſime adhibeat, quo ad ipſummet eam pertinuiſſe inſinuari videtur [3]: *Multis*, poſt Euſebium Cæſarienſem inquit Hieronymus, *de Epiſtola, quæ ſub Pauli nomine ad Hebræos fertur, non ſolum ſenſibus, ſed juxta verborum quoque ordinem, abutitur.*

Euſebius licet utriuſque Epiſtolæ ſtili ſimilitudinem, & Epiſtolæ ad Hebræos fragmenta, quæ ſuæ Clemens ad Corinthios Epiſtolæ inſeruit, ſatis animadverterit; ei nihilominus & Epiſtolam ad Hebræos tribuere non audet, tantumque ab eo Pontifice ex Hebræo Græce redditam plurimos arbitratos eſſe teſtatur [4]. Cujus quidem opinionis ipſum fundamentum infra evertemus, cum numquam eam Epiſtolam Hebraice fuiſſe exaratam oſtendemus. A ſtili vero ſimilitudine utramque Epiſtolam ad eumdem pertinere Authorem, certo deduci non poſſe arbitramur [5]. Fatemur quidem, a S. Clemente aliquem Epiſtolæ ad Hebræos locum, quin eadem Epiſtola alleguetur, uſurpari: is vero uſus ſatis convaluerat, ut videre eſt & apud S. Polycarpum, & S. Ignatium, qui Apoſtolorum & ipſius Chriſti verba, veluti propria ſuis periodis interſeruere, ſive id præſtiterint, ut ad ſermonis ornatum conferrent, ſive ut ſuis verbis authoritatem compararent. Omnes præterea, quæ in ea Epiſtola animadvertuntur, circumſtantiæ S. Clementi nullatenus conveniunt, quem aliunde Eccleſia Authorem canonicum numquam duxit; hujus vero Epiſtolæ Authori, veluti divino lumine afflato, a Chriſtianæ Religionis initio fidem ſemper adhibuit.

Patres, qui præ ceteris Clementi favent, eam illi non firmiſſime, ſed ambigue tribuunt, & S. Lucæ tributam fatentur a pluribus, quorum alii S. Lucam primum & verum Authorem putant, alii vero dumtaxat Interpretem, ſeu ut ſummum a Secretis, qui politiori, atque elegantiori ſtilo Græce reddiderit, quod humilioribus verbis ab Apoſtolo acceperat, cujus etiam rei argumentum & ſtili ſimilitudinem, & S. Lucæ cum S. Paulo neceſſitudinem, & familiaritatem præferunt.

His omnibus levioribus prætermiſſis, in ſtili ſimilitudine operæ pretium eſt fuſius aliquantu immorari. Qua etiam in re ſatis non conveniunt Authores. S. Clemens Alexandrinus eoſdem, quos in Lucæ Operibus, characteres legere, eumdem geſtum percipere, eoſdem in ea Epiſtola ſe intueri colores fatebatur [6]. Plures in eadem Epiſtola phraſes Lucæ familiares Grotius deprehendit [7], quamvis autem ſublimiori quam Acta & Evangelium, ſtilo contextam afferat, Lucam tamen ſemper non eſſe ſibi ſimilem, &, cum poteſt, ſuo genio indulgere, ſuæque ampliorem eloquentiæ aditum patefacere, veluti cum verba Jeſu Chriſti referre non cogitur, ſe longe ſe ipſo elegantiorem præbere oſtendit. Eraſmus hujus Epiſtolæ ſtilum vel eumdem cum ſtilo Actorum, vel ei proxime accedentem agnoſcit [8]: *Ne Lucas quidem ipſe in Actis Apoſtolicis parum abeſt ab hujus Epiſtolæ eloquentia*; nihilominus Lucæ illam tribuere non auſus, S. Clementem potius ejuſdem Authorem appellat. *Admodum probabile eſt, quod ſubindicavit D. Hieronymus, Clementem Romanum Pontificem a Petro quartum authorem hujus Epiſtolæ fuiſſe.* Grotius vero, non Græco idiomate a Luca redditam, neque de Apoſtoli voluntate, elegantiori ſtilo donatam, ſed ſuo marte contextam, & ad Hebræos ultro miſſam aſſeruit.

Spanhemius e contra S. Lucæ idcirco potiſſimum nullatenus tribuendam ducit, quod ab ejuſdem conſueto ſtilo longiſſime abſit [9]: *Stilus Epiſtolæ a dictione & phraſi Lucæ magis Græcaniſta longiſſime diſtat.* Jacobus Capellius Epiſtolæ ad Hebræos Authorem alium prorſus a Luca conſtituit, quod ſtili animadverterit diverſitatem [10]: *Cum hujus Epiſtolæ ſtilus ſtilo Lucæ ſit diſſimillimus.* His ſibi mutuo adverſantibus ſententiis, quanti nobis faciendi ſunt Critici peritiores, cum de eloquentiæ vel ſimilitudine, vel diverſitate decernunt?

Sunt

(1) *Origen. hom. in Ep. ad Hebr. apud Euſeb. lib. 6. cap. 25. hiſt. Eccl.* (2) *Idem ibidem.* (3) *Hier. in Catalogo v. Clemens. Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 38. Vide Clemen. Epiſt. §. 17. 36. 43. 58.* (4) *Euſeb. Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. cap. 38.*

(5) *Spanhem. de Author. Epiſt. ad Hebr. part. 1. c. 7. n. 7. 8.* (6) *Clem. Alex. l. Hypotypoſ. apud Euſeb. Hiſt. lib 6. cap. 14.* (7) *Grot. in Ep. ad Hebr. Præf.* (8) *Eraſm. ſub fin. annotat. in Ep. ad Hebr.* (9) *Spanhem. loc. cit. 2. c. 7. & p. 3. c. 2. n. 9.* (10) *Jacob. Capell. præfat. in Ep. ad Hebr.*

Sunt qui S. Barnabæ Epiſtolam ad Hebræos tribuant, quorum primus Tertullianus [1]: *Extat*, inquit, *& Barnabæ titulus ad Hebræos*. Quod vero admirationem magis ingerat, ejus Epiſtolæ Authorem ſine ulla hæſitatione Barnabam ſtatuit, ac ſi & Africana, in qua degebat, & Romana, quam oppugnabat, Eccleſia ita vulgo ſentirent. D. Hieronymus [2] pluribus in locis, poſt quem & S. Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus [3], eamdem, quin tamen approbent, opinionem recenſent. Ex Recentioribus, Camero enixe defendit, & peculiari ſibi ingenio omnium veroſimillimam ducit [4].

Huic ſane ſententiæ ſtili ſimilitudo non favet, cum Epiſtola ad Hebræos, & ea, quam Barnabæ tribuerunt, longiſſime diſtent; ſed poſtrema hæc, cum ſit adhuc diſcrimen an ad Barnabam pertineat, nullum inde hac de re deduci poteſt, quod urgeat, argumentum. Neque eidem opinioni veterum Patrum opitulatur authoritas; eorum enim nemo ſive provectior, ſive poſterior, ſive Tertulliano coævus, Epiſtolæ ad Hebræos Authorem Barnabam appellavit. Nil ex eadem Epiſtola, nil ex Barnabæ vita, nil denique ex Eccleſiaſtica Hiſtoria deduci poteſt, quod hanc ſententiam fulciat; quam etiam unde Tertullianus eduxerit, penitus ignoramus. Cum de quadam Barnabæ ſolo nomine ſibi cogniti Epiſtola audiſſet, & hanc, an Pauli fuerit, in dubium revocari ſciret, eamdem eſſe Barnabæ forte putavit. Hac deinde conjectura ductus, temeritate ſibi ſatis conſueta, eam Epiſtolam Barnabæ facile tribuit; quam poſtea ſententiam ejus ſingularitate ducti alii etiam recenſuerunt. Argumenta vero, quibus Camero innititur, adeo infirma ducimus, ut in iis refutandis immorantes inanem prorſus laborem ſuſciperemus [5].

S. Martyr Hippolytus [6] in Libro adverſus hæreſes, & S. Irenæus in Stephano Gobar Tritheita, apud Photium [7], Paulum Epiſtolæ ad Hebræos Authorem alium ab Apoſtolo eſſe contendunt; cujus tamen rei argumentum nullum afferunt. Quis præterea Paulus iſte, & unde fuerit? quando vixerit? Vir adeo diſertus, & Scriptor emeritus, quicumque ille fuerit, ab omnium memoria ſane non excidiſſet.

Nonnulli hanc Epiſtolam [8] Apollo ad Fidem converſo adſcribunt, Viro utique diſerto, Scripturarum perito, Divini honoris tuendi ardore incenſo, & apud Eccleſias celeberrimo, quem S. Lucas in Actis [9], & D. Paulus in prima ad Corinthios [10] quamplurimum commendant. Si per veteres Eccleſiæ Patres hæc conjectura defendi ſatis poſſet, forte in neminem juſtius, quam in Apollo, hujus Epiſtolæ honor conferretur. Verum hujus ſententiæ fautores, præterquamquod recentiores ſint, validis argumentis adeo deſtituuntur, ut neque mentem ſuam certo ſtatuant, neque eam prodentes ab animi hæſitatione prorſus abſtineant.

Qui eamdem Epiſtolam D. Marco [11] adſcribunt, adhuc infirmioribus argumentis nituntur: qui vero ejus Authorem [12] Tertullianum ſtatuunt, ab ipſo Tertulliano, eam Barnabæ tribuente, & a Veteribus Tertulliano provectioribus, eam veluti Apoſtolis coævam, & a Paulo ipſo exaratam allegantibus, refelluntur.

Reliquum eſt, ut ſententiam perpendamus, qua Græcæ, & Latinæ Eccleſiæ ad Hebræos Epiſtolam S. Paulo uno ore & conſenſu adſcribunt. Omnia profecto, Veterum authoritas, ejuſdem Epiſtolæ Characteres, Apoſtoli vitæ circumſtantiæ, argumentorum denique, quibus alteri Authori tribuitur, infirmitas, huic ſententiæ opitulantur. Præterea ſi ad eorum quempiam, quibus adſcripta eſt, nullatenus pertinet, ab Apoſtolo datam veroſimillimum jure ducimus.

Favet primo Apoſtoli Petri authoritas [13], de quorumdam ſententia [14], Epiſtolæ ad Hebræos mentionem agentis in ſecunda ſua Epiſtola, quam ipſe paulo ante mortem dederat, & biennio poſtquam ad Hebręos tradita fuerat [15]: *Chariſſimus Frater noſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem*.

Eo in loco Petrum de Epiſtola ad Hebræos loquutum hi Authores inde colligunt, 1. quod Petrus Paulum ſcripſiſſe dixerit ad illos, ad quos & ipſe, nempe certo ad Hebræos ad Fidem converſos, ut ſatis præfertur ex iis verbis [16], *Hanc ecce vobis ſecundam ſcribo Epiſtolam*, collatis cum primę Epiſtolę initio [17]: *Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, Bithyniæ &c.*

2. Quod Petrus in ea Epiſtola ſuam maxime ſapientiam a Paulo exhibitam teſtetur. Pauli equidem ſapientia, & præſtantiſſima arcanorum Dei, & Fidei myſteriorum cognitio, quam in Epiſtola ad Hebræos, nullibi magis elucet.

3. Quod huic Epiſtolæ plurima captu difficillima interſerantur, quibus pravi ſpiritus & abuti poſſunt, imo & abuſi fuere: hujuſmodi illud eſt: *Impoſſibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati...., & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam* [18].

4. Denique quod Petrus Paulum dixerit ad Hebræos de iiſdem ſcripſiſſe, de quibus & ipſe: *Loquens in eis, (Epiſtolis) de his*. Petrus autem in ſecunda Epiſtola ad morum integritatem, ad Dei Judicium opperiendum, & ad pœnitentiam exercendam Fideles hortatur. De his omnibus & Paulus in Epiſtola ad Hebræos [19]; in ceteris Epiſtolis de his ſimul omnibus non meminit; neque in ceteras, niſi in hanc tantummodo, hi omnes characteres conveniunt. De hac igitur ad Hebræos Epiſtola loquutus eſt Petrus; quamvis enim nonnulli eam, de qua Petrus, a nobis deperditam aſſeverent, nullo prorſus argumento, nullaque conjectura id enunciant.

Hæc ſane Epiſtola eam præfert authoritatem, ut non niſi cuidam ex Apoſtolis convenire poſſit. Hanc nihilominus nemo eorum ſcripſit, qui per ipſummet Chriſtum eruditi fuere: vir autem eam dedit, qui ab iiſdem Apoſtolis inſtructus eſt, quique prodigia, quibus iidem Apoſtoli ad ſuam prædicationem comprobandam apud Judæos inclaruerant, teſtatur [20]. *Ab eis qui audierunt, in nos confirmata eſt*. Hinc Paulum Epiſtolam non dediſſe nonnulli [21] idcirco intulere, quod alibi enixe ſemper incumbat, ut ſe ab ipſomet Chriſto eruditum exhibeat [22], ac ea propter ſe non ab hominibus, neque ab aliis Apoſtolis miſſum oſtendat.

Verumtamen inter ea diſcernendum eſt, quæ Paulus ab ipſomet Chriſto per revelationem didicit, & ea, quæ ab Apoſtolis, & Diſcipulis, qui Dominum cognoverant, accepit. Chriſtus per ſe ipſum præcipua Fidei myſteria, & potiſſimas Catholicæ Religionis veritates Paulo aperuit; ei vero peculiaria Domini

(1) *Tertull. de Pudic. c. 20.* (2) *Hier. in Catalog. in voce Paulus. Epiſtola, quæ fertur ad Hebræos, non Pauli creditur propter ſtili, ſermoniſque diſtantiam, ſed vel Barnabæ, juxta Tertullianum; vel Lucæ Evangeliſtæ, juxta quoſdam; vel Clementis, Romanæ poſtea Eccleſiæ Epiſcopi.* (3) *Philaſt. hæreſ. 41.* (4) *Camero quæſt. 2. in Epiſt. ad Hebr.* (5) Videri poſſunt refutata a Spanhemio *Tract. de Author. Epiſt. ad Hebr. part. 2. cap. 8.* (6) *Hippolyt. lib. contr. hæreſ. apud Phot. Cod. 121.* (7) *Phot. Cod. 232.* (8) *Luther. in Gen. 48. 20. Beza in Epiſ. ad Hebr.* (9) *Act. 18. 24.*
(10) *1. Corint. 1. 12.* (11) *Quidam apud Spanhem. loc. cit. part. 2. cap. 9.* (12) *Quid. apud Sixt. Sen. Biblioth. lib. 7. cap. 8.* (13) *2. Petr. 3. 15.* (14) *Baron. ann. 66. Pearſon. Oper. poſth. p. 58. Spanhem. & alii.* (15) Nos Epiſtolam ad Hebręos anno Chriſti 63. & Epiſtolam Petri anno 65. ſtatuimus. (16) *2. Petr. 3. 1.* (17) *1. Petr. 1. 1.* (18) *Hebr. 6. 4. & 10. 20. 27. & 12. 15. 16.* (19) *Hebr. 9. 19. &c. & 12. & 13. & 10. 25. 37. & 6. 12.* (20) *Heb. 2. 3.* (21) *Quidam apud Oecum. Præf. in Ep. ad Hebr. Vide Calv. in Hebr. 2. 3. Grot. alios ibid.* (22) *Galat. 1. 11. 12. Evangelium quia non eſt ſecundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, ſed per revelationem. Vide & Epheſ. 3. 3. & 1. Cor. 15. 1. 2. 3.*

ni geſta & prodigia, ejuſque mortis & reſurrectionis circumſtantias Apoſtoli, & diſcipuli renunciarunt.

Epiſtolæ Author, ſibi itineris comite Timotheo fratre aſſumpto [1], ad Hebræos inviſendos ſe collaturum eiſdem pollicetur: quo quidem ejuſdem Author ita præfertur Apoſtolus, ut de quorumdam Eruditorum ſententia ad diſcrimen ea de re penitus dirimendum nil ulterius poſtulandum ſit [2]. Suorum etiam vinculorum in ea meminit, ut in ceteris, quas in Italia dedit [3]. Methodus eadem, quæ in ceteris, idem allegandi & Scripturas explanandi mos, alluſiones eædem, & locorum ſimillimæ appoſitiones recurrunt. In id, quod ſibi ſemper potiſſimum ſtatuit, præ viribus incumbit, ut Legalia inania, Aaron Sacerdotium; & ſanguinis ſacrificia abrogata, vetus Fœdus abolitum, novum conſtitutum, illud abſolutum, iſtud denique æternum perſpicue oſtendat. Hujus Epiſtolæ epilogus cum iis omnino convenit, quibus Epiſtola ad Romanos, & utraque ad Theſſalonicenſes abſolvuntur. Vota, ſalutationes, preces, & peculiaria plurima, quæ in Pauli ſtilo, & eloquentia exercitatis optime dignoſcuntur, hanc Epiſtolam Apoſtolo omnino tribuendam ſatis oſtendunt.

Quod etiam validiſſime probat unanimis Eccleſiarum, Patrum, & Interpretum conſenſus, quo Paulus ejus Epiſtolæ Author una voce ſtatuitur. Apud Græcam Eccleſiam nulla unquam hac de re ambiguitas; Eccleſia vero Latina, quamvis ab ea inter Pauli Epiſtolas recenſenda aliquanto abſtinuerit, mature tamen ſatis cum Græcis Patribus convenit, & a quarto ſæculo ad noſtrum uſque, nullum de hoc inter utramque diſcrimen.

S. Clemens Alexandrinus Pauli nomine ſæpe allegat, quamvis a S. Luca Græce redditam arbitretur [4]. Origenes etiam, cujus teſtimonium jam recenſuimus, eodem Pauli nomine producit [5]; quamvis vero alibi de ejus Authore nonnihil dubitaverit, Apoſtoli nihilominus ſenſus ab ea præferri fatetur: & ſi huc uſque aliqua Eccleſia Pauli nomine legit, ſuam ab ea traditionem non eſſe dimittendam ſtatuit [6]. *Non enim*, inquit, *eam fruſtra Veteres Paulo tribuerunt*. Euſebius Cæſarienſis pluribus in locis huic ſententiæ ſubſcribit [7]. Dionyſii Alexandrini, & Alexandri Alexandriæ Epiſcopi Epiſtolæ, ſicut Litteræ Antiocheni Concilii ad Paulum Samoſatenum, S. Athanaſius, Cyrillus Jeroſolymitanus, Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Gregorius Nyſſenus, Amphilochius, Epiphanius, Concilium Laodicenum, omnes denique Græci hanc ad Hebræos Epiſtolam S. Paulo adſcribunt [8].

Latini Patres inter ſe non omnino cohærent. S. Cajus Eccleſiæ Romanæ Presbyter, tertii ſæculi Scriptor, hac ad Hebræos S. Paulo erepta, ceteras ejus Epiſtolas tredecim tantummodo recenſet [9]; *Epiſtolas quoque Pauli treſdecim tantum enumerans, decimam quartam, quæ fertur ad Hebræos, dicit ejus non eſſe*. Quibus addit Hieronymus: *Sed & apud Romanos uſque hodie quaſi Pauli Apoſtoli non habetur*. Cum vero S. Doctor eam Epiſtolam allegat, ut plurimum animi ſui ambiguitatem præfert: ait v. g. [10]. *Si quis tamen ad Hebræos Epiſtolam ſuſcipit*, vel [11]: *Licet de ea multi Latinorum dubitent, quæ ſcribitur ad Hebræos*; vel denique [12]: *Relege ad Hebræos Epiſtolam Pauli Apoſtoli, ſive cujuſcumque alterius eam eſſe putas*. Cum nihilominus ad Dardanum ſcribit [13], ab omnibus Orientis & Græciæ Eccleſiis eam S. Paulo adſcribi teſtatur; & ſi Latinorum quis adhuc ambigit, per ſe ſatius eſſe ducit, ut cum Veteribus ea de re conveniat.

Quamvis Auguſtinus ſua etiam ætate alios ſciret [14], qui hanc Epiſtolam Paulo eriperent, & alios, qui inter Canonicas recenſere formidarent [15], quod D. Pauli nomen in ea non invenirent, Orientis nihilominus Eccleſiarum, ſicut & ceteras S. Pauli, & hanc veluti canonicam ſuſcipientium authoritati adhærendum ſtatuit [16]: quam & ipſe interdum Pauli nomine allegat, ſæpius tamen *Epiſtolam ad Hebræos* tantummodo appellat.

Ex Latinis Patribus nemo occurrit, qui tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis Pauli nomine aperte produxerit. Quædam Opera S. Cypriano falſo adſcripta, v. g. Liber de Operibus Cardinalibus, & Symboli expoſitio, veluti ab Apoſtolo contextam allegant, numquam tamen ita præfertur in genuinis hujus Patris Operibus. An Pauli hæc fuerit, Euſebii Cæſarienſis ætate (*) inter Eccleſiæ Romanæ Authores adhuc non convenerat. Philaſtrius a plurimis S. Paulo eam eripi teſtatur, una vero hanc opinionem hæreſis nota inurit [17]. S. Iſidorus Hiſpalenſis in ſuo Opere de Eccleſiaſticis Officiis, & Rabanus Maurus de Clericis educandis, ſeu veterum, ver. gr. Hieronymi, teſtimonia tantum tranſcripſerint, ſive alicujus ſibi coævi Authoris ſententiam produxerint, plures Latinos an Apoſtolus hanc Epiſtolam tradiderit, adhuc ambiguos tum fuiſſe enunciarunt: *Ad Hebræos Epiſtola pleriſque Latinis ejus eſſe incerta eſt, propter diſſonantiam ſermonis*.

Hæc omnium validiſſima ſunt, quæ ad noſtram ſententiam oppugnandam afferantur. Quibus tamen teſtimoniis objicienda omnium Latinorum Patrum authoritas & conſenſus, qui a quarto & quinto ab hinc ſæculo Pauli nomine eamdem Epiſtolam allegarunt [18]. Hujuſmodi ſunt SS. Hilarius, Ambroſius, Presbyter Romanus Fauſtinus, Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, Rufinus, Paulinus, Innocentius I. in Sacrorum Librorum Catalogo, Idacius, Bacchiarius, Sedulius, Caſſianus, Cerealis, Fauſtus Regienſis, Victor Uticenſis, S. Gregorius Magnus, & alii ſexcenti; omnes enim ferme Patres, & Concilia illo ab hinc tempore in hanc ſententiam convenere.

Ex Recentioribus pauciſſimi ſunt, qui ſibi peculiarem opinionem invexerint. Grotius Epiſtolam hanc S. Lucæ adſcribit [19]; Clementi Papæ Eraſmus [20]; Lutherus [21], & Beza [22] Apollo; D. Barnabæ Camero [23]; aut S. Lucæ, aut S. Clementi Calvinus; Joſeph Scaliger Helleniſtæ cuidam [24]; Ludovicus Vives [25], Cardinalis Cajetanus [26], Eraſmus, Schmidius, Tanaquillus Faber [27], Salmaſius [28], & forte alii nonnulli, an vere Apoſtoli habenda ſit, ambigebant. Quanti vero pauciſſimos hos Cri-

(1) *Hebr.* 13. 22. Fratrem adhuc Timotheum vocat 2. *Cor.* 1. 1. *Coloſſ.* 1. 1. & 1. *Theſſalonic.* 3. 2. &c. (2) *Pearſon. Dupin. Tillement. Mill.* (3) *Hebr.* 10. 34. Legit Vulgata: *Nam & vinctis compaſſi eſtis*. Græcus vero habet: *Vos meis vinculis compaſſi eſtis*. (4) *Clemens Alexand. hypot. apud Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib.* 6. *cap.* 14. & *Strom. lib.* 2. *pag.* 420. & *lib.* 4. *pag.* 514. & *alibi*. (5) *Origen. l.* 3. *contr. Celſ. pag.* 343. *Philocal. pag.* 17. 55. *Protrep. ad Mart.* & *lib. de orat. p.* 89. 97. 99. *hom.* 1. 2. 3. 4. *in Cant. Comment. in Joann. pag.* 56. 58. 416. & *alibi paſſim*. (6) *Idem apud Euſeb. lib.* 6. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 5. (7) *Euſeb. hiſtor. Eccleſ. l.* 3. *cap.* 3. & 32. & *alibi*. (8) Videri poſſunt teſtimonia congeſta apud Spanhem. *Tract. de Authore Ep. ad Hebr. part.* 1. *cap.* 6. *Tillemont. not.* 72. *in S. Paul. Mill. Prolog. Epiſt. ad Hebr.* (9) *Hier. Catal. de Cajo*: & *Euſeb. lib.* 6. *cap.* 14.

(10) *Hier. in Ezech.* 28. (11) *Idem in Matth.* 26. (12) *Idem in Epiſt. ad Tit.* 2. (13) *Idem Epiſt.* 125. *Hanc Epiſtolam, quæ inſcribitur, ad Hebræos, non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed ab omnibus retro Eccleſiis, & Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi*. (14) *Auguſt. lib.* 16. *a Civit. cap.* 22. (15) *In Epiſt. ad Rom. Expoſit. inchoata pag.* 931. *num.* 11. (16) *De peccat. merit. l.* 1. *c.* 27. (*) *Euſeb. l.* 3. *hiſtor. c.* 3. (17) *Philaſt. hæreſ.* 41. (18) *Vide apud Spanhem. tract. de Auctore Epiſt. ad Heb. part.* 1. *cap.* 7. (19) *Grot. in Epiſt. ad Hebr.* (20) *Eraſm. in cap.* 12. *ad Hebr.* (21) *Luther. in Geneſ.* 48. 20. (22) *Beza in Ep. ad Hebr.* (23) *Camero qu.* 2. *in Ep. ad Hebr.* (24) *Joſeph. Scalig. in excerp. voce Helleniſtæ*. (25) *Lud. vives in Lib.* 16. *c.* 22. *D. Aug. de Civit.* (26) *In Ep. ad Hebr.* (27) *Tanaq. Fab. l.* 2. *Ep.* 14. (28) *Salmaſ. de Primatu Papæ apparat. p.* 19.

ſticos ſcelam; ſi cum ferme innumeris ætatum, Societatum, & Communionum omnium Scriptoribus conſerantur, qui una voce Epiſtolam ad Hebræos S. Paulo adſcribendam eſſe cenſuerunt?

Objectiones, quæ hanc ſententiam oppugnant, facile etiam evertimus; quas equidem, cum adverſas refelleremus opiniones, aliquatenus jam retuḷavimus. Validiſſimum adverſarii argumentum inde educunt, quod hujus Epiſtolæ ſtilus a ceteris Pauli Epiſtolis longiſſime abſit. De hac, quam perſpicuam ducimus, diſſonantia non diſceptamus. Anne, quod & nunc ſæpe accidit, ſuum ſtilum in alium Paulus convertere non potuerit? Anne Epiſtolam, Tractatum, Diſſertationem diverſimode non intexuerit? Utrum hæc ad Hebræos Epiſtola, ſeu Liber fuerit, adhuc incertum. Epiſtolarum modo plane non incipit; Author inſuper de operis brevitate excuſationem poſtulat [1]. Si Liber, utique perbrevis; ſi Epiſtola, longa nimium.

Paulus præterea aut Lucæ, aut Clementis opera uti forte non valuit, ut ſtilo politiori hanc Epiſtolam inſtrueret [2]? Ita in dies amicorum opera ſolemus exercitationes noſtras reſtaurare, ut rudiores phraſes expoliant, ut denique de iis idiomatis erroribus, in quos vel diligentiores ſæpe incidunt, admoneant. Quin Pauli ſenſus in aliis ejus Epiſtolis minuerentur, utique & clariores reddi poſſent & elegantiores. Quod forte & huic Epiſtolæ contigit. Eorum hic ſententiam præterimus; qui Epiſtolam a Paulo Hebraice primum exaratam; & ab alio deinde Græce redditam arbitrantur. Quod nos utique nullatenus defendi poſſe paulo poſt oſtendemus.

Spanhemius, qui in hanc rem laboris plurimum impendit, hujus Epiſtolæ ſtilum ab aliis Pauli Epiſtolis non longiſſime diſtare teſtatur; plurimaſque phraſes, quæ in ceteris occurrunt, eadem ratiocinia, eamdem methodum, eaſdem periodos, ipſius Pauli hebraiſmos, rariores quidem & politiores, ſatis tamen perſpicuos, etiam huic Epiſtolæ ita interſeri oſtendit, ut ejus Author, ſicut & ceterarum, Paulus apertiſſime dignoſcatur.

ARTICULUS II.

Quonam idiomate hæc Epiſtola ſcripta fuerit?

DUplex hac de re ſententia, quarum Altera Hebraice, altera Græce ſcriptam defendit. S. Clemens Alexandrinus [3], Euſebius [4], Theodoretus [5], Græcus Anonymus apud Oecumenium [6], S. Hieronymus [7], & nonnulli Recentiores [8], S. Paulum quod ad Judæos ſcriberet, patrio eorum idiomate ad eos Epiſtolam hanc dediſſe, & S. Lucam, ſeu S. Clementem Græcam illam reddidiſſe ſuſpicati ſunt. Hinc, juxta Hieronymum, factum eſt, ut præ ceteris elegantior ſit; etenim Paulus, quod Judæus eſſet, proprio idiomate comptius ſcribebat, quam ſcriberet extero; Lucas vero, qui Græce eam deſcripſit, præ Paulo Græcum callebat. Quare mirum non fuerit; ſi Epiſtolam Hebraica locutione diſerte editam, eleganter in Græcam tranſtulit. *Scripſit*, inquit Hieronymus *ut Hebræus Hebræis Hebraice, idest ſuo eloquio diſertiſſime, ut ea, quæ eloquenter ſcripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcam; & hanc cauſam eſſe, quod a ceteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur.*

Pauli Originale Hebræum brevi deperditum fuiſſe ferunt, cum ex Veteribus nemo unus ſe vel vidiſſe, vel noviſſe meminerit. Quod tamen admirationem non ingerat, cum S. Matthæi Evangelium plurimis in locis maximo honori habitum, & ab Origene, & Hieronymo perlectum, duodecim ab hinc retro ſæculis penitus intereiderit. Nil felicius & huic Epiſtolæ forte obtigit. Ejus autem Græca verſio, quam Lucas reddidit, facile in cauſa fuit, ut in Hebræo Originali ſervando ſtudium remiſſius adhiberetur; cum omnes & Palæſtinæ & Provinciarum Judæi ad Fidem converſi Græco idiomate vulgo loquerentur.

Eruditi nonnulli, ut Vidmanſtadius, & Guido Fabricius, qui omnium primi Novum Teſtamentum Syriace excuſum ediderunt, Epiſtolam ad Hebræos, quæ nunc Syriace extat, Pauli Originale duxerunt, Paulum enim, & quidem jure, Syriaci idiomatis peritum putabant: quod ſane idioma & Judææ, & Syriæ Hebræi tamquam vernaculum adhibebant. Verumtamen ipſe Textus Syriacus hanc opinionem refellit, plura ſuppeditans argumenta, quæ verſionem utique vetuſtiſſimam a Græco depromptam eſſe ſatis oſtendunt. Extat etiam hæc Epiſtola Hebraice edita, quam tamen recentiorem eſſe verſionem, & a Græco deſumptam omnes conveniunt.

Qui primum Græce ſcriptam defendunt, inferquentiores, licet numero, ſed validioribus præſtant argumentis. Clemens Alexandrinus, Euſebius, & Hieronymus, qui Hebraice primo editam crediderc, authoritate ſua Veterum pleroſque in eamdem ſententiam impulerunt. Quæ quidem opinio ad id contulit, ut difficultatem a ſtili diverſitate deductam, & eos, qui Epiſtolam S. Paulo adſcribunt, quammaxime urgentem, facile fulcirent. Paulus enim, loquiunt, Hebraice ſcripſit, adeoque eloquentius, cum patrio & naturali idiomate ſcriberet. Stili vero ſimilitudinem inter Epiſtolam ad Hebræos, Epiſtolam Clementis Papæ, & Acta Apoſtolorum, inde ortam ſtatuunt, quod Epiſtolam illam Lucas ſeu Clemens ex Hebræo in Græcum tranſtulerint.

Si vero hæc propius deſpiciamus, nil forte nobis levius, nihil infirmius. Clemens Alexandrinus Hebræum Originale neque oculis vidiſſe ſe aſſerit, neque agnoviſſe nomine, ſed conjectando tantum meminit. Apud Origenem [9] rerum harum periſſimum, & Hebræis Originalibus inveſtigandis porſus addictum, mirum de eo ſilentium; qui tamen hanc Epiſtolam Græce exaratam memorat; ſtili vero diverſitatem in S. Clementem, aut S. Lucam refert, qui de S. Pauli conſenſu, ſua eloquentia eamdem Epiſtolam exornaverint. Euſebius & Hieronymus, neque rem inveſtigarunt diligentius, neque Hebræum Originale agnovere; quod ſane minime extitiſſe præfertur, cum eorum uterque in id genus monumentis effodiendis ſolertiſſime laboraverint. Hebræum Matthæi Evangelium, quod eorum adhuc ætate extaret, & producunt, & allegant; numquam vero Hebræam ad Hebræos Epiſtolam.

Si quis Syriæ, & Palæſtinæ Hebræos, ad quos potiſſimum Epiſtola directa dicitur, nonniſi Hebraice loqui ſolitos arbitretur, ipſe ſe decipiat; hæ enim Provinciæ Græcum æque ac Hebræum vulgo adhibebant [10]. Si vero cum Spanhemio [11], ad omnium Provinciarum Orientalium Hebræos Epiſtola miſſa ſtatuatur, ut Hebraice ſcriberetur, nil poſtulaſſet; in omnibus enim Orientis regionibus, in quibus Iſraelitæ degebant, ab Alexandri Magni victoria, Græcum idioma ita invaluerat, ut Helleniſtarum plerique, qui incolebant Provincias, vel Syriacam ignorarent [12], S. Petrus, S. Jacobus, & S. Joannes, æque ac S. Paulus, ad Hebræos, non Hebraice

tamen,

(1) *Hebr. 13. 22. Etenim perpaucis ſcripſi vobis,* (2) *Origen. apud Euſeb. Hiſter. Eccl. l. 6. c. 25. Eſt. in Epiſt. ad Hebr. q. 2. Bellarm. l. 1. de Verbo Dei c. 27. Hipperius Prolegom. in Epiſt. ad Hebr.* (3) *Clem. Alex. Hypotyp. ad Euſeb. lib. 6. cap. 14. hiſt. Eccl.* (4) *Euſeb. hiſt. lib. 3. cap. 38.* (5) *Theodoret. Præfat. in Epiſt. ad Hebr.* (6) *Anonym. apud Oecumen. Præf. ad Epiſt. ad Hebr.* (7) *Hier. Catalog. in voce Paulus. Agobard. Epiſt. ad Proregeſ.* (8) *Ambroſiaſt. Primaſ. Haymo, Tana præ-ind. 4. Riber. Baron. Albert. Vidmanſtad. Guido Fabricius, Matth, Galenus, Cornelius a Lap. Quidam Codd. Græci apud Mill. ad calcem hujus Epiſtola, Toſſan. Zanthius, Salmaſ. de Helleniſtica parte 1. alii plures apud Spanhem.* (9) *Origen. apud Euſeb. lib. 6. cap. 25. hiſt. Eccl.* (10) *Talmud. Megilla. fol. 71. col. 2. & 3. & in Sota fol. 21. col. 2. & in ſchekalim par. 3. halac. 2* (11) *Spanhem part. 2. cap. de Auth. Epiſt. ad Hebr.* (12) *Hier. Proœmio in Epiſt. ad Galat.*

tamen, ſed Græce ſcripſere; cur igitur & Paulus ad eos Hebraica ſcripſerit?

Quod Hebræum idioma patrium, & naturale Paulo fuerit, vernaculum autem, ut ajunt, idioma perfectius quam alterum callemus. Duo hic falſa. 1. Naturale Pauli idioma Græcum quidem fuit, Tharſi enim celeberrimæ urbis civis, Ciliciæ Metropolis, quæ ſcientiam & dicendi venuſtatem æque ac Alexandria & Athenæ oſtentabat [1], Græco idiomate loquebantur, cujus utique Paulus peritiſſimus & Poetas evolverat. Quod vero ejus Epiſtolæ nobis obſcuræ videantur, in cauſa eſt cum noſtra Græci idiomatis ignoratio, tum Viri ingenium acutus, vividum, atque fœcundum. Neque profecto ea ſtili obſcuritas Hebraici idiomatis indoli tribuenda eſſet; quippe quod ad ejus potius lumen & claritatem idcirco contuliſſet, quod ab iis inverſionibus, & tranſpoſitionibus, quibus Græcum difficile ſæpe redditur, prorſus abhorreat. Græcum igitur Paulo naturale; Hebræum per ſtudium paratum. 2. Naturali ornatius quam per ſtudium acquiſito idiomate nos ſemper loqui, minime conſtat: contrarium potius experimento pluries compertum. Quare licet Syriacum Paulo naturale, & Græcum per ſtudium comparatum fateremur, adhuc ia elegantet minus, minuſque diſerte Græco quam Syriaco idiomate loquutus, jure non inferretur.

Græce vero primum ſcriptam fuiſſe, ipſa per ſe Epiſtola ſatis oſtendit. Alluſiones in ea, quæ tantum in Græco valent (2); phraſes, periodi, ſtilus perſpicuus & quidem origina, non verſione Græcum præferunt. Pauciores in hac, quam in cæteris Pauli Epiſtolis, hebraiſmi; quos, ſi Hebraice primum, vel Syriace ſcripta fuiſſet, frequentiores utique reperiremus. Ejus Author non juxta Hebræum, ſed juxta Græcam Verſionem Scripturas allegat, & ratiocinationes a Græcarum vocum ſignificationibus juxta Helleniſtarum, ſeu Græcorum ſtilum, depromptas quandoque interſerit: quæ ſi Hebraicarum vocum valorem ſervant, vim omnem amittunt. Septuaginta ex. g. Hebræum *Berith* ut plurimum vertunt *Diatheke*. *Berith* fœdus, *Diatheke* Teſtamentum ſonat: quare juxta Helleniſtarum idioma *confirmare Teſtamentum* fœdus *confirmare* ſignificat; Hujus Epiſtolæ Author, nulla habita ratione Hebraicæ ſignificationis vocis *Berith*, *Diatheke*, teſtamentum, uſurpat; & hinc ratiocinium deducit, quod ad *fœderis* valorem nullatenus referatur. Hebræorum denique, de quibus meminit, nominum, v. g. *Melchiſedech*, interpretationem exhibet [3], unde argumenta depromit: quæ ſi Epiſtola ſcripta fuiſſet Hebraice, fruſtra, & extra rem prorſus caderent.

Veteres, qui hanc Epiſtolam a S. Clemente Græce verſam duxerunt, in quam ſententiam, poſt Euſebium Cæſarienſem vulgo conceſſum eſt, S. Clementem Hebræum natu minime fuiſſe, ipſumque Hebraici idiomatis peritum nullo argumento exhiberi poſſe non animadverterunt. Priſci ſaltem Scriptores eumdem aut Græcum putarunt, aut Romanum. Nulla itaque veri ſpecies, quod Epiſtolam ad Hebræos ex Hebræo in Græco tranſtulerit. Qui vero eidem Clementi Epiſtolam omnino adſcribunt, meliori quidem ratiocinio ducuntur, ſed falſum prorſus enunciant, ut nos præcedenti articulo ſatis oſtendimus. Hujus igitur Epiſtolæ Author certe Paulus, qui eamdem, ſicuti & ceteras, Græce exaravit. Ita Origenes, & Critici peritiores [4].

ARTICULUS III.

Ubi, quando, ad quos, & qua occaſione hæc Epiſtola ſcripta fuerit.

ANte Jeroſolymitani Templi everſionem hæc Epiſtola ſcripta eſſe ex iis ſatis præfertur, quæ de Sacerdotibus Legis Sacrificiis Author enunciat; qui adhuc eamdem in Italia ſe dediſſe oſtendit, quod Hebræis Italorum Fratrum nomina valedicat [5]: *Salutant vos de Italia Fratres*. S. Chryſoſtomus [6], Theodoretus [7], Mſ. Alexandrinum [8], aliique nonnulli Romæ ſcriptam eſſe perhibent [9], paulo ante, vel paulo poſt quam Paulus ſuis vinculis ſolveretur: alii vero in quadam ex Italiæ Urbibus datam malunt; ſi enim Romæ ſcripſiſſet, Apoſtolus, id ſaltem vel inſinuaſſet, neque Hebræos Italorum, ſed Romanorum Fratrum nomine ſalutaſſet.

Utcumque id fuerit; eam profecto ſcripſit, cum vinculis omnino ſolutus, vel proxime ſolvandus eſſet, de his enim, veluti de re præterita meminit (10): *Nam & vinculis meis compaſſi eſtis*: ſeque una cum Timotheo ad eos adventurum pollicetur. Nos itaque cum veterum & recentiorum Interpretum, & Chronologiſtarum plurimis (11), anno Chriſti 63., Neronis imperantis 10. hanc Epiſtolam Paulum dediſſe tum credimus, cum poſtquam biennio Romæ carcere detentus fuerat, tandem fuit a Nerone dimiſſus. Paulo poſtquam ad Philippenſes (12) & ad Philemonem (13), ſcripſit, quos etiam ſe citius inviſurum ſpondet.

Cum Judæi increduli Fideles Hebræos acriter vexarent (14), cumque eorum bona impune invadantes ad miſerrimam egeſtatem eos redegiſſent (15); miſerorum ſolatio hanc potiſſimum ad eoſdem Epiſtolam miſiſſe Apoſtolum arbitramur, qua ad patientiam, & ad Divini Judicii expectationem omnes hortatur: unaque forte ſtudet, ut a mœrore quem de Jacobi Minoris ſui Epiſcopi, circiter ante annum, Anano jubente, e Templi faſtigio deturbati funera perceperant, animos erigant, ſolatioque ſequieſcant (16): Huc forte intuebatur, cum ſcriberet [17]: *Mementote Præpoſitorum veſtrorum; qui vobis loquuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum, converſationis imitamini fidem*. Gratias prætereæ iis agit, quod ſibi vinculis obſtricto condoluiſſent (18).

Cum veritatis lumen in omnes regiones effundere appeteret, & de Legalium, & Sacrificiorum, quæ in Templo offerebantur, vanitate, ſicut ſibi perſuaſum fuerat, ita ceteros perſuaſos vellet, de Chriſti magnitudine primo ſermonem inſtituit, cumque laudibus cumulatum & Angelis, & Moyſi præfert. Ejus deinde Sacrificii, & Sacerdotii virtutem confirmat; hinc Sacerdotii Aaron, & Sacrificiorum legalium abrogationem concludit; novum Fœdus, novumque Teſtamentum, quod Vatari ſucceſſurum Prophetæ promiſerunt, Chriſti eſſe Religionem oſtendit. Longo demum Patriarcharum, Prophetarum, & Veteris Teſtamenti Sanctorum, quorum meriis & Fidem effert, catalogo intexto, per Fidem nos Deo acceptos fieri demonſtrat.

Cum vero non modo apud Judæos incredulos invidiam ſui nominis creatam ſciret, ſed etiam apud Judæos infideles, quod ſe Legis, & cæremoniarum hoſtem ducerent; prudenter nomen ſuum reticet, ſuumque Apoſtoli dignitatem neque initio præponit, neque uſpiam per totam Epiſtolam inter-

(1) *Strabo l.16.* (2) *Vid. Heb. 1. 7. & 2. 7. & 4. 12. & 5. 6.* (3) *Hebr. 7. 2.* (4) *Eſt. Prolog. in Ep. ad Hebr. Du Pin. Spanhem. de Aut. Ep. ad Heb. p. 2. c. 2. Mill. var. lect. in Ep. ad Hebr. Grot. Piſc. Jac. Capell. Ligfoot. Hamm. Le Clerc. aliiplures.* (5) *Heb. 13. 24.* (6) *Chryſ. in Ep. ad Rom. Prolog.* (7) *Theodoret. Prolog. in Rom.* (8) *Mſ. Alex. ad calcem hujus epiſt.* (9) *Capell. append. ad hiſt. Apoſt. Spanhem. part. 2. c. 4. n. 8. Baron. Blondel. Uſſer.* (10) *Hebr. 10. 34.* (11) *Chryſ. Theodoret. Prolog. in Ep. ad Rom. Theophyl. Prolog. in Ep. ad Heb. Baron. Blondel Uſſer. Spanhem. Tillemont. alii paſſim.* (12) *Philipp. 2. 26. Per meum adventum iterum ad vos.* (13) *Philem. verſ. 22. Para mihi hoſpitium, nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* (14) *Hebr. 10. 32. 33.* (15) *Heb. 10. 34.* (16) *Ann. Chriſt. 62. in Paſchat. feſt. Vide Euſeb. l. 2. c. 23. hiſt. Eccl.* (17) *Hebr. 13. 7.* (18) *Heb. 10. 34.*

ſerit [1]. Veritates autem, quas ſtabiliendas aggreditur, ita confirmat, validis adeo argumentis fulcit, eaque animi moderatione proponit, ſut vel pervicaciores & ab eo magis alieni, dulci quadam vi in ejus ſententiam pertrahantur. Præterea, quod proprie Hebræorum non eſſet Apoſtolus [2], ſapienter a ſuo nomine abſtinuit, ne quod ad ſolamen, & documentum ſcripſerat, in offenſionem, & perniciem verteretur. *Principium ſalutatorium*, inquit Auguſtinus [3], *de induſtria dicitur omiſiſſe, ne Judæi, qui adverſus eum pugnaciter oblatrabant, nomine ejus offenſi, vel inimico animo legerent, vel omnino legere non curarent, quod ad eorum ſalutem ſcripſerat*. Illud etiam accedit, quod propter ſtudioſiſſimam erga Chriſtum, de quo per totam Epiſtolam diſſerendum ſibi ſtatuerat, reverentiam, a ſuo nomine, & dignitate abſtinuerit [4].

Quod Pauli nomen ab Epiſtola non præferatur, quoſdam ideirco Pauli non eſſe opinatos ſcimus [5]. Veteres quidem, ut eam Paulo eriperent, hoc uſi ſunt argumento [6]. Alii Epiſtolæ initium intercidiſſe cenſuerunt [7]. Nos vero in adverſarios argumentum cum Primaſio optime retorquemus [8]: Si enim Pauli non fuerit hæc Epiſtola, quod Pauli nomen non præferat; neque erit alterius, cum nullius nomine inſcribatur; vel ad ſummum, ſi ad aliquem, ad Authorem incognitum, & anonymum pertinebit. Verum iis characteribus hanc Epiſtolam inſtrui, ut Paulo omnino tribuenda ſit, & revera a Græcis ſemper, a Latinis vero quarto ab hinc ſæculo ei adſcriptam fuiſſe, ſatis ſuperque paulo ante oſtendimus: quare & in præſentia Paulus ejuſdem Author recenſendus eſt, quamquam in ea Pauli nomen non legitur.

Veterum, & Recentiorum Interpretum plerique ad Jeroſolymæ & Palæſtinæ Judæos hanc Epiſtolam directam ſtatuunt [9], quibus ſane Hebræorum nomen potiſſimum congruebat, cum ceterorum Provinciarum Hebræi Helleniſtarum nomine appellarentur. Cum Apoſtolus ad eos inviſendos ſe adventurum [10] ſpondet, nonniſi Palæſtinos, & Jeroſolymitanos præſertim alloquitur: quomodo enim omnes omnino Imperii Provincias ſe peragraturum promitteret? Ceterum eos peculiariter deſcribit, ubi eos æquo animo bonorum rapinam pertuliſſe meminit [11]. Judæi, qui nomen Chriſto dederant, crudelioribus in Judæa, quam in ceteris orbis partibus, calamitatibus ab ipſis eorum fratribus afficiebantur, quod Hebræi Fidei hoſtes potentiores ibi eſſent, & ſtudioſiores, ut Chriſti nomen prorſus everterent.

Si vero Paulum ad Palæſtinæ Judæos potiſſimum ſcripſiſſe conſtat, quomodo cum eo cohæreat, quod ante aſſeruimus, videlicet S. Petrum de hac ad Hebræos Epiſtola, in ſua ad eoſdem per varias Aſiæ Provincias effuſos, idcirco meminiſſe, quod Petrus ad eoſdem, ad quos & ipſe, Apoſtolum jam ſcripſiſſe ſentiret?

Hanc eveturus objectionem Spanhemius [12] reſpondet, 1. eam forte Epiſtolam ad omnium Aſiæ Provinciarum Judæos fuiſſe directam; quod utique iis, quæ ante diximus, innixi penitus improbamus. 2. Apoſtolum ad Palæſtinæ Hebræos potiſſimum ſcripſiſſe, & ea propter iis præſertim ſe cito ad eos adventurum promiſiſſe: quo tamen minime prohibebatur, quominus Epiſtola ad omnes, ad quos Petrus poſt annum circiter ſcripſit, perveniret; quare Petrus de captu difficillimis antea Paulum ad eos ſcripſiſſe, merito in eorum memoriam reduxit. Hæc plauſibilior, quæ afferatur, ſolutio; ſed nihilominus pluribus difficultatibus adhuc obvolvitur.

Illud utique in hac Epiſtola animadvertendum, quod Paulus ſolos Hebræorum fideles alloquatur, neque ullo vix documento eorum Præſules inſtituat [13]. Hebræos tantummodo rogat, ut ſuis Præſulibus ſuo nomine ſalutem impertiant, ut eiſdem cultum, & obedientiam præſtent, ut eorum mores, & fidem imitentur, ut denique munera omnia erga ipſos æquo animo adimpleant. Quod quidem in Pauli ſapientiam & modeſtiam referendum ducimus; Eccleſiæ enim Jeroſolymitanæ Præpoſitis, qui vel ex Apoſtolis erant, vel ex Chriſti Diſcipulis, in quos nulla ſibi erat authoritas, ſe noluit Præceptorem exhibere.

Animadvertendum præterea, a Vetuſtis plurimis Mſs. [14], & ab iis ferme omnibus, quæ D. Epiphanius evolvit [15], a Theodoreto, a Synopſis ſub Athanaſii nomine Authore, ab Euthalio, a Mſ. Alexandrino, & ut alia plurima prætereamus, ab altero Coiſlinianæ Bibliothecæ vetuſtiſſimo [16] quinti nempe, ut ajunt, vel ſexti ſæculi, ſtatim poſt ſecundam ad Theſſalonicenſes hanc ad Hebræos Epiſtolam recenſeri. Qua de cauſa id præſtitum fuerit, incertum. Sunt qui putent, ut Epiſtolæ ad Eccleſias ſimul congeſtæ, ab iis, quas Paulus ad quoſdam peculiariter dederat, ſecernerentur [17]. Eccleſia, juxta Theodoretum [18], poſt Epiſtolas ad Theſſalonicenſes hanc ſtatim conſtituit, ut inter Canonicas Epiſtolas, & inter Pauli opera & hanc a ſe enumeratam oſtenderet. Addit præterea Theodoretus, hanc inde ab Arianis amotam poſt Epiſtolas ad Titum & Philemonem locatam fuiſſe, ut eam S Paulo eriperent, & canonicam ejus authoritatem everterent.

ARTICULUS VI.

De Canonica authoritate Epiſtolæ ad Hebræos.

POſtquam hanc Epiſtolam S. Paulo tribuendam ſatis aperte probavimus, an inſpirata, ſeu canonica ſit, facile eſt pronunciare. S. Paulum Authorem ſpiritus Sancti lumine perfuſum, nemo unquam negavit; qui vero canonicam hujus Epiſtolæ authoritatem oppugnant, eo ducuntur, vel quod Pauli non eſſe defendant, ut Ariani [19], vel quod vitiatam, & præciſam velint, ut Marcionitæ [20]. S. Clementem Papam, cui eam nonnulli tribuere, inter Divinos & inſpiratos Authores Eccleſia numquam recenſuit. Sententia, quæ S. Lucæ, ſeu Barnabæ eam adſcribit, nullo argumento valide probatur. Si igitur hæc ad Hebræos Epiſtola ab Apoſtolo contexta fuit, ut luce clarius oſtendimus, & inſpirata ducenda eſt, & Divinæ Authoritatis habenda.

Ad hanc canonicam authoritatem, quam veluti intrinſecam appellamus; potiſſimum Patrum teſtimonium, & unanimis Eccleſiæ conſenſus accedit. Græci ſemper, Latini vero a quarto & quinto ſæculo veluti canonicam exceperunt. Sanctus Clemens Ale-

(1) *Clem. Alex. apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 6. c. 14. Hieronym. catalog. voce Paulus. Quia Paulus ſcribebat ad Hebræos, propter invidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputavit. Idem in Epiſt. ad Gal. 1. Theodoret. Ambroſiaſt. Chryſoſt. Præf. in Epiſt. ad Hebr.* (2) *Clem. Alex. apud Euſeb. lib. 6. cap. 6. hiſt.* (3) *Auguſt. Expoſit. inchoata ad Rom. num. 11. pag. 911.* (4) *Clem. Alex. loc. citato, Theodoret. apud Oecumen. Hier. in cap. 1. ad Galat. Non fuit congruum, ut ubi Chriſtus Apoſtolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apoſtolus poneretur.* (5) *Cajet. Calvin. Eraſm. Grot. Camero.* (6) *Vide Athanaſ. Dialog. 1. de Trinit. & Theodoret. Proleg. in Ep. ad Hebr.* (7) *Gerhard. & Hyper. in Ep. ad Hebr.*

(8) *Primaſ. Præfat. in Ep. Pauli: Si propterea Pauli non erit, quia ejus non habet nomen, nec alicujus eſt, quia nullius nomine titulatur. Quod ſi abſurdum eſt, ipſius magis credenda eſt, quæ tanta doctrina ſuæ fulget eloquio.* (9) *Chryſoſt. Theodoret. Theophyl. Ambroſiaſt.* (10) *Heb. 13. 23.* (11) *Hebr. 10. 34.* (12) *Spanhem. de Auth. Ep. ad Hebr. part. 1. c. 2. n. 8. 9.* (13) *Hebr. 13. 17. &c.* (14) *Alex. parv. 3. Roe. 2. Colb. 7. Tres Miſſ. penes Bezam, & Cod. 29. Biblioth. Coiſlin.* (15) *Epiphan. hæreſ. 42. Marcionis.* (16) *Cod. 202. Biblioth. Coiſlin.* (17) *Beza, Mill.* (18) *Theodoret. Præfat. in Ep. ad Hebr.* (19) *Vid. Theodoret. Præfat. in Ep. ad Hebr.* (20) *Epiphan. hæreſ. 42. Hieronym. Proœm. in Ep. ad Titum.*

Alexandrinus [1], Origenes [2], Euſebius [3], Dionyſii Alexandrini, & Concilii Antiocheni ad Paulum Samoſatenum Epiſtolæ, Alexandri Alexandrini ad Concilium Conſtantinopolitanum Epiſtola [4], S. Athanaſius (5), S. Cyrillus Jeroſolymitanus [6], Concilii Laodiceni canon ſexageſimus, S. Epiphanius [7], S. Baſilius (8), S. Gregorius Nazianzenus [9], S. Gregorius Niſſenus [10], S. Amphilochius [11], S. Gregorius Thaumaturgus [12], Titus Boſtrenſis [13], S. Ephrem (14), & alii canonicam & Divinam & acceperunt, & allegarunt, & Hæreticorum nota eamdem rejicientes inuſſerunt.

Theodoretus (15) veteres increpat, quod hanc Epiſtolam rejecerent contra Eccleſiæ, quæ ſua jam ætate veluti S. Pauli fœtum agnuverat, authoritatem, & contra ipſum Euſebii teſtimonium, qui veluti a Paulo exaratam & canonicam eamdem jam allegaverat, quamvis hunc ſuorum dogmatum Patronum appellarent. S. Hieronymus hæc habet: *Illud noſtris dicendum eſt*, inquit Hieronymus (16), *hanc Epiſtolam, quæ inſcribitur ad Hebræos, non ſolum ab Eccleſiis Orientalibus, ſed ab omnibus retro Eccleſiis, & Græci ſermonis Scriptoribus quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi*. Et alibi etiam abſolute ait (17): *Epiſtolam ad Hebræos omnes Græci recipiunt, & nonnulli Latinorum*.

Diutius equidem Latina Eccleſia rem perpendit, & ſerius Paulum ejus Authorem agnovit, & inter canonicas eamdem recenſuit. Euſebii Cæſarienſis, Hieronymi, Auguſtini, Philaſtrii, Iſidori Hiſpalenſis, & Rabani Mauri ea de re ſententiam ſupra attulimus. Cajus Eccleſiæ Romanæ Presbyter, anno 210. Pontifice Zephirino regnante, Romæ diſceptans, omiſſa Epiſtola ad Hebræos, ceteras Pauli tredecim tantum enumerat. Author Commentarii in Apocalypſim ſub nomine S. Victorini, nihil habet de Epiſtola ad Hebræos, Hilarius Diaconus, & Pelagius, qui Apoſtoli Epiſtolas interpretati ſunt, hanc ad Hebræos prætermiſere. Neque Cyprianus, neque priorum trium ſæculorum Patres eam unquam producunt; Euſebius vero ſua adhuc ætate a pluribus Eccleſiis veluti a Paulo alienam teſtatur (18).

S. Hieronymus inter canonicas Scripturas a Latinis Eccleſiis non recenſeri ſolitam affirmat (19): *Quod ſi eam Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas &c.* Alibi etiam (20): *Paulus Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias: octava enim ad Hebræos a pleriſque extra numerum ponitur*. Et alibi (21): *Eam Latina conſuetudo inter Canonicas Scripturas non recipit*. Alibi demum (22) *De monte hoc* (Sion), *& de hac Civitate* (Jeruſalem) *& Apoſtolus Paulus, ſi tamen in ſuſcipienda Epiſtola* (ad Hebræos) *Græcorum authoritatem Latina lingua non reſpuit &c.* D. Auguſtini ætate ab ea inter Canonicas recenſenda abſtinebant, quod Pauli ſalutationem ei præpoſitam non invenirent (23). *Unde nonnulli eam in Canonem Scripturarum recipere timuerunt*. Quo etiam S. Doctore teſte, plerique Paulum ejus Authorem eſſe, nonnulli vero non eſſe, defendebant (24). *Quamplures Apoſtoli Pauli eſſe dicunt; quidam vero negant*.

Auguſtinus nihilominus in Libris de Doctrina Chriſtiana (25) quatuordecim Pauli Epiſtolas enumerat, adeoque inter ceteras, quarum nullum diſcrimen, hanc etiam recenſet, eamque veluti canonicam ubique allegat; quam & Carthaginenſe Concilium (26) Librorum Sacrorum Catalogo inſertam exhibet. S. Hieronymus, qui ei quandoque parum favere videtur, eam ſæpe tamquam Scripturam Sacram laudat & in Epiſtola ad Dardanum veterum potius, quam Latinorum quorumdam eam reſpuentium, authoritati adhærens, ſe veluti canonicam excipere profitetur (27): *Nos tamen utraque* (Apocalypſim, & Epiſtolam ad Hebræos) *ſuſcipimus, nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum authoritatem ſequentes, qui plerumque utriuſque abutuntur teſtimoniis, non ut interdum de apocryphis facere ſolent, ſed quaſi Canonicis & Apoſtolicis*.

A quarto & quinto ſæculo tamquam Pauli & canonicam a Latinis Patribus ſæpiſſime allegatam ſcimus, videlicet a S. Hilario (28), Lucifero Calaritano (29) S. Ambroſio [30], Rufino (31), Salviano (32), Caſſiano [33], Innocentio I. in Epiſtola ad Exuperium, Hilario Diacono, ſeu Ambroſiaſtro in ſecundam Epiſt. ad Titum c. 1. Phœbadio (34), Victorino (35), & denum a ceteris, quos ad Latinorum Patrum eam tamquam Pauli excipientium Traditionem comprobandam, paulo ante recenſuimus. Concilia etiam, MSS. & Eccleſiæ Latinæ Scriptores in Scripturarum Canonicarum Catalogis, quos exhibent quatuordecim Pauli Epiſtolas enumerant.

Latini priorum etiam ſæculorum Authores non deſuere, qui hanc veluti Divinam produxerint, S. Clemens Papa in ſuis ſæpe Operibus & phraſes, & ejus loca inſeruerit, quamvis ejuſdem Authorem non prodat. S. Irenæus in Libris contra hæreſes ejus authoritatem adhibet (36). Tertullianus (37) eamdem allegat, quamvis alibi S. Barnabæ adſcribat. Novatianus in libro de Trinitate cap. 15. ejuſdem teſtimonium producit. Hieronymus (38) a Veteribus Latinis exceptam inſinuat, cum Veterum authoritati inhærens, quidquid ſibi velint Recentiores, eam ſe ſuſcipere profiteatur: *Nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum authoritatem ſequentes*. Stephanus Gobar ab iis [39], qui Epiſtolam ad Hebræos receperunt, Hippolytum & Irenæum tantummodo excipit; & inter eos, qui Apoſtolum ejus eſſe Authorem agnovere, S. Clementem Papam, & Euſebium recenſet. Ceterum ab Irenæo tamquam canonicam allegari paulo ante meminimus. Ipſi Ariani in hæreſis exordio eam minime rejecerant; Marcion denique ejus Authorem Paulum non negavit, ſed ab aliis vitiatam cenſuit.

Novatianorum hæreſim, quæ ſub tertii ſæculi exitum irrepere cœperat, in cauſa eſſe credimus, quod Latina Eccleſia ab hac Epiſtola inter Canonicas recenſenda tamdiu abſtinuerit; cum enim Hæretici illi quibuſdam ejus locis [40] ad ſuos de pœnitentia errores comprobandos abuterentur, ſapienter Eccleſia ei Epiſtolæ authoritatem adjungendam non eſſe cenſuit, quam nefarii in Fidei perniciem detorquebant. Cum vero deinde Ariani ſub quarti ſæculi exordium in Eccleſiam irruentes, ad ſuas in Conſubſtantialitatem & æternitatem Verbi hæreſes confirmandas aliis ejuſdem Epiſtolæ (41) locis improbe uterentur, ejus authoritatem e re fuit ſilentio

(1) *Clem. Alex. apud Euſeb. l. 6. cap. 14. hiſt. Eccl.* (2) *Origen. apud Euſeb. l. 6. c. 25. hiſt. Eccl.* (3) *Euſeb. l. 3. c. 32. hiſt. Eccl.* (4) *Apud Theodoret. l. 1. c. 3. hiſt. Eccl.* (5) *Athanaſ. de Nicæn. Decret. de Synod. Epiſt. ad Serapion. &c.* (6) *Cyrill. Jeroſ. Catech. 4.* (7) *Epiphan. hæreſ. 42. & 59.* (8) *Baſil. Conſtit. Mon. c. 22. & alibi.* (9) *Nazianz. carm. 34. & orat. 2.* (10) *Niſſen. de hypoſt. t. 3. p. 35.* (11) *Amphiloc. apud Greg. Naz. car. 125.* (12) *Greg. Thaumat. Expoſit. fidei altera.* (13) *Tit. Boſtr. comment. in Luc. 23.* (14) *Ephr. Syr. de virtut. & vit. p. 51. de torment. infern. p. 204. & alibi.* (15) *Theodoret. Præfatio in Epiſt. ad Hebr.* (16) *Hier. Epiſt. 129. ad Dardan.* (17) *Idem Epiſt. 126. ad Evagrium.* (18) *Euſeb. lib. 6. c. 20. hiſt. Eccl.* (19) *Hier. Epiſt. 129. ad Dardan.* (20) *Idem Epiſt. 103. ad Paulin.* (21) *Hier. Comment. in Iſai. 8.* (22) *In Zachar. 8.* (23) *Aug. Expoſit. inchoata in Epiſt. ad Rom. num. 11.* (24) *Aug. lib. 16. de Civitat. Dei cap. 22.* (25) *Auguſt. de Doctr. Chriſt. lib. 2. c. 8.* [26] *Concil. Carthag. I. I. I. c. 27.* (27) *Hier. Epiſt. 129. ad Dardan.* (28) *Hilar. l. 4. de Trinit. p. 21.* (29) *Lucif. Calar. de non conveniendo cum hæreticis.* (30) *Ambroſ. de fide ad Gratian. lib. 1. c. 4. &c.* (31) *Rufin. Expoſit. Symbol. apud Cyprian.* (32) *Salvian. l. 4. ad Eccleſ. Catholic.* (33) *Caſſian. collat. 1. c. 14.* (34) *Phœbad. lib. contr. Arianos.* (35) *Victorin. Afer adverſus Arium l. 1. 2. & tract. de Homouſ.* (36) *Iren. l. 2. c. 55. & l. 4. 21. 24.* (37) *Tertull. contr. Judæos c. 2. & contr. Marcion. l. 2. c. 8 & de Pudicit. c. 20.* (38) *Hieronym. ad Dardan. Epiſt. 129.* (39) *Apud Phot. Cod. 232.* (40) *Vid. Heb. 6. 4. & 6. & 10. 26. 27. & 12. 15. 16. 17.* (41) *Hebr. 1. 3. 4. & 3. 2.*

Digitized by Google

adhuc præterire. Marcionitas, qui ſecundo Eccleſiæ ſæculo Italiam inſeſtabant, eidem ſilentio ſatis conſuluiſſe Spanhemius arbitratur (1). Utcumque fuerit, illud ſane conſtat, quarto, & quinto ſæculo de Epiſtolæ ad Hebræos authoritate canonica Latinam Eccleſiam cum Græca conveniſſe: quod tredecim abhinc ſæculis Apoſtolus ſine diſcrimine ejus Author habeatur; quod denique eidem Apoſtolo vindicaverit etiam Tridentinum Concilium, a quo & inter canonicas, & inter Pauli Epiſtolas enumeratam ſcimus.

DISSERTATIO
DE MELCHISEDECHO.

Præclari adeo tantique ſunt characteres, quibus S. Paulus in ſua ad Hebræos Epiſtola Melchiſedechum (2) decurat, adeoque ſibi mutuo adverſari videntur, ut ipſe Apoſtolus de eo diſſerendi difficultatem fateatur, quamvis Hebræos Scripturarum peritos, & metaphoricas Synagogæ Doctorum explanationes audire ſolitos, alloqueretur (3): *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum*. Quibus Apoſtoli verbis, & rei magnitudine, & difficultate Hieronymus territus, a verbis de eo faciendis omnino abſtinuit, ſemperque abſtinuiſſet, niſi nimiis Evagrii amici ſui precibus, ut quidquam efferetur, tandem adductus fuiſſet (4). Alii vero Critici (5), poſtquam de Melchiſedecho hucuſque prodita, ſatis expenderint, rem multum adhuc abeſſe, ut e tenebris omnino emergat, enunciant. Sibi denique mutuo adverſantium de Melchiſedecho opinionum varietas nil niſi rem in dies captu difficiliorem fieri oſtendit.

Orientales & Græci fabulis addictiſſimi quamdam Melchiſedechi genealogiam effodiunt, per quam & avorum, & Parentum nomina producunt. Cum vero mendacium per ſui ipſius oppugnationem ſæpe corruat, alii hoc, alii illo modo eamdem genealogiam intexunt. Hi Ægyptum, illi Chananæum, alii Aſſyrium Melchiſedechum ſtatuunt. Plures cum Patriarcha Sem, plures cum Cham, plures etiam cum Enoch confundunt. Sunt qui Angelum, qui Divinam Virtutem, qui Spiritum Sanctum, qui denique ipſum Dei Filium conſtituant. Nonnulli a Phaleg Heber filio ejus originem ducunt; nonnulli cujuſdam Preadamitarum ſtirpis Genitorem appellant; alii tandem, ut Paulum, qui abſque patre, abſque matre, abſque genealogia Melchiſedechum aſſeruit, interpretentur, ex humili & pudenda progenie ortum cenſent; neque deſunt, qui nothum ſeu non legitimum defendant.

Varias has ſententias, & earum præcipua argumenta hic modo exhibebimus; & ubi, quæ omnino abſona ſunt, rejecerimus, quæ majorem veri ſpeciem præferunt, producemus.

S. Epiphanii ætate fuerunt, qui parentes Melchiſedechi certis nominibus deſignarent (6), *Heraclam* nempe, ſive *Heraclam* patrem illius, matrem vero *Aſtareth*, ſive *Aſteriam* appellantes. Catena Arabica (7) ejus genealogiam paternam ex Sem maternam ex Japhet derivans; *Heraclam*, ſive *Heraclim* patrem Melchiſedechi, filium *Phaleg* filii *Heber*, ſeu verius *Phaleg* nepotem, & *Heber* filium facit; matrem vero quam *Salathiel* appellat, filiam ſtatuit *Gomer* filii *Japhet*, filii *Noe*.

Joſephus (8) Gorionides, Hebræus Scriptor circa undecimum ſæculum (9), Melchiſedecho alterum nomen, *Joboram* nempe, ſeu *Joram* inducit, ſiduſque ejus ortui præſidens *Sedech* (Planeta eſt Jovis) appellat; Urbem vero, cui præerat, primum *Jebus*, dein *Sedech*, (unde nomen Melchiſedech, ſeu Regis *Sedech*) poſtea Salem denominatam, teſtatur. Ineptiis his refutandis non immoramur: ſatis ſit ea proferre, ut eorumdem vanitas dignoſcatur.

Michael Glycas (10), Georgius Cedrenus (11), & alii (12) Melchiſedechum ex Ægypto derivant, cui patrem tribuunt *Sidonem*, ſeu *Sidum*, urbis *Sidonis* conditorem, & filium Regis *Ægypti*. Illum vero adduot in monte Sion urbem *Salem* ædificaſſe, atque poſt exacta in virtutibus exercendis, & Virginitate colenda tredecim imperii annos, ſine liberis obiiſſe. Idcirco, ſubdit Cedrenus, a S. Paulo ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia appellatur; quod ex electa progenie ortum non duxerit, quod ejus parentes improbi fuerint, quod & ipſe in Chananiticis regionibus imperaverit.

Suidas (13) ex eodem, uti credimus, fonte, quo præfati Authores, nempe ex Libris apocryphis, Melchiſedechi ortum exhauſit. Hunc Dei Sacerdotem, Chananæorum Regem, in monte Sion urbis *Salem* (urbis nempe pacis) conditorem ſtatuit, & poſt Regni tredecim annos, ne ducta quidem uxore, vita exceſſiſſe tradit: quod denique ex Chananæorum improbo genere prodiiſſet, ejus genealogiam a Scriptura prætermitti teſtatur.

Cedo hic hiſtoriolam (14), ſeu verius fabellam depromptam ab incognito Authore Græco, & quidem vetuſtiſſimo, cum in Mſs. a ſeptem retro ſæculis exarata occurrat. Idem Author ut authoritatem operi ſuo adjungat, Athanaſii nomine, cum quidem Doctoris injuria, temere inſcribitur. Regina quædam, Salem appellata, in Urbe ejuſdem nominis imperans, filium Salaad peperit, Salaad ab uxore accepit Melchi; qui deinde Salem ducta, duos filios genuit, majorem natu Melchi, juniorem Melchiſedech. Cum autem Melchi utriuſque pater Diis (erat enim Ethnicus) immolare ſtatuiſſet, Melchiſedech filium ſeptem bobus ſeligendis miſit. Paruit ille; ſed inter eundum Divino lumine illuſtratus, vacuus ad Patrem rediit, cui etiam Idololatriæ vanitatem exprobravit. His dictis offenſus Melchi, filium ad quærendas iterum victimas miſit. Interim Salem uxorem allocutus e ſuis filiis alterum Diis omnino immolandum eſſe aſſeruit; quare majorem natu Melchi ſortito eductum ſacrificio deſtinavit. Tres ſupra quingentos filios eorum patres, & trecentas matres, aliaſque innumeras victimas una cum Filio Regis mactandas ultro obtulerunt. Redux Melchiſedech, cum tantum facinus ferre non poſſet, in montem Tabor ſe recepit, ibique a Deo flagitavit, ut terra dehi-

(1) *Spanhem. de Author. Ep. ad Hebr. part. 2. c. 8. art 11. 12. 13. 14.* (2) *Heb.* 7. 1. 2. 3. *&c.* (3) *Hebr.* 5. 11. (4) *Hier. ad Evagr. ſeu ad Evangelum: Fateor, volui diſſimulare ſententiam, nec me periculoſo immiſcere tractatui, in quo quodcumque dixiſſem, reprehenſores habiturus forem: ſed ruſus cum Epiſtolam relegerem & inveniſſem in extrema pagella miris me obteſtationibus adjuratum, ne ſpernerem peccatorem, revolvi Veterum Libros &c. Et poſt multa: Paulus difficultatem rei proœmio exaggerat, dicens: De quo multus nobis ſermo eſt, & interpretabilis. Si vas electionis ſtupet ad myſterium, & de quo diſputat, ineffabile confitetur, quanto magis nos vermiculi, & pulices ſolam debemus ſcientiam inſcientiæ profiteri?* (5) *Vid. Schlegel. quæſt. de perſona Melchiſed. initio, Spanhem. de Author Ep. ad Hebr. part. 2. c. 5. n. 3. Abul. Cajet.* (6) *Epiphan. hæreſ. 55. c. 2* (7) *In Geneſ. 9.* (8) *Ben. Gorion. l. 6. c. 38.* (9) *Vid. Baſnag. t. 7. c. 7. Edit. Pariſ.* (10) *Glycas Annal. p. 135.* (11) *Cedren. l. 1. p. 27.* (12) *Simon Logoth. apud Cang. ad Chronic. Paſc. p. 500.* (13) *Suidas in Melchiſed.* (14) *Apud Athanaſ. tom. 3. pag. 239. nov. Edit.*

Digitized by Google

dehiſcens omnes, qui ad Idolorum Templum convenerant, abſorbuſet. Quare non modo Templum, ſed & urbs ipſa & omnes incolæ repentino telluris ex concuſſione hiatu abſorti ſunt.

Quæ ut ille eo reverſus aſpexit, terrore correptus, montem Thabor iterum aſcendit, & opacam ſylvam ingreſſus, ibi ſeptennio ſubſtitit, ſine indumentis, ſylveſtribuſque tantum fructibus paſtus, rorem, quem ſuper herbas delapſum lambebat, in potum adhibens. Interim ejus ungues ad magnitudinem palmarem crevere, comæ ad uſque latera deſcenderunt, & teſtacea cruſta dorſi pellis incalluit. Septennio elapſo, Abraham a Deo monitus virum quæſivit; quem nactus veſtibus fovit, atque benedictionem ab illo a Deo juſſus, petit. Uterque deinde e monte deſcenderunt, & triduo poſt Melchiſedech oleo Abrahamum inunxit, benedixit nomenque Abram in Abraham commutavit. Succeſſu temporis, Abrahamo poſt cæſum exercitum Chodorlahomor, & fœderatorum regredienti occurrit Melchiſedech, vini pateram offerens, in quam latenter panis fruſtulum injecerat. Vinum illud non modo Abraham potui dedit, ſed trecentis etiam & duodeviginti viris, qui Abrahamum comitabantur, quippe trecentos & duodeviginti Nicæni Concilii Patres referebant; ſicut panis ille, & vinum oblationis in noſtris Altaribus faciundæ myſterium urant.

Si ſolummodo ejus novitas perpendatur, tota fabella facile corruit. Concilii Nicæni veluti diu antea peracti meminit: Melchiſedech Sacerdotem Altiſſimi in æternum manere, Author ſtatuere videtur. Apud Veteres de Melchiſedechi parentibus perpetuum ſilentium, & de eodem Pauli teſtimonium per ſe ipſum corrueret, ſi eorum ſolo verbo Scriptura meminiſſet. Omnes denique hujus fabellæ inanes circumſtantiæ ejus commentum & vanitatem præferunt.

Ad graviora nos convertamus. Author quidam [1], cujus & nunc opuſculum in tertio recens excuſo Auguſtini volumine [2], Melchiſedechum non hominem fuiſſe, ſed Spiritum Sanctum, qui ſpecie hominis aſſumpta, Abrahamo ſe videndum obtuliſſet defendit.

Opuſculum iſtud *Evagrius*, ſeu verius *Evangelus*, vel *Evangelius* [3] ad S. Hieronymum tranſmiſit, ejus de eodem ſententiam rogans. Cum igitur ea occaſione S. Doctor veteres Patres conſuluiſſet, deprehendit Origenem, & Didymum in ea eſſe ſententia, ut Melchiſedechum Angelum crederent: verum, inquit, S. Hyppolytus, Irenæus, Euſebius Cæſarienſis, Euſebius Emiſſenus, Apollinaris, Euſtathius Antiochenus, diverſis quidem verbis, ſed uno ſenſu, virum Chananæum fuiſſe, & Regem Salem, alio nomine Jebus, ſive Jeruſalem, ſatis conveniunt. Hæc utique ſententia plurimos præ ceteris nacta eſt fautores, & magis ad veri ſpeciem accedit. Oſtendit præterea Hieronymus, hunc Regem ſatis expreſſam Jeſu Chriſti figuram exhibuiſſe, utpote qui Rex Salem, ſive Rex pacis eſſet, Rex ſimul & Sacerdos; Sacerdos vero in æternum ante Legem, ut Jeſu Chriſti Sacerdotium præſignaret. Ejus inſuper Genealogiæ, atque parentum in Scripturis nullam fieri mentionem, non quod ille Dei unius manu efformatus, e cœlo dilapſus eſſet, ſed quod in Abrahami hiſtoria recenſeatur, ne indicata quidem ejus genealogia, atque obitus vel ortus tempore. Hæc omnia myſterium contegunt, quod quidem Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos divina nobis eloquentia referat.

En argumenta præcipua, quibus Auctor ille Melchiſedechum Spiritum Sanctum eſſe convincere nitebatur. 1. Melchiſedecho alia ab Abrahami, & humana præſtantior debuerat eſſe natura; cum Abraham meritis & virtute tantus vir, cum eo collatus minimus exhibeatur: *Sine dubio quod minimum eſt a meliore benedicitur*, inquit Apoſtolus, cum de [4] benedictione ageret, quam Abrahamo Melchiſedechus impertiit. Sacerdotes ordinarii ſibi ipſis interdum longe juſtioribus benedicunt: quare Sacerdotium illud coram Deo eminentiorem virum per ſe ipſum minime conſtituit. Cum igitur Melchiſedechus neque meritis, neque juſtitia, neque Sacerdotio Abrahamo præſtantior eſſe potuerit, reliquum eſt, ut ei natura præſtiterit. *Per hoc apparet Melchiſedech ultra hominem eſſe, quia non erat, unde melior eſſet Abraham, niſi ſola præcedat illum natura.*

2. Melchiſedechi ſeu principium, ſeu finem, ſeu Genealogiam, ſeu parentes reperire non fuit: ille neque nativitate cœpit, neque conſumptus eſt obitu: nonne igitur Deus habendus? 3. Utique & juxta Apoſtolum, *Aſſimilatus Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum* [5]. Filii vero Dei ſimilitudinem referre non poteſt, niſi eadem natura potiatur. Filius itaque Dei primus Sacerdos in æternum, Melchiſedech ſecundus eſt reputandus. Filius Vicarius eſt atque Altiſſimi Sacerdos; is profecto eſt & Spiritus Sanctus: quamvis vero uterque per eamdem naturam conſtituantur, Perſonarum ordo expoſcit ut Filius ante Spiritum recenſeatur.

Quibus omnibus ita occurrimus. 1. Apoſtolus per totam ad Hebræos Epiſtolam, & hic potiſſimum de Melchiſedecho diſſerens, juxta tunc temporis Judæorum morem, de Chriſti Sacerdotio, quod cum Sacerdotio Aaron confert, allegorice loquitur. Quod Melchiſedech Chriſtum, ejuſque Sacerdotium referret, eum idcirco Aaron præſtantiorem oſtendit. Vel de eo meminerit, vel de illo Scriptura ſiluerit, in ejus laudem vertit. Quidquid Sacri Libri de Melchiſedecho præclarum ferunt, in Chriſto penitus adimpletur. De ejus ortu, morte, & genealogia ſilentium myſterio vacuum non cenſetur ab ipſo Apoſtolo, qui ad Melchiſedechum, & Jeſum Chriſtum præ Aarone efferendum, inde argumentum derivat.

2. Ei utique, de quo explicantur, quæ de Melchiſedecho afferuntur, allatæ rationes optime congruunt: quæ, ſi de alio quolibet enuncientur, omne ſtatim robur amittunt. Quid enim convinceret, qui ita argueret: Seu Parentum, ſeu ortus, ſeu obitus Thesbitæ Eliæ Scriptura non meminit; ille eſt igitur æternus, atque immortalis? Apoſtolus præterea ad Fideles de Chriſti Divinitate, ejuſque æterno Sacerdotio jam certiores, allegoricis Scripturarum explicationibus aſſuetos alloquebatur, quæ quidem dicendi methodus alios minime urgeret. Melchiſedechum enim Meſſiam exhibuiſſe, Meſſiam vero æternum Sacerdotem eſſe atque immortalem, principio ſimul & fine prorſus immunem, Deum denique verum, verumque hominem eſſe ſi quis Ethnico enunciet, ille ænigma quoddam ſibi proponi putabit, eaque omnia, ſibi perſpicue probentur expoſcet. Apoſtolus vero eos, quos alloquebatur, de his omnibus optime conſcios narat.

3. Benedicentem in hac ſaltem cæremonia eo, cui benedicitur, præſtantiorem eſſe ultro fatemur; quare hac habita ratione, Abrahamo digniorem Melchiſedechum agnoſcimus. Hic vero nos de Abrahami virtutibus, aut meritis eum Melchiſedechi ſanctitate collatis minime inquirimus; ſermo tantummodo fit de benedictione, quam Sancto Patriarchæ Sacerdos ſanctus impertiit. Ea in actione Melchiſedechum Abrahamo majorem inficiatur nemo. Hinc vero alterius fuiſſe naturæ, induci non poteſt, quin plua æquo ratiocinatio Apoſtoli protrahatur. Allegorica

[1] Is Author creditur eſſe Hilarius Diaconus Romanus ſub Liberio, poſtea Schiſmaticus Luciferianus. *Bellarminus l. 1. de Sacram. c. 10. & l. de Script. Eccleſiaſt. Eraſmus præfat. in idem Opus, Viegas in Apocalypſ. 2. Eſtius in c. 7. Ep. ad Hebr. & alii credunt hoc opus eſſe, quod Evangelus ad S. Hieronymum tranſmiſit. Vid. nov. Edit. S. Auguſ.* [2] *quæſtiones ex utroque Teſtamento mixtim, p. 106. 107. 108. Similis Dei Filio non poteſt eſſe, niſi ſit ejuſdem naturæ. Et quid incredibile videtur, ſi Melchiſedech ut homo appareat, cum intelligatur tertia eſſe perſona? ... jam ambo ſimiles eſſe leguntur & unius eſſe diſpenſationis, quia unius ſunt & naturæ.* [3] *Vide nov. edit. S. Hieron. t. 2. p. 570.* ubi dicuntur omnia MSS. habere Evangelum. ſeu Evangelium pro Evagrio. [4] *Hebr. 7. 7.* [5] *Hebr. 7. 3.*

autem argumenta nimium numquam inveſtiganda.

4. Similitudo, qua Melchiſedechus Dei Filium refert, non naturam afficit, ſed Sacerdotium. Hic Pauli mens ſiſtit, neque fertur ulterius. Spiritus Sanctus numquam Sacerdos a Scriptura appellatur, numquam per hominis ſpeciem ſe Patriarchis videndum exhibuiſſe, numquam Abrahamo impertiſſe benedictionem, numquam ab eo decimas accepiſſe, numquam tandem in Salem imperaſſe narratur. Hæc omnia vere atque hiſtorice de homine referuntur. Apoſtolus utrque non Trinitatis Perſonam, ſed hominem cum Chriſto comparat. Hæc omnis Veteris Teſtamenti cum Novo collati œconomia, ut ſcilicet perſona aliqua conſtituatur in figuram Meſſiæ & ejuſdem ad eumdem Meſſiam relatio inſtituatur. Hic de Chriſto explicandus occurrit Melchiſedech, alibi vero vel Iſaac, vel Moyſes, ſeu David, Sampſon, Salomon. Paulus denique hic [*] *Filio Dei aſſimiliatum* Melchiſedechum aſſerit, adeoque eodem poſteriorem ſtatuit; omnino igitur abſonum, quod Melchiſedechus Spiritus Sanctus habeatur; is enim conſubſtantialis Filio eſt, coæternus, & prorſus æqualis.

Theodorus Trapezita, Theodoti Coriarii Diſcipulus, tertio ineunte ſæculo, hæreſim *Melchiſedechianorum* invexit [1]. Hanc ſectam, quod Theodoti Coriarii errores profiteretur, S. Epiphanius [2] Theodorianorum ramum appellat, qui Jeſum Chriſtum, licet e Matre Virgine ortum, & Spiritus Sancti virtute progenitum, hominem tantummodo eſſe defendebant [3]. Melchiſedechiani igitur Melchiſedechum non hominem eſſe, ſed cœleſtem Virtutem ipſo Jeſu ſuperiorem mentiebantur; Melchiſedech enim [4], dicebant, mediator eſt Angelorum; hominum vero tantum Chriſtus. Addebant, eumdem Chriſtum non niſi imaginem Melchiſedechi exhibuiſſe, juxta Pſalmum (5): *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Huic denique viro neque patrem fuiſſe, neque matrem, ejuſque principium & finem nullatenus comprehendi poſſe aſſerebant.

Hæreſim hanc S. Epiphanius fuſius refellit, & Melchiſedechum ex iis, quæ de eo ex Moyſe accepimus, & ex ipſis Apoſtoli verbis (6), *cujus generatio non annumeratur in eis &c.* hominem fuiſſe ſatis oſtendit. Non igitur, inquit, ſine genealogia Apoſtolus Melchiſedechum ſtatuit, ſed eam tantummodo inter Hebræorum genealogias non recenſeri admonet. Si Melchiſedechus, addit, Paulo teſte [†], *aſſimilatus eſt Filio Dei*, eodem Filius Dei prior eſt & ſuperior; non enim ſpecioſum habetur, quod Dominus v. g. ſervo, aut ſuperior inferiori aſſimiletur.

Suis fabellis aſſerendis Melchiſedechiani libellos quoſdam ſuppoſuerunt, quos canonicorum Authorum nominibus inſcribebant [7]. Hæc hæreſis brevi ceſſavit. Tertio exeunte ſæculo, ætate, qua Diaconus Hilarius ſuam, quam paulo ante poſt S. Hieronymum refutavimus, ſententiam prodidit, hanc hæreſim, apud Ægyptios innovavit Hierax, qui patria Leontinus, Scripturarum peritiſſimus, & profeſſione integerrimus, Melchiſedechum eumdem cum Spiritu Sancto eſſe venditabat.

Spiritum vero Sanctum æternum eſſe Sacerdotem inde probabat, quod Paulus ad Romanos ſcripſeris [8]. *Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Oſtendebat præterea Spiritui Sancto, non ſecus ac Dei Filio, neque Patrem fuiſſe in cœlis, neque in terris Matrem: quam opinionem apocrypho de Iſaiæ Aſcenſione Textu fulcire conabatur: *Et Angelus oſtendens mihi ſedentem a dextris Dei loquutus eſt ad me, dicens: Quis eſt ille? & ego dixi: Tu ſcis, Domine mi. Qui dixit: hic eſt Filius unicus & Dilectus Dei. Et ego rogavi dicens: Quis eſt ille ſedens a ſiniſtris, & ſimilis Filio Dei? Reſpondit Angelus: Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis, & in Prophetis, qui aſſimilabatur unico Filio Dei*. Poſtrema hæc verba ad locum Epiſtolæ ad Hebræos reſpiciunt: *Aſſimilatus manet Sacerdos in perpetuum*.

Quæ Hieracis argumenta ita evertimus, 1. Quod Spiritus Sanctus pro nobis gemitibus inenarrabilibus poſtulet, æternum eſſe Sacerdotem jure non ſtatuitur. Hos gemitus in nobis excitat; ad preces nos impellit; piis ſanctiſque votis nos imbuit; ut veniam mereamur, impertit, & quæ a Patre flagitamus, nobis conſequitur. Quæ tamen omnia nequaquam ut Sacerdos præſtat. 2. Plus nimio intercedit inter ea, quæ de Melchiſedecho a Scriptura afferuntur, quod ſcilicet parentibus, & principio, & fine careat, ne ejus parentum nomina, & ortus, & mortis tempora a Moyſe fuiſſe ſilentio prætermiſſa, deſignetur; & inter ea, quæ Hierax enunciat de Sancto Spiritu, cui utique neque principium, neque finem, neque parentes eſſe convenit, cum Deus & ipſe ſit æternus atque infinitus. 3. Aſcenſionis Iſaiæ authoritatem nihil moramur; illius enim opuſculi Authoreſ cui ab Eccleſia numquam ulla fides, iiſdem forte, quibus Hierax, erroribus adhærebat.

Aliud Melchiſedechianorum genus [9] Cedrenus, & Zonaras commemorant, quos appellatos dicunt *Atinganes*, quaſi ſcilicet, ne contaminarentur, alios attingere non auderent: recentiores erant, & Manichæorum ramus videntur. Circumciſionem, & Sabbathum reſpuebant; proprie neque Judæi erant, neque Ethnici, neque Chriſtiani. Eorum ſedes potiſſimum in Phrygia. Si quid illis offerebatur, manu capere renuebant: quin & a quibuslibet ex alio accipiendis abſtinebant; ſi quid enim alteri tradere, aut viciſſim recipere voluiſſent, illud vel in terra deponebant, vel depoſitum capiebant. Summus apud eoſdem Melchiſedechi cultus, cujus tamen rei gratia, ignoratur.

Judæi, authore S. Hieronymo [10], & Samaritæ, referente S. Epiphanio [11], Melchiſedechum eumdem eſſe ac Patriarcham Sem filium Noe putabant; quorum opinioni noſtra ætate quamplures adſtipulantur [12]. Sem natum credimus anno ab Orbe condito 1558. vixiſſe vero annos ſexcentos, & tandem anno 2158. occubuiſſe. Abraham natus anno 2008 annum agens 75. regionem Chanaan ingreſſus eſt ann. 2083. Melchiſedechi vero benedictione donatus eſt anno 2092. annis 66. antequam Sem e vivis excederet. Hinc Chronologia allatæ ſententiæ minime adverſatur; aliunde tamen argumenta ſuppetunt, quare minime credamus, quod Sem in Cham portionem ſe contulerit; & Scriptura, quæ toties Sem memorans, ejus verum propriumque nomen adducit, nulla de cauſa illud immutaverit.

Apoſtolus præterea Melchiſedechi genealogiam atque parentes omnino latere aſſerit. Sem vero Noe filium ſcimus; genealogiam etiam ab Abraham uſque ad ejus ortum, & ab ejus ortu uſque ad Abraham, & adhuc ulterius perſpicuam habemus. Moyſes denique ejus nativitatis & obitus annos recenſet. Qui vero nullos Altiſſimi Sacerdotes Abrahamo ſuperiores, præter ſolum Sem, tunc temporis exiſtere potuiſſe defendunt, pluribus obvolvuntur erroribus. Putant enim, Sem ex Noe filiis natu majorem, quod ſatis adhuc ambiguum; ſtatuunt præterea Sacerdotii dignitatem ad ſolos Primogenitos jure pertinuiſſe, quod pariter prorſus incertum. Quod de Abrahami meritis cum Sacerdotis ei benedictionem elargientis virtute collatis ante meminimus, hic præterimus. Quemlibet, Sacerdotem, cum alteri benedicit, alteri illi, in ea ſaltem cæremonia, præſtantiorem eſſe nemo ignorat.

Qui

* *Heb.* 7. 3. (1) *Theodoret. hæret. fabul. l.* 2. *c.* 6. (2) *Epiphan. hæreſ.* 55. (3) *Tertull. in Catalog. ad finem lib. de præſcript.* (4) *Tertull. loc. cit. Aug. hæreſ.* 34. (5) *Pſal.* 109. (6) *Hebr.* 7. 6. (†) *Hebr.* 7. 3. (7) *Vide Epiphan. hæreſ.* 55. *& Philaſtr. c.* 52. (8) *Rom.* 8. 26. (9) *Vide Cedren. Zonar. Scaliger. ad Euſeb. p.* 241. *Timoth. Presbyt. CP. de receptione hæretic. p.* 392. *t.* 3. *Monum. Græc. Cotelor.* [10] *Hier. Ep. ad Evang. & tradit. Hebr. in Geneſ.* [11] *Epiphan. hæreſ.* 55. [12] *Vid. Lyran. Abul. Gajet. Engub. in Geneſ.* 14. *Rupert. in Matth.* 2. *Genebr. de Arcan. l.* 10. *c.* 6. *Genebr. in Chronic. Torniel. Annal. Moller. in Pſal.* 110 *M* [illegible] *p.* 116. *Hugo Brougton, & Joh. Valleſ. Suarez,* [illegible] *apud Zenam & Schlegel.*

Digitized by Google

Qui Melchiſedechum cum Sem confundunt, illud prætirere, ut Hebræorum plurimi (1), & plurimi etiam ex veteribus & recentioribus Interpretibus (2) Rebeccam ad Melchiſedechi conſilium tum confugiſſe putaverint, cum de duobus parvulis, quos utero gerebat, illud audiverat: *Major ſerviet minori* [3].

Novus Author [4], ſententiarum temeritate celeberrimus, Melchiſedechum eumdem cum Cham eſſe defendit. Quomodo vero laudes, quibus Scriptura Melchiſedechum cumulat, & characteres ſimilitudinis, quos Melchiſedechum inter & Meſſiam Paulus oſtentat, cum iis cohæreant, quæ de Cham a Moyſe accepimus (5), qui, præterquamquod ei in filio ſuo Chanaam Deus maledixerit, potius reprobi nobis typum refert, quam Meſſiæ Prædeſtinatorum capitis figuram? Hæc ſane opinio ſatis ſuperque refellitur ab Authoribus, qui majori, quam res mereretur, ſtudio in eam data opera ſcripſerunt (6).

Gallus quidam in ſuo (7) Opuſculo, quod *Melchiſedech confutatus* inſcribit, Melchiſedechum eumdem eſſe præfert ac Patriarcham Henoch, qui adhuc e vita non exceſſit, & de quo etiam hic dicitur: *neque finem vitæ habet*. Quem Authorem Salianus valide retundit (8).

Alter, qui Librum quemdam edidit *Epiphaniam* inſcriptum, inſulſam hanc de tribus Magis fabulam intexuit (9). Hos enim eſſe defendit Henochum, Melchiſedechum, & Eliam. Tum de Melchiſedecho ita ſentit; cœleſtem nempe eſſe hominem, non terreno, ſed cœleſti conſtantem corpore, qui non ex Adami ſtirpe deſcendens, ante Adam ipſum, imo ante lucis & mundi exordium procreatus eſt a Deo. Cum vero de Melchiſedecho Apoſtolus ſcripſerit (10), *Aſſimilatum eſſe filio Dei*, inde ſtatim inducit, Filium Dei paulo ante Melchiſedechum ejuſdem cum Melchiſedecho naturæ procreatum: orbis initio quoſdam homines a Deo cœleſtes conditos, ut Dei Filium & Melchiſedechum; quoſdam vero terreſtres, ut Adam, defendit; ad quos Paulum reſpexiſſe autumat iis verbis (11): *Primus homo de terra terrenus; ſecundus homo de Cœlo cœleſtis*. Dominum tandem Jeſum bis hominem eſſe factum; primum cœleſtem, cum cœleſte corpus induit ſub orbis initium, deinde terrenum, carne e Virgine aſſumpta. Ab inani hac refutanda opinione abſtinemus, quod Petavius ejus vanitatem ſimul & impietatem validiſſime confutarit [12].

Judæorum nonnulli ex vitiato concubitu natum illum temere dictitarunt; cum ſive de jus genere, ſive de parentibus nihil in S. Scriptura (13); cujuſmodi nothorum parentes, quod incogniti & incerti ſint, ſilentio ſolent prætermitti. Illos Horatius ſuggillat [14], *nullis majoribus ortos*; Livius etiam de Anco Martio Romanorum Rege ait [15]: *Ancus patre nullo, matre ſerva*. Seneca demum [16] *Duos Romanorum Reges eſſe* aſſerit, *quorum alter patrem non habet, alter matrem: nam de Servii matre dubitatur: Anci pater nullus; Numæ nepos dicitur*. Verumtamen quod Scripturæ ſilentium hanc de parentibus Melchiſedechi rationem habuerit, non modo nullibi certo præfertur, ſed neque ullam veri ſpeciem oſtendit. Etenim ex eo ſilentio neque Melchiſedechi laudandi argumentum Paulus eruiſſet, neque ſimilitudinis cum Meſſia characterem induxiſſet.

Melchiſedechum Filium Dei eſſe, qui per hominis ſpeciem ſe Abrahamo videndum exhibuit, nonnulli Melchiſedechiani autumarunt [17]. Quæ quidem opinio identidem nacta eſt fautores; Theodoſio Juniore imperante, Solitarium Ægyptium Virum integerrimum in hanc ſententiam veniſſe ferunt [18]; quare ad S. Cyrilli Alexandriæ Archiepiſcopi conſilium confugiens, & ab eo ad preces remiſſus, Deum triduo exoravit; & ad Cyrillum reverſus, Melchiſedechum non eſſe Filium Dei, ſed hominem faſſus eſt, quem & Patriarcharum ab Adamo prognatorum comitem per viſum inſpexerat.

Eidem ſententiæ & Rabbini quidem ſubſcribunt (19), quam præ ceteris Petrus Cunæus enixe defendit (20). Porro vir iſte doctus omnes elegantiæ & eruditionis ſuæ nervos in eamdem ſententiam probandam intendit; ſive autem eruditione, ſive elegantia valet plurimum; ex quo argumentum capere licet quanto niſu in aſſerenda ſententia, ejus etiam confeſſione ſingulari, enitatur. Melchiſedechum ille non hominem, ſed Meſſiam ſtatuit, qui Abrahamo a quatuor Regum cæde regredienti ſe obvium exhibuit. Abraham vero, ſubdit, primo hominem credidit, ſed ſtatim majus quid, & divinius eum ducens, ut Meſſiam venturum agnovit, & muneribus & decimis cumulatum adoravit. Putat præterea eumdem Dei Filium aliquibus poſt annis a duobus Angelis ſtipatum iterum ſe Abrahamo obtuliſſe; quibuſcum & ejus tentorium ingreſſus, ejus quoque menſæ accubuit.

Hanc inter utramque apparitionem, addit Cunæus, illud tantum intercedit, quod ubi Filius Dei Abrahamo in convalle Mambre ſe exhibuit, perſpicue Dominus a Scriptura appellatur; ubi vero ei fuit obvius in itinere, Melchiſedechus dicitur; cujus rei myſterium Davidi & Apoſtolo aperiendum Scriptura ipſa reliquit. Quare David id præſtiturus in Pſalmis (21) enunciat: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, nempe ſicut Melchiſedech; quod utique Paulus fuſius tunc explicat, cum ſcribit e. g. Melchiſedechum *aſſimilatum eſſe Dei Filio*, nempe, eodem Cunæo authore, *Filium Dei, cum in via Abrahamo occurreret, eum vultum, eumque habitum corporis ſibi finxiſſe, quem poſtea geſſit in terris*.

Hunc denique, ait, reſpexit Jeſus, ubi dixit Judæis (22): *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum; vidit, & gaviſus eſt*. Quod tunc factum eſſe inſinuavit, cum Filius Dei, ſeu Melchiſedech Abrahamo ſe obtulit.

De Melchiſedecho quiddam affert Chronicon Paſchale, quod ad Cunæi opinionem ſatis refertur (23). Abraham die quadam Deum alloquutus, Domine, inquit, ſi Angelum tuum mea ætate miſſurus es, tribue quæſo ut videam. Cui Dominus: Angelum quidem meum non aſpicies, ſed ejus diei videbis imaginem. Deſcende, Jordanem trajice, & videbis. Flumen trajecit, Melchiſedechum ſibi obvium aſpexit, agnovit, adoravit, diem Domini vidit, & gaviſus eſt.

Hic vero Author a Cunæo valde diſcedit, quod Melchiſedechum a Cham prognatum, & a Deo extra patriam regionem uti Abraham, eductum putet; quem

(1) *Jonathan Jeroſolym. alii Rabb. pleriq.* (2) *Auguſt. q. 72. in Geneſ. Theodoret. q. 76. in Geneſ. Coſm. Monach. l. 3. p. 217.* (3) *Geneſ. 25. 23.* (4) *Jurieu hiſt. Critic. Dogmat. l. 1. Gallice.* (5) *Geneſ. 9. 22. 25. 26.* (6) *Lud. Bergeſ. hiſt. critic. Melchiſed. cap. 4. 5. Chriſtoph. Vichmanc hauſ. Melchiſed. ab injuria defenſ. Philipp. Olear. Diſput. de Cham Maledicto, apud Fabric. Cod. Pſeudepigr. V. T. pag. 333.* (7) *Vide Salian. in præfat. in tom. 5. Annal.* (8) *Salian. ibid.* (9) *Auzoles de la Peire impr. Pariſ. 1626. in 4.* (10) *Hebr. 7.* (11) *1. Cor. 15. 47.* (12) *Petav. tom. 3. Dogmat. Theol. Tract. de Opificio ſex dierum lib. 1. cap. 4. art. 3.* (13) *Apud Selden. curis ſecundis ſect. 1. de Decimis.* (14) *Horat. lib. 1. Sat. 6.* (15) *Liv. lib. 4. cap. 3.* (16) *Senec. Ep. 108.* (17) *Epiph. hæreſ. 55.* (18) *Coteler. Monum. Græc. tom. 1. pag. 423. 424.* (19) *Rab. Moſes Hadarſan.*

(20) *Petrus Cunæus de Republica Hebræorum lib. 3. cap. 3. Quoniam receptæ opinioni adverſari ipſa ratio mihi videtur, valentior eſſe omni authoritate debet veritas. Ego ſic exiſtimo, Melchiſedechum non hominem utique ex hominibus genitum, ſed divinioris naturæ fuiſſe . . . . . Profligaverat prælio Reges impios Abrahamus, & victrices reducebat copias. Forte tunc in itinere obvium ſe illi tulit Filius Dei ſpecie humana, habitu Sacerdotis, Regiſque indutus. Statim Abrahamus eſſe hoc majus quiddam, celſiuſque ſenſit. Itaque quod ſub imagine latebat, mente coluit, & Meſſiæ ſummo Regi, Sacerdotique, quem mortalibus olim dandum intelligebat, præſenti præſens munera, decimaſque obtulit.* (21) *Pſal. 109. 4.* (22) *Joan. 8. 56.* (23) *Chronic. Paſc. pag. 49. Editionis Cangii.*

quem præterea ultra ſeu ad Jordanis Orientem, ſicuti Abraham citra, ſeu ad Jordanis occaſum conſtitit, ſtationem ſibi poſuiſſe teſtatur. Qua tamen in re toto Cœlo aberrat, cum Authorum nemo Salem urbem, Melchiſedechi imperantis ſedem, ultra Jordanem conſtituat. His autem verbis, *Abraham diem Domini vidit*, vel Iſaaci ortum, vel eumdem ab immolantis patris cæde divinitus ereptum, Dominus deſignavit (1); vel forte ad eos Angelos reſpexit, quos ſibi obvios in convalle Mambre hoſpitio Abraham excepit, euſque ita alloquutus eſt, veluti Deum ipſum alloqueretur (2)

Ad Cunæum revertamur. Quidquid de Melchiſedecho recenſet Apoſtolus, de ſuo Melchiſedechi ſyſtemata explicat. Præ ceteris vero, iis Pauli verbis innititur (3). In Lege Levitæ *morientes homines accipiunt decimas*. Cum quibus illud Pſalmi conferens (4): *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; hic, inquit, de Melchiſedecho ceu vitam adhuc agente ſermo inſtituitur: ſi ergo Davidis adhuc ætate Melchiſedech ſuperſtes fuerat, minime equidem mortalis erat. Ceteras deniqua hujus loci interpretationes minimi facit, & prorſus rejicit: *Agant ſe, verſentque in omnes partes ii, quos & præſens, & prior ætas tulit; nihil niſi nubes, atque inania prenſabunt nequicquam, & ſuis ſe tenebris involvent*.

Hæc de Melchiſedecho ſententia probata etiam fuit Petro Molinæo, & annis poſt duodetriginta Jacobus Gaillard Tractatu fuſiori, anno 1686. Lugduni Batavorum excuſo, eamdem defendendam ſuſcepit. Melchiſedech non ſingularia hominis nomen, ſed genericum ſtatuit, quo Meſſias per ſuam *Juſtitiæ Principis* qualitatem innuitur, ſicuti alibi etiam per Sacerdotis æterni, pacifici Regis, Emanuelis nomina deſignatur; *Salem* vero non urbem peculiarem cenſet; ſed appallativum nomen, quo Meſſias Rex Pacis futurus prænunciatur. Opinionis ſuæ denique fautores plurimos allegat (5).

Chriſtophorus Schlegelus (6), qui fuſe de Melchiſedecho ſcripſit, fuſe etiam Cunæo refutando incumbit. Nos neque ejus methodum, neque prolixitatem imitantes, ſed Moyſis, Davidis, & Apoſtoli Textus ſimplici & naturali explicatione interpretantes, hoc uno Cunæi ſententiam nullatenus defendi poſſe oſtendemus. Nullo primum negotio Melchiſedechum hominem fuiſſe probamus, cum Moyſes ejus nomen, & domicilium, & dignitatem præferat (7): *Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Altiſſimi*. Hic Sodoma, & Gomorrha, quas Abraham ſtrenuiſſime defendendas aſſumpſerat, non procul degens, ejus animi virtute captus, a Regum fœderatorum cæde reverenti occurrit, & gratiis de beneficio eorum regioni præſtito actis, exceptum, & benedictionibus cumulatum *pane & vino* refecit, ei nempe, & victricibus ejus copiis opulentam refectionem adhibuit. Abraham viciſſim Religione, & Altiſſimi, cujus Sacerdos Melchiſedech, cultu, una etiam hujus Principis comitate affectus, prædarum decimas, quæ neque ad Sodomæ Reges, neque ad eorum fœderatos pertinebant, eidem obtulit. Quæ omnia homine excelſius in Melchiſedecho nil præferunt.

Nihil etiam homine majus ei tribuit David, qui diu poſt Moyſen magnitudinem & Meſſiæ regnum prænuncians, Dominum Chriſto ſuo dixiſſe aſſerit (8). *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Non Melchiſedechum, ſed Meſſiam æternitas afficit, Melchiſedechi vero ordo Aaronico ordini hic opponitur. Tu Sacerdos in æternum, non inſtar Sacerdotum, quos Aaron progenuit, ſed inſtar Melchiſedechi Sacerdotis Altiſſimi, cujus Sacerdotium in ſuos poſteros minime demigravit; cum ex eo progenies minime effluxerit, quæ ſicut progenies Aaron, per generationes plurimas Sacerdotii dignitatem poſſederit. Tu vero ſolus, & in æternum Sacerdos appellaberis.

S. Paulus cum Sacerdotio Aaronis Jeſu Chriſti; ſeu Meſſiæ Sacerdotium conferens; & huic præ quibuslibet præſtantiſſimis efferendo incumbens, quidquid laudis de Melchiſedecho Scriptura recenſet, congerit, & quicquid Melchiſedechus olim in ſe ipſo, in ſuis actibus, in ſuis Sacerdotalibus, & Regiis dignitatibus de Meſſia per figuram exibuit, ab ipſo Chriſto modo longiſſime præſtantiori adimpletum oſtendit. Melchiſedechum Chriſti eſſe typum primo ſtatuit, eamque idcirco phraſim adhibet *Melchiſedech aſſimilatus Filio Dei*, ut a Scriptura Chriſti adventuri imaginem conſequeremur. Quare, Chriſtum Melchiſedechi ſimilitudinem prætuliſſe non enunciat, ne Melchiſedechum ante Chriſtum extitiſſe, eumque exemplum, Chriſtum vero examplar putaremus. Chriſtus utique exemplum fuit, Melchiſedechus exemplar, quod quidem mundo axhibitum eſt ante Chriſtum, in quem veluti in primum exemplum Scriptura ſemper reſpexit.

Regis *Salem*, ſeu Regis pacis datem, qua inſignitus erat Melchiſedech, Apoſtolus affert, & ab ejus nomine, quod *Regem Juſtitiæ* ſonat a Sacerdotio, a Decimis, quas ab Abrahamo acceperat, & a benedictione, quam eidem Patriarchæ impertiit, ſimilitudinis cum Meſſia characteres, & argumenta deducit, quibus ejuſdem Sacerdotium Sacerdotio Aaronico antecellere oſtendat. De parentibus denique, & Malchiſedechi genealogia ſilentii myſterium aperiens, id factum eſſe docet, ut Chriſtus vere in cœlis ſine matre, ſine patre in terris, & novæ Legis æternus eſſe Sacerdos oſtenderetur. Quem locum veteres Eccleſiæ Patres, omneſque ferme recentiores Interpretes ita explicant, & huc etiam per totam Epiſtolam Apoſtolus intendit.

En Textum, quo de Cunæi ſententia, Melchiſedechus non homo, ſed Dei Filius invicte probatur (9): *Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur* (de Melchiſedecho) *quia vivit*. Si certo Melchiſedechum a Levitis idcirco differre conſtet, quod hi obierint, ille autem vivat, Melchiſedechum & Levitas vel natura ipſa diverſos eſſe inter ſe compertum utique habemus. Neceſſe vero eſt, ut omnem Apoſtoli ratiocinationem animadvertamus; de Melchiſedecho enim Scripturam meminiſſe primum aſſeruit (10), quin ejus parentes, & genealogiam recenſuerit, ſtatimque ſubdit (11): *Neque initium dierum, neque finem vitæ habet, aſſimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum*.

Hic Melchiſedechi Sacerdotium æternum ſtatuitur; æternitas autem in ipſo quidem figurate, in Chriſto vero reipſa. Im Melchiſedech ex Abraham, & in Abraham ex Levitis ab eo prognatis decimas accipiens, vere ex Abraham, & eodem ſenſu, quo æternus eſt, nempe figurate, etiam ex Levitis accepit. Chriſtus, cujus figuram Melchiſedech præferebat, vere æternus, ejuſque Sacerdotium vere æternum, & Aaronico Sacerdotio longe excelſius; Melchiſedech autem Levitis non niſi figurate ſuperior, quod nempe Sacerdotii Filii Dei ſpeciem referret.

Non defuere, qui ab allato Apoſtoli Textu non modo Melchiſedechum, verum etiam Jeſum Chriſtum vivum & immortalem reſpici defenderint (12). Explicatio vero, quam prætulimus, cum littera, & cum reliquo Apoſtoli ratiocinio magis cohærere videtur.

Iis, qui Melchiſedechum Angelum eſſe ſtatuebant, refutandis non immoramur, quorum opinionem ſatis tum evertimus, cum Melchiſedechum & hominem, & Urbis Salem in Palæſtina Regem exhibuimus. Hæc itaque tam Vetus quam Novum Teſtamentum nos edocent, quæ adhuc hac ratiocinatione probantur. Melchiſedech certe Filii Dei ſpeciem referebat, *Aſſimilatus eſt Filio Dei*, inquit Apoſtolus. At Sanctus Spiritus & Dei Filius ſeſe hominibus videndos offerentes, Meſſiæ ſeu typum, ſeu figuram per ſe ipſos

(1) *Geneſ.* 22. (2) *Geneſ.* 18. (3) *Hebr.* 7. 8. (4) *Pſal.* 109. 4. (5) *Vide Act. Erudiror. Lipſ. ann.* 1686. *p.* 105. (6) *Schlegel. Diſſert. de perſona Chriſti, ad calcem Tent. in Ep. ad Hebr.* (7) *Geneſ.* 14. 18. (8) *Pſalm.* 109. 4 (9) *Hebr.* 7. 8. (10) *Hebr.* 7. 3. (11) *Ibid.* (12) *Heinſ. Exercit. in hunc loc. Ita Ambroſiaſt. Quis eſt qui vivit? Ille etiam qui ſecundum ordinem Melchiſedech. factus eſt Sacerdos in æternum. Ita Jacob. Capell. Knatchbull. in Heb.* 7. 8.

ipſos minime poterent exhibere; Melchiſedech igitur neque Angelus erat, neque Dei Filius, neque Spiritus Sanctus.

Ut in veteri Teſtamento vel per vaticinia prænunciaretur, vel per figuras exprimeretur Meſſias, Deus ſæpe homines excitavit. Noe v. g. Iſaacum, Davidem, Salomonem, quos Filii ſui dotes, virtutes & actiones referentibus characteribus decorabat; ſæpe etiam Spiritu ſuo Prophetas afflavit, ut Meſſiam veluti per colores deſcriberent, & ejus adventus, mortis, reſurrectionis circumſtantias vel ſuis verbis, vel interdum ſuis actionibus exhiberent. Huc ſemper Vetus Teſtamentum reſpexit; huc ipſius Dei Filii & Apoſtolorum ſeu colloquia, ſeu conciones collimarunt. Jeſus Chriſtus omnia verba, & Prophetarum, aut veterum Patriarcharum actiones nobis allegat, cum ſe Meſſiam probat, vel in ſe ipſo characteres e Scriptura deſignatos exhibet, vel denique Legis figuras, & Prophetarum promiſſa in ſe ipſo adimpleri oſtendit. Quem morem vel in concionibus vel in Epiſtolis & Apoſtoli retinent.

Si quis ex Patribus in Veteris Teſtamenti apparitionibus quandoque Jeſum Chriſtum agnoſcit [1], minime ejus fidei adverſamur; imo & nos una cum ipſis & eodem, quo ipſi, ſenſu Chriſtum intelligemus; illum quem Abrahem adoravit, & *Jehovah & Omnipotentem* Scripturæ appellat [2]; illum, qui in ardenti Rubo Moyſi ſe obtulit, & in Sinai monte Legem tradidit, Filii Dei ſpeciem prætuliſſe fatemur, fuiſſe nempe Angelos, ut ab ipſa Scripturæ edocemur [3], qui Deum referebant, & Dei nomine loquebantur. Nos vero Melchiſedechi & Abrahami occurſum nullatenus apparitionem fuiſſe defendimus, ut ex tota ipſius Moyſis narratione ſatis præfertur. Eſto tamen, apparitio hæc fuerit; utique Dei Filius ſe tunc Melchiſedecho non obtulit, non enim per ſe ipſum poterat ſui ipſius figuram exhibere, cum exemplum ab exemplari neceſſario differat. Eſto etiam, fuerit Angelus; adhuc ſane Angelos, qui Chriſti typum præferrent, a Deo adhibitos non eſſe conſtaret; Dei enim Filio aſſumenda erat hominum [4], non Angelorum natura; quare hominibus tantummodo congruum erat, ut Meſſiæ adventuri ſpeciem exhiberent.

Ut tandem Diſſertationem concludamus, cum Patrum (*), & Interpretum pleriſque aſſerimus, Melchiſedechum Regem Chananæum fuiſſe, qui Deum verum colens, & juſtitiæ adhærens, in Urbe *Salem*, alio nomine *Jebus*, dicta poſtea *Jeruſalem*, imperabat. Hic, cum Abraham a quatuor fœderatorum Regum, qui Pentapolim invaſerant, & Sodomæ & Gomorrhæ Reges vicerant, cæde reverteretur, victori occurrit, refectionem afferens, & benedictionem impertit, eum nempe laudibus cumulavit, & Deo altiſſimo, cujus erat Sacerdos, pro ejus ſalute vota & ſupplicationes exhibuit. Abraham vero per Melchiſedechum prædarum decimas Deo obtulit, ut ejus ope ſibi paratam victoriam teſtetur [†].

IN EPISTOLAS
CANONICAS
PROLEGOMENON.

SEptem Canonicas, ſeu Catholicas Epiſtolas appellamus, quas poſt Pauli Epiſtolas Biblia noſtra recenſent, videlicet Epiſtolam S. Jacobi, S. Petri geminas, tres S. Joannis, ultimam S. Judæ, *Canonicarum*, quo inſigniuntur, nomine (5) illud innuere videtur, quod ad mores componendos regulas, & de Fidei myſteriis documenta exhibeant. Græce vox *Canon*; unde *Canonicum* proprie regulam ſonat.

Catholicæ (6) etiam & frequentius a Veteribus appellantur; quo nomine, juxta Theodoretum (7), idem ferme venit, ac ſi *Circulares Epiſtolæ* dicerentur, quod non uni tantum Eccleſiæ, ſed omnibus ſcriptæ Fidelibus, vel iis ſaltem, qui e Judæis ad Chriſti Fidem acceſſerant, & in omnes fere mundi regiones ſeſe effuderant, quod per *Catholici* vocem, quæ proprie *univerſale* ſonat, ſatis innuitur. Orientales hanc Epiſtolarum collectionem appellant *Catholicon*, ita paſſim loca ex illis Epiſtolis laudentibus eorum Theologis: *S. Petrus in Catholico*.

Non eodem ordine, præſertim apud Latinos, diſtribuebantur. Prologi in Canonicas Epiſtolas Auctor, ſive hic Hieronymus fuerit, ut plures ſtatuunt (8), ſive non, ut alii defendunt (9), ab Orthodoxis Græcis aliter quam a Latinis diſtributas enunciat (10); & in verſione, quam ipſe ex Græco deprompſit, eaſdem priori naturali ordini ſe reſtituiſſe addit, & per magni ponderis Textum primæ Joannis Epiſtolæ inſeruiſſe (11), quem Latini Amanuenſes, immerito quidem, divulſerant, nempe: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.*

Illas eo ordine, quo nunc apud nos, a Græcis collocari ſolitas, ex Patribus, & Græcis Mſs. habemus, primo nempe S. Jacobi, deinde 2. S. Petri, poſtea 3. S. Joannis, ultimo demum S. Judæ. Quo etiam ordine ab Euſebio (12), a Gregorio Nazianzeno (13), a Laodiceno Concilio (14), ab Athanaſio (15) & a Damaſceno (16) diſtribuuntur. Aliter recenſentur a Latinis, ut videre eſt apud Auguſtinum, & celeberrimum Claromontanum Mſ. ubi primum S. Petri geminæ, tres deinde S. Joannis, poſtea unica S. Judæ, S. Jacobi poſtrema enumerantur. P. Martianæus Colbertinæ Bibliothecæ Mſ. Latinum profert (17), quo

(1) *Vid. Tomum in Ep. ad Hebr. c. Difficult. 2. ſect. 2* (2) *Geneſ. 18. 1. 2. 24. 20. 25.* (3) *Act. 7. 30. 35. 52. Galat. 3. 19. Hebr. 2. 1.* (4) *Hebr. 2. 16. Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit* (*) *Hippolyt. Irenæ. Euſeb. Cæſar. Euſeb. Emiſſen. Apoll. Euſtat. apud Hieronym. Ep. ad Evangel. Ipſe Hieronym. Joſeph. l. 1. Antiq. c. 11. & l. 7. de Bello c. 18. Egeſipp. l. 3. c. 9. de excid. Jeroſolym. Philo de congreſſ. quær. erud. grat. p. 438. Theodoret. qu. 63. in Geneſ. Oecumen. in Hebr. 7. Chryſoſt. in Ep. ad Hebr. hom. 12. Theophyl. alii paſſim.* (†) Singulas hiſtoriæ hujus circumſtantias late explicavimus in Commentario in Geneſim; ſicut & in Commentario Epiſtolæ ad Hebræos egimus de ſenſu allegorico ab Apoſtolo intento. (5) *Concil. Laodicen. can. 60. Caſſiodor. de Inſtitut. Divinar. Litterar. c. 8. Hieron. ſeu alius Prolog. in Epiſt. Canonic* (6) *Ita Patres paſſim.* (7) *Prolog. Theodoret. in Ep. Cathol. in edit. Roberti Steph.* (8) *Eraſm. Buxentop. Cleric. Ketner. &c.* (9) *Mill. P. Martianæus, Roger. Simon.* (10) *Prolog. in 7. Ep. Canonic. Non idem ordo eſt apud Græcos, qui, integre ſapiunt, & fidem rectam ſectantur, epiſtolarum ſeptem, quæ Canonicæ nuncupantur, qui in Latinis codicibus invenitur. Quod quia Petrus primus eſt in numero Apoſtolorum, primæ ſint etiam ejus Epiſtolæ in ordine cæterarum.* (11) *1. Joan. 5. 7.* (12) *Euſeb. l. 2. c. 23. hiſt. Eccl.* (13) *Greg. Naz. Carm. de Canon. Script.* (14) *Concil. Laodic. can. 60.* (15) *Athanaſ. Ep. Feſt. Idem in Synopſ.* (16) *Damaſ. l. 4. de Fide Cathol. c. 18.* (17) *Mſs. Colbert. n. 245.*

Digitized by Google

quo primo ſtatuuntur geminæ S. Petri, deinde illa Jacobi, tres S. Joannis, unica denique S. Judæ. Clementis Alexandrini in Canonicas Epiſtolas Commentarius, quem Latine verſum apud Caſſiodorum habemus, primo S. Petri priorem, unicam deinde S. Judæ, ultimo primam & ſecundam S. Joannis recenſet; tertiam vero Joannis, Petri ſecundam, & S. Jacobi præterit. Idem Caſſiodorus (1) *juxta S. Hieronymum Sanctos Libros* diſtribuens, ita Apoſtolorum Epiſtolas conſtituit : 1. S. Petri geminas, 2. quatuordecim S. Pauli, 3. tres S. Joannis, 4. unicam S. Jacobi, 5. unicam S. Judæ, 6. Acta Apoſtolorum, & Apocalypſim. Innocentius I. ad Exuperium ſcribens, S. Joannis Epiſtolas primas, S. Jacobi unicam poſtremam collocat.

Ultimus Apoſtolorum Canon (2) primo Petri, deinde Joannis, poſtea Jacobi, ultimo Judæ Epiſtolas numerat; cui quidem ordini in Libro de Fide & operibus (3) Auguſtinus favet. Alibi tamen (4) primo Petrum, deinde Joannem, poſtea Judam, ultimo Jacobum collocat. Euſebius ſtatim poſt Epiſtolas Pauli, primam Joannis, & deinde primam Petri, de quibus nullum unquam diſcrimen; [5] alibi vero Jacobi Catholicarum primam abſolute appellat [6]. Ruſinus (7), Carthaginienſe Concilium (8), Julianus ſexti ſæculi Africæ Epiſcopus (9), & Veteres Sacrorum Librorum Catalogi apud Cotelerium (10), S. Petri Epiſtolam ceteris Canonicis præponunt. In elegantiſſimo Codice PP. Præmonſtratenſium Muſſipontei, Epiſtolæ Canonicæ mediæ inter Acta, & Epiſtolas Pauli leguntur; locus de tribus teſtibus in Epiſtola S. Joannis priori deſideratur.

Hinc nullum Canonicis Epiſtolis ordinem neque apud Græcos, neque apud Latinos olim fuiſſe præſcriptum, perſuaſum habemus; quare in has Epiſtolas Præfationis, quam Hieronymo tribuunt, Author a Latinis potiſſimum S. Petri, utpote Apoſtolorum Principis, Epiſtolam ceteris præponi ſolitam jure merito aſſerit : *Quia Petrus primus est in numero Apoſtolorum, primæ ſint etiam Epiſtolæ in ordine cæterarum*. Græci ut plurimum Epiſtolam S. Jacobi ceteris priorem habebant, ſive quod illam S. Petri Epiſtolis vetuſtiorem crederent; ſive quod Jacobus Jeroſolymis Epiſcopus conſtitutus eſſet, antequam Apoſtolorum ceteri certam ſibi ſedem uſpiam locaſſent; ſive demum quod hæc utpote ad duodecim Tribus per orbem effuſas vage directa, ceteris magis Catholica ſive (11) univerſalior haberetur. Utcumque idem id evenerit, Epiſtolarum ordinem prorſus arbitrarium cenſemus; quamvis autem S. Petri Epiſtolæ ceteris non præponantur, primæ idcirco ejus dignitati nihil ſane detrahitur.

In his Epiſtolis recipiendis concors non fuit Veterum ſententia, juxta ac S. Gregorius Nazianzenus (12) obſervat; alii enim ſingulas, alii tres tantum probabant, primam nempe S. Joannis, primam S. Petri, & unicam S. Jacobi. Cujuslibet Epiſtolæ initio de earum canonica authoritate, quæ olim agitata ſunt, diſcrimina afferemus. Duas Joannis poſtremas, licet ad quoſdam peculiariter directas, ideo forte inter canonicas recenſuerunt, ne eas ab ejuſdem Apoſtoli prima disjungerent, quæ circularis quidem fuit, & dubiæ numquam authoritatis. Optima etiam argumenta non deſunt, quibus earum utramque urbanitatis & commendationis Epiſtolas eſſe, quas Joannes ad peculiares Eccleſias dederit, demonſtratur.

Harum Epiſtolarum (13) Scriptores toti ſunt in aſſerenda bonorum operum neceſſitate adverſus Simonianos, Nicolaitas, alioſque id genus Hæreticos, qui libertate nobis per Evangelium parta plus æquo abutebantur, & Apoſtoli ſententias detorquentes, Fidem ſine operibus ad ſalutem ſatis eſſe dictitabant, quaſi de Fide per Charitatem agente perſpicue Apoſtolus non enunciaſſet (14) : *Fides quæ per Charitatem operatur*. In ceteris ſuis Epiſtolis ſæpe etiam Paulus in Pſeudo-Apoſtolos inſurgit, quod vel per nova dogmata, vel per falſam libertatem, vel per pravam ſuæ ipſius doctrinæ ad moralis everſionem, & ad veritatis Evangelicæ contemptum, & corruptionem, Eccleſiis perturbationem inducerent.

S. Jacobus bonorum operum neceſſitatem negantes aperte retundit. S. Petrus Simonis aſſeclas, falſos Doctores, & Hæreticos omnes oppugnat; S. Petri ſecunda, & Judas qui ejuſdem S. Petri ſecundæ plures phraſes adhibet, inſurgunt in Pſeudo-Apoſtolos, qui ſanctis Veritatibus abutentes, pravam in Fideles doctrinam invehere conabantur. S. Joannis prima eoſdem hæreticos & novatores aggreditur, & bonorum operum perſeverantiæque Fidei neceſſitatem oſtendit.

Verum uniuſcujuſque Epiſtolæ characterem cum nobis exhibuit Hieronymus, cum ſcripſit ad Paulinum: *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas ſeptem Epiſtolas ediderunt, tam myſticas, quam ſuccinctas, & breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in ſententiis, ut rarus ſit, qui non in earum lectione cæcutiat*. Qui SS. Petri, Jacobi & Joannis, antequam a Chriſto vocarentur, & Spiritu Sancto perfunderentur, infirmitatem cum animo, virtute, gravitate, & ſententiis, quæ ab iis Epiſtolis præferuntur, ſerio conſert, is ſana permaxima ſapientiæ, potentiæque Divinæ admiratione teneatur neceſſe erit.

I N E P I S T O L A M
CATHOLICAM S. JACOBI
PROLEGOMENON.

De hujus Epiſtolæ Authore diu diſceptatum; alii enim Jacobum Majorem Zebedæi filium, & Joannis fratrem, quem Herodes Agrippa capite multavit (15); alii vero Jacobum Alphæi filium, cognomento Minorem, & Fratrem Domini; alii denique Jacobum cognomine Juſtum, Jeroſolymorum Epiſcopum, de quo ſermo eſt apud S. Clementem Alexandrinum, Hegeſippum

(1) *Caſſiod. de Inſtitut. div. Script. c. 8.* (2) *Can. Apoſt. can. 84.* (3) *Aug. de Fide & oper. c. 14.* (4) *De Doctr. Chriſti l. 2. c. 8.* (5) *Euſeb. lib. 3. cap. 25. hiſt. Eccl.* (6) *Euſeb. lib. 2. cap. 23. Hiſt. Eccl.* (7) *Ruſin. in Expoſit. Symbol.* (8) Concilium duas Petri primas ſtatuit, unicam Jacobi poſtremam. *Ann. 397. can. 47.* (9) *Junil. lib. 1. de Part. Divin. Leg. cap. 5.* qui tantum quinque Epiſtolas Canonicas numerat, nempe Jacobi unicam, Petri ſecundam, unicam Judæ, & duas ultimas Joannis. Paulo tamen ante poſt Pauli Epiſtolam ad Hebræos primam S. Petri; & primam S. Joannis recenſuerat. (10) *Cotel. in Notis in S. Barnabam.* (11) *Scholiaſt. Græc. anonym. in Ep. Jacob. in Cod. Mſſ. Reg. num. 705. apud. Mill. pag. 542.* (12) *Nazianzen. Carm. de Script. Canon.* (13) *Auguſt. lib. de Fide & operib. c. 14.* (14) *Galat. 5. 6.* (15) *Ann. Chriſti 44. a Chriſti obitu ann. 10. Act. 12. 2.*

Digitized by Google

pum, & Euſebium (1), ejus Authorem conſtituunt. Euſebius ſane (2), & Hieronymus (3), ſive ſuam, ſive aliorum ſententiam proferant, an Jacobi hæc fuerit, ambiguum relinquunt, plures eſſe teſtati, qui falſo S. Jacobi nomine vulgatam putaverint. His Recentiores quidam adhærentes, ſuam temeritate nimia tunc temporis opinionem protulere, cum unanimis Eccleſiæ conſenſus, & certa tot ſæculorum fides illud ſaltem præſtitiſſe debuerant, ut audacas ab hac in eam cenſura absterreret (4).

Qui S. Jacobo Zebedæi filio eamdem adſcribunt, poſtquam S. hic Apoſtolus in Hiſpaniis Evangelium enunciaverat, & Jeroſolymas reverſus fuerat, hanc ad illos dediſſe Epiſtolam ſentiunt: quam quidem omnium Sacrarum Novi Teſtamenti Scripturarum primam ia Author ſtatuit, qui Syriacam Verſionem a Vidmanſtadio editam argumentis inſcripſit. Arabica etiam Verſio, quam Cornelius a Lapide allegat, S. Jacobo Zebedæi filio illam tribuit; cujus tamen rei nil apud Syriacam, nil apud Arabicam, in Anglicis, & Pariſienſibus Polyglottis impreſſas. Vetus Italica Verſio a P. Martianæo vulgata (5), ſub hujus Epiſtolæ exitum hæc profert: *Explicit Epiſtola Jacobi filii Zebedæi.*

S. Jacobus Zebedæi filius duodecim Tribubus diſperſis apud Hieronymum (6) Evangelium nunciaſſe dicitur; quo & ad eos hanc Epiſtolam ſcripſiſſe inſinuari videtur. Huic tamen loco nulla fides, cum S. Doctoris Textui additus certo conſtet. Pſeudo Lucius Dexter in ſuis Chronicis, Vitæ & Mortis Sanctorum Author (7), Mozarabum Liturgia, & falſa Sixti III. Epiſtola (8), allatam ſententiam tuentur. Gaſpar Sanchez in ſuo Tractatu de S. Jacobi in Hiſpaniam itinere, omnia hæc teſtimonia recenſet, quæ præterea minime impobare videtur (9).

Cum vero S. Jacobus Zebedæi filius a Domini Aſcenſione decem poſt annis martyrio interierit, in tot tantoſque per orbem diſperſos Judæos Evangelium tanto progreſſu, quantus ab hac Epiſtola præfertur jam tum ſeſe effudiſſe, veri nullam ſpeciem oſtendit. Scriptas præterea ad Galatas & ad Romanos Epiſtolas, ad quas Jacobi Epiſtola alludit, in iis ſcilicet, quibus Fideles judaizantes erudiunt, & eorum abuſus improbant, nondum Apoſtolus dederat, cum S. Jacobus Zebedæi filius capite mulctatus interiit. Authores denique, quos attulimus, nimium ſtudioſi ſunt, ut S. Jacobi in Hiſpanias miſſionem defendant, nimiumque recentes, ut de re tam veteri fidem mereantur. Inſcriptiones, & ſubſcriptiones, quibus Apoſtolorum Epiſtolas obſignatas Mſs. præferunt, ut plurimum incertæ, & leviſſimæ authoritatis.

Qui Jacobum cognomine Juſtum Jeroſolymorum Epiſcopum ab utraque Majori & Minori Jacobo diſcernunt (10), Clementis Alexandrini & Hegeſippi, quos ſibi faventes putant, teſtimonio ducuntur. Quo vero magis eorum Textum perpendimus, Jacobum Juſtum, & Jacobum Fratrem Domini eumdem omnino ab ipſis conſtitui, eo magis ſuademur. Joſephus enim, quem allegat Euſebius, hujus Jacobi Juſti, veluti Fratris Jeſu Chriſti, meminit (11); Jacobus autem Domini Frater, alius utique non fuit ab Apoſtolo Jacobo Minori, quem & Paulus Apoſtolum appellavit (12): *Alium Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum Fratrem Domini.* Jacobus igitur Juſtus ab Jacobo Domini Frater minime ſecernendus.

Fateor quidem ea de re inter Veteres non conveniſſe. Omnes ferme recentiores Græci (13), alterum ab altero ſejungunt. S. Chryſoſtomus (14), S. Gregorius Nyſſenus (15), Apoſtolorum Conſtitutiones (16), Ambroſiaſter (17), Martyrologia vetera, S. Epiphanius (18) & alii utrumque invicem ſecernere videntur. Hieronymus ea in re ſibi minime concors, ambiguitatem ſuam oſtendit. Ceterum plurimi utrumque omnino eumdem eſſe ſtatuunt (19). Si itaque Jacobus Juſtus Alphæi filius, a Jacobo Domini Fratre alius, numquam extitit, ei utique hæc Epiſtola numquam adſcribenda eſt.

Tribuenda igitur Jacobo Minori, Domini Fratri, quemadmodum & Veteres, & Recentiores vulgo ferme conveniunt. Ab Origene (20), ab Athanaſio (21), Hilario (22), Cyrillo Jeroſolymitano (23), Ambroſio (24) Epiphanio (25), Baſilio (26), pluries ab ipſo Hieronymo (27), ab Auguſtino (28), & ab aliis plurimis S. Jacobi Minoris nomine allegatur.

Plura vetera Exemplaria Latina, nonnulla etiam Græca hujus Epiſtolæ initio, ubi numquam Apoſtoli nomen occurrit, S. Jacobum, teſte Sixto Senenſi, Apoſtolum vocant. Titulus, quo in Vulgata inſcribitur: *Epiſtola Catholica Beati Jacobi Apoſtoli*, in quibuſdam etiam Græcis exemplaribus reperitur. Vetus vero Italicum, & Exemplaria plura tam Græca, quam Latina S. Jacobi Epiſtolam tantum appellant. Ceterum ejuſmodi tituli, præſertim ſi inter ſe non cohæreant, infirmæ nimium authoritatis; quare ex his nihil, quod S. Jacobo Apoſtolo faveat, cui quidem favent validiora argumenta.

S. Jacobus Minor matrem habuit Mariam, Beatæ Virginis germanam, filiam Cleophæ, & Alphæi uxorem, quam, quod ab Joanne *Maria Cleophæ* dicatur (29), alii filiam, alii Cleophæ uxorem appellant. Veterum plures (30) S. Jacobum cognomento Fratrem Domini filium eſſe putarunt alterius uxoris, quam S. Joſeph duxerat, antequam Beatæ Virgini deſponderet; quod quidem nullatenus defendi poteſt, nam Maria Cleophæ Jacobi mater, Chriſti patientis ætate, in vivis adhuc agebat. S. Jacobus præterea fratres habuit Joſem, ſeu Joſephum (31), & S. Judam (32), forte etiam S. Simonem (33), qui omnes *Fratres Domini* vocabantur, ex Matre nempe Conſobrini, ſeu tantum juxta hominum opinionem Cognati Jeſu Chriſti, ſi vere omnes patrem habebant Cleophæm, quem Veterum plures S. Joſephi patrem enunciant.

Quare S. Jacobus *Minoris* appellationem obtinuerit, ignoramus, niſi forte ut ab Jacobo Zebedæi filio, ſeu natu ſeu ſtatura majori, ſecerneretur. Vocatus eſt etiam *Juſtus* & *Oblias*, agger nempe, & auxilium populi. Hegeſippo teſte, Sacerdos Domini fuit, & ex Matris utero Leges Nazaræatus ad mortem uſque implevit (34). Chriſtus Dominus cum ad cœlos aſcenderet, ſedem in terris ſuam ei credidit; & juxta aliquos, Hieroſolymitanam Eccleſiam commendavit (35); alii vero ab Apoſtolis poſt Domini Aſcenſionem Hieroſolymorum Epiſcopum conſtitutum putant (36). Epiſcopatus

(1) *Clem. Alex. & Hegeſipp. apud. Euſeb. l. 2. hiſt. Eccl. c. 23.* (2) *Euſeb. l. 2. c. 23.* (3) *Hier. de Script. Eccl. in Jacobo. Jacobus, qui appellatur Frater Domini, unam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur, licet paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem.* (4) *Luther. Hunnius, Centuriatores, Cajet. Vide & Eraſm.* (5) *Vid. not. Martian. in Ep. Jacob. p. 591.* (6) *Hier. de Scriptor. Eccl. ſub finem articuli de S. Matthæo.* (7) *Iſidor. de vita & morte SS. cap. 73.* (8) *Bibliotb. PP.* (9) *Sanch. tract. 3. de Profect. S. Jacobi in Hiſpan. cap. 12.* (10) *Vide Grot. & Hamm. Lauren. Eraſm.* (11) *Joſeph. Antiqu. lib. 20. cap. 8.* (12) *Galat. 1. 19.* (13) *Coteler. Not. in Barnab. & alios ſcript. p. 175.* (14) *Chryſoſt. in Matth. hom. 5. & in Act. hom. 33.* (15) *Nyſſen. tom. 3. p. 413.* (16) *Conſtit. Apoſt. lib. 9. cap. 12.* (17) *Ambroſiaſt. in Galat. c. 19.* (18) *Epiphan. hæreſ. 70. cap. 3.* (19) *Vide Tillemont. not. 1. in S. Jacobum Minorem, ubi rem fuſius agit.* (20) *Origen. in Rom. 5. t. tom. 2. p. 520. & hom. 3. in Exod.* (21) *Athanaſ. orat. 4. in Arian. & de Nyſſen. Decret. p. 252.* (22) *Hilar. de Trinit. t. 4. p. 10.* (23) *Cyril. Jeroſ. Cathec. Myſtag. 5.* (24) *Ambroſiaſt. de arbore interdicta.* (25) *Epiphan. hæreſ. 78. cap. 3.* (26) *Baſil. de Baptiſmo lib. 2. cap. 2.* (27) *Hier. in Helvid. cap. 7. & in Iſai. 17. & Epiſt. 203. & de Vir. Illuſtr.* (28) *Auguſt. in Creſcent. lib. 2. cap. 37. & Ep. 29. p. 42.* (29) *Joan. 19. 25.* (30) *Hieronym. in Helvid. Epiph. hæreſ. 28. cap. 7. & 78. Euſeb. lib. 2. cap. 1. hiſt. Eccl.* (31) *Marc. 15. 40.* (32) *Judæ verſ. 1.* (33) *Marc. 6. 3.* (34) *Vide Hegeſipp. apud Euſeb. l. 2. c. 23. Hiſt. Eccl.* (35) *Hieronym. in Galat. Epiphan. hæreſ. 88. c. 7.* (36) *Clem. Alex. apud. Euſeb. l. 2. c. 23. hiſt. Eccl. Athanaſ. in Synopſi, Hieron. de Vir. Illuſt. Ambroſiaſt. in Galat. l. 19.*

nus forte & Sacerdotii inſigne, auream laminam in fronte geſtabat (1); quam & S. Joannes Evangeliſta (2), & S. Marcus (3) geſtaſſe leguntur. Frugi oppido vitam agens, a vino ſemper abſtinuit, neque panem, neque quidquam, quod vitam haberet, in cibum adhibuit; olei ad corpus fovendum, ſandaliorum, veſtium lanearum uſum omnino reſpuit, ſola tunica ac pallio ex lino contentus: tam crebro in terram oraturus proſternebatur, ut frons & genua Camelorum inſtar calluiſſent.

Cum apud omnes Viri Sancti famam obtinuiſſet, religioſæ etiam & caſtiſſimæ vitæ merito Juſtus cœpit appellari. Ejus quoque mentio in Talmud, ubi Jacobus Jeſu Fabri Diſcipulus nuncupatur præſtantiſſimam Sancti Viri virtutem (4) teſtatur Joſephus, cujus etiam teſtimonio Veteres bellum a Romanis illatum, & omnia mala, quæ ea de cauſa Judæos oppreſſerunt, Jacobi Juſti, Domini Fratris, neci ulciſcendæ cœlitus permiſſa fuiſſe aſſerebant (5). Ejus vero mortem Ananus filius illius Anani, ſeu Annæ, de quo in Evangelio, ita molitus eſt. In Templi pinna Jacobus conſtitutus (6), & quid de Jeſu Chriſto credendum eſſet, interrogatus; clara voce reſpondit: Jeſus tamquam Dei Filius dexteræ Dei Patris aſſidet, unde in vivos & mortuos judicium pronunciaturus adveniet. His vocibus plures ad Catholicam Fidem convolarunt. Scribæ vero & Phariſæi in eum illico irruentes, e pinnaculo præcipitem egerunt. Dum vero e lapſu adhuc ſuperſtes genibus flexis pro inimicis orabat, de Anani imperio lapidibus obrutus eſt; quem deinde ſepulturæ mandarunt juxta Templum eodem in loco, ubi martyrium conſummavit.

Hanc Epiſtolam, in qua Jacobus iis, quæ anno Chriſti 58. ad Romanos, & anno 55. de legis abrogatione, & Legalium vanitate Apoſtolus ad Galatas ſcripſerat, videtur alludere, datam fuiſſe credimus paulo ante ejus obitum, qui ad annum Chriſti 62. Neronis vero imperantis octavum, ſeu nonum conſignatur. Bonorum operum neceſſitas in ea aſtruitur adverſus pravam quorumdam interpretationem, qui dicto S. Pauli, nempe Fidem, non opera Legis eſſe, quæ juſtificat, abutebantur (7). Fideles præterea qui ab Judaiſmo ad Fidem acceſſerant, S. Jacobus ſolatur, eiſque in calamitatibus & perſecutionibus perferendis patientiam commendat (8). Novis Doctoribus temeritatem exprobrat, qua lumine, ſapientia, virtute & miſſione deſtituti, Præceptorum munera uſurpaverant (9). Acriter divites increpat (10), & eos qui leviſſimis de cauſis fratribus detrahebant (11), & plura a Lege interdicta adhibendi per Evangelium collata nobis libertate abutebantur. Jurisjurandi (12), odii, detractionis, divitiarumque amoris fugam ſuadet; orationis virtutem extollit (13); de unctionis extremæ (14), de Confeſſionis (15) peccatorum Sacramentis meminit. Diem Domini, ejuſque adventum properantem annuncians (16), quibus Jeroſolymæ & Templi excidium, & Judæorum diſperſionem in foribus eſſe inſinuat. Octo poſt ejus mortem annis evenere.

Ejus ſtilus brevis & ſententioſus, cui neque certos rei agendæ præſcribit fines, neque ſententias invicem intexit. Quemadmodum in Proverbiis Salomon, & in præſentia etiam Orientales, nempe per ſententias ſejunctas, non ratiocinando, morum regulas docet; ſuam porro doctrinam Scripturis fulcit, & exemplis, ſacriſque alluſionibus ornat. Quædam denique loca allegat (17), quæ iiſdem verbis in Scriptura non referuntur. An Novi Teſtamenti Scriptores, præſertim cum Hebræos Scripturarum peritos, & alluſionem intelligentes alloquerentur, verbis ſerviliter non inhærebant, ſenſus & Sacrorum Scriptorum mentem referre contenti (18).

Græce ſcripſiſſe creditur, cum juxta Septuaginta Scripturam alleget, locum illum e. g. qui hoc ſenſu apud eorum Verſionem tantummodo (19): *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Quamvis Hebræi in quaslibet Provincias effuſi, ad quos potiſſimum hæc directa erat Epiſtola, Hebraico, ſeu Syriaco idiomate aliquatenus uterentur, vulgo nihilominus Græca lingua loquebantur; hæc enim ab Alexandri Magni Imperio apud Orientales undique obtinebat. Verſionem, cujus nunc uſus apud Latinam Eccleſiam, Hieronymus Latine reddidit. Olim adhibitam, & ab Authore nobis incognito verſam, P. Martianæus typis vulgavit. Hujus nos varias quaſdam lectiones produximus, Veteris Italicæ nomine allegatas.

Veteres quoſdam Canonicæ hujus Epiſtolæ authoritati olim adverſatos attigimus (20), de qua & Novatores nonnulli diſputationem inſtituunt. Verumtamen ab Athanaſio (21), a Cyrillo Jeroſolymitano (22), a Concilio Laodicenſi (23), & tertio Carthaginenſi (24), a Gregorio Nazianzeno (25), ab Amphilochio (26), a Rufino (27), ab Auguſtino (28), ab Innocentio I. (29), a ceteris denique Patribus, a quibus, ut prætulimus, S. Jacobo Apoſtolo, & Domini Fratri adſcribitur, in S. Scripturarum Catalogo recenſetur. Hieronymus & Auguſtinus veluti Scripturam aſſertæ fidei ſæpe producunt, adeo vel ab ea ætate certa invaluerat ejus authoritas. A Veteribus quidem perraro allegatam ultro eum Euſebio fatemur (30); verum maximam deinde fidem eidem adhibitam Euſebius ipſe teſtatur.

Fuere alias, qui S. Jacobo quædam tribuerint, quæ numquam Scripturarum Canonem obtinuere. E. g. Evangelium S. Jacobi, Alphæi filii, Gelaſius rejicit. Origenes de quodam S. Jacobi Opuſculo meminit, quem falſo S. Petri Evangelio jungit (31). Ebionitæ, Epiphanio teſte (32), ejus nomine plura vulgarunt. Hebræum S. Matthæi Evangelium Græce ab eo redditum apud Athanaſium fertur (33). Quædam ei adſcribitur Liturgia, quæ apud nos in Patrum Bibliotheca. Hujus mentio in Oratione, quam S. Proclo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano tribuunt (34); mentio etiam in trigeſimo Canone Concilii, quod Conſtantinopoli in Palatii Imperialis Trullo celebratum ferunt (35). Eruditi vero hanc Liturgiam vel ei omnino affictam, vel temporum progreſſu permaxime vitiatam enunciant. Apud Veteres Patres perpetuum de ea ſilentium. Apoſtoli præterea, Baſilio teſte (36), qui in primordiis Eccleſiæ ceteros ritus præſcripſerunt, in ſilentio debitam myſteriis ſervavere dignitatem. Nullam igitur S. Doctor Liturgiam ab Apoſtolis vel ſcriptam, vel vulgatam eſſe ſentiebat.

DIS-

(1) *Epiphan. hæreſ. 78. Nazaræorum.* (2) *Polycrat. Epheſ. apud Euſeb. l. 5. c. 24. Eccl. hiſt.* (3) *Hiſt. Manuſcrip. Martyrii S. Marci apud Valeſ. Not. in Euſeb. l. 5. c. 24. p.* 104. (4) *Joſeph. Antiq. l. 20. c. 8.* (5) *Origen. contr. Celſ. l. 1. p. 35. in Matt. p. 223. Hieron. de vir. Illuſt. Euſeb. l. 2. c. 23. p. 65.* Euſebii tamen verba in Joſepho non reperimus. (6) *Euſeb. l. 2. c. 23. hiſt. Eccl. Hieron. de Vir. Illuſt. Epiphan. &c.* (7) *Jacob. 1. 21. &c. & 2. 8. &c. 26.* (8) *Jacob. 1. 2. &c. & 57. 8. &c.* (9) *Jacob. 1. 19. & 3. 1. 2. 13. 14. 18.* (10) *Jacob. 5. 1. &c.* (11) *Jacob. 4. 11. &c.* (12) *Jacob. 5. 12.* (13) *Jacob. 5. 16. &c.* (14) *Jacob. 5. 14.* (15) *Jacob. 5. 19.* (16) *Jacob. 5. 7. 8.* (17) *Jacob. 4. 5.* (18) *Vide Jo. 7. 38. Jo. 12. 34. Epheſ. 5. 14. &c.* (19) *Jacob. 4. 6.* (20) *Vide Euſeb. l. 2. c. 23. & Hieron. de Script. Eccl. in Jacobo.* (21) *Athanaſ. in Synopſi.* (22) *Cyrilli. Jeroſol. Cath. 4.* (23) *Concil. Laodic. Can. 60.* (24) *2. Concil. Carthag. Can. 47. ann. 397.* (25) *Nazianz. tom. 2. p. 98.* (26) *Amphiloch. apud Gregor. Nazianz. tom. 2. p. 194* (27) *Rufin. Expoſit. Symbol.* (28) *Auguſt. l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 8.* (29) *Innoc. I. Ep. 3. ad Exuper. can. 7.* (30) *Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 23.* (31) *Origen. in Matth. pag. 223. edit. Huet.* (32) *Epiphan. hæreſ. 30. c. 23.* (33) *Athanaſ. in Synopſi.* (34) *Procl. Orat. 22. p. 580.* (35) *Ann. 692.* (36) *Baſil. de Spiritu Sancto c. 27*

DISSERTATIO

De itinere Romano S. Petri ad 1. Petri 5. 13.

PEtrum Romæ fuiſſe, unde utramque ſuam Epiſtolam ſcripſerit, ibique Eccleſiam erexiſſe, erectæ præfuiſſe, Romam denique Babylonis nomine deſignaſſe iis verbis [1]; *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta*, uſque ad decimum ſextum Eccleſiæ ſæculum omnibus perſuaſum fuit. Ex his, & iis, quæ S. Petro Chriſtus ſpoponderat, factum eſt, ut omnes omnino Fidelium Provinciæ Romam Eccleſiarum principem, & unitatis centrum, ſupremoſque Pontifices Petri ſucceſſores, viſibiles gregis Chriſti Paſtores eſſe, certo ſemper agnoverint. Qui præ cæteris Sanctæ Sedi adverſati fuere, eo numquam venerunt, ut primam Romæ dignitatem eriperent. Ethnici ipſi unanimi omnium voce, & ſtudioſiſſimo erga ipſam Fidelium cultu ſatis perſuaſi, Mundi Chriſtiani Metropolim, principis Dignitatis, & authoritatis Sedem ducebant, neminemque extra ejus communionem vere Chriſtianum aut Catholicum ſe profiteri poſſe fatebantur. Tertullianus jam Montaniſta, titulum illum Romano Pontifici a Catholicis collatum irridet: *Epiſcopus Epiſcoporum & Pontifex ſupremus* [2]. Ammianus Marcellinus Ethnicus Author, præcipuam inter Catholicos apud Epiſcopum Romanum authoritatem agnoſcit [3].

Poſtquam poſtremæ Eccleſiam invaſerunt hæreſes, deque his dotibus cum Romana Eccleſia & de ſuo Primatu cum Pontifice cœptum eſt certamen; an Petrus Romam venerit, ſedemque ibi ſuam conſtituerit, dubitatum eſt. Novatores ſententiam ſuam defenſuri, Babylonis nomen, de quo in prima Petri, Romæ urbem deſignaſſe negaverunt, de vera Babylone accipiendum ſtatuentes. Cum vero plures Urbes eo nomine appellentur, Proteſtantes Authores ad hanc uſque diem in diverſa diſtrahuntur; alii enim celeberrimam Babylonem ſecus Euphratem in Chaldæa; alii Babylonem Ægypti Petri verbis deſignatam ferunt, per quam eumdem Petrum, poſtquam Alexandriæ Eccleſiam conſtituerat, tranſiiſſe defendunt.

De hac quæſtione, de qua plurima plures, ordine actuti, quædam primum ſtatuemus, quibus huic quæſtioni rite applicatis; Petrum ſe Romam contuliſſe, ex veteribus quæ extant monumentis demonſtrabimus, adverſariorum ſimul argumenta evertentes.

I. Rem quamdam hiſtoricam, quam vel coævus, vel ferme coævus clari nominis, & integræ fidei Author refert, niſi à vetuſtiori altero, vel peritiori improbetur, Critici omnes certam tenent.

II. Factum publicum, cui Fideles omnes, imo & Hæretici, & Schiſmatici per ſæcula quindecim fidem adhibuerint, pro certo habendum eſt, etiam ſi præter hanc traditionem, & conſenſum, nihil ei opituletur, tum præſertim, cum Libros periiſſe conſtat, & monumenta plurima, in quibus forte id expreſſe doceretur.

III. In materia facti non modo Libris & Scriptis, ſed publicis etiam monumentis, ſepulchris erectis, Templis conſtructis, diplomatibus, Bonis, & privilegiis in quædam loca, quoſdam populos, quaſdam Communitates collatis, fides eſt adhibenda. Hæc enim omnia certam rei authoritatem adjungunt.

IV. Jus Gentium, ut ita dicam, publicam fidem expoſcit, ut cuilibet Urbi de iis, quæ ad ejus hiſtoriam & jura pertinent, deferatur. Quis enim perfectius rem calleat? cujus rem tutius ſervare intereſſe?

V. Denum, ut factum Hiſtoriis coævis ſeu ferme coævis probatum, conſenſui unanimi, & vetuſtiſſimæ tot ſæculorum traditioni, innumeris publicis monumentis, ſepulchris, ædificiis, privilegiis, & omnium denique fidei innixum evertatur, infirma corruunt quælibet argumenta, niſi hiſtoricæ, pene dixerim, demonſtrationes afferantur.

Iter itaque, quo S. Petrus Romam profectus eſt, inter facta ejuſmodi eſt recenſendum. Ejus enim mentio apud Papiam S. Joannis Evangeliſtæ Diſcipulum, apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Tertullianum, & ſecundi, tertii, & ſequentium ſæculorum alios innumeros, imo & apud ipſos Eccleſiæ hoſtes, qui S. Petrum Romam profectum enunciarunt. Vetuſtiſſima plura monumenta, quæ adhuc Romæ extant, Petrum Romæ moratum teſtantur. Apoſtolorum ſepulchra, eorum martyrii locus, Templa eorum nomini erecta vel a primis Eccleſiæ ſæculis Romæ oſtendebantur. Romani Pontifices a SS. Petro & Paulo ad hanc uſque diem principem in Eccleſia dignitatem, & ceteras ei connexas prærogativas obtinuere. Is Primatus, eorum hæreditas hunc tuentur; hunc & documentis & juribus defendent. Nullo igitur jure factum hujuſmodi revocari poteſt in dubium, niſi ſaltem valida, convincentia, & certa adeo proferantur argumenta, ut allata omnia principia ſibi prorſus faventia præferant:

Ad Romani S. Petri itineris argumentum, ipſum S. Petri producendum eſſet teſtimonium, quo ſe Epiſtolam dediſſe aſſerit Babylone, nempe Romæ, ut Veteres omnes interpretantur. Hoc plane ſatis, ut omnem prorſus difficultatem evertat. Cum vero ea de explicatione diſcrimen fuerit invectum, ab eadem afferenda abſtinemus, non enim quidquid ab adverſariis objicitur, adhoc refudimus. Apoſtolus, inquiunt, ſe Babylone ſcripſiſſe expreſſe aſſerit: cur ejus verba ſint allegorice recipienda? An Epiſtolis, quæ ſtylo ſimplici & naturali ſcribuntur, quemadmodum hanc Petrus ſcribebat, allegoriæ interſeri ſolent, quin Lectoris animus ad figuras antea præparetur? nihil hic ſane aut allegoricum aut allegorici ſpeciem præferens.

Allegoriam tamen hanc idcirco forte Petrus adhibuit, 1. Ne, ubi moraretur, indicaret; Apoſtolorum enim prudentiæ fuerat, ut innumeris inimicorum, quorum odia in ipſos ardebant, perſecutionibus ſe ſe temere non offerrent. 2. Quod ſcriberet ad Hebræos ad Fidem adductos, qui ab ineunte ætate propheticas, & figuratas phraſes audire, imo & eaſdem adhibere conſueverant; per Sodomam enim e. g. Urbem vitiis corruptam; per Ægyptum, regionem idololatriæ deditam; per Chanaan, populum maledicto obnoxium; per Babylonem denique Urbem flagitiis addictam inducebant.

3. Fuerat Babylon eorum parentum captivitatis infelix carcer, & Chaldæorum Judaici Imperii everſorum inſenſa Metropolis. Ab hac nil prope aberat Domina Mundi Roma, cujus Imperatores Judæam pulcherrimis privilegiis ſpoliatam in Provinciam redegerant; & Chriſtianos iniquioribus perſecutionibus exagitantes, populorum in eos odium concitaverant. Quare, cum Petrus Romæ degens ad Judæorum Fideles in Pontum, Galatiam, Bithyniam, Capadociam, & Aſiam ſcriberet, æquum fuit, ut per Babylonis ſpeciem eis Romam exhiberet; quo etiam nomine & ipſi eam Urbem appellare conſueverant, cum & ab Joanne in Apocalypſi ita [4] nuncupetur, ut Veteres Patres conveniunt [5], & ipſi adverſarii fatentur [6].

Papias,

(1) 1. *Petr.* 5. 13. (2) *Tert. de Pudicitia c.* 13. (3) *Ammian Marcell. l.* 15 *c.* 7. (4) *Apoc.* 14. 8. & 16. 19. & 17. 5. & 18. 2. 19. 21. (5) *Tert. l.* 3. *contr. Marc. c.* 13. *Andreas* & *Aretas in Apoc.* 17. *Hier. in Iſa.* 24. & 47. & *l.* 2. *cont. Jovin. Aug. &c.* 6. Lutherus Babylonis nomine Rom. Eccl. deſignans, de captivitate Babylonica Librum contexuit.

Papias, Joannis Evangeliſtæ Diſcipulus, qui ſæculo ſecundo florebat (1), Petrum primam Romæ Epiſtolam ſcripſiſſe, & hanc Urbem allegorice ſed aperte aſſerit deſignaſſe iis verbis: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.* Scimus ſane Papiæ nomen, quem citat Euſebius, non huic ſed præcedenti ejuſdem Epiſtolæ textui a Cl. Valeſio referri, ubi Papias, de ipſius Valeſii ſententia, Romanorum Fideles enixis precibus S. Marcum adduxiſſe teſtatur, ut Evangelium ſcriberet, quod Petrus eis tum enunciaverat, cum Romam profectus Simonem Magum oppugnavit (2).

Licet vero Papias allato Epiſtolæ textui non faveret, faveret ſane itineri, quo Petrus Romam profectus Apoſtolum ibi, & Epiſcopum ſe geſſit, in quo utique totus diſceptationis cardo. Favet etiam teſtimonium Euſebii, qui Veterum, ſeu ipſius Papiæ, ſeu Clementis, quem paulo ante allegaverat, ore loquens, Romam Babylonis nomine venire teſtatur.

Ceterum ipſe Valeſius nequit, quin eos increpet, qui Romæ Petrum non fuiſſe defendunt; *Nihil enim*, inquit, *in tota hiſtoria Eccleſiaſtica illuſtrius, nihil certius, atque teſtatius, quam adventus Petri Apoſtoli in Urbem Romam.* De quo ſane adventu ſpectatiſſimæ authoritatis teſtes S. Clemens Alexandrinus, Dionyſius Corinthi Epiſcopus (3), Presbyter Cajus (4), Irenæus, Origenes, & ceteri omnes. Eos vero, addit, qui Babylonis nomen de Imperii Aſſyriorum (ſeu potius Chaldæorum) Metropoli explicant, Veterum Patrum authoritas omnino retundit. Id enim, quod a Veterum nemine adſtruitur, qua impudentia defenditur? Proferant illi Eccleſiæ Babylonicæ Commentarios, & ſicuti nos Romæ, ita illi continuatam ejus urbis Epiſcoporum ſucceſſionem exhibeant. Hæc Valeſius.

S. Clemens Alexandrinus (5) in ſexto Hypotypoſeon, ſeu Inſtitutionum Libro, divino conſilio factum eſſe aſſerit, ut Simone Mago a Dæmone Romam deducto; & Petrus eo pergeret, ut quidquid deceptor ille ſtruxerat, Apoſtolus hic everteret, & deletis errorum tenebris, lumini ſuo reſtitutam veritatem oſtenderet. Irenæus, qui ſecundo ſæculo floruit, & Apoſtolorum Diſcipulos agnovit, *maximas aſſerit & antiquiſſimas a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatas, & conſtitutas Eccleſias* (6).

S. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus, ejuſdem ſecundi ſæculi Author, Petrum & Paulum Apoſtolos Corinthi & Romæ fidem annunciaſſe, & Romam profectos eodem tempore Martyrium ibi conſummaſſe, ad Romanos ſcribit (7). Cajus Romanæ Eccleſiæ Presbyter, qui ſub Pontifice Zephyrino florebat, adverſus Proclum Montaniſtam ſcribens, Apoſtolorum Petri & Pauli, qui Romanam Eccleſiam condiderant, trophæa ſe poſſe Romæ oſtendere teſtatur, quorum alter in Vaticano, alter ſecus viam Hoſtienſem quieſcit (8).

S. Petrus, teſte Origene (9), poſtquam Evangelium enuncians Pontum, Galatiam, Bithyniam, Cappadociam, & Aſiam peragraverat, Romam tandem ſe contulit, ubi capite inverſo, ut expetiverat, crucifixus interiit.

Teſte etiam pluribus in locis Tertulliano (10), Petrus Romæ conſtitit, Martyrium ſubiit, Sedem ibi conſtituit, & nactus eſt Succeſſores. *Percurrant*, inquit ille, *edant origines Eccleſiarum, & evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris habuerit Auctorem, & anteceſſorem; hoc enim modo Romanorum Eccleſia Clementem a Petro ordinatum refert.* Et alibi (11): *Iſta quam felix Eccleſia, cui tantam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt, ubi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur.*

S. Cyprianus (12) in Romana Eccleſia Petri Sedem, præcipuam authoritatem, & Sacerdotalis unitatis centrum agnoſcit: *Ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt.* Arnobius (13) Hegeſippus (14), Ambroſius (15), Hieronymus (16), Euſebius (17), Auguſtinus (18), Lactantius (19), Theodoretus (20), Paulus Oroſius (21), Optatus Milevitanus (22), Epiphanius, Chryſoſtomus, Athanaſius, Concilia, uno verbo Veteres omnes, Petrum Romæ ſediſſe, & Martyrium conſummaſſe, nemine refragante, docuerunt.

In ea Petri Epiſtolæ primæ verba, *Salutat vos Marcus filius meus*, ſcribit Clemens Alexandrinus, Petrum quibuſdam Imperatoris Miniſtris Fidei myſteria explicaſſe, eoſque Marcum Petri Diſcipulum enixe rogaviſſe, ut per calamum eis redderet, quod a Petri ore paulo ante acceperant (23). S. Hieronymus (*), Beda (†) Oecumenius, & vulgo Veteres omnes hujus Epiſtolæ Interpretes Babylonis nomine Romam a Petro deſignatam docent.

Itaque neque Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum, neque Patrum authoritates nobis adverſarii objiciunt, ſed ſilentium tantummodo S. Scripturæ, & quædam congruentia argumenta, quorum vim majoris faciunt, quam hunc unanimem Veterum conſenſum, quem utique permaximi & ipſi penderent, ſi eorum ſententiæ faveret.

Sunt etiam ex Proteſtantibus, qui Petrum Romæ fuiſſe ultro fateantur. Pearſonius (24) a Veteribus nunquam in dubium revocatum aſſerit, vel quod Petrus Romanam Eccleſiam erexerit, vel quod Pontifices eidem ſuccedant. Grotius (25), & Hammondus Babylonis nomen, de quo Petrus in ſua Epiſtola, a Veteribus de Roma ſemper explicatum fuiſſe conveniunt; quorum præterea ſententiæ ſe adhærere Grotius fatetur: *De Babylone diſſident veteres & novi Interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuiſſe nemo verus Chriſtianus dubitavit. Novi Babylonem in Chaldæa. Ego Veteribus aſſentior.*

Petrum & Paulum Romæ imperante Nerone obiiſſe, ſicuti vulgo Veteres, ita Uſſerius (26) teſtatur; qui præterea ſecundam ad Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, & Cappadociæ Judæos Fideles Epiſtolam Roma a Petro datam aſſerit, unde & primam dediſſe inſinuat.

Chamier (27) unanimem Patrum de Petri adventu Romam conſenſum tanti eſſe fatetur, ut ei leviſſime adverſari neminem deceat. Romanam Eccleſiam a Petro & Paulo erectam & confirmatam Blondellus aſſerit (28); Franciſcus vero Junius, Scaliger, Caſaubonus, Petrus Molinæus, Samuel Petit, Seldenus, Vedelius, & ii omnes, qui S. Ignatii Epiſtolas ſcripſerunt, quarum una, nempe ad Romanos, hæc habet (29): *Non ut Petrus & Paulus præcipio vobis*, Petrum ſe Romam contuliſſe vulgo teſtantur. Petri martyrium Romæ conſummatum adeo liquet, ut Patricius Junius ſine temeritate in incertum revocari non poſſe fateatur. Hammondus vero

(1) *Papias apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 14. ſeu 15. edit. Valeſ.* (2) *Valeſ. not. in eumd. Euſeb. locum.* Epiſtolæ allatum textum a Rufino & Muſculo, eo, quo a nobis, ſenſu explicatum aſſerit. Ita omnes etiam qui in eum ſcripſere. (3) *Dionyſ. Epiſt. ad Soter. Pap.* (4) *Diſceptat. adverſ. Proculum.* (5) *Clem. Alex. apud Euſeb. l. 2. hiſt. Eccl. c. 14. & 15.* (6) *Iren. l. 3. contr. hæreſ.* (7) *Dionyſ. Corinth. apud Euſeb. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 24. ſeu 25.* (8) *Apud Euſeb. ibid.* (9) *Origen. tom. 3. Explan. in Geneſ. apud Euſeb. l. 3. c. 1. hiſtor. Eccl.* (10) *Tertull. de Præſcript. cap. 32.* (11) *Ibid. de Præſcript. c. 36. V. de Scorpiac. c. 15. & l. 4. cont. Marc. c. 5. & l. de Baptiſmo.* (12) *Cyprian. Epiſt. 55. ad Cornel. Pap.* (13) *Arnob. l. 2.* (14) *Hegeſipp. de Excid. Jeroſol. c. 3. & c. 1.* (15) *Ambroſ. ſer. de Baſilicis hæreticis non tradendis.* (16) *Hieron. Ep. 17. ad Marcell. & l. 2. contr. Jovinian. & in Catalog.* (17) *Euſeb. Hiſt. lib. 2. cap. 13. 14. 15.* (18) *Auguſt. de hæreſ. cap. 1. & alibi non ſemel.* (19) *Lactant. lib. 4. cap. 21.* (20) *Theodoret. Epiſt. 113. ad Leon. Magn.* (21) *Paul. Oroſ. lib. 7. cap. 4.* (22) *Optat. Milevit. lib. 2. contr. Parmenian.* (23) *Clemens Alex. in Latinis Caſſiodori in 1. Petr. 5: Marcus Petri ſectator palam prædicante Petro Evangelium Romæ, coram quibuſdam Cæſareanis equitibus, petitus ab eis ſcripſit de his, quæ a Petro dicta ſunt, Evangelium.* (*) *Hier. Catalog. de vir. Illuſt. in Marco.* (†) *Beda in 1. Petr. 5. 13.* (24) *Pearſon Oper. poſthum. p. 27. 31. 35. 43.* (25) *Grot. in 1. Petr. 5. 13.* (26) *Uſſer. ad an. Chriſt. 66. 67.* (27) *Chamier. Panſtrat. tom. 2. l. 13. c. 4.* (28) *Blondel. de Primatu & c. p. 14. 19. &c.* (29) *S. Ignat. Ep. ad Rom.*

Digitized by Google

verò (1); poſt Caji Eccleſiæ Romanæ Presbyteri, & Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi teſtimonium, adeò exploratum habet, ut nulli diſcrimini jure ſubeſſe poſſit.

Ludovicus Capellus (2) Babylonis nomen de Jeroſolymis explicandum per conjecturam ducit, quòd ea Civitas poſt Domini mortem Viros juſtos violentia exagitans, & Chriſti aſſeclas carcere efficiens, veluti in ſpiritualem Babylonem converſa fuerat. Novit utique is Author, quam ii ſibi non cohæreant, qui Babylonem vel Chaldææ Metropolim, vel Babylonem Ægypti prope magnam Cairum ad litteram accipiunt; cum verò prorſus ab eorum ſententia diſcedere nollet, alibi Babylonem conſtituit, Jeroſolymis nempe, quo tamen tunc temporis idololatria adhuc non invaſerat; imò ubi adhuc Judaicæ Religionis ſedes non corruerat, cum & Apoſtoli ipſi, & Hebræi ad Fidem traducti ejus cæremonias in eadem Urbe ſervarent.

Joſeph Scaliger (3), Salmaſius (4), D. de Marca (5), & D. Baſnagius (6), Babylonem a Petro deſignatam celeberrimam Chaldææ Urbem eſſe defendunt. Druſius vero in Petri ſecunda, quam, ſicuti & primam, Babylone datam ferebant, quædam Babylonici idiomatis veſtigia ſe deprehendiſſe putat; Petrus enim (ſi verè *Boſor* pro *Beor* ſcripſerit) *Balaam* vocat filium *Boſor*, ſeu ex Patria *Boſor*, pro ex Patria Pethor, *Phe* in *Beth*, & *Schin* in *Thau*, vel *Hain* in *Schin* immutans.

Babylonem prætereà incolis non fuiſſe tunc temporis deſtitutam, neque poſt Aſinæi obitum & Anilæi, ultorumque Judæorum, quos Seleucienſes interfecerunt, cædem, Judæos omnes inde egreſſos (7) non abſurdè tuentur: Petrum inſuper in Ægyptum perrexiſſe, & Babylonis Ægyptiæ, & Alexandriæ Eccleſias conſtituiſſe, nuſquam ſatis oſtendi perhibent, ſed eum Antiochia in Orientem tranſmigraſſe, & Babylone, ubi Judæorum plurimi degebant, conſtitiſſe, veroſimilius cenſent. Ad hæc, Petrus utique, refragante nemine, in Bithyniam, Galatiam, Pontum, & Cappadociam Evangelium intulit, quae Provincias Euphrati ſatis proximas cum forte peragravit, cum Babylonem perrexit, vel inde reverſus eſt in Syriam. Porro, veluti Pater ſuos filios, vel ſuos Neophytos Apoſtolus, earum Provinciarum Judæos alloquitur, eorum tentationum meminit, eorumque lætitiæ, vel per Epiſtolas, quas ab ipſis acceperat, vel per contubernium, quod ſibi cum ipſis fuerat, de omnibus ſeſe inſtructum oſtendit; in hac demum Epiſtola primum ad Provincias Babyloni propinquiores, ultimo ad remotiores ſermonem ſuum dirigit. Neque curſim tantummodo Babylonem percucurrit, ſed ibidem diu conſtitit, cum ſe illius urbis idioma nonnihil didiciſſe per ſuas Epiſtolas ſatis exhibeat. Hæc hujus ſententiæ majoris momenta argumenta.

Qui vero ſtant pro Babylone Ægyptia, Chaldææ Babylonem, quo Judæi expulſi fuerant, incolis permaxime deſtitutam perhibent. Verum eam Urbem, cui vere, non figurate Babylonis nomen competat, ſtudioſe inquirant, ad Ægyptiam Babylonem confugium, ubi plurimos tum Judæos conſtitiſſe, & quo Petrum, poſtquam Fidem Alexandriæ enunciaverat, perrexiſſe defendunt. Ita fit, ut quod ab his adſtruitur, ab aliis invicem evertatur. Veritas autem media via incedens, de vera Babylone indaganda nil cogitat, & myſticam & allegoricam Babylonem hic deſignari tuetur.

Eo ſane tempore, quo datas a Petro Epiſtolas Judæi acceperant, Babylonis nomine neque Chaldæorum, neque Ægyptiorum Babylonem Judæi ipſi intelligere poterant. Non primo Babylonem Ægypti, quam Ponti, Galatiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, & Aſiæ Judæi, ad quos hanc Epiſtolam Petrus direxerat, vel vix noverant, vel penitus ignorabant. Hanc Urbem Perſæ quidam tum condidere, cum a Cambyſe, qui Ægypto potitus fuerat, permiſſi in ea regione ſibi ſedem conſtituerunt (8). Strabonis ætate, altera e tribus Romanorum Legionibus Ægypto tuendæ mancipatis, in eam tamquam in arcem munitiſſimam ſe receperat (9). Tum ſeu Chriſtianorum, ſeu Judæorum aliquem in ea commorantem nuſquam invenimus, & Petrum vel eo perrexiſſe, vel ibi prædicaſſe Veterum nemo unquam recenſuit. De Babylonis prætereà Epiſcopis per ſæcula plurima perpetuum ſilentium. Horum primum, juxta Spanhemium (10), Cyrum agnoſcimus, cujus nomen in prima Concilii Chalcedonenſis actione occurrit. Baronius vero primum vocat Zozimum, qui ſæculo quinto, Juſtino Juniore imperante, ei Eccleſiæ præfuit. Illius mentio apud Sophronium. Credibile ne fuerit, Eccleſiam ab ipſo Petro erectam tandiu incognitam perſtitiſſe? Si Petrus de hac urbe ad Judæos ſcripſiſſet, per quoddam epithetum, vel per phraſim clariorem eam utique deſignaſſet; illi enim Babylonem audientes, congruum ſane fuerat, ut potius Magnam Chaldææ Babylonem perciperent, urbem ſuis regionibus propinquiorem, in ſuis Hiſtoriis frequentiorem, & ipſorum calamitatibus celeberrimam.

Quæ tamen olim florentiſſima Civitas tum, cum Petrus ſcriberet, eo ſuerat, ut lapidum potius congeries, quam Civitas videretur: *In ſolitudinem*, ait Plinius, *rediit, exhauſta vicinitate Seleuciæ, ob id condita a Nicanore* (11). Strabo deſertam ferme refert; Diodorus minimam ejus partem vix populo frequentatam memorat. Cajo prætereà regnante, paulo ante Claudium ejus ſucceſſorem, quo imperante ſuam hanc Petrus dedit Epiſtolam, Judæi Babylone profugi, Seleuciam contenderant. Fuſius rem narrat Joſephus (12). Babylonii Aniläo, ejuſque ſociis cæſis, Judæos invaſerunt; qui ſe ad confligendum impares ſentientes, Seleuciam confugerunt, ubi per quinquennium nulla affecti ſunt injuria. Sexto vero anno peſte in Babylonem graſſante, Judæorum reliqui, qui deinde adhuc non diſceſſerant, Seleuciam & ipſi commigrarunt, ubi omnium peſſima eos obruit calamitas. Græci enim & Syri urbis incolæ male inter ſe diu convenientes, ea lege pacem & amicitiam pepigerunt, ut Judæos omnes perderent; quare eos ex improviſo aggreſſi, ſupra quinquaginta virorum millia interfecerunt. Si vero quibus a Seleuciæ, & Babylonis, utraque enim in eorum perniciem conſpiraverat, cæde evadere contigit, Neerdæ, & Niſibi præ cæteris urbibus tutiores ſe rati, eo convenere. Hæ utique circumſtantiæ minime iis favent, qui Petrum tunc temporis Babylone commorantem, ibique florentem Fidelium Eccleſiam ſtatuunt.

Prætereà quod Petrus Euphratem trajecerit, aut Babylone conſtiterit, neque Scriptura, neque Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ uſquam meminerunt. Cur igitur nullo innixi argumento rem tanti momenti aſſeremus? Quare ab unanimi Patrum & Interpretum, Babylonis nomen de Roma explicantium, conſenſu diſceſſerimus? Judæi, ad quos Petrus ſcripſit, neque de Chaldææ, neque de Ægypti Babylone id accipere poterant, quin, ut oſtendimus, congruum erat, allegorice ſumerent, & de Roma explicarent, quam, utpote flagitiis deditam, Juſtis infenſam, & idololatriæ ſedem, Babyloni ſimillimam agnoſcebant.

Locus ſane, de quo hic egimus, ex iis minime fuerit, quorum ſenſus, quod res intellectuales, & a Lectorum plerisque neglectae afficiat, per plura ſæcula vagus & incertus oberrat. Quicumque, hunc vel audiant, vel perlegant, illico percipere appetunt, an allegorice an vero ad literam ſit explicandus. An Petrus vere Babylone conſtiterit, ſeu Romæ hanc Epiſtolam ſcribens, eamdem urbem per phraſim alle-

(1) *Hammond. Diſſertat. 5. de Epiſcopis, & Presbyteris &c.* (2) *Lud.Capell. Hiſt. Apoſtolorum.* (3) *Scalig. in Chronic. Euſeb.* (4) *Salmaſ. de Primatu Pontific.* (5) *Marca de Concordia Imperii & Sacerdotii part. 1. l. 6. c. 1. n. 4.* (6) *Baſnag. in Continuat. Joſeph.*

(7) *Vid. Joſeph. Antiqu. l. 18. c. ult.* (8) *Joſeph. Antiqu. lib. 2. cap. 5.* (9) *Strabo lib. 17.* (10) *Spanhem. Diſſert. De temere credita Petri in urbem Romam profectione art. 4.* (11) *Plin. lib. 6. cap. 26.* (12) *Joſeph. Antiquit. lib. 18. c. ult.*

Digitized by Google

allegoricam deſignaverit, non Petri modo, ſed & ſtudiores indagaſſent; quare ubi ſemel rem tetigiſſent, fieri ſane non poterat, ut eamdem per oblivionem deperderent. Quis vero inter Veteres vel minimum ea de re diſcrimen memorat? Quis Babylonem de altera urbe, præterquam de Roma, hic explicat? Nos ipſi, ſi Epiſtolam perlegamus, nonne ſtatim Babylonis nomine Romam percipimus? Ex quibus omnibus illud ſane fit, ut hæc habenda ſit traditio, quam ab ipſis Apoſtolis, & ab eorum Diſcipulis derivamus, & cui Recentiores & argumentis, & authoritate deſtituti, nullo jure poſſunt adverſari. Præterea eorum non de leviſſima quadam circumſtantia, ſed de potiſſima ipſius rei difficultate diſſidium ſententiam hanc incertam omnino præſert, & prorſus evertit. Olim, ut paulo ante oſtendimus, non convenire, & in præſentia inter ſe non cohærent, Veritas utique una eſt, quæ potiſſimum ibi elucet, ubi eam conſenſus omnium defendit. Patres & Interpretes omnes Babylonis nomine in prima ſui Epiſtola a Petro deſignatam fuiſſe Romam, ab Eccleſiæ exordio ad hæc uſque tempora, nemine refragante, docuerunt: Hunc igitur locum de Roma ſolummodo explicandum, liquido conſtat.

Nonnulli ex Catholicis Scriptoribus, De Marca, Joannes Baptiſta Mantuanus, Michael Ceſenas, Marſilius Paduanus, Joannes Aventinus, Joannes Lelandus, Carolus Molinæus, & forte alii, qui ea in re nonnihil hæſerunt, fruſtra nobis objicerent; eorum enim animus anceps diſtrahebatur ab his Proteſtantium argumentis, quæ jam perpendimus, & quæ ejuſmodi ſunt, quibus ipſius eorum ſententiæ fautores minime acquieſcant.

In noſtram adhuc ſententiam inſurgunt, quod nempe de anno, quo Petrus Romam contendit, inter Veteres non conveniat. Quare, ajunt, traditio, quam præſerimus, utpore incertis innixa argumentis, penitus corruit. Lactantius ſub Nerone Petri adventum ſtatuit (1); Euſebius (2), Hieronymus (3), Ado, & alii plures Claudii anno ſecundo: Paulus Oroſius (4) ejuſdem imperatoris exordio, quamquam anno Claudii ſecundo, recurrente Paſchatis Feſto, Petrum Jeroſolymis extitiſſe (5), & a Rege Agrippa in vincula conjectum, Angeli ope divinitus evaſiſſe certo ſcimus.

Veterum plures annis quinque & viginti Romæ Epiſcopum ſediſſe ferunt (6); Claudii nihilominus anno decimo Concilio Jeroſolymis coacto interfuiſſe (7), & anno poſt Concilium Antiochiam profectum, ibique a Paulo redargutum, conſtat (8). Paulus, qui Roma plures ſcripſit Epiſtolas (9), nuſquam Petri meminit, quod utique, Petro Romæ degente, non prætermiſiſſet. Juxta eorum hypotheſim, qui Petrum annis quinque & viginti Romæ ſediſſe ſtatuunt, quarto Neronis anno in ea ſane Urbe degebat; Paulus vero eodem anno ad Romanos ſcribens, plurimos, quibus valedicit, enumerans, Petrum penitus prætermit. Porro apud Lucam in ſuis Actis de Petri Romam adventu perpetuum ſilentium.

Ubi Paulus Romam pervenit (10), Fideles omnes ad eum confluxere; Petrus vero neque venientem excepit, neque captivum inviſit. Inviſere quidem Synagogæ Primarii, a quo & de Catholica Religione poſtularunt (11): *Nam de ſecta hac notum nobis, quia ubique ei contradicitur*; qui eam utique non prætuliſſent inſcitiam, ſi a Claudii imperantis exordio Petrus Romam profectus, ſedem ibi ſuam erexiſſet, erectamque firmaſſet. Petrus inſuper & Paulus ita inter ſe convenerant, ut Evangelii laboribus ſibi compoſito diſtributis, Paulus Ethnicos in Fide erudiret, Petrus Judæos (12): *Cum vidiſſent, quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis, dederunt dexteras mihi & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſione*. Quare cum Roma Ethnicorum eſſet Civitas, non ad Petrum ſed ad Paulum pertinebat. Præterquamquod Claudius Imperator Imperii anno 9. & Chriſti 49. ſeu aliquanto poſt, Judæos omnes Roma ejecit: abiiſſet igitur & Petrus; quomodo enim ibidem invito Imperatore conſiſteret, præſertim cum ejus mora conferre minime poſſet ad circumciſos Chriſtianos, qui una cum Judæis, a quibus non ſecernebantur, ab Urbe diſcedere coacti fuerant.

Hæc omnium, quæ adverſus ſententiam noſtram afferantur, validiſſima; cetera enim minime prorſus facienda. Quibus tamen omnibus facile occurrimus. Quod attinet ad Scriptores noſtros, qui de anno, quo Petrus Romam adiit, non conveniunt, reſpondemus.

1. Eccleſia neque hanc probat epocham, neque illam improbat, neque horum ſententiam accipit, neque illorum reſpuit, tantumque eo reſpicit, ut Petrum Romæ conſtitiſſe confirmet. Semel, aut bis, ſive primo, ſive ſecundo, ſive denique tertio Claudii anno Petrus Romam venerit, minime inquirit; hæc vero omnia Chronologiſtis diſcutienda relinquit.

2. Qui Claudii anno ſecundo, & qui ejuſdem imperantis exordio Petrum Romam profectum ſtatuunt, inter ſe minime pugnant; annus enim ſecundus Imperii, quod annis tredecim, menſibus octo, & diebus viginti Claudius geſſit, optime Imperii initium adhuc appellatur. Nihil vero prohibet, quominus Petrus in Paſchate anni ſecundi Jeroſolymis adfuerit, & eodem Claudii anno ſub æſtatis exitum Romam pervenerit.

3. Petrum vero annis quinque & viginti Romæ ſediſſe neque omnes aſſerunt, neque nos aſſerto defendimus. Quando autem id nobis tueri liberet, ſingulis viginti quinque annis ita eum Romæ conſtitiſſe, ut numquam inde diſceſſerit, minime ſtatueremus. Potuiſſet utique inde egredi, & eo annorum intervallo pluries iter modo in Orientem, modo in Occidentem inſtituere, ut Eccleſiæ neceſſitas, & Spiritus Sancti ductus expoſtulaſſent. Quare nil prohibet, quin Concilio Jeroſolymis coacto præfuerit, & Romanam Sedem nihilominus non reliquerit; ſicuti a ſuis Sedibus diſcedere non dicuntur Epiſcopi, qui ad Concilia conveniunt. Ab anno Claudii ſecundo, uſque ad Neronis ultimum, quo Petrus Martyrium conſummavit, quinque & viginti circiter anni interfuerunt.

Scriptorum igitur in anno, quo Petrus Romam venit, aſſignando diſcrepantia adverſariis noſtris nequaquam favet. Hac in re duo nobis ſecernenda, quorum alterum ad rem pertinet, alterum accedit; alterum nempe, an Petrus vere ſe Romam contulerit, quærit; alterum, quo anno eo venerit, quamdiu ibi conſtiterit, an per hanc, an per illam Urbem tranſierit, inveſtigat. Veteres quidem de primo unanimes conveniunt. Diſſidium vero agitari poteſt de ſecundo, quin primum vel leviſſime concutiatur. An, quod de anno, quo Chriſtus obiit, inter Veteres non conveniat, etiam de ejus morte ambigamus? Circumſtantiarum, quæ factum ponunt, diſſidium eidem potius confirmando, quam evertendo conducit.

Præterea, cum Petrus a Caligula uſque ad Neronem, quo imperante interiit, pluries Romam contenderit, adverſæ ſententiæ inter ſe facile veniunt conciliandæ. Forte enim Petrus exordio, anno nempe Claudii imperantis ſecundo, juxta Euſebium, Hieronymum, & Oroſium, Romam venit, eoque etiam ſe contulit duodecimo, ſeu decimo tertio Neronis anno, paulo antequam martyrio afficeretur. Revera Veterum plures Petrum, ut Simonem Magum retunderet, Romam adiiſſe; ſibique una cum Paulo in carcerem conjectum ſimul martyrio interemptum ferunt (13).

Mirum neque fuerit, ſi Paulus vel Roma ad alios,

(1) *Lactant. de Morte perſecutorum*. (2) *Euſeb. in Chronic.* (3) *Hier. Catalog. in Petro*. (4) *Paul. Oroſ. l. 1. c. 6.* (5) *Act. 12. 3. &c.* (6) *Pontific. Damaſ. Beda, Iſidor. Hiſpal. Ado, alii*. (7) *Act. 15.* (8) *Galat. 2. 11.* (9) *Epiſt. ad Coloſſ. ad Philipp. ad Epheſ. & 2. ad Timot.* (10) *Neronis an. 6. Chriſt. 62.* (11) *Act. 28. 22.* (12) *Galat. 2. 8. Vide Salmaſ. de Primatu Petri*. (13) *Ann. Chriſt. 66. Neron. ultimo*.

alios; vel aliunde ad Romanos ſcribens, nunquam Petri meminerit; forte enim tum, cum Paulus ſcriberet, Petrus Roma aberat; vel in alia illius ampliſſimæ urbis regione degebat; vel iis, ad quos Apoſtolus Epiſtolas dedit, præcipua cum Petro ſeu ſocietas, ſeu neceſſitudo non fuerat; vel denique mille aliis de cauſis contigit, quas divinare non vacat.

Quæ vero adverſus nos urgentur, quod Judæi Romæ degentes Paulum adierint, eique de Chriſtiana Religione interrogato illud tantum ſe ſcire aſſeruerint, quod huic ſectæ ubique contradiceretur: Judæi hujuſmodi ex Fidelibus minime fuerant, & falſis, quæ ab Judææ Hebræorum Epiſtolis & calumniis hauſerant, opinionibus imbuti, Religionem Catholicam ſolo nomine noverant. Itaque cum Paulus ex Judæa Romam advenisset, eum, quem doctum virum habebant, facile adivere, ut de Chriſtianis, in quos omnium Synagogarum odia exarſerant, erudirentur. Licet autem tam ex Judæis, quam ex Ethnicis plurimi, qui Fidem amplexi fuerant, Romæ degerent; attamen, cum hi in Judæorum Synagogam minime convenirent, Epiſtola, quam paulo ante ad eos ſcripſerat, facile ad Judæorum infideles non pervenit: quare mirum non fuerit, ſi de Pauli rebus, de Fidei, ad quam ipſe ſe contulerat, progreſſu, & de cauſis, quibus Romam adductus fuerat, ſe ſe minime certiores exhibuerint [1]; *Nos neque litteras accepimus de te a Judæa, neque aliquis fratrum adveniens nuntiavit, aut loquutus eſt de te malum.*

Cum Evangelicos labores Petrus & Paulus ita inter ſe diſtribuere, ut a Paulo Ethnici, a Petro erudiendi eſſent Judæi, quid uterque Apoſtolus vere ſenſerint, quid potiſſimum in munere ſuo exercendo ſervarint, ignoramus; uterque enim Judæos & Ethnicos promiſcue edocuere, quorum plurimos ad Fidem genitos baptiſmo initiarunt. Petrus utique Cornelium, ejuſque familiam baptiſmate abluit [2] & in Concilio Jeroſolymis coacto, ut Gentibus Evangelium enunciaret, eaſque ad Fidem perduceret, ſe a Deo jam diu antea ſelectum teſtatus eſt [3]. Paulus vero, quorumque iter faceret, nonne Judæos ad Fidem primum inſtituebat, & tum ad Ethnicos convertebatur, cum inter illos Evangelio aditum patefaciendi ſpes ſibi affulgeret? [4] Petrus igitur, quin Gentes negligeret, Judæis præcipue erudiendis; Paulus vero, quin Judæis deeſſet, Gentibus potiſſimum edocendis ſe addixerant.

Eſto tamen, Petrus ſolis Judæis ad Fidem inſtituendis incumberet: & Romæ perplurimi, quos excoleret, Judæi degebant. Herode e vivis ſublato quinquaginta Legatis, qui Jeroſolymis Romam dimiſſi fuerant, ut a Regum imperio in poſterum liberari poſtularent, duodecim Judæorum millia ſeſe adjunxere [5]. Imperante Caligula, maximam Romæ trans Tiberim partem a Judæis frequentatam, ſcribit Philo [6]. Claudius tot tantoſque ſe regnante Judæos Romæ numerabat, ut ſeditionem veritus, eos inde expellere auſus minime fuerit, ne una ſimul convenirent, vetare contentus [7]. Expulit tandem, anno, ut ferunt, imperii ſui nono, quod cauſa Chriſtianorum tumultus aſſidue exciterent [8].

Tunc & Petrus forte diſceſſit, quod tamen minime prohibet, quominus ſexto Neronis anno, qui Chriſtianos tantum, non Judæos inſectabatur, iterum eo fuerit reverſus, ubi Judæorum & Chriſtianorum plurimos nactus eſt [9]. Sub Neronis imperantis exitum, Petrus & Paulus permaxima animi alacritate Romam ſupremum redierunt, ubi, ut Veteres omnes ſcribunt, martyrium conſummarunt.

Illud prætereo, quod ex S. Lucæ in actis ſilentio argumentum ſibi adverſarii ſtatuant ad Petri Romanum iter evertendum; ac ſi S. Evangeliſta Petri hiſtoriam ſibi referendam ſuſcepiſſet, cujus uſque poſt decimum ſextum Actorum caput videtur oblitus, ut Pauli ſolius mentionem inſtituat. De Petri Romano itinere plurimas vulgatas eſſe fabulas fuſe Spanhemius oſtendit; plurima nempe & Romæ, & in aliis Italiæ urbibus monumenta, Eccleſias, & loca ab ipſo Petro conſecrata exhiberi, plurimos etiam Urbium celeberrimarum olim Epiſcopos, quos itineris ſui comites a Petro adhibitos oſtentant; plurimas denique & temporis & loci ambiguas, & commentitias circumſtantias producit, ut hujus itineris fidem vel ambiguam reddat, vel omnino evertat [10].

Noſtri vero Critici doctiores neque his fabulis, & ambiguis circumſtantiis fidem præſtant, neque omnibus ea de re popularibus traditionibus adhærent. Hæc tamen minimi facienda nemo excogitaſſet; niſi iter hujuſmodi omnino exploratum habuiſſent. Si traditiones inanes, & falſa commenta, quibus Apoſtolorum, & ipſa Chriſti acta ſeu improbe, ſeu leviſſime intexleruntur, ea forent argumenta, ut authenticæ hiſtoriæ rejicerentur, ad quas hodie redigeremur anguſtias, cum tot tantiſque fabulis, quas ſæculorum ignorantia invexit, totius fidei, certæque authoritatis facta obvolvantur? Criticorum peritia non omnia peritus rejicit, ſed digniora ſeligit, & vera a falſis, certa ab ambiguis, hiſtorias authenticas ab incertis circumſtantiis ſecernit.

Ut Romano Petri itineri, & noſtræ interpretationi, qua Babylonem de Roma explicamus, fidem adimant, Veterum Scriptorum authoritatem, a quibus utrumque accepimus, infirmare conantur. Papiam exilis ingenii virum, ſimplicem, & credulum vocant, & quaſdam ejuſdem traditiones producunt, incertas prorſus. S. Ignatii Martyris Antiocheni Epiſcopi textum commentitium perhibent, & Epiſtolam, quam Smirna ad Romanos ſcribit, adſcititiam aſſerant. S. Irenæum, S. Clementem Alexandrinum, Tertullianum, Origenem, plus nimio credulos, & quibuſdam tam facti, quam juris erroribus obnoxios appellant, & ea, in quibus a veritate aberrarunt, curioſe recenſentes, illos ut alibi, ita & hic criticæ, diligentiæ, & inquiſitioni deeſſe potuiſſe oſtentant.

Optimum ſane contra Patrum authoritatem perfugium! Si trium priorum ſæculorum Patres nullius fidei, & authoritatis, viri etiam ſimplices & creduli habendi ſint, a quibus nos de Religione erudiemur? Proteſtantes, qui Præceptorem quamlibet, præter trium eorumdem ſæculorum Patres, rejiciunt, quomodo in dogmatis & doctrinæ rebus eorum teſtimonio fidunt, ſi in facti & hiſtoriæ rebus nulla eis fides ſit adhibenda? Quot noſtræ Religionis dogmata factis innituntur, vel ſaltem cum eiſdem ita nectuntur, ut ſecerni non poſſint? Si Ignatius, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus nullam ſibi fidem vendicant, eorumque teſtimonium prorſus rejiciendum docetur, quod teſtes majoris fidei, ingenii, nominis, & authoritatis adhibebimus?

At enim pluries decepti ſunt. Et eos homines fuiſſe fatemur. Verum & hic deceptos eſſe validis argumentis adverſarii oſtendant. Concludit ne ratiocinium: Et hic, ſicut alibi, decipi potuere; ergo revera decepti ſunt? Errorem probent, allucinationem proferant: & nos ultro ſtabimur. Quæ niſi præſtent, nobis utique maximi habenda eorum authoritas, præſertim cum de facto agatur publico, cognito, celeberrimo, & quod Religionis, & Eccleſiaſticæ Diſciplinæ permagni intererat, ne tanti ponderis res lateret, ubi nempe præcipua reſideret authoritas, quo in controverſiis confugiendum, & quod unitatis, doctrinæ, & communionis centrum omnibus habendum foret. Plurimi denique eorum ducendum eſt teſtimonium de facto, de quo, quamvis re inconcuſſa nonnullam leviſſimi ponderis circumſtantiam immutent, omnes unanimi voce conveniunt.

Concludamus igitur, Romanum Petri iter certo con-

(1) *Act.* 28. 21. (2) *Act.* 10. 47. *&c.* (3) *Act.* 15. 7. 8. 9. (4) *Act.* 13. 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes &c.* (5) *Joſ. Antiq.* l. 17. c. 12. p. 610. (6) *Philo Legat. ad Cajum.* (7) *Diod. l.* 9. *hiſt.* (8) *Sueton. in Claudio. Judæos impulſore Chriſto aſſidue tumultuantes Roma expulit.* (9) *Act.* 28. 17. *&c.* (10) *Spanh. Diſſ. de temere credita Petri in Urb. Rom. profect.* n. 5. & 20.

conſtare, & omnium Veterum, imo plurium etiam ex doctioribus Proteſtantibus Criticorum teſtimonio exploratum haberi. Textum vero primæ Petri Epiſtolæ, quo Babylone ſcripſiſſe innuitur, neque de Chaldææ, neque de Ægypti Babylone, neque de Jeroſolymis, ſed de Roma ſolummodo cum omnibus vetuſtæ ætatis Authoribus eſſe explicandum; eos denique, qui huic vetuſtiſſimæ, validiſſimiſque argumentis innixæ ſententiæ adverſantur, neque dignos eſſe, quibus reſpondeamus, cum vel negativa argumenta, vel circumſtantiarum diverſitatem tantummodo objiciant, quæ rem minime evertunt.

DISSERTATIO

De Librorum Sacrorum Inſpiratione, ad 2. Petr. 1. 21.

ARTICULUS PRIMUS.

Certa Librorum S. Scripturæ Inſpiratio.

SUNT qui ingenii perſpicaciam oſtentantes, & ſupra Vulgi præjudicia ſeſe efferentes, nil de Religione excipiant, quod argumentorum trutina non habuerint exploratum. Unde Scriptura, quam allegamus, ſuam authoritatem derivet, aſſidue poſtulant; nobis vero reſpondentibus, a Spiritu Sancto, a quo Eccleſia certo inſpiratam ſe novit; unde hoc certo ſciat, repoſcunt; quibus ſi Eccleſiam errare non poſſe dixerimus, quod ipſe Dominus ſe commiſſurum ſpopondit, *ut portæ Inferi non prævaleant adverſus eam* (1), minime aquieſcunt; imo quid, ſubdunt, ad Eccleſiæ falli neſciæ argumentum Scripturæ authoritas producitur, cum de Scripturæ authoritate ſit controverſia? Circulum utique vitioſe ducimus, & incertis ambigua probamus. Quare directa ſibi petunt exhiberi argumenta, poſitive Scripturarum inſpirationem evincentia.

Ut his ſatisfaciamus, conabimur. Niſi Scripturæ eſſent Divinitus inſpiratæ, in maximum Religio noſtra diſcrimen adduceretur; & niſi id a nobis perſpicue queat oſtendi, Fidei hoſtes nimiam de nobis victoriam obtinerent. Si Religio humanis tantummodo argumentis innititur, vera Religio prorſus corruit; de ea enim certis, & inconcuſſis deſtituta principiis quiſque, ut ſibi collibitum erit, decernet; hic alterum rejiciet articulum, alteri ille adhærebit; hic marte ſuo Fidei dogma inſtituet; ille ritum Religionis inducet; neque inde cultus & Fides proba, & rationi concors exſurgeret, ſed monſtrum ex variis, & nullo inter ſe nexu copulatis opinionibus compactum produceretur. Quæ utique Religio a vera Religione longiſſime abeſſet. Quare neceſſe eſt, certo & immutabili principio fides noſtra fulciatur.

Quod ſane principium Deum ipſum eſſe defendimus, Deum, inquam, qui ſuas nobis veritates in Scripturis aperuit, eaſque tuendas, & explicandas credidit Eccleſiæ, cui, ſicuti & Sanctorum Librorum Authoribus, lumen falli neſcium impertiit. Hæc in noſtra Diſſertatione probanda. Eos vero cum quibus hæc nobis diſceptatio, ſatis perſuaſos credimus de exiſtentia Dei, de animæ immortalitate, & de neceſſitate veræ Religionis, qua Deo Fidem, amorem, & famulatum pro viribus, præſtandas eſſe erudiamur.

Eos præterea, qui Librorum Sacrorum inſpirationem impugnant, rogamus, ut illos ſaltem, veluti Libros authenticos, veraſque hiſtorias referentes excipiant, tantique habeant, quanti Libros, quos Ethnici, & prophani Authores fide digni, & rerum, de quibus agunt, periti dedere. Ea ſane fides Moyſi & Evangeliſtis neganda non eſt, quæ Thucydidi, Julio Cæſari, Suetonio, aliiſque Hiſtoricis. Si hæc nobis dederint, & pugnandi cupidinem, ceteraque falſa præjudicia ex animis expellant, Libros, quos Sacros, & inſpiratos defendimus, hujuſmodi vere eſſe, ipſis liquido nos oſtenſuros nobis pollicemur.

Si Deus eſt, eſt etiam Religio; homini enim quædam neceſſario præſtanda ſunt, quibus Deum ſupremum eſſe Dominum, ſe vero famulum profiteatur. Religio autem minime ſubſiſtit, niſi expreſſe revelentur, quæ Deus ab homine exigat, & quomodo cultus, & famulatus ſibi velit impendi. Si enim homini indulgeret, ut is quemcumque vellet, ſibi cultum tribueret, omnibus, ut libitum cuique eſſet, fidem, & cultum inſtituentibus, in errorum, & ſuperſtitionum congeriem Religio tranſmutaretur.

Hæc inſuper revelatio ſubſiſtens, æquabilis, & permanens eſſe debet. Si Deum, quæ nobis & credenda, & exercenda ſunt, ſingulis ſeorſum revelare dixerimus, phanatiſmo utique & impietati aditum pandemus; ſe quiſque deciperet, Deumque ſibi inſpiraſſe putaret, quod ipſe per ſe ipſum excogitaſſet. Quare nil fixum, nil certum, adeoque nulla Religio in Religione eſſet; incerta enim Religio a re nulla magis quam a vera Religione diſcedit.

Revelatio fixa & certa eſſe nequit, niſi 1. in publicis, communibus, & hominum captui accommodis documentis tradatur; hujuſmodi ſunt Scripturæ, quas inſpiratas dicimus; niſi v. g. ubi obſcura & æquivoca occurrant, & de horum documentorum explicatione diſſidium oboriatur; niſi, inquam, ſaltem in re aliqua ſenſili ſubſiſtente, loquente, & eodem Spiritu, quo is, qui Scripturas dictavit, perfuſo, eas explicandi, earumque ſenſum ſtabiliendi jus & poteſtas reſideat. Quæ quidem 1. in noſtris Sacris Libris implentur, in quibus nihil eorum deſideres, quæ ad cultum noſtramque Religionem inſtituendam ſunt neceſſaria; 2. in Eccleſia, cui ad Scripturas, ut par eſt, explicandas tota authoritas.

Subſiſtentis vero in Libris Sanctis revelationis neceſſitatem rationis lumen, & inſita omnibus perſuaſio demonſtrat. Gentes omnes tenent, populis neceſſaria eſſe ſacra quædam monumenta (*), quæ Religionis, quam profitentur, regulas & articulos complectantur (2). Quamobrem Hebræi, Indi, Ægyptii, Romani, Græci, Mahometani ſuas habent Scripturas Sacras, quibus plurimam venerationem exhibent, earumque Authores inſpiratos, & ſupernaturali lumine perfuſos oſtentant.

At enim: Libri, quos ſacros habent Ægyptii, Indi, Mahometani, & alii, erroribus undique ſcatent;

(1) *Matth. 16. 18. Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* (*) *Plato in Timæo de Ægyptiis pag. 23. Item Joſeph l. 1. contr. Appion. pag. 1052. Ita & Diodor. l. 2. de Romanis. Vid. Macrob. Saturnal. l. 3. Aul. Gell. lib. 5. Tull. l. 2. de Oratore.* (2) *Vid. Strabonem lib. 16. pag. 722. Veteres, inquit, oracula conſulebant. Legiſlatores Minos & Licurgus Leges ſibi ab Jove revelatas dictitabant. Amphiaraus Trophonius, Orpheus, Muſæus, Zamolxis, & alii ſe inſpiratos jactabant. Tales erant Gymnoſophiſtæ apud Indos, Magi apud Perſas, Chaldæi apud Aſſyrios, Aruſpices apud Romanos, & Moyſes apud Hebræos.*

tent; quis vero & Judæorum, & Chriſtianorum Scripturas ab iis minime vitiatas certo nobis oſtendat? Judæorum & Chriſtianorum Scripturæ per ſe ipſas Divinitatis Characterem præferunt; a Viris falli neſciis, Prophetis, Jeſu Chriſto, Apoſtolis authoritatem accipiunt; comprobantur denique ab Eccleſia, quam Dominus in iis decernendis errori numquam obnoxiam futuram promiſit. Hoc ſtatim probandum aggredimur. Iterum vero ab adverſariis petimus, ut Moyſis Libris, cæteriſque Judæorum & Chriſtianorum Scripturis tamquam veris hiſtoriis fidem tantummodo adhibeant; quam quidem Moyſes, cæterique id genus Scriptores, eorum etiam tantummodo habita ratione, merito ſibi vendicant, cum ſint Authores & ingenii præſtantia, & fide præ cæteris commendandi.

Moyſes Pentateuchi Scriptor ſeſe inſpiratum teſtatus; prodigioſam utique vocationem ſuam narrat [1]; ſe a Deo ad Pharaonem miſſum aſſerit, ut Dei nomine ad Hebræos libertati reſtituendos Regem adduceret, cui muneri cum ægre nimium acquieſceret, Dominus opem ei ſuam [2] ſpondens, *Quis*, inquit, *fecit os hominis, aut quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum? nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo*. Refert præterea ſigna, quæ Dei virtute præſtitit; quomodo Legem a Deo in monte Sinai acceperit, memorat [3]; & ore ad os, ſeu facie ad faciem, ut amicus amicum alloquitur, Deum ſibi loquutum teſtatus [4]. Cum e Domini conſortio maximum oris fulgorem hauſiſſet, poſt obductam velo faciem populo ſe videndum exhibebat [5]. In Moyſis Libris paſſim occurrit: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen dicens &c. ſeu locutus eſt Dominus ad me &c.* Futura Moyſes præcinuit, præterita etiam ſed incognita produxit; quæ quidem utraque hominis virtutem prætergrediuntur. Mundi v. g. creationem exhibet, quam quidem nonniſi per revelationem acceperat: hominum enim nemo, neque Adam ipſe, nonniſi poſt cætera a Deo ſexta die creatus, Mundi conſtructioni adfuerat [6]. Poſt obitum ſuum Hebræorum a fide defectionem [7], Meſſiæ, ſeu Magni Prophetæ adventum [8], ſui ipſius interitum prænunciavit. Neque ſe, neque fratrem ſuum Aaron promiſſionis regionem ingreſſuros [9], eamdem ab Joſue comparandam [10], & Tribubus ſortito diſtribuendam prædixit; imo ac ſi ſortes ipſe dirigeret, cuilibet Tribui portionem ſuam deſignavit [11]; quarum plerique quidquid eventurum fuerat, prænunciavit [12]: Leges denique tradidit, quæ Divinitatis Characterem apertum præferunt, ſive earum præſtantiam, ſive Moralis, quam docent, puritatem intueamur, ſive illud miremur, quod hæ cum ratione, & cum hominum erga Deum, & erga proximos officiis permaxime cohæreant: vel quod omnes vaticinium, & eorum quæ in Chriſto & Eccleſia adimplenda fuerant, figuram exhibeant.

Teſtis pro Moyſe Joſue, teſtis pro Joſue Moyſes. Omnes Veteris Teſtamenti Authores ſibi mutuum teſtimonium præſtant. Chriſtus Moyſem cæterosque Librorum Sacrorum Authores commendat

[13], eoſque veluti inſpiratos & Divina authoritate probatos allegat [14]. Hinc fit, ut vel Moyſes, cæterique Veteris Teſtamenti Scriptores habendi ſint inſpirati, vel Moyſes cæterique omnium maximi impoſtores judicandi; & ipſe Chriſtus ad eos nos remittens, eorumque Opera veluti Divina producens, clauſis oculis eorum fraudes dicendus ſit præteriiſſe: Deus præterea, horum Authorum pleroſque miraculorum & prophetiæ donis cumulans, eorum mendaciis & malitiæ faviſſe, noſque in errorem idcirco impuliſſe, quod eos tot ſuæ authoritatis, opis, & amoris characteribus decoraverit. Quæ quidem nemo dixerit, niſi qui Dei ideam prorſus exuerit, & rationis lumen omnino extinxerit. Moyſes igitur, Prophetæ & cæteri Veteris Teſtamenti Scriptores inſpirati Authores certo habendi.

Quod ſane & de Novi Teſtamenti facile oſtendimus, modo adverſarii hiſtorias Novi Teſtamenti veras, Chriſtum vero Meſſiam eſſe fateantur; ſi enim res nobis ſit cum hoſtibus, qui Chriſtum illuſorem vocent, & Scriptores noſtros mendacii, Scripturas vero falſitatis inſimulent, alia utique via nobis incedendum eſſet. Chriſtus Apoſtolis ſuis Spiritum Sanctum, a quo de veritatibus omnibus erudirentur, ſe miſſurum ſpopondit [15]; a quo præterea Spiritu perfundendos, & numquam relinquendos aſſeruit [16]; quare de iis, quæ coram Judicibus & Principibus pronuncianda eſſent, minime cogitarent, tunc enim eo lumine ſapientiæ, ac quam neceſſitas poſtularet, inſtruendos, neque ipſos per ſe, ſed Dei Spiritum per eorum vocem loquuturum [17].

Acta, & Apoſtolorum Epiſtolæ hujuſmodi promiſſa impleta oſtendunt. Apoſtoli, & Diſcipuli inſpiratos, & Spiritu Sancto afflatos ſe perhibent [18]: quos revera Divino & ſupernaturali lumine perfuſos ſcripſiſſe, illud oſtendit, quod in eorum Scriptis ea ſcientia, & ſapientia effulgeat, quæ ſcientiis omnibus, quas ſibi naturaliter comparare poterant, præcellebat; eorum enim pleroſque rudes & ignaros fuiſſe ſcimus. Deus præterea quæ ab ipſis dicebantur, miraculis innumeris comprobavit. Et ipſi igitur Authores inſpirati erant; ſecus, omnium mendaciſſimi ſunt illuſores, & omnia vel eorum calami, vel eorum ætatis monumenta inter hiſtoriolas & fabellas ſunt numeranda. Quis vero hæc egerit, niſi naturæ, & rationis lumen, quo verum a falſo ſecernat, prorſus amiſerit?

Quod ſi Novi Teſtamenti Scriptores inſpiratos fatemur, & Veteris Teſtamenti Authores item dicamus oportet; Chriſtus enim & Apoſtoli paſſim Veteris Teſtamenti Scripturas veluti ſanctas & inſpiratas allegant; Petrus vero & Paulus ad eos Libros, quod Sacri, & Divinæ ſint authoritatis, legendos hortantur [19].

Si Chriſtus Dei Filius eſt, Meſſias, æterna Veritas, utriuſque etiam Teſtamenti Libri inſpirati ſunt atque Divini. Chriſtus enim ſe ita ſemper Eccleſiæ ſuæ adfuturum promiſit, ut hæc de Inferis victoriam aſſidue referens, numquam in errorem pertrahatur. Cum igitur Eccleſia utriuſque Teſtamenti Libros inſpiratos doceat, vel hi ejuſmodi ſunt, vel Eccleſia

(1) *Exod.* 3. (2) *Exod.* 4. 11. (3) *Exod.* 19. 3. &c. (4) *Num.* 12. 8. *Ore enim ad os loquor ei, & palam & non per ænigmata Deum videt.* (5) *Exod.* 34. 29. &c. *Qui videbant faciem egredientis Moyſi eſſe cornutam: ſed operiebat ille rurſus faciem ſuam, ſi quando loquebatur ad eos.* (6) *Geneſ.* 1. 27. 31. (7) *Deuter.* 32. 15. (8) *Deuter.* 18. 15. *Confer cum Joan.* 1. 45. *Act.* 3. 22. (9) *Deuter.* 3. 21. & 31. 2. & *Num.* 27. 13. (10) *Deuter.* 31. 3. 7. 8. (11) *Deuter.* 33. 5. 6. &c. (12) *Deuter.* 33. 6. 7. 12. 13. ... 17. 19. 20. 21. 23. 24. 25. (13) *Matth.* 23. 2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ &c. Luc.* 16. 29. *Habent Moyſem, & Prophetas, audiant illos. Jo.* 1. 45. *Quem ſcripſit Moyſes in Lege.* &c. 5. 46. *De me enim ille ſcripſit &c.* (14) *Joann.* 5. 39. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere, & illæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me.* 10. 35. *Non poteſt ſolvi Scriptura. Matth.* 22. 29. *Erratis neſcientes Scripturas.*

(15) *Joan.* 14. 26. *Paraclitus Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia &c.* (16) *Joan.* 14. 16. *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere.* (17) *Matth.* 10. 19. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Vide & Luc.* 12. 11. (18) 2. *Cor.* 13. 3. *An experimentum quæritis ejus, qui loquitur in me Chriſtus? Ibid.* 7. 40. *Puto autem quod & ego ſpiritum Dei habeam. Galat.* 1. 8. *Sed licet nos aut Angelus de Cœlo evangelizet vobis, præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* (19) 1. *Timoth.* 4. 13. *Dum venio, attende lectioni. Roman.* 15. 4. *Ut per conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* 2. *Timoth.* 3. 15. 16. & 42. 1. *Petr.* 1. 20. & 3. 16.

decepta eſt, eique Chriſtus in re permaximi ponderis defuit.

Quosdam quidem Scripturæ Libros, & quædam Moyſis, aliorumque Authorum loca, quibus ea, quæ ſine revelatione noſci non poterant, referuntur, inſpirata eſſe fortaſſe qui aſſerat; hæc tamen pauciſſima occurrere. In ceteris vero nil naturæ viribus majus, nec inſpirationis ad ea congerenda neceſſitas eſt ulla, cujuſmodi ſunt Regum, & Paralipomenon hiſtoriæ, a coævis Authoribus ſcriptæ, vel a Scriptoribus junioribus ex Regum Juda & Iſrael monumentis depromptæ; morales Proverbiorum, & Eccleſiaſtici ſententiæ; Eccleſiaſtes; Cantica; & Pſalmorum plurimi. S. Lucas nil ſe ſcripſiſſe aſſerit [1], quod prius ſerio non perpenderit, vel ab ocularis vitæ & mortis Chriſti teſtibus non acceperit. Secundi Macchabæorum Author in Præfatione ita profitetur, ut ceteri vulgo Scriptores, qui in Ipſo Opere contrahendo plurimum inſudaſſent [2], enixeque incubuiſſent, ut eorum quæ Originale complectebatur, nil præterirent, & una ad oblectamentum, & ad Lectorum utilitatem conferrent.

His reſpondemus, 1. Duo argumenta ſubſiſtent, quæ SS. Librorum canonicam & Divinam authoritatem probant, omnes omnino, & in omnibus ſui partibus habendi ſunt inſpirati. Secus decepta eſſet Eccleſia, everſa Religio, Chriſtus & Apoſtoli ad Veteris Teſtamenti Scripturas promiſcue nos remittentes, nihil monitos quæ inſpirata vel ſecus habenda ſint [3], in errorem & fraudem nos impuliſſent.

2. Quo utrinſque Teſtamenti hiſtoriis ea ſit authoritas, ut erroris omnino immunes ſine ulla hæſitatione excipiantur, omnes omnino earum Authores inſpirati neceſſe eſt abſolute reputentur; alias Religio, quæ revelatis innititur, ſolidis ſuis fundamentis deſtitueretur. Si enim hoc e. g. in controverſiam revocatur, quare non vocetur & illud? Veteris Teſtamenti ita inter ſe facta cohærent, ut nullum ſecerni poſſit quin Oraculorum detrahatur veritati, quorum argumenta nonniſi ab eventu hiſtorico rerum ducuntur. Quomodo enim v. g. Chriſtum ex Davidis progenie juxta Prophetias natum certo ſciamus, ſi Regum hiſtoriæ & Genealogiarum, quæ in Paralipomenis & alibi recenſentur, veritas impugnetur?

3. S. Scripturæ Authores Prophetas & inſpiratos fuiſſe, facile oſtendimus. A Prophetis Samuele, Gad, & Nathan hiſtorias ſub Davide contextas per Scripturam ſcimus (*). Nathan, Gad, Addo & Ahias ſub Salomone [4]; ſub Roboam Addo, & Semeias [5]; Addo etiam ſub Abia [6]; ſub Aſa Hanani [7]; Jehu Hanani filius, Eliezer; & Jahaziel ſub Joſaphat [8]; ſub Oſia & Ezechia Iſaias [9]; Oſai ſub Manaſſe [10] ſub Joſia, ejuſque filius Jeremias [11], hiſtorias ſuas edidere. Nehemias & Eſdras, ſicuti & uterque Tobias, ex Prophetis erant.

Quis David & Salomonem Divino Spiritu ductos non aſſerat, quos ingenti perſpicacitate & ſapientia a Deo cumulatos Scriptura commemorat [12]; Quis & eorum opera inſpirata & divina non fateatur? An Spiritu Sancto indignum quid in eiſdem ſit reperire? Quis Judith, Eſther, Macchabæos, Sapientiam, & alios quoſdam Libros conſcripſerit, ignoramus. Ab Authoribus vero inſpiratis contextos inde ſatis compertum, quod in ſuo Canone eoſdem Eccleſia recenſuerit.

Validius adverſariorum argumentum a vitioſo ratiocinationis circulo, quem nobis imputant, deducitur. Eccleſia a Deo infallibilitatem accepit; Eccleſia eadem utriuſque Teſtamenti Libros inſpiratos docet; ſunt igitur inſpirati. Eccleſiam vero infallibilem eſſe ex eo Evangelii textu probamus, quo Chriſtus aſſeruit: *Et portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Quare Eccleſia a Scriptura ſuam authoritatem, Scriptura vero ſuam ab Eccleſia repetit: quo utique circulus vitioſe conſtituitur; per id enim, de quo quæritur, aliud, cujus eſt diſcrimen, probatur. Qui Scripturarum inſpirationem rejiciunt, etiam Eccleſiæ infallibilitatem neceſſario reſpuunt. Eſto tamen, Eccleſiam faterentur infallibilem, hinc nihilominus minime fieret, ut Scripturæ Libros inſpiratos neceſſario crederent, quos tantum veros ducere poſſent, & ab Authoribus conſcriptos, qui ea, quæ Chriſtus ſuos Apoſtolos docuit, certa fide referant.

Illi plane in Scriptura hiſtorica relatione certum diſcerent, Chriſtum infallibilem Eccleſiæ ſuæ veritatem promiſiſſe, eamque idcirco numquam decipiendam fore ſibi poſſent ſuadere, quin tamen Sacros Scriptores ſibi ſtatuerent inſpiratos. Tunc autem nomine inſpirationis, quæ Eccleſiæ promiſſa eſt, illud tantum inſinuatum crederent, quod Sacri Libri veri, & certæ ſint fidei. Hoc vero ad ſecundam hujus Diſſertationis partem attinet.

Ut primæ difficultati, quæ & præcipua eſt, & rei nucleum tangit, directe reſpondeamus, hunc, quem dictitant, ratiocinii circulum neque omnino circulum, neque veram principii petitionem eſſe defendimus. Quod ut fiat perſpicuum ratiocinium noſtrum paulo fuſius explicamus. Principium, cui potiſſimum nos innitimur, illud ſtatuimus, quod nempe Deus neceſſario ſit ipſa veritas, neque nos in errorem adducere poſſit. Cum igitur certiores fieri volumus, an per Librum, qui inſpiratus præfertur, v. g. Pentateuchus, aut S. Matthæi Evangelium, Deus vere nos alloquatur; juxta rectæ rationis lumen perpendimus, qui ſit hujus Libri Author, quibuſve circumſtantiis decoretur. Si Authorem Divino perfuſum lumine, & Deum ejus verba & mores commendaſſe, & ſignis ſupernaturalibus comprobaſſe percipimus, veluti inſpirato ei ſtatim adhæremus, & infallibilem ita ratiocinantes pronunciamus: Deus nos in errorem non poteſt adducere; adduceret vero, ſi Librum hujuſmodi non inſpiraſſet; vere igitur inſpiravit.

Rationem vero habentes Eccleſiæ, quæ nobis Librum aliquem inſpiratum eſſe teſtatur, hac via incedimus: Eccleſia Evangelium v. g. S. Matthæi inſpiratum aſſerit, ſeque infallibilitatis munere a Deo donatam ideo perhibet, quod Chriſtus numquam errori obnoxiam fore promiſerit, ut ex ipſo, quem inſpiratum præfert, perſpicue producitur. Antequam & Eccleſiæ, & ejuſdem Libri authoritati obſequamur, ei ſemper inhærentes principio, quod nempe Deus nos in errorem adducere non poſſit, de Libri Authore, de ejus vitæ circumſtantiis, de iis, de quibus ſcribit, ſtudioſe inveſtigamus. Omnibus deinde præjudiciis abjectis, Opus evolvimus, & Authoris mores, & characteres diſquirimus. Si hunc Divino Spiritu revera plenum, & illud certiſſimæ authoritatis eſſe cognoſcimus; inſpiratum ergo Librum, & infallibilem Eccleſiam eſſe concludimus. Quamobrem Eccleſiæ infallibilitas, quam ex eodem Libro percipimus, nobis novum Fidei, & Libro novum authoritatis fit argumentum. Si vero primum unica ratione ad ei, veluti inſpirato, fidem adhibendam ducebamur, modo duplici argumento de ejuſdem

(1) *Luc. 1. 1. Quoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completa ſunt, rerum. Viſum eſt & mihi, aſſecuto omnia diligenter a principio, ex ordine tibi ſcribere &c.* (2) *Macchab.* 2. 25. *&c.* (3) *Jo.* 5. 39. *Matth.* 21. 42. *&* 26. 54. *Luc.* 24. 27. *&c. Act.* 8. 35. *&* 17. 2. *&* 18. 24. *Rom.* 1. 2. *&* 15. 4. 2. *Timoth.* 3. 6. *&c.* (*) 1. *Par.* 29. 29. (4) 2. *Par.* 9. 29. (5) 2. *Par.* 12. 15. (6) 2. *Par.* 13. 22. (7) 2. *Par.* 16. 7. (8) 2. *Par.* 20. 14. 34. 37. (9) 2. *Par.* 26. 22. *&* 32. 32. (10) 2. *Par.* 33. 19. (11) *Jerem.* 16. *&c. &* 2. *Par.* 35. 25.

[12] 2. *Reg.* 23. 1. *& ſeqq. Dixit David filius Iſai, dixit vir, cui conſtitutum eſt de Chriſto Dei Jacob, egregius Pſaltes Iſrael. Spiritus Dei locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam. Act.* 1. 16. *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David. Matth.* 22. 43. *Quomodo ergo David in Spiritu vocat eum Dominum &c.?* 3. *Reg.* 4. 29. *Dedit quoque Deus Sapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis &c.* 3. *Reg.* 3. 12. *Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit.*

Digitized by Google

dem Inſpiratione ſuademur. Hæc duo principia inter ſe ita cohærent, ut ſe invicem fulciant, & eorum utrumque ſuam in alterum mutuo lucem regerant, Hanc igitur geminam ratiocinationem, quarum utrumque medium ad idem concludendum confert, circuli notam quis jure inurat? Hinc ſane minime fit, ut SS. Librorum inſpirationis fides infirmetur; quin potius inde validius confirmatur.

ARTICULUS II.

De Inſpirationis ratione.

Fideles omnes de Scripturæ inſpiratione conveniunt; Theologi vero de Inſpirationis ratione minime inter ſe cohærent. Sunt enim, qui Spiritum Sanctum Sacris Authoribus adeo fuiſſe putent, ut nihil omnino ſeu re, ſeu phraſibus ſcripſerint, quod a Deo inſpirante non acceperint. Quam quidem ſententiam Patres omnes, qui de Inſpiratione egerunt, & omnes Theologi, qui uſque ad decimum ſextum ſæculum ſcripſere, amplexi eſſe videntur (1).

Sunt alii, qui eam Spiritus Sancti in Sacris Authoribus ſatis eſſe aſſerant conſiteri præſentiam, quæ illud eis præſtiterit, ut in iis, quæ vel ab aliis audiverint, vel per ſtudium perceperint, referendis, minime decipi potuerint. Addunt vero, eoſdem Authores peculiari non modo rerum, ſed & phraſium inſpiratione tum fuiſſe afflatos, cum ea, quæ per ſolam revelationem ſcire poterant, retulere.

Dummodo de re præcipua, nempe Scripturas omnes inſpiratas & infallibiles eſſe, nihilque præter Dei verbum complecti conveniamus, conſentaneum videtur, ea nobis poteſtas fiat, ut, quod veroſimilius ducimus, de Inſpirationis ratione pro libito cogitemus. Lovanienſis nihilominus & Duacenſis Academiæ, anno 1588. hæc, illa 1587. has propoſitiones a Leſſio, & Hamelio anno 1586. editas cenſura inuſſerunt: 1. *Ut aliquid ſit Scriptura Sacra, non eſt neceſſarium ſingula ejus verba inſpirata eſſe a Spiritu Sancto.* 2. *Non eſt neceſſarium ut ſingulæ veritates & ſententiæ ſint immediate a Spiritu Sancto ipſi Scriptori inſpiratæ.* 3. *Liber aliquis, qualis forte eſt ſecundus Macchabæorum, humana induſtria ſine aſſiſtentia Spiritus Sancti ſcriptus, ſi Spiritus Sanctus poſtea teſtetur nihil ibi eſſe falſum, efficitur Scriptura Sacra.*

Jeſuitæ ſuam valide ſententiam tuentes, Apologiam edidere, cui Lovanienſes Doctores ab Epiſcopis juſſi die 17. Auguſti 1588. reſpondentes, ſuam pro viribus cenſuram defenderunt. Cornelius a Lapide ſub ſæculi decimiſeptimi initium fratrum ſuorum opinioni ſubſcribit (2), pro qua ſunt etiam Bonfrerius (3), Mariana (4), & Bellarminus (5). Mariana ante Cornelium a Lapide ſcripſit, Bellarminus vero ante Lovanii cenſuram; Bonfrerium denique in Pentateuchum anno 1625. vulgatum accepimus.

Ab his Scriptoribus hanc ſententiam non eſſe primo inventam Simonius aſſerit (6); quam etiam apud Cajetanum in Lucam Comment. (7) annos ſupra quinquaginta ante Jeſuitarum, & Lovanienſium Doctorum diſceptationem, ſe repeciſſe teſtatur. Ferdinandus de Aſcalante in ſuo Concionatorum Clypeo, teſte eodem Simonio, eamdem doctrinam docuit (8). P. Fraſſen Bonfrerio adhærens (9), tria in Sacris Libris Inſpirationum genera diſtinguit, quarum primam *antecedentem*, *concomitantem* alteram, ultimam *conſequentem* appellat. Fit *antecedens*, cum Sacer Author, quæ ſibi inſpirata ſunt, ſcribit, ſicut diſcipulus ea ſcripto excipit, quæ ſibi a Præceptore dictantur. Fit vero *concomitans*, cum quin verba inſpiret, ita Spiritus Sanctus Scriptori adeſt, ut in errorem quemlibet illum adduci minime permittat. *Conſequens* denique fit, cum ea, quæ quis ſua induſtria & ſtudio, quin ulla inſpiratio, & auxilium ſupernaturale interfuerit, literis tradidit, deinde Eccleſia certæ authoritatis eſſe decernit, & Divinas inter Inſpirationes enumerat.

Inſpirationem gemina Melchior Canus (10) agnoſcit, alteram nempe peculiarem, qua Sacer Scriptor ea percipit, quæ aliunde penitus neſcit; alteram, quam directionis & præſentiæ vocat, qua Scriptor dirigitur, ne in iis, quæ refert, decipiatur. Hanc vero ſententiam plurimorum Patrum authoritate fultam Canus idem defendit; equidem ante Lovanii cenſuram, ejus enim Opus anno 1562. a Matriti Cenſoribus, & anno 1573. a Cenſoribus Belgii probatum fuit. Cano Contenſonium jungimus, qui Scriptoribus Sacris proximam ſemper minime adfuiſſe inſpirationem docet, ſed quandoque eos ſpeciali tantum directos fuiſſe præſentia, ne in errorem traherentur: *In omnibus igitur habuerunt non revelationem, ſed aſſiſtentiam, & auxilium, ne laberentur.*

Cum de SS. Librorum inſpiratione Simonius agit, hanc eamdem opinionem propugnat (11), & Lovanienſes Theologos, & Arnaldum, qui Scriptores Sacros peculiari ſemper & proxima Spiritus Sancti inſpiratione afflatos aſſerentes, ſine ea de SS. Scripturarum Divinitate certiores omnino nos eſſe non poſſe defendebant, fuſe refellit. Ceterum idem Simonius, ſive per novam inſpirationem, ſive per peculiare lumen, quo Scriptores Sacri in verbo quolibet, & in qualibet ſententia, ne in errorem, ſeu oblivionem inciderent, illuſtrati fuere, omnium omnino Sacrarum Scripturarum Authorem Spiritum Sanctum eſſe teſtatur.

D. Abbas du Pin Inſpirationis nomine, cum de omnibus SS. Libris agitur, directionem, & peculiarem præſentiam accipiendam eſſe aſſerit, qua Spiritus Sanctus Scriptori præſto eſt, ne in errorem incidat, cum ea, quæ aliunde ſcit, litteris mandat (12). Qua in re Spiritus Sanctus duo Scriptoribus præſtat: primo, fixam iis, conſtantem, & infallibilem vera referendi voluntatem; ſecundo, eo lumine eoſdem perfundit, ut in iis, quæ aliunde noverant, congerendis, neque oblivioni, neque errori obnoxios unquam fieri contingat. Quod utique Divinæ & infallibili utriuſque Teſtamenti authoritati ſtabiliendæ ſatis conducit.

Eraſmus a Patribus, qui SS. Authores proxime inſpiratos, & omnia omnino tum re, tum phraſibus, Deo authore, in Scripturis congeſta aſſeruere, diverſa & abſona ſentire inſimulatus, Apologiam contra quoſdam Hiſpaniarum Monachos ſcripſit.

Hac in re Proteſtantes a Patrum ſententia non diſceſſere; & eorum primum (13) Grotium fuiſſe credimus, qui in iis, quæ aliunde noverant, referendis Spiritum Sanctum peculiari tantum directione, & præſentia Scriptoribus, ne erroribus obvolverentur, adfuiſſe defenderit. Spinoſa omnem pene SS. Librorum inſpirationem evertit, cum ſupernaturali nullo dono præditos, nulla eorum Authores peculiari, & Divina præſentia directos agnoſcat.

Anonymus ille, cujus ſententiam undecima Batavorum Theologorum Epiſtola fuſe recenſet, cum Spinoſa ferme convenit (†); omne enim ſupernaturale auxilium a Sacris Authoribus rejicit, niſi tantummodo cum peculiare quid nonniſi Divino lumine afflati referre potuerunt. Sacris Hiſtoricis memoria tan-

(1) *Vid. Irene. lib. 2. cap. 22. Origen. Philocal. cap. 10. & lib. 5. contr. Celſ. Cyprian. ſerm. de opere & eleemoſyn. Thaumaturg. ſerm. 2. de Annuntiat. B. M. V. Clem. Alex. lib. 2. Strom. Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. ult. Epiphan. hereſ. 76. Nyſſen. orat. 7. contr. Eunom. Chryſoſt. homil. 26. in Geneſ. Hieron. & Auguſt. plurib. loc. Vide & Tertull. cont. Hermog. cap. 22.* (2) *Cornel. a Lapid. in Epiſt. 2. ad Timoth. 3. 16.* (3) *Bonfrer. Proleg. c. 8. ſect. 1.* (4) *Marian. Tract. de Vulg. edit.*

(5) *Bellarmin. Tract. de Verbo Dei.* (6) *Vide D. Simon. hiſtor. Critic. Nov. Teſtam. cap. 23. 24.* (7) *Cajet. in Luc. 1.* (8) *De Aſcalante lib. 1. cap. 4.* (9) *Fraſſen. diſquiſit. Biblic.* (10) *Melchior Canus de loc. Theolog. lib. 2. cap 16. 17.* (11) *Hiſt. Critic N. T. cap. 23. & 24.* (12) *Diſſertation. Preliminar. in Bibl. lib. 1. cap. 2.* (13) *Grot. Votum pro pace Eccleſiaſt. tit. de Canone Scripturar.* (†) *Quorumdam Batav. Theolog. ſententiæ, Epiſt. 11. pag. 232. 233.*

tantummodo & diligentia oſus fuiſſe; Prophetas vero recordationis eorum, quæ vel per ſomnium, vel per viſionem perceperant, ut eadem deinde vel ſcriptis traderent, vel ſcribenda dictarent: quare ad ſupernaturalem inſpirationem confugiendum non eſſe ſtatuit, ut, quomodo ſcripſerint, percipiamus. Libros morales, & Pſalmos in quibus vaticinia nulla, Jobum v.g. Proverbia, Eccleſiaſtem, Cantica, ab Authoribus piis, ſapientibus, ſtudioſis, veracibus & inſtar proborum omnium hominum Spiritu Sancto perfuſis conſcriptos perhibet. Quo ſatis ſuperque fieri aſſerit, ut eorum Opera tamquam proba, certa, & intemeratæ fidei excipiamus.

Sacras præterea hiſtorias nullatenus idcirco inſpiratas aſſerit. 1. Quod earum Authores ſeu a Veterum monumentis hauſiſſe, vel ab aliis audiſſe, vel denique propria induſtria, & ſtudio ſe eas percepiſſe fateantur. 2. Quod ubi duo, ſeu plures Authores idem referunt, quandoque inter ſe minime conveniant. 3. Quod numeros interdum certo non ſtatuant, ſed phraſi Spiritus Sancti infallibilitati minime conſentanea has voces adhibeant: *circiter, quodam tempore, duobus, ſeu tribus diebus &c.*

Inſpirationem quoque, quam nos Apoſtolis tribuimus, omnino rejicit, quod iis minime fuerit neceſſaria. Iſti enim, inquit, Religioni Judaicæ principia optime noverant: quæ Evangelium Judaiſmo addat, ſæpius a Jeſu Chriſto audierant; quæ ad Meſſiam pertinent, ſatis didicerant: ipſis etiam ipſe Chriſtus & miraculis plurimis, & argumentis Meſſiam; & tandem expetitum Servatorem ſe eſſe oſtenderat; quare quæ viderant, quæque audiverant, tamquam certa, & infallibilis authoritatis poterant utique recenſere. Miraculorum vero poteſtas, qua a Chriſto donatos ſeimus, illud etiam præſtare valuit, ut firmiori memoria, & clariori lumine inſtruerentur. Quod plane ſatis erat, ut nos eorum Scripturas tamquam vitæ nobis dirigendæ normam exciperemus. Hoc Anonymi ſyſtema.

Ex his tres ſententias, ſeu tria de Inſpiratione ſyſtemata formantur. Primum nihil ſupernaturale in Sacris Authoribus ſtatuit, & in Hiſtoricis illis fidem tantummodo & memoriam, in Moyſe ſuas Leges recenſendi ſtudioſam in iis, quæ ſibi Deus mandaverat, referendis curam; in Prophetis firmam ad ea, quæ ſibi Deus revelaverat, retinenda, eademque deinde ſeu ſcribenda, ſeu dictanda recordationem; in Scriptoribus moralibus pietatem, lumen, ſapientiam, & Spiritus Sancti eos perfundentis præſentiam, in Apoſtolis denique certam in iis, quæ a Domino audierant, recenſendis fidem expoſcit.

Secundum a Patribus conſtituitur, qui Sacros Scriptores & actu, & proxime ita inſpiratos ferunt, ut nihil omnino tum re, tum phraſibus, in omnibus Scripturæ Libris exhibuerint, quod a Deo non acceperint.

Tertium geminam Inſpirationem ſtatuit, quarum prima Sacros Authores afficit, cum ea ſcribunt, quæ nullatenus ſcribere poſſent, niſi actu per inſpirationem & quid ſibi ſcribendum eſſet, & quomodo explicandum, edocerentur; altera vero ad eos attinet Authores, qui peculiari Spiritus Sancti directione, & præſentia inſtruuntur, ne in iis, quæ vel per ſe ipſos didicerant, vel ab aliis acceperant, referendis unquam decipiantur, utque ſuis Scripturis infallibilem vindicent authoritatem.

Horum primum ſyſtema inſpirationem evertit, adeoque & Religionem, quæ, ut oſtendimus, dempta inſpiratione, corrueret. Ad humanam tantummodo fidem Eccleſiam redigit, cum utriuſque Teſtamenti Scriptores, niſi inſpirati fuerint, divinam ſibi fidem nullatenus vindicent. Ipſam quoque Scripturam oppugnat; legimus enim (1) *Omnis Scriptura Divinitus inſpirata;* & alibi (2): *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt Sancti Dei homines.* Denique adverſatur Eccleſiæ, cui Chriſtus infallibilitatem promiſit, & quæ omnes omnino utriuſque Teſtamenti Scripturas divinitus inſpiratas eſſe decrevit.

Ejus ſyſtematis Author hunc perpetuo paralogiſmum erget: Neceſſe minime fuerat, ut Sacras hiſtorias Deus inſpiraret; reveſa igitur non inſpiravit. Cui ſtatim facile occurrimus. Authores Sacros inſpiratos fuiſſe ita nobis perſpicue conſtat, ut inde inſpiratos vere fuiſſe ſit concludendum. Factum, ſeu dogma Scripturæ authoritate, & validiſſimis principiis quammaxime fultum anne per inanem ratiocinationem everteter? Neceſſe utique non fuit, et ad homines redimendos Verbum Divinum & carnem aſſumeret, & mortem obiret; ergone neque carnem aſſumpſit, neque mortem obivit, concludamus? Nullum ferme factum revelatum occurreret, quod hujuſmodi abutentes principio non everteremus.

Deum utique abſque neceſſitate & conſilio miracula non multiplicare fatemur. Idcirco igitur Sacros inſpiravit Authores, quod illos inſpirandi perplurima ſibi fuerint argumenta. Hiſtoricus ſane, quin divinitus inſpiretur, veram poteſt, certamque intexere hiſtoriam: poteſt Sacer Orator abſque peculiari inſpiratione validis, & evincentibus veritatibus utilem Orationem exhibere; Hiſtoricus vero, certæ licet fidei, & accuratæ diligentiæ, numquam Divinæ & infallibilis authoritatis Hiſtoriam contexet; neque Concionator veluti infallibilem morum normam, & ſupernaturalis Fidei argumentum, Orationem exhibebit, niſi diligentiæ & memoriæ Hiſtorici, & pietati ac Concionatoris ſcientiæ cœleſte, quod eorum Operi præfuerit, lumen addatur; vel niſi ſaltem utrique peculiaris & Divinæ adfuerit præſentia, quæ errorem, & quamlibet humanæ naturæ infirmitatem ab eis averterit.

Author, cujus ſyſtema impugnamus (3), juxta ſuam hypotheſim Sacras Scripturas quod ſoli hominum teſtimonio nitantur, ſola humana fide credendas aſſerit. Addit præterea, Librum, quem Matthæi Evangelium dicimus, Matthæi vere eſſe, a nobis etiam credi humana fide unanimi nempe Chriſtifidelium conſenſu, qui humanum teſtimonium non excedit; quam tamen fidem æque ac geometricas demonſtrationes certam eſſe defendit. Imo & ipſam Fidem Divinam humanæ fidei inniti perhibet; cur enim, inquit, in Chriſtum, & de Chriſto credimus, niſi quod ejus hiſtoriam veram eſſe ducamus? cur adhuc ejus hiſtoriam veram ducimus, niſi quod eam oculati teſtes conſcripſerint, & ad ſui teſtimonii veritatem defendendam mortem uſque pertulerint? Per quem denique hæc nos certo ſcimus, niſi per hiſtorias? Ita ſit, ut humana fides Fidem Divinam effulciat. Hæc Batavi Theologi, ſeu Author ille, cujus de SS. Librorum inſpiratione ſyſtema pretulimus.

Ea vero ſunt hic ſecernenda, quæ Scriptor iſte confundit. Divina Fides, cum Dei nobis revelantis authoritati potiſſimum innitatur, & ipſa neceſſario certa eſt, atque infallibilis, quod Veritate, quæ neque decipere, neque decipi poteſt, præcipue fulciatur. Fides vero humana, quamlibet certam authoritatem præferat, infallibilitatem numquam attingit; numquam enim eo pervenit, ut omnem omnino ambiguitatem propulſet. Fieri ſemper poteſt, ut homo in errorem incidat, noſque ſive dolo malo, ſive per inſcitiam, in fraudem pertrahat. Fidem, quam homini, quicumque is fuerit, nos adhibemus, Deus nihil facit, illud quidem jubet, ut, quidquid nobis revelat, fide Divina credamus idcirco tantummodo, quod nobis illud revelaverit. Si credentes aliorum teſtimonio ducimur, fides noſtra nec Divina eſt, nec ad meritum confert. Neceſſe eſt, fides noſtra ſit conſentanea rationi; a qua quidem longe diſcederet, ſi, quæ homo, vel plures etiam Viri, peritiores licet & ſapientiſſimi dixerint, nos certa omnino fide crederemus; it enim decipi primum

(1) 2. *Timoth.* 3. 16. *Ab initio ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum.* (2) 2. *Petr.* 1. 20. (3) *Sententia quorumdam Batav. Theologor. Epiſtol.* 11. *pagin.* 233.

mum poſſent, nos deinde in errorem adducere. Si homini ut ipſi Deo credimus, ſi nempe hominis authoritati, veluti certæ & infallibili fidem habemus, per fidem noſtram Deo injuriam irrogamus, cultum enim, & credulitatem, Deo ſoli tribuendam, homini exhibemus.

Qui nos ea, quæ Fide Divina credimus, a teſtimonio humano percipere aſſerit, & noſtram fidem humanæ inniti authoritati inde concludit, paralogiſmum inſtituit. S. Joannes v. g. Verbum Deum eſſe teſtatur: anne Chriſti Divinitatem, quod illam teſtetur Joannes, credimus? Minime quidem. Idcirco credimus, quod Deus per Joannem revelaverit. Joannem Dei vocem & inſtrumentum eſſe, Deum vero per ejus os alloqui, noſque per ejus Scripta erudire ſcimus. Ceterum eo ratiocinio omnes cognitiones, & ſcientiæ, ipſæ etiam certiſſimæ demonſtrationes errori obnoxiæ eſſe oſtenderentur, quod a ſenſibus, qui falli quidem poſſunt, dependeant. Noſtri utique ſenſus neque principium neque fundamentum, ſed medium tantummodo & inſtrumentum ſe nobis præſtant, quibus per animadverſiones, & intellectus noſtri perſpicaciam, & ſtudium res ipſas & demonſtrationes attingimus. Non ſecus noſtra fides nullam ab eo qui vel ſcribit, vel loquitur, vim ſibi vindicat, ſed omnem a Deo, qui per Evangeliſtam, vel Scriptorem Sacrum loquitur, authoritatem ducit. Balaam pravus erat & nequam, dignus idcirco, cui, ejus habita ratione, nulla fides præſtaretur; nihilominus eumdem inſpiratum ſcimus ejuſque habemus vaticinia, quorum veritatem eventus implevit. Non homini igitur, ſed Spiritui Sancto hominem inſpiranti fides nobis eſt adhibenda.

Noſtrum vero eſt certo percipere, an Deus per ejus, qui loquitur, os vere loquatur; qua de re nobis perſpicue ſtatim conſtat, modo ea animadvertamus, quæ in prima hujus Diſſertationis parte tradimus, an nempe Eccleſia Auctorem inſpiratum agnoſcat; an ejus Opus omnes inſpirationis characteres præferat; an denique Deus miraculis, & ſupernaturalibus ſuæ præſentiæ ſignis Scriptori authoritatem adjunxerit.

Argumenta, quibus adverſarii SS. Scriptorum inſpirationem impugnant, quod ſcilicet Authores Sacri ab alio hiſtorias acceperint; vel quod eas proprio ſtudio, atque ſolertia ſcripſerint; vel quod interdum inter ſe non conveniant; vel denique quamdam ambiguitatis ſpeciem præferentes phraſes adhibeant, nihili prorſus habemus. Scripturarum repugnantia prima quidem facie, re numquam pugnant; quippe quæ plures ab Authoribus conciliata ſint. Accuratio, ſtudium, & Hiſtoricorum ſolertia eorum inſpirationi nil detrahunt, quin & poſt demonſtratam hiſtoriæ veritatem iis ipſis, qui Sacros Scriptores perinde habent ac vulgares ceteros, eorum etiam divinitatem apud illos commendant, cum Deum ſuæ Eccleſiæ infallibilitatem, ſuis vero famulis inſpirationem promiſiſſe inde liquido percipiatur. Phraſes denique, quæ ambiguitatem præferunt, loquendi phraſes ſunt hominum idiomati ſæpiſſime familiares, qui paſſim quidem in Scripturis occurrunt, & Dei, ut nos erudiat, noſtri idiomatis infirmitati ſuas ſententias accommodantis erga homines indulgentiam oſtendunt.

Veterum Patrum de SS. Authorum inſpiratione ſyſtema ipſi innititur Scripturæ, & Jeſu Chriſti, & Apoſtolorum authoritati, a quibus omnes omnino SS. Librorum Authores Spiritu Sancto perfuſos docemur, & ad omnes omnino Scripturas veluti ad Divinæ Fidei, & infallibilis authoritatis Libros promiſcue remittimur. Eccleſia denique utriuſque Teſtamenti Libros inſpiratos fuiſſe abſolute decernit.

Theologi vero, qui duo, vel tria inſpirationum genera ſtatuunt, & cum Patribus Scripturam inſpiratam, & authoritatis infallibilis eſſe conveniunt, ab iiſdem Patribus non ſunt ſecernendi; non enim aliam conducunt ſententiam, ſed Patribus honorem habentes, id clarius explicant, quod illi rudiori methodo defenderunt: neque varia inſpirationum genera inducunt, niſi ut facilius Hæreticorum ora præcludant, & dogma, quod nonnullæ difficultates obnubilant, dilucidius exhibeant.

Qui eos impugnarunt, quamvis ea de re & Patrum concluſiones, & Eccleſiæ decreta exciperent, ab ejuſdem Eccleſiæ & Patrum ſpiritu eoſdem diceſſiſſe putarunt. Veruntamen nulla ſane apud ipſos, quam vocum, & phraſium varietas. Cum porro res ſerio perpenditur, difficillime ab eorum diſtinctione abſtineri poſſe invenimus; imaque utilitati illud conducere agnoſcimus, ſi Sacros interdum Authores, ut Divinam ſibi vindicarent authoritatem, Spiritus Sancti, a quo ducerentur, ne in errorem inciderent, directionis & præſentiæ tantummodo indigos fuiſſe fateamur.

DISSERTATIO
IN ILLUD:
Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt. ad 1. Jo. 5. 7.

Quamquam in Sacris Utriuſque Teſtamenti Libris lectionum varietas ſæpe occurrit, nulla quidem tanti ponderis ſeſe offert, ut eam attingat, quam ex quinto primæ S. Joannis decurptam perpendendam aggredimur. Variarum lectionum pleræque quædam verba pro aliis afferunt, quædam omittunt phraſes, quaſdam addunt: hæc raro varietas ad Religionem pertinet, aut Fidem. Hic vero de integra agitur periodo, quæ in plurimis exemplaribus deeſt; ejus autem omiſſio maximi intereſt. Fidei enim hoſtes hac abutuntur, ut Eccleſiæ de Trinitate dogma impugnent, ſeamque pravam, adverſus æqualitatem, & unam Divinarum Perſonarum ſubſtantiam, ſententiam fulciant.

Non modo Trinitatis adverſarii neque authenticum, neque legitimum eſſe aſſeruerunt: plures etiam ex iis, qui Trinitatem, æque ac nos, fatebantur, ſive Exemplarium, in quibus hic locus deerat, multitudine ſuaderentur, ſive critici animi ducerentur cupidine, ea de re non caute, ut par erat, diſſeruere. Eraſmus v. g. in prima Teſtamenti Novi Græce & Latine redditi Editione hunc locum ſuppreſſit [1], Lutherus in ſua Germanica Verſione eumdem præteriit; quem neque plurimæ per Catholicos, de quibus nulla, in Trinitatis Fide, ſuſpicio [2], vulgatæ Editiones aſſerebant.

Simonius [3], ſuis criticis in utrumque Teſtamentum ſcriptis celeberrimus, hunc Locum noſtris Bibliorum exemplaribus additum & genuinum S. Joannis non

(1) *Ann.* 1516. *&* 1519. *Baſilea.* (2) *Edit. Aldi Venet.* 1518. *Volſii Argentor. an.* 1524. *Colinai Pariſ. an.* 1534. *Vide & Edit. Lovanienſ. Lugdun. an.* 1565. (3) *Simon. Crit. N. T. & in Diſſert. in calce ſuæ Critic.*

non fuiſſe & fuſe, & expreſſe defendit. Christophorus Sandius Socinianus, quidquid ad ſuſpicionem de eo creandam conferr, accurate congeſſit. Quidam ab Arianis ſuppreſſum; quidam vero a Catholicis additum putavere. Grotius denique ipſorum Arianorum calliditate S. Joannis textui inſertum fuiſſe ſuſpicatus eſt.

Eruditiſſimorum vero Criticorum plerique, ſive Catholici ſint, ſive Proteſtantes, legitimum, atque authenticum agnovere. Stunica [1], P. Alexander [2], Millius [3], P. Bukentop [4], Kettnerus [5], Seldenus [6], P. Martianæus [7], Schmitthus, & demum Rogerius [8], expreſſe authenticum eſſe tuentur. Commentaria hic prætermittimus, a quibus ferme omnibus ejuſdem veritas & authoritas defenditur.

Ad Lectores perfecte erudiendos utrinque argumenta referemus, ut cauſa plene cognita, judicium æquabile valeant pronunciare.

ARTICULUS I.

Argumenta in Canonicam authoritatem hujus Textus.

EXemplaria omnia ſive impreſſa, ſive Mſs. ad tria genera redigimus; hæc locum, de quo quærimus, prorſus omittunt; illa ſervant omnino, Vulgatæ noſtræ perfecte reſpondentia; poſtrema denique eumdem locum diverſimode exhibent, vel enim margini inſcribunt, vel Textui inſerunt, ut verſus octavus ſeptimum præcedat [9]: *Tres ſunt, qui teſtimonium da[nt], ſeu dicunt in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dicunt in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus: & hi tres unum ſunt*; vel hæc tantummodo proferunt [10]: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt*, & ea quæ ſubduntur: *tres ſunt qui teſtimonium dant in terra &c.* prorſus omittunt; vel denique verſum octavum ſic legunt [11]: *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis*; & prætermittunt: *& hi tres unum ſunt*. Quæ ultima verba a veris Exemplaribus numquam fuiſſe allata S. Thomas defendit [12].

Lorino, Luca Brugenſi, & Heſſellio teſtibus, a pluribus Latinis Exemplaribus locus iſte minime proditur; qui neque legitur in Polyglottorum Complutenſium Latino & Græco, neque in duobus S. Germani Pratenſis Mſs. n. 43. & 44. neque demum in Mſs. Alexandrino, & Anglico, cujus poſtremi apud Eraſmum mentio.

Sunt & Exemplaria, quæ addant [13]: *Et hi tres unum ſunt in Chriſto Jeſu*; ne ſpiritus, aqua, & ſanguis unum eo modo eſſe crederentur, quo unum ſunt Pater Verbum, & Spiritus Sanctus. Græca Exemplaria pro *Et tres unum ſunt*, ferunt: *Tres in uno ſunt*. Vigilius Tapſenſis, & Pſeudo Epiſtolæ Hygini Author legunt: *In nobis ſunt*.

Præcipuum adverſariorum hujus loci authoritati argumentum inde inſtituitur, quod a Græcis Mſs. Originalibus a Syriaca omnium Orientalium vetuſtiſſima Verſione, ab Arabica, ab Æthiopica, a plurimis demum Latinis Exemplaribus non afferatur, quod præterea neque a priſcis Græcis & Latinis, qui Arium impugnarunt, Patribus, neque a Conciliis adverſus hunc Hæreſiarcham coactis allegetur; quem ea propter Veteres ignoraſſe videntur, hunc enim præ omnibus ad Arium oppugnandum produxiſſent. Si ergo ſenior antiquitas, & clariora Eccleſiæ ſæcula hujuſmodi Textum ignoravere, primis quidem Originalibus eum defuiſſe, S. Joannis vero Exemplaribus, plurimis poſt ipſum ſæculis, inſertus ſatis oſtenditur.

Producuntur etiam Alexandrinum, & Vaticanum Mſs. forte omnium, quæ extant, vetuſtiſſima, in quibus hæc ſolummodo: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*: cetera vero prætermittuntur, quæ deſiderantur etiam in quindecim, aut ſexdecim quæ a Millio, in quinque Regiæ & in ſex Colbertinæ Bibliothecæ Græcis Mſs. quæ a Simonio allegantur. Burnetus Saliſburgenſis Epiſcopus gemina Mſs. in Veneta & Baſileenſi Bibliothecis invenit. Vindobonenſis ſingulare & Linceſtrenſis Bibliothecæ alterum Mſs. omittit: *In cælo Pater, Verbum, & Spiritus, Sanctus, & hi tres unum ſunt, & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra*.

Græcæ Aldi Venetæ Editiones anni 1518. Baſileenſes Eraſmi 1516. & 1519. Hagenonenſis 1521. Argentoratenſis 1524 & Pariſienſis Simonis Colinæi 1534. eadem prætermittunt. Robertus Stephanus in Græca Novi Teſtamenti editione an. 1550. hunc locum, ut affertur a Vulgata, & a Græcis exemplaribus poſt ipſum excuſis, S. Joannis Textui inſeruit; notam vero margini adſcribit, qua ab Editione tantummodo Complutenſi eam lectionem ſe hauſiſſe fatetur. Quia inter ſeptem Græca Mſs. Canonicarum Epiſtolarum, quæ ipſe conſuluerat, nec unicum [14] reperire fuit, quod cum noſtris Bibliis eo de loco conveniret.

Editionis vero Complutenſis, cui Robertus adhæſit, authoritatem magni non eſſe faciendam oſtendunt. Cardinalis Ximenius, cujus opera Complutenſia Polyglotta edita fuere, Rhodienſi tantummodo, & nonnullis Romanis, quæ Leo X. ad eum miſerat, Græcis Mſs. uſus eſt, a quorum utriuſque hunc locum minime allatum ſcimus. Jacobus Lopez Stunica, qui Græca Exemplaria pro Complutenſi Editione adhibita viderat, in diſceptatione, quam hac de re cum Eraſmo inſtituit, nullum, quod locum præferret, allegavit. Cum vero, Urbano VIII. Eccleſiam gerente, omnia congeſta ſunt Mſs., quæ Romæ in Bibliothecis ſeu Vaticana, ſeu Barberina aſſervabantur, ut novi Teſtamenti Græca Editio recenſeretur, octo tantummodo inventa ſunt, quæ Canonicas complecterentur Epiſtolas, nullum vero eorum locum, de quo diſſerimus, afferebat [15].

Manuſcriptum, quod Seidelus ab Oriente Berolinum tranſtulit, & cujus in ſua nova Novi Teſtamenti Millii ann. 1710. Editione Kullerus meminit, eumdem locum omittit: quem & Simonius in Regia Bibliotheca nullibi ſe reperiſſe teſtatur, quamvis octo ibi ſaltem Mſs. evolverit, quorum quædam cum recentiſſima eſſent, illud ſuadent, quod is locus apud Græcos Recentiores, æque ut apud Veteres, nullius haberetur authoritatis. Alia tria Mſs. eidem Regiæ Bibliothecæ a D. Le Tellier Rhemenſi Archiepiſcopo dono tradita producit Rogerius, a quibus locus idem prorſus omittitur [16].

Mſs. Latina prorſus ad Vulgatam accedunt; quorum tamen plurima extant, quæ Textum, de quo quærimus omnino prætereunt. Prologi in Canonicas Epiſto-

(1) *Stunica adverſ. Eraſmum in 1. Joan. 5. 7. Compluti 1519* (2) *Natal. Alex. in N. T. tom. 1. art. de Epiſtol. Canonic.* (3) *Millius Diſſert. in 1. Jo. 5. 7. ad calcem Variar. Lection in Epiſtol. 1. Jo.* (4) *Bukentop Lux de Luce l. 2. pag. 306.* (5) *Kettner. Defenſ. hujus loci, Diſſertat. ſingular.* (6) *Selden. l. 2. de Synedriis c. 4. pag. 133. & ſequ.* (7) *Martian. not. in Prolog. Catholic. pag. 1669. 1670. tom. 1. nov. Edit. Hieronymi.* (8) *Roger. Diſſert. Critic. Theolog. in hunc loc. Pariſ. 1713.* (9) *Vid Cod. Corbei. n. 2. apud Martian. pag 1675. Ita & Eug. Carthag l. 1. de Cathol. Fide. Vide & Idacium adverſ. Varimand. & Fulgentiam Reſp. contra Arianos*, *& multa Vulgata exemplaria. Roger. pag. 128.* (10) *Ita Cod. duo Murbac. & unus Compend. a me viſi, & alii quidam.* (11) *Omittit Complut. & Cod. Britann. Codd. Lat. Levan. 15.* (12) *D. Thom. Opuſcul. 24.* (13) *Ita Clem. Alex. in Latinis Caſſiodor. Ambroſ. l. 3. c. 11. de Spiritu Sancto Vigil. Tapſ. ſeu alius lib. de Fide ad Theophyl. & lib. de unica Trinitatis Deitate.* (14) *Vid. Roger. Diſſertat. §. 3. pag. 9. & ſeq. Hæc Mſs. ſunt 4. 5. 7. 9. 10. 11. 12.* (15) *Vid. Præfat. Joann. Matth. Caryophilli ad calcem Caten. Græc. edit. Petr. Poſſini in Marc. Romæ 1671.* (16) *Codd. 2242. 2869. 3425.*

Epiſtolas Auctor, qui Hieronymi nomen præfert, & de quo nos fuſius infra, de Amanuenſibus idcirco queritur, quod ſuis Exemplaribus hunc exacte locum non interſeruerint; ex quo quidem eumdem tunc pluribus defuiſſe ſatis conſtat. Eum vero Prologum, qui in vetuſtiſſimis (1) Mſſ. occurrit octavo ſæculo minime poſteriorem credimus; quare vetuſtiſſimus eſt ſine controverſia.

Ab Eraſmo duo Latina Bibliothecæ S. Donatiani Brugenſis Exemplaria, quatuor vero poſt Gilbertum Burnetum allegantur a Millio, quorum duo in Bibliotheca Argentoratenſi, alterum in Baſileenſi, poſtremum in Tigurina aſſervantur, & vetuſtatem ſuam ad annos ſupra octingentos protrahunt, hæc eadem omnia allato Epiſtolæ Joannis Textu penitus carent. Quinque Mſſ. quæ ſuorum Bibliorum margini a Lovanienſibus Doctoribus inſcribuntur; unicum vetus Mſ. e Bibliotheca Bodlejana; alia tria S. Germani Pratenſis; aliud S. Aubini, & aliud S. Sergii Andegavenſium, utrumque vetuſtate ſpectatiſſimum; aliud S. Martini de Campis, Carolo Calvo imperante conſcriptum; Ludovici Pii pulcherrima Biblia, ex Colbertina Bibliotheca; Vetus Bibliorum Correctorium e Luca Brugenſi productum; plurima demum Mſſ. Latina eumdem Joannis Textum omnino prætereunt.

Latina alia in corpore omiſſum margini adſcribunt; hujuſmodi ſunt Mſ. Antuerpienſe Fratrum Ordinis S. Franciſci, quod Eraſmus allegat; aliud ex Regis Bibliotheca ſub numero 3584. quod a Simonio citatur, & hæc margini deſignata producit; *In cælo Pater, Verbum, & Spiritus; & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, & hi tres unum ſunt*; aliud ex Bibliotheca Colbertina ſub numero 158. in cujus margine ad illa verba Textus: *Tres ſunt, qui teſtimonium dant*, reſpondet: *In Cælo Pater, Verbum, & Spiritus; & tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſanguis, aqua, & caro*. Vetus Mſ. S. Germani Pratenſis Verſum ſeptimum eadem manu, quæ totum volumen margini adſcriptum oſtendit. Sunt & alia Mſſ. Græca æque ac Latina, in quibus in margine deſignata verba efferuntur, quæ, licet quandoque phraſim variam, ſenſum tamen ſemper eumdem præferunt.

A quibuſdam Mſſ. verſum octavum ſeptimo præponi jam ſupra tetigimus: quæ tamen varietas lectioni nunc ab Eccleſia acceptæ minime adverſatur. Orientales Verſiones, præter Armenam, hunc locum omnes omittunt. Syriaca, Arabica, Æthiopica, Ruthenica, & Cophtica habent tantummodo verſ. 8. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*, prætermiſſis his verbis, *in terra*, quæ in Græca & in Vulgata afferuntur. Tremellius Syriacæ Verſionis Editioni an. 1569. verſ. 7. inſerit; quem tamen Textui non adjungit, ſed margini tantum adſcribit. Gothicus vero eum Textu nectit. Illud plane conſtat, quod Mſſ. omnia, & veteres Syriacæ Novi Teſtamenti Editiones anno 1562. per Vidmanſtadium vulgatæ, locum hunc penitus omittunt.

Quem profecto Veteres ſeu Græci ſeu Latini Patres minime agnoverunt: tum ſaltem non allegarunt; cum vel ea, de quibus agebant; vel quam defendebant, cauſa id expoſceret. S. Irenæus (2) Jeſu Chriſti Divinitati probandæ incumbens, ſæpe hanc Joannis Epiſtolam, imo & ipſum Epiſtolæ quintum caput producit, verſus tamen ſeptimi numquam meminit. S. Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus ad Paulum Samoſatenſem ſcribens, verſum octavum pluries allegat; verſum ſeptimum, qui Chriſti Divinitatem, & ipſam Trinitatem, quam tuebatur, luculenter probat, numquam producit.

Hunc etiam a Patribus Græcis, ante Nicænum Concilium, numquam allegatum Millius putat. S. Athanaſius, qui vitam ferme omnem Arianiſmi oppugnatione tranſmiſit, quamvis nullam Scripturæ authoritatem ſibi faventem præterire ſoleret, hujus ſibi quammaxime conducentis numquam meminit. S. Epiphanius, Sardicenſis Concilii Patres, S. Baſilius Magnus, S. Alexander Alexandriæ Epiſcopus, S. Gregorius Nyſſenus, S. Gregorius Nazianzenus, Didymus, S. Chryſoſtomus, S. Cyrillus Alexandrinus, & alii perplurimi, qui cum hoſtibus Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti Divinitatem impugnantibus, diſceptationes pluries inſtituerunt, numquam hoc uſi ſunt Textu, qui ad unam Trinitatis ſubſtantiam comprobandam præ ceteris confert. Quamobrem ab eorum exemplaribus numquam abfuiſſe certo conſtat; ſi enim Textum adeo Trinitati faventem inveniſſent, tot utique Patres eum minime neglexiſſent.

Cujus etiam Latini Patres, æque ac Græci, ignari fuiſſe videntur. Author Tractatus de Hæreticorum baptiſmate, omnium conſenſu vetuſtiſſimi, S. Cypriani operibus inſerti, ſextum & octavum hujus quinti capitis verſus connexos affert, ſeptimum omittit. Novatianus in Libro de Trinitate ad verbi Divinitatem probandam plura coogerit; hunc locum, qui præ ceteris probaſſet, non memorat. S. Hilarius, qui plurimum de Trinitate ſcripſit, eumdem præterit; Lucifer Calaritanus neque in Tractatu *de non conveniendo cum hæreticis*, neque in aliis ejus umquam meminit.

S. Ambroſius (3) ſextum & octavum verſiculum nectit, ſeptimum omittit: *Per aquam & ſpiritum venit Chriſtus Jeſus. Non ſolum in aquam, ſed per aquam & ſanguinem, & ſpiritus teſtimonium, quoniam ſpiritus eſt veritatis. Quia tres ſunt teſtes, ſpiritus, aqua & ſanguis: & hi tres unum ſunt in Chriſto Jeſu*. Apud S. Phæbadium Aginnenſem Epiſcopum, & Fauſtinum, qui & de Trinitate, & contra Arianos ſcripſere, hujus loci nulla mentio. Apud S. Hieronymum de eo perpetuum ſilentium. S. Auguſtinus, præterquam quod ejus numquam meminit, ſuis Exemplaribus eumdem defuiſſe ſatis inſinuat (4); poſtquam enim hæc citaverat; *Tres ſunt, qui teſtimonium dant, ſpiritus, ſanguis, & aqua*, a tribus his Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum deſignari aſſeruit, & aliis Scripturæ locis vi quadam eo deductis probavit. Si vero in ſuis Exemplaribus legiſſet: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*, cum & hic, & alibi hæc verba, quæ Filii & Spiritus Sancti Divinitatem, & unam cum Patre ſubſtantiam perſpicue præferunt, producere prætermiſiſſet?

De quo etiam loco ne verbum quidem apud Leonem Magnum, cujus in Epiſtola ad Flavianum, eumdem producere magni intererat. Facundus Hermianenſis Epiſcopus (5) octavum verſiculum affert, eumque de Trinitate explicans, *Spiritus*, inquit, Patrem refert, juxta illud (6): *Deus Spiritus eſt*, *aqua* Spiritum Sanctum, de quo illud (7) *Qui credit in me*, nempe Spiritum Sanctum accipit, *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ; ſanguis* denique Jeſum Chriſtum noſtra carne indutum deſignat. Quæ explicatio ab Auguſtino deprompta vulgo deinde afferebatur; nemo vero ad eam confugiſſet, ſi in ſuis Exemplaribus verſiculum ſeptimum legiſſet. Cerealis contra Maximinum ſcribens, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unitatem conatur oſtendere, licet vero plurimas ea de re authoritates proferet, hanc Joannis præ ceteris ſibi faventem ſilet.

Beda demum, ceterique, qui hanc Joannis Epiſtolam ſcripſere, numquam celebris hujus loci meminerunt, quem in ſuis Exemplaribus minime reperiſſe, ſatis ſuperque oſtendunt. Didymus, Clemens Alexandrinus, Oecumenius, ſex Græcorum Catenæ, quas Simonius hac de re conſuluit, ſeptimum verſiculum omittunt. S. Eucherius (8) hæc explicans: *Tres ſunt qui dant teſtimonium, aqua, ſanguis, & ſpiri-*

---

(1) Eſt in duobus Bibliis Mſſ. S. Aubini, & S. Sergii Andegavenſis, quorum altera 900. altera ſaltem 800. annorum vetuſtatem oſtentant. Eſt etiam in aliis vetuſtis Bibliis, Carolo Calvo imperante exaratis. (2) *Iren. l. 3. c. 18. num. 16. in nov. edit.* (3) *Ambroſ. l. 3. de Spiritu S. c. 11.* (4) *Aug. l. 2. contr. Maximin. c. 22. n. 3. pag. 729.* (5) *Facund. l. 1. c. 3.* (6) *Jo. 4. 24.* (7) *Jo. 7. 38.* (8) *S. Eucher. quæſt. in N. T.*

Spiritus, ab aqua Patrem, Chriſtum a Sanguine, a Spiritu Spiritum Sanctum deſignari aſſerunt; & ſeptimum verſiculum, quemadmodum S. Auguſtinus, & Facundus, ad ſuam ſententiam quammaxime conferentem, nequaquam exhiberet.

Ex quibus omnibus ſatis oſtenditur, ſeptimum hunc verſiculum, uſque ad ſeptimum, & octavum ſæculum, lectum minime fuiſſe ab Eccleſiis Orientalibus, neque a Syriaca, neque a Romana, & Africana, neque a Mediolanenſi, & Gallica, neque demum a Sardinienſi, & Britannica. Non primum ab Eccleſiis Orientalibus, quod a Græcis & Mſs. & Patribus numquam afferatur; non a Syriaca, quod ejus & ceterarum etiam Eccleſiarum Græco idiomate non utentium Biblia eumdem locum & in præſentia omittant; non a Romana, quod Leo, & Novatianus ejus nuſquam meminerint; non ab Africana, quod ab Auguſtino, Cereali, Junilio, & Facundo nullibi allegetur; non a Mediolanenſi, quod apud Ambroſium perpetuum de eo ſilentium; non a Gallicana, quod S. Hilarius, S. Phæbadius, & S. Eucherius eum numquam producant, neque in Lectionario recenſeatur, quem ab hac Eccleſia quondam adhibitum P. Mabillonius evulgavit; non denique a Sardinienſi & Britannica, quod eum Lucifer Calaritanus, & Ven. Beda ne verbo quidem unquam tetigerint. Quamobrem illud undique veri ſpeciem magis præfert, quod locus iſte primum gloſſatum inſtar aliquorum Exemplarium margini adſcriptus, in ipſum deinde Textum irrepſerit.

Quæ quidem veri ſimilitudo inde ſibi majorem vindicat fidem, quod et certo facto innitatur, quo & locus in diſceptationem adductus eſt, & a pluribus Latinis Mſs. vetuſtiſſimis adſcriptus margini exhibetur. Cum vero & alia a Librorum margine in eumdem Textum effluxiſſe ſciamus, & hic idem contigiſſe non immerito arbitramur. Catholici forte nonnulli Fidei ſtudioſi, qua vi locus iſte Arianos, Macedonianos, & ceteros Trinitatis adverſarios oppugnaſſet, animadvertentes, eb Exemplarium margine in Textum tranſtulere. Quod profecto tum minime præſtitum fuit, cum diſceptatio arderet; Ariani enim Textum vitiatum Catholicis exprobraſſent; ſed nono, ſeu decimo ſæculo cœptum fieri putemus, cum ab ea ætate in Textum ſenſim irrepſiſſe videatur. De Arianis vero, quod locum a Texto divulſerint, ſuſpicio merito eſſe non poteſt; Catholici enim, quorum ſemper frequentia floruit, fraude producta, eos pravæ fidei inſimulaſſent. Exemplaria præterea, quæ apud præcipuas Orientis & Occidentis Eccleſias aſſervabantur, Arianorum poteſtatis minime erant; quare iis, quamlibet ſibi fidem vindicaſſent, ne verbum quidem ab Joannis Textu divellere unquam licuiſſet.

Grotius non modo ab Arianis verſiculum ſeptimum non evulſum, ſed ab iiſdem inſertum ſuſpicatur, ut Patris, Filii, & Spiritus Sancti unitatem, non eſſe unitatem ſubſtantiæ, ſed teſtimonii, ei ſimilem, qua ſpiritus, aqua, & ſanguis unum ſunt, oſtenderent. Quæ tamen conjectura nulli valido innititur argumento: locus etiam, de quo quærimus, multo magis, quam faveat, Arianis adverſatur. Veterum præterea omnium hujuſmodi numquam de Arianis ſuſpicio fuit. Ipſi Ariani ad ſua dogmata ſtabilienda eum locum numquam allegant; & Patres, qui eos impugnarunt, ad unam Trinitatis ſubſtantiam comprobandam, verſiculum octavum de Spiritus, aquæ, & ſanguinis teſtimonio proferunt; ſeptimum vero, multo magis ſibi faventem, ſi noſſent, utique protuliſſent.

Celebris effertur locus, quem S. Hieronymo tribuunt, ubi S. Doctor Interpretibus, qui S. Joannis Epiſtolam ex Græco Latine reddiderunt, infidelitatem exprobrat, quod nempe Patris, Verbi, & Spiritus Sancti quammaxime Catholicæ Fidei conducens, & unam Trinitatis ſubſtantiam validiſſime ſtabiliens teſtimonium prætermiſerint [1] *In qua ab infidelibus tranſlatoribus multum erratum eſſe fidei veritate comperimus: trium tantum vocabula, hoc eſt, aqua, ſanguinis, & ſpiritus in ſua editione ponentes, & Patris, Verbique ac Spiritus teſtimonium omittentes; in quo maxime & Fides Catholica roboratur, & Patris, & Filii, ac Spiritus Sancti una Divinitatis ſubſtantia comprobatur*. Si hæc ſunt Hieronymi, Manuſcriptorum varietas vel in Amanuenſes, qui neglexerint, vel in Interpretes, qui permagni ponderis locum prætermiſerint, eſſet utique referenda.

Doctiſſimi vero Critici hujus Præfationis Authorem eſſe Hieronymum omnino inficiantur. Eraſmus de ejus falſitate ſuſpicatus, qui Præfationes in Libros Evangelio appoſitas confecerit, incertum aſſerit [2]. Simonius etiam Hieronymo falſo tribui tuetur; quam quidem ſententiam P. Martianæus in ſua nova S. Hieronymi editione quinque argumentis fulcit.

1. Præfationis Author *Septem Epiſtolas* vocat *Canonicas*; Hieronymus vero *Catholicas* ſemper appellat. 2. Epiſtolas apud Græcos Orthodoxos diverſo, quam apud Latinos, ordine collocari perhibet: *Non idem ordo eſt apud Græcos, qui integre ſapiunt, & fidem rectam ſectantur, Epiſtolarum ſeptem, quæ Canonicæ nuncupantur, qui in Latinis Codicibus invenitur*: quod quidem Hieronymus numquam enuntiaſſet; optime enim eas ſciverat a Laodicenſi Concilio [3], Euſebio [4], Cyrillo Jeroſolymitano [5], Athanaſio [6], Gregorio Nazianzeno [7], Joanne Damaſceno [8], & a Mſs. denique Græcis eodem, quo a nobis, ordine numerari. Hæc vero non eſt mens Authoris, qui illud tantummodo innuit, quod cum Latina Exemplaria cum Græcis in Epiſtolis diſtribuendis ſua ætate non convenirent, Græcos imitatus naturali eidem ordini reſtituerat. Quod quidem liquido conſtat; cuſque in exercitatione in Canonicas Epiſtolas e S. Auguſtino, & poſt ipſum, & poſt Hieronymum aliis, adhuc veteri methodo alia ab ea, qua nunc & apud Græcos, & apud Latinos diſtribuuntur, eas collocari ſolitas jam oſtendimus.

3. Epiſtolas Canonicas priori & vetuſtiſſimo ordini reſtituiſſe, veluti quid permagni ponderis is Author oſtentat; quod cum parum intererſit, Hieronymus utique non extuliſſet. 4. Hujus Præfationis ſtylus cum ceteris Hieronymi Operibus non omnino cohæret. 5. Ipſe Hieronymus Canonicas Epiſtolas eo quo in Mſs. ordine non diſtribuebat; Caſſiodorus enim Librorum Catalogum juxta Hieronymum exhibens [9], primum geminas S. Petri Epiſtolas, deinde D. Pauli quatuordecim, tertio tres S. Joannis, poſtea unicam S. Jacobi, unicam denique S. Jacobi recenſet. Ex his argumentis ſingula eadem æque vi minime urgent; ſimul vero congeſta hujus ſaltem Præfationis veritatem in ſuſpicionem adducunt; quæ adhuc e mea ſententia incertior idcirco redditur, quod S. Hieronymus hunc Joannis Epiſtolæ locum in ſuis Operibus nuſquam allegaverit.

Eraſmus vero [10], poſt quem & Socinus, Clericus [11], Kernerus [12] & P. Bukentop [13] ejuſdem Præfationis Authorem Hieronymum eſſe defendunt, & inde varia quidem pro libitu, ſed ſibi faventia eorum quiſque argumenta ducit. Eraſmus, Socinus, & Clericus Hieronymum inſimulant, quod vetuſtis Græcis exemplaribus trium teſtium locum, ut a noſtris Bibliis aſſeritur, cujus de contrario, defuiſſe aſſeruerit. Kernerus, & Bukentop S. Hieronymi ætate verſiculum ſeptimum S. Joannis Epiſtolæ a ſinceris Mſs. Græcis allatum ſtatuunt; quamvis plura vagarentur Exemplaria, a quibus Amanuenſium incuria, & infidelitas eumdem divulſerat.

Nos

(1) *Vid. Prolog. Vulgatam D. Hieron. in Ep. Canonic.* (2) *Eraſm. de Cenſur. Præfat. in to. 4. 3. Epiſt. Hieron.* (3) *Concil. Laodic. can. 60.* (4) *Euſeb. l. 3. Hiſt. cap. 25.* (5) *Cyrill. Jeroſol. Catech. 4.* (6) *Athanaſ. Epiſt. Feſtal. & in Synop.* (7) *Greg. Nazia. Carm. de Genuin. Script.* (8) *Damaſc. l. 4. de Fide Orthodox. c. 18.* (9) *Caſſiodor. lib. de Inſtitut. Divin. lit. cap. 8.* (10) *Eraſm. loc. cit.* (11) *Biblioth. Univerſ. ann. 1709. p. 453. & in Quæſtionib. Hieron.* (12) *Diſſert. in hunc loc.* (13) *Bukentop. Lux de Luce l. 2. pag. 306.*

Nos vero hanc veluti nullius authoritatis Præfationem libentius rejicimus, quam in hæc prorſus abſona deſcendamus. S. Hieronymus ea ſane erat eruditione, ut quid ſuæ ætatis Manuſcripta referrent, difficile nimium ignoravarit; ea præditus fide, ut mendacio ſe obſtringere omnino reſpuerit: ea denique animi moderatione & ſapientia, ut ab eo, quod non præſtitit, oſtentando penitus abſtinuerit. Nos itaque, quod primo ſtatuimus, iterum concludimus, nempe in Veterum Græcorum, Latinorum Mſs. & Verſionum Orientalium perplurimis locum iſtum defuiſſe; quod is Occidentis æque ac Orientis Patrum pleroſque latuerit; quod ab Arianis neque additus, neque divulſus, neque etiam a Catholicis interpus nullatenus oſtendi poſſit. Verum priuſquam ejuſdem loci authoritati ſeu faventiam ſeu adverſam ſententiam pronunciemus, ſicuti argumenta, quæ eam impugnant, retulimus, ita ea, quæ eamdem defendunt, afferemus.

ARTICULUS II.

Argumenta de canonica hujus loci authoritate.

UT celebrem hunc S. Joannis Epiſtolæ locum canonicum eſſe, & vel ab initio Textui nunquam defuiſſe oſtendant, Mſs. Verſionum, Patrum, & Conciliorum teſtimonium proferunt, cui ſimilitudines veri, & congrua quædam argumenta adjiciunt. Quamvis Mſs. vetera, quæ eo loco carent, frequentiora occurrant, ea nihilominus, quæ locum vel Textui connexum, vel margini adſcriptum afferunt, & plurima ſunt, & vetuſtiſſima. Eraſmus, qui in ſuis geminis Novi Teſtamenti Græci & Latini editionibus eum prætererat, Magnæ Britanniæ (1) Manuſcripto fidens tertiæ demum appoſuit.

Theologi, quos Cardinalis Ximenius Editioni Complutenſi adornandæ adhibuit, alicujus ſane Mſs. optimi authoritate ducti, ipſi Textui eumdem locum inſeruere; id enim per ſe ipſos preſtitiſſe ſuſpicari jure non poſſumus, cum in Præfatione adhibitu ſic fuiſſe aſſeruerint: *Exemplaria antiquiſſima, quibus fidem abrogare nefas videbatur.*

Robertus Stephanus poſtquam e Regia & aliis Bibliothecis Mſs. *antiquiſſima, vetuſtatis ſpecie pene adoranda* erueiat, atque perpenderat, ſuam, cui locum tunc inſeruit, Editionem an. 1550. vulgavit. Quot Manuſcriptis in Epiſtolis Canonicis exhibet, iis adhæſerit, Eruditi non conveniunt. Plurimi ex ſeptem ſingulis, quæ collegerat, eam lectionem decerptam putarunt: Rogerus vero (2) a ſola Complutenſi erutam (3), ſpatio quatorum capio, demonſtrat.

Editio quoque Frobenii an. 1541. Baſileæ excuſa, Editio Hervagii, uno verbo, ceteræ omnes Græcæ Novi Teſtamenti Editiones, præter nonnullas, quarum ante meminimus, Textui ſeptimum verſiculum interſeruere. Eraſmus ſuis Editionibus an. 1516., & 1519. aliis etiam viam ſtraviſſe videtur, ut eum verſiculum præterirent, quem & in ſua an. 1518. Aldus Manutius noviſit. Hagenoenſis vero editio anni 1521. Argentoratenſis 1524. & Pariſienſis Colinæi 1534. ex Manuſcriptis non videntur depromptæ; ea enim de re nil apud Typographos, aut Editores: quare editiones ex aliis editionibus exſcriptæ tantummodo habendæ.

Alias igitur prodocere, uti a Chriſtophoro Sandio factum eſt, utpote quæ ex iiſdem decerptæ ſunt, ſuparvacaneum ducimus: hæ enim omnes unicam tantum conſtituunt, cum vel priorum Eraſmi vel Manutii ſint exempla. Eraſmum tandem veritatem amplexum ſupra retulimus, cum in tertia anni 1522. Editione ſeptimum verſiculum Textui inſeruerit; quamvis deinde a ſua ſententia ſatis diſceſſiſſe videtur, quod Anglici Manuſcripti, cui primum adhæſerat, authoritatem vel prorſus evertere, vel ſaltem infirmare laboraverit.

Simonius (4), quamvis verſiculo ſeptimo adverſetus, Mſs. in quibus deeſt, ſexcentos antiquitatis annos non prætergredi, & in vetuſtis pluſimis eumdem locum margini adſcribi, ultro fatetur. Græca, quæ nunc eſt, Eccleſia eumdem ita probat, ut ab ejus Lectionario Venetiis anno 1602. edito, quod in Eccleſia legit, & *Apoſtolon* vocat, locus idem referatur; & a Rubrica diei Jovis hebdomadæ a Paſcha trigeſimæquintæ eumdem expreſſe legi jubeat. Quæ præterea Eccleſia in ſua Fidei Confeſſione ultimo edita unam omnium Trinitatis Perſonarum eſſentiam eſſe teſtatur: quod inſuper probatura, hujus Diſſertationis locum uperte produxit.

Marchionis da Velea Mſs. hic præterimus, quod ad Vulgatam reſtaurata credantur; quare ad lectionem, de qua quærimus, conferre minime valent. In quodam Mſs. Græco, ſatis recenti, de quo meminit P. Le Long (5), & in Græco Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. fragmento, in quo judicium quoddam, ſeu ejuſdem Concilii, ad quod & Græci convenere, inſtructio exhibetur, ſententiam hanc totidem verbis legimus; quam etiam afferunt Armena Verſio (6), & Verſio Italica, quam ex Græco depromptam edidit Antonius Bructoli Venetiis anno 1532.

Ejuſdem vero lectio in Latinis Mſs. frequentior, quam in Græcis: Duo Conſtantiæ Latina Mſs. & tertium Baſileæ, quæ locum exhibent, Eraſmus allegat. Joannes Gerardus, & Kemerus dun Senenſis Academiæ Mſs. & Lucas Brugenſis aliud S. Andreæ memorant, quæ locum producunt. Mſ. optimum apud PP. Prædicatores Pariſiis anno 1234. ut ajunt, Jordanis Ordinis ejuſdem Generalis juſſu exaratum: & Vetus Sorbonæ Correctorium, juxta Simonium, ſæculo decimo exſcriptum, locum eumdem oſtendunt.

Lucas Brugenſis, qui de Lovanienſium Theologorum mandato Vulgatam cum Mſs. triginta & quinque contulit, eorum quinque tantum recenſet, quibus verſiculus ille deeſſet. In pluribus ex his Exemplaribus Canonicas forte Epiſtolas defuiſſe fatemur: ſed mirum profecto, quod quinque tantummodo eaidem complecterentur.

In quodam Vetuſtiſſimo Abbatiæ S. Germani a Pratis Mſ. an. 829. exarato, noſtrum quidem, ſed paulo varium, locum exhibet (7), quem adhuc plerima ex Regiis, & Colberti Bibliothecis Veterum Mſs. margini adſcriptum aſſumunt. Heſſelin tante, in pluribus etiam Miſſalibus invenitur, & olim canebatur, ſicuti & nunc canitur in ultimo Matutini reſponſorio, Dominica qualibet a Feſto SS. Trinitatis uſque ad adventum (8). A plurimis denique &

Mſs.

(1) *N. T. Edit. 3. ann. 1522.* ſic habet: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cælo: Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis. Si teſtimonium hominum &c.* (2) *Roger. Diſſert. §. 3. pag. 9. & ſeq.* (3) *Complut. ann. 1615.* ſic legit: *Quoniam tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Sanctus Spiritus; & hi tres in unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus aqua & ſanguis. Si teſtimonium hominum &c.* (4) *Simon. Diſſert. Critic. de Mſs. N. T.* (5) *Biblioth. Sacr. tomi 1. pag. 672. Vid. & Roger. Diſſert. in hunc loc. pag. 120. 121.* (6) *Mill. ex Guillelm. Giſſo.* (7) Mſ. hæc habet: *Sunt tres, qui teſtimonium dant, Spiritus, aqua, & ſanguis, & tres unum ſunt: & tres ſunt, qui in Cælo teſtificantur, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum ſunt.* Super lineam ad illud, *teſtimonium dant*, adjectum legitur, *in terra.* (8) In quodam Breviario Romano Mſ. annorum quadringentorum in nullo ex novem Reſponſoriis Matutini SS. Trinitatis legitur; ſicuti neque in ſuccedentibus ordine Dominicis, in quarum tertio nocturno repetenda hæc Reſponſoria præſcribuntur. Sed Capitulum Tertiæ Feſti SS. Trinitatis ita conceptum eſt: *Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt Veritas: quia tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum ſunt.*

Digitized by Google

Mſs. & editis Vulgatæ exemplaribus affertur [e], licet in eorum nonnullis octavus verſiculus ſeptimo ſic præferatur: (℣. 8.) *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* (℣. 7.) *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & hi tres unum ſunt.*

Quamvis Lutherus aliquibus Græcis illius ætatis, Hagenoenſi vet. gr. anni 1521. aut Aldi 1518. Editionibus forte ductus, verſiculum ſeptimum in Germanica Verſione ſuppreſſerit; Lutherani nihilominus in ſuis deinde Bibliis intexuerunt; quod, addebant, & ab ipſo Luthero præſtitum ſane fuiſſet, ſi adhuc vivens Roberti Stephani Editionem vidiſſet: celeberrimum hunc Typographum tanti faciebat [a].

Calviniſtæ eumdem in ſuis Bibliis conſtanter retinent. Theodorus Beza, licet a pluribus Græcis exemplaribus omiſſum ſciret, tamen non omittendum tuetur; quem & Diodati in ſua Italica Verſione ſervavit.

Ad Patrum teſtimonium nunc progrediamur. Primo tamen una cum D. Boſſuet Meldenſi [3] Epiſcopo, Patrum authoritatem præ Mſs. habendam eſſe advertimus; tum quod Patres ferme omnes Mſs. quæ ad nos pervenere, vetuſtiores ſint; ubi enim illud Mſs. quod vet. gr. Tertulliani aut S. Cypriani ætatem attingat? tum quod Patrum teſtimonium cum eorum ætatis hiſtoriis, & cum ejuſdem temporis Eccleſiæ authoritate cohæreat: unde etiam ſit, ut Patres præ Mſs. majorem ſibi fidem vindicent, & dignitatem. Si S. Cyprianus, & Tertullianus ſeptimum verſiculum allegant, utique eorum ætate illum Exemplaria afferebant, ſique vel tunc doctrinam & Eccleſiæ Fidem referebat; non enim quid indifferens præfert, ſed noſtræ Fidei dogma præcipuum: quamobrem utrumque æque difficile & arduum, vel ab Exemplaribus divellere, ſi aderat, vel iiſdem interſerere, ſi deeſſet.

Tertullianus [4] huic loco alludit, cum ſcribens contra Praxeam, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unam eſſe ſubſtantiam aſſerit, non vero unam tantum perſonam: *Ita connexus Patris in Filio, & Filii in Paracleto tres efficit cohærentes alterum ex altero, qui tres unum ſunt, non unus. Quomodo dictum eſt: Ego & Pater unum ſumus; ad ſubſtantiæ unitatem, non ad numeri ſingularitatem.*

S. Cyprianus quorumdam hæreticorum baptiſmum nullum eſſe defendens, ita ratiocinatur [5]: *Si baptizari quis apud hæreticos potuit, utique & remiſſam peccatorum conſequi potuit: ſi peccatorum remiſſam conſecutus eſt, & ſanctificatus eſt, & Templum Dei factus eſt. Quæro cujus Dei? Si Creatoris: non potuit; qui eum non credidit: ſi Chriſti; nec hujus fieri poteſt Templum, qui negat Deum Chriſtum: ſi Spiritus Sancti, cum tres unum ſint, quomodo Spiritus Sanctus placatus eſſe ei poteſt, qui aut Patris aut Filii inimicus eſt?* Alibi etiam clarius Patris, & Filii & Spiritus Sancti unam tantummodo eſſe ſubſtantiam per Scripturam præteriti teſtatur [6] *Dicit Dominus: Ego & Pater unum ſumus: & iterum de Patre & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: Et hi tres unum ſunt.*

Simonius contra authoritate percullſus, [7]; S. Cyprianum explicare conatur. S. Martyr, inquit, non verſiculum ſeptimum, qui Patris, Verbi, & Sancti Spiritus teſtimonium complectitur, allegavit, ſed verſiculum octavum: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* Quare, addit, *Spiritus* nomine Patrem, nomine *ſanguinis* Filium; *aqua* demum nomine Spiritum Sanctum deſignavit. Quam quidem conjecturam Facundi Hermianenſis Epiſcopi [8] teſtimonio fulcit, qui ſexto ſæculo ſcribens, verſiculum octavum eadem explanatione interpretatur, & ſuam S. Cypriani authoritate ſententiam confirmat.

Quin vero ad varias hujus difficultatis ſolutiones confugiamus, hanc ſatis eſt exhibere. Facundus in ſuo Epiſtolæ S. Joannis Exemplari verſiculum ſeptimum minime legebat, ſed tantummodo octavum, de quo inter omnes convenit. Cum vero ad unam Trinitatis eſſentiam comprobandam a S. Cypriano illud adverriſſet adhibitum, *Et hi tres unum ſunt*, quod totam evolvens Scripturam nonniſi in octavo capitis quinti primæ Joannis Epiſtolæ verſiculo inveniret, S. Auguſtini ſeu figuratam, ſeu SS. Trinitati accommodatam hujus 8.ⁱ verſiculi explanationem produxit, eique ſe maximam vindicaturum authoritatem credidit, ubi eamdem S. Cypriani nomine vindicaſſet.

S. Auguſtinus [9], & Facundus de una Trinitatis ſubſtantia cum S. Cypriano utique conveniebant; at locum, quo Cyprianus ad ſuam ſententiam confirmandam uſus eſt, ignorantes, eidem Myſterio alium accommodarunt. Verum inter vim & efficaciam loci a S. Cypriano adhibiti, & explicationem a S. Auguſtino & Facundo præſtitam valde quidem intereſt. Cypriani enim textus ſententiam ſuam perſpicue & ad literam comprobat; Auguſtinus vero & Facundus aliis textibus & interpretationibus allatam explicationem idcirco fulciunt, quod locum, quem allegant, non ad literam, ſed figurate accipiant; figuratæ autem explicationes, cum de Fidei rebus agitur, nil certe adſtruunt.

His adhuc vetuſtiores ejuſdem Africanæ Eccleſiæ teſtes producimus, Fulgentium nempe, & Eugenium, hunc Carthaginenſem, illum Ruſpenſem Epiſcopos, Vigilium Tapſenſem, & quadringentos alios Epiſcopos, qui ad Trinitatis Fidem ſtabiliendam eumdem ſeptimum verſiculum proferunt. Quibus major ne adhibenda eſt fides, an Facundo qui in remotiſſima degens regione, Bizantii ſcilicet, ſuum de tribus Capitulis Tractatum edidit, & S. Cyprianum, ita loquentem induxit, ut nihil minus quam Cyprianum referat? S. enim Martyr allegoricas, & figuratas explicationes rariſſime profert. An vero Fulgentio, Eugenio, Vigilio, & quadringentis Epiſcopis, qui media in Africa ſimplici & naturali ſtilo ſcripſerunt? Ecce eorumdem Epiſcoporum verba, quibus Hunerico Vandalorum Regi in quadam Fidei Profeſſione anno 484. ſuam de Trinitate ſententiam exhibuere [10]: *Et ut adhuc luce clarius unius Divinitatis eſſe cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamus, Joannis Evangeliſtæ teſtimonio comprobatur; ait namque: Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt.*

Iſte igitur locus in Eccleſiæ Africanæ Exemplaribus legebatur. Eumdem igitur Epiſcopi omnes, qui memoratæ Fidei Profeſſioni ſubſcripſere, authenticum probarunt; de cujus canonica authoritate non modo apud Catholicos ambiguitas nulla; ſed etiam apud ipſos Hunerici ſubditos Arianos; quibus enim tot contumeliis tot Epiſcopi non obtuliſſent, ſi Eccleſiæ Fidem defendentes ſub Ariano, & ab Arianis Epiſcopis aſſidue ſtipato Principe, locum ab iiſdem vel non agnitum, vel rejectum allegaſſent? S. Fulgentius non ſemel tantum, ſed ter in tribus contra Arianos Operibus eum profert, & a S. Martyre Cypriano, eodem, quo a ſe ipſo afferebatur, ſenſu allegatum

(e) *Cod. S. Andreæ a Luc. Brugenſi citatus. Codd. 2. Conſtantienſ. ab Eraſmo laudati. Cod. Dominicanorum Pariſ. Codd. 5. Biblioth. Bodlejanæ, Cod. S. Germani ann. 809. Codex Argentorat. Cod. Venet. & Cod. Florentin. viſi a Gilberto Burneto, laudati contra Varimund. & alii.* (a) *Tubingenſ. Lutherani contr. Scherrerum & Scherrer. ipſe apud Serra. qu. c. in cap. 5. Libri Judith. & Commentar. in 1. Joan. 57. Vid. Roger. Diſſert. pag. 132. 133.* (3) *Cenſura contr. N. T. Simonis.* (4) *Tertull. contr. Praxeam cap. 25.* (5) *S. Cyprian. Epiſt. ad Jubajanum.* (6) *S. Cyprian. de unitat. Eccleſ.* (7) *Simon. Hiſtor. Critic. N. T. c. 18.* (8) *Facund. l. 1. c. 3. de tribus Capitulis.* (9) *Auguſt. con. Maximin. l. 2. c. 22.* (10) *Apud Victor. Vitenſ. l. 3. de Perſecution. Vandal.*

gatum aſſeruit (1). Vigilius Tapſenſis, qui ſexto ſæculo in Africa ſcribebat, ejuſdem meminit; & Author Pſeudo Decretalium, quas Hygino, & Joanni II. Pontificibus adſcribit, verſiculum aperte producit. Octavo forte ſæculo is floruit, & eumdem a Bibliis locum ſemper allatum fuiſſe pro certo habuit, quod duos eum allegantes induceat Pontifices, quorum alter ſecundo, alter ſexto ſæculo imperabat.

Iterum hic non meminimus quod jam prætulimus de Authore Præfationis in Epiſtolas Canonicas, Hieronymi nomine evulgatæ qui eumdem locum aperte profert. Is vero pluſquam novem ante ſæcula floruit, cujus enim Præfationem in ejuſdem ætatis Mſs. habemus. Idacius (2) ſeptimum, de quo agimus, verſiculum in opere contra Varimandum expreſſe affert, ſive id Opus juxta plures Criticos Vigilius Tapſenſis ſexti ſæculi Scriptor confecerit, ſive Idacio Hiſpano Galiciæ Epiſcopo quinti ſæculi authori juxta P. Montfauçonem tribuatur (3). Vigilius Tapſenſis in opere, quod ipſius eſſe ambigit nemo (4), licet S. Athanaſio quondam adſcriberetur, eumdem verſiculum allegat. Uſque huc teſtes Eccleſiæ Latinæ; ad Græcos pergamus.

Author Diſputationis adverſus Arianos in Concilio Nicæno habitæ, quam S. Athanaſio tribuunt, ad unam trium Perſonarum naturam probandam hæc veluti Joannis verba allegat: *Et hi tres unum ſunt* (5). Hunc vero, licet Athanaſium non eſſe certo ſciamus, vetuſtiſſimum tamen eſſe vulgo conveniunt. Author Tractatus *de unica Deitate Trinitatis* totum ita Textum producit (6): *Dicente Joanne Evangeliſta in Epiſtola ſua: Tres ſunt qui teſtimonium dicunt in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.*

Patres Lateranenſes ſub Innocentio III. cui Synodo Conſtantinopolitanus, & Jeroſolymitanus, & per ſuos Legatos Alexandrinus etiam, & Antiochenus Patriarchæ una cum plurimis Græcæ Eccleſiæ Epiſcopi interfuere, Inſtructionem ediderunt, qua Joannis locus utrique probatus Eccleſiæ (7) ad Fidei dogma fulciendum affertur. Ibi etiam verba, *Et hi tres unum ſunt*, a quibuſdam Exemplaribus poſt octavum verſiculum collocari fit mentio; quod tamen Innocentius III. & S. Thomas Aquinas, & Patres hujus Concilii hoc inverſo ordine in bonis Exemplaribus ſeu lectum, ſeu legendum improbarunt. Manuel Calecas ſæculi decimitertii Scriptor, qui Lugdunenſi Concilio adſuit, eumdem locum veluti Canonicum producit (8).

Poſtquam & faventia, & hujus loci authoritati adverſantia argumenta attulimus, ſtatuendum manet, an veluti canonicus ſit excipiendus, ſeu veluti commentitius rejiciendus. Res vero tota in eo ſita eſt, ut an ab initio S. Joannis Epiſtola locum ſemper attulerit, nos percipiamus; ſi enim tum defuit, nulla quidem authoritate adigi poſſumus, ut veluti canonico ſubſcribamus. Ipſa Eccleſia, quæ ſiſit Scripturæ Sacræ poteſt utique pronunciare; non vero, quæ authenticæ non ſint, per ſe ipſam canonicas conſtituere. Authorum plerique, duobus innixi principiis, eumdem locum Joannis eſſe certo credunt, & canonicum tuentur. 1. Quod veterum Scriptorum plurimi veluti Joannis textum allegaverint; & Africæ Eccleſia quinto ſæculo ſolemni & publico actui ad Arianum Regem deferendo inſeruerit; & demum a veterum Exemplarium Græcorum æque ac Latinorum plurimis afferatur.

2. Quod Concilium Tridentinum omnes utriuſque Teſtamenti Libros cum omnibus ſuis partibus & ſacros & Canonicos agnoverit (9): *Si quis Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgata Editione habentur, pro ſacris & Canonicis non ſuſceperit, anathema ſit.* Cum vero & locus iſte a Vulgatæ exemplaribus afferatur, & capitis quinti primæ Joannis Epiſtolæ partem conſtituat, ceterorum inſtar ſub anathematis pœna veluti authenticus eſt excipiendus. Hæc argumenta ſunt, quibus ad fidem textui veluti Canonico adhibendam omnino adigimur.

Proteſtantes ſeu Lutherani, ſeu Calviniſtæ Veterum monumentorum, Patrum, & Exemplarium, a quibus affertur, fide tantummodo ducti, eidem ſubſcribunt. Sociniani, iique omnes, qui eorum exemplo ejus veritatem impugnarunt, a Græcis S. Joannis Originalibus numquam allatum fuiſſe defenderunt. Cur igitur a Tertulliano, S. Cypriano, S. Fulgentio, Vigilio Tapſenſi, Eugenio Carthaginenſi, & a tota Africæ Eccleſia adverſus Arianos ſcribente diſerte allegatur? Cur Ariani, quorum illum evertere tanti intererat, numquam auſi ſint ejuſdem falſitatem producere? Cur adhuc a vetera Anglico Mſs. & Latinis plurimis vetuſtate præclariſſimis inſertus fuerit? Cur denique eorum, quibus deerat, margini adſcriptus?

Eum quidem, præter Africanam Eccleſiam, Veteribus Græcis & Latinis Patribus videri incognitum, neque ab eorum exemplaribus allatum, & uſque ad ſeptimum & octavum ſæculum raro nimium in Mſs. inveniri, ultro fatemur. Id vero inde forte factum eſt, quod ex primis Exemplaribus aliquod vel incuria, vel nimia Amanuenſium celeritate imperfecte hoc in loco ex originali exſcriptum occaſionem attulerit, ut deinde Exemplaria, & Verſiones ab eodem deprompta imperfecta evaſerint. Quare his per Orbem ita diffuſis, cultus qui vetuſtati habebatur, & Exemplaria cum originali conferendi impotentia, Exemplaria etiam correctiora, quæ locum afferebant, in ſuſpicionem adduxere; tot propterea defluxere ſæcula, antequam error, & loci defectus deprehenſus fuerit; quem, cum primum nonniſi ſubobſcure noſceretur, plures margini tantum adſcribebant. Veritas deinde paulatim clareſcens, id præſtitit, ut ducentis & quinquaginta ab hinc annis inter utramque Eccleſiam Græcam & Latinam ea de re omnino conveniret.

Quod de Exemplaribus ab originali deponptis, & fortuito ab Amanuenſibus vitiatis diximus, neque præ-

---

(1) *Fulgent. l. de Trinitat. c. 4. Ego, inquit, & Pater unum ſumus, unum ad naturam referre nos docet, ſumus, ad perſonas; ſimiliter & illud: Tres ſunt, qui teſtimonium dicunt in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus; & hi tres unum ſunt. Idem in defenſione Fidei. Item in lib. Reſponſionum contr. Arianos Reſp. 10. Beatus enim Joannes Apoſtolus teſtatur dicens: Tres ſunt qui Teſtimonium perhibent in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus, & tres unum ſunt. Quod etiam beatiſſimus Martyr Cyprianus in Epiſtola de unitate Eccleſiæ confitetur dicens ...... Dicit Dominus: Ego & Pater unum ſumus; & iterum de Patre & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: Et tres unum ſunt.* (2) *Idacius lib. 1. cap. 5. contr. Varimand.* (3) *Bernard. de Montfaucon. admonit. in lib. de Trinitat. Athanaſ. ſuppoſit.* (4) *Vigil. Altercat. adverſ. Arium, Sabellium, & Photinum lib. 2. numer. 45.* (5) *Author Diſputat. in Concil. Nic. inter Opera S. Athanaſ.* (6) *Inter opera S. Athanaſ.* (7) *Fragment. Concil. Later. IV. in Edit. Labb. Quomodo in Canonica Joannis Epiſtola legitur: quia tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus; & hi tres unum ſunt. Recte addit, ſicut in aliquibus Codicibus invenitur.* In Editione Conciliorum vacuum quoddam ſpatium relinquitur poſt illa verba. *Recte addit*; poſtea ſubditur: *Sicut in quibuſdam codicibus &c.* Omiſſum hoc loco integrum verſiculum 8. ſuſpicans P. Coſſartius, illum ad marginem ſupplevit. Verum D. Simonius Græco Bibliothecæ Regiæ conſulto, nullum reperit ſpatium vacuum; & egregie demonſtrat, illis verbis inſinuari tantum illa, *Et hi tres unum ſunt*, in quibuſdam Mſs. ad octavum tantum verſiculum legi. Id autem probat ex loco Decretalis Innocentii III. ad Epiſcopum Ferrarienſem, & S. Thomæ in Joachimum Abbatem. Vide Simon. Diſſert. Crit. Mſs. (8) *Manuel Calecas l. de Princip. Fidei Catholic. apud Combefis Auctar. p. 519.* (9) *Conc. Trid. ſeſſ. 3.*

præter fidem eſt; neque præter morem. Et in Veteris Teſtamenti Exemplaribus plures diu perſtitere errores, quos ſola Amanuenſium inſcitia, vel incuria invexerant [1]. Quod ſane & quotidie contingit, præſertim cum Textus, in quibus eadem verba pluries recurrunt, exſcribuntur; niſi enim permaximam quis accurationem, & conſueto majorem in recenſendo diligentiam adhibeat, error facile ſubrepit. Itaque cum hæc verba, *Hi tres unum ſunt*, bis ſtatim hic recurrant, a primis ad poſtrema Amanuenſes deſiluere; cumque ea tot et miſſione periodus ſignificationis vim non amiſerit, error diu latuit, donec per veterum Exemplarium collationem tandem deprehenſus eſt.

Ceterum illud nobis advertendum, quod primis Eccleſiæ ſæculis Canonicarum Epiſtolarum exemplaria rariora videbantur; ſicuti & nunc in vetuſtis Mſs. perraro inveniuntur. Prima Chriſtianorum ætas nimis exagitata eſt perſecutionibus. S. Joannis præterea Epiſtolæ neque ita neceſſariæ erant, neque ita communes iis & publicæ, quemadmodum ceteræ, quarum pleræque ad præcipuas Eccleſias miſſæ fuerant. Hæc præſertim Joannis prima, juxta Veteres, data fuit ad Parthos, nempe ad Judæos, qui ultra Euphratem Fidei ſe addixerant; a quibus ſane remotiſſimis regionibus & valde Imperio Romano infenſis, exſcripta ejuſdem Epiſtolæ exemplaria difficile nimium obtineri poterant.

DISSERTATIO

DE MOYSIS OBITU, ET SEPULTURA.

Vide Epiſt. Judæ ℣. 9.

INſita in res miras animi propenſione rapimur omnes; ſimplicibus eventibus, & factis communibus parum tangimur: miranda poſcimus, eſto fabuloſa ſint & ad libitum excogitata. Hinc amor, quo poeſim & inventa proſequimur: hinc voluptas, quam ex iiſdem percipimus. Qui primum ex Græcis ſcripſerint, Poetas ſcimus [2]: cum vero aggreſſi ſunt hiſtorias intexere, quadam poeſeos ſpecie eaſdem inſtruebant. Herodotus novem ſuarum Hiſtoriarum Libros novem Muſas appellavit, neque jucundius ſcribit, quam cum mirabiliter geſta, & fabuloſas populorum, de quibus agit, traditiones recenſet [3].

Si vero mirabilibus rapimur, præ ceteris ſane veritatis amore ita capimur, ut iis omnino numquam acquieſcamus, quæ a veritate diſcedunt. Mirabilia eadem, & poetica inventa, quibus maxime oblectamur, minime arrident, niſi veri ſpeciem præſeferant. Nemo falli vult, neque rudibus & incongruis inventis paſci, & fabuloſa omnibus jucunda accidunt, uſque dum veri coloribus exhibentur. Sacri utriuſque Teſtamenti Libri utraque, quibus adeo oblectamur, verum nempe & mirabile mutuo ita connectunt, ut veluti quidam mirabilium textus videantur, quibus omnia & amorem, & reverentiam vindicant, cum in eis undique veritas eluceſcat.

Judæi peſſima guſtus pravitate, & nimio mirabilium amore ducti, Bibliorum miraculis amplificandis eouſque ſtuduerunt, ut nil ibi ſupernaturale occurrat, quod ſuis novis inventis non adauxerint. Hinc factum eſt, ut ſine guſto, ſine diſcretione, ſine ingenio, quodque deterius eſt, ſine reverentia, quæ veritati, & Hiſtoriis Divinis & Scripturis omnino eſt adhibenda, prodigiis prodigia ſæpiſſime cumulaverint.

Vita & obitus Moyſis præ ceteris Bibliorum hiſtoriis vitiatæ ſunt ab inanibus inventis, quibus Authores Hebræi perpetuo abuti conſuevere. Joſephus [4] Hiſtoricus præcipua de Moyſis vita recenſet, quæ utique nonniſi a Veterum traditionibus acceperat, vel a Libris Apocryphis, non aliis ab iis, quos Gaulminus anno 1629. Pariſiis edidit, atque ita inſcripſit; *Vita Moyſis*, & *Aſſumptio*, ſeu Mors *Moyſis*.

Quos Libros nos ita parvipendimus, ut, quantum ad nos, æternæ oblivioni traditi penitus intercidiſſent. Cum vero S. Judas de morte & ſepoltura Moyſis quid peculiare produxerit, quod ab aliqua apocrypha hujus Legiſlatoris vita exhauſtum fuiſſe creditum eſt, nos, ne quod S. Judas refert, cum hujus inſulſi Operis reliquis confundantur; ne etiam eidem Operi immerita proinde fides adhibeatur; ne denique S. Judæ narrationi obſequium & authoritas adimantur, Librum vitæ Moyſis producere, & id, quod inde S. Judas exhauſit, noſque ſacrum, & authenticum habemus, animadvertere ſtatuimus, ut idem a ceteris ſecernatur, quæ nulla Rabbinica excepta, authoritate nituntur.

S. Judas, ut a blaſphemiis, & a contumeliis omnino abſtinendum oſtenderet, *Cum*, inquit [5], *Michael Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus*. In Canonicis Libris hæc verba nuſquam reperiri, inter omnes convenit, quamvis eadem illis Zachariæ alludant [6]: *Increpet Dominus in te, Satan*. Cum vero a S. Juda eadem allegentur, authoritatem canonicam ſibi vindicant, & certiſſimam præſerunt veritatem.

Unde S. Judas ea verba exhauſerit, diſcrimen. Quidam ipſa Dei revelatione percepiſſe volunt; quidam a Patribus ſuis didiciſſe ſtatuunt, etenim ab Judæis plura ſcriptis minime tradita, per ſeniorum traditionem nota erant. Doctiſſimi autem viri [7] veroſimilius autumant, S. Judam ea deduxiſſe verba a Libro *de Aſſumptione Moyſis*, Libro quidem apocrypho, qui tamen vera plurima plurimis immixta fabulis referebat, Sacri Authores, utpote cœleſti lumine perfuſi, vera a falſis ſecernere optime norant: quare quidquid certum ab iiſdem recenſetur, certiorem ab eorum, quam ab hominum ceterorum teſtimonio, ſibi vindicat authoritatem. Hinc eſt, ut idem S. Judas de Libro Henoch, quem prorſus ignoramus, aliquid alleget [8]; & S. Paulus de Janne & Mambre Pharaonis Magis, qui Moyſi obſtiterunt, meminerit [9]. Quæ quidem nos in Veteri Teſtamento nuſquam legimus: Apoſtoli vero nonniſi vel per traditionem, vel per Judæorum Libros Apocryphos agnovere.

Quod Judæi honorem nimio majorem Moyſi haberent, plura quammaxime incerta de ejus morte audacter pronunciarunt. Fuere, qui eum minime mortem obiiſſe, ſed viventem adhuc in Cœlos aſſumptum putaverint: quam quidem opinionem & plures inter Chriſtianos Authores defendunt [10]. Fuere qui inter amplexus, & Dei oſcula occubuiſſe crediderint. Alii, quemadmodum ceteros, e vivis migrat-

(1) *Vid. P. Martianæum Not. in Proleg. S. Hier. in Ep. Canon. & Roger. Diſſert. in hunc loc. §. 30. pag. 178.* (2) *Strabo l. 1. p. 27.* (3) *Strabo l. 1. pag. 16.* (4) *Joſeph. Antiq. l. 2. c. 5.* (5) *Jud. ℣. 9.* (6) *Zach. 3. 2.* (7) *PP. Græc. Vide Athanaſ. in Synopſ. Clem. Alex. l. 6. ſtrom. & in Ep. Jud. Didym. in Ep Jud. Evod. Ep. 259. inter Auguſtinian. Orig. l. 3. Periarchon.* (8) *Jud ℣. 14.* (9) *2. Timoth. 3. 8.* (10) *Vid. Ambroſ. l. 1. de Cain & Abel, c. 2 n. 8. Iſidor. Hiſpal. de vita & Morte SS. Rupert. in Deuter. l. 2. Catharin.*

migraſſe autumant; alii incertam rem proferunt. *Moyſes*, inquit Joſephus, [1] *una cum Eleazaro & Jeſu in monte Abari conſtitutus, cum poſt mutuos complexus eis ultimum vale diceret, inter loquendum repentina luce circumdatus, in vallem quamdam eſt ablatus. In Sacris autem Voluminibus ſcripſit ſe mortuum, veritus ne propter excellentem ejus virtutem a Deo raptum prædicarent.* Is itaque Author Moyſem mortuum & in valle ſepultum clare aſſerit; neminem vero ejus morti & ſepulturæ interfuiſſe teſtatur.

Philo quoque [2] eum morte ſublatum, & ſepulturæ traditum ducit: *Jam*, inquit, *aſſumendus, tunc divinitus afflatus, vivens adhuc prophetavit de ſeipſo tamquam mortuo, ante obitum narrans ſe mortuum, ſepultumque inſpectante nemine, videlicet manibus non mortalium, ſed virtutum immortalium.*

Hebraici Codices *Petbirath Moſe* [3] ſeu Moyſis Aſſumptio inſcripti, prolixum Dei cum Moyſe, antequam moreretur, colloquium inepte referunt, & Moyſem oſtendunt pro viribus conatum, ut ſuperſtitem adhuc vitam a Deo obtineret, uſquedum regionem Chanaan, Iſraelitis diu ante promiſſam, intueretur; eumque pueriliter adeo loquentem inducunt, ut ſermones illos inanes nos pudeat deſcribere. Ajebat e. g. Quoniam, Domine, a me Jordanem minime trajiciendum, & populum tuum in hanc regionem non inferendum jurejurando te obſtrinxiſti, ſaltem veluti Joſue famuli mei famulum, vel in piſcem, aut in avem converſum eo me ferri indulgeas. Quibus Domino non annuente, quindecim vel duodeviginti leucis ſupra nubes efferri, & in eam regionem illinc aditum ſibi fieri; vel ſe in fruſta conciſum ultra Jordanem projici, & ſtatim ad vitam revocari popoſcit. Denique horum nihil ſibi Domino indulgente, eamdem ſaltem regionem oculis ſuis petiit exhiberi; cui tandem Dominus acquieſcens, octoginta telluris milliaria per ſuam virtutem ita contraxit, ut omnem regionem inſtar pictæ tabulæ ejus oculis videndam obtulerit; qua re Moyſes remotiora, ſublimiora, & profundiora omnia unico obtutu permira facilitate luſtravit.

Samael interea Dæmonum Princeps, poſtremum Moyſis momentum, ut ei præfocato vitam adimeret, admodum expetebat; quem ea de re nimis feſtivum Sanctus Michael populi Iſraelis Patronus, in lacrymas effuſus ita increpavit: *Infelix, dum fleo, rides?* Juxta alios vero: *Non utique exilies, peſſima bellua: animo quidem de Moyſis morte concidi, at per Joſue a Deo loco Moyſis populi Principem conſtitutum, qui & unum ſupra triginta Chananæos Reges interficiet, animo priſtino ſum reſtitutus. In primi & ſecundi Templi everſione ipſe tenebris obvelvar; ſed ubi Meſſias advenerit, ſuo me Deus lumine perfundet.* Poſtrema hæc verba, quæ in utroque per Gaulminum edito Libro habentur, poſt Chriſti adventum, & Templum ſecundum a Romanis everſum, hoc Opus contextum fuiſſe oſtendunt.

Aliquandiu poſt Moyſes, cum ſupremam authoritatem, & populi regimen in Joſue contuliſſet, Dominum allocutus, illuc uſque ab eo ſe vitam flagitaſſe, tum verò ſe prorſus ejus voluntati committere proteſtatus eſt. Tum S. Gabriel, & S. Michael, licet a Domino juſſi, Moyſi necem inferre detrectarunt, ne ſexcenta hominum millia in ſe concitarent; S. Zinghiel etiam ſe Moyſis præceptorem oſtentans, Domino, qui ſibi Moyſis necem commiſerat, Diſcipulum ſuum interimere ſe non poſſe reſpondit.

Dominus poſtremo Samaeli Dæmonum Principi, ut Moyſem interficeret, imperavit; qui ſtatim ſtricto gladio lætus in eum irrupit. Cum vero Moyſes inſtar Angeli lucem emitteret, & ab oculis & vultu flammas effunderet, ejuſque verba veluti ſolis radii niteſcerent, Samael territus a cæde abſtinuit, & Angeli omnes eam rem viribus ſuis omnino majorem aſſeruerunt. Verum Deus in Samaelem iratus, minis increpatum ad Moyſem interimendum iterum miſit; cui rurſus ſtricto gladio in ſe irruenti, Moyſes ipſe virga aſſumpta, qua Dei nomine inſcripta tot miracula perpetraverat, Dæmoni occurrit, eumque in fugam adactum urgens, denique aſſecutus, gloriæ ſuæ lumine obcæcavit.

Moyſes tandem eum ad vitæ exitum jam perveniſſet, humi proſtratus, Deum ne Angelo mortis ſe interimendum committeret, exoravit: cui Deus indulgens, ſe ſtatim adventurum, eumque ſepulchro traditurum reſpondit. Nec mora, Angelis Michaele, Gabriele, & Zinghiele ſecum aſſumptis, ad Moyſem deſcendit. Gabriel ſepulturæ inſtruendæ incubuit, Michael purpuram Moyſi morienti ſupponendam inſtravit, Zinghiel Moyſis veſtes partim ad pedes, partim ad caput, hinc Michaele, Gabriele inde conſtitutis, compoſuit. Secundus *Petbirath*, ſeu Moyſis Aſſumptio, pulvinar Moyſi egredienti ſupponendum a Zinghiele compoſitum refert, & Gabrielem ad dexteram, ad ſiniſtram Michaelem, Zinghielem denique ad pedes collocat.

Moyſe igitur decumbente, & Domini juſſu clauſis oculis, & utraque manu ſupra pectus compoſitis, Deus ejus animam alloquens filiam vocavit; eique, ut poſtquam centum & viginti annis corpus illud animaverat, inde ſtatim egrederetur, præcepit; illi vero roganti, ut, quoniam Moyſe puriorem invenire non poſſe putaret (4), diuturniorem in eo moram ſibi indulgeret, iterum mandavit, ne egredi cunctaretur, quod in ſuæ gloriæ Throno prope Angelos, Seraphin, & Cherubin eſſet illico conſtituenda; quæ nihilominus reſpondit. Optime hic ego maneo; Angeli, Aza, & Aziel, ubi in terras devenere, innocentiam ſuam infecerunt (5); Moyſes vero, poſtquam ei te in Rubo exhibuiſti, ne ſuam quidem uxorem tetigit: quare ne hinc egredi cogar, iterum flagito. Deus vero Moyſem amplexus, per oſculum ejus animam libavit, juxta illud (6): *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini in oſculo Domini.*

Tum Dominus Moyſis funus lugens, Quis, inquit, ei ſuccedet? Flebant Angeli: Ubi invenietur Sapientia? Juſtus, clamabant Cœli, de terra diſceſſit; tellus vero ab hominibus æquitatem evaſiſſe querebatur. Cœlum, Sol, Luna, Planetæ & S. Spiritus numquam in Iſrael Prophetam Moyſi ſimilem adventurum ingemuere. Fruſtra e vivis ereptum Joſue quæſivit. Metraton Angelus Deo dixit: Tuus fuit Moyſes, cum viveret; tuus poſt mortem erit.

Hæc ſumma eorum, quæ aſſeruntur in duobus Libris per Gaulminum vulgatis, quorum uterque Moyſis mortem, quamvis diverſimode recenſet; S. Michaelis vero cum Dæmone de Moyſis corpore altercationis neuter meminit. Quamobrem Librum *de Moyſis Aſſumptione*, quem Patrum Græcorum Veteres agnovere, a duobus *Petbirath* alium eſſe, & eumdem nunc omnino deperditum judicamus.

Ejus altercationis aliquid tangit Origenes (7), ubi ait S. Michaelem Dæmoni exprobraſſe, qud Adam & Eva per ipſum cecidiſſent, prava nempe ſuaſione, qua eos per Serpentem decepit. Factum, quod eodem in Opere refertur, S. Clemens Alexandrinus memorans (8) Joſue, inquit, & Caleb in montem, ubi Moyſi e vivis emigrandum erat, profecti Moyſem viderunt. Joſue vero præ Caleb duos Moyſes aſpexit, alterum in monte, alterum medium inter Angelos; quorum alteri in vallem tranſlato juſta perſoluta, & luctus inſtitutus. Caleb, quod e monte ante Joſue deſcendiſſet, hæc non conſpexit; verum Joſue, quod purior, & majori donatus lumine

(1) *Joſeph. Antiqu. lib. 4. cap. ult.* (2) *Philo de vita Moſis ad finem pag. 696.* (3) *Vid. Gaulmin. de vit. Moyſ. p. 2. Pariſ. 1629.* (4) Locus iſte Metempſycoſis ſententiam inſinuat.

(5) Falſo Henoch Libro hic alluditur, ubi Angeli filias hominum ingreſſi dicuntur. (6) *Deuteron. 34. 5.* (7) *Origen. lib. 3. ex Anabaſi Moſis.* (8) *Clem. Alex. Strom. lib. 6.*

mine eſſet; omnia intuitus; ſingula Iſraeliſ narravit.

Evodius etiam ad S. Auguſtinum ſcribens [1], hunc ejuſdem Operis locum producit, Moyſemque, ubi in montem moriturus aſcenderat, in duo corpora diſcretum vidit: *Ut aliud eſſet, quod terra mandaretur, aliud, quod Angelo comitanti ſociaretur.* Quod quidem cum quorumdam Veterum idea cohæret, qui præter rude & terreſtre corpus, quo inſtruimur, & quibuſdam peractis annis per mortem ſolvitur, animam noſtram alteri ſubtiliori, & aereo, a quo vel poſt obitum non ſecernitur, adhærere arbitrantur.

Loca denique ex eodem *de Moyſis Aſſumptione* Volumine hauſta hæc producuntur [2]. Sanctus Michael cum Dæmone diſceptans, *Nos*, inquit, *a Spiritu Dei creati ſumus*; atque: *Spiritus a facie Dei egreſſus eſt, & nos omnes creati ſumus.* Alibi etiam [3] Moyſes morti proximus ita Joſue compellaſſe fertur: *Deus antequam orbem conderet, me ſui fœderis mediatorem futurum prævidit.* In *Pethirath* Codicibus per Hebræos contextis, qui & nunc obtinent, de his ne verbum quidem. Liber igitur de Moyſis Aſſumptione alius omnino eſt ab his Codicibus; quem ſi vera Sanctus Judas his allegavit, ut Origenes, Didymus, & Patrum & Interpretum plerique ſcuſerunt, neceſſe utique, ut ante Chriſti adventum conſcriptus fuerit; ubi e contra ii, quos nunc Hebræi Hebraice exaratos ſervant, poſt ſecundi Templi everſionem, ut ante tetigimus, conſcripti fuere.

Verum Sanctus Michael & Dæmon qua de re diſceptarunt? Sanctus Judas de Moyſis corpore eos decertaſſe aſſerit; ſed quare decertaverint, non dicit. Oecumenius ſane a Veterum traditione doctus, illud in cauſa fuiſſe prodit, quod cum Sanctus Michael illuſtriori ſepulchro Moyſi inſtituendo incumberet, ei Dæmon valide obſtitit, quod corpus Moyſis, utpote qui Ægyptium, de quo Exodi 2. [4], interfecerat, ad ſe ſpectare, & ſepulchri honore prorſus indignum eſſe dictitarat [5]. Quamobrem Sanctus Michael ut Dæmonem retunderet, Domini imperium indixit: *Imperet tibi Dominus.* S. Epiphanius [6] etiam, & Philo [7] Moyſem Angelorum opera ſepulturæ mandatum tradunt, ne, ut veteres Patres [8] cenſent, Hebræi ad idololatriam proclives, Legiſlatoris virtute capti, ſi ejus ſepulchrum noſſent, Divinos eidem cultus forte exhiberent.

Quod quidem Hebræis jure merito cautum fuit; etenim quidam Arabiæ Petreæ populi, Idumæi nempe, & alii, quos Moyſes nequaquam ſibi devinxerat, ei nihilominus, teſte Epiphanio [9], Divinos honores impendebant. Hunc facile cornibus inſtructum exprimebant: quo factum eſſe ſuſpicamur, ne Arabes ſub ea imagine Bacchum coluiſſe crederentur. Revera plura Moyſis geſta Baccho adſcripta conſtat.

Fuere, qui putarint Dæmonem vel per Magos Moyſis corpus jam tumulo conditum ſuſcitari, vel Hebræis ſaltem patefieri contendiſſe, ut deinde populis Deum eſſe ſuaderet [10]. Alii non de Moyſis ſepultura, ſed ne ejus anima in deliciarum & pacis locum inferretur, Dæmonem decertaſſe docuerunt [11]. Conjectura Serarius ducit, Dæmonem corporis Moyſis virtutem veritum, S. Michaeli obſtitiſſe, ne in Moab regione Idolorum cultui addicta tumularetur: ſicuti diu poſt in Daphnea prope Antiochiam loco, ubi Apollo potiſſimum colebatur, S. Martyris Babilæ corpus ſepulchro traditum fuiſſe conqueſtus eſt.

Patrum, & Interpretum nonnulli [12] Moyſem minime obiiſſe, ſed Henoch inſtar & Eliæ in Cœlum vel in terreſtrem Paradiſum translatum, ſibi perſuaſiſſe videntur. S. Clemens Alexandrinus Moyſem, poſtquam in Cœlum ſublatus eſt, Melchi appellatum refert [13]. S. Hilarius [14], S. Ambroſius [15], S. Hieronymus [16], S. Iſidorus Hiſpalenſis, Rupertus Abbas, & alii, quemadmodum ceteros homines, Moyſem occubuiſſe non putant; quam quidem opinionem ab aliquo Apocrypho, qui periit, Libro forte exhauſerant, ut his verbis S. Hilarius inſinuat: *Si quis conditionem & mortis, & ſepulturæ, & ſepulchri Moyſis diligenter adverterit, & ſecretum Scripturarum, ſecundum Apoſtoli auctoritatem, intelligat omnia ita eſſe tractata, ut Moyſes potuerit jam videri.*

Ex eo Moyſem non obiiſſe quidam defendunt, quod in Transfiguratione Domini & ipſe apparuerit; nos vero ab eorum Patrum plerique illud tantummodo innui voluiſſe ibidem oſtendimus [17], quod Hebræorum Legiſlator non, quemadmodum homines ceteri, interierit; ſed ejus animam in quietis & deliciarum locum ſublatam fuiſſe. Iis vero, qui Moyſem non occubuiſſe, ſed translatum ſerio putant, perſpicuam objicimus Scripturæ auctoritatem, qua Moyſes mortuus, & ſepulchro traditus aperte denunciatur.

Quis vero Moyſem ſepulchro mandaverit, incertum, cum a Scriptura non proferatur [18]: *Mortuus eſt Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino & ſepelivit eum in valle Terræ Moab.* Nonnulli ea verba, *Et ſepelivit eum*, ad Dominum proxime ante annunciatum referentes, Moyſem ab eodemmet Deo, vel potius juxta Hebræorum & Chriſtianorum traditionem ab Angelis ſepultum ſtatuunt. Ferunt alii, eadem verba: *Et ſepelivit eum*, de eodem Moyſe, qui ſemetipſum ſepeliverit, explicantes eſſe ita vertenda: *Et is ſemetipſum ſepelivit*: ſe nempe Moyſes in ſpecu, ubi ſtatim deceſſit, compoſuit, ibique omnibus incognitus hucuſque delituit. In monte Nebo, & Phaſga Moyſem occubuiſſe, & in vallem inde delatum, ab Joſue & Eleazaro ſepulturæ fuiſſe traditum, Sacer Textus videtur innuere. Quid enim ad miracula tum confugiamus, cum neque poſtulet neceſſitas, neque Scriptura meminerit? Joſue & Eleazarus ea erant prudentia, ut optime periculum noſſent, in quod Iſraelitæ incurriſſent, ne propter Moyſem in Idololatriam adducerentur, de quo forte etiam diſcrimine ipſe Moyſes utrumque præmonuit: idque ſane malum prorſus avertere eorum maxime intererat. Moyſis itaque morti eos interfuiſſe, & poſtrema a S. Legiſlatore verba excepiſſe, ſimillimum vero ducimus; qui deinde ejus cadaver a montis cacumine in vallem delatum in abdito ſpecu condiderunt, eumdemque ſpecum ante occluſum nemini unquam prodidere: quare *non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem* [*].

Librorum *Pethirath*, quos jam allegavimus, Hebræi Auctores, Deum per ſemetipſum Moyſi ſepulturam præſtitiſſe, ſepulchrum vero Gabrielem compoſuiſſe teſtantur. Moyſes, addunt, decubuit, animam egit, eodemque ſtatu corporis, eodemque, ubi oſculum a Deo accepit, loco conditus delituit. SS. vero Angeli Michael, Gabriel, & Zinghiel, qui eidem morienti adfuere, & lectum, & ſepulchrum præſtiterunt.

Sunt, qui Moyſis ſepulchrum ab Jeremia tum inventum velint, cum S. Propheta, paulo antequam Jeruſalem a Nabuchodonoſore caperetur, Tabernaculum, Arcam, & Altare thymiamatis in monte Nebo occuluit.

---

(1) *Evod. ad Auguſt. Ep.* 259. *Inter Auguſtinianas.* (2) *Ex Actis Synod.* 1. *Nycen. lib* 2. *cap.* 2. *&* 10. (3) *Ibid. lib.* 2. *cap.* 18. (4) *Exod.* 2. 11. 12. (5) *Oecumen. in Jud. Ep. Ita & Glycas part.* 2. *Annal. Pantaleon Cartophylax &c.* (6) *Epiphan. hæreſ.* 9. *&* 64. *contr. Origen.* (7) *Philo de vita Moſis ad finem.* (8) *Chryſoſt. hom.* 5. *in Matth. Theodoret. qu.* 45. *in Deuter. Procop. in Deuter. Adde Joſeph. Antiq. l.* 4. *c. ult.*

(9) *Epiphan. hæreſ.* 55. *qua eſt Melchiſedech.* (10) *Ambroſiaſt. in Gal.* 3. (11) *Martyrius Syntag. de ſtatu morientium & Ecberianus de regreſſu animarum cap.* 9. (12) *In Deuteron. cap.* 34. 5. (13) *Clem. Alexand. lib.* 1. *Strom.* (14) *Hilar. in Matth. cap.* 20. *num.* 10. (15) *Ambroſ. lib.* 1. *cap.* 2. *de Cain & Abel.* (16) *Hieron. in c.* 8. *Amos.* (17) *Vid Comment. in Deuter.* 34. 10. (18) *Deuter.* 34. 5. (*) *Deuter.* 34. 6.

culuit. *Tabernaculum* [1], *& Arcam juſſit Propheta comitari ſecum, uſquequo exiit in montem, in quo Moyſes aſcendit, & vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Jeremias, invenit locum ſpeluncæ, & Tabernaculum, & Arcam, & Altare incenſi intulit illuc, & oſtium obſtruxit.* Ea tamen verba: *Invenit locum ſpeluncæ*, verti etiam poſſunt: *Invenit locum cujuſdam ſpeluncæ*, & omnia, quæ detulerat, illuc intulit. Antra quidem in montibus ſæpiſſime occurrunt. Idumea, Palæſtine, & Regio Moab montuoſæ ſunt & cavernoſæ ad incolarum perfugium, ubi hoſtes arva invadant. Res autem tunc poſcebat, ut ex his ſpecubus aliquis inveniretur commodior, atque occultior, ejque ita oſtium obſtrueretur, ut non per arduum laborem recludi contingeret. Ex his quoſdam ita occluſos ſe vidiſſe Itinerantes teſtantur, ut quæ via illuc aditus pateat, quave arte effodi poſſint, vix percipiatur.

Prodigium e Cedreno accipimus [2]. Lucida, inquit, nubes Moyſis ſepulchrum ita contegit, ut veluti interjecto pariete intuentium oculos ulterius progredi non ſinat; quamobrem illud hactenus nemo hominum novit. Inventum nihilominus putant anno 1655. Rem vero Georgius Hornius ita narrat [3]: Cum Paſtores quidam Maronitæ Octobris menſe anni 1655. in montibus Nebo & Abarim capellas paſcerent, earum aliquas identidem duorum vel trium dierum itinere e grege ſecedere, regreſſas vero mirifice redolere adverterunt. Rem itaque percepturi, errantes proſecuti, ad altiſſima prærupta loca devenere; in quorum imo contracta quidem ſed gratiſſima vallis, ad quam nonniſi per arduas rupes, quas a proximis montibus terremotus forte præciderant, aditus patebat. Illuc profecti, antrum, & in medio antro loculum in viva rupe exciſum, paucisque, quos percipere non potuere, characteribus inſcriptum invenerunt. Antrum undique ſuaviſſime redolebat, regreſſique Paſtores odorem illum veſtibus ſuis ita contraxerunt, ut hæ mirifice redolerent.

Ad Mataxat Maronitarum Patriarcham in monte Libani in Monaſterio *Canobeen Kadiſcha Mariam* degentem re delata, duo probati Sacerdotes, Aben Utepb præſertim ſapientia & ſcientia ſpectatiſſimus, miſſi eo fuere; qui antrum ingreſſi, ſepulchri inſcriptionem ita legerunt: *Moyſes Dei famulus*. Eventu hilaris Patriarcha ad Damaſci Præſidem profectus, ſibi ſepulchri cuſtodiam permitti, rogavit. Græci vero, Armeni, Judæi, & Franciſcani, tanti ſibi quiſque obtinendi corporis ſpe ducti, & precibus, & pecuniis etiam plurimis, ut ſibi ſepulchri cura committeretur, enixe elaborarunt; Judæi præ cæteris, quod Moyſes eorum eſſet Legiſlator, ſibi conati ſunt adjudicari. Turcarum Princeps, quod Jeſu Chriſti Jeroſolymis, Mahometi Meccæ, & Moyſis ſepulchro in monte Nebo potiretur, quammaxime efferebatur.

Jeſuitæ, Hornius ſubdit, omnium ſpem everſuri, illud a Turcis impetrarunt, ut ſepulchro, & viis omnibus eo ferentibus occluſis, ne quis ſe illuc conferret, capitis pœna interdiceretur. Quamobrem Damaſci Præfectus Morat Sanjaco Jeruſalem, & Sareptæ imperavit, ut antrum, & ad illud aditum omnem intercluderet. Jeſuitarum vero mens ea fuerat, ut corpus Moyſis ſubreptum in Europam ipſi tranſveherent. Quinquſdam itaque montis Libani Druſis aſſumptis, ad antrum clam profecti, recluſo ſepulchro nil invenere. Cum nihilominus ipſius ſepulchri quidquam aſportare conarentur, Jeruſalem Sanjacus re cognita, milites miſit, qui durius increpatos a cœpto opere prohibuerunt; ſaxiſque ingentibus eo devolutis, viam omnibus omnino imperviam reddidere. Quæ quidem maximam Bizantio turbationem crearunt: verum inter Sapientes quid de eo ſepulchro cogitandum, non conveniebat; donec Judæus quidam filius Gad, Sareptæ incola, Jechonias nomine Librum edidit, quo inventum loculum non Moyſis Hebræorum Legiſlatoris, ſed alterius longe junioris Moyſis ſepulchrum eſſe oſtendit. Tum de invento Moyſis ſepulchro ſpes omnis evanuit.

Hæc Hornius, quæ plurimis ſane difficultatibus obvolvuntur. 1. *Jechoniam filium Gad* Sareptæ incolam, qui inventum Sepulchrum Moyſis non eſſe ſcripſit, nunquam extitiſſe putemus [4]. 2. Maronitarum Patriarcha anni 1655. non *Mataxat*, ſed *Joannes* vocabatur; cui anno 1657. *Georgius Beſchel* ſucceſſit. 3. Damaſci Præfectus, qui eam Provinciam gerebat, *Boſchis* non *Morat* appellabatur; qui deinde ſummus Viſirius conſtitutus, Damaſci regimine in filium ſuum *Maimed* collato, quadraginta poſt novam dignitatem diebus præfocatus interiit. 4. Arduum nimis & incredibile, quod Paſtores Libani uſque ad montem Nebo, leucis ſeptuaginta diſſitum, ad paſcua greges ſuos egerent. Neque illud ſimilius vero, quod capellæ trium dierum itinere a grege ſecederent, & ad Paſtores ſuos deinde reverterentur. Cæteræ denium hujus hiſtoriæ circumſtantiæ fabellam undique præferunt; quare & hanc inter ea numeramus, quæ ab Judæis in Moyſis *Petbirath* recenſentur.

Illud vero de Moyſe certo ſcimus, quod non morbo, aut ſenio confectus ſit, in mortis enim articulo nec oculi ejus caligaverant, nec moti fuerant dentes [5], ſed Domino jubente interierit; & quod ad calcem montis Nebo, ſeu Phaſga ſepulturæ traditus fuerit; quamvis an Eleazar & Joſue eumdem tumulaverint, an vero Deo mandante per ſe ipſum Moyſes in loco, ubi deceſſit, ſeſe compoſuerit, ignoramus. Scimus præterea, S. Michaelem cum Dæmone de Moyſis corpore diſceptaſſe; quo in diſcrimine S. Michael gravioribus verbis Dæmonem minime excepit, enunciaſſe contentus: *Imperet tibi Dominus*. Hujus vero diſceptationis circumſtantiæ latent; quæ quidem ſenſibili modo inſtituta non fuit. S. Michael, Deo ſic imperante, mediis homini ignotis, & ſuæ Dæmoniſque naturæ accommodatis, eumdem prohibuit, ne Moyſis ſepulchrum Judæis proderet, eoſque ad idololatriam facile impelleret.

Locum denique, quem S. Judas prodocit, ab apocrypho Libro, *de Moyſis Aſſumptione* inſcripto, longe alio ab utriſque; quos Gaulminus Pariſiis 1629. edidit, & *Petbirath Moſe* appellavit, S. Apoſtolus, juxta Patres, exhauſit. Ipſum vero Librum *de Moyſis Aſſumptione*, a nobis omnino deperditum, ante Chriſti adventum, eodem fabularum guſtu, quo uterque *Petbirath* poſt Templum a Romanis everſum, Græce conſcriptum arbitramur.

(1) 2. Macch. 2. 4. 5. (2) Cedren. Hiſtor. l. 1. (3) Vid. Horn. hiſt. Eccleſ. Baſnag. hiſtor. Joſeph. continuat. (4) Bartolocc. tom. 3. p. 930. Baſnag. Continuat. Hiſtor Judæor. tom. 4. l. 6. c. 17. edit. Pariſ. (5) Deuter. 34. 7.

IN PRIMAM
S. PETRI EPISTOLAM
PROLEGOMENON.

PEtrus, alio nomine Simon, Joannis ſive Jonæ filius, Bethſaida, ſeu Juliade, Galilææ urbe, ultra Jordanem, prope ejuſdem fluminis fauces ad Lacum Genezareth ſita oriundus, & Sancti Andreæ germanus, a quo ad Jeſu Chriſti ſequelam invitatus eſt [1]. Ædes habebat in Capharnaum, ubi cum uxore morabatur [2]. Una fratre Andrea tum piſcationi incumbebat, cum a Chriſto vocatus eſt ad Apoſtolatum [3]. Suum erga Præceptorem ſtudium aſſiduo exhibuit, quod etiam cæteris Apoſtolis præſtitit. Chriſtus vero potiſſima amoris argumenta ei ſemper oſtendit; Transfigurationis ſuæ teſtem adhibuit [4]; Petram quoque Eum eſſe voluit, ſuper quam Eccleſiam ab inferorum portibus numquam evertendam ſibi conſtruere conſtitueret [5].

Quamvis nimia animi imbecillitate a Chriſto in ejus paſſione defecerit, Chriſtus nihilominus poſt reſurrectionem nova amoris argumenta ei præſtitit [6], & ſupremam Dignitatem non modo non ademit, verum etiam de ſuo amore ter poſtulatum ſuæ Eccleſiæ viſibile caput expreſſe conſtituit [7]: *Simon Joannis diligis me plus his?* a quo cum totidem ſe ab eodem enixe diligi accepiſſet, *Paſce*, ei ſubdidit, *agnos meos*, *paſce oves meas*.

Poſt S. Spiritus in Apoſtolos & Fideles omnes una congregatos illapſum, Petrus ardore ſacro erectus caput in Templum ſe conferens, Spiritu Sancto ita plenam ad populum concionem habuit, ut hominum tria millia ad Fidem ſtatim adduxerit [8]. Aliquot poſt diebus, cum in Templo ad populum adhuc loqueretur, Sacerdotum & Sadducæorum juſſu captus, carceri addictus eſt [9], quin tamen vel ardorem fidei remiſerit, vel animo defecerit. Coram Magiſtratus Patribus, & Sacerdotum Principibus deinde arcitus, intrepide de Jeſu Chriſto ad eos dixit, & Deo magis quam hominibus obtemperandum profeſſus eſt.

In ſingulis Petri geſtis hic recenſendis non immoror, præcipua tantum attingo, ut ad eam, qua hæc ſcripta eſt Epiſtola, ætatem legentes deducam. Sancto Stephano per martyrium abſumpto, Fideles omnes, præter Apoſtolos Jeroſolymis profugi, diſperſi ſunt in diverſa [10]. Ea occaſione Sanctus Philippus Diaconus Evangelium Samariam invexit, quo & S. Petrus ſe contulit, ut baptiſmo initiatis Spiritum Sanctum conferret [11]. Quam Spiritum Sanctum conferendi virtutem Simonem Magum oblato pretio comparare ſibi tentantem, S. Petrus a Chriſti Eccleſia rejecit.

Aliquandiu poſt & Gentibus ad Fidem & Evangelium velle aditum patefieri, cœleſti viſione Deus Petro Joppe verſanti oſtendit, in qua cum Apoſtolus linteum reptilibus plenum coram ſe e Cœlo demitti ſpectaſſet, juſſus eſt occidere, & manducare. Baptiſmo Cornelium abluit [12], neque amplius ab Ethnicorum conſuetudine duxit abſtinendum. Antiochiam paulo poſt profectus [13], primam ibi ſedem conſtituit. Anno circiter Chriſti 37. Jeroſolymam reverſus, Paulum, qui ad ſe eo inviſendum venerat, comiter excepit: ubi quindecim diebus mutua conſuetudine exactis, Paulum dimiſit, qui præter Petrum, & Jacobum Fratrem Domini, Apoſtolorum neminem vidit, quod cæteri ad Evangelium enunciandum ſeſe alio contuliſſent.

Nil in poſterum de S. Petro apud S. Lucam uſque ad ejus carcerem, cui anno Chriſti 44. addictus fuit. Cui temporis intervallo nempe ab A. 37. uſque ad 44. deputamus ea quæ in Eccleſiaſtica Hiſtoria de ipſo leguntur [14], Provincias ſcilicet Aſiæ, Bithyniæ, Cappadociæ, Galatiæ, & Ponti excurriſſe. Romam deinde, ut ſuam ibi ſedem erigeret, profectus, hanc primam inde Epiſtolam dedit: cum vero pluries Romam eum migraſſe putemus, an ante annum 44. quo certe Jeruſalem ad Paſchalem ſolemnitatem profectus ab Herode Agrippa conjectus eſt in carcerem [15]; an vero poſtquam ſecundo Romam venerat, eam ſcripſerit Epiſtolam, ignoramus.

Illud ſane conſtat, 1. Quod Chriſti Diſcipuli tunc in Provinciis Chriſtianorum nomine, appellabantur [16]: quo quidem nomine, juxta S. Lucam [17], nonniſi anno Chriſti 43. Antiochiæ Diſcipuli cœpti ſunt appellari. 2. Sanctus Marcus una cum Sancto Petro tum Romæ verſabatur, necque in Ægyptum adhuc migraverat, quo nonniſi circa annum 49. perrexiſſe arbitramur. 3. Aſiæ, Bithyniæ, Galatiæ, & Ponti Eccleſiæ, ad quas Petrus ſcribebat, jam ſatis increverant, & ab Judæis incredulis & a Gentibus plurima perferebant [18]. 4. Petrus demum in hac Epiſtola diem Domini proximam prænunciat [19], quo quidem proximam Jeroſolymæ everſionem deſignare videtur. Quamobrem nil certius decernentes, inter Chriſti annum 45. & 50. hanc Epiſtolam collocamus.

Cum Petrus Hebræorum, ſicuti Paulus Gentium, Apoſtolus eſſet, ad Hebræos potiſſimum ad Fidem genitos ſuam Epiſtolam dirigit. Quod quidem juxta S. Auguſtinum [20], alioſque Interpretes [21], non prohibet, quominus & Gentium Fideles Judæis immixtos alloqueretur. Quædam præterea ibi occurrunt, quæ nonniſi Ethnicos ad Fidem traductos afficere videbantur; cum v. g. ii, ad quos Petrus ſcribit, ante converſionem flagitiis, & idololatriæ dediti memorantur [22]; aut Chriſtum, quem non viderant, diligere dicuntur &c. Nos vero cum aliis plurimis [23] nihil in eadem Epiſtola deprehendi poſſe putamus, quod de Judæis jam Chriſto addictis tantummodo explicari non valeat.

Illud ſibi potiſſimum Apoſtolus propoſuerat, ut Fideles, ad quos ſcribebat, in Fide confirmaret, iiſque ad perferendas perſecutiones animos adjungeret, unaque ſe cum Paulo & de doctrina, & de Simonis, & Nicolaitarum, qui Fidem ſine operibus ad ſalutem ſufficere dictitabant, erroribus refutandis, omnino cohærere oſtenderet. Quamobrem ut probis operibus incumbant, & a Chriſti Fide numquam deficiant, enixe hortatur; de eorum Vocationis felicitate, & de bonis, quæ per Baptiſmum conſequuti ſunt,

(1) *Joan.* 1. 42. (2) *Matth.* 8. 14. *Luc.* 4. 38. (3) *Luc.* 5. 8. (4) *Luc.* 9. 28. *&c. Matth.* 17. 2. (5) *Matth.* 16. 18. (6) *Marc.* 16. 7. (7) *Joan.* 21. 15. *&c.* (8) *Act.* 2. 14. *&c.* (9) *Act.* 4. 1. *&c.* (10) *Act.* 8. 1. *&c.* (11) *Act.* 10. 9. *&c.* (12) *Act.* 10. 47. (13) *Hieron. in Gal.* 2. *Chryſ. tom.* 5. *hom.* 12. *Vide Concil. tom.* 2. *pag.* 269. *& tom.* 5. (14) *Euſeb. lib.* 3. *c.* 1. *Hier. de Viris Illuſtr. c.* 1. *Leo Magn. ſer.* 8. (15) *Act.* 12. 3. *&c.*

(16) 1. *Petr.* 4. 16. (17) *Act.* 11. 26. (18) 1. *Petr.* 1. 6. 7. *&* 2. 20. *&c. &* 4. 12. *&c.* (19) 1. *Petr.* 4. 17. (20) *Aug. in Pſal.* 146. *& in Fauſt. l.* 22. *c.* 89. (21) *Vide Eſt. Præfat. D. Thom. Bedam, Gloſſam, Lyran. &c. Theodoret. Præfat. apud Mill. p.* 552. (22) 1. *Petr.* 2. 10. *&* 4. 3. *&* 1. 8. (23) *Euſeb. l.* 3. *Hiſt. Eccl. c.* 4. *Hieron. Catalog. Scriptorum Eccl. Didym. Oecumen. Cajet. & Tirinum. Canus lib.* 2. *de locis. Alii plures.*

Digitized by Google

ſunt, ſæpe meminit; Superioribus Eccleſiaſticis, conjugibus, & famulis præclara monita impertit; Principibus denique a Deo conſtitutis obedientiam commendat.

Variæ in ea Epiſtola ſimilitudines, & phraſes occurrunt, quæ ad eas, quas Paulus affert, prorſus accedunt: de Jeſu Chriſti v. g. prædeſtinatione; de ejus mortis fructibus; de Baptiſmate; eadem quoque ad Epiſcopos, & Conjuges monita eædem ad perferenda adverſa, & ad obtemperandum Principibus & Magiſtratibus cohortationes advertuntur. Eam & gravitate & eloquentia & fidei ardore, & Apoſtolorum Principe dignam Grotius appellat [1]. Eraſmus vero & Eſtius [2], Apoſtolica Majeſtate plenam, & plurimis in pauca verba congeſtis ſententiis undique refertam teſtantur.

Hanc primam Epiſtolam Hebraice a S. Petro ſcriptam, Græce vero a S. Marco verſam Baronius conjectura ducit; attamen, quamvis ad Fideles Hebræos directa, Græce primum exarata vulgo creditur. Provinciæ omnes, in quibus Judæi diſperſi verſabantur, Græco utebantur idiomate; Petrus adhuc juxta Septuaginta Verſionem, per totam Epiſtolam Scripturas allegat. Sanctus Hieronymus [*] in Sancti Petri Epiſtolis ſtyli, characteris, & methodi varietatem agnoſcit, quam in varios Apoſtoli Interpretes refert. Familiarem S. Petri Interpretem S. Marcum ferunt, quem præterea; quod Fidelibus, ad quos data eſt Epiſtola, valedicat [3], una cum S. Petro tum Romæ extitiſſe ſcimus. Hos ad Interpretes non ex Græco aut Syriaco, quæ Apoſtoli dictabant, in Græcam vertere ſpectabat, ſed ad ſtilum elegantiorem redigere, quæ Græce, vel Latine, quemadmodum a Spiritu S. afflabantur, pronunciabant. Licet enim plurium linguarum munere ab eodem S. Spiritu donati eſſent, diſerte nihilominus & perfecte omnino loquendi poteſtatem, ob arcana Dei conſilia, non acceperant. S. Hieronymus Interpretis operam S. Paulo Titum præſtitiſſe aſſerit, quod Apoſtolus *Divinorum ſenſuum majeſtatem digno non poterat Græci eloquii explicare ſermone*.

Tertullianus [4], & S. Cyprianus [5] hanc *ad Ponticos Epiſtolam* vocant, quod horum in ea mentio primum fiat. Eraſmus [6], & poſt hunc Grotius [7], his verbis ducti [8]: *Per Sylvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter ſcripſi*, ante hanc Epiſtolam, ad Hebræos Fideles in Aſiæ Provincias diſperſos aliam a S. Petro datam fuiſſe ſenſerunt. Sed ea verba de eadem hac Epiſtola per Sylvanum ad eos miſſa, brevi quidem, ſi cum rerum, de quibus agit, magnitudine conferatur, & ſcite & ad literam explicantur.

Ceterum hæc Epiſtola, Origene [9], & Euſebio [10], & Veteribus aliis, a quibus ſæpe allegatur, teſtibus, canonicam ſemper authoritatem obtinuit: Secunda hujus Apoſtoli Epiſtola, ut in Prolegomeno ad illam oſtendemus, diſcrimini diu fuit obnoxia. Apocrypha quædam, Itinerarium nempe, Acta, Evangelium, Apocalypſis, Prædicatio, & Judicium S. Petri, eidem S. Petro adſcripta fuere [11].

IN SECUNDAM
S. PETRI EPISTOLAM
PROLEGOMENON.

POſtquam Sanctus Petrus primam ſuam Epiſtolam inter annum 45. & 50. Romæ, ut paulo ante oſtendimus, exaratam miſerat, in Palæſtinam rediit, & anno 51. in Concilio Jeroſolymis coacto Fideles jugo Legis non eſſe obſtringendos pronunciavit; in quam ſententiam Sanctus Jacobus conceſſit, eique veluti a Spiritu Sancto decilæ Concilium omne ſubſcripſit. Cœtu dimiſſo, S. Apoſtolus, ut ex Epiſtola ad Galatas [12] conſtat, Antiochiam migravit. Quid vero deinde uſque ad iter, quo Romam ultimo perrexit, ſingillatim præſtiterit, ignoramus. Romam demum a Spiritu S. perductus, ut coram Nerone Fidei veritatem aſſereret, & Simonem Magum præſtigiis ſuis plurimos ſeducentem retunderet, Paulum eo receos [13] profectum nactus eſt; ſtatimque miraculis & prædicationibus huic Evangelii hoſti oppugnando uterque incubuere [14].

Hanc ſecundam Epiſtolam Romæ ſcripſiſſe credimus; quamvis enim neque carceris, neque vinculorum meminerit, nihilominus poſtquam, ut Neronis perſecutioni ſe ſubduceret, Roma diſcedens, Chriſtum obvium habuerat, eam dediſſe vero prorſus ſimillimum judicamus. Cum ad portas Urbis jam pervoniſſet, in Chriſtum ſibi occurrentem incidit: illum vero, quonam tenderet, interrogans, reſpondentem audiit: *Vado Romam iterum crucifigi* [15]. Horum verborum ſenſum illico aſſequutus, mortem ſibi pro Deo citiſſimo obeundam intellexit. Cui quidem Viſioni forte alludens ſcribit [16]: *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi*. Mox ab Ethnicis comprehenſus, poſt toleratum novem menſibus carcerem, anno Chriſti 66. Crucis ſupplicio ſublatus, Martyrium conſummavit [17].

In hac ſecunda Epiſtola etiam atque etiam Fideles hortatur, ut nihil ea curantes, quæ a pravis Doctoribus vel doctrinis vel exemplis docebantur, bonorum operum exercitio inhæreant. Quæ alias edocuerat, in eorum memoriam revocat; proximam ſuam mortem prænunciat; ut patientes in perſecutionibus maneant, & ſacris legendis Scripturis aſſidue incumbant, cohortatur. Pravos ejus ætatis Doctores in Eccleſia turbas ciendo nigris coloribus pingit. Judicii poſtremi diem, & hominum reſurrectionem impugnantes & refutat. De Pauli Apoſtoli Epiſtolis meminit, eaſque laudibus proſequutus, una cum aliis Scripturis in pravum ab aliquibus detorqueri teſtatur, ut errores ſuos protegerent, bonorum præſertim operum inutilitatem, & libertatem nimiam, qua ad plura Legi adverſa perpetranda, fratrum in fide adhuc infirmorum offenſione, abutebantur.

(1) *Grot. Præfat. in hanc Ep.* Epiſtola valde conveniens Principi Apoſtolorum. (2) *Eraſm. Eſt. Præf. in Ep. 1. Petr.* Eſt autem epiſtola profecto digna Apoſtolorum Principe plena authoritatis, & majeſtatis Apoſtolicæ; verbis parca, ſententiis referta. (*) *Hier. Ep. 150. q. 11. l. 3. p. 139. Duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraque verborum. ex quo intelligimus pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum eſſe Interpretibus.*

(3) *1. Petr. 5. 13.* (4) *Tertull. Scorpiac. c. 12.* (5) *Cyprian. l. 3. c. 36. Teſtim.* (6) *Eraſm. Præfat.* (7) *Grot. ad 1. Petr. 5. 12.* (8) *1. Petr. 5. 12.* (9) *Origen. apud Euſeb. l. 6. c. 25. & in Jo. p. 88.* (10) *Euſeb. hiſt. l. 3. c. 3.* (11) *Hieron. de Script. Eccl.* (12) *Galat. 2. 11.* (13) *Ann. Chriſt. 65.* (14) *Vide Tillemont. S. Petr. art. 33. 34.* (15) *Ambroſ. ſer. 68. Origen. G. L. in Jo. tt. 1. p. 198. & 298. Gregor. Magn. ſer. 8. in Pſal. 101.* (16) *2. Petr. 1. 14.* (17) Hæc epocha a quibuſdam rejicitur. *Vid. Tillemont. not. 40. in S. Petr.*

S. Gregorius Magnus hanc Epiſtolam [1] ab aliquibus, qui Cepham a Sancto Paulo Antiochiæ increpatum [2] a Sancto Petro ſecernunt, Cephæ eidem adſcriptam refert, & una hanc opinionem valide retundit. Eam ſententiam, quæ hanc Epiſtolam Petro adimit, a remotiori fonte hauſiſſe ſe Grotius oſtentans, pro ea ſtare autumat Veteres illos, qui eamdem a Scripturis Canonicis rejecerunt; quod utique, ſi ejus Authorem Petrum nuſſent, minime præſtitiſſent. Ejus ſtilum a prima longe alium, eamque varietatem ab Euſebio [3], & ab Hieronymo [4] agnitam affirmat. Quod præterea poſtremam Judicii diem proximam eſſe in ea Author meminerit, poſt Jeroſolymæ everſionem ſcriptam aſſerit; huic enim everſioni Judicium præiturum nemo unquam putavit; adeoque a Petro datam negat, qui Nerone imperante Crucis ſupplicio interiit. Porro ſub Trajano, & forte a Simone vel Simeone Jeroſolymorum Epiſcopo, S. Jacobi Minoris ſucceſſore, exaratam autumat. Quædam denique, a quibus Sanctus Petrus ejuſdem Author perſpicue oſtenditur, eidem addita ab iis ponit, qui veluti ab Apoſtolo Petro ſcriptæ authoritatem adjungere ſatagebant.

A Veterum plurimis in Sacrorum Librorum Canone hanc Epiſtolam minime recenſitam fatemur. Quidam falſam, Didymus vitiatam [5], Origenes incertam [6] appellant. Euſebius unicam tantummodo Epiſtolam a Sancto Petro certo ſcriptam, & a Veteribus allegatam teſtatur [7]. Sanctus Amphilochius [8], ſua ætate, an Petri fuerit, dubitatum refert; cujus diſcrimen ab Hieronymo etiam producitur.

Verum canonicæ authoritatis argomenta per ſemetipſam præfert. Nihil Sancto Petro indignum, nihil ejus ſpiritui, & dignitati incongruum, nihil ejuſdem ætatis circumſtantiis adverſum complectitur. Hujus Apoſtoli nomine inſcribitur [9]: ab aliquo ex tribus Apoſtolis, qui Domini Transfigurationi adfuerunt, conſcripta eſt [10]; primam denique S. Petri Epiſtolam, veluti ab eodem Authore conteſtam, inducit [11]: *Hanc ecce vobis ſecundam ſcribo Epiſtolam*. Loca omnia, de quibus apud Grotium ſuſpicio, in omnibus vetuſtis Mſſ. reperiuntur. Origenes [12] eam veluti Sancti Petri allegat. Novatianus [13], Tertulliano coævus, Sanctus Cyprianus [14], Sanctus Juſtinus Martyr [15] vel eamdem citant, vel eidem alludunt. Sanctus Judas in ſua Catholica Epiſtola eadem hujus verba veluti ab Apoſtolis prænunciata laudat [16]: *Memores eſtote verborum, quæ prædicata ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores &c.* Quæ quidem in tertio hujus capite legenda ſunt.

Sanctum Cyrillum Jeroſolymitanum (17), Sanctum Athanaſium (18), Sanctum Gregorium Nazianzenum (19), Sanctum Epiphanium, Sanctum Hilarium (20), Sanctum Auguſtinum (21), Sanctum Ambroſium (22), Sanctum Hieronymum (23), Facundum, Salvianum, Sanctum Macarium, Laodicenſe Concilium (24), Carthaginenſe tertium (25), & ceteros deinde omnes, qui SS. Librorum Catalogum exhibent, hic producere ſupervacaneum ducimus, cum inter omnes de canonica hujus Epiſtolæ authoritate omnino conveniat. Si igitur de ejus canonica authoritate conſtat, de ejus Authore Petro etiam compertum; ſi enim S. Apoſtolus eam non dedit, neceſſe eſt ſcripſerit nequiſſimus illuſor. Ab aliquibus Syriacis Exemplaribus ideirco non affertur, quod de ea olim ambigeretur. Ceterum in aliis Syrorum exemplaribus utique recenſetur. S. Ephrem (26), & S. Joannes Damaſcenus, uterque Syrus, eamdem allegant; & Damaſcenus præterea (27) inter Canonicos Libros enumerat.

Stili varietatem ab Hieronymo animadverſam, e qua Grotius Sancto Petro eam adimendi argumenta depromit, Critici peritiores vix advertunt (28); cujus etiam cauſam Sanctus Hieronymus (29) in varios Interpretes refert; modo enim Petrus Glauciam (30), modo S. Marcum adhibebat. S. Marcus tum Petri comes Romæ erat, cum primam ſcripſit (31). Roma vero aberat, cum alteram dedit.

Quod ad illud Grotii attinet, eam nempe poſt Jeroſolymæ excidium a Simone Hieroſolymitano eſſe exaratam, nil ultique eſt, cur ſerio refutetur, cum validis nullis argumentis innitatur. Loca, quæ is Author in Veteribus Mſſ. inveſtigari cupiebat, ab iis omnibus, quæ ſolertiſſime Millius conſuluit, expreſſe afferuntur.

Nos cum Interpretum pleriſque ad Hebræos Fideles, ad quos Sanctus Petrus primam dederat, & hanc miſſam putamus; quod S. Apoſtolus ſatis inſinuat, cum ſcribit (32): *Hanc ecce vobis ſecundam ſcribo Epiſtolam.* Eos præterea veluti Scripturarum peritos, & Prophetarum ſtudio addictos alloquitur (33). Author Libri *Promiſſionum*, quem Sancto Proſpero tribuunt (34), *Epiſtolam ad Gentes* hanc vocat; & Author Sermonis de *Cataclyſmo*, ſeu *Diluvio*, S. Auguſtini Operibus inſerti (35), *ſecundam S. Petri ad Gentes Epiſtolam* appellat. Sunt qui putent (36), per hanc Epiſtolam utroſque affici poſſe & Ethnicos, & Hebræos, iiſque ducuntur verbis (37): *Simon Petrus Apoſtolus Jeſu Chriſti iis, qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt Fidem*, quibus Ethnicos æque ac Hebræos ad Fidem traductos deſignari volunt. Ea vero pronius quidem de Hebræis, qui tot inter pervicaces Judæos Fidei felicitatem conſequuti fuerant, explicantur.

IN PRI-

(1) *Gregor. in Ezech. hom. 18.* (2) *Galat. 2. 11.* (3) Nil ea de re apud Euſeb. lib. 3. cap. 3. & 25. hiſt. Eccleſiaſt. (4) *Hieronym. de Vir. Illuſtr. cap. 1. Scripſit duas Epiſtolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum ſecunda a pleriſque ejus eſſe negatur propter ſtili cum priore diſſerentiam.* (5) *Didym. Comment. in hanc Epiſt. ad finem. Non eſt ignorandum, præſentem epiſtolam eſſe falſatam: quæ licet publicetur, non tamen in Canone eſt.* (6) *Origen. in Joan. pag* 88. (7) *Euſeb. hiſt. Eccl. lib. 3. cap. 3. &* 25. (8) *Amphiloch. apud Gregor. Nazianzen. Carm.* 125. (9) 2. *Petr.* 1. 1. (10) 2. *Petr.* 1. 18. (11) 2. *Petr.* 3. 1. (12) *Origen. in Joſue homil.* 7. (13) *Novatian. lib. de Trinit. cap.* 8. (14) *Cyprian. Epiſt.* 75. (15) *Juſtinus Dialog. cum Tryphon.* (16) *Jud.* ℣. 17. *Confer* 2. *Petr.* 3. 3. *cum Juda* ℣. 18. (17) *Cyrill. Catech.* 4.

(18) *Athanaſ. Synopſ. & orat. 2. contr. Arian.* (19) *Nazianzen. Car.* 4. (20) *Hilar. lib. 1. de Trinit.* (21) *Auguſt. lib. 2. cap. 8. de Doctrin. Chriſtian.* (22) *Ambroſ. de Incarnat. cap.* 8. (23) *Hieron. lib. 1. cap. 24 contr. Jovinian.* (24) *Concil. Laodic. cap.* 60. (25) *Concil. Carthag. 3. cap.* 47. (26) *Ephrem ſerm. contr. impudit.* (27) *Damaſc. lib. 4. cap. 18. de Fide orthodoxa.* (28) *Magdeburg. Gomar. Gerhard. Cajet. Eſt. Cornel. alii.* (29) *Hier. Duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtilo inter ſe & charactere diſcrepant, ſtructuraque verborum; ex quo intelligimus pro neceſſitate rerum diverſis eum uſum Interpretibus.* (30) *Clem. Strom. lib. 7. pag.* 674. (31) 1. *Petr.* 5. 13. (32) 2. *Petr.* 3. 1. (33) 2. *Petr* 1. 19. 20. (34) *Proſper ſeu alius Promiſſion. lib. 4 cap.* 2. (35) *Vid. apud Aug. tom. 6. nov. edit. p.* 606. (36) *Quidam apud Eſt. hic.* (37) 2. *Petr.* 1. 1.

IN PRIMAM
S. JOANNIS EPISTOLAM
PROLEGOMENON.

PRima S. Joannis Epiſtola Canonicam ſemper in Eccleſia authoritatem obtinuit. Unde, quando, quibus ſcripta fuerit, ignoramus, tantumque de ea varias producimus conjecturas. Auguſtinus [1], & alii nonnulli [2] *Epiſtolam ad Parthos* appellant; quo nomine Grotius deſignatos cenſet omnes Judæorum Fideles, qui non Romanis, ſed Parthis tum cum Romanis de Orientis Imperio decertantibus parebant, eos vero potiſſimum, qui Neardæ, Niſibi, & alibi trans Euphratem verſabantur.

Ex hac *Epiſtola ad Parthos* inſcriptione Joannem ad Parthos prædicaſſe Baronius deducit [3]. Revera Fidei apud Indos propagatores ferunt, traditione Indos habere, quod Evangelium in eorum Regiones Joannes invexerit. Sed hæc maxime incerta. Apud Veteres, quod Joannes in eas regiones ſe contulerit, nulla mentio. Eſto etiam, Epiſtolam hanc ad Parthos direxerit, anne proinde, ut eo migraverit, neceſſitas poſtulavit? S. Paulus cum ad Romanos ſcripſit, eos nondum viderat; ſcripſit etiam ad Coloſſenſes, ad quos divertiſſe illum nullibi patet.

Ligfootus de Eccleſia [4], ad quam Joannes ſcripſerit, aliam conjecturam producit. Joannes, inquit, in tertia ſua ad Gajum Epiſtola (5) *ſe jam Eccleſiæ ſcripſiſſe* teſtatur; ei ſane Eccleſiæ, in qua Gajus verſabatur. Aliunde, Corinthi nonniſi Criſpum & Gajum, ſeu Gajum ablutos fuiſſe Baptiſmate ab Apoſtolo Paulo ſcimus [6]. Quare ad Corinthi Eccleſiam hanc Epiſtolam dediſſe jure Joannes videtur; quam enim aliam, præter hanc, ad eam Eccleſiam Joannes ſcripſerit? Satius equidem hanc ſtatuimus, quam aliquam aliam deperditam aſſeramus. Hæc Ligfootus, quæ tamen doctis dijudicanda relinquit. Nos vero huic ſententiæ neminem facile adhæſurum putamus, quod conjectura ſit imbecillior; maxime enim ambigitur, an Cajus, ad quem Joannes ſuam dedit Epiſtolam, Corinthi, an potius in Aſia & ortum, & domicilium habuerit?

Diſcrimen etiam, an Joannes ad Ethnicos, an ad Judæos Fideles hanc eamdem ſcripſerit. Plerique ſtant pro Judæis; cui nos opinioni adverſum nihil per totam Epiſtolam advertimus. Bartholomæus Petri, qui Opus in hanc Epiſtolam ab Eſtio inceptum & prope perfectum continuavit, inde & ad Gentes Joannem ſcripſiſſe haurit, quod eos ad idololatriæ fugam cohortetur (7): *Cuſtodite vos a ſimulacris*. Quis vero prohibet, quominus S. Apoſtolus Judæos ita monuerit, ne in Regionibus exteris, & in mediis Ethnicis & Idololatris degentes, facile ad Idolorum cultum perducerentur?

Hujus Epiſtolæ Author nullibi nomine ſuo adſcripto, ita ſemper loquitur, ut ſe nullatenus prodat; proditur vero a ſtilo, a methodo, a ſententiis, & potiſſimum a charitate, qua Joannes affluens per totam

Epiſtolam undique redundat. Per eadem, per quæ Evangelium, verba exorditur: *In principio*, vocem *Logos* [8] adhibet, ut Dei Filium deſignet, & Græcum verbum *erotao* [9], quod *interrogare* ſignificat, pro *rogare* uſurpat. Suo vero nomine, inquit Grotius, quemadmodum Apocalypſim, & hanc Epiſtolam non inſcripſit, ne Romanis, cum eam ad Regiones illis infenſas per Mercatores Epheſios mitteret, de ſuis Epiſtolis ſuſpicionem crearet, & in Chriſtianos eorumdem odium, & perſecutionem excitaret. Baronius *Epiſtolam ad Parthos* inſcriptam, inſcriptionem vero deperditam cenſet.

Paulo ante Jeroſolymæ everſionem in Inſula Pathmos hanc Joannem dediſſe, Grotius autumat; & revera proximi Urbis Jeroſolymæ excidii mentio fieri videtur, illis verbis (10): *Filioli noviſſima hora eſt*. Verum Grotius, qui in Pathmos Inſula ſcriptam aſſerit, S. Joannem annis pluribus (11) poſt Judæorum bellum & Jeroſolymæ excidium in eam Inſulam a Domitiano amandatum fuiſſe, reminiſci debuerat.

Diu poſtquam ab exilio reverſus fuerat, ab Joanne exaratam alii putant (12). Verum adverſus Cerinthi, & Simonis Diſcipulos, alioſque ejuſdem ætatis hæreticos Chriſti Divinitatem impugnantes, & eum non vere, ſed per ſpeciem tantummodo veniſſe aſſerentes, ſcriptam fuiſſe & legentibus conſtat, & S. Clementis Alexandrini, Sancti Epiphanii, Sancti Hieronymi, aliorumque plurimorum teſtimonio probatur. Quamobrem paulo ante Romanorum, Judæorumque bellum, diuque ante ejuſdem S. Joannis Evangelium exaratam patet; Cerinthus enim & Simon eadem, qua Paulus, ætate in vivis agebant, ut ex Pauli Epiſtolis (13), & Epiphanii etiam authoritate ſatis oſtenditur (14). Hinc fit, ut de hac Epiſtola, veluti de quadam in S. Joannis Evangelium præfationis ſpecie, ſit cogitandum.

Epheſi data a quibuſdam ſubſcriptionibus exhibetur; quod ſane a vero procul non abeſt, cum S. Joannem diu in Aſia Minori verſatum a Veteribus accipiamus (15). Quo tamen data fuerit anno, hucuſque nemo certo conſtituit. Si ante Jeroſolymæ everſionem, ante annum Chriſti 70. ſtatuenda eſt, & quo anno Joannes 70. ſeu 74. annis natus in Aſia forte morabatur. Si poſt ipſum Joannem ab exilio reſtitutum, & poſt ſuum Evangelium; poſt Chriſti annum 96. eſt collocanda, & tum Joannes annum prope centeſimum agebat.

Hac in Epiſtola Joannes illos ſibi retundere propoſuerat, 1. qui bona opera ad ſalutem neceſſaria negabant (16); 2. qui Jeſum a Chriſto ſeparabant, & eum Chriſtum minime eſſe aſſerebant (17); 3. qui Chriſtum non vere, ſed per ſpeciem tantummodo veniſſe dictitabant (18). Hos errores, quos potiſſimum oppugnat, Simon Magus, Cerinthus, eorumque aſſeclæ ad Ec-

(1) *Auguſt. Quæſt. Evangel. lib. 2. cap. 39.* (2) *Poſſidius Indicul. Oper. S. Aug. Idac. Clar. contr. Varimand. Athanaſ. apud Bed. Prolog. in Epiſt. Canonic. Vide & Pſeudo-Higyn. Epiſt. 1. cap. 1. & Jo: 2. ad Valerium.* (3) *Baron. ad ann. 34. §. 30.* (4) *Ligfoot. hor. Hebr. in 1. Corinth. 1. 14.* (5) *3. Jo: V. 9. Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ; ſed is, qui amat Principatum, Diotrephes, non recipit nos.* (6) *1. Corinth. 1. 14.* (7) *1. Jo: 5. 21.* (8) *1. Jo: 5. 7.* (9) *1. Jo: 5. 16.* (10) *1. Jo: 2. 18.* (11) *Tertullian. Præſcript. p. 345. Auth. Quæſt. in Vet. & Nov. Teſt. inter Opera S. Auguſt. qu. 72. tom. 3. Append. pag. 71. Sulpit. Sever. lib. 2. Primaſ. & Victorin. in Apocal. Alii.* (12) *Baron. ad ann. Chriſt. 99. art. 7. 8.* (13) *Vide Comment. in Epiſt. ad Galat. & ad Theſſalon.* (14) *Epiphan. hæreſ. 28. Vide Tillemont. tome 2. artic. de Cerinthian.*

(15) In Aſiam forte migravit circa ann. Chriſti *66.* anno eodem quo Sanctus Petrus, & Sanctus Paulus martyrium conſummarunt. (16) *1. Joan. 3. 4. &c.* (17) *1. Joan. 2. 18. &c.* (18) *1. Joan. 4. 2. 3. . 3. 6. 8. 11. 18.*

Digitized by Google

ad Eccleſiæ perniciem evulgabant. Fideles præterea Dei filios, hæreticos vero & pravos Doctores filios Diaboli appellat [1]. Ut Fidei, & patientiæ inhæreant, Fideles hortatur; Dei ergo nos, noſtrum erga fratres amorem plurimum commendat; Pſeudo-Prophetas & Pſeudo Doctores increpat; Fidem denique, innocentiam, & Charitatem, Fidelium eſſe characterem oſtendit.

IN SECUNDAM
S. JOANNIS EPISTOLAM
PROLEGOMENON.

HANC ſecundam, & quæ hanc conſequitur, Epiſtolam Authorum diſceptatio S. Joanni Apoſtolo ſæpe eripuit [2]. Fuere, qui alteri Joanni, cognomine ſeniori, cujus ſepulchrum Epheſi oſtendunt, & cujus apud Papiam, Euſebium, & Hieronymum mentio, eas tribuerint. Hoc tamen diſcrimen, quod uſque ad quartum ſæculum Eccleſias in contraria diſtraxit, noſtra iterum ætate a quibuſdam inventum eſt, qui eas Epiſtolas ab Joanne exaratas omnino inficiantes [3], his ducuntur argumentis. 1. Hujus Epiſtolæ Scriptor non Apoſtolum, ſed *Presbyterum*, ſeu *Seniorem* ſeipſum appellat. 2. Utramque ex his Epiſtolis diu Eccleſiæ rejecerunt, & nonniſi ſero admodum in ſuam linguam converterunt. Chriſtiani nullius temeritas eo perveniſſe credenda eſt, ut Apoſtolum repelleret, quemadmodum hic [4] Epiſtolæ tertiæ Authorem Diotrephes rejeciſſe dicitur.

His reſpondemus, Apoſtolos & nomen, & ſui Apoſtolatus dignitatem Epiſtolis ſemper præponere non conſueviſſe; In Epiſtola ad Hebræos Paulus, & ipſe Joannes in ſua prima, nomen ſuum prætermiſerunt. Forte nomen ibi ſuum ſuppreſſit, veritus ne, ut de prima ejuſdem Epiſtola paulo ante Grotius ſuſpicatus eſt, veritus, inquam, ne in manus Fidelium, a quibus prave acciperentur, inciderent [5]. Has profecto poſtremas duas Epiſtolas in Scripturarum Canone diu non recenſitas fatemur; nemo tamen omnino rejectas perhibebit. Nos a primo ad quartum & quintum uſque ſæculum, quibus unanimi conſenſu canonicæ haberi cœptæ ſunt, veluti Scripturas Sacras a Patrum plurimis allegatas fuiſſe, paulo poſt oſtendemus.

Temere quidem aſſeritur, in alias linguas nonniſi ſero admodum fuiſſe converſas. Nos eas in omnibus Latinorum, Syrorum, aliorumque Orientalium Collectionibus invenimus; & eas uſdem aliquando fuiſſe rejectas nullibi oſtenditur. Quod vero quædam Eccleſiæ, & Patres de eis dubitarint, canonica earum authoritas inde minime evertitur. Diotrephis præterea audacia, qua Sanctum Joannem contemptui habebat, S. Apoſtoli authoritati nil detrahit. Quo temeritatis non progrediatur ſuperbus? Nonne & ipſe Apoſtolus Paulus nihili habitus, & maledictis affectus? [6]. Simonis & Cerinthi Diſcipuli, ceterique Anti-Chriſti præcurſores, quos Sanctus Petrus, Sanctus Paulus, Sanctus Jacobus, & Sanctus Joannes ſtrenue impugnarunt, inter Chriſtianos quidem merebant, Apoſtolos nihilominus, eorumque doctrinam deſpicatui habebant.

Joannem Seniorem, quem Papias [7] Præceptorem ſuum, & poſtremæ utriuſque Joannis Epiſtolæ Authorem appellat, ſatis adhuc minime novimus. Ipſe Hieronymus, qui ejus ſepulchrum una cum ſepulchro Sancti Joannis Evangeliſtæ Epheſi oſtendi aſſerit, id a pluribus alterum ejuſdem S. Evangeliſtæ monumentum reputari aſſerit [8]. Qui Joanni Marco [9], de quo in Apoſtolorum Actis [10], has Epiſtolas tribuunt, nullo valido argumento ducuntur. Quare cum ſtilus, ſententiæ, ratiocinia, & ceteræ circumſtantiæ, tot potiſſimum ſæculorum fides pro S. Joanne Evangeliſta nos ſtare compellant, & adverſantium præterea argumenta vel inania ſint vel enervia, veterum inſtar utramque hanc Epiſtolam vere ab Joanne Evangeliſta exaratas fateri cogimur.

Eo ducti principio, canonicas eſſe, edigimur profiteri; nobiſque adſtipulantur Concilia & Patres, a quibus veluti a Spiritu Sancto inſpiratæ laudatæ fuere. Quidam Magni Concilii Carthaginenſis Epiſcopus [11] hanc, de qua hic potiſſimum agimus, ſecundam velut a Sancto Joanne ſcriptam allegat. Sanctus Cyrillus Jeroſolymitanus [12], Sanctus Gregorius Nazianzenus [13], Concilium Laodicenſe [14], & Carthaginenſe tertium anni 397. [15], & Sanctus Clemens Alexandrinus [16] inter Canonicos Libros utramque recenſent. S. Hieronymus, qui in Libro de viris Illuſtribus huic ſecundæ favere non videtur, alibi commendatam allegat [17]: *Clangat tuba Evangelica, filius tonitrui, quem Jeſus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit. Presbyter Electæ Dominæ, & filiis ejus, quos ego diligo in veritate &c.* S. Irenæus [18] Joannis Chriſti Diſcipuli nomine, nomine vero Beati Joannis Alexander Alexandrinus [19] & S. Athanaſius eam allegant. Athanaſius præterea [20] Canonicam appellat, cui Rufinus [21], S. Auguſtinus [22], Innocentius I. [23], & alii Recentiores ultro adhærent.

De *Electa*, ad quam data eſt Epiſtola, nunc diſceptamus. Nobilis quædam Matrona prope Epheſum degens vulgo creditur, cui una cum familia ab Hæreticis Filii Dei Divinitatem, & Incarnationem impugnantibus Sanctus Joannes per hanc Epiſtolam cavit [24]. Hæc vero ſententia magnis difficultatibus obvolvitur. Sanctus Athanaſius hujus Matronæ nomen *Kiriam* ſeu *Dominam* (*), *Electam* vero epithetum, ſeu præclarum titulum putat: *Dominæ a Deo electæ*. Verum alii & *Electam* & *Dominam* utrumque honoris titulum putant [25]. Joannem vero edunt, & ſuum & hujus Matronæ nomen conſulto præteriiſſe, præſertim cum & Epiſtolæ lector, & ſtilus, & characteres Joannis optime noſcerentur. Quem morem & in tertia Epiſtola amplexus, *Senioris* nomine ſe ipſum,

(1) 1. Jo. 3. 1. 13. (2) *Origen. apud Euſeb. lib. 6. cap. 26. hiſt. Eccl. Hieron. de vir. Illuſtr. cap. 9. Reliquæ duæ Epiſtolæ Joannis Presbyteri aſſeruntur, cujus & hodie alterum ſepulchrum apud Epheſum oſtenditur. Vide Papiam apud eumdem cap. 18. Nazianz. car. 125.* (3) *Grot. Ita cenſet Eraſmus. Dubitat Cajetan.* (4) *3 Jo. v. 9.* (5) *Vid. Cleric. not. in hunc loc.* (6) *1. Cor. 4. 13.* (7) *Apud Euſeb. l. 3. cap. 39. hiſt. Eccl.* (8) *Hier. de vir. Illuſtr. c. 6. Nonnulli putant duas memorias ejuſdem Joannis Evangeliſtæ eſſe.* (9) *Doduuel. Diſſert. 1. in Irenæum.*

(10) *Act. 12. 25.* (11) *Apud Cyprian. p. 403.* (12) *Cyrill. Catech. 4.* (13) *Gregor. Nazianz. car. 34.* (14) *Concil. Laod. can. 60.* (15) *Concil. 3 Carthag. can. 47.* (16) *Clem. Alex. in Hypotypoſ. apud Euſeb. lib. 6. cap. 14.* (17) *Hier. Ep. 85.* (18) *Iren. lib. 1. cap. 13. lib. 3. cap. 18.* (19) *Alex. apud Socrat. lib. 1. cap. 16.* (20) *Athanaſ. in Synopſ. & in Epiſt. Paſc.* (21) *Rufin. Expoſit. Symb. apud Cypr. p. 553.* (22) *Auguſt. de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 8.* (23) *Innoc. I. Ep. 3. c. 7.* (24) *Vide noſtr. Commeat.* (*) *Athanaſ. in Synopſ.* (25) *Bart. Petri, & Cleric.*

Digitized by Google

ipſum; *Gaji* vero ſeu *Caji* cognomine, non genuino nomine, eum, ad quem ſcribit, deſignat.

Non deſunt, qui (1) hanc Epiſtolam nulli Matronæ, ſed toti Eccleſiæ ſcriptam ducant, quam S. Joannes per ænigma & ſymbolice *Dominam & Electam* appellarit; eamdem præterea, veluti cum ſuis filiis unum quid conſtitueret, plurali numero alloquitur. *Electa* tandem *Sororis ſua, ejuſdemque filiorum*, nempe, ſubdunt, Eccleſiæ & Chriſtianorum Epheſi nomine ſalutat. S. Petrus Eccleſiam Romanam (2) ſalutat nomine *Eccleſia, qua eſt in Babylone coelecta*. Fideles in Apoſtolorum Scriptis *Electi* ſæpiſſime appellantur (3). Si per *Dominam Electam* quamdam Eccleſiam, & ſi per *ejus Sororem Electam una cum filiis* Eccleſiam alteram S. Joannes induxit, extraordinarium ſane loquendi genus adhibuit. Tempora vero & circumſtantiæ figuratas aliquando phraſes adhiberi expoſtulant, ut illud lateat, quod ſciri non expedit. S. Petrus in prima ſua Epiſtola (4), & S. Joannes in Apocalypſi (5) Romam appellant Babylonem. Neronem S. Paulus Leonem vocat (6). Prophetæ ſimillimis phraſibus ſæpiſſime utuntur. Quare non deſpiciendi, qui non Matronam hic, ſed Eccleſiam quamdam intelligunt, cum præſertim Fides minimo utrinque lædatur. S. Clemens Alexandrinus (7) Babyloniam Matronam, ad quam S. Joannes ſcribebat, *Electam* fuiſſe tradit.

Quo tempore ſcripta fuerit, ignoramus; forte eodem, quo prima, cum pravos eoſdem Doctores, & eoſdem, Simonis nempe, Cerinthi, & Gnoſticorum errores impugnet. Forte etiam Epheſo datam credimus, cum & hanc & ceteras Aſiæ Eccleſias Apoſtolus gereret, qui tandem ſe ad eam inviſendam cito adventurum, *Electæ* pollicetur.

IN TERTIAM

S. JOANNIS EPISTOLAM

PROLEGOMENON.

INitio ſecundæ S. Joannis Epiſtolæ & de hujus canonica authoritate meminimus. An præterea vere hæc Apoſtoli Joannis fuerit, a Veteribus dubitatum, & ab iiſdem alteri Joanni, cognomento Seniori, quem Papias Præceptorem ſuum appellat, adſcriptam retulimus. Verumtamen & ejus ſtilo, characteribus, ceteriſque circumſtantiis & unanimi, potiſſimum a quarto huculque ſæculo, Eccleſiæ conſenſu ducti, & ab Joanne Apoſtolo exaratam credimus, & Scripturam Sacram atque Canonicam reputamus.

Cajus, ad quem hæc traditur, alter eſt forte ex duobus Pauli Apoſtoli Diſcipulis, quorum utrumque hoc nomine appellatum novimus. Ex his celeberrimus Corinthi ortus, a S. Paulo Fidei myſteriis initiatus, & baptiſmate (*) ablutus. In eadem urbe Apoſtolum hoſpitio excepit; quare Paulus hæc de ipſo ad Romanos (8): *Salutat vos Cajus hoſpes meus, & univerſa Eccleſia.* Beda (9), Ambroſiaſter (10), Ado, poſt quos & Ligfootus (11), atque Interpretum plerique, hunc eſſe putant, cui S. Joannes tertiam hanc Epiſtolam inſcribit. Alii Cajum Derbæum (12), de quo in Actis (13), veroſimilius credunt. Cajus ſane, de quo hic, in Aſia potius, quam Corinthi morabatur. Caji cujuſdam Macedonis S. Pauli Diſcipuli (14) meminit S. Lucas, qui cum Apoſtolo Epheſum profectus, in ſeditione Demetrii vitæ diſcrimen ſubiit. Hunc vero Grotius (15) cum Cajo Derbæo confundit, quem e Lycaonia oriundum, & Theſſalonicæ natum aſſerit. Hac tamen de re certi nihil.

Illud tantummodo conſtat, quod Cajus, ad quem hanc Joannes, eidem S. Apoſtolo apprime charus, hoſpitalitati penitus incumbebat, vel invito Diotrephe, ejuſdem, ut credimus, Urbis, in qua ipſe verſabatur, Epiſcopo, qui fratres ad Fidem ab Judaiſmo converſos hoſpitio excipi interdixerat, & eos, qui exceperint, anathemate mulctabat. Fratres omnes, & Joannes potiſſimum, Caji pietatem, virtutemque commendabant, cui hic S. Apoſtolus ſe cito adventurum ſpondet, ut eum inviſat, & Diotrephis audaciam retundat. Grotius in altera ex ſeptem Eccleſiis, de quibus mentio in Apocalypſi (16), Ligfootus vero Corinthi Cajum commorantem perhibent. Nos hanc Epiſtolam Epheſi datam, & in aliquam ex proximis Civitatibus miſſam arbitramur. Quo autem ſcripta fuerit anno, fruſtra inquirimus; nullatenus enim fieri poteſt, ut comperiamus. Baronius, poſt quam alii plures, ab Joanne annos circiter 97. nato ſingulas tres Epiſtolas exaratas aſſerit; alii vero ante Evangelium & Apocalypſim conſcriptas ſuſpicantur.

A Judæis Fidelibus, qui Evangelio enunciando addicti vagabantur, & ab Ethnicorum donis & contubernio abſtinebant, hanc Epiſtolam delatam fuiſſe ſimillimum vero ducimus; quare ita de hac reputandum, veluti de Epiſtola eorumdem Concionatorum commendatitia (17). Illud ex hac Epiſtola conſtat, quod Gentium, & Judæorum Fideles non ſemper inter ſe convenirent, quodque plurimum elaborandum eſſet, ut mutua eorum ſimultas divelleretur. In S. Pauli Epiſtolis earumdem diviſionum inter Judæorum & Gentium Fideles ſemina leguntur: quare Apoſtolus in id præcipue incubuit, ut hinc Judæos ſe Gentibus anteferentes, compeſceret, inde vero Gentes Judæos contemptui habentes coerceret (18). Alibi Fidelium ex Gentibus audaciam comprimit, eiſque interdicit, ne Evangelica omnes promiſcue cibos comedendi libertate abutentes, Judæis crearent offenſionem (19). Hebræis denique adverſatur, quod Gentes ad Legalia compellere niterentur (20). Quæ ſane omnia demonſtrant, quam miriſice Apoſtoli de Fidei rebus & Eccleſiæ regimine inter ſe convenirent.

IN EPI-

(1) *Quidam apud Oecumen. hic Mauduit. Differt.* 13. *Cornell. Serar.* V. 13. *Bukentop. Lux. de Luce l.* 2. *p.* 154. *Hammond.* (2) 1. *Petr. c.* 5. 13. (3) *Coloſſ.* 3. 12. *Rom.* 16. 13. & 2. *Petr. c.* 1. (4) 1. *Petr.* 5. 13. (5) *Apoc.* 16. 19. & 17. 5. & 18. 2. 10. 21. (6) *Timoth.* 4. 17. (7) *Clem. Alex. Commentar. in hanc epiſt. a Caſſiodoro Latine verſam.* (*) 1. *Cor.* 1. 14. (8) *Ad Rom.* 16. 23. *Syriacus legit: Totiuſque Eccleſia.* (9) *Beda in* 3. *Jo: p.* 754. (10) *Ambroſiaſt. ad Rom.* 16. (11) *Ligfoot. Chorogr. p.* 552. *Hugo, Gloſſa, Lyran. Men. Tir.* (12) *Tillem. t.* 1. *S. Paul art.* 23. & *Not.* 29. (13) *Act.* 20. 4. (14) *Act.* 19 29. (15) *Grot. in Acta.* (16) *Apoc.* 1. 14. &c. (17) *Vide verſ.* 5 6. 7. 8. 9. 10. (18) *Vide Epiſt. ad Rom. per totam* (19) *Vide Ep. ad Cor.* (20) *Vide potiſſimum Ep. ad Galat.* & *Ep. ad Philippenſ.*

IN EPISTOLAM S. JUDÆ PROLEGOMENON.

JUdas cognomento *Thadæus* ſive *Lebbæus*, & *Zelotes*, & juxta Origenem (1), Chryſoſtomum (2), Hieronymum (3), Gelaſium Papam (4) & alios nonnullos, interdum *Frater Domini* (5) idcirco appellatus, quod filius Mariæ Sororis B. Virginis, & S. Jacobi Minoris Jeroſolymorum Epiſcopi frater eſſet (6). Ex uxore, quam Nicephorus Mariam vocat, excepit liberos; Hegeſippus enim duorum Martyrum ejus Nepotum meminit (7). Ejus, quæ extat, Epiſtola inter Catholicas ultima recenſetur, quam ipſe nulli peculiari Eccleſiæ, ſed omnibus Fidelibus à Deo Patre dilectis, & a Chriſto Domino vocatis inſcribit; ex cujus verſiculo decimo ſeptimo, quo Petri, veluti ab iis, quos alloquitur, ſatis agniti, ſecundam allegat, & ex toto ejuſdem contextu, qui ad Apoſtolorum Principis phraſim quammaxime accedit, omnibus Judæis, qui Chriſtianæ Fidei nomen dederant, & in Orientis Provinciis verſabantur, Epiſtolam ſuam ſcripſiſſe videtur.

Jamdiu ad eos ſcribere optantem illuc uſque ſe prohibitum idcirco fuiſſe oſtendit, quod pravis quibuſdem Doctoribus per doctrinas, nefarioſque mores ultimam Eccleſiæ perniciem molientibus oppugnandis, totam ſuam operam collocaſſet; Simonianorum præcipue eum hic meminiſſe credimus, & Nicolaitarum, aliorumque ejus ætatis Hæreticorum (8), qui in Hiſtoriis Gnoſtici appellantur; quorum pravæ ſententiæ, & pudenda flagitia a S. Epiphanio, a S. Irenæo, & a ceteris vetuſtis Patribus referuntur. Eos quidem S. Judas quibuſdem coloribus ita pingit, ut iis minime blandiri videatur: verum de lubricis eorum Hæreticorum moribus non niſi caute loquendum eſt.

Sub Epiſtolæ exitum, ut Fidei & Charitati firmiſſime adhæreant, & precibus ſtudioſe addicti a Deo miſericordiam, & æternam vitam expectent, Fideles hortatur; enixeque rogat, ne Fratrum, qui ab Hæreticis decipi facile poſſent, ſalutem negligant; utque veluti a mediis flammis illos eripiant, quos Hæreticorum fraus in errores impulerat. Vereantur, denique concludit (9), *& eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam*.

Quo tempore eam ſcripſerit, ignoramus; ſane poſt Hæreticos, quorum meminimus. Apoſtolos veluti aliquandiu ante peremptos memorat (10); præterea cum ſecundæ Petri verba exſcribat, & ad ſecundam Pauli ad Timotheum alludat (11), poſt eorum mortem, nempe poſt annum Chriſti *66*. eamdem conſcriptam jure putamus. Qui vero poſt Neronem, imo & poſt Jeroſolymæ excidium exaratam duceret, utique non procul a veritate facile aberraret.

Omnes prorſus Eccleſiæ inter Canonicas Scripturas hanc non ſemper recenſuere; quare an Canonica fuerit, Veteres nonnulli dubitarunt; imo & plurimi, Euſebio (12), Hieronymo (13), & Amphilochio (14) teſtibus, canonicam ejus authoritatem impugnarunt. Euſebius præterea a Scriptoribus Eccleſiaſticis vix allegatam, ſimul tamen in pluribus Eccleſiis publice perlectam teſtatur (15). Idcirco autem a pluribus improbatam ſcimus, quod Sanctus Judas in ea Libri Henoch, cui nunc ut apocrypho nulla fides, veluti cujuſdam prophetiæ meminerit; quod etiam de cadavere Moyſis quiddam referat, cujus in Canonicis Veteris Teſtamenti Libris nulla mentio; quare a quodam Apocrypho Opere, *Moyſis aſſumptio* inſcripto, depromptum credebatur.

Verum eſto (16). S. Judas duo hæc Apocrypha Opera allegarit: ex iis ſane Libris, utpote Dei Propheta, vera a commentitiis ſecernere potuit. In iiſdem præterea vera plurima referuntur, quæ S. Judas aliunde forte hauſerat. De libro Henoch fuſius egimus in Diſſertatione ad Geneſim. Quod vero ad *Aſſumptionem Moyſis*, & S. Michaelis cum Dæmone de Moyſis corpore altercationem attinet, in peculiari Diſſertatione paulo ante perpendimus. S. Hieronymus magis abs re non eſſe putat (17), quod S. Judas apocryphum Librum citaverit, quam quod S. Paulus prophanos Poetas laudaverit. Plurimum tamen inter illud intereſt, quod S. Paulus Prophanos ut Prophanos, Sanctus Judas Henoch ut Prophetam allegat (18).

Putavit Grotius, eam Epiſtolam minime Apoſtolo Judæ eſſe tribuendam, ſed Judæ alteri, decimoquinto Jeroſolymæ Epiſcopo, qui paulo ante Barchochebam, Adriano imperante, florebat. Quare ea verba, *Frater autem Jacobi*, quæ eidem Epiſtolæ præferuntur, ut ad ejus authoritatem conferrent, ab Amanuenſibus addita autumavit; præſertim quod ipſe Judas *Jeſu Chriſti ſervum* ſe vocaſſe contentus, ſe numquam Apoſtolum prodiderit; quod etiam Eccleſiæ omnes eam Epiſtolam ab initio excepiſſent, & in proprium quælibet idioma reddidiſſent, ſi ab Apoſtolo exaratam non ignoraſſent (19). Lutherus, Centuriatores, Anabaptiſtæ, & Kemnitius veluti incerta rejiciunt; ne minimum quidem validum ea de re argumentum proferentes, his enim, quæ modo prætulimus, nil utique infirmius.

Porro verba illa, *Frater autem Jacobi*, Amanuenſium fraude ſuppoſita nulla conjectura probantur; quippe quæ in omnibus tam vetuſtioribus quam recentioribus Exemplaribus legantur. Apoſtoli ſibi titulum in fronte ejuſdem Epiſtolæ negavit S. Judas; cujus tamen Apoſtolici muneris privilegium viro illi Sancto aſſerit Evangelium. Profecto nec Sanctus Paulus ſpecioſum illud Apoſtoli elogium ſcriptum voluit in fronte Epiſtolæ ad Epheſios, geminarum ad Theſſalonicenſes, ſingularis ad Philemonem, ſicut & ad Hebræos: nec Sanctus Joannes in fronte trium ſuarum Epiſtolarum. Nec invidia in genuinum Authorem creanda eſt ex ambiguitate quarumdam Eccleſiarum; cum dubitaſſe pariter conſtet nonnullas de Epiſtola ſecunda S. Petri, & geminis poſterioribus Joannis. Nihil ſane in hoc ſcripto Apoſtolo S. Judæ repugnans, non tempus, non circumſtantiæ; conſonant hæretici, quos oppugnat, errores quos revincit. Recitat ſuppreſſo nomine verba e ſecun-

(1) *Origen. in Matth.* 35. *p.* 295. (2) *Chryſ. tom.* 5. *orat.* 32. *p.* 409. (3) *Hieron. in Galat.* 4. *& in Helvid. cap.* 7. (4) *Vide Florent. Martyrolog. pag.* 170. (5) *Matth.* 13. 55. (6) *Vide Tillemont. tom.* 1. *pag.* 682. *Not.* 2. *in S. Jud.* (7) *Hegeſipp. apud Euſebium Hiſt. Eccl. lib.* 3. *cap.* 20. (8) *Epiph. hæreſ.* 26. *Oecum. hic ad verſ.* 4. *Athanaſ. in Synopſ. Alii recentiores pleriquc.* (9) *Jud. verſ.* 23. (10) *Vide verſ.* 17. *&* 2. *Petr.* 3. 31 (11) *Confer. Jud. verſ.* 18. *cum* 2. *Timoth.* 3. 1. (12) *Euſeb. lib.* 3. *c.* 25. *hiſt. Eccl.* (13) *Hier. de Vir. Illuſtr. cap.* 4. (14) *Amphiloch. carm. ad Seleuc. Nazian. carm.* 125. (15) *Euſeb. l.* 2. *cap.* 23. (16) *Vide Aug. de Civit. cap.* 23. *& lib.* 18. *cap.* 38. *e Barth. Petri hic, alios.* (17) *Hier. in Tit.* 1. (18) *Jud. verſ.* 14. *Prophetavit de his ſeptimus ab Adam Henoch.* (19) Extat Syriace, Arabice, & Æthiopice verſa in Polyglottis Anglicis. Adhuc Syriace & Arabice in Polyglottis D. le Jay, & alibi. *Vide Cornel. a Lapid. Præf. in hanc Epiſt.*

ſecunda S. Petri, & de Apoſtolis loquitur quaſi aliquandiu ante occubuerint. Quid hic non conveniens ætati, qua S. Judas in vivis egiſſe conſtat? excidio enim Jeruſalem ſuperſtitem fuiſſe credimus. Nemo unus inter Veteres, qui eam Epiſtolam laudavit, de illius Authore, ambigere ſe ſignificavit: uno omnes aſſenſu S. Judæ Apoſtolo tribuunt; ambigit nemo ante Grotium, qui in ea fuit ſententia, Judam decimumquintum Jeroſolymæ Epiſcopum hujus Operis genuinum eſſe ſcriptorem.

Nonnullorum Veterum ambiguitati Origenis teſtimonium objicimus (1), qui hanc Epiſtolam maxime commendans, a Sancto Juda exaratam perhibet, & cœleſtibus plurimis in pauca verba congeſtis ſententiis refertam teſtatur. Sanctus Epiphanius (2) ſe illud de Sancto Juda arbitratum aſſerit, quod Spiritu Sancto inſpiratus adverſus Gnoſticos ſuam, quæ extat, Epiſtolam ſcripſerit. S. Clemens Alexandrinus (3), Judam *Jeſu Chriſti ſervum, & fratrem Jacobi* ſe dixiſſe contentum, a Fratre Domini ſe vocando per modeſtiam abſtinuiſſe; alibi vero eam ipſe Clemens (4), quam Tertullianus (5), veluti a S. Juda ſcriptam, & inter Canonicas Scripturas recenſitam allegant.

A Conciliis Laodicenſi (6), & Carthaginienſi tertio (7), a S. Athanaſio (8), a S. Cyrillo Jeroſolymitano (9), a S. Gregorio Nazianzeno (10), a Ruffino (11), a S. Auguſtino (12), ab Innocentio I. (13), & a Recentioribus ceteris in Sacrorum Librorum Catalogis hæc S. Judæ Epiſtola recenſetur: quam præterea omnes, quorum modo meminimus, Patres allegant; hiſque Lucifer Calaritanus (14), S. Ambroſius (15), S. Hieronymus (16), & alii plurimi ultro accedunt. Quare merito ambigi nequit, quod a quarto hucuſque ſæculo canonicam ſemper per omnes Eccleſias non obtinuerit authoritatem.

IN APOCALYPSIM PROLEGOMENON.

Articulus Primus.

Totius Apocalypſis idea, Laudes, obſcuritas, & recta explicandi difficultas.

Variæ olim de Apocalypſi ſententiæ. Nonnulli, quod obſcura ſit, velut inanem rejecerunt (17); alii (18) eidem explicandæ incumbere ſupervacaneum duxere, tum quod plurima Interpretes ſemper latuerint, tum quod mundus ſit prius abſolvendus, ut difficultatibus omnibus ſolutis figuræ ſingulæ percipi poſſint. Sapientiores vero ſanius de Apocalypſi pronunciarunt. S. Dionyſius Alexandrinus tertii ſæculi Author perhibet (19): *Ego Librum hunc nullo modo audeo abrogare, præſertim cum adeo multi fratres eum tam magno æſtiment: ſed hanc mecum de eo opinionem concipio, longe abſtruſiorem eſſe in illo materiam, quam meæ mens facile conſequi queat, & in ſingulis prope ſententiis ſenſum quemdam myſterii involutum, & valde admirabilem deliteſcere, plane exiſtimo. Et quamquam eum ipſe non intelligo, ſuſpicor tamen intellectum quemdam reconditiorem verbis ipſis incluſum; atque iſtas res non propria ratione metior, ac pondero, ſed Fidei potius tribuo, & altiores, Diviniore ſque profecto arbitror, quam quas ipſe alla pacto cogitatione comprehendere valeam. Atque non eas improbo, quas non intelligo: ſed ideo potius admiror, quod mentis aciem luſtrare non queo.*

Quanti Dionyſius Alexandrinus, tanti Apocalypſim faciebat Hieronymus, quam laudibus idcirco cumulans, *Apocalypſis Joannis*, inquit (20), *tot habet Sacramenta, quot verba. Parum dixi, & pro merito Voluminis laus omnis inferior eſt. In verbis ſingulis multiplices latent ſententiæ.* Eadem profecto ſapientiores noſtri Critici de tanto Opere ſentiunt: id permaximæ nobis utilitatis eſſe ducentes, ejus obſcuritatem non ad contemptum, ſed ad illius potius reverentiam conferre tuentur (21); & de eo illud uſurpandum cenſent, quod de Heraclito perhibuit Socrates (22): *Ea quidem, quæ intellexi, fortia ſunt, puto item & quæ non intellexi: verum Delio quopiam natatore indigent.*

Invita licet ejus obſcuritate, legentes ſuaviter adeo afficiuntur, ut permaximam Divinæ Majeſtatis exiſtimationem concipiant, & de Jeſu Chriſti Myſteriis, Victoriis, Regno, & Judicio magnifice cogitent. Quidquid in Scripturis pulcherius, in hoc uno Libro congeritur (23); quidquid in Lege, & Prophetis vividius, atque ad majeſtatem magis compoſitum, novo quodam & clariori lumine hic augetur.

Cum Apocalypſis Prophetiis ſit undique referta, mirum ſane non fuerit, ſi tenebris obvolvatur. Obſcuritas enim ad Vaticiniorum naturam quodammodo ſpectat, tum potiſſimum, cum eorum eventus vel procul abeſt, vel actu perficitur. Tunc vero tantummodo perſpicua fiunt, cum res peracta cum iis, quæ prænunciata fuerant, eventus confertur. Ante Chriſti adventum Veteres Teſtamenti Prophetas quis noverat? De promiſſo ſibi Meſſia generatim ſciebant Judæi; verum Prophetarum de eo vaticinia, quæ ſibi etiam mutuo adverſari videbantur, eam nubem induxerant, ut nonniſi poſt Servatoris obitum & Reſurrectionem depulerint. Idem profecto contigit Patribus, qui quatuor, ſeu quinque primis Eccleſiæ ſæculis floruerunt. Quidam enim in præſentibus calamitatibus obtutum omnem collocantes, & mentis aciem longius non proſpicientes, per illas Apocalypſis vaticinia perfici arbitrabantur; quidam vero de ejus prophetiis veluti de myſteriis intellectui penitus impervijs, & poſt ſæculorum exitum tantummodo percipiendis cogitabant; quidam denique de ejus litterali

(1) *Origen. in Matth. pag. 223. Vide & hom. 7. in Joan.* (2) *Epiph. hæreſ. 26.* (3) *Clem. Alex. Commentar. in hanc Epiſt. a Caſſiodoro verſ.* (4) *Clem. Alex. in Strom. l. 3. & Pædagog. lib. 3.* (5) *Tertull. de Cultu Fœminar. c. 4.* (6) *Laodicenſ. Can. 60.* (7) *Carthag. can. 47.* (8) *Athanaſ. in Ep. Paſc. & in Synopſ.* (9) *Cyrill. Jeroſol. Catbec. 4.* (10) *Nazianz. carm. 34.* (11) *Ruffin. Expoſit. in Symbol. apud Cyprian. pag. 553.* (12) *Auguſt. de Doctr. Chriſt. l. 2. c. 8.*

(13) *Innoc. I. Epiſt. 3. cap. 7.* (14) *Calaritan. Tract. de non conveniendo cum hæreticis.* (15) *Ambroſ. in Luc. 8. 28.* (16) *Hieron. in Jerem. 29 8. & in Ezechiel. 32.* (17) *Quidam apud Dionyſ. Alex. Apud. Euſeb. l. 7. cap. 25.* (18) *Caſtalio & alii quidam. Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7. c. 25. de Dionyſ. Alex.* (19) *Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7. Hiſt. Eccl. cap. 20.* (20) *Hier. Ep. ad Paulin.* (21) *Perer. in Apoc.* (22) *Socrat. apud Laert. l. 2. n. 57.* (23) *Boſſuet. Præfat. in Apocal.*

Digitized by Google

rali ſenſu inveſtigando prorſus deſperantes, ad figuratum, & allegoricum confugiebant, ad mores inſtituendos documenta undique haurientes.

Liber Apocalypſis, inquit Auguſtinus (1), *totum hoc tempus complectitur, quod a primo adventu Christi uſque in ſæculorum finem, quo erit ſecundus ejus adventus, excurrit.* Quātu cum ſeptemdecim ab hinc prope ſæculis Apocalypſis ab Joanne conſcripta fuerit, ejuſdem plurima vaticinis jam completa fuiſſe minime dubitandum. Eccleſiæ & Romani Imperii Hiſtoriæ nunc præ ceteris ætatibus clarius patent: noſque majori præ Veteribus ope ad eaſdem dignoſcendas inſtruimur. Quare fœlicior nobis quam Patribus & Interpretibus ejus ætatis Apocalypſis explicatio contingit: cum ea nobis tantummodo quæ has prophetias adimpleverint, in ſæculis ab Joanne hucuſque elapſis inveſtiganda ſuperſint. In primo quidem limine explicatu impoſſibile ſeſe & nobis hunc Librum exhibuiſſe fatemur. Quamobrem niſi de omnibus Novi Teſtamenti Libris diſſerere jam inſtituiſſemus, numquam fieri potuiſſet, ut facinus plus nimio arduum aggrederemur; a quo præterea deterrebamur, quod Interpretum pleriſque, qui Apocalypſi explanandæ incubere, feliciter res minime evaterit.

Verum re propius perſpecta, & præclariſſimorum quorumdam, qui noſtra ætate Apocalypſim hiſtorice exponendam ſuſceperunt, exemplo excitati, Operi & nos manum admovimus, & monſtra, quibus terrebamur, ſenſim eo uſque evanuere, ut, quidquid nullo ſuperandum labore arbitrabamur, omnem omnino difficultatem poſuerit. Hinc nos concluſimus, tot Apocalypſis Interpretes rem hucuſque non attigiſſe; vel quod Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ad hæc poſtrema uſque ſæcula ignoratæ ſatis fuerint: vel quod ad S. Joannis vaticinia explicanda vix fuerint adhibitæ; vel denique quod plus æquo habita ſit reverentia Veterum interpretationi: quorum alii ante oraculorum complementum, cum ſcilicet fieri non poterat, ut hiſtorice illa explicarent: alii vero ea ſcripſerunt ætate, qua & Libris, & auxiliis ad res occultas explorandas penitus deſtituti, ut Hiſtoriarum Epochas ſtabilirent, vel ad morales & myſticos ſenſus confugerunt, vel ad ſingula vaticinia in ſæculorum exitu adimplenda aſſeruere, vel denique proferendis conjecturis ſtudium omne poſuerunt, quæ ad talis tantique Libri intellectum per ſe ipſas minime conferunt.

Eccleſiam perſecutionibus affectam, victricem poſtea, & alta pace fruentem veram Apocalypſis Clavem certo ducimus. Omnia huc ſane collimant; quare arte prophetica & enigmatica figuras exuere, & rebus ſua nomina, ſuamque faciem opus eſt tantummodo impertiri, ut Apocalypſim in veram hiſtoriam convertamus. Antiquus dierum, Alpha & Omega, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, Deum Patrem; Agnus vero Deum Filium ſignificant. Per terram Romanum Imperium; per beſtiam ſeptem capitum ſeptem Imperatores Perſecutores Eccleſiæ; per Draconem mulieri jamjam parituræ inſidiantem, iidem Eccleſiæ perſecutores deſignantur. Beſtia cornibus inſtar Agni inſtructa Julianum Apoſtatam refert; meretrix magna, myſtica Babylon, Romam innuit; tres anni cum dimidio, modo per duos & quadraginta menſes, modo per dies mille ducentos ſexaginta, per *dies tres & dimidium*, per *tempus*, & *tempora*, & *dimidium temporis*, perſecutionem durationé oſtendunt. Babylonis everſio, beſtiæ & meretricis interitus perſecutorum & Romæ idololatræ excidium exhibent. Plagæ, quibus Deus terram conficit, & iræ ſuę phialę, quas in orbem jubet effundi, eas præferunt calamitates, quibus Romanum Imperium, præſertim poſt Diocletiani perſecutionem, obrutum fuit.

In hoc vero ſyſtemate nihil in leviſſimis immorandum neque ubique inveſtiganda myſteria: forſan & hic latebunt; ſed quis ea ſine peculiari revelatione percipiat? Qui de cujuslibet pretioſi lapidis nomine, & proprietate, & Angelorum veſtium coloribus, & de Cherubim figura diſſereret, ſuo quidem ingenio, & libertate abuteretur; niſi forte id cauſe præſtaret, neque ſuis conjecturis veluti certis fidem vellet adhiberi. In Apocalypſi, quemadmodum in Veteri Teſtamento, omnia omnino habenda non ſunt vaticinia. Divinæ Majeſtatis magnificentia, vigintiquatuor Seniores e Thronis in genua ante Dominum provolutos, quatuor animalia Dei ſolum ſuſtinentia: Librum conſignatum Agno traditum, & id genus plurima Deus Sancti Joannis intellectui videnda exhibuit, ut eum ad maximam erga Divinam Majeſtatem reverentiam excitaret, atque ejus, & deinde Lectorum animos redderet attentiores. Hæc vero nonniſi indirecte ad præcipuum ejus Prophetiæ objectum pertinent, & infinitam Dei potentiam & amplitudinem oſtendunt. Liber obſignatus ejus arcana conſilia, & hominibus prorſus incognita exhibet; ſicuti per Agnum, cui Liber reclus us oblatus eſt, eadem Divina conſilia per Jeſum Chriſtum S. Joanni in Apocalypſi revelata deſignat. Angeli denique cum tubis & phialis a Dei Throno dimiſſi, calamitates, quibus Roma, ejuſque Imperium obruta ſunt, non fortuito, ſed de Juſtitiæ & Potentiæ imperio eveniſſe demonſtrant.

Hæc ſane habenda non ſunt Interpretum inventa, cum in ejuſdem Apocalypſis Textu perſpicue exhibeantur. Ipſe Joannes, ſeu Angelus Joannem alloquens palam præcipua facit. Ea enim Agno tribuit, quæ nonniſi Chriſto, ea etiam Antiquo dierum, quæ nonniſi Deo Patri conveniant. Mulier, quæ a Dracone fuga ſibi conſulens, invitis ejus perſecutionibus, in deſerto enititur, Eccleſiam ſine ambagibus præfert. Myſtica Babylon, nempe Roma, in ſeptem montibus, non per Interpretem hominem, ſed per ipſum Dei Angelum conſtituta deſcribitur.

Futuros eventus non diu poſt adimplendos ab Apocalypſi referri, nil utique eſt quod ambigamus; etenim ipſe Joannes citius perficiendos enunciat (2). *Tempus prope eſt..... ecce venio cito reddere unicuique ſecundum opera ſua.* Cum vaticinia in Veteri Teſtamento res diu poſt adimplendas reſpicerent, Dominus ea obſignare Prophetas jubebat (3): Apocalypſim vero, quod cito implenda eſſet, ſigillo muniri prohibuit (4): *Ne ſignaveris verba prophetiæ Libri hujus: tempus enim prope eſt.* Cum itaque pluſquam mille ſexcentis ab hinc annis S. Joannes Apocalypſim conſcripſerit, ejus vaticinia ſaltem perplurima ſæculis retroactis jam completa jure merito dijudicamus.

ARTICULUS II.

De Apocalypſis Interpretum Methodo.

QUadrifariam Apocalypſis Interpretes dividi poſſunt. Alii omnes Joannis viſiones de poſtrema Judicii die explicant. Beſtiam proinde ſeptem capitum Anti-Chriſtum dicunt; duos teſtes, Henoch & Eliam; mille annorum Regnum, de Juſtorum poſt Judicium millenario; & ſeptem plagas, totidemque iræ Dei phialas, de calamitatibus mundi interitui prævioris interpretantur.

Alii omnia de iis explanant, quæ Eccleſiæ perſecutionibus agitatæ evenere; verum inter hos non convenit, cum verba Apocalypſis peculiaribus eventibus ſint adſcribenda.

Alii nempe Proteſtantium Interpretum plurimi, ut jure merito ab Eccleſia ſe defeciſſe oſtendant, in eam odio excitando pro viribus incumbentes, quidquid teterrimi S. Joannes de beſtia, de Babylone, de meretrice prodidit, Eccleſiæ temere adſcribunt: quare Anti-Chriſtum Pontificem deſignare volunt; & Romam Catholicam, ſeu Romanam Eccleſiam eam eſſe dictitant, in quam tot intentantur calamitates, quibus obruenda eſt Roma idololatria. Quorumdam præ-

(1) *Auguſt. de Civit. Dei. lib. 2. cap. 8.* (2) *Apoc. 22. 10. &c.* (3) *Daniel. 8. 26. Tu autem viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit. Daniel. 12. 4. Iſai. 8. 16.* (4) *Apoc. 22. 10.*

præterea eo pervenit audacia, ut ejus futuri excidii non modo annum, ſed momentum etiam ſtatuerint. Sed eorum vaticiniis invitis, Catholica & Romana Eccleſia ſtat, & uſque ad omnium ſæculorum exitum incolumis manebit.

Alii denique Apocalypſis ſingula morali explicatione exponunt. Hujuſmodi ſcimus Ambroſium Autpertum Sancti Vincentii Vulturni in Italia Abbatem, Patrem de Viegas, & alios, præſertim Tychonium Donatiſtam, quam ſpiritali methodo Apocalypſim explicaſſe Gennadius aſſerit.

Veterum Patrum & Interpretum plerique Apocalypſim de poſtremo Judicio explicuere. S. Juſtinus, S. Irenæus, S. Victorinus Petavienſis (1) tertii ſæculi Scriptor, S. Hippolytus Epiſcopus Portuenſis (2), Millenarii, Papias, Nepos Ægypti Epiſcopus, Andreas & Aretas (3) Cæſarienſes, Primaſius Epiſcopus Adrumetenus (4), Ven. Beda, S. Ambroſius, ſeu potius Berengarius ſub nomine Ambroſii; S. Anſelmus ſeu alius ſub eo nomine, & Recentiores plurimi vel omnia, vel ferme omnia ad ultimum Judicium referunt, tribus tantummodo capitibus primis exceptis, quæ de ſeptem Aſiæ Eccleſiis ut plurimum ad litteram ab Interpretibus exponuntur.

Singulorum Authorum omnes omnino Interpretationes referre, e re eſſe non duximus, cum præſertim fieri neque poſſet, ut tot Interpretum variæ methodi & ſententiæ ſingillatim referrentur. Satius itaque duximus eorum varia ſyſtemata leviter tantum attingere, & illud generatim oſtendere; quod ea, cui adhæſimus, ſententia & ceteris præſtet, & ſola ſit, cui in litterali Commentario ſubſcribendum; ne perplurimas hic recenſeremus opiniones, quæ nonniſi ægre ab omnibus perlectæ neque ad clariorem hujus Libri lucem, neque ad noſtrum inſtitutum contuliſſent. Qui vero earum forte deſiderio tenerentur, videant in Criticorum Synopſi Recentiores, & potiſſimum Proteſtantes, & apud Cornelium a Lapide Veteres, & juniores Catholicos Interpretes. Per varias tot Authorum ſententias & animos implicari, & incertos ſæpiſſima hærere experientia didicimus; quare, ne Lectores in incerta vagentur, in rebus perpendendis & ſecernendis opinionibus, Authoribus eſt elaborandum.

Morales Interpretes hic non moramur. Ex vero ſunt plerorumque Proteſtantium explicationes, ut dignæ minime ſint, quæ tantummodo refutentur. Grotius & Hammondus præ fratrum ſuorum pleriſque ſaniori conſilio hiſtorice Apocalypſim exhibent, & omnia ferme, quæ poſt caput tertium afferuntur, de calamitatibus explicant, quibus, Nerone & Veſpaſiano imperantibus, Judææ Eccleſia confecta ingemuit. In hoc adducti ſunt ſyſtema, quod Chronologiæ errorem ab Epiphanio haurientes (5), S. Joannem in Pathmos Inſula ſub Claudio exulaſſe putaverint, cum ſane id Irenæo (6), Euſebio (7), aliiſque innumeris teſtibus, anno circiter Chriſti 94. Domitiano imperante, contigerit.

D. Boſſuet (8) Meldenſis Epiſcopus poſt tria prima Capita, quæ ad ſeptem Aſiæ Eccleſias pertinent, eas calamitates, quibus Eccleſia ab Imperatoribus Ethnicis uſque ad Conſtantini pacem, & quibus deinde ab Apoſtata Juliano conficienda fuerat, victorias etiam ab eadem Eccleſia de ſuis perſecutoribus referendas; ultionem denique de Roma, & Romano Imperio per plagas, & per barbarorum impetus quarto & quinto ſæculis divinitus expoſcendam, S. Joannem prænunciaſſe contendit.

Quamvis vero hujus doctiſſimi Epiſcopi Opus nonnulli parvi æſtimarint, illud nihilominus ſane eſt pronunciandum, quod & rem ipſe tetigerit, & adeo arcani Libri myſteria præ ceteris patefecerit. Eſto, ſingula hiſtorica facta Apocalypſis figuris non omnino feliciter accommodarit; ejus profacto ſyſtema ceteris præſtat, faciliuſque defendi poteſt; imo & præclarum aliquid de Apocalypſi quis proferre, ſi cupiat, licet ſingulis peculiaribus Boſſueti ſententiis non ſubſcribat, ad ejus methodum tandem confugiat neceſſe prorſus eſſe cenſemus.

D. de la Chetardye S. Sulpicii Pariſiis Parochus, quemadmodum D. Boſſuet, & Apocalypſim hiſtorice explanavit. Prioribus tribus Capitibus, de quibus jam conſtat inter omnes, quod univerſalem Eccleſiam non afficiant, de Minoris Aſiæ Eccleſiis interpretatus, per quartum, & quintum caput, quibus Dei gloria & magnificentia S. Joanni exhibita deſcribitur, proxime conſequentibus viſionibus viam tantummodo ſterni oſtendit. Capitibus deinde 6. & 7. & 8. & 9. & 10. & 11. ſeptem ſigillis, quæ Agnus aperuit, ſeptem Eccleſiæ ætates deſignatas cenſet. Grando ſanguine & igni immixta primam ætatem ſignificat, tempus nempe Martyrum, ab Eccleſiæ Exordio uſque ad Conſtantinum. In ſecundo ſigillo eques ſtricto gladio bellis, & diſſenſionibus orbem concutiens, deſignat hæreſes quæ perſecutiones ſubſecutæ ſunt; ſigillum tertium, & tertia tuba ferens equitem equo nigro inſidentem, & famem habentem in comitatu, tertiam Eccleſiæ ætatem innuunt, qua Barbari a ſuis regionibus egreſſi, Romanum Imperium invaſerunt, & Provincias diripuere.

Sigillum quartum, ſeu quarta tuba hominem morti ſimillimum, equo pallido vectum, inferno comitante, & in quatuor Orbis partes peſtem, famem, & bellum inferentem producit: quo emblemate quarta Eccleſiæ ætas exprimitur Græcæ Eccleſiæ ſchiſmate; & Mahometiſmo funeſtata. Quinto recluſo ſigillo, quintaque clangente tuba ſydus de cœlo delapſum Lutheri Sacerdotis & Religioſi apoſtaſiam deſignat; cujus ab Eccleſia defectio bella, hæreſes, & innumeras calamitates invexit. Ubi ſexta tuba ſonitum edidit, innumerus hoſtium exercitus terram invaſit, tertia hominum parte interfecta. Hanc prophetiam Author non explicat, quod nondum impletam, ſed futuram, & ſexta Eccleſiæ ætate adimplendam putaverit; Angelus enim capite 7. S. Joanni Judæos ad Fidem traducendos oſtendit. Angelus præterea capite 10. mundi finem, & capite 11. Henoch, & Eliæ adventum, & Anti-Chriſti utriumque Prophetam interficientis regnum prænunciat. Aperto denique ſigillo ſeptimo, & ſeptima clangente tuba poſtremum inſtituitur Judicium, & Jeſus Chriſtus, Angelis, & Sanctis comitantibus, e Cœlo deſcendit cap. 11. & ſeqq.

Is juxta hunc Authorem generalis Apocalypſis ſcopus. S. Joannes capite duodecimo, & deinceps ad primam ſuæ Prophetiæ partem conditam Eccleſiam, perſecutiones obeundas, & ejuſdem de perſecutoribus victorias reſpicientis revertitur. Sole amicta & Lunam calcans mulier Eccleſiam exprimit. Draco capitibus ſeptem, & decem cornibus caudaque tertiam ſtellarum partem e Cœlo præcipitem trahens Dæmonem refert, qui a ſeptem Imperatoribus, per ſeptem capita deſignatis, & a decem perſecutionibus, per decem cornua expreſſis, adjutus, mulierem ejuſque filium vorare, Eccleſiam nempe & Fideles evertere conatur. Verum Dracone a S. Michaele profligato, Conſtantinus ſeptem cæſis Tyrannis Imperio potitur. Septimus ſupereſt poſt Conſtantinum excitandus, nempe Julianus Apoſtata, cujus perſecutiones capite 13. & 14. referuntur. Tandem Deo tot flagitia ulciſcente, Barbari in Romanum Imperium irruunt, totumque diſcerpunt. Angeli vero ſeptem phialis effuſis, Romam, ejuſque Imperium omnibus omnino calamitatibus obruunt. Hæc capitibus 15. & 16. & 17. & 18.

Poſt Romani Imperii excidium ſolemnes Agni Nuptiæ celebrantur, & ſerpens antiquus vinculis addicitur. Hic Eccleſiæ ſtatus uſque ad Anti-Chriſti adventum, cujus perſecutiones capite 19. referuntur. Deus vero Eccleſiæ ſuæ opitulatur; Jeſus Chriſtus

(1) *Petavium veteris Pannoniæ urbs fuit, Dravum in Styria.* (2) *Sub tertii ſæculi initium.* (3) *Sexti ſæculi ſcriptor.* (4) *Adrumetum Provinciæ Bizacenæ urbe.*

(5) *Epiph. hæreſ. 51.* (6) *Iren. lib. 5. cap. 30;* (7) *Euſebius in Chronico ad annum 14. Domitian. & hiſtor. lib. 3. cap. 18.* (8) *Boſſuet in Apocalypſ.*

Chriſtus e Cœlo deſcendit; Judicium pronunciatur, beſtiæ in inferna detruditur; Juſti in Cœlos regnaturi aſcendunt una cum Chriſto, cujus imperium capitibus 21. & 22. magnifice deſcribitur. Hæc interpretatio, quam D. de la Chetardye in Apocalypſim exhibet. Nos vero illud veremur, ne hæc Eccleſiæ in ſex ætates diſtributio arbitrio nimium nitatur, & ne regreſſus a capite 11. quod de poſtremo Judicio ſe Author explicat, ad Eccleſiæ confirmationem, capitu 12. & ſeqq. juxta eumdem exhibitam, plus æquo detortus judicetur. Quarta denique Eccleſiæ ætas, quam a Mahometo uſque ad Lutherum collocet, cui nempe millenarium circiter tribuit, ſi cum ceteris conferatur, protracta nimium videtur. De ſingulis & peculiaribus explicationibus hic non inquirimus, ne longius a ſcopo abducamur.

Abbas du Pin paulo poſt Apocalypſim explicans, latiori quam Boſſuet, & de la Chetardye, via incedit. In peculiaribus Hiſtoriæ eventibus perquirendis, ut ſingulis ſingulas S. Joannis prophetias accommodet, non immoratur, ſed tria prima Apocalypſis capita ad ſeptem Aſiæ Eccleſias, tria ultima ad mundi finem, ad Judicium poſtremum, & ad Juſtorum felicitatem reſpicere tantum arbitratur; cetera vero de Eccleſia perſecutionibus afflicta, de perſecutorum ſupplicio, & de Idololatriæ excidio generatim interpretatur. S. Joannes ad fidelium ſolatium varias inducit figuras, quæ ad eumdem ſcopum colliment.

Qui ſingulas viſiones de peculiari eventu explicare aggrediuntur, de hujus Authoris ſententia rem non modo arduam nulloque exitu abſolvendam, verum etiam S. Joannis menti contrariam ſuſcipiunt. Singulæ enim viſiones non ad hoc magis, quam ad illud reſpiciunt. Septem beſtiæ capitibus ſeptem deſignari additi idololatras Imperatores, qui poſtremam adverſus Eccleſiam perſecutionem exciterunt, Diocletianum nempe, Maximianum, Galerium, Severum, Maximianum, & Licinium: quam adhuc explicationem veluti conjecturam exhibet; adeo, ne incerta proferat, veretur.

Methodus hæc ſane facilis, quæ unico ſimul ictu innumeras difficultates præcidit; neque enim hiſtoriis nimium perquirendis incumbere adigitur, neque ſibi hypotheſes & conjecturas incertas producendi periculum creat. Innititur quidem hiſtoriis, quas ponit, quamvis nimium non perſcrutetur eventus, ut ſingulas vaticiniorum circumſtantiæ impletas oſtendat. Verum, ut ſententiam meam proferam, animus huic penitus non acquieſcit, & inter ejus vagas explicationes veluti errat, & hæret. Apocalypſim, quemadmodum Prophetias ceteras, & ad generalem, & ad peculiarem ſcopum reſpicere putemus. Iſaias, Jeremias, Ezechiel de Jeroſolymæ excidio, de Judæ captivitate, & a captivitate regreſſu loquuntur; Babylonem etiam, & Chaldæorum Imperium evertendu commemorant. Daniel Antiochi Epiphanis adverſus Judæos perſecutiones plurimis figuris exhibuit. Neque de ſingulis his Prophetæ generatim meminere, ſed tempus, durationem, authores, circumſtantias demum ſingulas figuris expreſſas recenſuerunt. Quamobrem Interpretes ſingula omnia in Hiſtoriis perquirunt, figurarum ſenſum expromunt, prænunciatos eventus ſua etiam chronologia confirmant. Cum præterea Daniel v. gr. eventum nobis exhibuerit ita circumſtantiis inſtructum, ut, ipſa hiſtoria nil ferme referente accuratius, eamdem Prophetiam poſt exitum ſuppoſitam Porphyrius defenderit; illud ſane conſtat, quod res & peculiariter fuerint prænunciatæ. Quare ſi veterum Prophetarum adverſus Ninivem, Babylonem, & Ægyptum ſingula adimplata oſtendere modo non poſſumus, in earum ætatum hiſtorias, quibus deſtituimur, eſt referendum. Simile quid & de Apocalypſi perhiberi cur non poteſt? Plurima ejus vaticinia jam completa certo ſcimus, earumque ætatum, de quibus ibi ſermo, hiſtoriam optime novimus. Cur igitur peculiares hujus hiſtoriæ eventus hujus prophetiæ figuris non accommodemus? Cur in circumſtantiis perquirendis in conferendis figuris, & in eventibus ab Apocalypſi deſignatis, per Romanas & Eccleſiaſticas hiſtorias adimpletis oſtendendis non elaboremus?

Poſſe quidem quempiam interdum decipi, & incertas producere conjecturas, ultro fatemur. Lector vero queri non debet, ſi Scriptor ſuas interpretationes modeſte exhibens, huic vel illi prophetiæ hiſtoriam aliquam accommodet, ut integra tamen omnia Lectoris judicio & cenſuræ relinquat. Equidem ita cenſeo, ab Interprete Apocalypſis illud exigere, ut periculum interdum errandi in ſe ſumat. Iniquum vero eſſet, ſi ab eo demonſtrationes, & certiſſima argumenta poſtularentur. Illud utique ſatis ſuperque fuerit, ſi explicatio ſpeciem veri præferat, neque Prophetæ menti contrarium quidquam contineat; ſi præterea Vates de rebus ante Prophetiam peractis loquens non inducatur; vel id ab eodem prænunciatum non oſtendatur, quod ad ſuum generalem ſcopum, per characteres ita ſenſibiles ſemper exhiberi ſolitum, ut nemo de eo decernendo decipi queat, nullatenus reſpiciat. Hac methodo uſi ſunt peritiores Interpretes, qui Veteris Teſtamenti Prophetiis explicandis operam navarunt; hanc & nos ſequemur in Apocalypſis interpretatione, S. Joannem tot circumſtantiis adjunctis, & deſcriptionibus peculiare nil voluiſſe deſignare vix credimus; ſi vero cur omnia quid ſignificent, & per hiſtorias ſunt adimplenda, quare, ut ad litteram & hiſtorice impleta oſtendatur, non ſit elaborandum?

ARTICULUS III.

De Apocalypſis Authore, & de Canonica ejus authoritate.

AN S. Joannes Apocalypſim ſcripſerit, olim dubitatum. Sunt, qui eam a Cerintho, exeuntis primi ſæculi hæreſiarcha, ut deliramentis ſuis authoritatem vindicaret, exaratam putent. Cerinthum ſuam edidiſſe Apocalypſim certo conſtat (1), quam Baronius S. Joannis nomine ab eodem evulgatam arbitratur. Aliam tamen fuiſſe ab Joannis Apocalypſi, a Patribus perſpicuum prorſus accipimus (2).

Quod ea veræ Apocalypſi ineſſet obſcuritas, ut a Lectorum pleriſque percipi nequiret, illud ſatis contulit, ut Apocrypha crederetur (3). Prophetiæ antequam adimpleantur, obſcuriſſimæ ſunt; donec autem earum clavis abditur, clauſæ quidem manent, nobiſque inutiles. Grotius conjecture ducit, idcirco etiam quibuſdam ſæculis a nonnullis Eccleſiis Apocalypſim fuiſſe rejectam, quod perraro occurreret, quodque ab Epiſcopis caute abdita ſervaretur, ne Imperatorum, de quibus ſubobſcurus quidem, ſed rem ſerio inveſtigantibus perſpicuus etiam in ea ſermo, in ſe iram concitarent. Præterea, cum Gog & Magog, Millenariorum regni, primæ cujuſdam reſurrectionis, & novæ Jeruſalem, quibus omnibus Cerinthiani, & Fideles nonnulli hebraizantes abutebantur, in eadem occurreret mentio, in Eccleſiarum Tabulariis condita, ne ab omnibus promiſcue legeretur, caute & conſulto ſervari conſueverat.

Hanc ſæculo ſecundo Marcio & Cerdo rejecerunt. Cajus Eccleſiæ Romanæ Preſbyter (4), ut Millenariorum, qui Apocalypſis authoritate potiſſimum nitebantur, errorum everteret, eam non a S. Joanne, ſed a Cerintho editam aſſeruit. In quam ſententiam, teſte Dionyſio Alexandrino, etiam Catholici plurimi devenero. Ipſe vero Dionyſius tertii ſæculi ſcriptor (5), a viro quidem probo & inſpirato, Joannis, ut pluries in eadem Apocalypſi vocatur, nomine conſcriptam putabat; an vero a Joanne Evangeliſta, incertus hærebat. Libri ſtilus & Authoris ingenium ab Joannis Evangeliſtæ prima Epiſtola, & Evangelio ipſius ſatis videbantur abeſſe, quod eamdem elocutionis puritatem, & verborum delectum

(1) *Theodoret. hæretic. fabul. lib. 2. c. 3.* (2) *Vide Tillemont. not. 3. in Cerinthianos.* (3) *Dionyſ. Alex. apud Euſeb. l. 7. c. 25. Hiſt. Eccl.* (4) *In Diſceptatione adverſus Proclum Cataphrygarum caput.* (5) *Dionyſ. Alex. loc. cit.*

ctum non præferrent : Quare vel Joanni Marco, de quo in Actis Apoſtolorum, vel alteri Joanni, cujus ſepulchrum prope tumulum Sancti Joannis Evangeliſtæ Epheſi videbatur, ſatius adſcribendam duxit.

Quarto ſæculo Alogi, Arianorum ſurculus, de quibus apud S. Epiphanium (1), eam idcirco rejecerunt, quod ibi Dei Filium, ſicuti in Evangelio ab ipſis quoque rejecto, Sanctus Joannes *Verbum* appellet. Ei præterea objiciebant, quod de Thyatiræ Eccleſia, quæ numquam extiterat, meminiſſet : quam quidem eorum ætate a Manichæiſmo penitus infectam fatemur; ſed dum floreret Joannes, Catholicam, & paulo poſt Alogos, rejectis erroribus, ad Fidem reverſam comperimus. Quinto etiam ſæculo de Apocalypſi diſceptatum; Græci, Hieronymi ætate, ut ipſe teſtatur (2), adhuc eam non exceperant; quare neque a Concilio Laodiceno (3), neque a Sancto Cyrillo Jeroſolymitano (4), neque a Gregorio Nazianzeno (5), in ſuis Catalogis recenſetur. Amphilochio teſte a nonnullis excepta, a pleriſque reſpuebatur (6); Epiphanius vero (7) eam quidem complectitur, ſed rejicientes improbare non audet.

Author quidam S. Hieronymi nomine falſo editus, ei tamen vel omnino vel ferme coævus (8), in Provinciis, in quibus ſcribebat, nempe, ut credimus, in Palæſtina, Apocalypſim ſua ætate minime recipi, ſed a Regionibus Occidentalibus, & a Phœniciæ & Ægypti Provinciis, veluti Canonicæ, fidem adhiberi teſtatur: quam præterea a Veteribus Eccleſiaſticis Authoribus, Irenæo, Polycarpo, Dionyſio Alexandrino, Cypriano receptam, allegatam, & explicatam affirmat. Unanimi omnium conſenſu canonicæ authoritatis habita eſſe videtur quinto ab hinc ſæculo uſque ad poſtremarum hæreſum ætates; Calvinus enim, Lutherus, & alii eam a Canone divulſerunt.

Ante annum 210. canonicam Apocalypſis authoritatem a nemine impugnatam, aut eamdem S. Joanni ereptam Millius defendit (9); niſi forte id Marcio præſtiterit, qui omnes Novi Teſtamenti Scripturas contemptui habebat. Cajus Romanus Presbyter omnium primus, quamvis non dolo malo, dubium invexit; cum enim Millenariorum errorem impugnaret, Libri illius, a quo præcipuum hæreticis illis argumentum, authoritatem improbare e re eſſe duxit; ſeque unico impetu eorum penitus ædificium everſurum putavit, ſi fundamentum deleret. Quamobrem Apocalypſim Cerintho adſcripſit, eo forſan deceptus, quod hujus Hereſiarchæ Liber eodem Apocalypſis titulo inſcriberetur.

Verum S. Juſtinus (10), & S. Irenæus (11), Cajo vetuſtiores, S. Joannem Chriſti Apoſtolum ejus Authorem teſtantur. Tertullianus (12), S. Hippolytus (13), Origenes (14). S. Victorinus (15), Euſebius (16), S. Athanaſius (17), S. Hilarius (18), S. Baſilius (19), S. Gregorius Nyſſenus (20), S. Ambroſius (21), S. Paulinus (22), S. Epiphanius (23), S. Hieronymus (24), S. Auguſtinus (25), & alii veluti canonicam S. Joannis Scripturam allegant; quæ etiam ab aliis plurimis, nempe S. Clemente Alexandrino (26), S. Cypriano (27), Firmico Materno (28), S. Macario Ægyptio (29), S. Paciano (30), & aliis veluti Scriptura Sacra, Authoris tamen ſuppreſſo nomine producitur. Quidam denique nil Joannis nomini addentes, S. Joanni tribuunt. Hujuſmodi fuere Theophilus Antiochenus Epiſcopus, S. Clemens Alexandrinus (31) Apollonius (32), Author Tractatus adverſus Novatianos apud S. Cyprianum, S. Methodius (33), S. Athanaſius (34), S. Phœbadius Ageni Epiſcopus (35), S. Gregorius Nazianzenus (36) Rufinus (37), Concilium Carthaginienſe tertium (38), & Innocentius I. (39). Poſt tot, tantaque teſtimonia, an Apocalypſis canonica ſit, an S. Joannes Evangeliſta ejus fuerit Author, jure ne quis dubitaret?

Ipſi Proteſtantes ambigentibus licet primtibus illis Sectæ Auctoribus, eam nihilominus ultro recipiunt, Beza præterea ſtrenue tuetur, & difficultatibus ab adverſariis productis ſtudioſe reſpondet. Argumenta Dionyſii Alexandrini in dubium revocantia, num Opus Joannis ſit, facile corruunt; ſtilus enim a ceteris Joannis Scripturis abhorret quidem, ſed non multum; quædam vero, quæ præfertur varietas, in rerum diverſitatem eſt referenda. Sulpicius Severus (40) certam adeo ejus authoritatem ducit, ut eam rejicientes aut impios, aut ſtultos appellet. *A pleriſque aut ſtulte, aut impie non recipitur.* S. Joannes verbis, quæ ſibi tantummodo congruunt, ſeſe ibi exhibet (41): *Ego Joannes... fui in inſula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu.* Et alibi (42): *Qui teſtimonium perhibuit verbo Dei, & teſtimonium Jeſu Chriſti quæcumque vidit.* Quæ quidem iis reſpondent, quæ S. Joannes in Evangelio ſcripſit (43): *Et qui vidit, teſtimonium perhibuit : & verum eſt teſtimonium ejus.* Verba denique ibi occurrunt Sancti Joanni peculiaria, quibus Filium Dei *Agnum* (44), *Verbum* (45) appellat.

Sententiam, quæ Apocalypſim Cerintho adſcribit, retundere ſupervacaneum ducimus, cum hujus Hæreſiarchæ errores ab ea validiſſime oppugnentur. *Theologi* etiam cognomen (46), quo ejus Author inſcribitur, a S. Joanne ſcriptam oſtendit; ita enim, quod præ ceteris ſublimius de Divinitate ſcripſerat, a Veteribus appellari conſuevit. Vulgata Apoſtolum tantummodo inſcribit. Variant Græca Exemplaria; nonnulli etiam Theologi nomini Apoſtolum & Evangeliſtam apponunt. Apocalypſis denique doctrinæ puritate, & excellentia, vaticiniis de futuro Eccleſiæ ſtatu eventu omnino adimpletis, omnes Divinitatis Characteres oſtentat. Nullum enim nobis Operis inſpirati & Divini certius argumentum, quam futurorum per eventum impleta prædictio (47). Nil præterea in Apocalypſi, quod Sancti Joannis vitæ & doctrinæ adverſetur. In ea denique S. Joannes veluti Eccleſiæ Aſiæ Apoſtolus & Præſul loquens inducitur (48), ſuas de Divinitate ſententias præſtan-

---

(1) *Epiphan. hæreſ.* 52. *c.* 3. *p.* 423. (2) *Hieronym. Ep.* 129. *ad Dardan. Quod ſi epiſtolam ad Hebræos Latinorum conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum quidem Eccleſiæ Apocalypſim Joannis eadem libertate ſuſcipiunt : & tamen nos utraque ſuſcipimus, nequaquam hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum authoritatem ſequentes, qui plerumque utriuſque abutuntur teſtimoniis* (3) *Laodicen. Concil. c.* 60. (4) *Cyrill. Jeroſol. Catech.* 4. (5) *Greg. Nazianz. cap.* 34. (6) *Amphiloc. in Catalog.* (7) *Epiphan. hæreſ.* 52. *cap.* 32. (8) *In explicat. Pſal* 1. *in nov. edit. S. Hieronym. p.* 526. (9) *Mill. Prolog. in Apoc.* (10) *Juſtin. Dialog. cum Tryph.* (11) *Iren. lib.* 5. *cap.* 1. *& apud Euſeb. lib.* 4. *cap.* 8. *&c.* (12) *Tertull. Scorpiac. cap.* 12. *contr. Marcion. lib.* 3. *cap.* 24. *Præſcrip. cap.* 33. (13) *Hippolyt. Tract. contr. Noet. Bibl. PP. tom.* 15. *p.* 623. *& de Anti-Chr. p.* 48. (14) *Origen. hom.* 7. *in Joſue & præfat. in Evang. Joan. pag.* 5. (15) *Victorin. in Apoc. Bibl. PP. tom.* 1. *pag.* 576. (16) *Euſeb. Chron. anno* 14. *Domitian.* (17) *Athanaſ. in Synopſ.* (18) *Hilar. lib.* 6. *de Trinit. pag.* 44.

(19) *Baſil. in Eunom. lib.* 2. (20) *Nyſſen. hom. de ordinat. ſua.* (21) *Ambroſ. in Symbol. cap.* 27. *& Ep. Chromat.* (22) *Paulin. Epiſt.* 24. (23) *Epiphan. hæreſ.* 51. *cap.* 32. (24) *Hieron. in Catalog. & in Ezech.* 43. (25) *Auguſt. Tract.* 13. *&* 36. *in Joan.* (26) *Clem. Alex. Pædag. lib.* 2. *cap.* 10. (27) *Cyprian. Epiſt.* 63. (28) *Firmic. Matern. contr. Idol. cap.* 20. (29) *Macar. hom.* 30. (30) *Pacian. Epiſt.* 1. *Bibl. PP. tom.* 3. (31) *Clem. Alex. lib.* 6. *Stromat.* (32) *Apoll. lib.* 5. *ad Novat. cap.* 18. (33) *Method. apud Phot. Cod.* 234. (34) *Athanaſ. Orat.* 3. *contr Arian.* (35) *Phœbad. contr. Arian. ibid. tom.* 4. *Bibl. PP p.* 275. (36) *Nazianz. orat.* 32. (37) *Rufin. Expoſit. Symbol. apud. Cyprian. pag.* 541. (38) *Concil.* 3. *Carthag. ann.* 397. *can.* 47. (39) *Innoc. I. Epiſt.* 3. *cap.* 7. (40) *Sulpit. Sever. Hiſt. lib.* 2. (41) *Apoc.* 1. 9. (42) *Apoc.* 1. 2. (43) *Joan.* 19. 35. (44) *Apoc.* 5. 7. *&c. Confer cum Joann.* 1. 29, 36. (45) *Apoc.* 19. 13. *Confer. cum Jo.* 1. 1. *& cum* 1. *Jo.* 1. 1. *&* 5. 7. (46) *Titul. in editio.* (47) *Iſai.* 41. 23. *Annunciate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis vos.* (48) *Hier. in Catalog. in Jo.*

ſtantiſſimas exhibet, & propheticarum, atque Judæorum conſuetudinum peritiſſimum ſe oſtendit.

ARTICULUS IV.

Quo tempore, loco, & idiomate ſcripta Apocalypſis. De ſtilo judicium.

Apocalypſim in Pathmos Inſula ſcriptam fuiſſe, ab ipſo ejus Authore docemur: *Ego*, inquit, *fui in Inſula, quæ appellatur Pathmos, propter verbum Dei, & teſtimonium Jeſu* (1). Qui eam adſcripſere Cerintho, Joannis nomine ab eodem editam forte putarunt; Cerinthum enim numquam in Pathmos exulaſſe certo ſcimus; Veteres autem de S. Joannis in eadem Inſula exilio vulgo omnes meminere; idque etiam S. Irenæus (2), Euſebius (3), S. Hieronymus (4), S. Victorinus (5), & alii plurimi teſtantur. Solus Epiphanius S. Joannis exilium Claudio, non vero Domitiano, imperante collocat; cui, ut oſtendimus, & Grotius adhæſit. Ligfuotus, & Hammondus Grotio ſubſcribunt. Salmeron, Hentenius, & P. Puſſinus Apocalypſim ante Jeroſolymæ excidium conſcriptam tuentur. Vulgo tamen & Veteres, & recentiores Interpretes inter Chriſti annos *94.* & *96.* exaratam ſtatuunt. Illis ſub Domitiano ſcripta eſt, his poſt ejuſdem Imperatoris interitum, cum Sanctus Joannes reſtitutus eſt. Addit Grotius, Euſebii teſtimonio aſſertum eſſe, quod Sanctus Joannes ſuam Apocalypſim Epheſi ediderit; qua de re nil prorſus apud Euſebium. Verum S. Victorinus Petavienſis Epiſcopus ab Joanne poſt exilium editam arbitratur (6).

Scaliger (7) Apocalypſim primo Hebraice exaratam credidit, cui quidem a nemine adhibita fides. Omnes omnino Græce ſcriptam vel putant, vel affirmant; quod Textus ipſe ſatis oſtendit. Deus enim ibi pluries de ſe ipſo enunciat; *Ego ſum Alpha & Omega.* Id autem Hebraice neque ſignificaret, neque perciperetur, cum *Omega* non modo non ſit literarum Hebraicarum poſtrema, verum etiam ad Hebraicum Alphabetum nullatenus pertineat. Sanctus Dionyſius Alexandrinus (8) Evangelii & primæ S. Joannis Epiſtolæ ſtilum ab Apocalypſi abhorrere penitus aſſerit. Illa enim, addit, phraſium elegantiam, & ſermonis puritatem barbariſmis, ſolœciſmis, & idiotiſmis prorſus immunem præſerunt; quippe Deus ſcientiæ & eloquentiæ munere Diſcipulum Dilectum inſtruxerat. Hæc veró elocutionem non omnino Græcam, quandoque etiam barbariſmis, vel ſolœciſmis vitiatam exhibet. Se demum ab exemplis ea de re producendis ob reverentiam abſtinere concludit, cujus præterea idcirco tantum ſe meminiſſe teſtatur, ut & ſtudioſe rem perpendiſſe, & ſtili veritatem ſe comperiſſe palam omnibus faceret.

Si ſtili diverſitas Opus aliquod ab Authore aliquo certo abjudicaret, Apocalypſis S. Joanni utique adſcribenda non eſſet. Plurima vero, ætas nempe, temporum circumſtantiæ, animi genius, rei, de qua agitur, argumentum ad ſtili varietatem quammaxime conferunt. Tria Salomonis Opuſcula, ſingula peculiarem præferunt elocutionem: gravem, & ſententiis refertam Proverbia; fortem & argumentis revincentem Eccleſiaſtes, ſuavem, accuratam, vividam Cantica Canticorum. Præterea in Pathmos Inſula, ibi enim cum Patrum pleriſque, & ferme ſingulis, Apocalypſim a S. Joanne editam ducimus, eadem, quæ Epheſi, præſto ei non erant auxilia, quibus per Viros peritiores & ſtilum expoliret & opus caſtigaret.

Apocalypſis artificium atque venuſtas Doctiſſimis plurimis in admiratione fuere. S. Hieronymi laudes ſupra jam retulimus. S. Dionyſius Alexandrinus Opus, quantum ad rem ipſam, plurimum commendat. Henricus Morus (9) tanti Apocalypſim pendit, ut ejus artificium & venuſtatem omnibus præferat: *Nullus unquam Liber majori cum artificio ſcriptus eſt, unoquoque verbo velut in bilance penſitato.* Abbas du Pin (10) hujus voluminis ſingula verbis ampliſſimis effert, ſublimem & propheticum ſtilum, narrationes omnes & deſcriptiones præclaras, grandes, & phraſibus propheticis expreſſas. Permaximo, ſubdit, artificio elaboratum eſt; Veteris Teſtamenti figuras ſibi egregie accommodatas exhibet; Veterum Prophetarum phraſes ad rem ſummopere uſurpat. Cœlum & terra viſionibus ſingulis theatrum, Dominus vero, Agnus, Angeli, inferorum Poteſtates, mundi Reges, Idololatria in ſcenam inducuntur, & ſingula ad vivum perſonam agunt ſuam, ut Lectorum animi ab iis tamquam vi quadam ſenſibili commoveantur. Narrationes demum, ſimplici licet & naturali methodo expoſitæ, ſublimitatem, phraſes vero undique magnificentiam referunt. Si quid obſcurum, non ad verba, ad res tantummodo referendum.

Si hujus præſtantiſſimi Viri judicio & noſtram ſententiam nobis liceat adjungere, cum Apocalypſim ſuſcepimus explicandam, nullo in illam inclinantis ingenii momento ferebamur; eam enim veluti ænigma humana inquiſitione, niſi divina opitularetur revelatio, nunquam ſolvendam animis noſtris reputabamus: omneſque Interpretes nobis veluti homines effingebamus, qui tenebris undique offuſi, quo forte feruntur, incedunt. Re vero ſtudioſe perſpecta eam operis venuſtatem tandem agnovimus, ut eam elegantiſſimis Danielis, Iſaiæ, Jeremiæ, Ezechielis locis jure merito poſſis comparari: nil profecto nobis occurrit, quod noſtram in ſe non converterit admirationem. Sive ordinem, & rerum delectum; ſive lumen in obſcura quædam loca opportune effuſum, & eventus ingeniis nobilibuſque figuris mirifice contectos; ſive ſexcentis propemodum in locis, quæ micant in Prophetis & in Templi ritibus ſingularia magnificis alluſionibus expreſſa; ſive denique pulcherrimas deſcriptiones ad timorem una & reverentiam in Lectorum animis concitandam idoneas advertamus, omnia magnificentiam referunt, & venuſtatem. Divina ibi Majeſtas, infinita ejus Potentia, & in Reges, Imperia, orbemque univerſum Dominium ſupremum vividis coloribus exhibentur. Narrationes graves, vividæ, variæ, & ingenioſæ. Vividiorem hac poeſim numquam agnovimus, nil enim irritum, nihil otioſe poſitum offendimus; eorumque, ad quæ Apocalypſis reſpicit, veſtigia ita dilucide perſpicimus, ut hiſtoriam figurate contextam, ſeu poeticis ornamentis inſtructam perlegere reputemus.

ARTICULUS V.

Apocalypſis argumentum & conſpectus.

Trifariam Apocalypſis dividi poteſt. Prima tria capita ad ſeptem Aſiæ Eccleſias reſpiciunt, quibus excolendis S. Joannes potiſſimum inſtitit, quibuſque vel ex Inſula Pathmos, ubi exulabat, gubernandis incubuit. Sexdecim ſuccedentia capita calamitates & bella, quibus e ſuis perſecutoribus Eccleſia confecta eſt; victorias, quas de illis retulit; ultionem denique, quam ab hoſtibus propter cæſos Martyres Deus exegit, complectuntur. Tria demum poſtrema ad Filii Dei triumphum pertinent; quibus etiam Beatorum Martyrum felicitas, Judicium poſtremum, mortuorum reſurrectio, Juſtorumque in Cœlis æterna voluptas deſcribuntur.

Tribus primis capitibus ad Epheſi, Smirnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, & Laodiceæ Eccleſias propheticam inſtructionem contineri, vulgo conveniunt; quamquam plures Interpretes in iiſdem myſteria inveſtigant, & monita ad ſeptem Eccleſias ita directa, ut ad futuros etiam eventus & ad totam

(1) *Apoc. 1. 9.* (2) *Iren. l. 5. c. 30.* (3) *Euſeb. in Chronic. ad ann. 14. Domitian.* (4) *Hier. in Catalog.* (5) *Victorin. in Apocal.* (6) *Victor. Petav. in Apocal. p. 579. D.* (7) *Scaligerina.* (8) *Dionyſ. Alex. apud. Euſeb. hiſt. Eccl. l. 7. c. 25.* (9) *Henric. Morus Viſion. Apoc. l. 5. cap. 15. in Synopſ. p. 1661.* (10) *Du Pin Apocalypſ. p. 254.*

Digitized by Google

totam Eccleſiam pertinere tuentur. Tria vero poſtrema ad Mundi interitum, & ad Beatorum in cœlis felicitatem, nullum eſt omnino diſcrimen. Tota igitur interpretationis difficultas ſecundam hujus diviſionis partem afficit, & in eo ſita eſt, ut non modo generatim, hac enim ratione vix inter Authores diſſidium, verum etiam peculiariter S. Joannis vaticinia in hiſtoriis completa eſſe oſtendantur, ab anno 303. quo maxima Diocletiani & Galerii cœpta eſt perſecutio, uſque ad annum 410. quo Romam Alaricus oppugnavit. Hujus perſecutionis veluti præludia habendæ ſunt ceteræ, quas Judæi, Præfecti, Imperatores Romani, & Idololatræ ceteri in Eccleſiam excitarunt.

Quartum caput Præfationis vices gerit, qua Dei Majeſtas, & veluti ſcena, ubi hæc acta eſt viſio, deſcribitur. Dei decreta atque conſilia a Jeſu Chriſto S. Joanni revelata, per Librum ſeptem conſignatum ſigillis, & ab Agno reſignatum, quinto capite exhibentur. Dum ſigilla ſingula (cap. 6. & 7.) aperiuntur, eventus ab eorum quolibet connecti patefiunt, ſeu potius quæ deinde eventura ſunt, prænunciantur. Primo reſignato ſigillo, Jeſus Chriſtus albo equo inſidens ſeſe victorem exhibet, ut famulis ſuis addat alacritatem: *Confidite: ego vici mundum* (t). Secundo bellum, a quo Eccleſia vexanda eſt; tertio, caritas qua premendum eſt Imperium; quarto peſtis, ſeu mortalitas prædicuntur. Quinto SS. Martyres ultionem expetunt. Sexto concutitur tellus, tenebris Sol, Luna ſanguine offunditur, cadunt ſidera &c. quæ omnia calamitates referunt, quibus Roma, Romanum Imperium, & Eccleſiæ perſecutores obruti, propter immanes Fidelium cædes, corripiuntur. En totius Apocalypſis generale argumentum. Singula vero conſequentibus capitibus peculiarius oſtenduntur. Huc uſque eorum, quæ ventura ſunt, veluti contracta tabola viſa eſt, atque adumbratio: eadem deinde fuſius, atque ampliora exhibentur; Prophetia enim gradatim clareſcit; quo vero ulterius progredimur, eo Spiritus Sancti majori luce perfundimur.

Cap. 7. ad magnum aliquid aſpiciendum inſtruimur quatuor Angelorum repræſentatione, qui ventis ſingulis dominantes, ventorum impetum cohibere jubentur, quoſque Dei ſignum in omnium Electorum frontibus imprimatur; ſtatimque eodem Dei ſigillo innumeri notantur. Angelus deinde (cap. 8.) ſigillum ſeptimum reſignat; quo aperto ſeptem Angeli totidem videntur tubis inſtructi. Prima clangente tuba tertia terræ pars exuritur. Ignis bellum deſignat. Clangit tuba ſecunda, & mons in mare dejicitur. Judæorum ultimo ſub Trajano & Adriano a Romanis deficientium ſupremum excidium, per eum montem in mare dejectum exhiberi putamus. Tertia clangit tuba, & ſidus e cœlo cadit, venenoque flumina inficiuntur. Quo forte ſidere falſus Sideris filius Barchochebas exprimitur, qui Judæos adverſus Romanos excitavit; quæ defectio Romanis quidem noxia, ſed Judæis exitialis.

Quarta clangente tuba Sol & Luna tertiam ſuæ claritatis partem amittunt; quibus vel primæ hæreſes, quæ Eccleſiam teterrime obumbrarunt, vel Judæorum infortuna, vel Romani Imperii calamitates deſignantur. Poſt hæc auditur Aquila, quæ gravioribus terram obruendam eſſe malis, ubi quatuor ſuperſtites Angeli ſonitum edant, voce magna intentat. Clangit tuba quinta (cap. 9.), ſtatimque ſtella de cœlo delapſa oſtium abyſſi recludit; unde innumeræ locuſtæ egreſſæ, omnem omnino terram populantur. Barbari, qui poſt Conſtantini, ejuſque filiorum obitum, Romanum invaſerunt Imperium, his locuſtis referuntur; quorum quidem populorum characteres per earumdem locuſtarum figuram optime exhibentur. Prophetæ ad Dei Majeſtatem efferendam figuratos ſermones ſæpiſſime uſurpant. *Sibilabit Dominus muſcæ*, inquit Iſaias (a), *quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur, & venient, & requieſcent omnes in torrentibus vallium &c.* quibus utique verbis Ægyptias & Aſſyrias acies deſignavit.

Diſſert. Calmet Tom. II.

Clangit ſextus Angelus, & ſtatim voce ex aureo Altari egreſſa juſſus ſolvit quatuor Angelos, qui utrique Imperio Parthorum, & Romanorum præſidio erant. His utriuſque Imperii exercitus referuntur; quorum pacem ab anno 320. uſque ad 337. utrinque mutuo habitam Sapores diremit. Conſtantinus, antequam bellum adoriretur, interiit; cujus deinde impetus repulit Conſtantius, quin ulla unquam memoranti clade conficeretur. Verum Julianus interemptus occubuit, ejuſque exercitus prope fuit, ut ab hujuſmodi Imperatoris imprudentia atque temeritate ad poſtremum exitium perduceretur. Antequam tuba ſeptima clangat, ſeſe Angelus exhibet, (Cap. 10.) qui manibus libellum præferens, S. Joanni tradit devorandum. Quo Dei de ſua Eccleſia conſilia S. Joanni revelata oſtenduntur.

Tum ipſe Joannes juſſus eſt (cap. 11.) Templum metiri, præter atrium exterius, & Civitatem Jeruſalem, quod hæc menſibus 42. ſeu diebus mille ducentis ſexaginta, ſeu annis tribus cum dimidio a Gentibus eſſent proterenda. Hic Diocletiani exhibita perſecutio. Tum ſane Chriſti Eccleſia, ejuſque Templum quod ad exteriora attinet, Ethnicorum poteſtati tradita videbantur. Hi enim Eccleſiis everſis, Fidelibus obrutis, eorumque plurimis, vel quod infirmi eſſent, vel temerarii, ad Apoſtaſiam perductis, innumeros etiam peremere martyrio; quos Martyres duo Teſtes deſignant, qui poſtquam perplurima præſtitere prodigia, a Chriſti hoſtibus interfecti occubuerunt. Hanc procellam conſequuta eſt tranquillitas. Conſtantinus Imperium in ſui ditionem prorſus redegit; Eccleſia paci reſtituta eſt; Martyres demum & Cœlum & tellus meritis honoribus cumularunt. Verum ut ea tranquillitate Eccleſia potiretur, plurima bella, per terræmotus decimam Urbis partem evertentis ſpeciem in Apocalypſi deſignata, Conſtantino & obeunda & ſuſcipienda fuere.

Quæ Capitibus 10. & 11. quorum modo epitomen recenſuimus, referuntur, illud tantummodo præſtant, ut majori perfundantur lumine, quæ ſubobſcure per ſex Angelos clangentes deſignata fuerant. Ab utroque hoc capite harum prædictionum ſolutionem haurimus, & quare tot calamitates Imperium obruerint, clarius percipimus. Septimus tandem Angelus (cap. 11.) clangorem edit, lætaque vox inſonat, qua Dei Filius victoriam & Regnum conſequutus denunciatur. Hæc pax Eccleſiæ per Conſtantinum.

Eccleſiæ perſecutiones, quas ſeptem ſigillorum, totidemque tubarum figuræ rudius retulerant, conſequentibus capitibus exhibentur expreſſius. Per mulierem Sole amictam (cap. 12.) partui proximam, quam una cum filio ſeptem capitibus inſtructus Draco devorare intentat, Jeſu Chriſti Eccleſia præfertur. Septem Draconis capita ſeptem Imperatores Eccleſiæ perſecutores oſtendunt, videlicet Diocletianum, Maximianum, Herculem Galerium, Maximinum, Severum, Maxentium, & Licinium. Eccleſia perſecutionibus invitis feliciſſime enititur: ut vero a furentium hoſtium impetu ſeſe ſubducat, in deſertum aliquandiu perfugit, & ab inſequentis Draconis conatibus evadit incolumis.

Ut vividius adhuc tum Joannis Spiritui, cum Lectorum animis res eadem exhibeatur, beſtia ſepticeps e mari egrediens, in quam Draco omnes ſuas vires confert, capite 13. inducitur. Beſtia Romam, ſeu Romanum Imperium exprimit. Ex capitibus ſeptem, quinque ſtatim corruunt, quod Diocletianus, Maximinus, Galerius, Severus, Maxentius minus diu imperarint. Maximinus vero malis plurimis Eccleſiam in Oriente confecit. Sexto hoc deleto capite, ſeptimum aſſurgit, quod brevi evertitur, puta Licinium. Egreditur tandem octavum, nempe Apoſtata Julianus, qui eodem hoc cap. 13. per beſtiæ duobus cornibus Agni ſimillimis inſtructæ ſpeciem exhibetur. Ea omnia, quibus veluti coloribus Julianus ab Joanne deſcribitur, per hiſtoriam mirifice adimplentur. Hoc 13. caput cum 17. in quo fuſius explicatur, conferendum.

R Jeſu

(t) *Joann.* 16. 33. (a) *Iſai.* 7. 18.

Jeſu Chriſti & Martyrum victoria, æterni Evangelii per orbem univerſum confirmatio, & de Roma infideli ultio exacta, meſſis & vindemiæ ſpecie expreſſa, Capite 14. oſtenduntur. Septem Angeli totidem phialas (cap. 15.) ira Dei plenas in Jeſu Chriſti, & Eccleſiæ hoſtes effundunt (cap. 16.). His forte innuuntur calamitates, quæ poſt Conſtantini, ejuſque filiorum obitum Imperium obruerunt. Hæc luculentius in Commentario videnda. Cap. 17. magnam inducit meretricem, Regum terræ Dominam, ſeptem montibus inſidentem, & Martyrum ſanguine perfuſam, quæ myſtice Babylon appellatur, quæque proſtitutionis ſuæ mero populos omnes inebriat: quibus omnibus Romanum Imperium, ſeu Roma perſpicue deſignatur; ſinguli enim hi characteres nonniſi Romæ infideli, velati Romani Imperii Metropoli congruunt. Hæc magna meretrix ſepticipiti beſtiæ inſidet. Beſtia interficitur, ejuſque ſeptem capita ſeptem Imperatores Eccleſiæ perſecutores, octavum vero Julianum Apoſtatam exhibentia, evertuntur. His decem cornua ſuccedunt, nempe Barbarorum Reges, qui in Romano Imperio ſibi ſedibus conſtitutis, Romanæ Religionis ritibus, atque moribus adhærere decreverant. Hi primum in Eccleſiam & Agnum arma ſua verterunt; demum vero profligati ſe Fidei dedere, & ei, quem inſequuti fuerant, cultum venerationemque adhibuere.

Caput 18. bellorum omnium, omniumque minarum, quas hucuſque vidimus, veluti concluſio. Babylon evertitur; Domini populus incolumis egreditur; nationes, & longinqui Reges ejus excidium plorant, execrantur alii, ejuſque infortuniis inſultant. Alaricus Roma capta Sanctos & Martyres ulciſcitur. Chriſti de hoſtibus ſuis victoria; de Roma, Romaniſque Imperatoribus ultio; Agni denique Nuptiæ, & Sanctorum, qui ad has nuptias vocantur, felicitas confuſe capite 19. deſcribuntur.

Tria cetera Capita 20. 21. 22. ad alteram vitam, & ad mundi exitum reſpiciunt. Idololatriæ Imperio averſo, & Martyrum ſanguine vindicato, ab Angelo Draco ſeu Diabolus catena devinctus in abyſſum ad mille annos detruditur; quibus peractis, iterum ſolutus, Gog & Magog adverſus Chriſtum & Eccleſiam concitat; utrumque vero ignis de cœlo delapſus abſumit. Hæc ſub mundi exitum Anti-Chriſti adventum referunt. Demum ſupremus Judex coram ſuo Tribunali omnes homines ſiſtet, quorum alios, ut ſingulorum opera poſtulabunt, præmio, alios ſupplicio mancipabit.

Cœlis, terriſque (cap. 21.) innovatis, Chriſti Sponſa, nova Jeruſalem, Catholica Eccleſia de Cœlo ad ſponſum advenit; Eorum nuptiæ celebrantur. Hac nova Sponſa ditius nil uſque venuſtius. Electi omnes convivio interſunt. Urbem mediam (cap. 22.) deliciarum fluvius interſecat, & ſecus fluvium plurimæ, quæ immortalitatem afferunt, arbores aſſurgunt. Per has magnificas ſpecies, poſt generalem reſurrectionem, æterna Beatorum in Cœlis voluptas exhibetur. Hæc totius Libri œconomia.

ARTICULUS VI.

Apocalypſes Apocryphæ Apoſtolis S. Joanni, S. Petro, S. Paulo, S. Thomæ, S. Stephano &c. falſo adſcriptæ.

IMpoſtores, qui Epiſtolas, Acta, & falſa Evangelia Apoſtolorum nomine ſuperpoluerunt, iiſdem & revelationes, ſeu Apocalypſes falſas adſcripſere. Extat in Vindobonenſi Bibliotheca (1) Codex Græcus manuſcriptus, qui ita inſcribitur: *Apocalypſis S. Joannis Theologi, de Anti-Chriſto. Poſt Aſcenſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, cum eſſem ſolus, ego Joannes, in monte Thabor &c.* Hunc vero Librum Veterum nemo agnovit; eo propter nihili habendus.

Falſa S. Petri Apocalypſis celebrior eſt, atque vetuſtior: ejus enim apud Theodorum ſecundi ſæculi Scriptorem (2), apud S. Clementem Alexandrinum (3), Euſebium (4), Hieronymum (5), & alios Veteres mentio. In Palæſtinæ Eccleſiis hæc, teſte Sozomeno (6), ſingulis annis Paraſceves die legi conſueverat; qua prætereà die omnes Paſſionis Dominicæ obſequio cibis abſtinebant. Et nunc apud Ægyptios hunc Librum venerationi haberi, & in Eccleſiis legi ferunt (7), quod prorſus incertum. Jacobus Vitriacus ſæculi 13. Author, Petri quamdam Apocalypſim allegat, quæ ita inſcribitur: *Revelationes Beati Apoſtoli S. Petri, a S. Clemente ejus Diſcipulo in volumen digeſta.* Hujus Author de Agarenorum, ſeu Turcarum legis everſione, & de proximo Paganiſmi excidio Petrum meminiſſe teſtatur. Ea, quam Veteres allegant, hanc Apocalypſim jure-merito recentiorem putamus; quare minor etiam eidem fides.

S. Paulus [8] uſque ad tertium Cœlum, ſeu in Paradiſum ſe raptum & mirabilia, quæ fieri nequit ut ab homine proferantur, ſe vidiſſe fatetur. Hujus occaſione raptus, Cainitæ [9] nefarium contexuere Librum, quem *Sancti Pauli Anabaticum* appellatum Sancto Paulo adſcripſere. Eo Gnoſtici etiam utebantur.

S. Auguſtinus [10] cujuſdam S. Pauli Apocalypſis fabellis undique refertæ meminit, qua Apoſtoli ineffabilia referre dicuntur. Sozomeno teſte [11], quamdam Sancti Pauli Apocalypſim plurimi quinti ſæculi Monachi permagni faciebant, quam arca marmorea conditam Tharſi Ciliciæ in ædibus S. Pauli, Theodoſio I. imperante inventam oſtentabant. Quamobrem Sozomenus veritatis indagandæ cupidus, optimum quemdam Senem Tharſenſis Eccleſiæ Presbyterum conſuluit; a quo hujuſmodi quicquam apud ipſos non accidiſſe, & forte id eſſe hæreticorum commentum, accepit. Eam prætereà Veteribus prorſus incognitam aſſerit. Quamobrem alia eſt ab Aſcenſione, ſeu Apocalypſi Sancti Pauli, cujus apud Epiphanium & Auguſtinum mentio. Et profecto credi facile non poteſt, quod Monachi Sozomeno coævi tanti eam feciſſent, ſi tot, quot hi Patres teſtantur, fabellis redundaſſet.

Oxonii in Bibliotheca Mertoniana Manuſcriptum, *S. Pauli revelatio* inſcriptum, D. Grabe invenit [12], quo ea, quæ per triduum, poſtquam reſipuit, Apoſtolus viderat, referuntur: quo triduo S. Michael Inferni & Purgatorii pœnas Paulo videndas exhibuit: Paulus vero iis animabus a Deo veniam obtinuit, quæ deinceps qualibet die Dominica in Purgatorio excruciandæ reperirentur; quod utique ſolum deliramentum & novitatem, & una Operis falſitatem comprobat.

Cerinthus, primi ſæculi hæreſiarca nequiſſimus ſuam edidit Apocalypſim [13], qua ſibi veluti Apoſtolo præſtantiſſimo, ſublimia plurima ab Angelo revelata oſtentat. Poſt reſurrectionem terreſtre Jeſu Chriſti Regnum Jeroſolymis conſtituendum præſertim aſſerit; quo in Regno ad annos mille inter ſenſuum voluptates protrahendo, homines, quemadmodum nunc in præſentia, vitiis, & concupiſcentiis iterum ſubjicientur. Hinc forte factum eſt, ut Veteres nonnulli [14] veram S. Joannis Apocalypſim Cerintho tribuerint; utque alii, an Joannis vere fuerit, dubitarint [15]. Indu etiam

(1) *Apud Lambec. Cod.* 119. *fol.* 118. 125. (2) *Vide Grabe Spicileg. tom.* 1. *pag.* 74. *apud Clem. Alex.* (3) *Vide Euſeb. lib.* 6. *cap.* 14. (4) *Vide Euſeb. lib.* 3. *hiſt. c.* 2. (5) *Hieron. Catalog. Scriptor. Eccleſ. de Sancto Petro* (6) *Sozomen. lib.* 7. *cap.* 19. *Vide & Nicephor. lib.* 12. *cap.* 34. (7) *Prateolus Elench. hæreſ. pag.* 538. *Petr. de Luxemburg. Cathalog. hæreſ. lib.* 2. (8) 2. *Cor.* 12. 2. *&c.*

(9) *Epiph. hæreſ.* 38. *cap.* 2. *pag.* 277. (10) *Auguſt. in Joan. hom.* 98. (11) *Sozom. lib.* 7. *cap.* 19. (12) *Grabe Spicileg. Patr. tom.* 1. *pag.* 85. *ex Biblioth. Merton. Cod.* 13. 2. *art. fol.* 77. (13) *Euſeb. hiſt. Eccl. lib.* 3. *cap.* 28. *ex Cajo Rom. Eccleſ. Presbyt. Theodoret. Hæret. Fab. l.* 2. *c.* 3. (14) *Vide Philaſtr. hæreſ.* 69. *& Epiphan. hær.* 50. *Quidam apud Dionyſ. Alex. apud. Euſeb. l.* 7. *c.* 25. (15) *Dionyſ. Alex. apud. Euſeb. l.* 3. *c.* 39. *alii.*

etiam de canonica ejus authoritate dubium invectum, quod millenario Regno per eamdem exhibito Hæretici abuterentur. Quædam demum ſimillimi ſpecies, quam eo de millenario vera Apocalypſis cum falſa præfert, in cauſa fuit, ut vererentur plurimi, ne utramque confunderent, & Cerinthi commentum, veluti Joannis revelationes, exciperent.

Anno 1591. novam quamdam Apocalypſim plumbeis laminis inſculptam, ab iis, quas hucuſque recenſimus, prorſus aliam, Granatæ in Hiſpaniis repertam ferunt. Hiſpani quidam Authores Cæcilio Sancti Jacobi Majoris Diſcipulo, quem Hiſpaniarum Apoſtolum vocant, eamdem adſcribunt (1). Cæcilius ſecundo Neronis anno martyrio abſumptus eam, inquiunt, Hiſpanice vertit, & commentariis adauxit. Plura de Mahometi Imperio, & de ejus ſectatorum vaſtationibus, quibus obruendæ erant Hiſpaniæ, ibi occurrunt vaticinia. Qui vero S. Cæcilius tandiu antequam hiſpanicum idioma inſtitueretur, Hiſpanice ſcripſerit? Quod, inquit Franciſcus Bivarius (2), novi, exteri, & adhuc occulti idiomatis donum divinitus acceperit; ſeu quod, juxta Gregorium Lopez (3), Chriſti & Apoſtolorum ætate Hiſpanorum idioma uſu jam convaluiſſet, quod deinceps plurimis Arabum verbis immixtum deſiit. Verum hæc ab ipſis Hiſpanorum ſapientibus improbata, & a Summis Pontificibus damnata deliramenta prætereamus (4).

Utramque Apocalypſim, quarum alteram Sancti Thomæ, alteram Sancto Stephano Protomartyri tribuunt, Gelaſii Decretum rejicit. Hanc poſtremam Manichæi, ut Serapion teſtis eſt, tanti habebant, ut femori inſcriptam gererent (5); quamquam id in editis Scriptoris hujus Exemplaribus non occurrit (6).

D I S S E R T A T I O
QUA HEBRÆORUM HISTORIA
Ceterarum Nationum Hiſtoriis præſtare oſtenditur.

DE totius orbis hiſtoricis monumentis modo nobis quam alias unquam pronius eſt judicare, cum eorum nulla, quantum credere par eſt, hodie nos lateant, & quidquid ad eorum originem & hiſtorias attinet, vulgata ſint omnia. Quamvis enim gentes quædam in remotiſſimo vel Africæ ver. gr. vel Americæ, vel Auſtralium regionum ſinu nobis abderentur incognitæ, nil ſane producere poſſent, quod præ celeberrimis Ægyptiorum ver. gr. Chaldæorum, Indorum, Perſarum, & Americanorum hiſtoriis, majorem præferret authoritatem. Nos igitur nationum nullam de ſua origine, & vetuſtate, quin ad ſacros Hebræorum Libros confugiat, certi nil poſſe exhibere, hac Diſſertatione demonſtrandum aggredimur. Hi fontes ſunt, unde omnibus illud hauriendum eſt, quo ſingula omnia, quæ de ſuis hiſtoriis a Vetuſtis Scriptoribus referuntur, certa eſſe probentur. Nationes omnes, quæ originem ſuam ad Noe, ejuſque filios, ſeu poſteros non referunt, ſuamque ultra Diluvium, & epochas ab Judæorum hiſtoriis agnitas, vetuſtatem protendunt, hoc ipſo in falſitatis ſuſpicionem adducuntur.

Primum illud occurrit, quo Judæorum hiſtoriæ hiſtoriis ceterarum nationum potiſſimum præſtant, quod nempe per Sacros Scriptores & Prophetas Divino lumine, ne fallerentur, perfuſos, eaſdem Deus ipſe conſcripſerit. Cum igitur in hiſtoria præ ceteris facienda ſit veritas, compertum profecto, Judæorum hiſtorias veritate eminere inter ceteras, quas ſæpiſſime homines vel imperiti, vel veritatis perſonandæ ſtudio detenti, ediderе; qui præterea errori quotidie obnoxii & falli poterant, & alios fallere, vel id conſulto, vel id præter animum neceſſario lumine deſtituti præſtiterint.

Verum etſi Inſpirationem Divinam, per quam ceteras omnes antecellunt hiſtorias, aliquandiu prætereamus; eaſdem nihilominus, vel nulla ſupernaturalis hujus authoritatis habita ratione, tum veritate cum authoritate ceteris omnibus præſtare perſpicue exhibemus.

Id ut plurimum in Hiſtorico exigitur, ut coævus ſit, ingenuus, peritus, partium ſtudio minime detentus, prudens, exactus, præjudiciorum immunis; odii, amoris, ſpei, timoris affectibus liber, indigena tandem non advena, aut nulla vel generis, vel nominis, vel muneris nobilitate conſpicuus. Quorum omnium vel ſingula vel pleraque in Judæorum Scriptoribus adeo congeſta intelligimus, ut vel quod decepti fuerint, vel quod nos voluerint in errorem adducere, omnis ab iiſdem ſuſpicio ſit penitus removenda. Eorum præterea narrationes ita inter ſe mutuo nectuntur; ita cum gravitate, prudentia, & conſilio cohærent; exteris aliis & authenticis hiſtoriis adeo congruunt; quoidam ingenuitatis, & veritatis ita ſibi ſimiles characteres præferunt; Hebræorum denique natio ea ſemper ingenuitatis laude apud omnes claruit, ut eorum narrationes nemo unquam impugnaverit. Hæc omnia ſimul congeſta eam ſane Hebræis Scriptoribus fidem vindicant, ut parem authoritatis gradum prophani Hiſtorici numquam potuerint obtinere.

Moyſes primus & præcipuus Hiſtoriæ Hebræorum Author (*), eximii ingenii, & præſtantis animi & ingenii vir ſpectatiſſimus, vilitatis neſcius, rerum peritiſſimus, ſapientia, pietate, Religione, integritate, & conſilio eo uſque cumulatus, ut his animi ſui dotibus undique ejus Scripta redundent. Liberorum loco a Regis Ægypti filia aſſumptus, quo non perveniſſet, ſi faventi terga ſponte vertens fortunæ ſpes Aulæ non rejeciſſet, ut de ſuorum fratrum calamitatibus partem conſequeretur? Quibus profecto fratribus juvandis adeo inſtitit, ut Regis ira in ſe concitata ſibi demum fuga fuerit conſulendum. Poſtquam vero diu abfuerat, a Deo excitatus, ut Iſraelitas Ægypti captivitate ſolutos in libertatem aſſereret, iiſdemque ad mores componendos Leges impertiret, muneri ſuo ſolerter incubuit, idemque feliciſſimo implevit eventu. His peractis, eorumdem hiſtoriam contexere aggreſſus eſt, iis coram teſtibus, qui rebus omnibus adfuerant, coram nempe hominum ſexcentis millibus in locum unum coactis, qui ejus non modo verba omnia, ſed & animi motus attendentes, eidem utique reclamaſſent, ſi, quemadmodum plura eorum honori, nomini, & propenſioni adverſa recenſuit, quid forte veritati non conſonum protuliſſet.

(1) *Vide Bivarium, Michael. de luna Bern. de Aldrede &c. apud Fabric. tom. 2. de Apocryph. pag. 963.* (2) *Bivarius Ciſterſienſ. Monach. Comment. in pſeudo Dextri Chronic. ann. 54. pagin. 110.* (3) *Gregor. Lopez Apolog. pro vera Sancti Montis Granat. antiquitate.*

(4) *Vide apud Bolland. tom. 2. Februar. pagin. 10. & tom. 7. Maji, pag. 285.* (5) *Apud Sixt. Senenſ. lib. 2. ex Serapionis Opere contr. Manich.* (6) *Imo neque apud Sixtum Senenſem, Vid. loc. cit.* (*) Librorum Moſaicorum authoritas.

Ut longiuquius hiſtoriam exorſus perfectiorem exhibeat, a mundi crepundiis ad ſuam uſque ætatem protrahit; Hebræorum Progenitores refert, eorumque genealogiam recenſet, & præcipua Patriarcharum, Joſephi potiſſimum, tanti apud Ægyptios habiti, geſta commemorat. Quæ omnia Moyſis conſiliis quammaxime conducebant; Hebræis enim & ſuam, & una nationum, cum quibus brevi vel fœdus ineundum ipſis erat, vel dimicandum, originem aperiebat; eas regiones, quarum in expeditionem progrediebantur, quod eorum Progenitoribus a Deo promiſſæ fuiſſent, ad ipſos pertinere oſtendebat; Abrahæ, aliorumque Patriarcharum plurima virtutum proferebat exempla; & eorum Patres, eorumque progeniem, ut ſibi in eis Sacerdotium & Religionem conſtitueret, a Deo potiſſimum electos commendabat. Iis præterea memorandis ſatis inſtitit, quæ cæremonias, & pios quoſdam ritus, quos ipſe iterum conſtituebat, ſeu reſtaurabat, Sabbatum v. g. & Circumciſionem, olim jam conſtitutos oſtenderet. His itaque argumentis Moyſem adductum putamus, ut ſuas Hiſtorias a Geneſi exordiretur.

Quæ in Exodo creditu difficiliora feruntur, Iſraelitæ omnes aſpexerant; quare Moyſes nec Hebræos decipere, nec Ægyptiis hoſtibus detrahere poterat. Præterea de Hebræis, & de ſemetipſo ingenue loquitur, nec illis aſſentatur, nec ſibi blanditur, eorumque & bona & mala, ut occaſio poſtulat, ſincera fide commemorat; quam quidem fidem ejus hiſtoriæ undique præferunt, & ſummam produnt integritatem. In Moyſem itaque ea omnia conveniunt; quæ omnem ab eo falſitatis, aut mendacii ſuſpicionem removent, & ejus hiſtoriam, cui certa fides adhibeatur, dignam conſtituunt.

Priores tantummodo Geneſis hiſtoriæ, quas utique per ſeipſum ſcire non poterat; aliquam forte inducant difficultatem; quam ſtatim evertimus, ſi meminerimus, 1. Moyſem duodequinquaginta annis poſt Levi obitum natum eſſe; Levi autem una cum Iſaac annos vixerat quadraginta; & Iſaac cum Abrahamo quinque & octoginta; & cum Sem, Noe filio, annos quinquaginta. Sem annis octo & nonaginta ante Diluvium jam in vivis agebat; quare Lamech viderat, & Mathuſalem, qui primum hominem noverant. Hinc fuit, ut eorum quæ vel ante, vel poſt diluvium geſta fuerant, traditio, priorum hominum diu viventium ratione habita, recens adhuc cenſeretur.

2. Rerum ante geſtarum Scripturas & monumenta jam tum non extitiſſe, non conſtat; quorum ſi quidquam vel apud Ægyptios, vel apud Judæos ſervabatur, Moyſes profecto præ ceteris noverat: optime enim ab Ægyptiis eruditus fuerat, & eorum, quæ ad Hebræorum hiſtoriam attinerent, nil penitus ignoravit.

3. Quæ a Moyſe referuntur, ea ſunt, ut facile in hominum memoria reſervarentur, v. g. Mundi creatio, Adæ lapſus, Diluvium, Turris Babel, conditum Nemrodi Imperium. Huc enim ferme omnia pertinent, quæ de ea ætate a Moyſe referuntur.

De Joſue (*) Libro, quem ipſi Joſue Iſraelitarum Duci vulgo adſcribunt, idem judicium, quod de Libris Moyſis, utique pronunciandum. Ejus enim Author iis, quæ ſcripſit, coævus, ſapiens, diligens, doctus, prudens, & Hebræi populi Dux, ea recenſuit, quæ vel ipſe geſſerat, vel teſtis oculatus aſpexerat.

Libri Judicum (†) Scriptorem Samuelem putamus, cujus quidem gravitatem, ſapientiam, doctrinam, conſilium, & qualitates ceteras ſcimus. Ex eorum, quæ ſub Judicibus geſta fuerant, monumentis Judicum Librum contexuit, quare vel his hiſtoriis coævus, vel ferme coævus cenſendus eſt. Si is etiam, ut vulgo credimus, primi Regum majorem partem ſcripſit, quæ viderat & geſſerat ſcriptis redegit. Davidis geſta a *Samuele Vidente, & a Prophetis Nathan & Gad* (1), quorum uterque Davide & Salomone imperantibus vixerant, ſcripta fuiſſe Scriptura commemorat.

Ceteros Judæorum Hiſtoricos (*) Libros ſcripſerunt Prophetæ, iis coævi Principibus, quorum geſta ediderе. Addo, & Ahias Regni Salomonis (2), Semeias & Addo Regni Roboam hiſtoriam exhibuerunt (3). Addo præterea dedit geſta Abiæ (4); Hanani ſub Aſa (5), & Jehu Hanani filius ſub Joſaphat Annales congeſſere (6). Eodem poſtremo Rege imperante, Eliezer (7) & Jahaziel (8) Prophetæ ſcripſerunt. Quæ ſub Ozia (9), & Ezechia (10) evenerant, Iſaias recenſuit, qui & plurima quæ ad Achaz attinent, exhibuit. Regni Manaſſis hiſtoriam intexuit Hoſai (*); Regni Joſiæ, & ejus Succeſſorum Judæ Regum Commentarios edidit Jeremias, cujus Prophetiæ habendæ ſunt veluti eorum narratio, quæ poſtremis Regni Judæ temporibus contigerunt. Regum & Paralipomenon Libri Judæ, & Iſraelis Regum Annales ſæpiſſime allegant, noſque ad eos veluti ad publica, certa, & authentica monumenta remittunt; quæ quidem non modo captivitatis ætate, ſed & poſt captivitatem extabant, ſi, ut veriſimilius præfertur, Regum, & Paralipomenon Libros, a quibus iidem Annales ſæpiſſime producuntur, Eſdras vere ſcripſit, ſeu verius in compendium digeſſit.

Judæis captivitate detentis, Ezechiel, & Daniel eventus plurimos protulere. Ninive Tobias, Suſis Mardochæus & Eſther Nationis Judaicæ hiſtoriam continuarunt; quorum quidem authoritati perpendendæ non immoramur, cum certam apud omnes eorum teſtimonium fidem obtineat. Poſt Captivitatem ab Eſdræ, Nehemiæ & Machabæorum Libris Judæorum geſta admodum protracta exhibentur (11).

Spatium, quod Nehemiam & Machabæos interjacet, breve eſt (12); tum præterea Judæi parvi ita habebantur, ut ad magna gerenda vel vix, vel nunquam adhibitos, & Sacri, & Prophani Authores eos præterierint. Permagna Judæorum captivitas neminem latet; quo etiam pietatis ſtudio Eſdras claruerit, nemo eſt, qui non noverit. Is a præclara progenie ortum duxerat, & ab Artaxerſe Longimano vel captivus maximi ducebatur. Ejus nomine inſcriptum Librum primum per ſe ipſum contexuit; ſecundum addidit Nehemias, qui e clariſſima Tribu Judæ familia ortus, ejuſdem Artaxerſis, a quo & in Pincernam aſſumptus fuerat, amorem ſibi maximum conciliavit. Singulari nomine de ſe per totum ferme Librum ſemper loquitur; *Nehemiæ* etiam *Commentaria* (13) in Machabæis allegantur, quorum forte compendium tantummodo ejus Librum credimus, cum locus apud Machabæos productus ibi minime occurrat.

Minima quædam aliena manu adjecta in Eſdræ & Nehemiæ Libros irrepſiſſe fatemur. Verum inter Scripturarum Libros vix aliquis inveniatur, ubi addita quædam non occurrant. Hebræi veteres phraſes quaſdam ad ea explicanda, quæ temporum diuturnitate obſcura evaſiſſent, ſuis textibus interſerere non ducebant alienum: quo quidem priorum ætatum fides potius, non decipiendi malus animus inducitur. Neque ſubdole id neque callide præſtitere. Ita nos vel proprias, vel alicujus periti Viri notas noſtrorum Librorum, margini interdum adſcribimus; qui ſane Libri animadverſionibus ejuſmodi inſerti, non modo non amittunt authoritatem, verum etiam ſtudioſius inquiruntur. Notæ Libris Sanctis ab Judæis adſcriptæ, hæc v. g. præferunt: vel genealogiam longinquius, quam a primo Authore, deductam; vel geographicum quid; hanc Urbem alias hoc nomine appellatam; hanc

(*) Libri Joſue vetuſtas (†) Libri Judicum, & Regum. (1) 1. *Par.* 29. 29. (2) 2. *Par.* 9. 29. (3) 2. *Par.* 12. 15. (4) 2. *Par.* 13. 22. (*) Librorum Hiſtoricorum Authores. (5) 2. *Par.* 16. 7. (6) 2. *Par.* 20. 34. (7) 2. *Par.* 20. 37. (8) 2. *Par.* 20. 14 (9) 2. *Par.* 26. 22. (10) 2. *Par.* 32. 32. (*) 2. *Par.* 33. 19.

(11) Nehemias poſt ann. 3563. occubuit. Antiochus Epiphanes imperare cœpit ann. 3829. Inter utrumque anni 266. intercedunt, cujus etiam intervalli habemus hiſtoriam de Judæis Ægypti, quos Eupator ann. 3787. perſecutione confecit. (†) Libri Eſdræ, Nehemiæ, Machabæorum. (12) *Macch.* 2. 15. (13) *Macch.* 2. 13.

Digitized by Google

hanc regionem quondam ad hunc populum pertinuiſſe; hunc locum vel cis vel trans Jordanem ſitum eſſe; aliquid & in alio Vetuſto Codice legi. Huc omnia & ſingula referuntur, quæ Sacris Authoribus addita. Forte & quis Amanuenſium error irrepſit; cujuſmodi vitiis quis omnino Liber immunis?

Machabæorum primus Hebraice vel Syriace primo deſcriptus, hoc enim idiomate Machabæorum ætate Palæſtina utebatur. In fine hujus Libri ad Commentaria Joannis Hircani Lector remittitur (1); quo illud oſtenditur, Authorem ex Commentariis ſeu Annalibus, hiſtorias deprompſiſſe: Machabæos etiam curaſſe, ut quæ contingebant, majoris momenti memoriæ conſignarentur. Secundi Machabæorum Scriptor (2) Judæorum hiſtorias bellorum turbia diſperſas, Judæ ſtudio congeſtas fuiſſe teſtatur. Author tertii Machabæorum, quo perſecutio a Ptolemæo Philopatore Rege Ægypti in Judæos mota continetur, prorſus latet; vetuſtiſſimum nihilominus ſcimus, & eorum, quæ refert, inſtructiſſimum.

Poſt Machabæorum Libros Judaicam Hiſtoriam apud Joſephum (†), & in Vetuſtiſſimis monumentis Arabicis, quæ in ſuis Polyglottis a D. Le Jay afferuntur, habemus. Joſephi Hiſtorici criticam, ſapientiam, atque peritiam omnes commendant: de quo hæc Scaliger (3) *Diligentiſſimus, veraciſſimus omnium Scriptorum Joſephus, de quo nos hoc audacter dicimus, non ſolum in Judaicis, ſed etiam in externis tutius illi credi, quam omnibus Græcis & Latinis.* Euſebius, S. Hieronymus, & Photius ampliſſimis laudibus eumdem merito cumulant; quem nihilominus in quosdam errores delapſum, & ſæpe a Scripturarum veritate receſſiſſe fatemur.

Hæc de Hiſtoriæ Hebræorum authoritate, qui innumeris ſeditionibus, infortuniis, bellis, & calamitatibus invitis, ſæpe etiam vitæ, bonorum, & libertatis diſcrimine ſua ſervarunt monumenta, quæ originali adhuc idiomate conſcripta ad nos pervenere. Illud vero idioma, quamvis duodeviginti ab hinc ſæculis defecerit, a Sapientibus plurimis adhuc ita tenetur, ut optime eas Scripturas percipiant, quarum quaſdam Verſiones habemus duodeviginti ſæculis vetuſtiores. Judæorum populus in omnes ferme orbis regiones diffuſus, adhuc ſupereſt, qui Religionis ſuæ quammaxime ſtudioſus, ſuæque hiſtoriæ peritiſſimus, ſacris monumentis ſervandis plurimum incumbit. Quare ad hujus hiſtoriæ veritatem, & authoritatem comprobandam nil præterea deſideratur.

An Nationes ceteræ eadem fidei argumenta præferant, nunc diſcutiemus. Orientales generatim propriis ſcribendis hiſtoriis præ Occidentalibus incubuiſſe videntur; quo factum eſt, ut & vetuſtiores habeantur, & artes apud ipſos ab exordio diligentius excolerentur. Aſſyrii, Chaldæi, Athenienſes, Perſæ, Ægyptii, quemadmodum Hebræi, quidquid in eorum regionibus memorabile contingeret, Annalibus mandabant. De vetuſtis Ægyptiorum Annalibus apud Herodotum (4), & Diodorum Siculum mentio (5). Plato in Timæo (6) Sacerdotem Ægyptium loquentem inducit, qui Ægyptios ea, quæ vel in Ægypto vel alibi ſingularia gererentur, ſcriptis conſignare ſolitos teſtatur. Maneton apud Joſephum (7) quidquid refert, ex Sacris Ægyptiorum Libris ſe hauſiſſe aſſerit. Teſte vero eodem Joſepho (8), Tyrii ſua Tabularia ſancte cuſtodita ſervabant, in quibus condita ſabulæ de præcipuis Regionis eventibus erant.

Beroſus in Chaldæorum hiſtoria vetuſtiſſimis monumentis adhæſit (9). Menander quidquid (10) ad varias Nationes ſpectans in veterum hiſtoriis invenit, fuſiori Commentario proſequutus eſt. De Per-

ſarum Annalibus ſub Cyro, Dario (11), & ſub Aſſuero (12) Scriptura meminit. Romani pleriſque ex recenſitis nationibus recentiores præclariora tabulis, Ephemeridibus vero leviora conſignabant (13). Plutarchus diarium allegat, in quod Alexandri ſingulorum dierum geſta referebantur (14).

Verum ſi rem propius attingamus, omniſi imperfectas earum Nationum hiſtorias ad nos perveniſſe ultro fatebimur: earumdem enim vetuſtis primiſque Scriptis, Ephemeridibus, & monumentis oblivione deletis, fragmenta tantummodo mutila nimis atque informia obtinuimus, verſa præterea ab Authoribus Græcis, quibus, ut exactam verſionem darent, plena cognitio defuit, atque ſolertia.

Beroſus natu Chaldæus, Tatiano teſte, (15) ſub Alexandro Magno, teſte vero Voſſio, ſub Antiocho I. Rege Syriæ, cognomento Sotere, floruit; ſed contra Voſſium pro Tatiano ſtat Perizonius. Græce vero ſcripſit, & pro Græcis de vetuſtiſſimis Chaldæorum geſtis perpauca commemorat. Verum ea, quæ Joſephus & Euſebius ab eodem hauſta allegant, Hebræorum hiſtoriam plurimum illuſtrant.

Chaldæi (*), juxta Diodorum (16), obſervationes aſtronomicas annorum 472000. apud ſe habere comminiſcebantur. Cicero ad 470000. (17) & Beroſus & Critodemus apud Plinium ad 424000. Epigenes vero apud eumdem ad 720000. extendit (18). Verum Cicero portentoſam hanc vetuſtatem ſtultitiæ, vanitatis, & imprudentiæ condemnat. Quæ quidem remotiſſimæ obſervationes, ſi quandoque extitiſſent, oblivione profecto penitus intercidiſſe, quis credas?

Ariſtoteles, indagandæ veritatis gratia, ad Calliſthenem tunc temporis Babylone cum Alexandro verſantem litteras dedit, ut ſi quid certioris de ea re deprehendere poſſet, reſcriberet. Calliſthenes obſervationes annorum 1903. ab exordio Monarchiæ Chaldæorum uſque ad Alexandrum remiſit (19). Si quis igitur ab anno mundi 3676. ſcilicet poſt victum Darium annis 1903. aſcendat, ad annum 1771. (20), quo tempore per Nemrodum Turris Babel ædificari cœpta eſt, perveniet.

Nabonaſſaris Epocha apud Chronologos celeberrima, annum Periodi Julianæ 3966. mundi 3257. ante Chriſtum 1743. ante Æram 1747. non prætergreditur. Nabonaſſar idem ac Baladam, qui Legatos ad Ezechiam miſit, ut de recepta ab illo divinitus ſanitate gratularentur, & de ſolis retroverſi portento inquirerent. De eo Rege apud Iſaiam (21), & in Regum quarto mentio (22).

Beroſi, quem citat Joſephus, fragmentum (23) de diluvio, & hominum in eo corruptione, ſicuti Moyſes, ita meminit, ſimul & de Arca in montium Armeniorum faſtigio ſubſidente. Deinde eos, qui e Noe progeniti ſunt, ad Nabopolaſſarem Nabuchodonoſoris Patrem perducit. Tum agit de Monarchiæ Chaldæorum origine; ſed cum mutilum ſit Joſephi fragmentum, de hac Beroſi hiſtoria ſcimus nihil. Quod attinet ad Nabuchodonoſoris ſucceſſores ab Evilmerodacho uſque ad Cyrum, cum Daniele, ceteriſque ea de re Authoribus Beroſus ægre conciliaretur.

Sub Abrahami tempora, cujuſdam Sennaar, ſeu Babyloniæ Regis cum Codorlahomor fœdere juncti fit mentio (24). Chaldæorum manus in Jobi Libro occurrunt (25). Julius Africanus (26) ſcribit, Evechoum 224. annis ante Arabes in Chaldæa regnaſſe, anno nempe Periodi Julianæ 2952. eo circiter tempore, quo Jacob in Meſopotamiam perrexit, anno M. 2242. Arabum adverſus Chaldæos bellum contigit anno M. 2466. nempe anno prope trigeſimo Moyſis. Arabes 126. annis ante Bellum Aſſyrium, Nini patrem, in Babylonia imperarunt.

(1) 1. *Macch.* 16. *ult.* (2) 2. *Macch.* 12. 14. (†) Joſephi Hiſtorici authoritas. (3) *Joſeph. Scalig. in Prolegom. in Libros de emendat. temporum.* (4) *Herodot. l.* 2. *c.* 3. (5) *Diod. Sicul. l.* 2. *pag.* 26. & 44. 45. (6) *Plato in Tim. p.* 21. *A. B.* (7) *Joſeph. contr. Appion. lib.* 1. *pag.* 1042. (8) *Idem ibid. pag.* 2402. (9) *Idem ibid. pag.* 1043. *G.* 1044. *A.* (10) *Idem ibid. pag.* 1042. *G.* (11) 1. *Eſdr.* 4. 15. & 6. 1. 2.

(12) *Eſt.* 10. 2. (13) *Tacit. Annal. l.* 13. (14) *Plut. in Alexandr. p.* 705. (15) *Tatian. p.* 171. (*) Chaldæorum Hiſtoria. (16) *Diodor. Sic. l.* 2. *p.* 83. *D.* (17) *Cicer. l.* 1. & *l.* 2. *de Divinatione.* (18) *Plin. l.* 7. *c.* 56. (19) *Porphyrius apud Simplic. l.* 2. *de Cœlo.* (20) *Ante Chr.* 2234. (21) *Iſai.* 39. 1. (22) 4. *Reg.* 20. 12. (23) *Joſeph. l.* 1. *contr. Appion.* 1044. 1045. (24) *Geneſ.* 14. 1. (25) *Job* 1. 17. (26) *V. Euſ. Chron. Jul. Afric.* & *Uſſer. ad an. M.* 2465. & 2466.

Beleſus, ſeu Baladon, ſeu Nabonaſſar Babyloniæ, Præfectus, & Arbaces Præfectus Mediæ a Sardanapalo Aſſyriæ Rege deficiſcentes, 400000. hominum, Medorum nempe, Perſarum, Babylonienſium, & Arabum, comparato exercitu (1), cum eodem Sardanapalo ſigna pluries contulerunt; a quo ter eicti, Bactrianis a Rege ad ſe deficientibus, noctu hoſtes invaſerunt, & eorum caſtris potiti ſunt. Tunc Sardanapalus militibus ſuis præfecto Salemæne conjugis ſuæ fratre, Ninivem ſe recepit; ubi bis a Baladan & Arbace Salemæne profligato, ab eiſdem undique circumſeſſus, tribus annis obſidionem ſuſtinuit; donec tumentis Tygridis alluvione ſtadiis viginti, ſeu 2500. murorum paſſibus everſis, perque ruinas aditu hoſtibus patefacto, ne in eorum manus incideret extructa pyra, rebuſque omnibus pretioſiſſimis eo congeſtis, ſe ipſum una cum Concubinis, Eunuchis & tota Regia combuſſit.

Arbaces Medorum & Baladan Babyloniæ Reges denunciati fuere. Ninus vero junior Ninive poſt Sardanapalum imperavit, & ab eo ſecunda Aſſyriæ Regum cœpta eſt progenies. Hunc Scriptura Theglaphalaſſarum appellat (2). Beleſus igitur, ſeu Baladan primus eſt Chaldæorum Rex, cujus epocham certo ſciamus; etenim de Amraphels Sennaar Rege, cujus mentio in Geneſi, & de Chaldæis, apud Jobum, & de iis denique, quos ab Arabibus victos Euſebius refert, apud nos certi nihil; quorum præterea & Imperii ſedem, & Monarchiæ durationem, & quomodo, & quando in Aſſyriorum ditionem venerint, penitus ignoramus. Quare Chaldæorum hiſtoriæ hiſtoria Hebræorum longe eſt præferenda; ſi ec utriuſque vetuſtas, continuatio, & certa authoritas una ſimul conferantur; ſive unde utraque exhauritur, fontes, & monumenta perpendantur.

Qui de Medorum (*) geſtis ex profeſſo ſcripſerit, nemo occurrit. Herodotus (3) poſt primum eorumdem Regem Dejocem ad annos tantummodo 150. eorum Monarchiam protrahit; quam ſi ab Arbace, de quo mox ante, exordiamur, & in Cyro, qui Medorum & Perſarum Imperium in unum iterum coegit, ad 293. annos extendenda erit; alii ad 350. annos prorogant (4). Verum ejuſdem originem, progreſſum, & everſionem nonniſi ſubobſcure ſciri, inter omnes convenit. Arphaxad Medorum Regis, qui Ecbatana condidit, quemque Nabuchodonoſor Aſſyriæ Rex profligavit, Scripturæ meminit (5). Hunc vero nos in noſtris ad Judith Commentariis eumdem eſſe ac Phraortem Medorum Regem; Dejocis primi eorumdem Regis ſucceſſorem, luculenter oſtendimus. Si Judithæ hiſtoria ſub Manaſſe Judæ Rege contigit, nullam ſane Medorum Monarchia vetuſtatem protrahit; tunc enim a Dejoce inceptam in Cyro deſiiſſe conſtaret.

Aſſyrium Imperium (†) a Nemrodo paulo poſt turris Babelicæ conſtructionem conditum (*), inter cetera Orientis Imperia vetuſtiſſimum cenſetur. Nemrodus vero, ejuſque Succeſſores uſque ad Ninum Beli Aſſyrii filium, qui annis 980. poſt Nemrodum, Aod & Baruc Iraelem judicantibus, floruit, quamdiu imperaverint, ignoramus. Tempore Nemrodum inter & Ninum interjecto, Chodorlahomor Elamitarum Rex, Arioc Rex Ellaſar, & Amraphel Rex Sennaar, qui Abrahami ætate (6) Pentapolis Regibus bellum intulerunt, a Scriptura memorantur. Cum vero Rex Sennaar, Chaldææ, non Aſſyriæ Rex nuncupetur; Aſſyriæ Regnum minimum tum fuiſſe putamus. Judicium ætate Chuſan Raſathaim, annos 246. antequam Ninus Aſſyrium Imperium conderet, in Meſopotamia imperabat (7). A Nino uſque ad Imperii Aſſyrii everſionem, quæ (8) Arbace, & Beleſo Sardanapalum, a quo defecerant, oppugnantibus primo contigit, Herodotus (9), & Appion annos 520. recenſent.

Poſt primos Aſſyriæ Reges Nini ſucceſſores, ſecundum Aſſyriæ Imperium ſcimus, quod ex primi ruinis Junior Ninus condidit (10). Hic Teglatphalaſar a Scriptura appellatur. Annis 19. Ninive imperavit; Salmanaſarem, Sennacherib, & Aſſaradonem ſucceſſores habuit. Aſſaradon, Manaſſe Judæ Rege imperante (11), Babylonis Imperio, quod hæredes defeciſſent, potitus, utramque Aſſyriæ & Chaldææ Monarchiam iterum conjunxit. Huic ſucceſſit Saoſduchin, forte idem cum Nabuchodonoſore, qui in Judithæ Libro de Arphaxad, aliter Phraorte, Medorum Rege victoriam retulit.

Poſt Saoſduchin Chinaladan, aliter Sarach, imperavit; quem Nabopolaſſar Chaldæus, ſeu Babylonius, & Aſtyages Medus oppugnarunt (12); ejuſque Imperium inter ſe partiti, Chaldæorum & Medorum Regna ab Aſſyriæ Imperio iterum ſejunxere. Aſſyriæ Monarchiæ numquam impoſterum reſtitutæ excidium poſſumus hic conſignare; Nabopolaſſar enim Nabuchodonoſor, Evilmerodach, & Balthaſſar, Babylonis Reges, ad Chaldæorum Monarchiæ continuationem pertinent.

De Aſſyriæ Imperio, annorum 1610. ſpatio pluries everſo, & pluries reſtituto, hæc quæ occurrant, certiora. Verum hujus Monarchiæ hiſtoria cadaveris, ita dixerim, ſpeciem præfert. Ejus enim diſtincte nomina, regni durationem, plerorumque Regum geſta, & Imperii fines ignoramus, & certum quoddam, quo inſtruamur, monumentum nullibi extat, Authores, qui de hac hiſtoria diſſerunt, eamdem numquam perſpicue novere, quare neque inter ipſos convenit; quomodo enim ex. gr. Cteſias cum Herodoto, ceteriſque Aſſyriæ Imperii Hiſtoricis conciliatur?

Perſarum Monarchiam (*) ſub Cyro tantummodo cœptam omnes vulgo teſtantur. Quoſdam quidem Authores ſcimus, qui Cambyſem Cyri Patrem Perſarum Regem conſtituunt; cujus tamen rei, quam Herodotus & Trogus improbant, validum argumentum nullatenus proferunt. Quamvis Perſarum Monarchæ ante Cyrum extitiſſent, adhuc de iis certi nihil ſtatui poſſet, quod eoſdem penitus ignoremus. Perſæ Cyri initio valde quidem humiles; qui vero eorum Monarchiæ vetuſtatem longinquius protrahunt, Achemenem Cambyſis patrem & Cyri avum non prætergrediuntur. Poſt Cyrum, & in Scripturis & apud prophanos Authores celeberrimum, Perſarum Monarchia potentiſſima evaſit; verum temporaneum fuit Imperium; a Cyro enim, qui anno 3456. Babylone Regnum ſuſcepit, uſque ad Codomani Darii, Regum Perſarum poſtremi, cladem (13), anni 218. tantummodo numerantur.

Perſæ veteres gentilibus Hiſtoricis omnino caruere. De iis quidquid certioris habemus, a Græcis accepimus; qui eorum rebus ſcribendis ideirco incubuerunt, quod a Perſis pluries cum Græcis collatis ſignis, Græci iis in præliis maximum ſibi nomen vindicarint. Quare, ut ſuorum virtus clarius eluceret, de Perſarum Natione tum per Orbem celeberrima diligentius indagarunt. Cum præterea plurimi tunc apud Græcos literis, & eruditione florentes & ſe & poſterorum memoria digna recenſendis incumbere apperterent, nil eis præſtantius tum occurrebat, quam de Græca Republica, & Perſarum Monarchia, & de mutuis utriuſque Nationis bellis hiſtoriam contexere.

Verum ſi Hebræorum Libros conſulimus, de Perſarum antiquitate, & Origine certius quid & vetuſtius haurimus. Elam filii Sem (†), qui Elymaidem Perſidi conterminam populis auxit, & a quo Elamitæ, qui cum Perſis ut plurimum confunduntur, Moyſes meminit. *Perſarum* nomen nonniſi ſero apud Scripturas. Inter copias Holophernis (14) Medi & Perſæ recenſebantur (15). Ezechiel inter Legiones Tyri auxiliarias

(1) *Diodor Sicul. l. 2.* (2) *4. Reg. 15. 29. & 16. 9. 10.* (*) Medorum Hiſtoria (3) *Herodot. l. 1.* (4) *Juſtin. l. 1. c. 7. p. 10.* (5) *Judith. 1. 1.* (†) Aſſyriorum Monarchia, & Hiſtoria (*) *Anno M. circiter 1757. Period. Julian. 2467.* (6) *Geneſ. 14. 1. & 1.* (7) *Judic. 3. 8.* (8) *Ann. M. 3255.* (9) *Herod. l. 1. c. 95.*

(10) *Ann. M. 3257.* (11) *Ann. M. 3323.* (12) *Ann. M. circiter 3378.* (*) Perſarum Monarchia (13) *Ann. M. 3674.* (†) Elam Perſarum Author. (14) Holophernes Dux exercitus Nabuchodonoſoris, aliter Saoſduchin Aſſyriæ Regis (15) *Judith. 16. 12.*

Digitized by Google

rias a Nabuchodonoſor Babylonis Rege profligatas, & *Perſas* Paraſeim nomine enumerat (1). Excidium Monarchiæ Chaldæorum a Regibus Perſidis imminere Daniel prædicit (2). Perſas ex equitandi conſuetudine, nunc enim perpetuo ferme in equis ſunt, *Paraſchim* appellari conſtat; *Paras* enim Hebraice equitem ſignificat. Quare *Paras*, ſeu *Perſa* non hujus Nationis genuinum nomen, ſed ex evitandi conſuetudine adſcriptum vocabulum.

Si vero genuinum Perſarum nomen *Elam* velimus, Codorlahomor Elam Regem vel Abrahami ætate florentem inveniemus (3). Iſaias prophetice de Babylonis obſidione diu ante loquens, inter aggreſſores Medos & Elamitas enumerat (4). Jeremias graviſſimas adverſus Elamitarum Reges minas pronunciat (5). Hæc itaque Natio potentior, & quam a Græcis Authoribus præferatur, longe vetuſtior. Iſaias centum annis antequam Cyrus naſceretur, ejus ortum & nomen protulit (6). Hinc fit, ut Sacri Hebræorum Libri iis suppleant, quæ a prophanis hiſtoriis numquam poſſemus attingere. Hinc etiam novum deducimus argumentum, quo ad veram populorum originem indagandam, ad Scripturas confugiendum eſſe oſtendamus.

Veterum Perſarum reliqui nunc in Oriente ſub Sophi, & in Indiis degentes, & ignis cultui, pluribuſve aliis priorum Perſarum ſuperſtitionibus addicti ſuam utique ipſorum hiſtoriam & vetuſtam originem prorſus ignorant. Librum, qui ſuæ Religionis ritus, & fidei articulos continet, & quem *Zandavaſtavv* (7) appellant, diligentiſſimo ſervant. Ferme ut Hebræi Mundi originem narrant; Adam & Evam generis humani progenitores noſcunt; homines jam in terras effuſos & vitiis addictos diluvio interiiſſe ferunt, præter Noe, quem ſecundum Adam vocant, & præter nonnullos, qui orbem populis iterum frequentarunt.

Univerſi creatorem Deum tenent, a quo in ſex diviſum partes opus ſuum arbitrantur; 1. Cœlum & ſphæras in amœnum quemdam & delicioſiſſimum locum, ſole, luna, ſtellis, ornatum fabricavit; ſedes deſtinatas Angelis, & ceteris omnibus, qui præceptis Divinis ſedulo obtemperaſſent. Poſt abſolutum opus, quinque diebus ceſſavit.

Poſt hæc conditus Infernus in infima orbis regione, locus tenebris horrendus, & impiis, qui Creatorem offenderent, deſtinatus.

Cum his occuparetur Deus, Lucifer ſeceſſione ab illo facta, in Inferni deteriorem locum actus eſt præceps, ubi ad exitum uſque mundi detineatur. Poſt hæc condita, iterum quinque dierum quies.

Aqua & terra, quibus inferior mundus conſtat, tertium Dei conditoris opus fuerunt; quibus ſtata quinque dierum requies ſucceſſit.

Quartum opus, arbores & plantæ in cibum hominum & animantium, tum ſtata iterum quies.

Quintum opus, omnis generis animantia; quies iterum.

Sextum, Adam & Eva humani generis parentes creati ſunt. Ex Eva ſingulis diebus gemelli fœtus nati; unde tanta hominum multitudo, quæ mille annorum ſpatio mortem nullam vidit.

Cum Deus malum Lucifer in ſe animum intueretur, quippe qui non in ſuam tantum majeſtatem injurius, ſed in homines etiam noxia moliretur, malis ejus conſiliis occurrendum ratus, Inſpectores in Creaturas ſuas inſtituit. Principes dati ſunt in Cœlos *Hamull*; in Angelos *Acrob*; in ſolem lunam & aſtra *Jode*; in terram *Soreb*; in aquas *Joſa*; in belluas *Sumbole*; in piſces *Daloo*; in arbores *Rocan*; in virum & mulierem *Coos*. Inſpectores vero, nequid Lucifer ejuſque Clientes in Creaturas molirentur, dati ſunt *Serram*, & *Aſud*.

Cum hominum crimina plus nimio creviſſent, immiſſo in terram diluvio Deus homines demerſit omnes, uno excepto Noemo, (ſecundum Adam appellant) aliiſque rariſſimis, a quibus terra iterum incolis frequentata eſt.

Gujomarum præterea filium Aram filii Sem, primum Perſarum Regem conſtituunt; eamque Monarchiam a Regibus 45. geſtam, annis mille perſtitiſſe oſtentant, quorum Regum poſtremum Yeſdegerdem vocant, quem Arabes Mahometani Regno expulſum (8), ut Karaſonium ſe reciperet, adegerunt. Vix hæc ex hiſtoriis, quæ apud noſtræ ætatis Perſas ſervantur. Quibus ſane oſtenditur, quam plurima illos lateant; & quid nobiſcum fieret, ſi ad monumenta, quæ apud Orientales populos extant, confugiendum eſſet, ut veteres eorum hiſtorias perciperemus, niſi præſto nobis eſſent primum Sacri Hebræorum Libri, deinde Græci & Latini Hiſtorici, qui deficientibus Hebræis nobis opitulantur.

Veterum Perſarum vetuſtiſſima, idiomate & characteribus incognitis inſcripta, adhuc extant monumenta, quibus in Oriente auguſtius nihil, nihilque præſtantius. Magnificarum Urbis Perſepolis, uti creditur, Ædium, quarum conditores ignoti, Itinerantibus rudera inſpiciuntur, in quibus quædam Græcæ inſcriptiones (9), ceteris recentiores. Verum ſepulchrorum potius, quam veterum Perſidis Regum ædium, reliquias arbitramur.

De Religione Banianorum ſive Baneanorum, regionem Camabiæ in Indiis Orientalibus tenentium, hæc damus ex *Shaſter* (Liber eſt Legum ejus gentis Gallice verſus ex Anglico Henrici Lord) (10).

Creavit Deus cum Univerſo ſimul & quatuor Elementa, Terram, Aerem, Ignem, Aquam, quæ prius in maſſam indigeſtam confuſa, ſeparavit demum. Namque ſuper Aquas inſufflante intumuerunt ſtatim velut in ampliorem quamdam ovalem ampullam, eaque ſenſim augeſcens Firmamentum conſtituit, nitidum illum & pellucidum globum, qui Univerſo circumfunditur.

Terra liquido quodam elemento innatans, imo tandem fundo ſubſidit; factaque a Deo Terram inter & Aquas ſecretione, utraſque ſimul in globum conſtrinxit, cujus ſolidiores partes Terra, liquentes Mare dictæ ſunt. Porro globus iſte, ut in medium Firmamenti depelleretur, ingens quidam ſtrepitus ſeu concuſſio fecit. Tum Sol, & Luna creati, ſimulque diſcernendis anni temporibus in Cœlo conſtituti.

Ita e quatuor Elementis compactus mundus, in quatuor partes diſtributus eſt, Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem. Ejus duratio ad quatuor ætates definita; quatuor hominum generibus frequentatus, quibus ſingulis ſua conjux producta eſt. Ex hiſce parentibus genus referimus omnes, quotquot Mundum incolimus.

Terræ a ſe jam conſtitutæ præcepit Deus, emitteret ex alvo ſuo hominem, unde velut ovo creaturæ omnes excluderentur. Paruit illico caput, tum ceteræ corporis partes; Deus vitæ ſpiraculo fœtum animavit; fœminam ſociavit; ambo autem illi terræ fructibus paſcebantur, ab animantibus omnibus prorſus abſtinentes. Primi hujus hominis nomen *Porous*, fœminæ *Parcoutea*, e quibus nati quatuor liberi, *Brammon*, *Cuttori*, *Schuddery*, *Uriſus*. Ne fratribus ſorores adderet, abſtinendum cenſuit Deus, metu ne inceſtu fœdarentur; ſed conjugii gratia ſingulis ſingulas fœminas creavit, quas in quatuor Orbis angulis conſtitutas ſinguli illi fratres in diverſa abeuntes offenderent; junctoque cum illis connubio in ſuo quiſque angulo ſedes conſtituerent.

Cum quatuor hi fratres ad virilem ætatem perveniſſent, a Deo juſſi, facta a ſe invicem ſeceſſione, quatuor Orbis partes frequentandas ſinguli ſingulas petierunt. Aſſignatus *Brammoni* Oriens, quo iter ſuſcepturus una ſecum retulit librum Legum, quas a Domino acceperat. Offendit inter eundum fœminam

(1) *Ezech.* 27. 10. (2) *Dan.* 5. 18. (3) *Geneſ.* 14. 1. 9. (4) *Iſai.* 22. 2. (5) *Jerem.* 25. 25. & 49. 34. (6) *Iſai.* 44. 28. & 45. 1. (7) *Vid. lib. inſcript. Hiſtoria Relig. veter. Perſ. ex libro inſcripto Zandavaſtavv. Pariſien. in offic. Nivell.* 1657. (8) *Anno Ægira* 31. *Chriſt.* 651. (9) *Vide Itinerar. Perſ. D. Chardin.* (10) *Pariſ. apud Robertum Nivell. in* 8. 1667.

nigricante coma, & vultus colore ſubnigro, cui poſt mutua colloquia maritali lege conjunctus eſt. Nata inde florens poſteritas, e qua univerſus Oriens frequentatus. Fœminæ hujus nomine *Savatrea*.

Cuteri, alter filius *Poroi*, Occidentem verſus iter ſuſcepit, ferens in manu traditum ſibi a Deo enſem, ſtrenuum ſe Virum gerere ambiens. Poſt aliquot dierum iter, in fœminam inſtrumento quodam (*Chuchercy* appellant) rotundo, cujus acuta ſuperficies, armatam incidit. Porro armorum illud genus longius ejaculatur, forulum habet in ventre, cui inſertum funiculum tenens jaculator, vibratum ſpiculum deinde reducit. Fœmina igitur *Toddicaſtres* dicta, ſingulare inivit certamen cum viro, cujus poſt tres vel quatuor dies producti, exitus fuit pax inter adverſarios, & conjugium. Nati inde populi Occidentales, gens ſtrenua, bellicoſa & ſemper in arma parata.

Schuddery, tertius filius *Poroi*, negotiationi exercendæ deſtinatus ad Septemtrionalem plagam miſſus eſt. Habebat ille apud ſe pondera & ſtateram; & cum non longe eſſet a monte *Stachalta*, concharum rivum nactus eſt; nec longius excurrens in altero monte adamantes invenit. Adamantibus igitur & unionibus onuſtus, iter proſequens, deſtinatam ſibi a Deo uxorem proſpexit. Propior illi factus, inter mutua colloquia optare ſe cum illa conjugium ſignificavit. Annuit fœmina, & una ſimul opera ambo conjuges ſe totos mercaturæ, gignendiſque per totum deinde Septemtrionem diviſis filius addixerunt. Nomen mulieris *Viſagendah*.

Uriſus, junior inter fratres, meridianum iter ſuſcepit, inſtrumenta ferens ad uſum vitæ accommodata. Septem maria viam interſecantia in lyntribus ad hoc fabricatis transfretavit. Secundum hæc in litore ſeptimi maris oblectationis gratia inſtructiſſimas ædes excitavit. Accidit ut fœmina Deo illi in conjugem deſtinata cui nomen *Jejunegunda*, inde forte pertranſiens, ædium magnificentiam aliquandiu ſubſiſtens ſpectaret. Vidit illam *Uriſus*, allocutus eſt, rogavit ut ſibi dextram conjugii daret. Recuſans illa ſeceſſit; ſed aliquandiu poſt regreſſa, votis pleniſſime annuit. Nati inde populi Meridionales.

Diu poſt quatuor illi fratres inſita quadam a natura propenſione avitas ſedes ut repeterent adducti ſunt. Hic igitur omnes uno ſimul conſenſu juncti aliquandiu ſubſtiterunt; ſed nato tandem inter amicos diſſidio, ſejuncti ſunt, unaque pariter ſingulorum crimina in immenſum aucta; quorum merito immiſſum a Deo diluvium aquarum omnes oppreſſit. His extinctis, novæ a Deo creaturæ, & novus mundus. Creati igitur tres homines multo quam extincti illi, perfectiores: prior omnium *Bremavv* maribus & fœminis gignendis deſtinatus. Ex utroque ejus latere mas & fœmina nati, a quibus deinde novis incolis totus mundus repletus eſt. Secundus homo *VVyſteney* ſervandorum hominum curæ deſtinatus; tertius *Ruddery*, qui deſtruendis hominibus operam daret. Cum hominum ſcelera ultionem in ſe Dei provocaſſent, turbinum procella excuſſa omnes ferme oppreſſit, rariſſimis nonnullis exceptis, a quibus novi incolæ mundo redditi. Sed iterum ad ſcelera; iterumque valida terræ ſuccuſſione exterminium. Quartæ ætatis, quæ nunc agitur, ultio igne deſtinata. Hæc Banianorum dogmata,

Quis inter tot fabellas reliquæ fere ubique obtinentis traditionis veſtigia non videat, de creatione nempe mundi & origine omnium hominum e duorum conjugio? Cetera ad fabellas non inviti amandamus; ſicut & ea, quæ de mundi quatuor ætatibus ſtatuunt, vaga ſunt nimis, & incerta, ut certum aliquid ad hiſtoriam inde deducatur.

Vetuſtatem (*) Ægyptii præ ceteris perpetuo oſtentarunt, cum quibus Scythæ de antiquitate quidem decertarunt (1), ſed fruſtra; quod enim illi hiſtorias numquam ſcripſerint, certa ſuæ originis, ſuæque Monarchiæ Regum monumenta producere non valebant. Ægyptii e contra (2) & Libros & Hiſtorias vetuſtiſſimas, monumenta, & Ægyptiorum Regum Catalogos præferentes Ægypti Imperium a Diis primo, a Semideis deinde ſeu Heroibus, ab hominibus ſeu Regibus poſtremo geſtum tuebantur. Deos & Semideos annis 34000. Reges vero a Mene uſque ad Nectanebum annis 2324. imperaſſe addebant. Undeviginti annis ante Alexandri Magni Monarchiam, ab Artaxerſe Ocho Perſidis Rege Nectanebus regno expulſus eſt. Inter Nectanebum & Chriſti adventum anni circiter 350. interfuere; quare ab Ægyptiæ Monarchiæ initio uſque ad Chriſtum anni 36875. numerarentur; quæ quidem ſupputatio ab omnibus, ab iis etiam, qui Septuaginta adhærent, vulgo rejicitur; qui enim Hebræos ſequuntur, a mundo condito ad Chriſti adventum annos circiter 4000. enumerant.

Georgius Syncellus (3) peculiaria hæc ex tribus vetuſtis monumentis ſe hauſiſſe aſſerit, ex veteribus nempe Ægypti Chronicis, Manethone, Eratoſthene, unde Julius Africanus, & Euſebius quidquid protulere, deduxerant. Chronicon Ægyptium, quod Syncellus allegat, quindecim ante annis quam Magnus Alexander in Perſas irrueret, ad Nectanebi cladem definit; continet vero Dynaſtias 30. & Generationes 113. quibus 36525. annorum ſpatium abſumitur.

Manetho fuit Ægyptius Sacerdos, qui ſe Ægypti Templorum Scribam, ſeu a ſecretis appellat, & Regi Ptolemæo Philadelpho, cujus obitus anno M. 3758. & 242. ante Chriſtum contigit, Opus dedicat. De 30. Dynaſtiis, de Generationibus 113. & de Ægypti Monarchia a Diis, Semideis, & Hominibus geſta, cum Chronicis convenit; diſſidet vero de annis, qui a Chronicis Diis tribuuntur: quod diſcrimen in Manethonis textus Interpolatores Marſhamus refert.

Quod ad Eratoſthenem attinet, is Athenis a Ptolomæo Evergete Philadelphi filio Alexandriam accerſitus, Thebarum, ſeu Dioſpolis Regibus recenſendis incubuit; quorum 38. 1077. ſpatio annorum imperaſſe exhibuit. Deficientem Manethonis hiſtoriam Erathoſtenes forte ſupplevit, eoſque Thebarum Reges, quos enumerat, alios putamus ab iis, quos vetuſtum Ægypti Chronicon & Manetho recenſuerunt.

Illud ſane hic arduum ſtatuere, quanti hæ Ægyptiorum antiquitates faciendæ ſint; & an prorſus improbari debent, an vero cum ſacris Hebræorum monumentis conciliari valeant. Earum utique authoritas plurimum inde infirmatur, quod Ægyptia monumenta inter ſe non cohæreant; quod adverſentur Herodoto (4), qui nil a ſe referri teſtatur, niſi quod ab Ægyptiis Sacerdotibus accepit, quod denique Manetho Herodotum oppugnet (5), eumque falſum & mendacem Authorem appellet. Veritas una eſt, ſibi cohæret, ſeipſam fulcit, & omnes a ſe contradictiones avertit,

Ægyptum, quæ in Pſalmis *Terra Cham* (6) appellatur, a Cham Noe filio populis primum frequentatam per Sacros Judæorum Libros edidicimus. Mezraim filium Cham Ægypti Regem ſcimus (7); Ægyptus etiam a Scriptura aſſidue *Mezraim* nomine deſignatur. Quæ omiſſa a veteribus Ægypti nominibus apud integræ authoritatis Scriptores recenſitis facile defenduntur. Plutarchus (8) Ægyptum *Chemiam* olim vocatam perhibet; cujus etiam Regionis vici nonnulli nominis Cham veſtigia præferebant; ex. gr. *Chemnis*, *Pſochemmis*, *Pſittachemmis*; Deus *Hammon*, regio *Ammonia*, Urbs *Neammon*; quibus omnibus Cham primi Ægyptiorum Authoris nomine ſatis invehitur.

Quantum ad *Mezraim*, Veteres Ægyptii primum menſem *Mezari* nomine appellabant Arabes & in præ-

---

(*) Ægyptiorum vetuſtas & Hiſtoria. (1) *Juſtin. lib. 1. cap. 1.* (2) *Ver. Chronicon Ægypt. & Manetho apud Syncell. Vide Marſham. Canon Chronol. Ægyp.*

(3) *Sæculo octavo floruit.* (4) *Herodot. lib. 2. cap. 3. &c.* (5) *Joſeph. contr. Appion. l. 1. p. 1039. B.* (6) *Pſ. 77. 51. & 104. 23. 27. 105. 22.* (7) *Geneſ. 10. 6. collat. cum. Pſ. 78. 50.* (8) *Plutarc. de Iſid. & Oſiride.*

præſentia magnam Cairum *Mezer* nuncupant. Georgius Syncellus ab Hebræis, Syris, & Arabibus Ægyptum ſua adhuc ætate *Meſtræam* vocari ſolitam teſtatur. Quæ vetera Ægypti nomina, eaque omnia, quæ de eadem regione Sacri Libri proferunt, eorumdem Librorum veritatem mirifice probant, & Ægyptiorum chimæras omnino refellunt. Certo enim utique ſcimus, inter Cham & Magnum Alexandrum tot non potuiſſe annos intereſſe, quot ab Ægyptio Chronico & Manethone ſtatuuntur.

Licet vero annorum & Dynaſtiarum numerum a Chronico Ægyptio exhibitum excipere cogeremur, adhuc vetuſtatem, quam nimio majorem Ægyptii oſtentant, nullo negotio poſſumus evertere. Sunt, qui veteres Ægyptiorum annos noſtris breviores fuiſſe defendunt. Imperii initio Ægyptios Regum ſuorum Regnum per dies metiri ſolitos Palephatus teſtatur [1]. E. g. poſt Vulcani obitum, ejus filius Helios 4477. diebus, annis nempe 12. menſibus 3. & diebus 4. imperavit. Nonne idem forte præſtitum ab ætatis poſterioris Ægyptiis Authoribus, qui, ut ſuorum Principum annos augerent, & antiquitatem, quam jactitabant, comprobarent, pro diebus annos enumeraverint?

Diodorus Siculus [2] inane Ægyptiorum commentum vocat, quod vetuſtiſſimorum Deorum ſinguli annis 1200. Dii vero juniores annis ſaltem 300. in Ægypto imperaverint; quodque propterea ab Helii, ſeu Solis Regno uſque ad Alexandri Magni in Aſiam adventum, anni 23000. intercesſerint. Quidam mendacio purgaturi Ægyptios, illud tuentur, quod ii, antequam juxta Solis curſum duodecim menſes anno adſcriberent, Lunæ orbibus annos metientes, menſem quemlibet annum vocarent, ita ut anni 1200. quos cujuslibet Dei Regno adſcribunt, menſibus 1200. ſeu ann. 100. reſpondeant. Succeſſu temporis, addunt, ex menſibus quatuor anno quolibet conſtituto, annis 300. ſuos deinde Reges imperaſſe aſſeruerunt. Hæc quidem ratio Ægyptiarum Dynaſtiarum antiquitatem incredibilem ad æquiora reducit. Veteres Ægyptiorum anni, teſte Cenſorino [3], menſibus duobus conſtabant; deinde a Rege Piſone ex quatuor menſibus conſtituti, tandem ex menſibus duodecim coaluerunt.

Quod ad eorum Dynaſtias ſpectat, alteram alteri non ſucceſſiſſe certo conſtat; plures enim collaterales fuere; plures etiam Reges, quorum ulter alteri in catalogis apponitur, ſæpe ſæpiuſque coævi eadem ætate, in ſua ſinguli regione imperarunt. Quare iidem Catalogi ſeptem varia exhibent nomina, juxta ſeptem Dynaſtiarum Regiones, Thim nempe, Memphim, Dioſpolim, Thanim, Sethronem, ulteri Heracleopolim, Elephantinam, & Saim. Quæ quidem Dynaſtiæ ſi ſibi ſucceſſiſſe dicantur, earum duratio nimio plus quam ab Ægyptiis exaggeretur, neceſſario protrahendu. Ægyptiæ igitur Monarchiæ antiquitatem omnino non evertimus, eam vero multo minorem docimus, quam ab Ægyptiis Authoribus oſtenteretur.

His ſane Scriptoribus illud contigit, quod plerumque mendacibus, quibus nempe, etiam vera affirmantibus, nulla fides. Quare Ægyptii ſuæ Monarchiæ antiquitatem non modo infirmarent, verum etiam nos eo perduxere, ut vel eorum hiſtoriam noſcere, vel eorum Regum ſucceſſionem componere nobis ferme impoſſibile evaſerit. Quia Ægypti Rex Saram ſuſtulerit [4]; quia Joſephum evexarit [5]; quis denique Iſraelitas inſecutus in Mari Rubro aquis interierit [6], proprio eorum nomine non cognoſcimus. Eorum quemlibet Scriptura *Pharaonem*, nempe *Regem*, tantummodo vocat: Seſac vero inter Ægypti Reges primum ſcimus, quem ſuo nomine appellet [7]; Nechao deinde [8] & Sua [9] ſeu Sue vel So, Ephræus [10]; demum, ſeu Vaphres occurrunt. Seſac Roboami ætate, Nechao Joſiæ Regis Juda; Sua Oſee Regis Iſrael; Ephræus Prophetæ Jeremiæ, & Sedeciæ Regis Juda, in vivis agebant. Seſac idem forte ac Seſonchis; Nechao idem ac Nechos, ſeu Necbus, de quo Herodotus [11]. Sua alius forte non eſt a Sabacone, ſeu Sethone; Ephræus denique Apriem ſcimus, quem Herodotus filium Pſammis, & Nachi nepotem appellat [12].

Poſt Apriem, Amaſim etiam & Pſemmetichum legimus; quo poſtremo regnante Cambyſes Ægypto potitus eſt anno M. 3479. Imperarunt deinde Inarus, Achoris, Tachos, & Nectanebus, quem Artaxerſes regno expulit. Ochus praeterea Rex Perſidis anno M. 3654. undeviginti annis antequam Alexander Magnus totam Ægyptum in ſui ditionem redigeret anno 3673. Ptolemæi denique Alexandro ſuccedentes, annis 293. in Ægypto imperarunt uſque ad 3974. quo Cleopatra fœmina celebratiſſima interiit.

Herodotus Seſoſtridem laudat [13], ejuſque virtute plurimas Orientis Regiones ſubactas refert. Verum doctiſſimi Chronologiſtæ, quo tempore floruerit, prorſus ignorant. Inter Africanum, Euſebium, Syncellum, Scaligerum, Uſſerium, P. Pezronium, ceteroſque Chronologiſtas minime convenit. Alii Ægyptiorum Dynaſtias contrahunt; alii præcidunt; alii omnino rejiciunt. Quare incerta omnia: ſi vero certi quidquam conſtet, illud hauriendum e Sacris Veteris Teſtamenti Scripturis, quæ Ægyptios a Cham Noe filio, & a Mizraim filio Cham egreſſos conſtituunt.

Sinæ etiam antiquitatem [*] oſtentant: ut vero ad Fohi, qui annis 2352. ante Chriſti adventum imperabat, perveneriмus, nil niſi incertum & ambiguum, de ipſorum Sinarum ſententia, occurrit. Eorum itaque Monarchiæ exordium anno M. 2048 ante Abrahæ vocationem 34. Quæ quidem antiquitas licet Hebræorum vetuſtate & hiſtoriis longe minor, præſtantiſſima eſſet habenda, ſi de ea omnino conſtaret. Plurima quidem Sinæ oſtentant monumenta [14]; eorum enim Hiſtorici, quidquid cujuſque ætate contingeret, mandabant literis, quin ea facultas ulla fieret, ut hiſtorias a majoribus conſcriptas vel centuræ ſubjicerent, vel in dubium revocarent [15]. *Neque enim Scriptori ſequentium temporum licet hiſtoriam priorem corrigere, vel in dubium vocare; ſed id muneris habet, ut ex fide temporum ſuorum annales prioribus ſubnexat.*

Quin vero de iis judicemus, a quibus hucuſque Sinarum hiſtorias accepimus; latius forte eſſet, in idioma Europæis cognitum Annales Sinicos convertere; eorum hiſtorias, & hiſtoricos expendere; unſque inſtitui certiores de eorum ætate, moribus, characteribus, & locis; unde eorum hiſtoriarum exemplaria fuere deprompta; qua via poſt tot ſæcula ad nos pervenerint; qua denique cautione ſervata fuerint a quæ quidem omnia maximam hiſce hiſtoriis fidem vindicarent. Operæ quoque pretium eſſet, eorum ſtilum, methodum, & genium doceri, & eorum monumenta cum Hebræorum, Græcorum, Romanorum, & noſtris hiſtoriis conferre. Fieri utique poteſt, ut Sinæ Scriptores ſuos, ſuamque antiquitatem elaturi, eos, qui ſuas res ſedulo indagabant, forte deciperent. Sinæ vero recentiores præ ſenioribus forte nobis imponunt.

Eſto tamen, a Fohi imperio Sinicæ hiſtoriæ genuinæ fuerint; quid ad nos noſtramque utilitatem? Sinarum regio & Religio prorſus exteræ, homines ſeipſis contenti, a ſocietate alieni; vetuſtatem, inventa, ſcientias, & bona cetera, niſi quæ a ſuis regionibus, nihili faciunt; exterorum commercium negligunt, & quod propriis non congruit moribus, contemnunt. Quis itaque populis & moribus; & loco, & religione a nobis longiſſime diſſiti rebus indagandis ſerio, & enixe incubuerit? Sinarum igitur monumenta Hebræorum hiſtoriis valde ſunt poſthabenda; etenim

(1) *Palephat. fragment. in Chronic. Alex.* (2) *Diodor. Sicul. l. 1. p. 15. Vide & Plin. l. 7. c. 48. & Solin. c. 1.* (3) *Cenſorin. de die natali c. 19.* (4) *Geneſ. 12. 15.* (5) *Gen. 41. 1.* (6) *Exod. 1. 8.* (7) *3. Reg. 11. 40.* (8) *4. Reg. 23. 29. 33. Jer. 46. 2.* (9) *4. Reg. 17. 4.*

(10) *Jerem. 44. 30.* (11) *Herodot. lib. 2. cap. 158. 159. 161.* (12) *Herodot. lib. 2. cap. 141.* (13) *Herod. l. 2. c. 161.* (*) Sinarum vetuſtas, & origo. (14) *Herod. l. 2. c. 102. &c.* (15) *Martini Martinii Sinica hiſtoria præfatio ad Lectorem.*

Digitized by Google

etenim hæ & vetuſtate, & veritate, & utilitate illis præſtant.

Pre Sinis nos afficiunt Phœnices (*), quod ad Hebræorum, & Græcorum etiam & Latinorum hiſtorias propius referantur. Chananæorum nomine in Teſtamento Veteri eorum mentio. Chanaan, a quo Chananæi, patrem habuit Cham filium Noe; natus vero eſt five ante, ſive paulo infra diluvium; ſatis enim jam tum adoleverat, cum Noe, poſtquam vineam plantaverat, nudum dormientem aſpexit. Illud utique credi poteſt, quod Chanaan una cum ſuis undecim filiis Palæſtinam citiſſime frequentaverit, eoque ſe ſtatim poſt Turris Babelicæ conſtructionem contulerit. Cum Abraham in eas regiones perrexit, Chananæi jamdiu eaſdem incolebant, ante quos neminem ibidem moratum ſcimus.

Poſtquam Joſue Palæſtina potitus, Chananæos pleroſque inde exturbaverat; qui ſuperfuere apud Prophanos Phœnices appellati, in hujus regionis angulum ſecus Mediterraneum compulſi, agros colendos, & paſcendos greges Hebræis relinquentes, navigationi & commerciis ſe totos dedere. Hinc in omnibus ferme Mediterranei Inſulis, & in Africæ & Hiſpaniarum oris plurimæ Phœnicum Coloniæ. Hinc etiam maxime eorum opulentia, & nomen apud Authores omnes Græcos æque ac Latinos celeberrimum.

De Phœnicibus Homerus obiter cecinit, eos ingenioſos (1) vocat, Sidonem vero *ore prædivitem* appellat (2). Herodotus (3) Græcos inter & Barbaros primam diſſidiorum cauſam Phœnices perhibet. Filia Regis Argorum a Phœnicibus rapta, injuriam ulturi Græci Europam Filiam Regis Tyri ſurripuere. Ab aliis deinde Græcis Medea filia Regis Colchidis erepta, Paris tandem Priami filius Helenam Menelai Lacedæmonum Regis uxorem abſtulit. Hinc Trojæ bellum in Hiſtoriis celeberrimum, quod quidem plurimas invexit calamitates, & illud diſſidiorum ſemen Perſas inter & Græcos injecit, quod plurimo utriuſque populi ſanguine diu viguit.

Meminit præterea Herodotus (4) cujuſdam Templi, quod Tharſi quinque ante generationibus quam Hercules Jovis & Alcmenæ filius naſceretur, Phœnices conſtruxerant; ſeque Tyri vidiſſe ſubdit vetuſtiſſimum Herculis Fanum, quod 2300. ante annis una cum Tyro conditum Templi ejuſdem Sacerdotes oſtentabant. Annis circiter 480. ante Chriſtum Herodotus florebat; quare Tyrus 2780. ante Chriſtum annis conſtructa fuiſſet, anno nempe ab orbe condito 1220. ante diluvium annis 400. Quo vero tempore ea Urbs condita fuerit (5), in noſtris Commentariis in Joſue perpendentes, multo recentiorem oſtendimus. Joſephus 240. annis antequam Salomonis Templum extrueretur conditam refert (6), circa nempe annum M. 2760. circa tempus conſtructæ Turris Babelicæ. Quæ omnia accipienda ſunt de Tyro veteri in continenti ſita diu ante conſtructa, quam nova Tyrus e regione veteris in maris rupe conſtrueretur.

Annales quoſdam olim Phœnices aſſervabant, quorum fragmenta apud Joſephum (7). Dius (8), Diodorus, Menander, aliique Phœnicum hiſtoriam ſubtexuere. Hanc a Mundi exordio uſque ad ſuam ætatem Sanchoniatho a Porphyrio laudatus Phœnicum lingua edidit, & *Abibalo* Berythi Regi inſcripſit. Floruit is Author Semiramidis ætate, juxta Porphyrium (9), ſuamque hiſtoriam ex monumentis & hieroglyphicis Phœniciæ & Ægypti Templorum inſcriptionibus hauſit. Jerombal etiam Sacerdotem Dei Jao conſuluerat, non alium forte ab Jerobaal, aliter Gedeone, Iſraelis Judice, qui Iſraelis Deo, quem *Jao*, ſeu *Jevah* appellabant, immolaverat. Philo deinde Biblius Adriani ætate eamdem hiſtoriam Græce reddidit. Hæc de Sanchoniathone Porphyrius.

Quod ad Dium & Menandrum ſpectat, de his pauciſſima ſcimus; eorumque Opera, præter fragmenta quædam apud Authores, omnino periere. Menander Pergami ortum duxerat. Ejus de Phœnicibus hiſtoriam Joſephus forte neſcivit, quam tamen Tatianus, & S. Clemens Alexandrinus allegarunt. Dium vero Joſephus ſatis commendat, ejuſque prolixius fragmentum, in quo de Salomone & de Hiramo quædam recitat. Producit etiam (10) Menandrum Epheſium, qui ab Hiramo uſque ad Carthaginem a Didone conditam Tyri Reges enumerat (11). Tatianus denique Theodoti meminit, Hypſicratis, & Mochi, quorum de Phœnicibus hiſtorias Chœtus Græce reddidit. Hæc vero ſingula, quod prorſus perierint, ac ſi numquam extiterint, reputamus; neque valida nobis deſunt argumenta, ut neque Sanchoniathonem, neque ejus ſcripta, quorum fragmenta e Porphyrio profert Euſebius, unquam extitiſſe, & Porphyrium, apud quem Sanchoniathonis primum mentio, nobis impoſuiſſe credamus.

Inter populos igitur, quorum quidem antiquitas generatim certo conſtat, hiſtoria vero monumentis deſtituta per oblivionem interiit, Phœnices ſtatuimus recenſendos. Et revera niſi Judæorum, & Chriſtianorum Authorum Libri Religioni conducentia quædam de Phœnicum hiſtoriis fragmenta ſervaſſent, vix eorum originem, & veterum Hiſtoricorum nomina noviſſemus.

Ea eſt Græcorum Scriptorum (†) frequentia, ut hujus Nationis antiquitates & hiſtorias difficultatum omnium immunes, atque certæ præ ceteris authoritatis habendas eſſe ſibi quiſque ſuadeat. Propius vero rem expendentes, ſubobſcura plurima, & manca deprehendimus; quod enim Græci Poeſim nimium & fabulas amarint, vix ulla iiſdem fides adhibetur. Vetuſtiores eorum Scriptores Poetæ (12), ea omnia quæ tradidere, ad quamdam fabularum ſpeciem efformarunt. Extraordinaria & mirifica, veri & naturalis prætermiſſa ratione, libentius Græci excipiebant; quo pravo genio cum ſæculis plurimis laboraverint, id præſtitere, ut eorum vetus hiſtoria fabellis undique intexeretur; cum vero naturali methodo res geſtas referre ſtatuerunt, ante primam Olympiadem, omnia coacti ſunt præterire, ut hiſtorias, quæ eamdem conſecuta ſunt, recenſerent.

Varro (13) Romanorum doctiſſimus tempora omnia in tres claſſes diſtribuit: primam a mundi initio uſque ad Diluvium, ſecundam a Diluvio uſque ad primam Olympiadem; ultimam ab Olympiadibus uſque ad eam, qua ipſe floruit, ætatem. Primam omnino nulli notam putabat; nec ſane Græci & Latini quidquam norant; ſecundam appellabat *fabuloſam*, quod quæcumque Græci dixerant, commentis & fabellis inſerſerint. Ab Olympiadibus igitur hiſtorias tantummodo excipiebant, a qua ſane ætate Græcorum hiſtoriæ conſtanti, certiorique methodo cœptæ ſunt inſtitui.

Diodorus Siculus (14) fabellas & eventus, quæ Trojano bello præiviſſe ferebantur, ſex Libris complexus, nonniſi a Trojæ expugnatione hiſtoriam ſuam reapſe exorditur. Ephorus Cumæus ab Heraclidis in Peloponneſum regreſſu ſcriptis ſuis initium inſtituit. Julius Africanus ab Ogygis diluvio annis 1020. ante primam Olympiadem Chronologiam ſuam inchoavit. Annis etiam 780. ante primam Olympiadem Cecrops Ægyptius Athenarum Regnum condidit, ut per vetus Chronographum Parium, a Seldeno in Arundelianis marmoribus editum, conſtat.

Verum hæ pauciſſimæ Epochæ, quæ ante Olympiades ſtatuuntur, nil utique præſtant, ut ceteris Græcorum hiſtoriis per fabulas & commenta vitiatis authoritatem adjungant. Ingentem e. g. Deucalio-

(*) Phœnicum origines & hiſtoriæ. (1) *Homer. Iliad.* 23. *v.* 743. (2) *Idem Odyſſ.* 15. *v.* 424. (3) *Herodot. lib.* 1. *cap.* 1. (4) *Herodot. l.* 2. *c.* 44. (5) *Comment. in Joſue c.* 19. 29. (6) *Joſeph. Antiq. l.* 8. *c.* 2. *p.* 259. (7) *Apud Joſeph. cont. Appion l.* 1. *pag.* 1042. & *lib.* 8. *Antiq. c.* 2. (8) *Apud Joſeph. cont. Appion. l.* 1. *pag.* 1042. 1043. (9) *Apud Euſeb. Præparat. l.* 1. & *l.* 10.

(10) Menandrum Pergameum, quem Tatianus pag. 171. & S. Clem. Alexandr. citant, eumdem eſſe ſuſpicor ac Menandrum Epheſium a Joſepho laudatum. (11) *Contr. Appion. lib.* 1. *pag.* 1042. 1043. (†) Græcorum Hiſtoria & antiquitas. (12) *Strabo l.* 1. (13) *Varro apud Cenſorin. de die Natali c.* 21. (14) *Diodor. Sicul. Biblioth. l.* 1. *p.* 4.

calionem imperante, alluvionem, quam Græci Diluvium appellarunt, contigiſſe ſcimus; ejus vero circumſtantias quis nobis exhibeat? quis ea perſpicue ſolvat, quæ de Phaetontis incendio de Ericthonii ortu, de Europæ, & Proſerpinæ raptu, de Cerere, Apolline, Baccho, Minoe, Perſeo, Cadmo, Caſtore, Polluce, Æſculapio, & Hercule referuntur? Neque Olympiadum initium ſatis conſtat. Eorum, qui in ludis Olympicis vicerint, nomina diu ſilentio preſſa, & omnium primum Chorcbum accepimus, qui Olympiade 27. victoriam retulit, nempe anno circiter 108. poſtquam eos ludos Iphitus inſtituerat; quos etiam Atreus in Patris ſui Pelopis funere celebraverat, annis juxta Vellejum, 346. antequam eoſdem Iphitus inſtitueret.

Quamvis Græcorum hiſtoriam ab Olympiadibus, ſeu etiam ab Ogygis diluvio, aut a Trojano bello hucuſque certam fateremur, quo idcirco nos perventuros putamus? Trojæ expugnatio contigit, juxta noſtram Chronologiam, circa annum M. 2820. ea circiter ætate, qua Jephte Iſraelitas judicabat. Ogygis diluvium ſtatuunt circa annum M. 2208. diu poſt Abrahami interitum. Prima demum Olympias incidit in ann. M. 2208. Periodi Julianæ 3938. annis octo poſt Jeroboami II. obitum, Zacharia Iſraelis Rege, & Ozia Rege Judæ imperantibus. A quibus etiam ætatibus inter Græcorum hiſtoriam quot implicata, quot incerta occurrunt? A ſacris ſolummodo Judæorum Libris certam populorum, qui primo Græciam & Ioniam frequentarunt, originem accipimus. Moyſe enim teſte, ab Jovan Ionios, Macedones a Cethim, Thraces a Thira, a Tharſi Cilices, Eleos ab Eliſa, a Madai Emathios, hos denique populos omnes ab Japhet egreſſos ſcimus.

Latinorum etiam hiſtoriæ [*] ante Romam conditam incertæ, difficultatibus obnoxiæ, & fabulis, quæ profanam omnem antiquitatem vitiarunt, refertæ. Caci, Latini, & Turni hiſtorias, Æneæ in Italiam adventum, Remi & Romuli ortum atque educationem inter ea recenſemus, in quibus parum veritatis, fuci plurimum eluceſcit. Certum Romæ conditæ tempus, quo maximi ponderis epocha inſtituitur, ignoramus; primi enim hujus Urbis incolæ vel colendis agris, vel bellis gerendis omnino addicti, nil de Chronologicis, de literis, aut hiſtoriis cogitarunt. Nos Romam conditam ſtatuimus anno Periodi Julianæ 3966. M. 3256. imperante Ezéchia Rege Juda, cum Sardanapalus Aſſyriæ Rex Ninive ab Arbace & Beleſo obſidione premeretur. Hæc vero ſingula prorſus recentia, ſi cum Orientalium, Hebræorum præſertim, antiquitatibus conferantur.

Gallorum, Germanorum [†], & populorum Septentrionalium antiquitates hic non expendimus, quod hi minime ſcripſerint, neque ullum nobis de ſuis hiſtoriis monumentum unquam ſuffecerint. Quidquid de iiſdem ſcimus, a Græcis, & a Romanis acceptum, utroſque vero earum hiſtoriarum minus peritos, nimiumque recentes ducimus, ut ea nobis impertiant, quæ in Galliis, vel in Germania ab initio, cum Regna, ſeu Reſpublicæ conderentur, evenere. Scriptores, apud quos eorum mentio, veluti de populis diu ante conſtitutis meminerunt.

Americanorum origini [*] inveſtigandæ, poſtquam America detecta eſt, ſatis incubuere Eruditi, quorum nonnulli eos vetuſtiſſimos autumarunt. De iis regionibus uſurpatum eſt, quod perhibuit Ariſtoteles [1] de quadam deſerta Inſula, ultra columnas Herculis, amplitudine eximia, ingentibus quarumlibet arborum ſylvis frequenti, ſingulis fructuum generibus affluenti, magnis irrigata fluminibus, & a Gadibus plurium dierum itinere disjuncta. Primores Carthaginis Magiſtratus, cum Carthaginienſes plurimos eo ſe conferre nonnulloſque inde minime regredi comperiſſent, ne quis impoſterum illuc pergeret, utque extemplo illic degentes reverterentur, capitali pœna ſanxerunt; illud veriti ne alii populi, re percepta, in eadem Inſula ſibi ſedem conſtituerent, & Carthaginis pacem, atque commercium everterent.

Apud Diodorum exactius aliquid [2]. Phœnices nonnulli in eam Inſulam, de qua is Author veluti ampliſſima, & terreſtri quodam Paradiſo loquitur, procellarum impetu adacti, cum deinde rediiſſent, ejus pulchritudinem & opulentiam quammaxime prædicarunt; quare Tyrrhenos [3] ejus deſiderio captos eadem potiri, eoque Coloniam ducere conantes, prohibuerunt Carthaginienſes, veriti, ne Carthaginienſium plerique regionis ubertate illecti Patria decederent, ſibique in eadem Inſula domicilium conſtituerent. Eamdem præterea veluti tutum perfugium reſpiciebant, ubi ipſos vel improviſa obrueret calamitas, vel eorum in Africa Reſpublica corrueret. Etenim cum mari potirentur, quo magis Regio ceteros latuiſſet, eo facilius futurum putabant, ut illuc ſe ſuaſque familias reciperent.

Hæc apud Veteres. Sunt, qui ſingula fabellam reputent; ſunt etiam, qui Inſulas Fortunatas, ultra Herculis Columnas in Oceano conſtitutas, hic deſcriptas defendant, Verum amplitudo, opulentia, navigiorum amnes patientes, montes, vaſta nemora, locupletes ædes, amplæ Urbes, quæ, ut ajunt, in Inſula, de qua Diodorus, & Ariſtoteles, occurrunt, illud ſatis oſtendunt, vel quod regionem ab Inſulis Fortunatis aliam deſcripſerint, vel quod eas Inſulas nonniſi ſubobſcure noſcentes, rem nimium amplificaverint. Ut ut fuerit, America ſane nobis omnino non patuit, niſi poſtquam ſæculo decimoquinto ab Americo Veſputio, & Chriſtophoro Columbo detecta eſt.

Quomodo homines eo pervenerint, ignoramus. Ipſos incolas, ſeu quomodo, ſeu quo tempore illuc ſe contulerint, prorſus latet. In eas oras vel a maris procella, vel inopinato aliquo eventu forte adacti fuere. Qui Americam Septemtrionalem incolunt, a Norvegia; qui Jucatan, ab Æthiopia; qui Peruvium, a Sinis, & ab India; qui vero regiones ad meridiem uſque ad Magellanicam, ab Oriente per terras Auſtrales ſe forte illuc contulere. Magnæ Tartariæ fines ad Septemtrionalem Americam proxime accedunt, forte etiam cum illa continuantur.

Mexici hiſtoriam [4], ſatis rudibus figuris expreſſam habemus, quæ 63. tabulis Mexicanorum geſta, politiam, mores, cæremonias, religionem, & proventus exhibet. Hiſpanus Mexici Præfectus hanc a Mexicanis una cum tabularum interpretatione vernaculo eorum ſermone ſcripta accepit: quæ deinde Gallice reddita, Mexicanorum hiſtoriam annum Chriſti 1324. non prætergredi; eo anno Mexici urbem fuiſſe conditam; & Montezunam eorum Regum poſtremum imperantem oſtendit anno 1518. quo Corteſius Americam appulit. Quibus hieroglyphicis, ſeu rudibus picturis Mexicani ad ſcribendum utebantur. In Tabulis, quarum modo meminimus, per informes homunculos quibuſdam diſtinctos notulis eorum Principes deſignantur, quorum Imperii anni per quemdam quadratulorum numerum, tabularum margini commendantur. Eorum denique victoriæ aliis exhibentur characteribus, quos, niſi Interprete indicante, difficillimum ſit divinare.

Ceteris Americæ populis nil præ Mexicanis compertum. Peruani de prima ſuorum Regum, quos a Sole progenitos ſtatuunt, origine plures fabellas venditant. Verumtamen primum eorum Regem imperare cœpiſſe conſtat circiter anno Chriſti 1125. quatuor ante ſæculis, quam Hiſpani Peruvium occuparent, anno nempe 1525. Ante hæc tempora apud hos populos nullus ſcripturæ uſus, pro qua rudem aliquam, quemadmodum Mexicani, picturam adhibebant; quibuſdam etiam utebantur funiculis, quorum colores & nodi id ferme præſtabant, quod apud nos alphabeti literæ varie diſtributæ.

Poſt-

(*) Latinorum Hiſtoria minus remotæ antiquitatis. (†) Gallorum & Germanorum antiquitatibus nihil obſcurius. (*) Americanarum gentium origines. (1) *Ariſtot. de mirabilibus auditu.*

(2) *Diodor. Sicul. l. 5. p. 207. 208.* (3) Incolæ Inſularum Lemni & Imbri in Mari Egæo, vel populi Etruriæ, nunc Tuſciæ. (4) *Hiſtoria Imperii Mexicani figuris expreſſ. a Paris. apud Andream Cramoyſi, 1703. Gallice.*

Poſtquam eos populos omnes, quorum hiſtoriæ veteres certioreſque reputari potuiſſent, ſatis percurrimus, iterum ad Iſraelitas, veluti ad veteris rerum originis & priorum hominum hiſtoriæ depoſitum cuſtodientes, revertimur. Hebræorum antiquitas neque exaggerata eſt nimium, neque fabulis innectitur, neque futilibus innititur argumentis. Monumenta annos ter, mille & ducentos excedunt. Moyſes primus Hebræorum Hiſtoriæ Scriptor primos, prope dixerim, Patriarchas agnovit. Ejus ſane ætate recens adhuc Turris Babelicæ, atque diluvii recordatio; nulloque negotio ea ſciri poterant, quæ diluvio præiverant. Moyſes præterea, Scriptura teſte, omni Ægyptiorum pollebat ſapientia [1]; veram eapropter eorum originem, & hiſtoriam callebat. Protulit itaque, quæ certa in eorum libris nactus eſt; quæ vero falſa & commentitia, vera narrando improbavit.

Moyſis Progenitores a Chaldæa & Meſopotamia egreſſi, earum regionum hiſtorias utique noverant, a quibus Moyſes eaſdem accepit. Beroſi de primis annis hiſtoria cum Hebræorum Scripturis, Joſepho teſte [2], apprime cohærebat; qui profecto conſenſus Beroſi hiſtoriæ veritatem quammaxime probat. Herodotus hiſtoriarum Pater merito appellatus [3], de iis, quæ per ſe ipſum noſſe poterat, cum Scriptura prorſus convenit. Tum vero tantummodo deceptus eſt, cum fabuloſis aliorum ſermonibus fidem adhibuit: e. g. cum ea profert, quæ didicerat a Sacerdotibus Ægyptiis, qui ejus credulitate abutentes, in rem ſuam & gloriam plurima convertebant.

Cum Græci vel ſuam vel aliorum antiquitatem elaturi, ſe terræ [4], vel ejuſdem, quam incolunt, regionis filios oſtentant, atque eo aliunde non commigraſſe defendunt, dum propriæ originis novitatem occultant, ſuam perſpicue inſcitiam produnt. Ab uno homine ceteri egreſſi ſunt [5]; qui vero ab eodem ſe non progenitos putant, unde orti fuerint, ſe ignorare demonſtrant. Populi certo veteres, & loco, quem primi homines incoluerunt, proximi minime ſtuduerunt, ut ſe, quemadmodum Athenienſes, a patria tellure genitos oſtentarent. Hi profecto numquam viſi ſunt barbaram vitam traducere, aut poſt diuturna tantum tempora urbibus conſtruendis, hiſtoriis ſcribendis, ſanciendis legibus, colendis moribus, & inſtituendæ Religioni incumbere. In Chaldæa, Aſſyria, & Ægypto architectura, Religio, & Leges conditæ in Græciam deinde, & in regiones ceteras commigrarunt. Celeberrimarum nationum origo, & traditionum fons in Oriente inveſtiganda. Si Veteres nonnulli, quemadmodum Scythæ, & quidam Africæ populi, barbaram & incultam vitam traduxerunt, vel referendum in eorum regiones, quæ ſterilitate ſqualentes eos prohibuere, quominus diu alicubi degentes, artes ingenuas excolerent, & politiam inſtituerent; vel vagæ eorum vitæ adſcribendum, a qua, quod initio amplexi eſſent, diſcedere detrectarint.

Ceteri vero minoris antiquitatis populi, & a primis hominibus remotiores, cum primum ad regionem aliquam incultam pervenerant, curabant illico, ut tellurem colerent, utque a frigore, ab æſtu, ab aeris inclementia, & a feris ſylveſtribus ſibi conſulerent. Si in iis regionibus homines alii jam verſarentur, bellis prorſus addicti, quomodo hoſtes invaderent, vel eorum improviſos impetus repellerent, unice ſtudebant; quare terroribus undique, curis, atque calamitatibus circumſeſſi, otio caruerunt, ut de ſcribendis hiſtoriis ſedulo cogitarent. Quo magis abſunt Provinciæ ab iis regionibus, quas veluti centrum duximus, unde ceteri egreſſi ſunt homines, populi eo rudiores occurrunt atque hebetiores. Septemtrionales regiones, Germaniam, Gallias, ipſam quoque Italiam cultu, regimine atque politia, ſcribendique conſuetudine, & ingenuis artibus diu deſtitutam novimus, quorum & religio barbara atque informis, mores aſperi, & ſtupidi, excolendi animi negligentia ſumma. Hi ſane populi hiſtoriis & origine propria neglectis, in earum prorſus oblivionem tandem venere; cum vero eaſdem inveſtigandi, & ſcriptis commendandi ſtudio teneri cœperunt, in craſſos errores prolapſi ſunt; & levibus quibuſdam confuſæ incertæque, quam ſervaverant, traditionis veſtigiis ducti & nobis inanes fabulas tranſmiſere.

Galli, Germani, aliique populi ſuorum Deorum, Semideorum, Heroum, & Regum genealogias, & Religionis ritus memoriæ mandantes, Annalium & Scripturarum defectum ſuppletum iri putarunt; verum oblivionis periculo, memoriæ variationibus, vicibus ex hominum morte, bellis, ceteriſque eventibus, quibus humana neceſſario ſunt obnoxia, conſequentibus, nonniſi imperfecte occurrunt. Illud itaque experientia compertum, ea omnia, quæ Druidæ & Bardi vel ſuæ vel alumnorum memoriæ commiſerunt, oblivione tandem ita deleta eſſe, ut eorum nihil ad nos uſque pervenerit.

Perpauca monumenta, quæ ſæculorum vetuſtati, & Barbarorum, ac Romanorum armis ſuperfuere, quædam nempe ſimulacrorum fragmenta, & nonnulli Gallorum nummi ad eas hiſtorias nobis nil prorſus conferunt. Quo etiam loquerentur idiomate, omnino ignoramus, quod literarum & ſcriptionum [6], per quas id, & hujuſmodi cetera ad poſteros tuto tranſvehuntur, conſuetudinem neglexerint. Quædam Gallici idiomatis reliquiæ in Britannia inferiori, & in Vallia adhuc ſuperſtites creduntur; quæ cum veteribus ſcriptis monumentis non innitantur, neque eorum dignoſcendæ hiſtoriæ conducunt. Quæ de iiſdem a Græcis & a Romanis percepimus, & perpauca ſunt & imperfecta.

Ægyptii & Æthiopes, qui hieroglyphicis ſuorum Principum geſta deſignabant, nihil contra oblivionem valuerunt, quamvis eorum memoriam ære & marmore commendarent; hoc enim loquendi genus myſteriis plus nimio obvolvitur. Alia quidem etiam faciliori, certiorique ſcribendi methodo utebantur; verum hæ ſcriptiones, quemadmodum & vetus Ægyptiorum idioma, omnino periere; rariſſima autem ejuſdem idiomatis monumenta, quæ vel invitis barbaricis ſæculis inoffenſa ſuperſunt, a nemine legi valent, aut explicari. Græcum idioma in Ægyptum a Ptolemæis invectum, linguam & veteres ejus regionis characteres ſenſim delevit. Vetuſtas Palmiræ, & Perſepolis inſcriptiones omnino ignoramus; & niſi Samaritani Pentateuchum veteribus Hebraicis characteribus exaratum ſervaſſent, Phœniciæ, & Iſraelitis uſque poſt Babylonicam captivitatem familiares, literæ nos omnino laterent. Nemo eſt qui Punicos characteres, & earum regionum nummos explicare valeat. Quamobrem, quod Sacri Hebræorum Libri exiliis, bellis, ceteriſque, quibus infelix hæc natio aſſidue preſſa eſt, calamitatibus invitis, ad nos uſque inoffenſi pervenerint, ad Divinæ Providentiæ miraculum referendum arbitramur.

Græci & literas & ſcribendi artem a Phœnicibus accepere [7], de qua ſe a Cadmo eruditos ferunt; eos vero ſcribendi conſuetudine nonniſi ſero uſos ſcimus. Homerum Poema ſuum minime ſcripſiſſe,

(1) *Act. 7. 22.* (2) *Joſeph. lib. 1. contr. Appion. p. 1044.* (3) *Tullius lib. 1. de Legibus.* (4) *Euripid. Strabo lib. 8. ex Thucydid. Iſocrat. Panegyr. alii.* (5) *Act. 17. 26. Fecit ex uno omne genus hominum inhabitare univerſam faciem terræ.* (6) Patet ex Cæſare, Helvetios Græcis characteribus uſos, cum in eorum caſtris exercitus Helvetici cenſum Græcis literis ſcriptum, ſed fortaſſe Gallico ſermone invenerit *lib. 1. cap. 29. in caſtris Helvetiorum tabulæ repertæ ſunt, literis Græcis confectæ &c.* Alibi tamen Cæſar Q. Ciceroni Græce ſe ſcripſiſſe narrat, ne intercepta Epiſtola Romanorum conſilia ab hoſtibus cognoſcerentur; *lib. 5.* Quæ duo loca conciliari nequeunt, niſi dicamus, Gallos Maſſiliæ, ac Mediterraneo proximos Græcis characteribus uſos, non item remotiores; *lib. 6. narrat*, Druidas in rebus publicis, privatiſque rationibus Græcis literis uſos. *Cum in reliquis rebus publicis privatiſque rationibus Græcis literis utantur.* (7) *Ita Tacitus, Lucanus, Q. Curtius, Plutarchus, Plinius, Mela, alii.*

ſe, ſed tantum memoria ſuggerente per partes ceciniſſe, quod deinde Rapſodi, ſeu Cantores memoriæ commiſſum referrent, poſtremo ſcriptis fuiſſe commendatum, Joſephus teſtatur [1]. Vetuſtiores Græciæ Hiſtoricos Perſarum adverſus Græcos bellum parum prætergredi conſtat. S. Clemens Alexandrinus primum Græcorum Scriptorem Anaxagoram tuetur [2]; Themiſtius Anaximenem ſtatuit [3], ante quem, ſubdit, Libros ſcribere probro ducebatur. Plinius [*] Cadmum Mileſium Græcorum hiſtorias primo ſcribere aggreſſum defendit. Fabulis & Poeſi diu antequam Hiſtoriæ & Philoſophiæ, juxta Strabonem [4] cultus adhibitus. Priores Hiſtorici, ut populo commentis aſſueto pergratas hiſtorias redderent, eas fabulis interſeruere. Quare & Homerus bellum Trojanum fabulis inſtruxit, & Poeſeos voluptate cumulavit.

Inter fabulas, quibus vetus hiſtoria obducitur, veritatis quidem veſtigia a nobis detegi, ultro fatemur. Quot vero præclare geſta Poetarum commentis omnino obruuntur? Ipſas quoque hiſtoricas veritates, quas per fabularum velamina proſpicimus, quonam lumine diſtingueremus, niſi Divinæ nobis præſto eſſent Scripturæ, a quibus ingenue & ſine fuco res exhibentur? Earumdem utique auxilio in Saturno Noe, Sem in Plutone, Smi, & Typhone, & in Neptuno Japhetum dignoſcimus. Moyſes cum Noe a Cham ejus filio natu tertio nudum inventum narrat, Saturni ab Jove mutilati fabulæ originem profert. Neptunus Oceani Deus Japhet populorum, qui Gentium Inſulas incoluerunt [5], patrem deſignat. Per Saturnum & Rheam, Adam & Eva, ſeu verius Noe cum conjuge induuntur. Gigantes, qui Jovi bellum intulerunt, & Cœlum aggreſſuri montes montibus impoſuere, eos exhibent, qui Babeliæ turri conſtruendæ incubuerunt.

Iſidem & Oſiridem in Ægypto, Venerem & Adonidem in Phœnicia, Cyniram Adonidis patrem ab Apolline victum, Europam raptam, & Andromedam expoſitam, & ab interitu vindicatam, fabulas quidem ſingulas ſcimus, quæ veris hiſtoriis alludunt. Aurea, argentea, & ferrea ætas, & veterum Græcorum Chaos ab iis repetuntur hiſtoriis, quas a Moyſe accepimus. Hiriæus, qui Jovi & Mercurio itinerantium ſpecie vagantibus bubulum tergus obtulit, Abrahamum refert, qui Angelos excepit, & Deo favente ab uxore Sara filium ſuſcepit. A Baccho Moyſes, a Mercurio Aaron, Samſon ab Hercule exhibentur. Ingenio plus nimio valere ſe Veteres affectarunt: ænigmatis & ſubtilitatis ſtudioſi nil ſe protuliſſe ducebant, niſi prolata quid mirificum redolerent. A quo quidem pravo & inani ſtudio Hebræorum hiſtoria evaſit incolumis. Nil hac gravius, nilque maturius. Dixerim melius: nil verius, nil ſapientius, nil venerabilius Divino Spiritu, quem primum ejuſdem Authorem ſcimus, cujus ſane virtute ſuavitas, lumen, & vis per totam undique hiſtoriam effluunt, atque redundant. Dulciori, atque præſtantiori præ Sacris Authoribus methodo nemo quidquam recenſuit; neque ulla monumenta præ Hebræorum hiſtoriis veritatis characteres unquam prætulerunt.

Illud ad noſtri Operis ſcopum ſpectabat, ut ſolos Hebræos veræ priorum ſæculorum hiſtoriæ depoſitarios, nullumque de iis certæ authoritatis monumentum ab Ægyptiis, Chaldæis, Phœnicibus, Sinis, Græcis, & Romanis produci poſſe oſtenderemus. Operæ etiam pretium duximus, Ægyptias, Phœnicias, Aſſyrias, Sinicas, Græcas, & Romanas antiquitates perambiguas, & maximis implicatas difficultatibus exhibere, ut Hebræis parum, his vero Nationibus nimium affectos ab errore deduceremus. Inde enim pariter nobis apologiam inſtituimus, quod de iis populis, quorum vetuſtas in dubium revocari nequit, nonniſi perraro in noſtris Lucubrationibus meminerimus. Satis de iiſdem in hac Diſſertatione produximus, ut quantum poſſet neceſſitas poſtulare. Lectorem erudiremus, quin narrationes noſtras intercidere, & moleſtas eiſdem, arduaſque diſcuſſiones intexere cogeremur. Hæc vero omnia in Diſſertatione in Geneſim, & de magnis Orientis Imperiis jam adumbravimus.

Qui Mundum initii immunem putant, & ante Adam homines ſubſtitiſſe, & alias, præter eas, quas ex hiſtoriis novimus, ætatum, Imperiorum, & Religionum vices præteriiſſe opinantur, de ſuis ſibi cogitationibus plaudant. Nos validas ad ea deliramenta probanda rationes ab ipſis expoſcimus. Syſtemata, hypotheſes, & æras, inaneſque Methodos inſtituere quis profecto non valeat? Hoc opus, hic labor eſt, ut nova ſyſtemata per ſolida argumenta defendantur. In novis inventis, in regionibus recens detectis, uno verbo, ſuæ novitatis characteres mundus undique præfert. Firmiora ceteris monumenta, marmora, nummi, ædificia, inſcriptiones, ſingula omnia mundum non diu antea conditum oſtendunt. Artium omnium, quæ humanæ opus ſunt vitæ, originem novimus, eas ſaltem non niſi diu poſt compertas ſcimus Mundi & materiæ æternitas in utroque ſyſtemate, quo Deus primum omnium Principium vel ſtatuitur, vel negatur, neque percipi poteſt, neque defendi;

APPEN-

(1) *Joſeph l. 1. contr. Appion. p. 1034. d.* (2) *Clem. Alex. l. 1. Strom.* (3) *Themiſt. Orat. 20.* (*) *Plin. l. 7. c. 56.* (4) *Strabo l. 1. p. 18. 19.* (5) *Geneſ. 10. 5.*

APPENDIX.

DISSERTATIONES IN POSTREMIS OPERUM SUORUM EDITIONIBUS AB AUTHORE ADJECTÆ.

DISSERTATIO
DE LINGUA PRIMITIVA,
Et linguarum ad turrim Babelicam confuſione.

IN varias diſſitaſque linguaa diſcretos mortales homines prophani Scriptores animadvertentes, veram ejua rei originem ſerutaturi, varia excogitatuos ſyſtemata. Autumarunt nonnulli, ſub ipſum mundi exordium, aureum Regnum tenente Saturno, non omnes hominea tantum, ſed & bruta etiam, piſces, avea uno eodemque ſermone tamquam vernaculo uſos (1). Additur in Fabulis, felicitatem ſuam minime intelligentea hominea, miſſa ad Saturnum legatione, immunem a lethu vitam poſtulaſſe, minus æquum repotantes, privilegium illud, quod ultro ſerpenti collatum fuetas, ut icilicet ſingulis annis ætatem ſnam vetera ſpolia exuens innovaret, hominibus invideri. Minus æquis auribus rem accipiens Saturnus, non poſtulata tantum negavit, ſed pœnam inflixit, ea idiomatis communione privatos illos volens: quod in hominum lingua diſſidium mutuo ſe invicem ſeparare illoa coegit.

Qui fortuitu caſu, ſive humenti terra ſolis calore fota productum hominem autumarunt, in ea fuerunt perſuaſione (2), terram ubique, qua late patet terrarum orbis, hominea effudiſſe, nulla uſos certa linguarum vel ſignorum methodo, ut latentes cogitationes ſuas aliis ſignificarent; quæ tamen omnia temporis ſucceſſu invenerint homines, ne mutua inter ſe conſuetudine privarentur, varia inducentes vel idiomata vel ſigna, prout caſus, ingenium, uſus in ſingulis tulit (3).

Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus e glande atque cubilia propter
Unguibus & pugnis .... pugnabant ...
Donec verba, quibus voces ſenſuſque notarent,
Nominaque invenere ....

Ab ipſo rerum exordio certa indita rebus ipſis nomina putare, ſtultitiæ damnat Lucretius (4).

.... Putare aliquem tum nomina diſtribuiſſe
Rebus, & inde homines didiciſſe vocabula prima,
Deſipere eſt .....

Addit idem Lucretius:

At varios linguæ ſonitus natura ſubegit
Mittere, & utilitas expreſſit nomina rerum.

Varia hæc ſyſtemata expreſſit ignorantia, qua de vera hominis origine tenebantur Pagani: neque enim ſive homines ex uno quodam prodiiſſe (*), ſive primum illum hominum parentem, qua erat a Deo præditus ſapientia, ſingulis animantibus peculiaria nomina aſſignaſſe (5) norant. Qua primus ille hominum parens utebatur, lingua ad filios tranſmiſſa, pura putaque ſine alterius admixtione ad diluvium uſque ſervata eſt; vel ſaltem veluti acceptum a primo homine depoſitum ſancte cuſtodivit Juſtorum genus Seth, Enos, Enoc, Lamec, Noe. Cum autem Noe, velut alter Adamus, novos incolas Mundo daret, eamdem pariter, quam prior ille Adam, linguam in filios transfudit, & longe lateque cum illis propagavit. Factum inde, ut poſt ſæculum circiter a diluvio (6), cum auctos plus nimio homines unus idemque locus non ferret, poſceretque diviſionem, ſermo unus eſſet omnibus (7): *Erat terra labii unius & ſermonum eorumdem.*

Fatemur quidem, poſtremum hoc Scripturæ teſtimonium, *Erat terra labii unius & ſermonum eorumdem*, varie apud varios exponi: ſunt enim qui de conſiliorum inter homines aſſenſu exponant (8), ut communibus ſuffragiis decretam turris novæque item Urbis ædificationem ſeorſum omnes probarent. Hanc ipſam interpretationem ſequutus videtur Philo, quamquam ad allegoriam omnia detorquet (9). Hæc ſane phraſis, *labii unius*, cui altera reſpondet, *ſermonum eorumdem*, ſummum plurimorum conſenſum exprimit aliquando, ut in illo Joſ. 9. 2. *Congregati ſunt* (Reges Chananeæ) *pariter uno animo, eademque ſententia.* Hebræus: *Eodem ore*, Septuaginta: *Simul omnes.*

S. Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus (10) hæreſis nota inurit ſententiam illorum, qui ante Babelicam turrim unum tantum vernaculum in Mundo ſermonem obtinuiſſe defenderent. Idem autem fuiſſe tunc hominibus, quod & Angelis, privilegium cenſet, ut ſinguli omnes callerent linguas. Sed cum, addit, tanti doni largitori Deo minus æqua, facta ab illo receſſione, rependerent, eoque perduellionis ſpiritu turrim ædificandam aggrederentur, actutum Linguarum oblivione mulctati ſunt: *Oblivione immiſſa a Domino, vix diſcere prævalent, non omnes, nec multas, ſed vix paucas Linguas.*

Vulgo tamen Patres & Interpretes, qua Judæi, qua Chriſtiani, de unico in Mundo vernaculo ſermone dictum illud Moſaicum interpretantur. Nec ſane aliter obvius pronuſque ſenſus inſinuat. Lectoris ſui animum ad excipiendam linguarum confuſionem præparaturus Moyſes, illud antea animadvertendum duxit, nimirum uno ad id uſque ore omnes locutos; & cum his verbis æquivocum aliquid ſubeſſe intelligeret, mentem ſuam apertioribus aliis prodens ſubdit: *Et ſermonum eorumdem.* Ad ſententiam S. Philaſtrii quod attinet, illi ſane de ſingularitate ſua præjudicatum eſt, quippe quæ refragatores habet reliquos omnes Patres, contraria plane ratione Textum Moſaicum interpretantes.

Qua vero ratione linguarum iſta confuſio induceretur, nec ſatis aſſequimur, nec ſatis inter Authores convenit. Prodigio Divino factum aliqui putant, ut maximæ hominum portionis phantaſia ſimul & memoria penitus inverſæ, notum antea ſermonem in novum alium tranſmutarent. Hanc rerum inverſionem Angelorum miniſterio inductam alii tuentur.

Non promptam aliquam ſubitamque linguarum inverſionem agnoſcit S. Gregorius Nyſſenus (11), ſed illud tantummodo Scripturæ verbis inſinuari opinatur, homines ſcilicet tandiu uno ſermonis vinculo coaluiſſe

(1) *Plato in Politic. Philo de Confuſ. ling. p.* 380. (2) *Diodor. Sicul. l.* 1. *p.* 5. *ſeu* 80. (3) *Horat. Satyr. l.* 1. *Satyr.* 3. *v.* 99. 100. (4) *Lucret. l.* 5. *ver.* 1040. *Vide & Vitruv. l.* 2. *de Architectur. c.* 1. *Primos homines ſine ſermonis articulati uſu diu in cavernis terræ ferarum inſtar habitaſſe, ac crebris nutibus, ſpiritu vocali & voce rudi animi ſenſus deſignaſſe; ac ſi demum ex eadem voce de eadem re ſæpius repetita vocem articulatam vocabula ſignificativa ac ſermonum uſum ortum eſſe.* (*) *Gen.* 1. 26. *Act.* 17. 26. (5) *Gen.* 2. 19. (6) *A. M.* 1757. (7) *Gen.* 11. 1. 2. (8) *Joan. Cleric. in Gen.* 11. 1. *Theologorum quorumdam Hollandiæ Epiſtola dogm. Epiſt.* 19. (9) *De confuſ. Ling. p.* 322. (10) *Hæreſ.* 56. (11) *Orat.* 12. *contr. Eunom. p.* 353. 354.

luiſſe inter ſe, quandiu uno omnes in loco ſubſtiterunt: cum deinde in varia abeuntes loca inter ſe diſſociarentur, ſimul & vinculum ſermonis abruperunt, ſuum ſinguli idioma ſecuti, ut neque communionem habere ſermonum ſibi invicem poſſent. Porro nihil in ea ſermonum diſcretione ſibi Deus peculiare reſervavit; ſed omnia naturæ perficienda reliquit, ſingulis hominibus facultate permiſſa, ut quacumque mallent voce, diverſa plane ab ea cui illuc uſque aſſueverant, intimos animi conceptus ſignificarent.

D. Clericus [1], qui non linguarum, ſed conſiliorum concordiam in textu illo Moſaico agnoſcit, in diviſione pariter & confuſione diſſidium animorum, non ſermonis pariter invehit. Factum inde autumat, ut facta inter homines ſedium & locorum diſcretione, & idiomatum quoque diſcrimen natura ipſe inſinuante induceretur. Tandem Simonius [2] linguarum ad turrim Babelicam confuſionem non aliter ac ne ad Deum authorem referri poſſe autumat, quam quod ipſe Providentiæ ſuæ conſilio diſpoſuerit, ut homines per varia Mundi loca diſpergendi vario pariter aſſueſcerent ſermoni: quod naturæ legibus apprime conſonum eſt, ut quiſque quomodo maxime voluerit, intimos animi ſenſus exprimat. Eſt igitur Deus ſermonum diſcretionis author ea tantum ratione, quod ratione utendi facultatem hominibus indiderit, unde variarum in mundo linguarum diſcrepantia.

Porro tria iſta ſyſtemata, in unum ferme convenientia, ut omnem prodigii a Scriptura inſinuati rationem evertant, rem maxime naturalem & ſimplicem myſtica quadam & figurata locutione a Moyſe deſcriptam inſinuent [3]. Ait enim Moyſes; *Deſcendit Dominus, ut videret Civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce unus eſt populus, & unum labium omnibus; cœperuntque hoc facere, nec deſiſtent a cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant. Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, ut non audiat unuſquiſque vocem proximi ſui. Atque ita diviſit eos Dominus ex illo loco in univerſas terras, & ceſſaverunt ædificare Civitatem.* Tanto hoc verborum apparatu exponeretur tantummodo, Deum permiſſa inter homines diſſenſione id commiſiſſe, ut diſcretis inter ſe locis & ſedibus, alii ab aliis ſegregarentur; quæ locorum ſeparatio ſermonum diſcrimen invexerit.

Semel hac admiſſa Scripturarum exponendarum ratione, ut ſcilicet evitandorum prodigiorum gratia in nova abire ſyſtemata ſinguli permittantur, & ea ſyſtemata, quæ hiſtoricum & literalem ſenſum, apertiſſimum licet, corrumpant & evertant; quid erit amplius in Sacris Libris aſſertum? Prodigia, expreſſa licet & clara, cum rebus maxime ſimplicibus & ad naturæ leges confundentur. Ita fiet, ut nimiam in prodigia credulitatem & populorum in ea ra licentiam refrænaturi, quidquid validum eſt, & maxime ad hominum captum in Religione aſſerenda tollatur. Eſt igitur cur literalem ſenſum obvium pronumque hoc in loco ſequamur; neque enim ab eo recedere ulla cogit neceſſitas, ſtatuendumque cum Patribus & interpretibus omnibus, unicam diſtinguendarum linguarum cauſam in Deum referri, qui ultionis illius genere animadvertendum duxit in primos temeritatis illius operis authores aggreſſoreſque.

Pro familiarum numero linguarum pariter diſcrimen invectum fuiſſe, una ferme obtinuit apud Veteres ſententia [4]. Principes autem familiarum 70. cenſebantur, ex quibus totidem linguarum genera invecta. Sed unde ſeptuaginta familiarum tantummodo Principes? Ex Deuteronomio 32. 8. inquiunt: *Quando dividebat Altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael.* Porro filii Iſrael in Ægyptum cum Jacob deſcendente, 70. enumerantur [5]: *Omnes anima domus Jacob, quæ ingreſſa ſunt in Ægyptum, fuere ſeptuaginta.* Alii 70. linguas e pari filiorum Noe cenſu referunt: Moyſe enim authore, Japhet genuit 14 filios, Cham 30. Sem 26. omnes ſimul 70. Huic hominum numero duos addunt LXX. Interpretes, videlicet in genealogia Japhet, *Eliſam*, & in genealogia Cham *Cainanum*. Ephorus aliique apud S. Clementem Alexandrinum Strom. lib. 1. ad 75. linguas recenſent; ad 120. S. Pacianus Barchinonenſis Epiſt. contra Novatium.

Sed inania omnia; quando enim locum Deuteronomii ad Babelicam diſperſionem referendum conſtaret, quod incertum eſt maxime; nonne duodecim tantum familiæ recenſendæ eſſent; quod totidem haberet Iſrael filios? Credimus autem numerum iſtum familiarum minorem habitum fuiſſe ab aſſertoribus hujus ſententiæ, quam ut tantum opus in ſe ſuſciperent; quare prorogandum cenſuerunt. Æque autem potuiſſet pro numero Iſraelitarum ex Ægypto egredientium totidem pariter homines in turris conſtructionem impendere, nempe ad 600000. Sed plus nimio aucta ædificantium turba videbatur. Sed quanam conjectura deducendum eſſet, ſeptuaginta tantummodo Principes familiarum, quo tempore imminebat diſperſio, in mundo fuiſſe? *Eliſa & Cainanus*, quod in ſeptuaginta tantum legantur, nihil faceſſont negotii aſſertoribus Hebræi & Vulgatæ. Qui vero ſtatuunt nec Arphaxad, nec Sale, nec Heber conſcios fuiſſe nefarii moliminis, ſicut & a pœna in perduelles inflicta immunes, illis certe linguarum numerus minor eſt quam ſeptuaginta. Jectan filius Heber, & tredecim ejus liberi nondum facile nati erant, cum linguæ diſpeſcerentur; en novum in ſeptuaginta linguarum diſcrimen. Ad hæc, qua poterant ratione ſeptuaginta linguarum genera apud homines diſtingui tempore Nemrodi, & Noemi ætate ineluante? Hodie pariter cum mundi nullus locus ſuo careat habitatore, vix totidem recenſerentur, niſi una in varias divideretur, & nulla cogente neceſſitate non jam idiomata diſtinguerentur, ſed dialecti.

Sed modo ad vernaculum illum & communem hominum ſermonem regrediendum. Narrat Herodotus l. 2. c. 2. Pſammetichum Ægypti Regem indagaturum, quinam inter mortales homines primi in mundum paruiſſent, ſingulare illud conſilium iniviſſe. Reputabat igitur vir ſolertiſſimus, ſiquidem fieri potuiſſet, uti in cognitionem veniret primæ omnium linguæ; exinde pariter aſſecuturum ſe, qui primi fuerint in orbe homines: quare duos recens natos infantes alendos commiſit Paſtori, mandatis onerato, ut alterum ab altero ſeorſum haberet, numquam coram illis loqueretur, & ab hominum conſortio teneret ſecretos; exploraturus inde quo tandem ſermone conceptus illi ſuos promerent. Cum igitur loqui præ ætate valerent, pueri ingeminabant, idemidem *beccos*: quod animadvertens Paſtor Regi nuntiavit, qui vocem illam cujus eſſet ſermonis vocabulum inveſtigans, deprehendit tandem, apud Phrygas panem *beccos* appellari. Ex quo recta ille conſecutione intulit, vernaculum populi illius ſermonem primigenium fuiſſe a natura datum hominibus, eamque gentem omnium eſſe vetuſtiſſimam.

Hunc Regem non Pſammetichum, ſed Bocchorim appellat, lapſu quodam memoriæ, uti credimus, Conſtantinus Manaſſe in Brev. Hiſtor. tt. Quod autem hic maxime animadvertendum, illud ducimus, Regem hunc primorum mundi hominum in cognitionem venturum non rectam viam tenuiſſe. Quæ enim e ſermone duorum illorum infantium ducitur conjectura, fallere poteſt maxime. Falſa enim Rex conſtituit, reputans, naturalem quamdam eſſe hominum linguam, unde ceteræ derivarentur, veluti unius ejuſdemque idiomatis dialecti; ponens inſuper terram alios & alios homines in variis mundi locis effudiſſet quod Ægyptiorum fuiſſe ſyſtema Diodoro Siculo authore dicimus. Referunt enim homines uni-

(1) *In Gen. 11. & Epiſt. 19. Theologor. quorumdam Hollandor. Sententia. Gallice.* (2) *Hiſt. Critic. V. T. l. 1. c. 14. 15. & Reſponſ. ad Theolog. Holland. c. 20.* (3) *Gen. 11. 6 7.* (4) *Lactan. Epiph. Euſ. Clem. Alex. Hier. Aug. Philaſtr. Arnob. Beda, alii paſſim. Vide Natal. Alex. hiſtor. V. T. t. 1.* (5) *Gen. 46. 27.*

univerſi generis ſuum a Deo, qui Adamum & Evam condidit, illos primos loquendi, ratiocinandi, imponendi rebus nomina authores; omnium enim illi ſapientiſſimi, expeditam habebant ratiocinandi, & loquendi, utpote perfectæ jam ætatis homines producti, facultatem. Non niſi per errorem quis opinaretur, datam fuiſſe hominibus certam ſermonis rationem, quemadmodum ſua habent a natura indita bruta quælibet ſigna, veluti clamores, ſibilos, & cantus. Neque id etiam ſtatuendum, tamquam omnibus æque brutis peculiares ſint a natura datæ voces. Avis recens excluſa, & longe ab avibus ſui generis ſonuerit, eorum potiſſimum ſonos imitabitur, quos ſtridentes forte vel canentes inſtrumentiſque ludentes audierit. Sunt etiam qui humanam vocem imitentur. Ita pariter & cum infantibus longe ab hominum conſortio innutritis contingeret, ut ſonos exprimant brutorum, qui forte tenellis auribus inſonuerint.

Sequaſtrati illi Pſammetici infantes balantes oves vel forte capellas audierunt: balatus illos exprimebant, clamantes illi pariter *beccos* vel tantum *becc*; *os* enim Græca eſt terminatio ab Herodoto addita. Si alterius cujuſque voces auribus illorum inſonuiſſent, imitatione retuliſſent actutum. Forte etiam caſu vocem illam pronunciarunt, quomodo immeditatas quandoque voces, nihil in noſtro quidem ſermone ſonantes, edimus interdum, varios mentis conceptus ſignificaturi; contigit autem quandoque, ut quæ nullam habeant in noſtro quidem idiomate ſignificationem voces, aliquos non inanes referant in Hebræo, Arabico, Græco, Germanico. Quid ergo? An recta inde conjectatione inferretur, radicia eſſe illa primigeniæ & naturalis linguæ, quod nobis inopinato, & immeditatis occurrant? Si hæc abſona; abſonum eſt pariter Phrygum linguam primigeniam, ſicut & vetuſtiſſimos eſſe in mundo Phrygas inde conſtitui, quod duo infantes caſu *beccos* clamaverint, cui voci Phrygorum ſermone ſua eſt ſignificatio.

Quando autem ſtateremus, naturalem eſſe aliquam hominis linguam, vitioſa eſſet ſemper argumentatio illa: Vernaculus Phrygum ſermo naturalis illius linguæ voculam retinet; non alia eſt ergo naturalis hæc lingua quam Phrygum. Porro ex ſingularibus nihil niſi ſingulare ſtatuas. Ad hæc, Phrygas Pſammetici ætate primitivam illam linguam ſervaſſe quis ad ſenſum demonſtret? Si enim in aliam tranſiliet ſermonem, tota Regis Ægypti ratiocinatio corruit.

Si naturalis quædam daretur lingua, nemo hominum illam non caleret, vel ſaltem nullo negotio, utpote naturæ omnium & genio conſonam, diſceret. Nemo eſt autem qui natura magiſtra idioma quodpiam edoctus loquatur. Exercitatione linguas diſcimus & ſtudio, leviori quidem maternam, quam una veluti cum lacte, ſugimus; improbo vero ceteras. Suppetunt etiam exempla quædam ab experientia; infantes enim ab hominum commercio nullam quidem vocem, niſi edocti, dare noverunt. Ita narrat Purchas (1) de puero, juſſu Melabdin Echebar Regis Indoſtan ſeu Magni Mogorii longe ab hominum conſortio innutrito, Legimus apud Joannem Radvita (2), an. 1661. inventum apud Polonos in ſaltu quodam Lituaniæ geminos novennes pueros cum urſis gregatim errantes. Non facili labore captum ex illis unum coram Rege ſtatuerunt: quem Baptiſmate initiavit Epiſcopus Poſnanienſis, lavavit e Sacro Fonte Regina. Puer autem ille belluam alte imbiberat adeo, ut quamquam ſalvis omnis loquelæ organis, nec ſermonem ullum proferret, nec diſcere unquam potuerit.

Quærendus eſt ergo inter vulgares primigenius ille Ademo inditus ſermo. Sed variæ ea de re ſententiæ. Hebraicam linguam maxima Scriptorum pars præfert; alii Syriacam malunt; alii Chaldæam vel Æthiopicam vel Armenam; nemo tandem ex Orientalibus vetuſtatis privilegio in eo quod attinet ad ſermonem alteri concedit (3). Goropius Becanus ſerio docet, Belgicam linguam ipſiſſimam eſſe primi hominis vernaculam. Sunt tandem inter viros doctos non rari, qui primam illam linguam intercidiſſe penitus arbitrantur; alii voculas quaſdam illius remanere cenſent in Hebræorum ceterorumque Orientalium linguis diſſeminatas, quarum tamen radices fere omnes latuerint. Singula modo ad examen revocanda.

S. Gregorius Nyſſenus (4) omnium, quos novimus, primus docuit, matricem illam linguam intercidiſſe; tenere enim ſe ait a viris in Scripturarum ſcientia doctiſſimis, Hebraicam linguam non eamdem referre antiquitatis indolem, quam aliæ nonnullæ; Deum autem inter cetera, quibus populum ſuum donavit, prodigia, illud etiam non exiguum contuliſſe, ut in ipſo egrediendi ex Ægypto articulo novam illis linguam antea ignotam, & ſingulorum mentibus inſitam traderet, Laudat in eam rem illud Pſal. 80. 6. *Cum exiret de terra Ægypti, linguam, quam non noverat, audivit.* Si enim hæc ad Moyſem, ait ille, referantur, non niſi de Hebraica lingua exponenda ſunt, qua ſola in ſcribendo uſum illum ſcimus.

Judæis facile opinionem hanc ſuam de prodigio in exitu populi ex Ægypto debet S. Gregorius Nyſſenus (5); ſed Judæorum authoritas quanti facienda ſit, ignorat nemo. Porro locus ille Pſalmi illud tantum inſinuat, Joſephum, id eſt, Iſraelitas ex Ægypto egreſſos vocem loquentis Domini tunc primum audiviſſe. Quæ vero e doctorum quorumdam virorum animadverſione didiciſſe ſe tradit S. Epiſcopus, linguam nempe Hebraicam neſcio quid novi referre, quod numquam vetuſtiores linguæ ſpirarant, id maxime repugnat doctiſſimis noſtris Criticis & Hebraicam linguam maxime callentibus, qui in Hebræorum ſermone nihil non vetuſtum agnoſcunt; concitus eſt enim, ſimplex, exprimendi vim habens ſingularem, fœcundus, cum ſit plurium in ceteris Orientalium linguis regnantium vocum fons & origo.

Recentiores illi, qui in S. Doctoris ſententiam conceſſerunt, ultero ſibi argumento perſuadent, primigeniam illam linguam interiiſſe (6). Obſervant igitur illi, in ipſo Moyſe totaque Babelicam confuſionem præcedenti ætate plura obtinuiſſe nomina, quorum nulla eſt in vernaculo Hebræorum ſermone ſignificatio; eorum vero, quorum in Hebræo occurrat radix, illa potuit Moyſes per ſe aptaſſe, cum ſcilicet vetera illa nomina in ſuam linguam verteret; forte enim vir ille ſapientiſſimus novit Hebraicas illis etymologias, quas modo in ejus ſcriptis animadvertimus, addere. Similia notant exempla in variis Hebræis, Græcis, & Latinis Authoribus, pares etymologias & alluſiones referentibus. Majora tamen in Hebræorum ſermone, quam in ceteris aliis Orientalibus linguis primævæ illius veſtigia ſupereſſe, ultro quidem concedunt; negant vero ipſiſſimam eſſe Adamicam, & omnium, quotquot unquam fuerunt, vetuſtiſſimam.

Sed his omnibus duo reponenda; 1. Hebraici ſermonis multa nunc hodie latere, nec proinde monſtri loco habendum, ſi radices plures vel ignoremus, vel in decurſu tot ſæculorum intercidiſſe conſtet. In lectione Sacrorum Librorum numquam non animadvertunt Viri docti voces, quarum radices fruſtra niſi in Linguis Arabica, Chaldæa, & Ægyptia quærerent. Familiares illæ erant Hebræis ut ex ejus Gentis Scriptoribus intelligimus, ſed longa deſuetudine antiquatæ penitus interciderunt.

2. Non abs re opinamur, primævæ linguæ radices

(1) *Purchas l. 1. cap. 8. apud Uvalton. Prolegom. 1. num. 3.* (2) *Joan. Rad. vitæ corm. Alc. Vide Moreri v. Urſo.* (3) *Vide Simon. Hiſt. Critic. V. T. l. 1. c. 14.* (4) *Orat. 12. contra Eunom. pag. 354.* (5) Theodoret. quæſt. 61. in Geneſ. hæc eadem inſinuat, laudans pariter in eam rem illud Pſalmi 80. ut de S. Gregorio jam attulimus. (6) *Vide Grot. ad Geneſ. 11. 1. & not. ad lib. de verit. Relig. Chriſt. n. 16. Huet. Demonſtr. Evangel. propoſ. 4. c. 13. Cluver. Germania Antiq. pag. 74. Georg. Horn. not. in Sulpit. Sever. lib. 1. pag. 52. Henric. Kipping de lingua primæva art. 6.*

plures in confuſione Babelica & deinceps interiidiſſe, uti vernaculo Græcorum & Latinorum ſermone, multo ſane recentiori, reipſa accidiſſe conſtat: quot enim veteres in illis radices & voces abrogatæ jam & neglectæ nonniſi in vetuſtis eorum Scriptorum Operibus ſervantur? An ergo recta inde conſecutione inferamus, Græcum & Latinum interiiſſe; vel illis ſalvis, eodem illo argumento Hebraicæ vel Adamicæ linguæ caſus probaretur?

Theodoretus (1), Amira (2), Myricæus (3), aliique Montis Libani Maronitæ, primævæ linguæ honorem Chaldaico, vel Syriaco vindicantes, rem faciunt pietati quidem in patriam ſuæ, non criticæ exactiſſimæ maxime congruentem. Nomina *Adam*, *Abel*, *Eva*, & alia multa radicem habent Chaldaicam, idem ſcilicet, quod hæc ſurculus ſit Hebraicæ; & quæ nunc exhibetur inter duo hæc idiomata ſimilitudo, major olim & ab initio ſpectabatur. Quod autem vetuſtatis privilegium Hæbraicæ ſupra Chaldæam linguam aſſerit, illud eſt non contemnendum, quod illa conciſa ſit præ iſta maxime, & ſimplicior.

Duas haſce ſententias conciliaturi viri quidam docti autumarunt, Chaldæum & Hebraicum unum eſſe eumdemque ſermonem; quare cum Theodoretus Syriaci vel Chaldæi vetuſtatem prætulerit, nihil aliud eo nomine inſinuatum ab illo volunt, quam veterem Hebraicum ſermonem, quem cum vernaculo regionis ſuæ confuderit. Revocant in eam ſententiam Philonem, aſſerentem Verſionem Septuaginta e Chaldæo adornatam fuiſſe; ſicut & Legem Chaldaicis literis traditam ignotam exteris diu latuiſſe (4); ex quo utique intelligimus, inter Chaldæam Hebræamque linguam nullum fuiſſe Viro huic erudito diſcrimen. In eam ferme Theodoreti interpretationem concedunt Villalpandus (5) & P. Thomaſſinus (6), quibus viſum eſt, Theodoretum inter Aſſertores vetuſtatis Hebraicæ linguæ recenſere.

Quo vero Philoni duas haſce linguas confundenti reponamus, numquam fieri potuiſſe animadvertimus cum S. Hieronymo in Daniel. c. 1. ut Rex Nabuchodonoſor tres illos pueros officiis Aulæ Chaldææ deſtinatos erudiendos in Chaldæorum idiomate traderet, ſiquidem Hebraicus cum Chaldæorum ſermone confunderetur. Nec Eliacim loquentem Hebraice ad Legatos Ezechiæ Regis Judæ (7) Rabſacem obſecraſſet, ut Chaldaice potius vel Syriace loqueretur, ne populus, qui forte in mœnibus aderat, dicentis verba auſcultaret. Experimento etiam quotidiano diſcimus, quam vere de ſe teſtaretur S. Hieronymus (8), nimirum poſt improbum in literis Hebraicis ſtudium, iterum eſſe nobis laborandum, ut Chaldæum addiſcamus.

Ad Theodoretum quod attinet, fruſtra adduceretur in patrocinium illorum, quibus Hebraicæ linguæ vetuſtas probatur; quo enim in loco de primæva illa lingua agit, ille facta Chaldæum inter & Hebræum colliſione, primum illum alteri præfert. Non ergo utramque linguam confudit.

Veteres illæ etymologiæ, Adamicæ linguæ reliquiæ, ideo forte in Chaldæo illo ſuperſunt, quod vernaculus Chaldæorum ſermo Hebræi eſſet dialectus; ex quo factum ut in utroque illo eædem pariter radices deprehenderentur. Ad hæc, ſunt quidem, fatemur, radices quædam in Chaldæo, fruſtra in Hebraico quærendæ: ſunt viciſſim & aliæ in Hebraico quidem ſuperſtites, in Chaldaico nihil habentes ſimile. Ita e. g. legit Hebræus; *Hæc appellabitur Iſcha* (ideſt Virago). Chaldæus autem: *Hæc appellabitur mulier* (Ittheta), *quia de viro ſuo ſumpta eſt* (Mibbaalah).

Quod Amira maxime urget argumentum, illud eſt. Abraham ejuſque progenitores Chaldæam referebant originem; quare Chaldæo, antequam Hebraico, tamquam vernaculo utebantur ſermone; ſuperat ergo Chaldæus vetuſtate ſua Hebraicum. Cui reponimus, 1. Inter geminas haſce linguas ſatis olim conveniſſe: facile proinde utramque callens Abrahamus, cum in Chananitidem veniret, loquentes Chananæos, quorum eſt idem ac Hebræus ſermo, percipiebat. 2. Fac autem Abrahamum Chaldæo, antequam Hebraico, aſſueviſſe. Quid inde? an proinde Chaldæus vetuſtate potior eſt Hebræo? Ut judicium de hac quæſtione feratur, res ipſa in examen revocanda eſt, & utriuſque monumenta expendenda.

3. Quamquam Hebraicus ſermo ex tunc a Chaldæorum vernaculo facile diſtingueretur, certo tamen conſtat, Abrahami familiam Hebraico aſſueviſſe, antequam in Chanaan itidem transmigraret: cujus rei certum exhibent argumentum Hebraica nomina ipſius Abrahami, Saræ uxoris ejuſdem, ſicuti & parentum, fratrum atque nepotum.

Cum Jacob in Meſopotamiam veniens ad Labani avunculi ſui ædes divertiſſet, nullo negotio reſponſa dabat excipiebatque. Utriuſque uxoris illius atque obſtetricum, ſicut & filiorum nomina Hebraicum ſonant; nec niſi ex Hebraico petuntur alluſiones, quas in eorumdem nominum impoſitione pater ſibi propoſuerat. Non ergo, niſi temere prorſus inferimus, Abrahamum antea Chaldæo aſſueviſſe, quam Hebraico. Si Chaldæi & Babylonii originis ſuæ auctores habuerunt Cham & Chus: quemadmodum facile ſuadet Nemrod filius Chus, imperii ſui ſedem Babylone conſtituens: ſi hæc, inquam, vera ſunt, monſtri profecto loco non habebitur, ſi Abraham, & ejus familia genus e Semo referens, purum putumque Hebraicum ſeparent, alterum illum profecto a Chaldaico, quo Babylonii utebantur. Eumdem Hebraicum vernaculum habet Labanus, quemadmodum ex impoſitis nominibus ab ipſo & Jacob monumentis ab utroque in monte Galaad erectis (9), ſatis conſtat.

Goropius Becanus, Cimbricæ ſeu Belgicæ linguæ antiquitatem demonſtraturus, rem totam egiſſe ſe putat, ſi etymologiis quibuſdam ex ea Lingua, ægre ille quidem, Hebraica primorum parentum nomina exponat. Ita ex. gr. *Adam* deducit ex Belgico *hatdam*, agger invidiæ, veluti ſi primus ille hominum parens agger eſſet invidiæ oppoſitus. *Eva* ex *Eu-vath*, ideſt vas ſæculi, erat enim Eva hominum germen & principium. *Abel* ex *hat belg*, odium belli; illatum enim in ſe a Cain bellum injuſtum Abel execratus eſt. Tandem *Cain* ex *cait-ende*, ideſt malus finis. Noe ex *noo acht*, qui neceſſitatem cogitando prævidet. Sed Lectorum patientia abuteremur talia referentes: quid refutantes? Quæ, rogo, lingua antiquitatis ſibi privilegium non aſſereret, ſi non diſſimiles etymologiæ valerent?

Arabes, Armeni, Ægyptii, Sinenſes, Æthiopes hæc pro ſe aſſerunt. Plura, inquiunt illi, primorum parentum nomina ſuam habent reſpondentem in noſtra lingua ſignificationem; regionem noſtram frequentarunt vetuſtiſſimi illi Patriarchæ; gens etiam noſtra cum vetuſtiſſimis certat: his profecto omnibus perſuademur, vernaculum apud nos ſermonem ipſiſſimum eſſe Adamicum. Verum ſingula hæc ſigillatim multum plane a demonſtratione recedunt; omnia vero ſimul conveniunt ex his gentibus nulli. Vernaculus Armenorum & Syrorum ſermo idem reipſa habendus eſt cum Chaldæo; Chaldæum vero ex Hebraico derivatum conſtat, Hebraici pariter ſurculus eſt Arabicus, qui ſane originis ſuæ ſimilitudinem adhuc refert. Arabum pater fuit Iſmael filius Abraham; quare vetuſtate illi quidem Abrahamum non ſuperant; nec proinde majorem ſermonis referre poſſunt antiquitatem, niſi per Abrahamum ad uſque poſteros Noe Babelicæ turris ædificatores aſcendant; tunc autem æquum illis jus erit cum Iſraelitis,

(1) *Quæſt. 60. 61. in Gen.* (2) *Georg. Amira Præfat. in Gramm. ſuam Syriacam.* (3) *Præfat. in Gramm. ſuam Chalda.* (4) *Philo de vita Moſis lib. 1. pag. 657. 658. 659.* (5) *Apparat. Urbis ac Templi, tom. 3. pag. 372. col. 1.* (6) *Methodo ad docendas & diſcendas linguas lib. 2. cap. 2. art. 11. pag. 139.* (7) *4. Reg. 18. 26.* (8) *Præfat. in Dan.* (9) *Geneſ. 31. 47. 48.*

ris, genus ex Abrahamo per Iſaac referentibus. Reipſa tamen potior erit Iſraelitarum cauſa, quod & Patriarcharum ſeries purior apud iſtos, quam apud Arabes, manſerit, & multo ſint Iſraelitis vetuſtiore, ac certiore, quam apud alias quaſcumque gentes documenta. Moyſes eodem ſermone loquebatur ac Abraham; Abraham vero eodem ac Thare: hic, uti credimus, eodem ac Sem & Noe. Hebræis hodie integrum manet ejuſdem linguæ Moſaicæ depoſitum; eoſdem Legiſlatoris Libros ſervant, legunt, & legendo intelligunt. Par de ſe prodant Arabes, & reliquæ per orbem nationes.

Ægyptii ac Æthiopes noſtræ ætatis negotio multo difficiliori linguæ ſuæ antiquitatem ſupra ceteras omnes efferrent; carent enim primævæ linguæ certioribus documentis, vel ſi quæ ſuppetunt, intellectu non percipiuntur. Servantur quidem noſtra adhuc ætate in Sacra Scriptura Græciſque Auctoribus veteris Ægyptiorum hiſtoriæ fragmenta; quibus tamen gentis illius privilegia nihil juvantur. Quæ de Pſemmetico, experimento duorum ſegregatorum ab hominum commercio infantium primævam linguam explorante, habet Herodotus, ſatis probant, Ægyptios nihil de linguæ ſuæ vetuſtate præclare ſenſiſſe. Conſtat etiam Scripturæ teſtimonio, primum Ægyptiorum auctorem fuiſſe Mizraim filium Cham; æque autem certum eſt Chanaan filium Cham, & fratrem Mizraim Hebraice locutum. Cur ergo non æque certum erit, Mizraim ejuſque filios eodem vel non abſimili ſermone ab initio uſos? Ex hoc autem intelligimus, Ægyptios etiamſi linguam ſuam ex Adamo repetendam optimis argumentis demonſtrare potuiſſent, nihil inde aliud deducturos, quam quod Hebræorum vel Phœnicum linguæ omnium vetuſtiſſima habenda eſſet.

Unicum ergo quæſtionis hujus punctum in eo conſtitutum eſt, 1. An Noe ejuſque filii communi cum Adamo ſermone uterentur. 2. An eodem Abraham idiomate loqueretur, ac filii Noe, qui Babelicæ turris ædificium aggreſſi ſunt. Duo ſunt enim veluti puncta certa, in quibus linguæ omnes ad unam coaluerunt; in Adamo nempe & Noe; in exordio ſcilicet Mundi, & in conſtructione turris Babelicæ. Neque demonſtrandum ſuſcipimus, toto illo 1655. annorum intervallo, quod inter creatum Adamum & diluvium interjacet, nihil in primæva illa lingua mutationis accidiſſe; nullo enim argumento ſive ea res probaretur, vel aſſereretur, contrarium. Fatendum eſt tamen, vix fieri potuiſſe, & tanto temporis ſpatio nihil incommodi ſentiret inter varias effuſa gentes lingua illa primæva; inter gentes, inquam, adeo a ſe invicem moribus diſſitas, ut ne commune quidem haberent commercium: certam enim deſignat Moyſes epocham connubiorum inter filios Dei cum filiabus hominum [1], nempe filiorum Seth cum filiabus Cain, quaſi de re nova & ad id uſque inſueta.

Utcumque tamen res habeat ſeſe, certum modo conſtituimus, Noe treſque ejus liberos Adamico ſermone locutos, quem integrum ſanctumque ejus familia deinde ſervavit aduſque diſperſionem Babelicam, quo tempore Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber adhuc agebant in vivis. Noe 150. annis circiter poſt Babelem vitam adhuc produxit; a cujus obitu biennio vel circiter Abraham natus eſt [2]. Si Babelica linguarum confuſio in ultionem ſuſcepti temere ab hominibus conſilii divinitus immiſſa eſt, non ægre quidem perſuaderemur, immunem, ſicut a crimine, ita etiam a pœna fuiſſe Noe pariter & Sem.

Cum interim homines in varia orbis loca diſpergerentur, Noe, Sem, Arphaxad ita Meſopotamiæ & Chaldææ ſedes retinuerunt ſuas. Thare cum tota familia in Ur Chaldææ morabatur [3], quo tempore Deus Abrahamo indixit [4]: *Egredere de terra tua, & de cognatione, & de domo Patris tui*. Quæ dicendi phraſis ſatis exprimit, ſedes habuiſſe jam diu in ea regione fixas.

Ex Urbe Ur Abraham in Meſopotamiam ad Urbem Haran contendit; inde ſe contulit in Chanaan itidem, tum in Ægyptum, iterumque in Chanaan itidem, ubi potiſſimum ſubſtitit. In variis hiſce locis vernaculo ſemper uſus ſermone, nullo adhibito interprete, videtur. Nec tamen inde ego intulerim, unum eumdemque ſermonem ubique eorum locorum regnaſſe. Conſtat enim, Chaldæorum vel Syrorum, ſicut etiam Ægyptiorum ſermonem alium tunc fuiſſe ab Hebræo; ſed ita alium credo, ut non multum ab illo abhorreret; ex quo facile qui unum calleret, alterum intelligeret. Uno verbo, ita apud me conſtituo, Meſopotamiam univerſam, Chaldæam, Babyloniam, Armeniam, Syriam, Arabiam, Palæſtinam, Phœniciam, & Ægyptum eo vernaculo uſos ſermone, qui ſatis ad Hebræum accederet; at linguarum confuſio in iis maxime provinciis ſentiretur, quæ multum eſſent ab ipſis diſſitæ. Teneo pariter conſtitutum, primigeniæ linguæ expreſſiores characteres Hebræam ſupra ceteras ſervaſſe; quod mihi hiſce potiſſimum argumentis perſuadetur.

Recte ſentientes omnes ſtatuunt congruentia origini, indoli, dotibus, & proprietatibus nomina ſingulis quibuſque rebus animantibus, & perſonis imponi oportere. Si contra hodie nomina abſona, origine & ſignificatione occulta, indita rebus animadvertamus, inde cauſa repetenda eſt, quod non materna aliqua, ſed ex aliis pluribus coaleſcente lingua utamur. Cum autem in ipſo rerum exordio unicus eſſet ſermo, impoſita rebus omnibus nomina ſua non deſtituebantur ſignificatione.

Quo igitur in cognitionem primævi illius idiomatis deducamur, ſedulo animadvertendum eſt, quæ potiſſimum linguæ radices contineat primorum nominum rebus ſingulis impoſitorum, veramque illorum exprimat etymologiam pariter, & ſignificationem. Congruunt autem hæc omnia cum vernaculo Hebræorum ſermone, & ita congruunt, ut enim alio numquam, Impoſita hominibus, animantibus, arboribus, locis, metallis Hebraica nomina naturam exprimunt, dotes, vires, impoſitæ appellationis occaſiones; ecquid non? *Adam* eſt rufus, quod e ſubrubra terra, in Hebræo *Adama*, deductus fuerit. *Heva*, ſeu *Cheva*, derivatur ex *Chaiah*, vita; *Iſcha*, virago, ex *Iſch*, vir; *Cain*, poſſeſſio, ex *Canah*, poſſidere. *Habel* eſt vanitas; *Seth*, poſuit, ſeu replevit: Seth enim locum Abelis a fratre interfecti occupavit; *Eden*, deliciæ; *Henoch* vel *Chanoch*, innovatio, dedicatio &c. Brutis impoſita nomina ſignificationem retuliſſe ſuam, ſicut & cetera locorum, Fluminum, Urbium, & Provinciarum, ſumma laboris contentione Bochartus demonſtravit.

Statuendum eſt igitur, ſive Hebraicum ſermonem ipſiſſimum eſſe Adamicum, & Noemicum, ſive eo deducendi ſumus, ut fateamur Moyſem genuina ſingulorum nomina ad arbitrium procudiſſe, novis hiſce ſuis ex Hebræo ſermone deductis in locum veterum & primogeniorum ſubſtitutis. Felix plane viri ingenium, qui in ea nominum tranſmutatione potuit vernaculi ſermonis æque ſignificativa, & non diſſimilibus ducta etymologiis nomina in locum Veterum ſubſtituere. Hæc ægre quidem, ſed tamen utcumque in lucubratione aliqua ſcribenda, in qua rara tantum nomina tranſmutanda, tentarentur: ſed in ſpiſſo quodam Opere, quale Pentateuchum agnoſcimus, vix fieri poſſe credimus. Opus etiam fuiſſet, ceteros poſt Moyſem Scriptores eamdem cum illo methodum ſequutos fuiſſe; quod factu poſſibile minime credimus.

Fac tandem Moyſem ceteroſque Sacros Hebræorum Scriptores hanc ſibi methodum ſtatuiſſe: qui ne potuerant eam pariter legem prophanis etiam Scriptoribus, integris gentibus, atque infeſtiſſimis Judaici nominis adverſariis imponere, qui ſcilicet omnes iiſdem, ac Moyſes, nominibus Urbium, locorum, hominum, provinciarum, fluminum uterentur? Unde iam tot eorum ſententiarum affinitas & ſimilitudo, niſi a lin-

(1) *Geneſ. 6. 1. 2.* (2) Turrim Babelicam compoſuimus cum A. M. 1757. Noe diem clauſit A. 2006. Abraham natus eſt A. 2008. (3) A. M. 2082. (4) *Gen. 12. 1.*

lingua illa primitiva, cujus veſtigia in omnibus ferme linguis ac gentibus reſidua? Nomina Cham; Chanaan, Sidon, Meſor, Mizraim, Aram, Aſſur, Babel, Jordanis, ſive Jarden, Eden, Ninive, Euphrates, Ararat, Libanus, & alia multa, Sacris æque ac Prophanis ſunt familiaria. Vero igitur propius exiſtimamus, primævam hominum linguam Hebraicam fuiſſe.

Satis jam occupavimus objectionem illam e tot illis nominibus deductam, quorum nullæ ſunt in Hebræo radices. Occurrere illa quidem alio faſemur; ſed privilegio vetuſtatis, quod Hebraicæ linguæ aſſerimus, nihil officiunt. Quis enim monſtri loco habuerit, ſi abolitæ jam duorum millium annorum decurſudine ſermonis voces quædam interierint, quarum tamen veluti depoſitum affines quædam & collaterales linguæ ſervarint? Jure quo etiam poſtliminii reſtituendus eſt illis primus, quem tenebant in vetuſtiſſimo & ſimpliciſſimo idiomate locus. Ad hæc, quænam ratio cogit, ut in vernaculo Hebræorum ſermone etymologias omnes quæramus nominum, ſive apud Moyſem, ſive in Libris Sacris occurrentium? Nonne ex illis plura a primæva illa lingua ſunt aliena, deductaque potius ab externo aliquo ſermone, quonam illo, incertum? Non eſt enim nobis niſi de temporis ante diluvium & linguarum confuſione, habenda ratio.

Aliud in eam rem argumentum ex eo ducitur, quod e vernaculo Hebræorum ſermone facile reperitur ſignificatio nominum, vetuſtiſſimis gentium Numinibus impoſitorum, quæ ſane nomina gemina etiam hominum ætate luteidum diluvium ipſum ſuperantium. Porro nomina illa ex Oriente in Græciam totumque late mundum divulgata, in aliis omnibus linguis inanem referunt ſonum; cum vicisſim in Hebræa & ſuam habeant ſignificationem, & rei prodant originem. Ita *Ammon* idem eſt ac *Cham*. Idem eſt etiam Græcis *Zeus*, Jupiter, ac Hebræis *Cham*, nempe ardens, fervens. *Jupiter* ſive *Jovis*, congruit cum Hebræo *Jova*, *Jehova*, *Jao*, Deus. *Japetus* eſt *Japheth*; *Sny* eſt *Sem*; *Neptunus* refertur ad Hebræum *Niphen*, quod eſt extendi. *Poſeidon*, Græcum Neptuni nomen, deducitur ex *Phaſah*, extendere. *Vulcanus* ipſe eſt *Tubalcain*. *Ares*, id eſt Mars, repetitur ex *Aritz*, fortis, violentus? *Venus* ex *Benoth*, puellæ, ſive ex *Bana*, filios habere, domum conſtruere; & ſic de ceteris.

Muſica inſtrumenta ante diluvium obtinebant, ipſo Moyſe Gen. 4. 21. teſtante, quorum nomina apud Græcos & Latinos manent; ſed incerta apud illos etymologia offertur in Hebræo ſermone; ſicut & Hebræorum ſcripta primos eorumdem inſtrumentorum Authores produnt.

Nomina gentium, provinciarum, amnium, montium, vetuſtiſſima ſunt & barbara plerumque Græcis & Latinis, ſicut & gentilia Hebræis, quorum ſermo & genuinas illorum explicationes, & primos Urbium Authores ac gentium Patres aperiunt. Nonne conjecturam inde capere licet, hunc ipſum Hebræorum ſermonem primorum hominum vernaculum fuiſſe? Videſis ingens Opus Geographicum Bocharti, inſcriptum *Phaleg* & *Chanaan*.

Ea eſt etiam Hebraici ſermonis indoles, ut vetuſtatem ſuam & ſupra cetera antiquitatem prodat. Ita eſt enim natura comparatum, ut ex ſimplicioribus & facilioribus via pateat ad ardua. Ipſa rerum compoſitio, admixtio, additiones non niſi poſt prima illa irrepſerunt. Studii ſunt enim & meditationis. Porro Hebraicus ſermo ſimpliciſſimus eſt ſupra ceteros: Hebraicus, inquam, in Libris ſacris expreſſus; quo enim in Libris ſuis utuntur Rabbini, plurium externarum vocum admixtione corrumpitur. Radices Hebraicæ plerumque non niſi tribus literulis vel duabus ſyllabis conſtant; nomina in variis caſibus numquam inflectuntur; pluralia tantum a ſingularibus diſtinguit. Syllaba *im* maſculinis & *oth* fœmininis pluralibus adjecta: anomaliæ raræ in declinationibus & conjugationibus: conjugationes vero potius, quam verba, multiplicantur; unde factum, ut ad nullum fere uſum valeant verba auxiliaria ſummo linguæ compendio. Genus ipſum in verbis diſtinguunt; & in verbis, ſicut in nominibus, ſua ſunt fœminina & maſculina.

Loco pronominum poſſeſſivorum, meus, tuus, ſuus, ſunt apud Hebræos affixa ex unica literula vel ad ſummum duplici, quibus ſatis loquentis perſona diſtinguitur, an fœmina ſit an mas; genus etiam rei, maſculinum ſcilicet an fœmininum. Vocales rariſſimæ in ſcribendo, quo Scriptura breviatur maxime. Deſunt tandem ſive verba, ſive nomina compoſita; rariſſimæ propoſitiones, & illæ quidem plerumque non ſeorſum ſcriptæ, ſed vocibus adjectæ, in unum cum illis coaleſcunt. Nihil de comparativis, vel ſuperlativis, variiſque conjugandorum verborum rationibus. Duo tantum diſtinguunt tempora, præteritum, & futurum; participia unum vel duo; infinitum & imperativum. Uno verbo, conciſum magis, ſimplicem, facilem, & expreſſivum ſermonem ne concipere quidem facile eſt.

Hæc plane omnia a demonſtratione adhuc abeſſe fateor; & ineluctabili plane argumento id numquam evincetur, ſive Adamicam linguam hodie ſupereſſe, ſive illam cum Hebræa confundendam, ſive alio, quam Chaldaico, ſermone locutos Noe & ejus filios. Sed ineluctabile pro ſe argumentum promant adverſarii, & quæ a nobis fuſius deducta ſunt, aliis depromptis firmioribus conjecturis evertent. Argumenta nos quidem plauſibilia adduximus, quorum vim auget multo ſane validior & numero & authoritate ejuſdem ſententiæ propugnatorum manus. Rabbini (1), & ex noſtris Commentatoribus & Patribus plerique (2) Hebraicam linguam ex Adamo repetunt. Nec aliter plane ſuadent vetuſtatis illi characteres in eadem lingua expreſſi; quæ pariter lingua omnium ferme Orientalium matris jure meritoque haberetur, Chaldææ ſcilicet, Syriacæ, Arabicæ,

Quæ ſederunt Prophanis ſententiæ, naturalem ſcilicet quamdam fuiſſe hominibus linguam, vel productis caſu in variis terræ locis hominibus, poſt rem tentatam pluries, & poſt varios articulatos ſonos tandem advenisſe, ut varias linguas inſtruerent: quæ, inquam, ſederunt Scriptoribus hiſce ſententiæ, nihil habent, non dicam veri, ſed nec veriſimilia quidquam & ſolidi. Homines nec caſu prodierunt, nec prodiiſſe quidem poterant: Deum habent authorem, a quo ſimul & ſermonem acceperunt, ut numquam ſine uſu ſermonis fuerint.

Nec monſtri loco habenda ſunt, quæ de vetuſtate linguæ ſuæ jactitant Ægyptii, Armeni, Æthiopes, poſtquam mirabilior alter inventus eſt, Goropius ſcilicet Becanus, linguæ ſuæ Belgicæ ſive Hollandicæ vetuſtatem ſupra ceteras efferens. Inſito quidem a natura amore Patriæ ſuæ & aviti ſermonis ſtudio quique tenemur; ſed rari ſunt, qui amorem hunc ſuum ad extrema eo uſque provexerint. Illud conſtat, quo gradu a locis & regionibus, ubi primorum illorum hominum ſedes conſtituta erat, recedimus, eo pariter creſcere linguæ primitivæ inveniendæ difficultatem. Ad hæc, ſicuti veſtigia quædam primævæ hujus linguæ in ceteris ferme omnibus Orientalibus ſupereſſe conſtat: ita pariter ad diſtinguendam Adamicam linguam a ceteris omnibus ſatis non eſſe arbitramur, ſi quis radices quaſdam hujus primævæ linguæ, vel ſaltem affines quaſdam voces inveniſſe ſibi in aliquo ſermone confidat. Cetera omnia congruere oportet. Sicut viciſſim non recta conſecutione deducitur, Hebraicam linguam aliam eſſe a primitiva, quod veterum nominum radices quædam nuſpiam in illa recurrant, ſi ceteroqui reliqua omnia cum illa plane congruant.

Tan-

(1) *Ita Rabb. Ben-Gerſon, Abenezra Abarbanel, Jarchi ad Gen. 11. 1. 2. Simeon Ben Jochai in Libr. Zohar. Liber Coſri: Azarias in Meor Enaiim.* (2) *Origen. homil. 11. in Num. Hieronym. in cap. 3. Sophon. Auguſt. lib. 16. de Civitat. cap. 11. & lib. 18. cap. 39. alii plures.*

Tandem linguarum illa confuſio, de qua Moyſes, non ita accipienda eſt, quaſi ex ſuborto inter gentes illas diſſidio earumque in varia orbis loca diſperſione, naturali quadam veluti conſecutione deduceretur. Prodigio debentur omnia. Deus enim ſive per ſe, ſive Angelorum miniſterio [1] idiomata confudit; ita tamen, ut primævus ille ſermo minus alienæ corruptionis ſenſiſſet in genere Sem cæterorumque fratrum, purius autem purioque maneret in familia Phaleg, Heber, Thare, Abrahami progenitorum, ſicut & in familia, alioqui tamen corruptiſſima, Chanaan [2]. Ita Divinæ Providentiæ conſilio diſponente, ut cum Abraham in deſtinatam illam ſibi ſuiſque poſteris regionem veniret, patrium ſuorum ſermonem familiarem in illa nactus, ab avito illo deſueſcere non cogeretur.

Chananæis, alio nomine Phœnicibus, authoribus factum eſt, ut Hebraicus longe lateque per Africam cæteraſque fere omnes Inſulas Mediterranei atque maritimas ejuſdem freti regiones propagaretur. Hæc probabiliſſima viſa ſunt, quæ de primæva hominum lingua differerentur; quod argumenti genus egregie adeo excuſſerunt Viri quidam doctiſſimi, ut non alia ratione in examen revocandum illud ſuſceperimus, niſi in eorum gratiam, qui cum Libris alioqui vel careant vel non abundent, præclare ſecum agi cenſerent, ſi aliquid ea de re in Diſſertatione hac noſtra diſcerent.

DISSERTATIO
DE GIGANTIBUS.

IN tota Antiquitate maxime celebres Gigantes habentur, quippe quibus teſtimonium ferunt Poetæ, Hiſtorici, & quà Sacri quà prophani Scriptores; omnium denique ſæculorum traditio, cum vetuſtiſſimis regionum monumentis, una omnes voce prædicantes viros, qui immani corporis & virium habitu, tum & cœptorum audacia longe lateque ſui nominis terrorem intulerunt. Ut autem inſitam habent homines in res novas propenſionem, magnis majora libuit adjicere, non Poetis tantum, ſed & Hiſtoricis non raro adeo rem per ſe miram exaggerantibus, ut juſtos rei limites præſcribere, & vera a falſis ſecernere, operæ ſit non exigui. Nec minus eſt laborandum, ſi quis velit ad fidem inducere ſuſpicacia quædam ingenia, quibus errandi timor ſatis eſt cauſæ, ut credulitatem ſuam erga res inſuetas & a noſtris penitus abhorrentes, ſuſpendant.

Operis ergo noſtri in præſentia erit, ut Gigantes reipſa extitiſſe demonſtremus, ſimul etiam ejus veritatis adverſarios refutantes. Verum antequam manus operi admoveatur, certus quæſtionis ſtatus determinandus eſt. Gigantum nomine non eos tantum intelligimus, qui procerioris corporis ſtatura cæteros regionis ſuæ viros non digiti totius vel etiam ſemipedis aut pedis menſura ſuperant, plures enim in Mundo ejus generis occurrunt; ſed viros deſignari arbitramur, noſtræ ætatis homines pedibus nonnullis, vel etiam duplo, triplo, quadruplo juſtam ſtaturam quinque pedum & ſemis excedentes.

a. Neque id nobis quærendum, an plurium ſæculorum ſucceſſu contigerit aliquando, ut naturæ quodam luſu Gigantes prodirent; quemadmodum interdum monſtra & pumiliones ſpectantur, quorum ſinguli ſucceſſione carent. Sed illud diſcutimus, an vetuſtiſſima ætate ante diluvium, & diu etiam poſt, ſatis frequentes homines occurrerint juſta hominum noſtræ ætatis ſtatura multo ſuperiores; qui in certo quodam regionis tractu certiſque familiis frequentius, quam alibi prodierint; ut certum genus & peculiaris Gigantum regio poſſit aſſignari.

Inter eos qui Gigantes extitiſſe negant, non ſatis convenit. Aſſerit Joſephus Antiq. l. 1. c. 4. Angelos plures ad filias hominum acceſſiſſe, eorumque commercio natos viros impotentis audaciæ, qui viribus valentes nihil ſanctum habebant, eaque aggreſſi ſunt, quæ de Titanibus Poetæ comminiſcuntur. Gigantum ergo nomine deſignari credit Joſephus viros audacia impotentes.

Aliquis forte putet, ait Philo de Gigant. *quæ Poetæ de Gigantibus fabulantur, Legiſlatorem ſubindicare, cum hæc immenſum diſtent a fabulis . . . Nullam de Gigantibus affert fabulam, ſed illud te docere vult, ut vitari voluptates corporis, & harum uſum fructum, quærenda undecumque ſcelerum materiam.*

Ipſe idem Philo in lib. de Confuſ. ling. de Turri Babellica a Gigantibus ædificata agens, tradit, Paganos, cum hæc legerent reclamaſſe: *Ecce ſacri, quos vocatis, Libri fabulas continent, quales aliis referentibus irridere ſoletis.* Simillimo enim animo Gigantes ædificationem Turris aggreſſi narrantur, quo de Gigantibus Pelion Olympo & Oſſæ ſuperimponentibus ad Cœlum obſidione tentandum fabuloſa vetuſtas commenta eſt. Univerſam hanc hiſtoriam Philo ad allegoriam referendam contendit, autumans, ſub allegoriæ hujus ambagibus hominis impii adverſus Deum audaciam, & protervitatem exhiberi. Nulli erant ergo huic Authori ſive ante ſive poſt diluvium Gigantes.

Perſuaſum pariter fuerat Origeni [3], Gigantum nomine non viros corpora immanes deſignari, ſed ſceleſtiſſimos quoſque, impios, Atheos & hujus farinæ homines, quibus nulla de Deo, hominibus, & juſtitia, eſt cura. Malunt alii cum Euſebio Cæſarienſi Præpar. l. 5. c. 4. & 5. Gigantes apud Moyſem ipſiſſimos eſſe Dæmones, quorum adverſus Deum pugna in Gigantum & Titanum adverſus Deum fabella deſcriberetur. Exequemur inferius veteris illius opinionis originem, quæ Gigantes e Dæmone parente natos ſiſtit, quin & ipſas Gigantum animas in cenſum malorum Spirituum refert. Quam tamen opinionem cave ne cum altera Gigantes prorſus ſubducente confundas; illa enim a communi omnium ſententia in eo tantum recedit, quod de Gigantibus illis in libro Henoch legit, ad patres Dæmones cum filiabus hominum ante diluvium commiſtos eſſe referendos; cum interim contraria Gigantibus opinio Librum illum penitus ad fabellas rejiciat.

S. Chryſoſtomus in Geneſ. Homil. 22. tenet, Gigantum nomen apprime in Scriptura viros corporis robore & ſtatura immanes; [4] quorum in cenſum refert Nemrodum, virum, ut habent Septuaginta, Gigantem. Profecto Hebræum *Gibbor*, quam Gigantem reddunt, ſonat ad litteram virum fortem, & impotentem.

S. Cyrillus Alexandrinus ad Imperatorem Julianum reſpondens lib. 9. inſinuare videtur, Gigantes monſtris ſimiles viros eſſe, quos quidem proceritate corporis robore aliquos vulgo homines ſuperare potuiſſe credis; ſed multum concedere Gigantibus illis, Poetarum carminibus celebratis, quos ferunt ex ipſo maris ſino Inſulam manu avulſam contra Cœlum ejaculatos. Sunt igitur, ait, Scripturæ ſtylo, Gigantes viri fortes & audaces, ore

(1) *Vid. Orig. hom. 18. in Numer. Aug. de Civit. l. 16. c. 6. Jonathan Paraphr. in Gen. 11. 7. 8.* (2) Chananæorum, Phœnicum, & Hebræorum ſermonem unum eſſe eumdemque, probant Bochartus, Huetius, Valtonus, & alii. (3) *Orig. apud Gen. C. P. in Cat. Gr. in Octateuch. Vid. & apud Theod. q. 48. in Gen.* (4) *Hom. 30. in Gen. p. 422.*

terribiles & monſtro ſimillimi, quos vindicis Numinis ira effudit, atque male affecta parentum phantaſiæ formavit. Non noviti credimus, has Patrum interpretationes expreſſiſſe neceſſitatem nominis Gigantum, ne forte nominis ſimilitudine cogerentur in Scriptura viros agnoſcere eadem corporis immanitate, qua apud prophanos Poetas, Gigantes.

Gigantes apud Stoicos in eodem ordine cum Centauris cliiſque monſtris, errantis phantaſiæ ludibrio efformatis, habentur. *Centauri, Gigantes, & quidquid aliud falſa cogitatione formatum habere aliquam imaginem cœpit, quamvis non habeat ſubſtantiam*, ait Seneca *Ep.* 58. Totam illam de Gigantum adverſus Deos expeditione fabellam ad allegoriam detorquens Cicero de Seneſt. ſignificari tantum credit paſſionum adverſus rationem & naturam certamen. De Gigantibus hæc Macrobius Saturn. l. 1. c. 20. *Gigantes quid aliud fuiſſe credendum eſt, quam hominum quamdam impiam gentem, Deos negantem, & ideo exiſtimatam Deos pellere cœleſti ſede voluiſſe.*

Scriptores quidam rerum naturalium cum in animum inducere non poſſent, natos unquam in rerum natura viros, quales deſcribunt Gigantes; ſuſpicati ſunt, ea omnia, quæ de Gigantibus in Cœlum arma inferentibus narrantur, de ventorum quodam ſpiritu, quo terræ viſcera concutiuntur, exponenda fuiſſe. Vim enim inferunt venti, ut e terræ carcere liberati per apertum aere exſpatientur, cujus libertatis amore ſcitum eſt quanto impetu montes disjiciant; excitant non raro ignes, lapides longe ejaculantur, ſpecie quaſi in Cœlum protrudant. Tunc Jupiter i. e. Cœlum, & aer fulgure in illos, & imbres demittit, quibus pacantur omnia, ventorum impetus comprimitur, ſubterranei ignes extinguuntur, vel ſaltem ita coercentur, ut exterius non prodeant. Hinc nata fabella, Jovem dejeciſſe Gigantes, quos ſub montibus Ethna & Veſuvio, veluti grandi pondere, qui ſe revelari quandoque nituntur, oppreſſos detinet. Ex eo Gigantum niſu intimæ illæ terræ ſucuſſiones, & ignes, quos dato temporum intervallo evomunt montes. Nihil hic non phyſicum & naturæ legibus conſonum.

Nec figura ipſa Gigantum apud Poetas ſua caret allegoria. Ita de illa Ovidius Faſt. l. 5. v. 15.

Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues.

Manus robur deſignant, angues inconſtantiam, & anguium ſpiræ dolum ac tortuoſam hominum nequitiam.

Plus aliquid vident alii Philoſophi, defendentes, non tantum Gigantes numquam in rerum natura ſpectatos fuiſſe, ſed nec ſpectari unquam tam immani corporis ſtaturæ viros potuiſſe. Certam enim rebus quibuſque ſtaturam præſcripſit naturæ Author, quam prætergredi numquam eadem natura permittitur. Nihil in univerſo extra legem & menſuram, cujus harmoniam gradus aliquis ſi rebus addatur detrahaturque, corrumpit. Certa in aſtris motus menſura, ſua etiam in aere, ſua in aqua, nec incerta pariter in terra, quæ ſi præſcriptas ſibi leges prætergrediatur, iterum actum eſt de animantibus, de plantis, de arboribus. Hominis ſtatura æque reſpondet gradui, ſive motui frigoris & caloris, quo terra tenetur. Plantæ, quibus alitur, aer, quo refrigeratur, animantia, quibus utitur, homini creantur, ejuſque, ut ita dicam, naturæ ex æquo reſpondet. Si corporis ille ſtatura creſceret decreſceretque, tota illa harmonia diſſolveretur, atque tota corrumperetur univerſi elegantia. Nullibi ergo uſpiam fuerunt Gigantes, vel ſi quos forte extitiſſe dixerimus, aliam ſtatuamus, quam nunc ſit, mundi naturam oportet, alium aſſignemus terræ locum in univerſo, aliam indolem aeri, aliam elementis, aſtris, & plantis.

Quæ nunc eſt natura, numquam ſatis eniteretur, ut Gigantem ederet. Quis autem credat aliam fuiſſe olim, ac modo eſt, naturam? nec ſane adeo diſſimilis fuiſſe unquam potuit, quantum debuiſſet, ut Gigantem efformaret. Numquam ergo Gigantes produxit.

Veteres illi, qui vulgari majorem ſtaturam primis illis hominibus conceſſerunt, multum tamen abſunt ab immani illa proceritate, quæ de Gigantibus prædicatur. Habent enim perſuaſum, hominis ſtaturam, ut longius, non ultra ſeptem altitudinis pedes [1], quos Herculi aſſignant [2], aſſurgere potuiſſe: *Licet plerique definiant, nullam poſſe excedere longitudinem pedum ſeptem, quod intra menſuram iſtam Hercules fuerit.* Hanc menſuram ſi qui ſubinde viri exceſſerunt, uti Oreſtes, vir ſeptem cubitis, ſive decem altitudinis pedibus non impar, & *Puſio* ac *Secundilla*, quos ultra decem pedum ſtaturam immanes Roma ſub Auguſto ſpectavit, exceptiones ſunt hæ regulæ communis, & monſtruoſi quidem naturæ fœtus, ex quibus nihil inferas pro reliquis.

Si naturæ ſeneſcentis vitio homines imbecilliores eſſent, qua ſtatura, qua viribus, quam olim fuerint; ſtatueremus etiam oporteret, naturam in eo conſiſtentiæ ſtatu jam inde a pluribus ſæculis manſiſſe; cum jam inde a tribus annorum chiliadibus factum ſit, ut ſtaturæ hominum nihil addatur decerpaturque. Quare numquam per nos admitteretur Veterum illud, *cuncto mortalium genere minorem in dies menſuram fieri propemodum obſervatur* [3] Multum ætate ſua decreviſſe hominum ſtaturam præ veteribus hominibus, Homerus deplorat [4].

Nam genus hoc vivo jam decreſcebat Homero [5].

Ejus rei cauſam refert Plinius l. 7. c. 16. ad ignem illum, quo tandem mundus in cinerem favillaſque redigetur, paulatim abſumentem radicalem humorem, vitam hominum alentem. Factum inde, ait, *raros* (eſſe filios) *patribus proceriores, conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergit ævum.*

In eamdem ſententiam concedens Author quarti Eſdræ ſcribit cap. 5. 51. *Interroga quæ parit, & dicet tibi. Dicet enim ei: Quare quos peperiſti, nunc non ſunt ſimiles his, qui ante te, ſed minores ſtatura? Et dicet tibi & ipſa: Alii ſunt, qui in juventute virtutis nati ſunt; & alii qui ſub tempore ſenectutis* (naturæ), *deficiente matrice nati ſunt. Conſidera ergo & tu, quoniam minori ſtatura eſtis præ his, qui ante vos.* Lucretius Philoſophus Epicureus ita mentem ſuam hac de re prodit l. 2.

Jamque adeo fracta eſt ætas, effœtaque tellus,
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit.
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Repugnare quidem iſtæ ſententiæ Gigantibus adverſæ plane videntur; ſed bonam cauſam non bonis argumentis tuentur. Si enim naturæ ſeneſcentis ægritudo tanta erat jam inde a Moyſis, nempe 2500. annis poſt Orbem conditum, vel ab Homeri ſaltem ætate, nempe mille ſolidis ante Jeſum Chriſtum annis, ut nullis adhuc Gigantibus ſufficeret, quo deinde perveniſſet evolutis adhuc 5718. annis, quot ab ea ætate ad nos uſque fluxerunt? Ad Pigmeos profecto redactos jam homines ſpectaremus.

Addunt [6], nonniſi monſtra habendos fuiſſe homines, quos juſtæ nunc ſtaturæ exiſtimamus, ſiquidem procera corporis habitudo ſpecioſior eſſet, & naturæ hominum magis conformis: tunc enim omnes Gigantes nati fuiſſent. Nunc vero contraria omnia; homines enim vulgo ejuſdem erant olim & modo ſtaturæ; ac Gigantes tamquam omnium ætatum monſtra perinde habiti ſunt. Statuendum eſt igitur, quemadmodum monſtra rara ſunt, & extraordinaria, ita pariter & Gigantes vel numquam paruiſſe, vel ſi rari interdum prodierunt, errore ad naturæ præ-ſcriptas

(1) *Solin. Polyhiſt. c. 5. Vide & Varron. apud Gell. l. 3. c. 10. Varro modum eſſe dixit ſanum adoleſcendi humani corporis, ſeptem pedes.* (2) *Vide Salmaſ. in Solin. p. 3. Edit. 1686.* (3) *Plin. l. 7. c. 16.* (4) *Iliad. 7.* (5) *Juvenal. Sat. 15.* (6) *Vide Toſtat. in c. 2. Deut. q. 2. Bolduc. Eccleſ. ante Legem l. 1. c. 7. 8.*

Digitized by Google

ſcriptas ſibi leges nunnumquam tranſgreſſæ, vel ſaltem virtutis ſuæ ſpecimen dare volentis, conatui deputandum.

Quinam ergo gigantes Scripturæ? Homines reputat Philo (*) terrenos, voluptuoſos, terræ filios, atheos, Dei adverſarios acerrimos. Homines vitæ turpitudine & morum deformitate monſtroſos cenſet S. Cyrillus Alexandrinus (1). Homines ad longiſſimam ætatem vitam protogantes Diodorus (2).

Franciſcus Georgius (3) habet quidem perſuaſum, viros illos ſtaturæ proceritate ſupra ceteros aſſurrexiſſe; ſed æque cenſet, fœtus illos habendos non humani alicujus conjugii ex fœmina, & mare, ſed dæmoniaci, ex Dæmone nempe cum fœmina. Quis enim credat, ait ille, homines naturæ leges ſtaturæ proceritate adeo tranſcendentes natura ugente in mundum veniſſe? Superat opus illud naturæ vires; quare poſt devictum a Jeſu Dæmonem, redactumque in ordinem, ne poteſtate ſua deinceps abuteretur, nuſpiam in mundo Gigantes viſi ſunt, quod ſcilicet Dæmoni libera amplius non eſſet, uti prius, facultas cum fœminis coeundi.

Stephanus Gobar apud Photium Cod. 232. pag. 898. rem tractat problematice; perduelles Angeli, cum in terram deſcendiſſent, inito cum fœminis connubio, Gigantes genuerunt. E Gigantibus cum brutis coeuntibus nata hominum monſtra, & ſexus utriuſque Dæmones. Seu potius Angeli illi perduellionis rei, qui nec carne conſtarent, nec oſſibus, cum ad filias hominum per ſe accedere non poſſent, impiorum hominum ad illas corrumpendas miniſterio uſi ſunt; vel tandem nec ipſi per ſe, nec alterius miniſterio illas tentarunt.

Severi Sulpicii ſententia his verbis exprimitur (4). *Ex Angelorum, & mulierum coitu Gigantes editi eſſe dicuntur: cum diverſa inter ſe natura conjunctio monſtra gigneret.* Porro ſi inter monſtra rejiciendi ſunt Gigantes, numquam ſatis frequentes fuiſſe oportet; rara ſunt enim, utpote præter conſuetas naturæ leges, monſtra.

P. Boulducus Capuccinus in ſuo Opere de Eccleſia ante Legem lib. 1. c. 2. 8. 9. & l. 3. c. 2. defendit, *Nephilim*, *Raphaim*, *Zazim*, *Enacim*, *Emim*, *Zomzomim*, quæ varia habentur Gigantum ſæviſſimorum & immaniſſimorum hominum nomina, nihil tale utique deſignare; quin potius *virtute*, *ſanctitate*, *animi magnitudine*, *conſtantia*, *ac bonis operibus Gigantes*. Nomen *Nephilim*, ſonans eos qui cadunt, qui ſe proſternunt, inditum cenſet viris quibuſdam piis, quod aſſidui eſſent in preces. *Enacim* vel torquem ferens, equitum erat, inſtitutus ab Abrahamo, quo tempore in Hebron morabatur, Ordo: conſtabat autem viris per omnia ſingularibus, ſtatura, divitiis, magnificentia.

Addit, Gigantum nomen eſſe honoris, datum viris illis juſtis ante & poſt diluvium. Porro viri erant illi apud omnes ſpectatiſſimi, quos Moabitæ honoris gratia appellabant *Emim*, i. e. Reverendos; Ammonitæ *Zomzomim*, Sapientes; Chananæi *Raphaim*, Reſtauratores; Syri *Zazim*, Illuſtres. Addit proinde, elogium illud Nemrodo datum a Sacra Scriptura, probri loco ab Interpretibus præpoſtere acceptum fuiſſe: *Venator robuſtus coram Domino*; ſignare hæc virum ſpectatæ pietatis ac ſanctitatis. Docet eandem Boulducus, veteribus Gigantibus ſua fuiſſe in locis, quæ in fidem ſibi conſtituerant, pietatis aſceteria. Hæc viri commenta refutavit Anonymus in Opere, quod numquam videre mihi contigit, inſcripto: *De Nephilinis, Gigantibus vulgo dictis, exercitatio contra Jacobum Bouldue.*

Sententiæ illorum, qui Gigantes negant, opponunt veterem populorum traditionem, tenentem fuiſſe olim populos multo quam vulgarem hominum noſtræ ætatis, ſtatura proceriores, quorum oſſa & olim & nunc etiam in dies inventa, rei experimentum [illegible]tura, demonſtrant. Sed viciſſim ea pa[illegible] præventio & Gigantum illa oſſa ridentur ab adverſariis. Poetis obſtetricantibus nati ſunt Gigantes, quos fabula nutriit, populorum credulitas fovit. Quæ Gigantum oſſa creduntur, oſſa ſunt reipſa ſive ceti, ſive elephantis, ſive foſſilia in terra naturali igne concreta. Hæc ſane opponit P. Kircherius, acerrimus, ſi quis alius, Gigantum adverſarius. Validiſſima ſunt hæc pro ſententia Gigantibus adverſa argumenta, modo pro illis quædam.

Apud Moyſem & Sacros poſt illum Authores mentio inducitur non obſcura de Gigantibus, robore, cœptis, proceritate, expeditionibus, numero, & apud Inferos ſuppliciis notiſſimis. Frequentiſſimi erant ante diluvium, ſicut & quo tempore turris Babelica conſtruebatur; familiæ tandem quædam ad ipſam Moyſis, Joſue, imo & Davidis ætatem pervenerunt. Proferuntur ejus veritatis aſſerta, vetera, & certiſſima monumenta, non quidem ex Poetis, ac ſubleſtæ fidei Authoribus, ſed ex Moyſe vetuſtiſſimo illo Scriptore, cujus genuina citant Volumina. Ferunt ejus rei teſtimonium Scriptores Sacri, vetus & conſtans populorum traditio, unde Poetæ hiſtorias illas de Gigantibus derivarunt, quas commentis ſuis & fabellis in majus exaggerarunt.

Cum cœpiſſent homines, ait Moyſes Gen. 6. 1. &c *multiplicari ſuper terram, videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant. Dixitque Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt; eruntque dies illius centum viginti annorum.* (I. e. intra hoc annorum ſpatium perdendis hominibus diluvium immittam) *Gigantes* (Hebr. *Nephilim*) *erant ſuper terram in diebus illis; poſtquam enim ingreſſi ſunt Filii Dei ad filias hominum, illæque genuerunt, iſti* (*Gibborim*) *ſunt potentes a ſæculo, viri famoſi.*

Noti ergo erant *Nephilim*, i. e. Gigantes, in mundo, antequam filii Dei, nempe e genere Seth viri, cum filiabus hominum, e genere nempe Cain, jungerent connubia. Vetus eſt traditio apud Rabbinos, ac plures Chriſtianos Scriptores recepta, Adam inter Gigantes principem locum obtinuiſſe. Docent enim Hæbræi (5), Deum ſemel inito conſilio hominem formandi ingentem terræ maſſam, quæ vix intra totius mundi ambitum contineretur, ſibi conſtituiſſe; quæ ſane terræ moles ſi extenderetur, ad firmamentum uſque eminuiſſet. Cum Deus hanc terram in hominem effinxiſſet, ſimulacro ſpiritum vitæ indidit: actutum Adam in pedes ſeſe erexit, Angeli ad inſuetum monſtrum paveſcentes clamarunt: Domine Deus univerſi, ſunt ergo geminæ in mundo poteſtates? Tunc Deus capiti novi hominis manu ſua impoſita, ita immanem Gigantem compreſſit, ut ad ſtaturam mille cubitorum tantum juxta aliquos, vel 900. ut fert aliorum ſententia, vel ſaltem ducentorum aut trecentorum, quin & centum cubitorum, juxta nonnullos, redigeret. Nec ſane minor exigebatur hominis ſtatura, ut decerperet fructum arboris ſcientiæ boni & mali, cujus ſpectatiſſima erat & monſtro ſimilis proceritas.

Hæc de Gigantea Adami ſtatura ſententia arriſiſſe pariter videtur S. Hieronymo, vertente illud Joſue 14. 15. *Hebron vocabatur Cariath Arbe; Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt*; ſed verti aliter poteſt Hebræus: *Hebron ante vocabatur Cariath Arbe: vir iſte maximus inter Enacim*; i. e. Arbe Princeps eſt Gigantum ejus regionis. Idem S. Hier[illegible]ymus in Quæſtionibus Hæbraicis in Geneſim, [illegible]n locis Hebraicis v. *Arboy*, hanc opinionem [illegible]nfirmat. Tandem in epitaphio Paulæ tradit [illegible]*ariath Arbe*, ſive *Urbem Quatuor*, nomen ſuum [illegible]ere quatuor viris, Adam, Abraham, Iſaac, & [illegible]; tum aſſerit Adamum ibi conditum eſſe, ju[illegible] Libri Joſue, & receptæ apud Hebræos traditi[illegible] authoritatem. Gemina ſentiunt Chriſtiani [illegible]m Scripturæ apud Bar-Cepha & Joannem Lu[illegible]m.

Vetuſtiores [illegible]luvio homines juſtam hominum ſtaturam

(*) *De Gigant.* (1) *Cyrillus l. 9. contra Julian. & l. 2. Glaphir. in Gen.* (2) *In Catena. Quidam apud Theodoretum quæſ. 48.* (3) *Franciſ. Georg. tom. 1. problemat. 74. 75. apud Sixt. Senenſ. l. 5. ann. 51.* (4) *Hiſt. l. 1.* (5) *Vide Bartolec. Biblioth. Rabbin. t. 1. p. 5. & Morin. Exercit. Bibl. l. 1. Exercit. 8. c. 11. n. 14.*

curam plus nimio plerumque excedebant. Diluvii ætate ſuperſtitem fuiſſe tenent Rabbini Og Regem Baſan, de quo legimus Deut. 3. 11. *Solus Og Rex Baſan reſtiterat de ſtirpe Gigantum*. In Arcæ ſcalas, extra tamen, vel ſuper ejus tectum, neque enim ane uſt ea de re Rabbinorum ſententis, ſeſe recipiens Rex ille, aliorum interitum tuto ſpectabat, cibo interim ſibi ſufficiente per expreſſum foramen Noemo, cujus ſervitiis toto vitæ tempore ſe ſe mancipaturum Og ſpoponderat. Porro Og immanem corpore virum cum ſemel Abraham non verbis tantum ſed factis etiam acrioribus caſtigaſſet, dentium unus ex ore viri excuſſus eſt, qui unus vel cubilibus nonnullis juxta quoſdam, vel ſellis juxta alios, materiam abunde ſufficit.

Cum Og copias ſuas adverſus Iſraelitas duceret (1), animadvertens hoſtilem exercitum ſpatio duarum leucarum extendi, montem æque grandem in caput ſuum levavit, quo in hoſtium capita excuſſo, omnes uno ictu opprimeret. Accurrit prompte Deus, cujus opera immiſſus vermiculus, opportune adeo montem, quo loco capiti Gigantis reſpondebat, perfodit, ut ſuper ſcapulas viri recidens, amplioris collaris ſpeciem exhiberet. Tentavit ille e collo ſaxeum torum reducere: ſed ampliores viri dentes alte ſe in montem inſinuantes, firmum retinebant. Opportunitatem nactus Moyſes, accurrit ſtatim armatus aſcia decem cubitorum; decem etiam cubitos altu ſaltavit, vir ipſe duodecim cubitis procerus, quibus tamen omnibus adjumentis nihil aliud valuit efficere, quam ut talos adverſarii pertingens, mortis ictum infligeret. Hæc Rabbini, qui illud Deut. 3. 11. *Monſtratur lectus ejus* (Og): *novem cubitos habet longitudinis, & quatuor latitudinis*; de ennis infantis exponunt. Ludibria hæc errantis phantaſiæ non moramur; ſed monſtrari illis receptam apud Hebræos traditionem quis neget?

Nomen *Nephilim*, quod redditur *Gigantes*, ſonare poteſt ad literam cadentes, in alium irruentes, impetum facientes, veluti aves in prædam ſeſe immittentes; item, qui alios evertunt, dejiciunt, vel tandem homines violentos, impotentes, audaces. Iſraelitæ poſt exploratam terram promiſſionis ad ſuos in deſertum Cades reſtituti dixerunt: *Vidimus monſtra quædam filiorum Henac de genere Giganteo* (Hebraice *Nephilim*), *quibus comparati, quaſi locuſtæ videbamur*. En plane non obſcurum teſtimonium de Gigantibus, non ratis illis, ſed in gentem, & populum coaleſcentibus: *Omnis populus quem aſpeximus*, legit Hebræus, *viri menſurarum ſunt*.

Nomen *Nephilim* poſt Moyſem nuſpiam legitur in Libris Sacris (2), cujus loco Gigantibus deſignandis frequens eſt apud illos vox *Rephaim*, ne Moyſi quidem ignota. Ait enim Moyſes, Codorlahomorem, & fœderatos ipſi Reges percuſſiſſe *Rephaim in Aſtaroth-Carnaim* (3). Pollicetur Deus Gen. 15. 20. daturum ſe Abrahamo *regionem Rephaim*, quorum natio in Transjordanis. Og Rex Baſan *ſolus remanſerat de ſtirpe Gigantum* (4), Hebræus, de ſtirpe Rephaim, i. e. Moyſis ætate Gigantes ſeme defecerant. Vir ille ſtatura adeo erat immanis, ut æneum ejus cubile novem cubitis longum, quatuor latum, adhuc poſt plures annos in Rabbat Metropoli Ammonitarum monſtraretur (5). Reddunt novem cubiti pedes quindecim, digitos 4. ac ſemis, pro ſingulis cubitis 20. digitis ac ſemis computatis; qui ſi recte ſupputentur, ... homini ſtaturam triplo juſto majorem.

De *Emim* po... lis ad Orientem maris mortui ſermo eſt apud M... m, narrantem, permiſſos illos populos Moabitis, ... termino ſtaditos fuiſſe. Potentiſſima erat & freque... ſima natio, corporum proceritate ſpectabilis adeo ... tamquam *Rephaim*, & filii Enac haberentur. En a... m Gigantum nationem ante Moyſem exterminatam, cujus tamen memoria adhuc recens ſervabatur; conſtat enim Moabitarum patrem nonniſi 325. annis ante Moyſem in lucem editum fuiſſe, nec niſi ſaltem poſt 150. vel 200. annos adeo valere potuiſſe Moabitas, ut expeditionem in Emim ſuſciperent.

Ammonitæ Moabitarum fratres, circa idem ferme tempus Gigantum *Zonzomim* aliam nationem aggreſſi ſunt (6). Porro illi nec potentia, nec hominum numero, nec ſtatura Gigantibus e ſtirpe Enac concedebant. Eorum regio *Terra Gigantum reputata eſt, & in ipſa olim habitaverunt Gigantes*. Quare triplex Gigantum natio in Transjordania; *Rephaim* ad ſeptentrionem, *Emim* ad meridiem, & *Zonzomim* inter utroſque medii.

Erant etiam cis amnem *Rephaim*; & quamdam ibi tenebant regionem Davidis ætate. Duo illorum genera diſtinguuntur, *Enacim*, filii Enac, ſedes potiſſimum habentes in Hebron & adjacentibus regionibus: *Rephaim* ſeu filii *Rapha* in Urbe Geth commorantes, quorum erat gentilis Goliath. Frequens in Scriptura mentio *Vallis Rephaim* (7), ſeu *Vallis Gigantum*, ſatis proximæ urbi Jeruſalem, cui nempe valli nomen inditum, ſive quod olim Gigantes ſuas haberent illic ſedes conſtitutas; ſive quod caſtra ibi non ſemel poſuiſſent in bellis Philiſtæorum adverſus Judæos.

Meminit Scriptura (8) quinque Gigantum e ſtirpe *Rapha*, quos David ejuſque commilitones in variis certaminibus interfecerunt. 1. *Jesbi-ben-Ob*, nempe Jesbi filii Ob; 2. *Saph* vel *Sapha*; 3. Fratris Goliath; 4. Gigantis illius, cujus ſingulæ manus pedeſque ſex digitis diſtinguebantur; 5. Tandem Goliath a David obtruncati (9), cui viro Scriptura ſex cubitos cum palmo, nempe 10. pedes, & 6. digitos altitudinis aſſignat; quot nempe duo proceri homines vix æquarent. Adverſus hæc hiſtorica monumenta nihil excipiendum. En Gigantes, Gigantum familias, Civitates, populos: nec illi utcumque juſtam hominum ſtaturam excedebant, ſed proceritatis & roboris erant, quales ad vivum pinguntur. Inſinuatur etiam, multo auctiorem Gigantum numerum olim fuiſſe, cum ſcilicet familiæ & integræ illorum nationes exterminio traditæ referuntur.

Filiis Enac ſuæ erant ſedes in Meridionali Palæſtina conſtitutæ (10). Enac tres olim fuerunt liberi, Gigantes & Gigantum patres, Achiman, Siſai, & Tholmai: proceræ adeo ſtaturæ homines, ut comparati cum illis Hebræi locuſtæ viderentur; & Moyſes non alia frequentiori phraſi immanes quoſdam Gigantes deſignet, quam pares illos affirmans filiis Enac (11). Joſue in Chanaan itidem ingreſſus, omnes delevit Enacim Urbium Hebron, Dabir, Anab, ceterarumque Juda & Iſrael: ſolos reliquit Gigantes Gazæ & Geth (12): & diu poſt Gigantum ſepulchra monſtrabantur in Aaorha (13). Eorum oſſa immania & ſupra fidem monſtruoſa ætate ſua adhuc ſpectari affirmat Joſephus (14).

Amos de expeditionibus Hebræorum in Chanaan itidem agens, ita loquentem Dominum cap. 2. 9. inducit: *Ego exterminavi Amorrhæum a facie eorum, cujus altitudo cedrorum altitudo ejus, & fortis ipſe quaſi quercus: & contrivi fructus ejus deſuper, & radices ejus ſubter*. Et Baruch 3. 26. *Ibi fuerunt Gigantes, nominati illi, qui ab initio fuerunt ſcientes bellum. Non hos elegit Dominus, quoniam non habuerunt ſapientiam, interierunt propter ſuam inſipientiam*. Judith in Cantico Dei laudes celebrat, quod non manu Titanum & Gigantum, ſed imbellis fœminæ, elegantis vultus illecebris pugnantis Holofernem, tantum Ducem peremerit (15).

His documentis nihil addendum. Agit Baruch de Gigantibus antediluvianis; Amos item de Gigantibus Chanaan itidem ante Hebræorum ingreſſum tenen-

(1) *Vide Morin. exercit. Bibl. lib. 1. 8.* ... 2. *num.* 32. 11. 14. (2) Ezechiel c. 32. 20. 22. 23. 24. ... ad Nephilim Moyſis ſpectaſſe videtur, agens de vetuſtis Heroibus gladio interemptis. (3) *Gen.* 14. 5. (4) *Deut.* 3. 11. *Joſue* 12. 4. & 13. 12. (5) *Deut.* 3. 11. (6) *Deut.* 2. 20. 21. ... *Joſue* 15. 8. & 18. 16. & 2. *Reg.* 5. 18. 22. & 23. 13. (8 ... 21. & 1. *Par.* 20. (9) 1. *Reg.* 17. 4. (10) *Num.* 13. 23. 24. ... *Deut.* 2. 10. 11. 21. & 9. 2. (12) *Joſue* 14. 1. (13) *Joſue* 11. 21. 22. (14) *Antiq. l. 5. c. 2. p.* 145. &c. (15) *Judith.* 16. 8.

nentibus; deſcribunt autem gentes illas viribus, numero, & ſtaturæ proceritate ſupra vulgarem cæterorum hominum valentes. Illos exterminarunt Joſue & Caleb (1), genus impium ne diutius in mundo perſiſteret, non ferente Numine. Cum vero e re ſua homines univerſi cenſerent, ſi pernicioſiſſima illa & impotentiſſima monſtra delerentur, non eſt cur multum miremur, ſi poſt plura ſæcula nullos tamen, uti prius, ſpectare contigerit Gigantes; in unum enim omnes conſpirarunt homines, ut pernicioſum genus delerent, quemadmodum in venenatis & pernicioſis quibuſdam belluis factum pariter conſtat, quæ ita extinguerentur, ſemel ac rerum aliquod ex illis in Orbe pareret, ut genus omne deleretur.

Hiſtoricis hiſce exemplis alterius etiam generis argumenta accedunt, deducta e ſacris Authoribus, apud quos ſermo de animabus Rephaim, in Infernis criminum ſuorum pœnas dantibus. Job meminit Gigantum ſub aquis gementium, una cum illis, qui in Inferno torquentur (2); in quam pariter ſententiam concedentes Prophani, Titanes deſcribunt in imo Oceani (3), vel abyſſi fundo (4) ejulantes,

.... ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Fœminæ effœnis vias ad Rephaim deducere monet Salomon (5); addens, eos, qui infames illas viæ ductrices ſequuntur, ſecta ad locum Gigantum contendere (6). Iſaias (7), & Ezechiel (8) Rephaim exhibent in tenebroſis quibuſdam locis, qui honoris gratia aſſurgentes, venientibus gentium Regibus obviam occurrunt; Regibus, inquam, illis, qui cum viverent, longe lateque ſui nominis terrorem intulerent; poſt mortem vero ad Inferna una cum Rephaim rapti ſunt. Ambigat poſt hæc omnia, ſi quis vult, an Gigantes in magno etiam numero floruerint, hæreat ſuſpenſus.

Antequam conſona in eam rem Patrum teſtimonia afferamus, animadvertiſſe juvat, eorum pleriſque impoſuiſſe falſo inſcriptum librum Enoch, afferentem Gigantes ex commercio filiarum hominum cum Angelis perduellibus natos. Ita vero rem narrat perſonatus ille Scriptor. A. M. 1170. (9). *Vigiles* vel Angeli mulieres duxerunt, unde nata tria filiorum, ac familiarum diſtincta genera. 1. Gigantes, quorum ſtatura juſtam multum excedebat. 2. E Gigantibus nati Nephilim. 3. E Nephilim Eliudi. Cum Gigantum numerus creviſſet, humanis carnibus victitare cœperunt; ex quo factum, ut homines numero in dies decreſcentes, clamarent ad Deum. Pronis ille auribus precantes auſcultans, miſit Angelum Gabrielem mandatis oneratum, ut iret, exterminaret Gigantes, nempe monſtra illa ex Angelis perduellibus nata; committeret illos inter ſe, quo mutua cæde delerentur. Adjecit autem: Gigantum animæ in Dæmones transformabuntur, ex quibus mala omnia in mundum, nam ex illis obſeſſiones Dæmonum, tormenta in homines, ſpectrorum terriramenta uſque ad extremam judicii diem. Ex hic fontibus derivata plerumque Patrum fere omnium de Gigantibus doctrina. Paulus Burgenſis vir clariſſimus ex Judæo Chriſtianus (10), autumat, Gigantes ipſiſſimos fuiſſe ſub hominum ſpecie Dæmones.

Ex eodem Libro Henoch accepta credo, quæ de concepto Gigantum fœtu narrat Author Teſtamenti duodecim Patriarcharum (11). Hæc ille. Perduelles Angeli mulieres deperientes, aſſumpta virorum conjugum illarum, ſed gigantea ſpecie, furtivum cum illis impetrarunt coitum, ex quo nati Gigantes; giganteæ enim formæ ludibrio mulierum phantaſia affecta, giganteum expreſſit fœtum. Nulla per nos
iſta

hujus fabellæ authoritas; ſed recte inde conſequutione infertur, apud Libellorum iſtorum procuſores aſſertam fuiſſe Gigantum veritatem.

Patrum teſtimonia magno numero recitare ſupervacaneum ducimus; conſtat enim ſummo omnes aſſenſu Gigantes admiſiſſe: ſi qui contra ſenſerint, vel ambigua ea de re expreſſerunt, integra illos fide omnes ſupra retulimus. Jure tamen noſtro omnes, qui contrariam noſtræ opinioni ſententiam totidem verbis non afferuerunt, pro nobis ſumimus. Eſt enim, quam defendimus, cauſa una omnium ſæculorum & gentium opinio. Nobis proinde ſervat poſſeſſio; ab aggreſſoribus, ſi quæ habent, pro ſe documenta promenda ſunt.

Petimus tantum nobis a Patribus illos, qui authoritati rationes etiam pro ſua ſententia jungunt. Joſephus e. g. quem pro ſententia nobis adverſa laudant, documenta pro Gigantibus affert, nempe ſpectari in Hebron immania quædam hominis oſſa. Tertullianus (12) reſurrectionem e reſiduis Gigantum compagibus probat. *Nec Gigantum antiquiſſima cadavera devorata conſtabit, quorum crates adhuc vivunt.* Ex ejus narratione intelligere videmur, invente ejus ætate ex hic oſſibus quædam, dum fundamenta Carthagine effoderentur. S. Auguſtinus demonſtrat, fuiſſe olim maxime ante diluvium immanes ſtatura homines: quam in rem primo communem hominum perſuaſionem ea de re affert, laudans illud Virgilii de Ænea, tantæ molis lapidem in Turnum ejaculanti, quantum vix ferrent 12. noſtræ ætatis homines (13).

Vix illum lecti bis ſex cervice ſubirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus

Expreſſit hæc Virgilius ex Homero (14); quibus ſane probatur vetus omnium gentium perſuaſio. Addit S. Auguſtinus, nihil eſſe quod magis incredulas mentes revocet ad ſaniora, quam immania illa oſſa, caſu ſubinde vel terra defoſſa, vel aquarum alluvione detecta, vel e tumulis caſu aliquo poſt plura ſæcula eruta. Vidi ego in litore maris Uticæ, ait ille, nec vidi ſolus, ingens quoddam hominis molare, quod centum vulgaria æquaret. Porro molaria illa non uno in loco ſervantur, quod dentes temporis minus ſentiant injuriam, & cæteris omnibus reſolutis, ipſa maneant incorrupta.

Auguſtinus Torniellus (15), in Eccleſia ſui Ordinis Vercellis S. Chriſtophoro dicata vidiſſe ſe perhibet ſimilis molis dentem, qui viri illius Sancti haberetur. Torquemada ſe vidiſſe pariter aſſerit Loſiæ dentem alium, pugillum hominis ſtrictum æquantem (16), & Aſturgiæ partem maxillæ S. Chriſtophori immanem adeo, ut Gigantis inſtar turris proceri intuentibus crederetur. Os coxendicis S. Chriſtophori Venetiis in Eccleſia Cruciferorum ſervatum prodigioſæ eſt magnitudinis. Vetuſta ejus Sancti Acta virum fuiſſe perhibent 12. cubitorum, vel 18. pedum altitudinis.

Ante paucos, quam hæc ſcriberem, annos contigiſſe narrat Antonius Sabellicus (17), ut cum in avellenda procera quadam arbore ad navium conſtructionem inſudarent fabri lignarii, caſu invenirent calvariam hominis, dolii magnitudine non minorem; quæ cum ab illis tractaretur, reſoluta abiit in cineres, ſolis remanentibus dentium nonnullis, quos in varios Venetorum cives, inter cimelia ſervandos, diſtribuerunt. Pugillo nihilo inferiorem dentem S. Chriſtophori ſpectaſſe ſe in Cathedrali Valentina aſſerit Ludovicus Vives ejus Urbis civis [18]. Iſaacius Ponteſus in ſua Danicarum rerum hiſtoria [19] meminit molaris cujuſdam Starcoteri, viri Danici, duodecim digitorum ambitu.

D. Si-

(1) *Joſue* 15. 13. 14. *Judic.* 1. 20. (2) *Job.* 26. 5. (3) *Homer. Iliad.* 8. & *Heſiod. Theogon.* (4) *Virgil. Æneid.* 6. *ver.* 742. (5) *Proverb.* 2. 18. (6) *Prover.* 9. 18. (7) *Iſaias* 14. 9. (8) *Ezech.* 32. 19. &c. (9) Nempe 1072. ante diluvium, juxta ſupputationem Syncelli, componentis diluvium cum anno 2242.

(10) *In Gen.* 2. 6. (11) *Teſtam. Ruben capit.* 5. (12) *De Reſurrect. Carnis capit.* 42. *pagin.* 350. (13) *Virgil. Æneid.* 12. (14) *Illiad.* 5. & 12. (15) *Annal. V. T. A. M.* 987. *comm.* 19. (16) *Torquemad. t. dies* (17) *Ennead.* t. *l.* 2. *non longe ab initio.* (18) *In Auguſtinum de Civitate lib.* 15. *c.* 9. (19) *Rerum Danic. lib.* 1. *pag.* 56.

D. Simonius Auctor Biblici Dictionarii [1], refert, anno 1667. in prato quodam, in quo ſervandis rebus foſſa eruebatur, inventum vetuſtiſſimum quoddam monumentum, cæmento probe obductum, in quo prodigioſæ magnitudinis oſſa, ut eorum unum ſeptem pedes & tres digitos longitudinis referret, ambitu vero eſſet duorum pedum. Porro os illud ipſiſſimum creditur, quod ex cubito ad ſcapulas porrigitur, poſt illud enim aliud ſequebatur latiſſimum & planum: oſſa cetera adeo computruerant, ut integrum nullum remaneret, ſalvis tantum dentibus quibuſdam, quorum ſinguli decem adamuſſim librarum erant pondo. E dentibus hiſce unus, cui inferior mandibulæ pars hæret, pondus refert 17. librarum. Ovalis eſt dens ille figuræ, longus 5. digitis & tribus latus. Dentes & oſſa illa ſervantur in arca Molardæ juxta vicum S. Valerii, Diœceſis Viennenſis in Delphinatu. Vidiſſe autem ſe affirmat Simonius dentes illos, cum Parœciam S. Uzæ prope Molardam curaret, & teſtes laudat ejus rei Præfectos Arcis Uzæ & Molardæ, ſicut & Sacerdotem ejuſdem Arcis Capellanum, qui authenticum ea de re inſtrumentum ad ſe tranſmiſerunt anno 1699. die 24. Januar.

Poetarum teſtimonium in re quidem ſancta nihil faciendum: valet autem plurimum, ut primores populorum traditiones & facta quædam hiſtorica, vetera illa & ignota, intelligentibus inſinuet: quæ ſcilicet facta fucatis pigmentis & fabularum coloribus ad genium Poeſis adumbrarunt Poetæ. Homerus de Ephialte & Orione filiis Iphimediæ novennibus pueris habet, craſſiori fuiſſe novem cubitorum corporatura viros, ſtatura vero ad 36. cubitus evaſiſſe [2]. Titius apud eumdem in terram proſtratus novem terræ jugera occupat [3]. Fama erat apud Græcos, frequentaſſe Gigantes agros Phlegræos, & urbem Pellenen [4], viribus autem ſuis adeo fiſos, ut avulſas rupes & proceras incenſaſque arbores in Cœlum ejacularent; erant autem corporatura enormes, crinibus & barba promiſſis, inferius angues.

Agebat in Sicilia Typhon filius Terræ & Tartari, vir celſiſſima montium cacumina proceritate ſua excedens, Cœlum tangens vertice, & utraque manu extremos Orientis & Occidentis fines jungens; in ſuperioribus vir, in inferioribus anguis. Poetica ſunt hæc, & in majus aucta figmentis; ſed vera eſt antiquitatis perſuaſio: ſi enim numquam fuiſſe Gigantes tenerent, quomodo in mentem veniſſent homines arma inferentes in Cœlum, quomodo Cyclopes Siculi, quomodo Typhonis adverſus Deos prælia?

His omnibus argumentum præbuit Scripturæ narratio, de audacibus Gigantum Antediluvianorum cœptis, qui nempe audacia ſua criminibus arma in Cœlum ipſum inferre viſi ſunt. Eſt autem maxime animadvertendum, agi apud Poetas de Gigantibus, non raris illis & caſu natis, ſed de Gigantum nationibus, hominum genere ſtatura procero, quos nonniſi gravis Deorum & filiorum Dei manus opprimere valuiſſet.

Phlegon Adriani Libertus [5] meminit in eluvione quadam apud Meſſeniam in Peloponneſo contigiſſe, ut lapideum quoddam monumentum detegeretur, quod fractum calvariam exhibuit hominis triplo quam vulgares craſſiorem, cum inſcriptione Græca nominis *Idæus*, unde conjectura deducta, caput illud fuiſſe Idei viri inclyti, & inter Gigantes ſtrenuiſſimi, ab Apolline, quem ad ſingulare certamen provocavit, interempti, juxta Homerum. Addit inſuper Phlegon cap. 12. apud Dalmatas in antro Dianæ mira quædam oſſa ſpectari cum coſtis 16. ulnis longioribus.

Refert etiam cap. 17. ſub Tiberio in vehementi terræ ſuccuſſione montis ingenti portione divulſa, luci expoſitas fuiſſe plures humanorum oſſium compages ingentis magnitudinis. Loci incolæ ſtupentes hærenteſque, tangere cadavera non ſunt auſi, ſed unius tantum dentem avulſum tulerunt, ad Imperatorem, ut ea ejus magnitudine argumentum faceret de reliquo. Tiberius religione quadam abſterritus, Herois, cujus pars erat oblatum ſibi molare, tangere non ſuſtinuit: ne vero aſpiciendi Gigantis voluptate ſe ſe privaret, adhibito doctiſſimo Mathematico, ſibi pro data proportione curavit circumſcribi vultum, cujus tantæ molis dens pars habebatur. Thomas Fazellus hiſtoricus Siculus [6] alia plura congerit exempla de cadaveribus Gigantum in ea regione ſubinde effoſſis, Anno 1516. detectum in agro Mazaræ corpus 20. cubitis procerum, cujus calvaria modium æquabat; dens, quem ipſe apud ſe ſervabat, 5. unciis par erat. Ex quo confirmatur Veterum illa traditio de *natione Cyclopum* [7] ab ipſa origine Siciliam tenente.

Sui erant olim in Ægypto Gigantes, ſui in Æthiopia, Arabia, & Palæſtina, regionibus Ægypto finitimis. Locum eſſe in Ægypto, *Litres* appellat, ubi ſimilia, ac in Sicilia, cadaverum monſtra reperiuntur, aſſerit Phlegon [8]. Oſſa neque ſub terra latent, neque eorum compages turbatæ; expoſita omnia intuentibus, ſingula corporis oſſa aptam ſervantia œconomiam diſtinguuntur, brachia, crura, & cetera itidem membra. Mentio eſt in Libris Paralipomenon [9] Gigantis Ægyptii 5. cubitorum, nempe 8. pedum, 6. digitorum & ſemis. Tantum virum interemit Banaias, miles in exercitu Davidis fortiſſimus. Miræ magnitudinis ſtatuas ſpectari apud eoſdem Ægyptios tradit Herodotus [10], utriuſque ſexus homines exprimentes: deſcribit ille ſimulacra pellicum Regis Mycerini in urbe Sai; Avorum Hecatæi, cum longo coloſſalium ſtatuarum Sacerdotalium ſatellitio in Urbe Thebarum. Coloſſales item ſtatuæ exhibebantur in veſtibulis Templorum Apidis, Minervæ, & Vulcani, quarum alias 20. alias 70. pedum altitudinis deſcribit Herodotus. Porro ſcitum eſt, Ægyptios defunctorum ſuorum figuras in ipſo eorum feretro ad ſtaturæ menſuram fabricato expreſſiſſe [11].

Cebarenorum (Gallorum erant gens, brumaliorea regiones frigoris algore inhabitabiles tenentium) nihil ſe admiratum, procera licet cadavera teſtatur Pauſanias [12], quod ſcilicet Ægyptiis non cederent. De Sirbotis Æthiopiæ populis narrat Plinius [13], homines fuiſſe 8. cubitis altos, nempe 12. pedibus, ſi cubitus 18. digitis computetur. De Gango Rege Æthiopiæ, viro 10. cubitis immani, ſermo eſt in hiſtoria: ſermo item de *Gobaro* Gigante 9. pedum & 9. digitorum, ex Arabia Romam deducto ſub Claudio [14].

Quid ferant de Africanorum Gigantum oſſibus Tertullianus & S. Auguſtinus, ſupra jam animadvertimus. Cum eam regionem teneret Sertorius, juxta Urbem Tingitanam, quo loco recepta populorum traditio tenebat, Antæum filium Neptuni juxta nonnullos, vel filium terræ juxta alios, ſepulturæ mandatum fuiſſe: ſpectavit ingentis molis ſepulcrum, in quo Gigantis oſſa recondi ferebantur. Creditu difficile id videbatur Sertorio: quare aperto monumento ſpectavit Gigantem 60. pedibus immanem. Attonitus Imperator Antæo hoſtiis litavit, tum & recondi iterum corpus præcepit, religione abſterritus ne oſſa ejus contingeret. Hæc Plutarchus in Sertorio. Ferunt etiam [15], Carthaginienſes, dum terram effoderent, duo reperiſſe ſarcophaga, aliud 24. aliud 23. cubitis porrecta.

Refert Hieronymus Magius [16], ex relatione Melchioris Guillandini, dum captivus Guillandinus ipſe in Africa detinebatur, anno 1559. duos captivos Hiſpanos terram effodiendo juxta urbem *Jenena*, olim *Juliam Cæſaream*, miræ proceritatis Gigantem offendiſſe: avulſamque ejus calvariam duobus vectibus impoſi-

(1) *V. Gigantes.* (2) *Odyſſ.* 11. *v.* 310. (3) *Odyſſ.* 11. *v.* 575. (4) *Apollodor. Biblioth. lib.* 1. *c.* 6. (5) *Phlegon de rebus mirabilibus c.* 12. *ex Apollonio*. (6) *De rebus Siculis Decad.* 1. *l.* 1. *c.* 6. *l.* 3. *c.* 4. *Decad.* 2. *l.* 1. *c.* 1. (7) *Homer. Odyſſ. ver.* 59. (8) *De Mirabil. c.* 15.

(9) 1. *Par.* 11. 23. (10) *Herodot. l.* 2. *c.* 30. 43. 175. 176. (11) *Herodot. l.* 2. *cap.* 86. (12) *Attic. pag.* 66. (13) *Plin. l.* 6. *c.* 30. *l.* 7. *c.* 2. (14) *Plin. l.* 7. *c.* 16. (15) *Eumachus apud Phlegon. tom. c.* 18. *Mirabilium.* (16) *Miſcellan. c.* 4.

poſitam, viri tanto ponderi ferendo pares, ad Regem Aſſanum Ariadenum, tamquam rem miram & novam retuliſſe. Ejus calvariæ magnitudinem Guilandinus ipſe cum reliquo populo ſpectavit, aſſerens 21. pedum ambitum vel 11. ſpithamarum (mentora eſt 12. digitorum) occupaſſe. Princeps ille barbarus, cujus nullus antiquitatis ſapor: pro eo quod expectatam libertatem captivis illis donaret, vix 5. aurea ſcuta largitus eſt. Aſſeruerunt illi Guillandino, reliqua cadaveris oſſa in eodem loco ſuperfuiſſe, ex quo calvariam eduxerant.

Per ingentem cujuſdam montis hiatum patuiſſe cadaver 46. cubitorum refert Plinius, quem alii Orionia, alii Oti ſuſpicati ſunt. Eſt autem Orion Vir ille Gigas frater Ephialtis, qui novennis adhuc puer craſſo erat 9. cubitorum, & 36. altitudinis corpore. Hæc in Inſula Cretæ (1).

In bello Cretenſium cum Romanis ingenti aquarum alluvione corraſa terræ ſuperficie, inter latentia plurima revelatum eſt etiam corpus Gigantis 33. cubitorum (2); cujus rei ſupra fidem teſtes oculati fuerunt Metellus & L. Flaccus. Quamquam hæc hiſtoria ipſiſſima videtur ac Plinii illa ſupra relata; cum tamen variæ ſint apud Solinum omiſſæ a Plinio circumſtantiæ, locum fecerunt conjecturæ D. Salmaſii, autumantis, Solinum, quamquam alioqui Plinium breviare aſſuetum, aliunde tamen rei illius notitiam habuiſſe.

Gigantum quoque oſſa ſpectanda in Inſula Rhodo (3), ac Italia. Rerum potiente Henrico II. Imperatore filio Conradi an. 1041. inventum non longe cadaver ad Urbem Romam translatum eſt, cujus tanta erat proceritas, ut erectum ab imis ad ſummam uſque mœnium loricam emineret (4). Pallantem filium Evandri a Turno occiſum ſuſpicati ſunt; vulnus adhuc patebat quatuor pedibus latum. Minoris fidei aliud narrat Boccaccius (5). Drepani in Sicilia inter effodienda ædificii fundamenta cæcum vaſtumque antrum revelatum eſt, quo incenſam præferentes facem foſſores illi ingreſſi, in cadaver hominis inciderunt, de cujus immenſa propemodum magnitudine conjecturam inde capere licet, quod trabem veluti navis antennam pro ſcipione haberet in manu. Tanti immanitas monſtri primo terrorem injecit foſſoribus coegitque e loco ſeſe proripere; ſed animis iterum confirmati & armatorum hominum manu ſtipati redierunt; at Gigas vix tactus abiit in cinerem. Plumbum juxta ſcipionem ſive lanceam viri poſitum, pondus ſuperabat 1500. librarum. Oſſa integra erant; & calvariæ tanta erat capacitas, ut modia tritici commode plura continuiſſet: reliqua oſſa capiti reſpondebant; dentes ſinguli 9. librarum pondo. Polyphemus, Homero, & Virgilio celebris, Gigas reputatus eſt. Paulo ante captam a Gothis Romam, fœmina quædam & utrique ejus parentes, ſtaturæ, multo quam vulgaris hominum ſuperiores, ad ſui ſpectaculum undique ad eam Urbem homines acciebant, teſte S. Augoſtino (6).

Trojanam obſidionem urgentes Græci viros habebant in exercitu multo quam reliquos omnes noſtræ ætatis homines, etiam proceros, ſtatura, majores. Decem cubitis altos Heroas illos fuiſſe perhibet Philoſtratus (7). Eodem teſte, Achillea ſpectandum ſe præbens per viſum Apollonio Thyanæo, ſpectrum exhibuit primo 5. cubitorum, quod ſenſim ad 10. vel 12. excrevit (8). Agit ille pariter de Ajacis cadavere, cujus ſepulchrum juxta mare poſitum redeuntes arenam fluctus detexerunt: inventum eſt in illo cadaver 11. cubitis, vel 16. pedibus & ſemis procerum (9). Adrianus Imperator rudera Trojæ inſpecturus veniens, oſſa illa reſtaurarum in ſepulchrum recondi imperavit. Viri Myſi relatione tenere ſe narrat Pauſanias (10), ejus Herois tumulum, qua mare reſpicit, aditu facilem eſſe; inde vero argumentum de viri ſtatura capiendum, quod genuum vertebræ ſeu molæ athletici diſci inſtar eſſe.

Oreſtis cadaver Thegeæ a Lacedæmonibus inventum, 7. cubitos, vel 10. pedes, & ſemis æquabat (11). In Sigæo Promontorio antrum pariter detectum eſt, in quo Gigas 20. cubitis excedens; quod ante 50. annos contigiſſe ſcribit Philoſtratus (12). Meminit etiam Gigantis, cujus cadaver quidam a neceſſariis ſuis in Inſula Coo ante quatuor annos e latebris extulerat. Jacebat in antro quodam inter medias vineas; viri menſura 12. cubitorum; anguis in calvaria latebat. Cum idem Philoſtratus ad inſulam Lemnos veniſſet, ſpectavit oſſa Gigantis a Menecrate quodam detecta, ex quibus, diſſoluta licet compage, conjecturam capere licebat hominis maxime proceri: & calvariæ tanta erat capacitas, ut duas Cretenſes amphoras ſuperaret. Porro amphora Romanorum æquabat 28. circiter pintas Pariſienſes, ſeu 48. ſextaria Romana. An Cretenſis major eſſet minorve, ignoro.

Plura hujus rei exempla congeſſit idem Philoſtratus in ſuo illo Opere *de Rebus Heroicis*; meminit inter ceteros Proteſilai, qui 20. annorum ætatem agens, 10. cubitos æquabat; meminit ejuſdem ferme menſuræ plurium inter celebratiſſimos Græcorum Heroas. Pauſanias, Scriptor ſine controverſia & exactior & correctior Philoſtrato, mentionem habet cadaverum Gigantéorum per totam Græciam & alibi etiam; uti Aſterii ſepulturæ mandati in Inſula Aſteri e regione Mileti, cujus erat cadaver 10. cubitorum vel 15. pedum (13). Sermo apud illum pariter eſt de Gigante in Lydia ſuperiori, juxta parvam urbem, quæ Temeni porta dicebatur, cujus inventa oſſa ejus erant magnitudinis, ut numquam humana haberentur, niſi figuram referrent ab animantibus ceteris, præterquam ab humana, abhorrentem. Geryonis cadaver primo creditum; ſed alterius viſum eſt Pauſaniæ, quippe quod Geryon in vivis egiſſet circa fretum Gaditanum, nec in Lybia diem clauſiſſe unquam auditum. Quare viris emunctæ naris creditæ fuerunt reliquiæ Hylli filii Herculis.

Cum in Syria Imperator alio divertere Orontem tentaſſet, in arenti ejus fluminis alveo Gigas detectus (14) undecim cubitorum; hunc alii Orontem, alii Aryadem autumarunt. Indum quemdam declaravit Apollinis Oraculum. Reconditum cadaver illud in urna figulina undecim cubitorum. Monſtratur hodie uſque in Antaredo monumentum 20. pedum; gemina in vicinis Damaſci, alterum 50. alterum 20. pedum; priori illi 160. palmos ſeu 80. cubitos aſſignat Goujon. Credulis Itinerantibus perſuadetur, amplius illud ſepulchrum eſſe Abelis, brevius aliud Joſue. Vidiſſe ſe Damaſci coſtam hominis prodigioſæ magnitudinis teſtatur Benjamin Tudelenſis, nec ſimillimæ alibi deſunt.

Munitionibus vallatam Inſulam (forte Æginam) non longe ab Urbe ſua Athenienſes aggreſſi (15), cum ducendis fundamentis terram effoderent, inciderunt in monumentum 100. cubitorum, recondens non imparis ſtaturæ cadaver. Ex inſcripto epitaphio conſtabat, viri nomen fuiſſe Macrofirim; vitam autem produxiſſe ad 5000. annos. Sed, niſi mendum in Textum irrepſiſſe ſuſpicemur, credulitati profecto hujus Scriptoris, qua in tumuli menſura, qua in ætate viri, impoſitum eſt.

Sub Anaſtaſio Imperatore plura Gigantum oſſa Conſtantinopoli inventa, & in æternum monumentum a Principe in Aula ſervari juſſa, Glycas eſt auctor (16). Hercules victi Geryonis oſſa Olympiam miſit, æternum certaminum ſuorum & victoriarum monumentum (17).

Porus Indiarum Rex ab Alexandro Magno victus, vir fuiſſe narratur 7. pedibus & ſemis procerus

(1) *Plin. l. 7. c. 16.* (2) *Solin. c. 1.* (3) *Phleg. Mirab. c. 27.* (4) *Jac. Phil. Bergom. Supplem. Chronic. l. 3. n. 1041.* (5) *Symphorian. Campeg. lib. cui titul. Ortus Gall. ex Boccaccio l. 4. Geneal.* (6) *De Civit. l. 15. c. 23. p. 407. n. 2* (7) *De vita Apoll. l. 2. c. 21.* (8) *Vita Apoll. l. 4. c. 16.* (9) *Idem Heroic. c. 1. n. 2.* (10) *Attic. p. 66. 67.*

(11) *Herod. l. 1. c. 68. & Philoſt. Heroic. c. 1. num. 2.* (12) *Philoſt. Heroic. c. 1. n. 3.* (13) *Pauſan. Attic. p. 66 67.* (14) *Pauſan. l. 8. ſeu Arcadic. p. 502.* Philoſtratus Heroic. capit. 1. numer. 2. æquaſſe cadaver illud aſſerit 30. cubitos. (15) *Phlegon Mirab. c. 17.* (16) *Annal. p. 4. pag. 265.* (17) *Philoſtr. Heroic. c. 3.*

Digitized by Google

cerus (1); & cum elephantem aſcenderet, ad immanem belluam ea fuit viri proportio, quæ ceterorum ad equos (2). Porro 5. & ſemis cubitorum viri non infrequentes ſunt apud Indos (*). De Gigantibus brumales regiones olim tenentibus, quorum etiam nunc oſſa & ſepulchra ſpectantur, legas in hiſtoriis eorum populorum.

Theopompus Sinopæus in ſuo Opere de terræmotibus (3) refert, in validis terræ ſuccuſſione disjectum quemdam collem latentia intra viſcera ſua expoſuiſſe Gigantis oſſa, quæ ſimul compoſita exhibuerunt hominem 24. cubitorum. Narrat Florus (4), Theutonum, Regem gentium ejus nominis & Cimbrorum, cum ad triumphum Romam duceretur, proceritate ſua inſigne intuentibus ſpectaculum exhibuiſſe; ſuper ipſa enim trophæa eminebat. Narrant alii interiiſſe virum e vulneribus in pugna relatis (5); cujus inventum in Delphinatu cadaver expoſitumque, undique ſpectatores proceritate ſua invitabat.

Cum autem ejus inventionis hiſtoria celebratiſſima ſit, & multorum ſcriptorum occaſio, operæ pretium eſt fuſius aliquanto illam referre. Feria 6. die 11. Januarii an. 1613. detectum eſt ſepulchrum Theutobochi Regis Theutonum, in agro D. Langon Civis Delphinatus, erat autem locus non longe ab Arce Chaumont, inter Montrigaut, de Serre, & S. Antonium. Cum eo loci in ſabulo 18. pedum altitudinis agricolæ laborarent, offenderunt monumentum 30. pedum longitudinis, 12. latitudinis, & 8. profunditatis, cum literis circum inſculptis reddentibus: TEUTOBOCHUS REX.

Gigantis ſe invicem contingentia oſſa ſpatium occupabant 25. pedum & ſemis longitudinis, 10. latitudinis in ſcapulis, 5. profunditatis. Ambitus capitis 10. pedum, longitudo 5. oculorum capſulæ 7. digitis gyrabant. Singula hæc deduximus e Libello, quem diſtribuebat Petrus Maſuyer Chirurgus de Beaurepaire, qui ſimul exhibebat ſyngrapham Medicorum Montis Peſſulani, & Gratianopolitanorum oſſa illa omnibus, quicumque ſpectatum veniſſent, ſe ſe monſtraturos ſpondentium. Libellum ſcripſit Jeſuita quidam; Lugdunenſibus autem typis prodiit.

En oſſium in ſepulchro reconditorum catalogum. *Coſtæ* pars, *omoplata* lævæ pars ſuperior, *humeri* caput, *femoris* caput, *femur*, *tibia*, *aſtragalus*, *calcaneum*, *os mandibulæ*. Craſſitudo dentium, juvenci pedem æquabat: caput femoris humanum caput 2 a capite femoris uſque ad crura, longitudo oſſis 5. pedum & ſemis, latitudo trium. Tibia ad 4. pedes porrecta.

Eodem anno 1613. Nicolaus Habicot Anatomicus & Chirurgus inſignis S. Coſmæ Pariſiis *Gigantoſteologiam* ſuam vulgavit, qua veritatem Gigantum eique oſſium Regis Theutobochi tuebatur. Adverſus *Gigantoſteologiam* illam, alteram oppoſuit eodem anno Joannes Riolanus Medicus & Anatomiſta celeberrimus Facultatis Pariſienſis; cui anno 1614. oppoſuit *Impoſturam detectam de inventione oſſium Teutobochi Regis*, & an. 1618. *Gigantologiam*, adjecit. Repoſuit pro ſe alterum ſcriptum opponens Habicot, ſed leve illud & optimis rationibus ſeſe deſtitutum: quæ cenſura eſt D. Alliot junioris, Doctoris Medici Facultatis Pariſienſis, cujus humanitati ſingula hæc, tum Operum utriuſque partis conſpectum debeo.

Anno 1615. patuit ſcriptum Apologeticum Caroli Guillemau Medici Regii ordinarii, adverſus Habicot & Riolanum. Opus ſolidum, & invectivis plenum. Suſpicabantur nonnulli, oſſa illa ceti alicujus fuiſſe, vel foſſilia aliqua, quæ in terra concreſcere nonnullis in locis ſat conſtat. Sed illorum ſive figura ſive ſubſtantia, omnia denique hominis ſunt. Ager, in quo cadaver inventum, Gigantis appellabatur, nec raro foſſoribus offerebatur argentei quidam nummi Marium præſeferentes inſculptum in antica, in poſtica vero duarum iſtarum literarum M. A. complexum.

Aſſerunt anno 985. inventam apud Bohemos calvariam hominis tanti ponderis, cui nec duo homines ferendæ ſufficiebant; crura vero ad 26. pene porrigebantur. Inſignis ille Medicus Felix Platerus in ſuis animadverſionibus detecta teſtatur Lucernæ miræ magnitudinis oſſa, ex quibus ſi reliqui corporis apta commenſuratio facienda eſſet, non minus quam 19. pedum Gigas aſſurget. De Gigante *Ferragus* a Rolando Caroli Magni nepote interfecto, memoriæ proditum eſt, 18., cubitos vel 30. ſtaturæ pedes æquaſſe. In S. Capella Bituricenſi os quoddam cruris monſtratur, magnitudine non diſſimili a tibia Teutobochi. Sepulchrum 30. pedum, Gigantis creditum, ſpectatur Pariſiis ad Noſtræ Dominæ. Hominem quindecim pedibus procerum vidiſſe ſe apud D. Niverorenſem aſſerit D. Habicot. Oblatum Gontrano hominem tribus pedibus majorem, narrat in hiſtoria Gallorum Aimonius. Carolum Magnum æquaſſe 9. pedes altitudinis, concors eſt plurium aſſertum. Sub Lodovico XI. (6) e regione Valentiæ in Delphinatu detecta in torrente, quo viros S. Peret alluitur, oſſa Gigantis, ſtatura, quantum ex oſſium illorum proportione, 18. pedum circiter; ſicut fœminam giganteæ ſtaturæ, cui nomen Garienda, in Forcalquier ſub S. Ludovico memoratur.

Immania quædam oſſa monſtrantur Taurini; In Valetudinario Mediolanenſi vir quidam junior, ſtatura erat procerior, quem ut alendo immani illi corpori natura ſufficere poſſet; duo juncta in longum cubilia viro ſubſternebantur. Hanc ſui temporis hiſtoriam refert Julius Scaliger (7). Aſſerit Torquemada *hexaemer. die* 1. ſub Julio III. virum in Calabria immanem corpore ad ſui ſpectaculum mundum univerſum invitaſſe. Illum Romam accivit Pontifex, ſed ferendo nullus par equus inventus; plauſtro impoſitus, crura, quod plauſtrum ipſum ſuperarent, pendula gerebat exterius. Ad Urbem ut pervenit, omnes affecit ſtupore, quod proceriores etiam homines ſupra medium pectus non haberet.

Saxo Grammaticus (8) demonſtrare nititur, Danicas regiones olim vel tenuiſſe Gigantes, vel ſaltem frequentes in illis verſatos; quod ipſi quidem probatur ex immaniſſimorum lapidum monumentis, quorum alia cavernis, alia ſepulchris veterum Deorum impoſita ſpectantur. Gigantis dentes & oſſa immenſæ magnitudinis detecta ann. 1520. apud Scotos narrat Hector Boetius (9). In Cimeliarcho Regis Sueviæ videas (10) tibiam viri 25. librarum pondo, defoſſam Brugis apud Belgas ann. 1643. Pertinet modo ad Orhonem Superlingium. Sermo eſt etiam in eodem Libro de Rege quodam Norvegiæ, defuncto ano. 933. pedibus 14. protero; de Evindo quodam in vivis agente circa an. 1338. qui 15. ulnas Norvegiæ æquabat. Prope Birtherodum humanum cadaver multo quam cetera procerius detectum eſt an. 1695.

D. du Mont (11) narrat, quo tempore Græciam ipſe diſcurrebat, inventum Theſſalonicæ os quoddam Gigantis, qui juxta Chirurgorum ejus regionis ſupputationem, 20. pedes aſſurrexiſſet. In expeditione Xerſis in Græciam, Giges Artachorus 5. Regiis cubitis nempe 7. pedibus & ſemis immanis, terrorem Regis adverſariis faciebat. De Gigante in Syria 5. cubitorum & palmi, meminit ſub Theodoſio Nicephorus. Surgebat Andronicus Comnenus 17. pedibus teſte Niceta; ſicut & 15. pedibus Oſtierii Urbis Pechinenſis, ſi fides ſit Melchiori Nugnee Jeſuitæ. Fœminam 10. pedum ſpectaſſe ſe Antverpiæ tradit Goropius Medicus Germanus, qui Scriptis Libris Gigantes aegevit.

Viſi tandem in America Gigantes qui vulgaris ſtaturæ homines genibus habebant æquales (12). Hos viros,

(1) *Arrian. l. 5. Diod. l. 17.* (2) *Plutar. in Alex. Strab. l. 15. apud* (*) *Plin. l. 6 c. 2.* (3) *Apud Phlegon. Mirabil. c. 20.* (4) *Florus l. 2. c. 51. Inſigne ſpectaculum fuit, quippe vir proceritatis eximiæ ſuper trophæa ipſa eminebat.* (5) *Oroſius l. 15. c. 16.* (6) *Cælius Rhodig. l. 18. c. 31.* (7) *De ſubtil. exercit. 26.* (8) *Poem. p. 4.* (9) *Hiſt. l. 11. pag. 240.* (10) *Par. 1. ſect. 1. n. 77. 74.* (11) *Itiner. pag. 149.* (12) *Acoſta hiſt. indic. l. 3. c. 19.*

Digitized by Google

quorum oſſa & opera modo etiam in Peruanis regionibus ſpectantur, igne cœlitus in ſe ſcelerum merito provocato, abſumptos, recepta apud incolas traditio fert; cui gemina jungitur ſimilis apud Mexicanos & Braſilienſes fama; apud quos ſimillima pariter oſſium portenta. Satis hæc e multis ad aſſerendam Gigantum veritatem.

Suam de Gigantibus meditationem exponens D. Abbas Tilladet anno 1704. [1], defendendum aggreditur, non Gigantes tantum in Mundo patuiſſe; ſed & integras Gigantum Urbes ac Nationes, quin & Gigantibus accenſendos primos illos Gentium Parentes, Coloniarum Ductores; utroſque pariter Gigantum parentes Gigantes fuiſſe, ut Adam, ex quo Abel Gigas, Cain, Seth, & priores ſaltem illorum poſteros. Quomodo Arcam fabricaſſet Noe tot animantium generibus continendis aptam, niſi expreſſi in Scriptura cubiti ædificium illud metientes Gigantum fuiſſent? Anne præter Gigantes alius quiſpiam turrim Babelicam, tantum opus moliri valuiſſet? Addit, homines illos, quo ſtatura proceriores eſſent, eo pariter & vitam egiſſe diuturniorem, radicali illo & vitali humore magis abundante, quo in ampliora corporis vaſa reciperetur.

Vitæ autem ad plura ſæcula prorogandæ valuiſſe plurimum autumat, cum terræ fœcunditate opimiorem alimentorum ſuccum; quo in naturæ ſenio paulatim eum fœcunditate deficiente, ſenſim & de vitæ diuturnitate remitti cœptum eſt, ad Gigantes ſpectabant Nemrod, Aſſyrii Imperii primus author, ſicut & Ductores Coloniarum Amorrhæorum, & Enacim quorum gigantea poſteritas diutius in regione cis & trans amnem. Inter Gigantes pariter ſuum habuiſſe locum credendi ſunt Virginiæ & Magellanicæ regionis primi parentes; quod hodie uſque earum regionum incolæ robore & corporis ſtatura plurimum valeant. Hæc D. Abbas Tilladet.

Poſt hæc omnia nihil ultra credimus ambigendum fuiſſe reipſa, nec infrequentes per omnes terræ regiones Gigantes, integras e Gigantibus conſtitiſſe nationes; Gigantibus inquam, quorum erat ſtatura duplo vel triplo, quam vulgaris hominum, procerior. Horum autem ſi nullum vel ſpecimen extat noſtra ætate, id partim tribuendum divinæ Numinis ultioni, quæ tot criminum & ſcelerum monſtra ſolo tantum nomine in mundo ſupereſſe toleravit; partim vero hominum cautioni, qui inito omnium gentium fœdere, exterminandis pernicioſiſſimis humani generis adverſariis arma intulerunt.

Quo autem objecta in contrarium omnia ordine refutemus, reponendum eſt: 1. Quæ de Gigantibus narrat Scriptura, multum illa a Poetarum commentis abhorrent, quantum ſcilicet veritas a mendacio, & a fabula hiſtoria. Quare ſi Patres aliquando alios fuiſſe docent Poetarum, alios Moyſis Gigantes, nonniſi e media veritate doctrinam hanc ſuam prompſerunt. Cave cum Poetis credas, tanto corporis robore valuiſſe Gigantes, ut montes montibus ſuperſtruerent, ſcopulos, Inſulas flammatas proceraſque arbores in Cœlum ejacularentur; centum illos manibus inſtructos, ſuperiora hominis, inferiora anguis habuiſſe. Poetica ſunt hæc, & in majus aucta commenta, quemadmodum & ea, quæ de Polyphemo, Cyclopibus, ac Gigantibus fabulatur Homerus. Nihil tale in Scriptura: ad Poetas quod attinet, nihil ad nos.

2. Quicumque in ea ſunt perſuaſione, Gigantes, & Cyclopes fœtæ pluribus ideïs phantaſiæ accepto referendos, quorum nihil tale in rerum natura, difficta hæc omnia in ſe concilians, extiterit unquam: vel qui Gigantum omnia eorumque adverſus Deos prælia ad moralem & phyſicam quamdam interpretationem deflectunt; illi, inquam, nos habent dictis ſuis reponentes, nihil morari nos Poetarum commenta, e Gigantibus & Centauris monſtruoſa quædam portenta, numquam in rerum natura ſpectanda, effingentium. Eorum tantum aſſerimus veritatem, quæ in ſacris Libris de Gigantibus feruntur; nimirum extitiſſe olim magno numero Gigantes, homines illos nihil a reliquis niſi ſtatura corporis diſcrepantes; bellum autem in Deum non armis ſed criminibus ac ſceleribus moviſſe.

3. Quod dicunt, numquam fieri poſſe ut Gigantes in rerum natura naſcantur, cum in rebus omnibus Deus ejuſdem naturæ author certos præſtiterit limites, quos prætergredi nihil unquam poſſit; repugnat id rei ipſius evidentiæ. Conſtat enim fuiſſe olim homines juſtam ceterorum ſtaturam multo excedentes; ſicut & infra vulgarem ſtaturam plures, quos Pumiliones appellamus, quotidie naſcuntur. Si vero aliqui paruerunt in mundo Gigantes, cur non & plures potuerint? Nec tamen in ea ſumus ſententia, primos homines univerſos, ſicut & omnes veteres Palæſtinos, & Siculos, Gigantes fuiſſe. Frequentes erant quidem Gigantes apud illos; erant familiæ quin & Gentes integræ; quemadmodum noſtra etiam ætate ſpectamus, ut populorum aliqua natio ceteras proceritate ſuperet.

Fatemur quidem, frigoris, caloris, aridi, & humidi certam in natura menſuram non facile permittere, ut omnes ubique homines, bruta, plantæ ad majorem juſto menſuram creſcant; ſicut nec infra plus multo demittantur, quam plerumque videmus. Nihil tamen prohibet, quominus in aliquibus Orbis regionibus quædam ex illis ad ſtaturam multo ſupra vulgarem proceriorem pertingant; ſicut & contingere quandoque ſpectamus, ut ferax ſit hominum, brutorum & plantarum alicujus generis certa aliqua regio, quæ fruſtra in alia quærantur; ac generis alicujus animantia poſt certum quoddam temporis ſpatium ita præſcriptas ſibi leges pervertant, ut multo deinde minora, quam antea fuerint, naſcantur. Hæc omnium ſæculorum experientia certiſſima, aperte ſatis demonſtrant, potuiſſe in certis quibuſdam locis, Gigantes ſpectari, qui multo quam ceteri homines ubique locorum ſtatura eſſent proceriores. Quæ prima ex Europa in Americam tranſlata ſunt ſemina & plantæ, in proceras adeo arbores, & plantas excreverunt, ut nihil tale in Europa. Mures ipſi & bruta cetera multum vulgarem exceſſerunt corporis molem: ut quid igitur prima illa ſæcula in terræ juventa, cum ſcilicet ſucco abundaret, & plantæ eſſent ad nutriendum aptiores, purior in venis hominum ſanguis, ſucculentiſſima alimenta, ut quid, inquam, non major eſſet hominum quorumdam ſtatura, majus corporis robur, ſanitas major, vita diuturnior?

4. At enim natura numquam produxiſſe Gigantes credenda eſt, cum hodie, & ſi multum enitatur, numquam ad producendos illos ſaltem majori numero evadet. Sed nec ea, quæ hodie eſt, natura hominum vitam ad 8. vel 9. ſæcula prorogare poteſt, quemadmodum in orbis inventa re ipſa prorogavit. Numquam pariter natura totis in unum collatis viribus lupos in Anglia, venenatos ſerpentes in Inſula Melitæ, Hippopotamum in Ægypto producet; numquamne ergo in iiſdem regionibus paria gignere valuit? Nequit in hoc horto certum hunc fructum, hunc florem emittere; numquam ne ergo emiſit? Si natura aliquid modo in certis aliquibus locis non valet, hæc ſane non defectui in natura virtutis adſcribenda ſunt; ſed naturalibus ad propaganda rerum genera inſtrumentis deſtituta eſt, omnibus ejus generis exterminatis. Ita pariter de Gigantibus reputandum. Revocet quis ad vitam veteres Palæſtinæ & Siciliæ Gigantes, ſtatimque Gigantum ipſa propagatio reparabitur. Qui verò ſtaturam hominis 7. pedibus majorem non agnoſcunt, quippe quod Hercules eam non excederet, coguntur illi tamen fateri, ſpectatos Romæ Gigantes Herculea ſtatura multo ſuperiores. Ad hæc, Herculem 7. ſtaturæ pedes attigiſſe, inter veteres Scriptores non convenit. Appollodorus 4. cubitos vel 6. pedes Viro tribuit (2).

5. Quicumque decreſcere in dies homines habent perſuaſum, opinionem illi tuentur rationibus deſtitutam; quæ tamen Gigantibus potius aſſerendis quam evertendis valeret.

6. Inter

(1) *Hiſtor. Academ. Nummor. & amæniorum Literar. tom. 1. pag. 125.* (2) *Bibliot. l. 2. c. 3. pag. 96.*

6. Inter eos, qui reipſa Gigantes olim in mundo ſpectatos volunt, nemo plane aſſerit, giganteam illam ſtaturam maxime naturalem hominum fuiſſe; illud tantummodo reputantes, nihil habere illam naturæ repugnans, nihil abnonum Univerſi elegantiæ, ceteriſque rerum dotibus. Nullum eſſe dicunt inconveniens, ſi Gigantes, poſſibiles alioqui, admittantur; uno verbo, magno numero Gigantes olim in mundo ſpectatos, quorum frequentia id efficeret, ut non monſtra haberentur, ſed certa hominum genera. Quæcumque contra aliam a noſtra ſententiam objiciuntur, nihil ad nos.

7. Eorum error, qui perſuaſum habuerunt, Gigantes ex Angelorum perduellium cum filiabus hominum connubio prodiiſſe; extitiſſe olim Gigantes invicte probat. Teſtimonium de recepta apud populos de Gigantibus traditione admittimus, rejicimus errorem. Quin nec ipſa pariter traditio tam vetus longe lateque propagata & conſtans, ineluctabile eſſet argumentum, niſi cum Scripturis vetuſtiſque omnium ſæculorum hiſtorijs aſſertæ fidei cohæreret.

8. Si tandem natura ludens interdum quædam in terræ ſinu producit; humanis oſſibus, calvariæ, tibiæ oſſibuſque ceteris non abſimilia; numquam tamen eo deveniet, ut integras oſſium humani corporis compages naturalibus ſimillimas effingat; quin & illi naturæ luſus argumentum ſui numquam non præbent, ſive majori, quam par eſt, rotunditate, ſive figuræ, ſive proportionum, ſive, ut plurimum, ſoliditatis diſcrepantia. Sunt enim foſſilia colore dilutiora, quippe quæ ad terreſtrem magis, ubi concreverunt, accedant. E ſolida materia compacta ſunt, non intus inania, ut hominum oſſa. Nec impoſſibile credimus, ut Elephantum, & Ceti alicujus oſſa pro Gigantibus obtruſa ſint; ſed conſtat equidem & genuina quædam Gigantum oſſa aliquibus in locis ſpectari, non incertum de Gigantum veritate documentum.

DISSERTATIO
DE TURRI BABELICA.

TUrris Babelicæ ædificium monumentum eſt & hiſtoria, contra quam nihil valuerunt ſive longiſſimi temporis vices, ſive diſſita locorum ſpatia, ſive linguarum diſcrepantia, & gentium diſperſio; nihil, inquam, valuerunt, ut ab hominum memoria tantum opus delerent. A primis inde ſæculis uſque ad noſtram ætatem manet ejus rei traditio apud gentes ferme univerſas, iis tantum exceptis, quibus barbaries ipſa & antiquitatis alta oblivio in naturam pene tranſivit. Pura illa & exactiſſima manſit apud Orientales, gentem omnium maxime moribus & literis excultam. Dedoctam ex Orientalibus Græci fabulis corruperunt, id ſibi Vatibus eorum indulgentibus, ut omnia portentoſis fabellis infercirent, quo genio populi in res miras ſervirent. Latentem hanc ſub fabularum tegumentis veritatem a Græcis Latini acceperunt. Pura rei cognitio, veluti puri latices e fonte, e Moyſe ipſo repetenda.

Moſaicæ hiſtoriæ fidem, argomento viro docto ſatis impari, in ſuſpicionem revocare nititur Celſus (1), contendens, Legiſlatorem Hebræum hanc de turri Babelica hiſtoriam, e fabella Poetarum de Aloidarum ſeu Titanum in Jovem bello expreſſiſſe; ut reponit Origenes, non Moyſem quidem, neque Poetis & literis ipſis Græcanicis vetuſtiorem, ex illis; ſed ipſos potius Græcorum Vates ex Hebræo Legiſlatore derivaſſe, quidquid veritatis fabellarum figmentis corruperint.

Juliano Imperatori quantaquanta hæc hiſtoria ſubolet fabellam (2): uſurpabat pariter ad literam illud, quod in Textu legitur: *Faciamus nobis Civitatem & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum*. Illud autem irridens reputabat Imperator, numquam & ſi homines in unum conſpiraſſent conſilium, & ſi cæmentaria ex univerſo Mundo ſtrues compararetur, ſi in lateres terra compingeretur omnis, numquam ædificium tale conſurgere potuiſſe, vel ſi parietibus tenui quodam filo tenuioribus conſtaret, ut Cœlum tangeret vertice. Deridiculo autem traducit Chriſtianorum & Judæorum credulitatem, quibus perſuaſum dicit, Deum hominum conſiliis perdendis linguarum confuſionem immiſiſſe, quod ſibi ab illis metueret.

Has viri impii calumnias repulſurus S. Cyrillus obſervat, multum non quidem abeſſe ab ea credulitate, qua territum Deum ſibique metuentem conſiliis hominum diſſipandis intendiſſe autumaremus. Ad captum vulgi loquitur Moyſes, cum deſcendiſſe Deum perhibet, & dum pariter addit homines conſilium molitos fuiſſe turrim ædificandi, *cujus culmen pertingeret ad Cœlum*. Similis enim loquendi phraſis alibi in Scriptura celſum aliquid deſignat. Quæ vero ex ejuſmodi verbis fabularum Authores fabricati ſunt commenta, nihil ad Chriſtianos. Si Deus deſcendiſſe legitur, ut ab incepto homines abterreret, ſi confuſionem in ſermones illorum injeciſſe, id non eo conſilio factum, quaſi ſibi mali aliquid timeret, ſed ut homines ab inutili & vano incepto, qua eſt in illos bonitate, cogeret abſiſtere. Reputantes enim mortales illi, fieri iterum potuiſſe, ut nova imbrium procella in mundum excuteretur, turrim adeo proceram ædificandam aggreſſi ſunt, ut nubes celſitudine ſua vincens, homines a diluvio poneret in tuto: quaſi ſcilicet Deus, cujus nutu aquæ ab inundanda terra deſtiterant, non æque pariter valuiſſet homines ab earum metu liberare.

Paganorum cavillationes adverſus Babelicam turrim, quaſi ſcilicet ejuſdem hiſtoriæ veritate motum a Gigantibus in Jovem bellum confirmaretur, depulſurus Philo, omnia ad allegoriam detorquet (3), ratas regulas omnes dirigendis moribus aptiſſimas a Moyſe ſub ejus narrationis obtentu præſcriptas. Factum tamen ille non negat; ſed morali tantummodo ſenſui excutiendo totus impenditur. Verum nec mortales ejus commentationes, nec objectas contra veritatem ejus hiſtoriæ cavillationes morati, id unum tantummodo in hac noſtra Diſſertatione ſuſcipimus, ut nihil ex ejus hiſtoriæ circumſtantiis in obſcuro relinquatur.

Hæc igitur Moyſes Gen. 11. v. 2. *Erat* (ab initio) *terra labii unius, & ſermonum eorumdem. Cumque proficiſcerentur de Oriente, invenerunt campum in terra Sennaar & habitaverunt in eo. Dixitque alter ad proximum ſuum: Venite, faciamus lateres, & coquamus eos igni. Habueruntque lateres pro ſaxis & bitumen pro cæmento. Et dixerunt: Venite, & faciamus nobis Civitatem & Turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum, & celebremus nomen noſtrum, antequam dividamur in univerſas terras*. Geſta hæc creduntur circa A. M. 1770. poſt diluvium 114. & ante Æram Chriſtianam 2234. Neque minus temporis ſpatium exigi videbatur, ut tot homines naſcerentur, quot tantum opus repoſceret. Integrum tamen ſæculum ſatis ſuperque reputandum eſt.

Cum Arca illa, tutum Noe ejuſque familiæ ab aquis diluvii effugium, in vertice Ararat Armeniæ montis inſediſſet (4) (locus eſt 10. vel 12. leucis ab

(1). *Origen. cont. Celſ. l. 4.*. (2). *Vid. Cyrill. Alex. l. 4. cont. Julian.* (3). *De Confuſ. linguarum*.

(4). *Gen 8. 4. Requievit Arca menſe ſeptimo ſuper montes Armeniæ*, Hebr. *ſuper montes Ararat*.

eb Erivan Orientem verſus) eum pariter locum in ſedem elegerunt homines poſt diluvium; quod etiam recepta tenet apud Armenos & Orientales populos traditio. Siſuthrus, quem Pagani cum Noe confundunt, ex Arca egreſſus, ait Alexander Polyhiſtor [1], datam cœlitus vocem audivit, præcipientem Babylonem rediret, docturus homines literarum uſum, quas literas inventurus eſſet in Urbe Sippara; ſciret autem ſe Armeniæ tunc loca tenere.

Gemina ferme refert Abidenus ex Beroſo [2]; narrat autem Siſuthrum, celatis in Urbe Heliopoli in Sipparena monumentis & Scriptis, quæ apud ſe retinebat, conſcenſo navigio, per inundantes diluvii aquas iter Armeniam verſus direxiſſe. Porro Arcæ reliquias in ſua adhuc regione ſervari tenent hodie pariter Armeni; nec dubitant in Armenia quoque Noemum, ejuſque familiam poſt diluvium ſedes ſuas collocaſſe.

Totus ergo controverſiæ cardo in eo vertitur, quomodo Moyſes Armeniam *Orientis* nomine deſignare potuerit; eſt enim Septemtrionalis maxime regio, qua Babyloniæ, qua Arabiæ, & Palæſtinæ, iis ſcilicet regionibus, unice a Legiſlatore, dum Geneſim ſcriberet, ſpectandis. Sed nullo negotio demonſtraretur, conſueviſſe interdum Hebræos, eadem *Orientis* appellatione deſignare pariter Aſſyriam, Meſopotamiam, Syriam, & Transeuphratæa; quas ſcilicet regiones magis orientales eſſe Palæſtinæ, quam Armeniam, dixerit nemo. Minatur Dominus Iſraelitas, futurum ut hoſtes undique adverſus illos concitaret, Syros ab Oriente [3], & Philiſthæos ab Occidente.

Ex Oriente in Palæſtinam veniſſe Abrahamum, quamquam reipſa ex Haran Meſopotamiæ tranſmigraverit, author eſt Iſaias 12. 2. a quo pariter aſſeritur moviſſe Cyrum ex Oriente in Babyloniam [4]; cum tamen ex Armenia & Perſide venerit. Scribit Daniel [5], Antiochum Epiphanem, acceptis defectionis populorum Orientis nunciis, commotum fuiſſe. Porro gentes illæ ipſiſſimæ ſunt Transeuphratææ Septemtrionales potius, quam Orientales Judæis; quas proinde Scriptura familiari phraſi interdum *ſeptemtrionis* nomine deſignat. Ita enim arma Regum Aſſyriæ in Chaldæos prænunciat: *Ab Aquilone famas* [6]; *ab Aquilone pandetur malum* [7]. Conſtat reipſa tamen omnes eas regiones, Armeniam maxime, ita Septemtrionales eſſe Palæſtinæ, ut ad Orientem vergant.

Poſteri Noe e regionibus Armeniæ *in terram Sennaar*, i. e. in Babyloniam venerunt. Vaſa Templi Domini in Fano Idolorum ſuorum in *terra Sennaar* a Nabuchodonoſore poſita, aſſerit Daniel 1. 2. Joſue [8] de rebus furto ſublatis ab Acham ſermonem habens, ſubductum ab illo ſcribit *pallium Sennaar*, i. e. interprete Aquila, & Chaldæo, pallium Babylone contextum. In regione ergo Sennaar conſtituta erat Urbs Babylon, quamquam alioquin regio illa multum ſupra Urbem excurreret, Septemtrionem verſus, ſi, uti quidem probabiliſſime creditur, mons *Sagras*, vel *Singar*, cujus apud Authores prophanos mentio [9], nomen ſuum derivabat ex *Sennaar* vel *Sengar*, juxta pronunciationem eorum, qui literam Hain veluti G pronunciant, uti factum in *Segor* & *Gaza* aliiſque nonnullis conſtat.

Nec inito conſilio & una ſimul tranſmigratione factum credo, ut homines deſertis Armeniæ montibus in Babyloniam tranſmigrarent. Paulatim venerunt ſecundum ripam Euphratis & Tygridis, opima paſcendis gregibus paſcua offerentem. Aucto deinde numero tum hominum tum gregum, id tandem reputarunt, fieri vix poſſe, ut in una omnes regione conſiſterent. Nec in illud tantum conſilium venerunt, quod major eſſet populus & greges majores,

quam ut una ferret regio, ſed in id maxime propenſos confirmavit ſervandæ pacis & politiæ difficultas in populo, cujus tot eſſent Principes, quot per familias capita, nulla legis, nulla monarchiæ communione juncta.

Revocari huc merito poſſent, quæ de diſſidiis Paſtorum Abrahami, & Loth [10] vulgata ſunt; cum enim regionis unius paſcua amborum opimis gregibus non ſufficerent, tollendis inter utriuſque Paſtores jurgiis & ſimultatibus, quibus gregis neceſſitas fomentum in dies majus præbuiſſet, diſſociare utrinque tabernacula & ſedes coacti ſunt.

Conſtitutis ergo ab hominibus in regione Sennaar ſedibus, conſilium cœptum eſt agitari de ædificanda Urbe, quam veluti Metropolim, Imperii centrum, & communem patriam haberent. Ad ornamentum & præſidium addere viſum eſt celſiſſimi faſtigii turrim, hæc ſecum reputantibus, perpetuum illud manſurum tum nominis apud poſteros ſui, tum & communis inter ſe neceſſitudinis monumentum, ut ſeris tandem nepotibus, quid hoc rei eſſet interrogantibus, reponeretur, poſuiſſe illa Patres ſuos, quo memoria non peritura maneret, eſſe ſe e parente Noe filios. Cum vero, addebant, in varias diſſitaſque provincias diſpergi nos omnes contigerit, Babelicam indicantes turrim, hic eſſe communem omnium patriam demonſtrare poterimus, ut varia licet incolentes loca, fratres tamen & unius veluti Patriæ cives nos eſſe agnoſcamus. Simili exemplo diu poſt Iſraelitæ ad ſedes ſuas Transjordanicas regredientes, ex aggeſta terra ſtruem crexerunt; monumentum poſteris ſuæ cum gentibus cis amnem neceſſitudinis [11].

Iſtud conſilii, uti veroſimiliter credimus, homines agitabant, dum turrim & urbem Babelis ædificandam aggreſſi ſunt [12]. Aliis tamen aliter viſum; reputant enim viros illos bellum in Deos indicere molitos fuiſſe quam in rem phraſim ſacri Textus expendunt: *Turrim cujus culmen pertingat ad Cœlum*; tum & titulum Gigantis a LXX. collatum Nembrodo, viro nempe ejus conſilii primo, uti creditur, authore. Quare Gigantes apud Poetas ipſum e Cœlo detrudere Jovem enixi montes montibus ſuperſtruunt, ut arma in ipſum inſtant Cœlum [13].

Extruere hi montes ad ſidera ſumma parabant,
Et magnum bello ſollicitare Jovem.

Narrat Joſephus [14], homines e diluvio reliquos novam procellam ſibi metuentes aliquandiu in montibus ſubſtitiſſe; cum tandem Sem, Japhet & Cham omnium primi a crepidine montium in plana deſcendiſſent, ac ceteris, ut exemplum ſuum ſequerentur, fuiſſent authores, omnes tandem in regionem Sennaar tranſmigraſſe. Tunc Deus alto providentiæ ſuæ conſilio meditans in varia Orbis loca mittere colonias, cum refractarios voluntati ſuæ haberet homines, ſpretæ divinitatis injuriam ulturus, flagellum in ipſos excuſſit. Nec ſemel Deus præceptum illud refractariis injunxit, ſed iterum roſilens, iterum juſſionibus ſuis habuit immorigeros; reputantes ſcilicet, eo conſilio ſe diſpergere meditatum fuiſſe Numen, ut diſſipatos perderet facilius.

Nembrod filius Chus, & Chami ex filio nepos, vir conſilio promptus & manu, facinoris hujus audaciam ceteris hominibus inſpiravit. Jactitabat vir ille identidem ſibi accepto referre debuiſſe felicitatem ſuam; augurabatur autem facile ſe mortales omnes dicto ſuo ſubjectos habiturum, ſi in defectionem adverſus Deum adducere illos valuiſſet. Quare, ut in partes ſuas traheret incautos, optimum eſſe factu propoſuit, ſi celſi adeo faſtigii turris excitare-

(1) *Apud Euſeb. Græc. Chronic. l. 1. p. 8.* (2) *Apud Euſeb. Chronic. l. 1. pag. 8.* Non inveroſimiliter credimus, Urbem Sapharam, ſive provinciam Sapharenam, de qua Alexander Polyhiſtor, Beroſus, & Abidenus, ipſiſſimum eſſe quam Moyſes appellat *Saphar*, montem Orientis. *Gen.* 10. 30. & Herodotus *l.* 2. montes Sapirus; & *l.* 4. montes illos collocat inter Colchos, & Medos.

(3) *Iſai.* 9. 12. (4) *Iſai.* 46. 11. (5) *Daniel.* 11. 44. (6) *Iſai.* 14. 31. (7) *Jerem.* 1. 14. (8) *Joſ.* 7. 21. (9) *Strabo lib.* 16. *&c.* (10) *Gen.* 13. (11) *Joſue* 20. 2. (12) *Vide Toſtat. in Joſue, Abenezra, Levi, Ben Gerſon, Salian A. M.* 1509. *& alios plures.* (13) *Ovid. Faſtor. lib.* 5. *Vide & Virgil. Æneid.* 6. *& Homer. Odyſſ.* (14) *Antiq. l.* 1. *c.* 5.

tur, ut inundantibus deinceps diluvii aquis in tuto poſiti inſultarent; qui ſimul molimine ulturos ſe dicebat Patrum ſuorum necem, quos Deus immiſſis diluvii aquis extinxiſſet.

Vanis hiſce ſeducti homines promptam manum turri conſtruendæ admoverunt. Cœptum impigre opus, namque imbecillioris eſſe animi rebantur, ſi divinis juſſionibus morigeros ſe præberent; & cum rei proſecutioni nec deeſſent opifices, nec cæmentaria ſtrues deſiderarentur, proficiebat in dies ædificium; quod tamen, ne citius etiam inſurgeret, faciebat mœnium ſoliditas & craſſitudo, ut, qua proportione turris illa in latum extenderetur, eo minus in altum videretur excreſcere. Audaciam & obſtinationem intuitus Deus, nec tamen perimere omnes ſuſtinens, diviſionem & linguarum confuſionem inter eos immiſit; ut cum alter alterum loquentem auſcultare non poſſet, coacti tandem & deſtiterant ab opere, & in varias orbis regiones diſperſi ſunt. Hæc Joſephus, laudans pariter Sybillæ oraculum ferens, homines unius olim idiomatis communione junctos, celſiſſimæ turris conſtructionem ſuſcepiſſe, quo ſcilicet veluti ſcabello Cœlum attingerent; ſed Deos excaſſa in turrim ventorum & imbrium procella cœptum opus dejeciſſe [1].

Authoritas quidem Joſephi, cum a Scriptura recedit, nullius eſt momenti; nec majoris ſuppoſititia Sybillæ oracula; ſed ejus teſtimonio aperte ſatis demonſtratur, de conſilio illo mortalium, ædificandæ ſcilicet Babelicæ turris, nihil præclare ſenſiſſe Judæos. Idem Sybillæ oraculum laudat Euſebius, cui majoris quidem ponderis aliam addit authoritatem Abydeni, & Eupolemi, mentionem de turri illa indacenſium, quam conſtructam dicebant a Gigantibus, perduellionis adverſus Deos conſilium agitantibus. Ita ergo Abydenus. *Sunt qui primos homines e terra natos, cum viribus & corporis mole confiderent, potentiamque ſuperis ipſis majorem affectarent, immenſæ altitudinis turrim, ubi nunc ſita Babylon eſt, moliri eſſe dicunt; quæ cum jam propius abeſſet a Cœlo, ventos ipſos, navata Diis opera, vaſtam & immanem eorum in capita ſubſtructionem effudiſſe, cujus ex collapſis rudetibus ea, quam Babylonem vocant, extiterit.*

Eupolemus narrat, urbem Babylonis, & turrim hanc per totum late orbem celebratiſſimam authores habuiſſe Gigantes e diluvio reliquos; everſorem autem Deum; Gigantes vero illos per totam late orbis faciem diſperſos. Artapanus apud Polyhiſtorem, ſive ipſe Polyhiſtor [2], aſſerit legi in quibuſdam ignotorum Authorum Libris, Abrahamum in terram Gigantum veniſſe; audaces vero homines illos perdidiſſe Deos ſceleribus illorum provocatos: unum tamen manſiſſe Belum, qui Babylone conſidens ædem ſibi elegiſſet in turri a ſe conſtructa, & ejus deinde nomine appellata. Addit, Abrahamum poſt hæc in Phœniciam & Ægyptum veniſſe.

Nec meliora ſentiunt de conſtructoribus Babelicæ turris inter Patres plerique. Impium illud conſilium a viris ſceleſtiſſimis & Deo perduellibus initum fuiſſe, certum ubique conſtituit Philo in ſua Lucubratione de confuſione linguarum. Verba illa: *Ædificemus turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum*, ad literam interpretatus videtur S. Auguſtinus [3]: *Si enim hoc fuit eorum conſilium*, ait ille, *ut e ſummo turris cacumine pertingerent ad Cœlum, nimium ſtulta audacia, & impietas eorum deprehenditur.* Et quidem abſurda illos ſenſiſſe, divinæ ultionis documento intelligimus. Addit autem idem Auguſtinus de Civit. l. 16. c. 4. *Quid factura erat humana & vana præſumptio? cujuslibet enim, & quantumlibet in Cœlum adverſus Deum altitudinem molis extolleret, quando montes tranſcenderet univerſos, quando ſpatium nebuloſi aeris evaderet? Quid denique noceret Deo quantacumque vel ſpiritalis vel corporalis elatio?* Facile autem credit alibi [4], Patriarcham Semum in audacibus illis conſiliis numquam communicaſſe; nihil enim ad illum de impoſita ceteris pœna, confuſione nempe linguarum; puras namque Hebraicus ſermo (quem primævam linguam conſtituit) in ejus familia permanſit. Hæc Auguſtinus.

Ejus vero Operis Authorem incentoremque ne dubitans quidem conſtituit Nembrodum [5], at ex Scriptura intelligere ſibi viſus eſt, perhibente [6]: *Principium Regni ejus Babylon.* An vero una vel plures excitatæ fuerint turres, ambigere ſe profitetur; ſolemne eſt enim, ut ſingulare uſurpetur aliquando loco pluralis, ut cum deſignando alicujus rei generi frequenti ſermone dicimus, miles, locuſta, rana &c. Recepta tamen vulgo opinio tenet, in unius tantummodo turris ædificationem juncta opera homines conſpiraſſe.

Author Libri Sapientiæ ædificium illud præ oculis habuiſſe viſus eſt, cum ſcriberet: *In conſenſu nequitiæ cum ſe nationes contuliſſent, hæc* (Sapientia) *ſcivit Juſtum, & conſervavit ſine querela Deo* [7]: ſed contextus ſermonis Abrahamum inſinuat, inter medios Idololatras illæſum a corruptione ſervatum. S. Joannes Chryſoſtomus pluribus reprehendit conſilium primorum hominum, Babelicam turrim ædificantium, audaciæ illos, ſuperbiæ, & vanitatis accuſans [8]. Scripturæ textus inſinuare videtur illam, quo homines tenebantur, metum, ne a Deo mutuo divellerentur; & quid ſibi cautionis evitando malo præſtiterint. *Faciamus*, reputabant illi inter ſe, *nobis Civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad Cœlum.* Et infra de Nemrod ait Scriptura: *Nemrod cœpit eſſe potens in terra*, (Gigas) *& erat robuſtus venator coram Domino.* Tertullianus *ſuperbiſſimam turrim* ædificium illud appellat, ratus deſcendiſſe Filium Dei, ut opus everteret, atque ædificantium idioma confunderet [9].

Eutychius Patriarcha Alexandrinus [10], qui Orientalium plures traditiones in ſuo Opere collegit, refert, homines, cum numero augerentur, in unum cœtum 72 virorum coiviſſe [11]; mutuo autem ſeſe exhortaſſe, ut urbem ſimul cum arce ædificarent, in qua pariter conſtruerent turrim, ad Cœlum uſque eminentem, de qua inundantes iterum diluvii aquas inferiores reſpicerent. Triennium igitur ſolidum impenderunt compingendis excoquendiſque lateribus 13. cubitorum longitudinis, 10. latitudinis, & 5. craſſitudinis. Quibus compararis, Urbem conſtruxerunt in loco Tyram inter & Babelem medio, 313. perticis porrectam, 151. latam. Mœnibus cingebatur 5533. perticis altitudinis, & 33. latitudinis; turris ad 10000. perticas ſurgebat, cui non minus quam 40. annorum ſpatium impenſum; nec tamen propterea opus abſolutum eſt; interrepit enim ædificantes miſſus a Deo Angelus, a quo idioma illorum confuſum.

Paria ferme refert Glycas [12]. Cœpta eſt, ait, turris ædificatio anno 536. poſt diluvium; operi vero 40. ſolidis annis inſudatum; meditabantur autem ab inundantibus iterum diluvii aquis tutum ſibi effugium parare. Præerant ædificantibus 72. ex optimatibus. Fruſtrantur tamen eorum conatus immiſſa idiomatum inter opifices confuſio reddidit. Anni 43. turri & urbi Babylonis conſtruendæ impenſi. Parietibus typhonis impetu disjectis everſiſque, oppreſſum Nemrodum author eſt Cedrenus [13]; & idipſum de typhonis turbine muros dejiciente legimus apud Sybillam & Abydenum. Malunt alii, terræ concuſſione ædificium illud corruiſſe; igne Cœlitus demiſſo ad fundamenta uſque arſiſſe, ſcribit Benjamin Tudelenſis. Manſiſſe longiori adhuc ætate alii defendunt; nihil ea de re apud Mayſem.

Hæc ſcribentes eo ſenſim delati ſumus, ut turrim illam Babelicam deſcriberemus. In ipſo limine expectabunt forte Lectores, ut grande aliquod ædificium oculis exhi-

(1) *Idem l.4.c.5.§.13.* (2) *Apud Euſeb.l.9.c.18.* (3) *Lib. 1.quæſt. in Geneſ. quæſ.21.* (4) *De Civit.l.6.c.11.* (5) *De Civit.l.16.c.4.* (6) *Gen.10.10.* (7) *Sap.10.5.* (8) *Chryſoſt. hom. 30. in Geneſ. pag.430. &c.*

(9) *Adver Praxeam c.16.pag.509.* (10) *Annal.tom.1. pag. 54.58.* (11) Seu potius Principes familiarum convenerunt *Vide Epiphan.hæreſum l.1 hæreſ.39.* (12) *Annal. par.2.pag.228.* (13) *Annal.p.12.*

exhibeatur; ex quo enim ad literam verba illa accipiantur, *Cujus culmen pertingat ad Cœlum*, nihil erit adeo magnificum, adeo verbis exaggeratum, quod verborum illorum granditas non ſuperet. Arcem Babylonis, quam ipſiſſimam credit turrim, poſt diluvium excitatam, 4000. paſſuum altitudinem æquaſſe, ex aliis acceptum refert S. Hieronymus [1]. Ad paſſus 5174. aſſurgentem deſcribit Ado Chronic. ætate prima; tradens inſuper, paulatim in altum coarctatam, quo facilius inferiora molis fundamenta imminens pondus ſuſtinerent. Addit etiam poſt S. Hieronymum, efferri pariter Templa marmorea, ſtatuas aureas, & plateas auro gemmiſque fulgentes, aliaque plura ſupra fidem, quibus Urbs Babylon diſtingueretur. Paria legas in Chronico Iſidori, cujus Textus habet 4000. paſſus, in ora autem annotatum eſt 5174. Quod addunt Authores illi de pretioſis ejus turris ornamentis, inſinuat plane Templum Beli, de quo plura Herodotus, & Diodorus Siculus; vel arcem in medio Babylonis, cujus Diodorus & Q. Curtius meminerit; ſed omnia augent in majus, hæc enim habet Herodotus [2].

Poſtquam enim idem Author pluribus Babylonis Urbem deſcripſiſſet, addit, in Urbe & in una ex ejus partibus, in duas enim interſecante Euphrate diſtinguitur, duos ſpectari inſignis proceritatis muros, quorum alter Ædes Regias, alter Jovis Beli Templum claudunt. Poſtremum hoc ædificium, cujus ænei erant poſtes, Herodoti ætate adhuc ſpectabatur; impoſitum autem erat areæ quadratæ duorum ſtadiorum. Aſſurgebat in medio ſpatii ejuſdem figuræ turris, cujus baſis ſtadium ſive 125. paſſus in longitudine, & totidem in latitudine [3], vel juxta alios Scriptores, in altitudine & latitudine dimetiebatur.

Surgebat ſupra turrim turris altera impoſita, quæ itidem tertiæ fundamentum, erat; tertia quartæ, & ſic deinceps uſque ad octavam. Per gradus in extima molis ſuperficie extructos ad ſummum cacumen aſcendebatur, quamquam non perpetuo ſcalarum ordine; erant enim identidem latiora requieſcendi aſſidendique ſpatia.

Octavæ turri inſidebat ampliſſimum quoddam Templum, in quo nulla ſimulacra, ſed ſplendide ſtratus lectus, ante quem aurea menſa poſita. Noctu in Templo quieſcere nemini, ait Herodotus, permiſſum, niſi fœminæ inter ceteras ejus Urbis a Belo, uti quidem a Chaldæis ejus Fani Sacerdotibus credulis impoſitum eſt, ſelectæ; cum qua Deus noctu maritales congreſſus habere creditus. Idem ritus obtinebat Thebis in Ægypto, in cujus Fano Jovi Thebæo dicato fœmina claudebatur; quod pariter privilegium erat fœminæ Sacerdotium agentis Pataræ in Lycia.

In inferioribus ejuſdem Templi Belo dicata ædicula, ait Herodotus, ſpectatur, ubi coloſſalis Jovis figura throno aſſidens, habens ante ſe menſam poſitam; ex ſolido auro omnia, ſtatua, thronus, menſa, & menſæ baſes. Totum opus æſtimabant Chaldæi 800. aureis talentis [4]. Extra ædem aliud ejuſdem metalli nitet Altare, in quo lactantia tantum animalia mactabantur; pro victimis provectioris ætatis majus aliud poſitum eſt. Aliquandiu ante Herodotum e ſolido auro alterum ſimulacrum conſecratum erat 12. cubitorum; quo excepto, reliqua omnia oculis ſuis luſtraſſe idem Author teſtatur; atque ex fide Chaldæorum refert, Darium Hyſtaſpis ſurripere ſimulacrum illud tentaſſe; ſed cum Principis illius molimen irritum cecidiſſet, Xerxi ejus filio ceſſit felicius. Singula hæc fuſius referri volui, quod ab Authore coævo & oculato teſte memoriæ prodita ſint; qui nempe Author abhinc pluſquam 2000. annis vivebat, Mundi ſcilicet anno 3520. & 484. ante Chriſtum.

Hoc Beli Templum a Semiramide conſtructum refert Diodorus Siculus l. 2. nihil ſe tamen de illo certi ſcribere proteſtatus, tum quod Authores inter ſe non conſtent, tum etiam, quod ſua ætate nihil de illo reſtaret; ſed ultro fatetur, turrim hanc ad celſiſſimum erectam faſtigium conſcendiſſe Chaldæos, ut ſyderum ortum & occaſum ſpecularentur.

Totum opus latericium erat, & bitumine multo opere & artificio cæmentatum. Superiora Templi tenebant, a Semiramide dicata, tria ſimulacra, Jovis nempe, Junonis, & Rheæ. Jovis ſtatua hominem exhibebat gradientem, 40. pedibus procerum; pondere autem erat 1000. talentorum Babyloniorum; aſſidebat Rhea 1000. talentis ponderans, cujus ante pedes ſtabant duo leones, & totidem angues argentei 30. talentorum pondo. Juno tandem 800. talentis gravis ſtringebat dextra manu anguis caput, & ſceptrum gemmis interniteus ſiniſtra. Ante tria illa Numina excurrebat ex ductili auro menſa 40. pedum longitudine, 17. latitudine, & 500. talentorum pondo. Hæc omnia ab Herodoto, immane quantum! diſcrepant.

Ætatis ſuæ teſtis Plinius aſſerit l. 6. c. 26. *Durat adhuc ibi Jovis Beli Templum*: ſed illud ſenio corruiſſe vetuſtior Plinio Diodorus Siculus teſtatur. Refert Joſephus [5] Alexandrum Magnum, cum primum Babylonem veniſſet, reparandæ illius conſilio purgatiaream militibus ſuis commiſiſſe; ac parentibus omnibus, ſolos tenuiſſe Judæos, neque minis, neque injuriis territos. Cum opus temporis longius ſpatium exigeret, conſilium exequi Princeps, morte præventus [6], eo ipſo anno quo opus inceperat [7], non valuit. Ita Templum Beli ſemel funditus everſum a Xerxe poſt infelicem ejus adverſus Græcos expeditionem [8], numquam deinceps reſtitutum eſt [9]. Hæc Strabo, & Arrianus.

Sed contraria plane aſſerit Herodotus, oculatum ſe teſtem Templum illud ſive turrim Beli ſpectaſſe affirmans. Conſtat autem ſcripſiſſe illum poſt Xerxem, non niſi ſex annis a fuſo ejus Principis exercitu anno 3526. Xerxes autem jam inde a 28. annis diem clauſerat, cum Hiſtoricus idem in frequenti Græcorum concione Librum ſuum recitavit A. M. 3559. ante Chriſtum 445. Conſtituamus ergo oportet ejus Templi everſionem inter annum 3559. & 3681. quo ſcilicet ejus reparandi conſilium Alexander inivit.

Sed negotium facit, an turris vel Templum, de quo hic ſermo, ipſiſſimum ſit a Moyſe inſinuatum, non enim inter Scriptores ea de re convenit; affirmantibus enim aliis ædificium illud excitaſſe Nemrodum una cum Gigantibus e diluvio reliquis [10]; contra excipiunt alii, opus vindicantes Belo [11] vel Semiramidi [12], vel Nabuchodonoſori [13]. Conſtat plane, ſolemne fuiſſe Orientalibus, conditæ Urbis vel molis honorem ejus reparatori, vel qui ornandum illud augendumque ſuſcepiſſent, tribuere. Ita non raro in Scriptura Princeps aliquis conditæ Urbis author perhibetur, quamquam ante illum ſteriſſe Urbem illam conſtet; quod ſcilicet vel munitionibus illam cinxerit, vel everſam reparaverit. Ita pariter Nabuchodonoſor florentem diu ante ſe Babylonem ædificaſſe gloriatur [14]: *Nonne eſt hæc Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ & in gloria decoris mei?* Fieri ergo optime potuit, ut Nemrod & poſteri Noe urbis & turris Babylonicæ fundamenta locarint, quæ poſtea ædificia Belus perfecerit, ornarit, & Belo ipſi dedicarit

(1) *Hieron. in Iſai. c. 14. l. 5. pag. 49. edit. Victorii. Arx autem, i. e. Capitolium hujus Urbis, eſt turris, quæ ædificata poſt diluvium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum, paulatim de alto in anguſtias coarctata, ut pondus imminens facilius a lateribus ſuſtentetur. Deſcribunt ibi Templa marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus auroque fulgentes, & multa alia quæ pene videantur incredibilia.* (2) *Herodotus l. 1. c. 181. 182.* (3) *Herodot. ibid.* (4) Id eſt 1920000. libris, ſingulis talentis in 2400. libras computatis.

(5) *Contra Appian. l. 1. 1048 1049.* (6) *Strabo l. 16 pag. 741. Arrian. l. 7.* (7) *A. M. 3681. ante J. C. 323.* (8) *A. M. 3526. ante Chriſtum 476.* (9) *Strabo l. 16. Arrian. l. 7. expedit. Alex. pag. 159.* (10) *Vide Sibyllam apud Joſeph. Antiquit. l. 1. & Euſeb. Præpar. l. 9 Eupolem. & Abydenum apud eumdem ibidem.* (11) *Q. Curt. lib. 5. Abyden. ex Megaſthen. apud Euſeb. Præparat. lib. 9. cap. 41.* (12) *Ita Cteſias, & ex illo Diodorus, Strab. Trogus, alii plures.* (13) *Vide ſi placet Dan. 9. 27. Joſeph. Antiquit. l. 10. c. 11.* (14) *Daniel. 4. 37.*

Semiramis; ac tendem fulgentis jam Urbis nitorem auxerit Nabuchodonoſor.

Belus Aſſyrius, qui Babylone regnabat poſt Arabes, congruit ætete eum Samgar Judice Jiracl [1]. Ninus ejus filius Imperium Aſſyrium fundevit anno 2737. cujus deinde pondus Semiremis ejus uxor poſt illum ſuſtinuit anno 2789. Quare Moyſes nec de operibus Beli, nec Semiremidis agere poterat. Qui vero Belum ipſiſſimum eſſe Nemrodum reputent, in anachroniſmum epertiſſime incidunt, niſi elterum Belum invehant patre Nini multo vetuſtiorem.

Apud Prophanos Ninus Ninive Urbem condidit, quam tamen Nemrodi ætete jam floruiſſe [2] ſat conſtat. Reparevit ergo Urbem Ninus, auxit, munitionibus vallavit, ornavit; Nemrod vero ſive Aſſur primus illam condidit: ex quo aliud noſtræ conjecturæ accedit argumentum, Babylonem ſcilicet fundaſſe Noemi poſteros; ſed idiomatum confuſione turberos, imperfectem reliquiſſe; quare ſupremæ meous cœpto operi imponendæ ſua ſinguli ætate ſtuduerunt, Belus, Semiramis, & Nabuchodonoſor; quibus euthoribus id incrementi Urbi, ut ejus conditæ bonorem ſibi ſinguli vindicarent.

Poſt Alexandrum Magnom nihil ſeris certi de turri Babylonice. Facile ipſis obruta ruinis ſuis, oblivione ſepulta eſt; & eum Plinius ſua adhoc ætate ſupereſſe teſtator, Herodoti textum hebens præ oculis, verbum verbo reddebat. Stabet enim Herodoto io vivis agente; & poſt illum uſque ed Plinium megnæ rerom vices in Babylonia.

De Turris hujus celſitudine ſilet Herodotus, inferiorem tantummodo, nempe octavam in fundamento locatem, ſtadio in quadrum gyraſſe reſcrens [3]. Stedio aſſurgentem & porrectam in quadrum, nempe paſſibus 125. Strabo teſtetur [4]. Eſt enim, ait, quedrata pyramis lateritie; everſa eſt modo, dejicicote, uti quidem ereditur, Xerxe. Reſtituere Opus ceotavit Alexander; ſed cum immenſi eſſet & laboris & temporis, non minus enim quem 1000. hominum bimeſtri ſpatio impenſi ſunt, ut e ruderibus areem purgarent; eum, inquam, tanti eſſet moliminis opus, nec Alexander, morte ſtatim præventus, voluit perficere, nec ex ejus ſucceſſoribus alter in ejus curæ partem venire ſuſtinuit. Hæc Strabo, qui turrim illem ſeu pyramidem Beli ſepulchrum appellat.

Rabbini in Libro *Jalcut* turrim Babelicam aſſurrexiſſe 27000 paſſibus comminiſcuntur: quam etiam menſuram in Libro *Pirke* porogant uſque ad 70000. quo nempe numerus reſpondeer 70. Angelis throno gloriæ edſiſtentibus, & 70. populis quo tonc in Orbe agebant, ac totidem linguis, in ques Babelice confuſio unicum antee ſermonem diſpeſcuit. Ejus ædificii fundementa 2000. longitudinis paſſibus dimetitur Benjamin Tudelenſis; addens, turrim æquaſſe in latitudine 240. eubitos vel 360 pedes, in longitudine vero 100. pertices vel 600. pedes. Porro ille nonniſi de everſæ illius molis ruderibus, qualia oculatus teſtis ſpectavit, egiſſe credendus eſt, eum diu antea proſtratam jacuiſſe conſtet.

Itinerentes ceteri, cum in eas regiones veniſſent, curas ſuas omnes impenderunt, ut de celebratiſſimo vetuſtatis monumento aliquid reſciſcerent; ſed eum inter illos non ſeris conveniat, nihil eſt ut aliqoid ex illis capiamus adjumenti. Circumjecentes populi certum locum veteris Babylonis ignorant; & alra ille, quæ regiooes tenet, ignoratio, portentoſas edeu epud illos invexit fabellas, ut de eorum credulitare nihil nobis ſcientiæ adjungatur. Nertat Gujon ex relatione duorum virorom Abbevillenſium, qoi meocipii jure ſervierant Præfecto Bagdat, turrim Babelicam molem eſſe leteritiam (ſingulis lereribos ad brechii menſuram) rotundam, bitumine & argilla cæmenti loco cohærentem, altitudinis 50. perticerum, vel 300 pedum. Commode ad ejus culmen evaditur non per gredus, ſed per viem in muri craſſitie paulatim aſcendentem, viem autem adeo ſpatioſem, ut 20. ſimul gradientes homines capiat. Craſſus eſt mutus ejus molis 100. paſſibus, & pro dato decem brachiorum ſpatio, patent januæ rotundæ, unde in interiore ædificii aditus; ſicut & diſpoſitæ ſunt ad treoſmittendem intus lucem feneſtræ, pro dato quolibet 6. brechiorum ſpetio. Extimem ſuperficiem otnant inſculptæ figuræ capirom virorum, fœminarum, animalium, quadrupedum, piſcium, & evium. Hæc Author, perſiſtere adbue Bebelicem turrim iotectam autumans.

D. de La Boulaye apud Deviti [5] reſert, contoliſſe ſe, explorerorum reliquias turris Babelicæ, in locum tribus leucis a Babylone, in egro inter Euphratem & Tygrim medio. Spectaſſe autem turrim intus ſolidem [6], ſpeciem habentem montis potius quam ædificii. Baſis ejus, eit, gyrat facile 300. paſſibus circiter, quamquam & eggeſte circum rudera areem occupens 400. ſeu 500. paſſuum circiter.

Ita vero ædificium illud conſtruitur. Sex lereritii ordines primum ſpectanrur, poſtea ſeptem, & ſic deinceps alterno ordine uſque ad ſummum. Inter ſextum & ſeptimum Ordinem e palea cecenti edhoc veluti lectus inſternitur, tribus digitis creſſus. Lateres ſinguli pedem Regium habent in quadro, 6. digitis craſſi; cæmentum quo inter ſe cohærent, digito circiter craſſum eſt; mixtura eſt autem e teera & bitumioe, queli hodie uſque pro cæmento ejus loci incolæ utnotue, ſcatet eoim perenni foote in lacu proximo bitumen. Numeraſſe ſe dieit Author 50. ordines 6. leterum, quibus alii 7. ſuecederent, ut proinde totius molis altitudo ed 138. regios pedes aſſurgeret. Patet in eecumine amplior quædam feneſtra; in beſi vero antrum eſt, continendis leonibus aptum; & circa medium hietus ioteriore penetrens ædificii adutque letus adverſum, pede in quadro non major.

Alia plane ſunt hæc ab iis, quæ huc uſqne diſſeruimus. An D. Boulaye cohæreat eum eiis Itinerentibus ignoro. Spectantur, inquiunt illi, in loco tribus leucis e Bagdat ioter Euphratem & Tygrim medio, in veſte quedem planitie magnæ cujuſdam turris rudera, vulgari regionis nomioe & treditione creditæ turris Nemrodi. Gyraot rudera illa 300. paſſibus circitee, ſurgunt autem majorie olim ædificii veſtigia eirciter 20. perticis ſeu 120. pedibus. Lateribus ſole excoctis decem digitorum regiorum in quadro, & trium craſſitudinis conſtat opus; ſex lateritii ordines alteri contriterum arundinum & paleæ admixtarum ordini incumbunt. De forme hujus ædificii, vetuſtate undique collapſi, nihil certi. Qnedratum tamen potius quam rotundom eredereter. An vero rudera illa Babelicæ turris habeoda ſint, nec ipſa ejus regionis treditione ſatis conſtat. Arabes enim ejus loci molem hanc appellant *Agarcouf*, opus tribuentes Arabom coidam Principi, qui cogendis in prælium ſuis accenſa in ejus eacumioe face ſignum dabat.


Perius delle Velle cleri nominis Itinerator, eadem, que eeteri, ſollicitudine rudera ejus turris ſpectaturus venit; ſed in deſcriptione non ſatis eum aliis convenit. Refert ille, in loco, leucæ quadraote ab Euphrete Orientem verſus, ſpectari rudera quedrati ferme & magni operis ædificii, 1150. paſſuom circiter ambitu. Superiora, ſere ubique in conum, veluti pyramides deſinunt. Conſtat opos lateribus ſole excoctis, quibus conjuogeodis pro cæmento eſt mixture quædam e terra & arundinibus quibuſdam contritis, quibus colligantibus ex una veluti maſſe totum opus concretum eſt. Quo loeo firmior exigebatur ædificii compages, lateres igoe excocti ac bitumine colligati ſubſtitoti ſunt.

Porro vir iſte, de qoo modo, delineari ſibi curavit duas ejus ædificii minus deformatas facies, Septemtrionelem nempe & meridionalem, quæ, cum Romem veniſſet, obtulit P. Kirchero, qui ære inciden-

(1) *A. M. 2682. ante Chriſtum 1322.* (2) *Gen. 10. 11.* (3) *Herod. l 1 c. 181.* (4) *Strab. l. 16. init. p. 738.* (5) *Daviti, alia pag. 316. 317.*

(6) An forte paria inſinuet Herodotus agens de turri Babylonica Templi loco Belo dicata, illis verbis; *Turris ſolida ædificata eſt?*

Digitized by Google




[illegible] tum & methodo & diligentia, facem præferens ceteris omnibus, qui eamdem poſt illum viam ita triverunt, ut præcedentis tamquam veſtigia relegere viderentur.

Quareſmius, Sanſonius, Du Val, de la Rue, Cellarius, Hortelius, Bonfrerius, P. Lubinus, P. Lamy Oratorii, Ligfootus, ut ceteros ſileam; argumentum hoc maxime illuſtrarunt; ſed adnitentibus illis plurimum, adhuc ſupereſt emendandum in tabulis. Quantæ adhuc in Geographia Sacra tenebræ!

Quod maxime neceſſitatem errandi fecit Geographis, illud reputandum eſt, nimirum certam locis omnibus, de quibus in Sacra Scriptura, & Joſepho, ſedem determinandam illos ſuſcepiſſe. Factum inde,

[illegible] & Gazer, Gazera, Gezer, Gezera, Gezeroth, Gezerothaim, Gizerot, Gideroth, Gadarath, Gaderoth; una & eadem Aſor, & Eſrom, Hazerim &c. cum interim varia hæc nomina totidem Urbium credita ſint. Confuſa ſunt viciſſim hæc duo diſteretarum Urbium nomina, *Thamar*, *Hazaſon-thamar*. Thamar in Hebræo palmam, arborem in regione frequentiſſimam, exprimit, cujus nomine plura in Palæſtina loca cenſentur. Urbes Palæſtinæ pleræque in collibus eminebant; hinc toties recurrunt nomina Gabaa, Gabbaton, Cabbatha, Gabaon, ſicut & Ramath, Ramoth, Ramathaim, Remmon, quibus vocibus collis, vel editus aliquis locus deſignatur. Idem ferme ſpectes in nominibus Urbium Beer,

(1) *Kernman in Templo naturæ p.289.* (2) *Oroſius l.2.c.6.* (3) *Greg.Turon. l.1.c.6. Hiſt. Franc.* (4) *In Gen. quæſ.59.*



inter illos non ſatis conveniat, nihil eſt ut aliquid ex illis capiamus adjumenti. Circumjacentes populi certum locum veteris Babylonis ignorant; & alia illa, quæ regionea tenet, ignoratio, portentoſas adeo apud illos invexit fabellas, ut de eorum credulitate nihil nobis ſcientiæ adjungatur. Narrat Gujon ex relatione duorum virorum Abbevillenſium, qui mancipiis jure ſervierunt Præfecto Bagdat, turrim Babelicam molem eſſe lateritiam (ſingulis lateribus ad brachii menſuram) rotundam, bitumine & argilla cæmenti loco cohærentem, altitudinis 50. perticarum, vel 300 pedum. Commode ad ejus culmen evaditur non per gradus, ſed per viam in muri craſſitie paulatim ferme & magni operis [illegible] ter ambitu. Superiora, fere ubique in conum, veluti pyramides deſinunt. Conſtat opus lateribus ſole excoctis, quibus conjungendis pro cæmento eſt mixtura quædam e terra & arundinibus quibuſdam contritis, quibus colligantibus ex una veluti maſſa totum opus concretum eſt. Quo loco firmior exigebatur ædificii compages, lateres igne excocti ac bitumine colligati ſubſtituti ſunt.

Porro vir iſte, de quo modo, delineari ſibi curavit duas ejus ædificii minus deformatas facies, Septemtrionalem nempe & meridionalem, quæ, cum Romam veniſſet, obtulit P. Kirchero, qui ære inciden-

(1) *A. M.* 2682. *ante Chriſtum* 1311. (2) *Gen.* 10. 11. (3) *Herod. l.* 1 *c.*181. (4) *Strab. l.*16. *init. p.*738. (5) *Davili, alic pag.* 316. 317.

(6) An forte paria inſinuat Herodotus agens de turri Babylonica Templi loco Belo dicata, illis verbis: *Turris ſolida ædificata eſt?*

dendas curavit. Qui perſuaſum habent ipſiſſimam hanc eſſe veterem Babelicam turrim, 1. laudant pro ſe receptam incolarum traditionem, locum illum Babelem appellantium; 2. Ejus ædificii materiam, lateres nempe bitumine colligatos, quæ cum relatione turris Babelicæ apud Moyſem quadrant; 3. Quadrat & locus turris in agro Sennaar ad Tigrim.

Sed facile hæc omnia diluas. Recepta in populo traditio, nec conſtans eſt ſatis, nec uniformis. Aliæ ſpectantur in regione turres, quibus eadem appellatio communis. Ad rationem ædificandi quod attinet, nihil in illa peculiare; lateres enim & bitumen pro cæmentaria omni materia hodie pariter obtinet in illis regionibus. Gratis autem certus ille locus pro agro Sennaar & loco turris aſſignatur. Si quis ſcientia valeret adeo, ut locum illum turris ad duas leucas præter propter aſſignaret, illi certe cauſa adjudicanda eſſet, atque omni ambigendi remota cauſa, an turris illa intacta, vel ruderibus ſuis ſpectanda adhuc ſubſiſteret, certo definiretur.

Sunt qui turris illius rudera juxta Baldach ad Euphratem aſſignent [1]. Monſtrant Regionis incolæ ingentem ruderum & lapidum ſtruem, veteris ædificii reliquias, quas propius accedere vetat metus anguium, magno numero in latebris illis verſantium. Verum ſi lapidum ſtrues ſupereſt, alterum ſane eſt ædificium a turri Babelica, lateribus tantum & bitumine fabricata.

Paulus Oroſius [2], & poſt ipſum S. Gregorius [3], confudiſſe in unum videntur urbem & turrim Babyloniam, quaſi pro eodem uſurpantes duo illa Scripturæ verba: *Civitatem, & turrim*: nempe, ut ipſi quidem inſinuant, Urbem turribus munitam; ſaltem expreſſe ſatis Authores illi Babylonem conditori Nemrodo aſſignant. Sed Paulus Oroſius notat, reparatam illam fuiſſe a Nino vel Semiramide, quibus Authoribus debentur inſignia illa ædificia ab Hiſtoricis celebrata. Reliquias ejus turris ætate ſua adhuc manſiſſe affirmat Theodoretus [4]; aſſerens pariter, illos, qui oculis rem totam exploraverant, atque fruſtula ejus ædificii avulſa ſecum tulerant, optime noſſe ædificium illud lateritium fuiſſe, bitumine pro cæmento colligatum. Nec plura Theodoretus.

Ex his omnibus ſtatuendum cenſemus, hiſtoriæ apud Moyſem relatæ veritatem aſſerram eſſe maxime, nihilque alicujus ponderis adverſus illam objicere potuiſſe ſive Julianum, vel Celſum, ceteroſque noſtræ Religionis, adverſarios. Fabellam autem Gigantum, depellere e Cœlo Jovem nitentium, a Moyſe derivari. Neque enim Moyſes, utpote Poetis omnibus vetuſtior, accipere quidquam ab illis potuit. Celſitudinem vero turris nullo doceri ſatis aſſerto monumento. Dejectam ſive ventorum procella, ſeu ignis e Cœlo dilapſi vi numquam conſtat; quin potius non inveroſimiliter credimus, manſiſſe adhuc poſt hominum diſperſionem. Belus, Semiramis, Nabuchodonoſor augendæ conditæ jam Urbi ornandæque pro ſua quique ætate laborarunt. Non Xerſes quidem molem illam dejecit; ſed ſponte corruit eo temporis intervallo, quod poſt Herodotum uſque ad Alexandrum Magnum deſluxit. Alexander ille reſtituendæ conſilium inivit; ſed ſummam operi manum non valuit imponere. Quæ ab Itinerantibus relatæ ſunt, veras quidem habemus vetuſtiſſimorum ædificiorum reliquias; ſed ipſiſſimam hanc eſſe turrim Babelicam, hæremus ambigui.

IN TABULAM
Geographicam Terræ Promiſſionis
ANIMADVERSIONES.

Quanti ſit ad rectam Sacræ Scripturæ intelligentiam ſcientia Geographiæ ſacræ, certum ſitum determinantis locorum, de quibus in eadem Scriptura, perſuaſum omnibus ſatis ſcio. De ejus neceſſitate perſuaſi Euſebius, S. Hieronymus, peculiarem ad eam ſcientiam operam contulerunt. Poſt ſacra Crucigerorum bella plures ex noſtris laudabili huic ſtudio addicti, ad Sacra illa loca oculis ſuis luſtranda ſe contulerunt, atque uberem ejus rei cognitionum meſſem retulerunt ſibi, & nobis communicarunt. Tandem hiſce Veterum & Recentiorum documentis adjuti doctiſſimi quidam ex noſtris Geographis, tabulas & methodos Geographicas direxerunt, quibus in Sacrorum Librorum lectione magis magiſque juvaremur. Adrichomius inter ceteros excellit maxime, tum amplioris Operis volumine, tum & methodo & diligentia, facem præferens ceteris omnibus, qui eamdem poſt illum viam ita triverunt, ut præcedentis tamquam veſtigia relegere viderentur.

Quareſmius, Sanſonius, Du Val, de la Rue, Cellarius, Hortelius, Bonfrerius, P. Lubinus, P. Lamy Oratorii, Ligfootus, ut ceteros ſileam; argumentum hoc maxime illuſtrarunt; ſed adnitentibus illis plurimum, adhuc ſupereſt emendandum in tabulis. Quantæ adhuc in Geographia Sacra tenebræ!

Quod maxime neceſſitatem errandi fecit Geographis, illud reputandum eſt, nimirum certam locis omnibus, de quibus in Sacra Scriptura, & Joſepho, ſedem determinandam illos ſuſcepiſſe. Factum inde, ut caſu multa ſignarentur in tabulis locorum nomina, quorum incertiſſimus ſitus, & nihil de illis habetur explorati, quam quod ad hanc vel illam Tribum aut regionem pertinerent. Lectores interim, qui in ambiguo verſantur, commodum ſibi arripiunt, quæcumque oculis ſubjecta vident, omnia indiſcriminatim admittendi, rati certum illum eſſe naturalem locorum ſitum. Poſt priores illos, ſuccedentes Geographi alter alterum exſcribens, ut moris eſt, perpetuam faciunt errorum tum ſucceſſionem, tum etiam pene ad infinitum propagationem.

Alteram errandi occaſionem præbet Hebraici idiomatis & etymologiarum ignoratio. Plures inde Urbes in unam confuſæ; ex una plures factæ; quod ſcilicet genuina vocum ſignificatio lateret. Sunt e. g. una & eadem Urbs *Bethſemes*, & *Hirſemes*; ſicut & Gazer, Gazera, Gezer, Gezera, Gezeroth, Gezerorhaim, Gizerot, Gideroth, Gadarath, Gaderoth; una & eadem Aſor, & Eſrom, Hazerim &c. cum interim varia hæc nomina totidem Urbium credita ſint. Confuſa ſunt viciſſim hæc duo diſcretarum Urbium nomina, *Thamar*, *Hazaſon-thamar*. Thamar in Hebræo palmam, arborem in regione frequentiſſimam, exprimit, cujus nomine plura in Palæſtina loca cenſentur. Urbes Palæſtinæ pleræque in collibus eminebant; hinc toties recurrunt nomina Gabaa, Gabbaton, Cabbatha, Gabaon, ſicut & Ramath, Ramoth, Ramathaim, Remmon, quibus vocibus collis, vel editus aliquis locus deſignatur. Idem ferme ſpectes in nominibus Urbium Beer, Bero-

(1) *Kornman in Templo naturæ p. 289.* (2) *Oroſius l. 2. c. 6.* (3) *Greg. Turon. l. 1. c. 6. Hiſt. Franc.* (4) *In Gen. quæſ. 59.*

Beroth, Bera, Berothaim: Ain, Enna, Ennon, Eoam, quorum etymon e puteis ſive fontibus ibi frequentibus. Non ita vero reputandum eſt, quaſi *Beer*, Bera, Beroth, Berothaim loca ſemper inter ſe diverſa ſignificent; ſunt enim interdum unius ejuſdemque ſynonima. Simili exemplo voces Beth, Hir, Cariat, vel Hazer, Aior, Hazerim, alteri cuique nomini adjectæ nihil aliud ſignificant, quam *Urbs*, *manſio*, vel *atrium*; quare indiſcriminatim uſurpatur *Arbee*, vel *Carinth-Arbee*; *Lebom*, ſive *Beth-Lebom*: *Ennon* & *Hazer Ennon*. His embagibus implicantur quicumque Hebraicum idioma vel non ſatis callent, vel ignorant. Huc pariter referenda vitia illa orthographiæ in propriorum nominum adſcriptionibus, quibus adeo fœdantur Tabulæ, ut vix ultra agnoſcantur. *Cariat jarim Cariat baal*, Baal, Baela, Balim Juda, Sedes jarim plura ſunt ejuſdem Urbis nomina: & *Gabaa* 1. Reg. 7. 1. nihil eſt aliud quam collis *Cariat-jarim*. Ramatha Prophetæ Samuelis ſedes, alia plane fuit ab Urbe cognomine inter Liddam & Jeruſalem in via ex Joppe Jeruſalem: Ramatha enim Samuelis, cui agnomen Ramatha Sophim, ſita erat in montibus Ephraim [1], multo plane Septemtrionalior. Bozra, Boſtre, Beſor, & Bozor unius ſunt Urbis nomina in Transjordania & in Tribu Ruben, 25. milliaribus ad Edrai.

Nec parum offundendis veritati tenebris contulit nimia lineantium credulitas. Quo tempore Crucesignatorum armis Terræ Sanctæ loca ceſſerunt, diſcurrentes regionem Chriſtiani, ea ſemel inducti perſuaſione, quæ Joſue & Joſephi ætate nota eſſent, ſibi etiam occurſura omnia, ad minimam nominum vel ſitus affinitatem, vel ſimilem aliquam conjecturam, ſtatim, veluti ſibi exploratum, pronunciabant hanc Bethuliam eſſe, hinc quercum Mambre, vel ſpeluncam Loth, illic Terebinthum Jacob, Sepulcrum Adami, domum Cleophæ, juniperum Eliæ, fontem Agar, vel *caſtellum, quod contra vos eſt*, & alia hujus generis ſexcenta.

Poſtquam Saracenis & Turcis loca paruerunt, rara illa monumenta, unde Geographiæ aliquid ſubſidii pareretur, vel gentis vel temporis injuria omnia deſtructa ſunt. Regionem diſcurrentes prædones & Arabes deſertam ferme reddiderunt; ut noſtra pariter ætate tutum non ſit euntibus per ea loca iter, niſi cum illis, quas vocant, *Caravaniz*, conſtantem ſemper viam tenentibus, neque divertere audentibus quidquam, neque ſuſtinentibus tandiu in uno loco, ut illius Urbis vel agri faciem delineent; gravius ſibi aliquid e populis illis barbaris, rudibus, ſuſpicioſis metuentes. Factum inde, ut parum adjumenti contulerint nobis itinera doctiſſimorum virorum illius ætatis, quorum omnes labores eliquid tantum contulerunt, ut certas locorum quorumdam diſtantias, ſicut & flumina & montes, diſceremus. Accedunt his omnibus ducum itineris infertæ fabellis & parum certis traditionibus relationes. Quare illud nobis jure eſt aſſerendum, nihil habere nos minus explorati quam Terræ Sanctæ Regionem.

Id unice nobis eſſet in votis, ut viri aliqui in Geographia periti novam dare tabulam ſuſciperent. Horum ſcientia & eruditione proficere, e re noſtra eſſet maxime, quibus etiam animadverſiones noſtras libentiſſime communicaremus. Sed difficultate operis territi viri quique doctiſſimi, & alio occupati, provinciam illam reliquerunt intactam. Quare neceſſitate coacti novam Terræ Sanctæ tabulam dirigendi, recuſatam ab aliis provinciam inivimus. Nec blandimur tamen nobis, melius ceſſiſſe noſtris conatibus, quam aliis ceteris: errata tamen nonnulla correximus, quibus præcedentes tabulæ fere omnes vitiantur.

Quo autem pro viribus errandi nobis occaſionem præcidamus, id nobis conſtitutum eſt, ne loca alia conſignemus in tabulis, quam quorum nomina nota ſunt in Scriptura & Joſepho, & ea quorum certum tum ſitum indicarunt Euſebius & Hieronymus aliique fide digni Scriptores. Ita factum eſt, ut Tabula minus inſerta nominibus diſtinctior ſit, nihilque determinet, quin prius ejus determinationis rationes in Commentario exhibeantur. Quicumque catalogum optant Urbium ſingularum Tribuum, facile nanciſcentur apud Joſephum; quibus id commodi accedet, ut negotium iis præcidatur diſtinguendi in Tabula loca, quorum eſt certus ſitus, ab aliis, quorum caſu tantummodo locus aſſignatus eſt. Nemo ſibi facile perſuaderet, quantum erroris inducat locorum ignoratio, & falſa ſitus determinatio. Experimento id probavimus interdum in noſtro Commentario: qua de re reddenda nobis hic eſt ratio, ne forte contingat, ut repugnantia ſcripſiſſe accuſemur, quod alia ſcripturis mandaverimus, alia in tabulis intuentium oculis ſubjecerimus.

Falſa quædam de vetoſtis Terræ Sanctæ limitibus idea rectam Geographiæ œconomiam plurimum turbavit. Ita e. g. quicumque ea perſuaſione tenebantur, meridianos regionis limites definiri linea quadam ducta ab extrema maris Mortui ora adusque Gazam ſive torrentem Rinocoruræ, quem cum flumine Sichor vel rivo Ægypti confundunt; quicumque, inquam, ea perſuaſione tenentur, intra Septemtrionalem ejus lineæ portionem clauſerunt regionem Juda & Simeon, quamquam dimenſiones apud Euſebium & S. Hieronymum, viros in ejus ſtudii genere principes, plus multo ad meridiem protenduntur. Ut autem geminis illis Scriptoribus aliquid deferre viderentur, pluſquam par eſt, ad ſeptemtrionem revocare coacti ſunt Jeruſalem, Eleutheropolim, & Hebron; ex quo magna in poſitione tum eorum, cum aliorum etiam locorum, quam aſſignatæ ad illas diſtantiæ, turbatio. Id nobis incommodi ſuſtulit limen terræ promiſſionis ad Peluſium uſque & Nilum revocatum [2]; certumque habemus & ratum, regiones illas, nullo hodie habitatore deſertas, inter mare Mortuum & Ægyptum cultura olim & incolis floruiſſe, quemadmodum non obſcure docet Scriptura [3]. Hoc loci ſpatium aſſignamus terræ Geſſen vel Guſen, duplici olim titulo ab Iſraelitis poſſeſſæ, dono ſcilicet Regis Ægypti Joſepho ejuſque fratribus [4], ac tandem aſſignatione Joſue, a quo Tribui Judæ addicta eſt [5], ut promiſſionum divinarum fides liberaretur. Ibi pariter Gerara, Berſabee, Arad, Horma, Aſemona, Siceleg, Luza, Geth, Maon, & aliæ in Scriptura notiſſimæ: quæ omnes ultra Gazam conſtitutæ ſunt, quemadmodum ſatis probat authoritas Euſebii & S. Hieronymi, Scripturæ pariter & prophanorum Geographorum, apud quos de Urbium illarum nonnullis mentio, uti Berſabeæ, Luzæ, Geraræ, Meonis, vel Maonis, ut infra demonſtrabimus.

Regionis limites meridionales ſatis aperte, ſi attendatur, Moyſes deſcribit. Ducit enim lineam meridionalem e mari Mortuo, & e deſerto Zin, regioni Edom proximo, ac ad aſcenſum Scorpionis deflexam protendit uſque ad Senna, & Cadesbarne; inde vero adusque Adar & Aſemonam, & inde gyrantem flectit uſque ad torrentem Ægypti, & ad litus magni maris, nempe Mediterranei. Fruſtra hic demonſtraremus, Ægypti torrentem ipſum eſſe Nilum: quod in Commentario [6] ſatis eviciſſe confidimus. Loca illa e Moyſe expreſſa non recta ſane linea a mari mortuo ad Mediterraneum ducunt: quare appoſite quidem Sacer Hiſtoricus bis utitur verbo *gyrat*; reipſa enim ducta meridionalis linea gyrat ad meridiem occidentem verſus a latere Ægypti.

In cenſu manſionum Hebræorum in deſerto Num. 33. plura leguntur nomina Urbium ad meridiem Judæ, uti Azor vel Etron: Azerim, quæ cum Mozerah, Mozeroth, & Hazeroth confunditur; Lebna notiſſima eſt urbs: Ceilata alia non eſt a Ceilath. Reſſa apud Joſephum & alibi nota eſt. Mons Sepher ipſe eſt Cariat-Sepher; Adar, Adara, Arada, Ared, Herad, Barad, varia ſunt facile ejuſdem Urbis ſynonima. *Mucalot* ipſam credo Malatim, aut Malatam Euſebii, & Moladem Joſue; ſicut *Metca* eamdem faci-

(1) 1. *Reg.* 1. 1. (2) *Vide Comment. in Joſue* 13. 3. (3) 1. *Reg.* 28. 8. *Hi enim pagi habitabantur in terra antiquitus euntibus Sur, uſque ad terram Ægypti*. (4) *Gen.* 47. 6. (5) *Joſue* 10. 41. & 11. 16. & 15. 51. (6) *Joſu.* 13. 3.

facile ac Metag in 2. Reg. 8. *Allus* eſt Lyſa, Elyſa, Allus in Arabia Petræa. *Jotabata*, an eadem ac ſepulchra concupiſcentiæ [1]?

Ad Idumæam quod attinet, non ſatis diſtincta variorum temporum diſcrepantia in errorem Geographos induxit. Quo igitur Scriptura ſecum ipſa cohæreat, duas admittamus Idumæas, vel regiones Sehir, neceſſe eſt; alteram ſcilicet ad orientem Palæſtinæ in montibus Galaad, Edrai verſus, quo in loco inclyta urbs Bozra [2]. Aliam vero ad meridiem Juda in Arabia Petræa, a finibus Juda uſque ad mare Rubrum & Sinum Elaniticum protenſam. Poſtrema Reipublicæ Judaicæ ætate, nempe poſt captivitatem Babylonicam, ditionem ſuam propagantes Idumæi, Urbes meridionales Juda plurimas uſque ad Hebron vel circum ſibi uſurparunt.

De regione Edom, vel Sehir ad orientem Terræ Sanctæ, vide Gen. 32. 3. ubi legas Jacob e Meſopotamia reducem, cum adhuc trans Jordanem eſſet, adventus ſui nuncios ad Eſau fratrem ſuum miſiſſe; quod ut reſcivit Eſau ipſa eadem die [non longe enim morabatur] in occurſum fratris venit. Et 2. Reg. 8. 13. 14. Davidem e Syria reducem Idumæam ſibi jure armorum ſubegiſſe. Conſtat autem Idumæam meridionalem regredienti e Syria & Emath Jeruſalem, in via occurrere nequaquam potuiſſe. Alibi vero [3], Adad filius Regis Idumææ e cæde ſervatus, ſubductus fuit ex Idumæa in Madian, inde Pharan, tandem in Ægyptum. Porro de Madian hic agitur, tamquam ad Orientem maris Mortui. Regionem Edom ad Orientem Chanaanitidis & in montibus Galaad Joſue pariter conſtituit [4]. Non ſemel exhibentur Idumæi montis Sehir fœdere juncti cum Ammonitis & Moabitis, tamquam cum Limitrophis gentibus, arma in Hebræos ferre [5]. Ad eam regionem pertinebat Job e poſteris Eſau [6].

De regione Edom vel Sehir ad meridiem Juda, quod nulla ſit controverſia, videſis noſtrum Commentar. in Geneſ. 14. 6.

Quæ Juda obtigerat, regio protendebatur a mari Rubro uſque ad Ægyptum. Sub Salomone, & deinceps etiam ſub Joſaphat [7], Aſiongaber & Elat ad Sinum Elaniticum Regibus Juda parebant. Poſt defectionem Jeroboami, cum Tribus Simeon jugum excuſſiſſet domus David, ejuſdem familiæ Reges per data temporum intervalla plures urbes ex eadem Tribu [8] occuparunt: & jure illi quidem, ſuam enim veterem partem repetebant [9], in quam volentes Simeonitas admiſerant.

Alii ſunt igitur limites conſtituendi Regno Juda, quam qui plerumque ponuntur; duplo enim major patebat illi regio quam in Tabulis Geographicis obtineat. Excurrebant enim plus multo ad meridiem, ut quidquid Græcis & Romanis ſub Idumææ nomine poſtea innotuit, totum ſibi Juda olim vindicaret. Non eſt igitur, cur vehementer miremur inſtructiſſimos illos Regum Juda exercitus, nec portentoſos plane hominum ejus ditionis cenſus, tum alibi ſæpe, cum maxime ſub Joſaphat [10], cujus nutu armabantur 1160000. virorum, exceptis Urbium cuſtodibus, militibus & copiis item quæ ſtabant in armis. Regio erat enim optime diſpoſita, culta maxime & feraciſſima; cui ad commodum accedebat cum finitimis commercium, quibus omnibus abunde numerus ille hominum & major etiam ſufficiebatur. Quæ ad meridiem Juda ſqualidæ nunc jacent regiones, florentiſſimæ tunc erant maxime, & Urbibus ac vicis, tum poſtremis Reipublicæ Judaicæ annis, cum etiam poſt eam ætatem; nec ad extremam hanc deſolationem redactæ ſunt, niſi immiſſo a Deo rerum omnium exterminio per Turcas. Ipſum Terræ Sanctæ centrum irrigabant lacte & melle manantes fluvii; quod fidem ſuperat de regione nihilo ferme hodie Arabia Petræa feliciori. Si quis e rebus præſentibus de præteritis argumentum caperet, potuiſſet ne in animum inducere, tanto incolarum numero, quantum inſinuat Scriptura, deſerta hæc loca floruiſſe? Non eſt ergo e præſentibus ad præteritum regionis alicujus ſtatum ſemper certa conſecutio: *Nunc ſeges eſt, ubi Troja fuit* [11].

Regio Gazam inter & Ægyptum ſqualet hodie, totam enim occupant fluxæ ſemper arenæ, ſteriles, & ſalitum quoddam ſabulum, fructibus ferendis ineptum. Hæc loci pictura, quam non recentiores tantum, ſed Veteres etiam exhibuerunt; narrant enim Cambyſem numquam id commiſſurum fuiſſe, ut exercitum ſuum per eas regiones in Ægyptum duceret, niſi unus ex Arabiæ Regibus camelos ingenti plane numero, ferendis potabilibus aquis, & commeatibus ceteris ſuffeciſſet [12]. Vera ſunt hæc: ſed non minus conſtat, ſuos fuiſſe olim in eo regionis tractu incolas. Uno enim Geographorum conſenſu patet, litoris Mediterranei totum tractum inter Gazam & Peluſium habuiſſe Urbes Raphiæ, Anthedonis, Rinocoluræ, Betthaphu, Oſtracinæ: & noſtra etiam ætate plura adhuc manere columnarum & ædificiorum rudera, veteris magnificentiæ veſtigia, teſtantur Itineraria [13]. Spectantur etiam vici pagique Arabiam verſus, & ad mare; quin & infra Cariam ſeptemtrionem verſus procedendo, & a Gaza ad meridiem retrocedendo, ſpatium eſt terræ ſane longum, incultum reipſa, ſed culturæ non impatiens. Leucas non ſupra 15. vel 20. nec latius a mari protenſæ tenent arenæ.

Laterum ſeptemtrionalium ſitus & dimenſio præ meridionalibus plus etiam latuit Interpretes: quibus errandi occaſionem ipſa quodammodo Scriptura ſuppeditavit, terminos modo Libanum conſtituens, modo loca alia magis remota & minus cognita. Has in ſpeciem antilogias conciliaturi Interpretes, in antilogiam reipſa prolapſi ſunt, quærentes cis & ad meridiem Libani Urbes *Hethalon*, *Sedada*, *Emath*, *Sabarim*, *Sephama &c.* quæ omnes ad tractum pertinent ultra Libanum, & in Syriæ centro. Qua tandem tenebantur de figura & tractu Libani ignoratione, factum eſt, ut erronea traderent de introitu Emath, de Urbibus Rohob, Aphec, Emath &c. Nec meliora nos interdum dedimus de introitu Emath, & in Libani deſcriptione. Sed majori ſedulitate & ſtudio argumentum illud verſantes, aliorum tandem & noſtrum errorem intelleximus: perſuaſi Libanum & Antilibanum duos eſſe parallelos montes, quos inter longa vallis diſtinguit, patens ad Septemtrionem vel Septemtrionem Occidentalem, qua parte Syriam ſpectat; perpetua vero montium catena duos illos montes jungente ad meridiem, clauſa, qua parte Judæam reſpicit. Quare perpetuus eſt montium ductus in equini ferri ſimilitudinem gyrans, cujus longitudo a meridie ad ſeptemtrionem; Libanus ſcilicet poſt Sidonem uſque ad ulteriora Urbis Tripolitanæ porrigitur; Antilibanus vero a fontibus Jordanis uſque ad tres leucas Balbec infra, Laodiceam Cabioſam vel Scabioſam verſus.

Congruit hæc locorum deſcriptio non Plinio tantum, Euſebio, & S. Hieronymo [14], ſed recentiorum Itinerantium exactiſſimis. Plinius Libanum ducit poſt Sidonem; protendi vero aſſerit ſecundum Mediterraneum uſque Symiram, 1500. ſtadiorum tractu;

(1) *Jeetaabata, Tumuli concupiſcentiæ.* (2) *Joſue* 20. 8. *&* 21. 27. 36. *Iſai.* 34. 6. *&* 63. 1. *Jerem.* 47. 24. *&* 49. 13. 22. (3) 3. *Reg.* 11. 18. (4) *Joſue* 11. 17. *&* 12. 7. (5) 2. *Paral.* 20. 2. 10. *Ezech.* 25. 8. *&* 35. 2. 3. (6) *Vide Comment. in Job* 1. *pag.* 3. 4. *& Jerem. Thren.* 4. 21. (7) 3. *Reg.* 22. 49. (8) *Vide* 1. *Par.* 4. 41. 42. 43. (9) *Vide Joſue* 19. collatum cum *Joſue* 15. (10) 2. *Par.* 17. 15 16. *&c.* (11) *Ovid. Epiſt. Heroid.* 1. (12) *Herodot. l.* 3. *c.* 5. 6. *&c* 88. (13) *Thevenot Itiner. Oriental. p.* 2. *c.* 35 *& Petr. della Valle Ep.* 13.

(14) Vide Euſebium & S. Hieronymum ad vocem *Antilibanus*; conſtituunt enim eum montem ad Orientem Libani, Damaſcum verſus; & S. Hieronymus in Ezechielem 20. cenſet, Terram Promiſſionis a Septemtrione aduſque montem Taurum protendi; complecti vero in ſuo ambitu Phœniciam, Cœleſyriam, & Ciliciam. Vide etiam eumdem Sanctum Hieronymum *Epiſt. ad Dardan. & in Ezechiel.* 7. *& RR. in Gemar. Jeroſol. Scherith. pag.* 36. *Vide Ligfoot. cap.* 11. *Chorograph.*

Antilibanum vero e regione illius ponit, mediam inter duos conſtituens vallem Cœleſyriæ, olim in extrema ſui ora ducto muro ad utrumque montem clauſam [1]. Strabo lib. 16. locum aliter deſcribit; namque paulo ſupra Tripolim ad mare Libanum reperiri, Antilibanum vero Sidonem verſus inire teſtatur; finem autem utriuſque montis conſtituit circa montes Arabiæ. Vallis intermediæ latitudinem ad oſtium quidem verſus mare 200. ſtadiis, in medio vero tractus duplo majori ſtadiorum menſura dimetitur. Hunc ſibi ducem in Libano & Antilibano deſcribendo plerique conſtituentes, duos parallelos montes ex Oriente ad Occidentem exhibent. Verum Maundrellus [2] narrat, moviſſe e Sidone, atque tranſgreſſo inde Libano, in ſubjectam demum vallem deſcendiſſe, quo loco duas leucas latitudinis dimetiebatur; longitudine vero plurium dierum itineri par fuiſſet. Ejus ſitus ad ſeptemtrionem & Orientem: & ad Meridiem Occidentem ſepit ejus latera duplex montium parallelorum, & ejuſdem plane figuræ ductus. Prima montium catena ea eſt, quæ vallem & Urbem Sidonis interjacet; altera e regione Damaſcum reſpicit: illa Libanus eſt, hæc Antilibanus.

Septemtrionales limites Terræ promiſſionis deſcribens Moyſes, illos ducit [3] *a Mari magno uſque ad montem altiſſimum*, [ad literam ad montem montium] *a quo venient*, ait, *in Emath uſque ad terminos Sedada; ibuntque confinia uſque ad Zephrona, & Villam Enan ſeu Hazer-Enan. Hi erunt termini in parte aquilonis. Inde metabuntur fines contra Orientalem plagam, de Villa Enan uſque Sephama; & de Sephama deſcendent termini in Reblata*. Animadvertendum hic ſedulo Enath in medio lineæ ſeptemtrionalis ex Oriente in Occidentem conſtitui; ita pariter Enam in medio jacuiſſe lineæ Orientalis ex Septemtrione in meridiem; ut poſt eam Urbem lineam ad Septemtrionem tenderet in Sepham & Reblam; inde *pervenier*, ait Moyſes, *contra Orientem ad mare Cenereth*. Porro Sepham, & Rebla Urbes erant Syriæ; Enan conſtituimus ad meridiem Damaſci. Hanc Moyſes ideam ingerit de ſeptemtrionalibus Palæſtinæ limitibus. Luculentiora Ezechiel 47. 15. &c. *A mari magno* [Mediterraneo] *via Hetalon venientibus Sedad Emath, Beroth, Sabarim, quæ eſt inter terminum Damaſci confinium Emath, domus Thicon* [Hebr. *Chazer Tichon*] *quæ eſt juxta terminum Auran*. Quibus ita conſtitutis, ſeptemtrionales limites definire oportet linea *a mari magno ad Chazer-Enon terminum Damaſci;* protendebatur autem ex occidente in orientem, paulo licet e ſeptemtrione ad meridiem vergens; in medio autem ſuæ longitudinis *ad ſeptemtrionem* impoſitam habebat *urbem Emath*.

Id loci ſpatium tenebant Amathæi, Samaræi Aradii, Aracæi, Sinæi veteres incolæ Emath, Symiræ, Aradi, Arces, Sin vel Sina, quem populum Moyſes recenſet inter poſteros Chanaan [4], anathemati devotos: quamquam ſi vulgarem hypotheſim, limites Terræ promiſſionis ad Libanum reſtringentes ſequeremur, regiones illæ omnes ab anathemate immunes pronunciandæ eſſent.

Urbs Emath ipſa eſt Emeſa ad Orontem: quadrant enim omnia, nec nomen ipſum abludit, Ematha & Emeſa; indiſcriminatim namque uſurpatur T & S in linguis orientalibus. Emath florentiſſima erat olim in Syria Urbs [5]; quæ e Palæſtina per vallem Libanum & Antilibanum interjacentem petebatur. Dabat in vallem illam ingreſſum introitus Emath, ſæpius in Scriptura memoratus [6]. Reblata in regione Emath ſita erant [7]; illam David ſubjecit: ſed Jeroboamus II. a Regibus Juda divulſam ſibi jure armorum vindicavit [8]. Jungit non ſemel Scriptura veluti tres limitrophas provincias Emath, Arphad vel Arad, Damaſcum [9]; ſemper tamen poſtrema notatur Emath velut omnium remotiſſima in Terra promiſſionis, & ultra Libanum [10]. In partem tribus Nephtali aſſignat Joſue 19. 35. Nulla profecto in Palæſtina neque trans amnem Urbs luculentius characteres illos, quam Emeſa, præfert; erat enim Urbs non procul a Libano poſita. In Phœnicia Libania conſtituit Stephanus, & veterem ſplendorem longa ætate ſervavit. De Thou uno ex ejus Regibus legas 2. Reg. 8. 9. Nota eſt hodie ſub nomine Ems, & veteris magnificentiæ argumentum exhibent ingentia illa molium rudera, quæ adhuc ſpectantur. Euſebius & S. Hieronymus [11] autumarunt, Emath cum Epiphania, urbe non longe ab Emeſa, confundendam; ſed Theodoretus cum Emeſa maluit [12]; quamquam ultro fatetur, Epiphaniam pariter Emath appellari; & Aquilam *Emath* vertiſſe Epiphaniam. Tandem Joſephus Antiquit. l. 1. c. 7. teſtatur, Syros ſua etiam ætate nomine Emath appellaſſe Urbem, quam Græci Epiphaniam. S. Cyrillus Alexandrinus ſcribit [13], magnam Emath Antiochiam eſſe; minorem vero Emath Epiphaniam, Urbem non longe ab Antiochia. Hæc doctiſſimorum ſententia.

Hethalon vel Chetalon, prima in Mediterraneo Urbs, & exordium lineæ Septemtrionalis, Terram promiſſionis apud Ezechielem definientis, ipſiſſima eſt Cathera [14] Urbs Syriæ 25. mille paſſibus a Platana, & 16. a Lodicea; nec alia eſt fortaſſe *Bacatailis* apud Ptolemæum, & in Tabulis Peutingeri.

Mons Caſius Orientalior eſt quidem, ſed in eadem fere linea: deſignatur autem facile a Moyſe nomine *montis montium*, ſive montis altiſſimi [15]. Porro celſitudinem hujus montis prophani Authores veluti monſtrum aliquod admirantur: *Orontes imos pedes Caſii illius celſi pretermeans* [16]. Ex ejus vertice creditur ſpectari in oriente ſol ab ipſa quarta noctis vigilia, juxta Plinium [17], vel a ſecundo gallicinio juxta Ammianum [18], ut eodem fere tempore ſol ex uno latere occidens, ex altero oriens appareat. Ambitum ejus in ipſis montis radicibus 19. millibus paſſuum Plinius dimetitur, & perpendicularem altitudinem ad 4. mille paſſus prorogat. Ejus cacumen aſcenderunt Imperatores Adrianus [19], & Julianus [20], unde novum illud phœnomenon orientis in anteceſſum ſolis ſpectarent. Jure ergo apud Moyſem nomen obtinet montis montium; celſitudine enim ſua qua ceteros vincebat, qua pariter fama erat notiſſimus.

Apamæa, ſi Rabbinis fides, confundenda eſt cum Urbe *Sepham*, vel *Sephama*, de qua Num. 34. 10. 11. congruit ſane utriuſque nomen; congruit & ſitus Apameæ ad Orontem, & ad Orientem Caſii. Verum ea ſtatim conjectura deſerenda, ſi vera ſint quæ de Urbis appellatione ab Apama uxore Regis Seleuci [21], feruntur: quibus conſtitutis fateamur oportet, nomina *Sephama*, *Sedada*, *Secharim* & *Reblata*, vel intercidiſſe penitus, vel in alia tranſmutata fuiſſe a Regibus Syriæ poſt Alexandrum Magnum. Cum enim Reges illi vernaculum Græcorum ſermonem in regionem invexiſſent, veterum nominum barbariem oblivioni tradere facile affectarunt, ſubſtitutis eorum loco aliis, vel e Macedonia, Græcia, vel peculiaribus ſingulorum nominibus repetitis. Hinc tot Urbes Antiochiæ, Seleuciæ, Apameæ, Laodicææ, Epiphaniæ nomine appellatæ, ex quo crux Geographicis, & errandi occaſio.

Poſt

(1) *Plin. lib. 5. cap. 20. A tergo Sidonis Libanus orſus mille quingentis ſtadiis Simiram uſque porrigitur, qua Cœleſyria cognominatur: huic par, interjacente valle, mons adverſus Antilibanus obtenditur, quondam muro conjunctus.* (2) *Maundrel. Itiner. Aleppo. Jeruſ. pag.* 201. *&c.* (3) *Num.* 34 7. 8. 9. (4) *Gen.* 10. 16. 17. 18. (5) *Amoſ.* 6. 2. *Ite in Emath magnam.* (6) *Num.* 13. 22. *Joſue* 13. 5. *Judic.* 3. 3. *&* 3. *Reg.* 8. 65. *&* 4. *Reg.* 14. 25. (7) 4. *Reg.* 23. 33. *&* 25. 21. (8) 4. *Reg.* 14. 28. (9) 4. *Reg.* 18. 34. *&* 39. 13. *Iſai.* 10. 9. *&* 36. 19. *Jerem* 49. 23. (10) *Ezech.* 47. 16. 17. *&* 48. 1. *Zachar.* 9. 1. 2.

(11) *In locis.* (12) *Theodoret. quæſt.* 22. *in* 2. *Reg. & Jerem.* 4. *&* 46. (13) *In Amos.* (14) *Itineraria Antonini & Burdigal.* (15) *Num.* 34. 7. *Ad montem altiſſimum.* (16) *Ammian. lib.* 14. *cap.* 26. (17) *Plin. lib.* 5. *c.* 12. *Mons Caſius, cujus excelſa latitudo quarta vigilia orientem per tenebras ſolem aſpicit, brevi circumactu corporis diem noctemque pariter oſtendens.* (18) *Ammian. lib.* 22. *c.* 33. *Caſium montem aſcendit nemoroſum, & tereti ambitu in ſublime porrectum: unde ſecundis gallieiniis videtur primi ſolis exortus.* (19) *Spartian. in Adrian.* (20) *Ammian. loc. cit.* (21) *Strab. l.* 16. *pag.* 516.

Poſt Emath in Ezechiele ſequitur *Beroe*, nomen indicans facile Urbem Berœæ ad Orientem Antiochiæ (1), quam Plinius recenſet inter Aethuſam & Epiphaniam Urbes ad Orontem (2). Non aliam facile deſignat urbes Beroth a Davide ſubacta (3), ſicut & Thebat vel Thebes in Syria (4), & Chun vel *Conna* in Itinerario Antonini.

Damaſcus neminem latet; numquam enim nominis ſui fama non celebratur, ac potiſſimum amœniſſimarum aquarum privilegio (5). De amnibus *Abanna* & *Pharphar* Urbem & agrum Damaſcenum perluentibus, ſermo eſt 4. Reg. 5. 12. Non niſi unicus quidem amnis nobis hodie innoteſcit; ſed in tres ramos veluti totidem fluvios diſtinguitur. Porro amnis iſte apud Græcos nomen obtinet Chryſorrhoas (6), id eſt amnis aurum trahens; apud incolas regionis olim quidem ætate Stephani Geographi, *Bardine*, hodie vero *Barrady* (7); ſluit autem a montibus Antilibani; & poſt collatas liberali munere aquas Urbi, hortis, & agro, ſub terram influens, 4. vel 5. leucis ad meridiem Urbis Orientem verſus evaneſcit.

Enoon ſive *Hazar-enan* apud Ezechielem & Moyſem notatur, veluti prima Urbs, unde lines Septentrionalis a Septentrione in meridiem ducitur. Deſignari illam credimus apud Ptolemæum nomine *Inna*, & in Tabulis Peutingeri nomine *Ænnos*, 30. mille paſſibus circiter a Damaſco. En igitur in linea Septentrionali ſex certa puncta, alia plane ab illis, quæ hucuſque aſſignata ſunt; ſcilicet Chethalon vel Cathela, mons altiſſimus Caſius, Emeſa, Beroth, Damaſcus, Enoon vel Enna.

Ad hæc, nullus eſt dubitandi locus, aſſignatas a Joſue Iſraelitis Syriæ quaſdam urbes, multum ultra limites in vulgaribus Tabulis Geographicis præſcriptos. E. g. (8): *Maara Sidoniorum* ipſa eſt *Maratha*, vetus urbs Phœnicum, juxta Strabonem (9). *Aphec*, Urbs celebris ſub poſtremis Regibus Juda & Iſrael (10), ſita erat in Cœleſyria. Ad hæc *Ama* ſive *Baramma*, arx ſive excelſus locus in Libano, de quo Strabo l. 16. pag. 520. *Rohob* ſive *Beth-rohob* in valle ultra Libanum (11). Ita vero de Regibus Syriæ, Zobæ & Rohob agit Scriptura, tamquam de Principibus ditionem habentibus ultra Hebræorum terras ſub David (12); interim vero alibi docet, urbem *Dan* vel *Leſem* conſtitutam fuiſſe in valle *Beth-rohob*; quod in cauſa eſt, cur eamdem urbem ponamus in ima & extrema ora meridionali vallis Bocca, e regione Leſem ſive Dan, quæ Urbs erat a meridie Antilibani, unde via ducebatur e Palæſtina in Syriam. Tandem Joſue labentibus ætatis ſuæ annis (13), multum adhuc regionis ſubigendæ ab Iſraelitis reſtare his verbis deſignat; *Hevæi, omnis terra*, (Chanaan) *& Maara Sidoniorum, uſque Apheca, & terminos Amorrhæi, ejuſque confinia; Libani quoque regio contra orientem, a Baalgad ſub monte Hermon, donec ingrediaris Emath. Omnium* (terra) *qui habitant in monte, a Libano uſque ad aquas Maſerephot.*

Recentiora nomina amnis *Lethane*, & vallis *Bocca*, ac urbis *Baalbec* in Cœleſyria, ſuam adhuc retinent in lingua Hebraica ſignificationem; *Bekah* enim ſonat vallis; & Amos c. 5. exitium minitatur incolis *Bekath-Aven*, vallis iniquitatis, quæ facile cum noſtra hac confundenda. Meminit non ſemel Scriptura amnium *Ethan*, aquarum rapiditate, & gloria inſignium: *Tu ſiccaſti fluvios Ethan* (14): *Et revelabitur juſtitia, quaſi torrens fortis* (15), (quaſi fluvius Ethan). *Baal-bec*, *Baal-bekah* eſt Deus vallis, Deus regionis, Sol, unde apud Græcos nomen inditum Urbi illi *Heliopolis*, Civitas Solis.

Abel, vel *Abel maacha*, aut *Abyla* in faucibus Libani. Abel inter Paneam & Damaſcum conſignat S. Hieronymus cum Euſebio; inter Heliopolim & Damaſcum exteri Geographi.

Abylam confundimus cum *Hoba*, ſeu *Hobal*, quouſque procurriſſe legimus Gen. 14. 15. Abrahamum, ut ex adverſariorum Regum manu Loth nepotem ſuum reduceret. Locus ejus ad ſiniſtram Damaſci ultra Dan, urbem in oſtio faucium ad Rohob & Emath deducentium. Quare *Hobal* urbem fuiſſe oportet Cœleſyriæ in valle Bocca. Porro in ejus Urbis loco aſſignando ſecuti ſumus Itinerarium Antonini, quantum ad ejus diſtantiam e Damaſco & Heliopoli pertinet.

Cedri Libani, apud Sacros Libros, & Itineraria celebratiſſimi ſpectantur ſupra & ad orientem Biblos & Tripolis; hodie tamen ſuperſunt tantum in crepidine quadam Libani, & rari etiam ibi ſpectatæ proceritatis (16). Olim major erat numerus, quamquam non in toto Libano unquam natas arbores illas credo. Inſinuat etiam Scriptura hunc, quem deſignant Itineraria, locum, nempe Biblos verſus, ipſum fuiſſe olim cedros ſuppeditantem; namque Hiram miſſis ſectoribus ſuis cæduam illam materiam in ſecta diviſam, atque inter ſe commiſſam, maritimo itinere deducebat Joppe; inde vero terreſtri Jeruſalem (17). Hæc ſatis pro aſſerendis ſeptentrionalibus Terræ promiſſionis conſtitutis a nobis limitibus. Nunc ad Orientales.

Unum Euphratem Orientalem Terræ promiſſionis limitem aſſignat Moyſes Gen. 15. 18 Deut. 17. Alibi vero (18), exactius rem proſecutus, protendit illos ab *Enan*, & per orientalem plagam maris Cinereth ſive lacus Geneſareth, adulque extremam oram maris Mortui deduci. Recenſet inſuper Ezechiel (19) Damaſcum, Ennon, Hazetichon, Auram, mediam Galaaditidem, & Jordanem, cujus eſt oſtium in mare Mortuum vel orientale. De Ennon & Damaſco ſatis egimus. *Bethacenorum* in Iturææ nomine ſatis deſignat Plinius (20) populus *Chazer-thicon*, nempe *domus Thiconis*, quæ pariter eſt ſignificatio *Beth-Thicon*, nec S. Hieronymus aliter ſibi duxit reddendum illud *Chazar Thicon*, quam domus Thiconis. *Auranam* metropolim Auranitis facile credimus. In Arabia deſerta conſtituit Ptolemæus l. 5. c. 19. Auran Urbe eſt S. Hieronymo (21) in deſerto Damaſceno. De Auranite ſæpe Joſephus (22); ſub Romanis in Ituræa regio illa facile cenſebatur (23). *Medinam Galaad* eſt Maſpha in Galaaditide. Jordanis & mare Mortuum notiores ſunt, quam ut deſcribantur. Nec plura nos de finibus Terræ promiſſionis.

In aſſignandis ſingularum Tribuum limitibus hoc ſervatum eſt potiſſimum, ut intra privatos uniuſcujuſque veluti cancellos omnes concluderentur Urbes, juxta aſſignatam a Joſue per familias rationem; ſed invitis licet ea quandoque impoſita neceſſitas, ut extra lineam locorum quædam nomina adſcriberentur, in digerendis maxime Tribubus Dan & Simeon, quarum ſortem Tribus Juda complectebatur, & Urbes poſſidebant interdum in ipſo Tribuum finitimarum ſinu. Inſuper ſcitum eſt, occurrere non ſemel apud Joſue, ut Urbes in prima regionis diſtributione certæ Tribui aſſignatas, alteri in poſteriori diviſione adſcriberet. Conſtat inſuper loca plurima jure acquiſitionis ex una Tribu, cui ab initio ceſſerant, ad aliam, quæ pulſis e loco Chananæi ſibi adſciverat, tranſiiſſe. Exempla ejus rei plurima legas in Commentario.

Alia videbitur intuentibus Tabula noſtra a ceteris fere omnibus, quæ hucuſque paruerunt; ſed nihil a nobis immutatum, cujus non optimæ ſuppetant

(1) *Strab. l. 16. pag. 517.* (2) *Plin. l. 5. c. 23.* (3) 2. *Reg.* 8. 8. (4) 1. *Par.* 18. 8. (5) *Julian. Imperatorum* 24. (6) *Strab. l. 16. Plin. l. 5. 18.* (7) *Maundrellus Iter Aleppo Jeruſalem.* (8) *Joſue* 19. 30. (9) *Strab. l. 16. pag.* 518. (10) *Vide* 3. *Reg.* 20. 26. *& noſtrum Commentarium ibid.* (11) *Vide Judic.* 18. 28. *& Joſue* 19. 30. (12) 2. *Reg.* 10. 6. 8. (13) *Joſue* 13. 4. 5. (14) *Pſ.* 73. 15. (15) *Amos.* 5. 24. (16) *Maundrellus p.* 239. primæ magnitudinis 16. numeravit; inferiorum vero plane multos. Thevenot 23. tantum indiſcriminatim omnes, quæ majores quæ minores recenſet cap. 60. Alius apud Dezallier ann. 1688. omnes ſimul 30, inter quas 22. majores habet. *Vide pag.* 25. (17) 3. *Reg.* 5. 18. (18) *Num.* 34. 10. 11. (19) *Ezech.* 47. 17. (20) *Plin. lib.* 5. *c.* 23. *Ituræorum gentem, & qui ex iis Bethaceni vocantur.* (21) *In Ezech.* 47. 17. (22) *Antiq. l.* 15. *c.* 13. *& l.* 17. *c.* 13. *& de Bello l.* 2. *c.* 9. (23) *Vide Cellar. Ligfoot.*

petant rationes. Solent plerumque Jordanis fontes deſignari veluti duo rivuli, hujus nomen *Jor*, alterius *Dan*, qui junctis Panead vel Cæſareæ Philippi aquis in amnem fluunt. Porro rivum e Dan fluentem, quod apud Euſebium & S. Hieronymum tamquam genuinus Jordanis fons aſſignetur (1), nos pariter ſervavimus; alterum vero tamquam fabuloſum protſus rejecimus. Aſſerit S. Hieronymus rivum a Dan fluentem *Jor* appellari, unde nomen amni *Jordan*. Sed primos Jordanis fontes conſtituimus in *Phiala*, qui lacus eſt ad Orientem Cæſareæ, cæcis & ſubterraneis canalibus 20. ſtadiorum tractu aquas ſuas ſuppeditans rivo juxta Dan, de quo modo. Hæc omnia ex Joſephi fide (2); aſſerit enim Philippum Trachonitidis Tetrarcham fontem ipſum rivi emergentis e radicibus montis Panei, juxta Cæſaream, & exinde in amnem, cui nomen Jordania, fluentis, exploraturum, comminutæ paleæ ingentem vim in lacum Phiala injeciſſe; eas vero cæcis & ſubterraneis canalibus delatas aliquandiu poſt emerſiſſe in fonte juxta Cæſaream. Porro lacus iſte Phiala, nempe lanx, inde nomen obtinuit, quod rotundus ſit ad circinum. Jacet ad dexteram viæ ducentis in Trachonitidem, ad radices Libani ſive montis Panei.

Perſuaſum habuerunt hucuſque, lacum *Semechon*, cujus frequens apud Joſephum mentio (3), ipſiſſimas eſſe aquas *Meru* ſive *Meron*, ſatis ex libro Judicum & Joſue (4) notas. Quæ apud omnes opinio invaluit, ea eſt, ut communi plerumque nomine lacus ille appelletur *Meron* vel *Meræ*; ſed ſatis congruentibus rationibus demonſtraſſe nos confidimus in Commentario, aquas & Urbem Meron locum tenuiſſe ad meridiem Carmeli, ad Legionem & Samariam medium. Profecto Judæi, Joſephi ætate, eam opinionem non adhuc induerant, aquas *Semechon* cum aquis Meron confundi; neque enim alio nomine lacum illum appellabant, quam genuino *Semechon*, nempe amœnum, jucundum; quam illi appellationem facile conciliavit fons amœniſſimus Dan, & arborum, quibus protegebatur, umbra gratiſſima (5). Porro lacus iſte areſcit æſtate, nec ejus mentio ulla, quantum ſciam, in Scriptura. Imminebat illi Urbs Azor, juxta Joſephum. Nihil de lacu illo pariter Euſebius & S. Hieronymus in Libro de locis.

Urbs Bethſaida, in Evangelio notiſſima, jacebat ad lacum Geneſareth in Galilæa (6). Auxit Philippus Tetrarcha, & locum dedit inter Urbes, veteri nomine in Juliadem, ex nomine Juliæ filiæ Auguſti, tranſmutato (7). In inferiori Gaulanitide collocat idem Joſephus de Bello l. 2. c. 13. & ad Orientem lacus Geneſareth Plinius l. 5. c. 15. Legimus in Evangelio (8), Jeſum Chriſtum tranſvadato mari Tiberiadis, contuliſſe ſe Bethſaidam, & ejus nominis deſertum; quod in cauſa fuit, cur Ligfootus (9), & poſt illum Cellarius (10), ſubdubitantes licet, Bethſaidam & Juliadem ultra Jordanem conſtituerent. Quæ autem ſcrupulum ea in re facerent, illa videntur, nimirum S. Marcum, poſt relatum de multiplicatis panibus in regione ultra lacum Geneſareth prodigium, ſcripſiſſe, Jeſum Diſcipulis ſuis mandaſſe, ut tranſgreſſi lacum, irent Bethſaidam & in regionem Geneſareth (11); regreſſos illos Capharnaum narrat Joannes 6. 17. 24. Ex his inſinuari videtur, Bethſaidam, non ſecus ac Capharnaum, & regionem Geneſareth, Jordanem habuiſſe ad Orientem.

Sed hiſce tria reponenda: 1. Urbs Bethſaidæ ſive Juliadis facile geminata, erat altera nempe ad Occidentem, altera ad Orientem Jordanis; nihil enim facilius quam Urbes ad ripas fluminis conſtitutas in duas intermedio amne ſecari, quarum una pars alteram e regione reſpicit. 2. Jeſus Chriſtus ejuſque Diſcipuli facile e Deſerto, ubi prodigium illud a Magiſtro patratum fuerat, Betſaidem ſe contulerunt, lacus veluti radentes, compendiarii itineris gratia; vel ut forte montes & ſcopulos viam in ripa lacus prohibentes evitarent. Hæc quotidiana experientia, cum iter ſecundum mare & ampliores quoſdam lacus inſtituitur, nota ſunt; aquas enim radentem cymbam iter illud habituri conſcendunt, etiam ſi ex uno loco ad alterum in eodem ripæ latere, ſed diſtantem aliquanto, ſe conferant. 3. Joſephus ipſe non obſcure inſinuat, Capharnaum ad eamdem lacus ripam jacuiſſe, ubi & Bethſaida; narrat enim ſe vulnere prope Juliadem accepto, tranſlatum fuiſſe *Capernaum*, ubi noctem egerit (12); quare tranſitus e deſerto in Capharnaum ſive Bethſaidam, intentum plane pro utraque Urbe non convincit, quaſi ſcilicet ad ripam occidentalem lacus Geneſareth pertinerent. Nec tamen iverim inficias, notam fuiſſe Urbem quamdam Capharnaum ad Occidentem lacus: ſatis, quantum arbitror, aperte ea de re Evangelium (13), & Joſephus (14) meminit amœni cujuſdam fontis *Capernaum*, cujus aquis alluerentur latera occidentalia maris Tiberiadis. Ex eo fonte inditum facile nomen Urbi Capharnao trans lacum. Tandem Jeſus Chriſtus e Deſerto, ubi panes multiplicaverat, ad regionem Geneſareth ſe contulit. Petiit ille quidem adverſam lacus ripam, non quidem lacum tranſgreſſus; ſed pedeſtri itinere Juliadem prius, deinde ſecundum ripam lacus Tiberiadem & Capharnaum ſe contulit.

Autumavit Ligfootus (15), Galilæam Gentium regionem eſſe trans amnem: ſicut & inferiorem Galilæam cis & ad Occidentem fluminis. Laudat in eam rem illud Matth. 4. 15. *Terra Zabulon, & terra Nephtali, via maris trans Jordanem: Galilæa gentium, populus qui ſedebat in tenebris, vidit lucem magnum.* Obſervat inſuper, Bethſaidam ſive Juliadem Urbes Transjordanas ad Galilæam pertinuiſſe, ejuſque rei gratia Apoſtolos Bethſaidæ cives Galilæos appellari. Eſt ergo, ait Ligfootus, Galilæa gentium in Transjordanis. Euſebius in Iſai. 9. luculenter aſſerit, Galilæam Transjordanam fuiſſe regionem; Septuaginta ib Iſai. 3. 3. 9. reddunt Baſan Galilæam; quis autem neget, Baſan regionem eſſe trans amnem; S. Hieronymus in eumdem locum obſervat, Interpretes illos nomen totius Provinciæ poſuiſſe pro ſingulari ejuſdem portione; neque enim Baſan Galilæam totam continebat. Verum ne longam diſſenſionem trahamus in iſtum Scripturæ locum, quod alibi a nobis fiet commodius, perſuaſum habemus, Galilæam Gentilium plus multo, quam pro conſueto more, prorogari oportere. Nos enim regionem illam ducimus a ſuperioribus Tyri & Sidonis trans amnem uſque ad orientem, ſecundum Provincias olim a Gentilibus occupatas, nempe Phœniciam, regionem Damaſcenam, Ituræam, Trachonitidem, & Gaulanitidem. Nomen Galilææ Gentium peculiari ſignificatione exprimit tantummodo Provincias Gentilium in fronte, ſeu limitibus poſitas. Inferior Galilæa eſt nobis regio Ptolemaidis finibus juncta, & aduſque lacum Geneſareth ad orientem protenſa, in ſinu ſuo complectens Tribum Zabulun, & Iſſachar, ac Nephtali portionem. Torrentem Ciſon ita deſcribit Adrichomius, tamquam amnem poſt mare Tiberiadis ad uſque Mediterraneum; ejus vero fluminis partem a monte Thabor uſque ad Mediterraneum fluentem, appellat *Torrentem Ciſon*: alteram vero influentem in lacum Tiberiadis, *torrentem Cadumin*. DD. Samſon, Dual, de la Rue aliique fere omnes in ſuis Tabulis ſervarunt eumdem Torrentem inter duo maria; negligendum id tamen nos duximus, quod nullo documento ſive apud Veteres ſive apud Recentiores fulcitur. Aſſerunt Itineraria (16), fontes Ciſon vergere aliquanto ad orientem montis Thabor; fluere ve-

su tor-

(1) *Euſeb. & Hieronym. in Luiſa* (2) *De bello l. 3. c. 35.* (3) *Antiquit. l. 5. c. 6. de bello c. 35. l. 3. & l. 4. c. 1.* (4) *Joſue 11. 5. Judic. 5. 18.* (5) *Joſeph. l. 4. de bello c. 4.* (6) *Joan. 12. 21.* (7) *Antiquit. l. 18. c. 3.* (8) *Joann. 6. 1. 17. & Luc. 9. 10.* (9) *In Chorograph. in Marc. & hor. Talmud. in Matt. 14. 13.*

(10) *Aſia, l. 3. c. 13. pag. 387.* (11) *Marc. 6. 45. 53.* (12) *De vita ſua pag. 1029.* (13) *Joan. 6. 17. 24. Vide & Joan. 4. 49. 47. Matth. 4. 13.* (14) *De Bello lib. 3. c. 18. in Latin. pag. 861.* (15) *Ligfoot. Chorograph. in Mar. ſect. 2.* (16) *Doubdam Iter terra S. c. 51. 58. & Maundrell. Iter Aleppo Jeruſalem pag. 290. &c.*

ro torrentem illum ad Occidentem, ac devolvi in Mediterraneum ad radices & Septemtrionem Carmeli. Falſi illos in oſtio torrentis, unde in mare devolvitur, aſſignando, autumavit Cellarius l. 3. cap. 13. tenet enim, ſed nullo ſatis firmo argumento, conſtruendum illud non ad Septemtrionem, ſed ad meridiem montis. Obſervat igitur Prophetam Eliam, poſt demonſtratam ſuperſtitioſi cultus fallaciam, deducto cœlitus igne ſuper paratum ſacrificium, authorem fuiſſe populis, ut ſubreptos Pſeudo-Prophetas omnes in aquis Ciſon, fluentibus ad radices montis Carmeli, ubi ſacrificium oblatum eſt, demergerent (1). Quid inde? an ergo Ciſon rivus erat ad meridiem Carmeli? Eſt torrens Septemtrionalis valli magni campi, a regione montis Gelboe & montium Hermon.

Geminæ Urbes *Betoron*, ſuperior nempe, & inferior, ita notæ ſunt, quam quid aliud. Inferior in eminenti quodam loco inter Lyddam & Jeruſalem ſpectabatur, 100. ſtadiis circiter ab eadem Jeruſalem (2), vel duodecim millibus paſſuum juxta Itinerarium Burdagalenſe, a quo Bathar appellatur. Superior Betoron remotior quidem erat a Jeruſalem, ſed in eadem directionis linea, ſi quis e Jeruſalem vel Dioſpoli Cæſaream peteret. Narrat S. Hieronymus (3), S. Paulam ex Emmaus iter Jeroſolymam verſus dirigentem, veniſſe Bethoron inferiorem, & Bethoron ſuperiorem, urbes olim a Salomone conſtructas, deinde temporum ſævitia collapſas. Sed hæc omnia quam cum veritate cohærent, ut S. Viri ætate ipſam de ſitu Urbis memoriam penitus excidiſſe oporteat. Erant enim magis Septemtrionales Jeruſalem, quam Emaus & Nicopolis: Itinerarium Antonini Urbem *Betaron* vel *Bethar* collocat 18. milliar. a Cæſarea Palæſtinæ, & 22. Millar. a Dioſpoli: Itinerarium Burdegalenſe 20. milliar. a Dioſpoli, & 16. a Cæſarea. Porro alia erat hæc a Bethoron inferiori inter Jeruſalem & Dioſpolim medis; quare confundamus oportet cum Bethoron ſuperiori. Itaque inter geminas illas ſpatium erat 24. milliar. circiter; inferior meridiana erat; ſuperior ſeptemtrionalis Dioſpoli. In Commentario ad Joſua 16. 5. ſcripſimus. Bethoron ſuperiorem in Orientali portione Tribus Ephraim ſatis proxime ad Jordanem ſitam eſſe, quem locum apertiſſime deſignare Textum Joſua reputavimus (4). Legimus enim in illo, limites orientales Ephraim duci ab Atharot addar aduſque Bethoron ſuperiorem. Verum ſi ea, quæ huc uſque diſputavimus, vera ſint, ita Joſua locus explicandus eſt: Sortis Ephraim limites orientales ponebant Atharot Addar & Jordanis, ſeptemtrionales vero definiebat linea a Bethoron ſuperiori uſque ad Mediterraneum.

Nomen *Saron* ſæpius quidem recurrit in Scriptura; ſed loci ne, an regionis? Tria eodem nomine diſſita loca diſtinguit S. Hieronymus: 1. Pars Bataneæ in Transjordanis eodem cenſebatur; 2. Ager inter Cæſaream Palæſtinæ & Joppe; 3. Locus in magno campo Jezrael vel Eſdrelon; 4. Tandem recentioribus Itinerantibus Saron eſt ager poſt Ecdippe aduſque Ptolemaidam. Sed operoſior eſſet ſine demonſtratio, ſi quis conaretur adductis Scripturæ locis probare, vetera hæc fuiſſe regionum illarum nomina.

De mari mortuo plura animadverſione digna occurrunt. Exhiberi plerumque in Tabulis, veluti in rectam lineam protenſum a ſeptemtrione ad meridiem longitudine 20. vel 24. leucarum; latitudine vero, ut majus, 6. vel 7. ſed figuram potius exhibuiſſe conſtat lunæ decreſcentis, cum ex agro Jericho, nonniſi unius leucæ tractu a mari illo diſtante, portio tantum maris illius ſpectetur longitudinis 4. leucarum circiter, latitudinis duo; reliquis vero ejuſdem, quod retro poſt montes ad orientem & occidentem ejuſdem maris gyrent, objectu eorumdem montium prohibitis (5). Memorant Veteres (6) Sodomæ & circumjacentis ad 60. ſtadia regionis everſionem, cujus ſuperſunt ad litus ejuſdem maris documenta. Euſebius, & Sanctus Hieronymus (7) ita de Sodoma & Seboim agunt, quaſi de locis ſua adhuc ætate in ripa occidentali ejuſdem ſubſiſtentibus. Sermo etiam de Seboim, tamquam de manante Urbe habetur 1. Reg. 13. 18. ſicut & de Adama apud Septuaginta in Iſai. 15. 9. De ſua ætate teſtatur Joſephus (8) ſpectari adhuc veſtigia quinque Urbium in litore lacus Aſphaltitis. Apud Stephanum (9), & in Notitiis legitur Sodoma, quæ Urbs erat Epiſcopalis in Provinciis Eccleſiaſtica Petrææ. Sita erat inter Engaddi & Thamar, ac proinde ſatis proxime ad extremam oram meridionalem maris Mortui. Nec ſane alibi Sodoma collocanda; fieri enim vix poteſt, ut multum diſtaret a Segor, quo Loth a Sodoma pedem retrahens, poſt aliquot viæ horas ſub ortum ſolis pervenit. Inferior loco erat Seboim, & ad ſeptemtrionem. Unius ex Urbibus rudera, multum intra maris alveum excurrentia, ſpectari contingit ad ripam orientalem poſt an. 1650. (10); ſua exhibuit litus occidentale in ipſum pariter alveum excurrentia, qua parte litus illud planitiem Jericho habet averſam (11). Quibus ita ſe habentibus, conſtitutas tenemus quatuor Urbes, Sodomam, Seboim, Gomorrham, & Adamam in eodem fere quo olim ſitu, longe plane ab illo, quem in Tabulis obtinent. Eſt enim Sodoma in Tabulis 10. vel 12. leucas a Segor diſtans, cum reipſa 4. vel 5. tantum recedat. Maris mortui humiliores eſſe aquas nonnullis in locis oportet, quippe quod ab Arabibus camelos inequitantibus tranſvadentur.

Thamar vel Thamara præpoſtere cum Engaddi, ſive cum Aſaſon-Thamar, urbe nempe longe a Thamar remota, confunditur. Urbs erat ad meridiem maris Mortui, diei itinere a Malatha, quam Euſebii ætate præſidiarii Romanorum milites tenebant (12). Apud Ezechielem 47. 19. Thamar omnium prima meridionales Terræ ſanctæ limites, ducta linea a Mari mortuo aduſque Mediterraneum, definit. Congruunt cum Ezechiele Tabulæ Peutingeri, & Ptolemæi, quorum poſtremus *Engadda* in loco inferiori ejuſdem maris Septemtrionem verſus configurat. Engaddam ipſam eamdem eſſe cum *Aſaſon-Thamar* aperte demonſtrat Textus 2. Par. 20. 2. Porro Engaddi non longe a Jericho collocata, media erat inter mare & eamdem Urbem, teſte Plinio & S. Hieronymo.

Neque pariter in definiendo Jeroſolymæ ſitu cum vulgaribus Tabulis convenimus; eſt enim meridionalior quam plerumque conſtituatur; uti ex dimenſionibus ductis e Jamnia, Samaria, Ptolemaide, & Jericho intelligimus. Ad hæc narrant Itinerantes, venientes ſe e Jericho & Jordane Jeruſalem viam ita teneriſſe, ut trium horarum ſpatio ſecundum mare Mortuum, aliquanto tamen ab illo diſtantes, iter haberent (13). Adde pariter e Jericho in Bethlehem venientes, Jeruſalem vel ejus urbis viciniam repetere (14). Non eſt ergo Urbs adeo Septemtrionalis, ut plerumque conſtituitur, ſi cum mari Mortuo conferatur.

Meridionaliores etiam conſtituendæ ſunt Gath, Berſabee, Geram, Maon, Arad, & aliæ nonnullæ. Legimus 1. Par. 7. 21. antequam ex Ægypto digrederentur Iſraelitæ, Ephraimitas in ulteriora regionis Gethææ penetrantes, pellere inde veteres incolas tentaſſe, ſed fruſtra; referre enim pedem non ſine ſuorum cæde coacti ſunt. Non ergo multum aberat

(1) 3. *Reg.* 18. 40. (2) *Antiquit. l.* 20. *c.* 4. collatum cum *lib.* 2. *de bello cap.* 20. (3) *Epitaph. Paulæ.* (4) *Joſue* 16. 5. *Poſſeſſio eorum contra Orientem Atharot-addar uſque Bethoron ſuperiorem.* (5) *Doubdan. c.* 39 (6) *Strab. l.* 15. (7) *In locis in Sodoma & in Adama.* (8) *De Bello lib.* 4. *cap.* 24. *in Græc. pag.* 892. (9) *In Engada* (10) *Tabul. D. du Fer,* (11) *Vide Maundrel. pag.* 142. (12) *Euſeb. in Aſaſon-Thamar. Vide nov. edit. S. Hieron.* Urbem hanc Euſebius mediam collocat inter Hebron & Jeruſalem, quod Ezechielis loco plane repugnat. (13) *Vide Petrum della Valle Epiſt.* 12. *pag.* 340. & 336. *Italic. Iter Orientale juſſu Regis ann.* 1651. *per D. D. C. pag.* 415. & *Doubdan. c.* 32. *p.* 272. 273. (14) *Maundrell. p.* 145.

oherat regio Geth ab altera regione Geſſen, loco Iſraelitis in ſedem deſtinato. Ad hæc, Siceleg Urbs erat Regi Achis ſubjecta (1); hæc autem in plaga maxime Meridionali Juda conſtituta erat. Geth & Accaron duæ habebantur Urbes in extremis finibus regionis Philiſtææ, hæc ad ſeptemtrionem, Geth vero ad meridiem. Jacebat ergo Geth ultra Gazam, quam ſcilicet Urbem Geographi noſtrates conſtituerunt, veluti ditionis Philiſtinæ ad Ægyptum poſtremam. Tandem S. Hieronymo Geth Urbs eſt finitima ditioni Juda in via Eleutheropoli Gazam (2). Sed meridionaliorem plane demonſtrat Textus 1. Par. 7. 21. ubi de bello Ephraimitarum in Ægypto adhuc verſantium adverſus Gethæos. Non longe abfuiſſe oportet a *Meteg*, de qua 2. Reg. 8. 1. ſive a Melca vel Metec ſtatione Iſraelitarum in deſerto in viciniis Geth & Aſmonæ, uti legimus Num. 33. 28. Porro *Metea* confundenda eſt facile cum Meteg; quo modo conciliantur Textus Regum & Paralipomenon; in uno enim legimus David cœpiſſe *Geth & Filias ejus*; in altero verſu *Meteg & matrem*; nempe Meteg & Geth.

Extremam oram meridionalem Palæſtinæ tenebant Berſabee, quemadmodum Dan Septemtrionalem. Viginti millibus paſſuum ab Hebron meridiem verſus conſtituunt Euſebius & S. Hieronymus, quos ſane loci præſidio Romanorum ignorasse ſitum ignoraſſe vix credimus. Æqua intervalli ab Hebron diſtantia, & ad eamdem plagam ſpectabatur Arad, non longe proinde a Berſabee poſita.

Nota erat Abrahami ætate Gerara (3), Urbs in Arabia Petræa (4), inter Cades & Sur, limites Chananææ Ægyptum verſus una cum Gaſa deſignans (5). Viginti quinque millibus paſſuum ab Eleuteropoli ad meridiem conſtituunt Euſebius & Sanctus Hieronymus. Ne dubitans quidem autumo, eamdem eſſe Urbem cum *Gera* Strabonis (6), juxta montem Caſium, & Urbem ſive campum Chabriæ; ſed multo quam par eſt proximiorem Peluſio ab illo collocari cenſeo.

Locus & deſertum *Maon* frequenter in Scriptura recurrit; nec aliud eo nomine deſignari cenſeo, quam Urbem *Menis* ſive Meonis in viciniis Gazæ, de qua Euſebius. Campum Mænæum, juxta *Verſabinum* ſive Berſabee, legas in Codice Theodoſiano, lege 30. Deſertum Maon, ſive Nahal, ubi ſedes habebat ſuas Nabal vir Abigail, non longe abfuiſſe credendum eſt a Phara, cum David & Abigail, altera e monte Carmelo in Arabia, alter e Pharan moventes, poſt confectam aliquam viæ portionem infra Carmelum ſibi invicem occurrerint (7). Maon ad meridiem ſitum erat Jeſimon, vel Eſemonæ (8), ac proinde multum intra Arabiam Petræam. Hanc ipſam Urbem Maon ſive Meon Metropolim Mæoniorum conſtituo. Arad juxta Euſebium ſpectabatur 20. mille paſſibus ab Hebron, meridiem verſus; & *Horma* ſive Harma ſeu *Eremmon*, apud eumdem Authorem, 16. milliar. ab Eleuteropoli ad meridiem. Porro locus erat non modicus, a Judæis frequentatus ejuſdem Scriptoris ætate. De Carmelo major eſt diſquiſitio. Urbs Carmeli 10. milliar. ad Orientem Hebron, quam Romanorum præſidium tenebat, legitur apud Euſebium. Eo loci greges habuiſſe ſuos credit Euſebius Nabal Carmelum; ſed vix hæc mihi perſuadentur; maluerim enim tres montes Carmelos diſtinguere, alterum juxta Pharan & *Maonim*, ubi Nabalis greges, & Saul triumphalem arcum, perpetuum victoriæ ſuæ in Amalec monumentum, erexit; alium juxta Ptolemaidam ad Mediterraneum; tertium ad Occidentem maris Mortui 10. mille paſſibus ab Hebron; de quo facile poſtremo loco ſermo eſt Joſue 15. 55. ubi Maon & Ziph jungitur. Porro alterius Urbis Ziph mentio occurrit in eodem capite ver. 24. jungiturque Aſor, Cades, & Jethnam. Eſt etiam interdum Carmelus appellativum nomen.

Urbs Eleuteropolis, cujus frequenter nos in hac Lucubratione, & unde pariter Euſebius ac S. Hieronymus menſuras fere omnium meridionalium Urbium Judææ deduxerunt, ſita erat ad meridiem Maiphæ, ad Occidentem Moraſthi & Odollam, ad Septemtrionem Ceilæ atque Hebron. In Itinerario Antonini eſt 20. millibus paſſuum a Jeruſalem, & 24. ab Aſcalone (9). Quantum ab Eleuteropoli diſtet Hebron, nihil expreſſe Euſebius; ſed ego 10. millia paſſuum circiter conſtituerim; poſuit ille Ceilam 8. milliar. ab Eleuteropoli Hebron verſus. Itinerarium Burdegalenſe ſpatium conſtituit 30. milliar. inter Jeruſalem & Hebron; ſicut & 9. milliar. inter Betlur, Urbem Eleuteropoli proximam, & Hebron. Non longe aberat amœniſſimus ager Sephar, ſecundum viam e Gaza Jeruſalem, & viciſſim. Per hanc vallem iter dirigere Jeroſolymam conſtituerat Holophernes; per hanc Rex Antiochus Eupator exercitum ſuum in eam Urbem deduxerat; & cum interundum Urbem Berſuram offendiſſet, obſidione illam vallavit (10). Appellabatur via illa Idumææ. Idem pariter ager inſignis eſt cæde exercitus Zaræ Regis Æthiopiæ (11), & diu poſt Gorgiæ copiarum Syriæ Imperatoris (12). Urbs Mareſa non longe ab Eleuteropoli ſpectabatur. Per eamdem viam & per agrum Sephala e Gaza Jeruſalem proficiſcuntur noſtra ætate Itinerantes.

Nec ultra nos de locis, quorum ſitus aliter in noſtris, aliter in vulgaribus Tabulis conſtitutus eſt. Cetera in Commentario ſupplebimus, expectantes interim ut doctus aliquis Geographus meliora tradat & exactiora, quam quæ nos vidimus in hoc argumento.

DISSERTATIO

De Verſione Septuaginta Interpretum.

Si doctis tantummodo viris laborare conſtituiſſemus, fruſtra nobis de hoc argumento, tot eruditiſſimis virorum ſapientiſſimorum Commentariis excuſſo, tractandum iterum ſuſciperemus. Cum autem in eo ſimus conſilio, ut unum veluti corpus tradamus diſputationum, ad Prolegomena Scripturæ ſervientium, numquam id nobis committendum cenſuimus, ne de Verſione Septuaginta, celebratiſſima illa ſemper in Eccleſia & peculiari S. Spiritus afflatu, ut vetuſtis quibuſdam Patribus creditum eſt, adornata (13), argumentum relinqueretur intactum.

Plura in hoc argumento comminiſci ſuccurrit multis, quibus res tota parum aſſertis circumſtantiis infecta

(1) 1. *Reg.* 27. 6. (2) *Hieron. in Mich.* 1. 10. Euſebius in libro de Locis conſtituit 5. Mill. paſſibus ab Eleuteropoli Dioſpolim verſus. (3) *Gen.* 20. 1. (4) 2. *Par.* 14. 14 (5) *Gen.* 10. 19. (6) *Strab. l.* 16. *p.* 523. (7) 1. *Reg.* 25. 20. (8) 1. *Reg.* 23. 24. *David & viri ejus erant in deſerto Maon in Campeſtribus ad dexteram Jeſimon.* (9) *Vide Cellar. l.* 3. *c.* 13. *pag.* 353. 354.

(10) 1. *Macch.* 6. 31. *&c.* (11) 2. *Par.* 14. 9. (12) 2. *Macch.* 12. 32. *&c.* (13) *Clemens Alexand. Strom. l.* 1. *Juſtin. Exhortat. ad Gent. & Dialog. cum Tryphone. Cyrill. Jeroſolym. Catech.* 4. *Irena. l.* 3. *adverſ. hæreſ. cap.* 25. *ſeu* 21. *Epiphan. de ponder. & menſur. Chryſoſt. in Geneſ. hom.* 4. *&c. Auguſt. de Doct. Chriſt. l.* 2. *c.* 15. *& de conſenſu Evangeliſt. l.* 1. *c.* 66.

Digitized by Google

ferta eſt adeo, ut omnia in medium adducere, & in unam veluti methodum redigere, res ſit omnium operoſiſſima & plena difficultatis. Sanior Criticorum recentiorum pars de Verſione Septuaginta hiſtoriam omnem varie expreſſam apud Ariſtæam, Philonem, Joſephum, S. Juſtinum, S. Irenæum, S. Epiphanium, tamquam fabuloſam penitus exſufflant. Alii genuinam defendentes, circumſtantias nonnullas ad fabellas amandant. Perſuaſum tenent alii, a Septuaginta Interpretibus nonniſi quinque Libros Moyſis Græcis literis ex Hebræo traditos; alii univerſam Scripturam malunt, quin & apocryphos plures Libros addunt nonnulli.

Nec minus de tempore adornatæ Verſionis diffident; alii enim conſtituunt ſub Ptolemæo I. filio Lagi & patre Ptolemæi Philadelphi (1); alii vero, quæ communior eſt ſententia, ſub eodem Philadelpho; alii tandem multo recentiorem ſuſpicantur (2), rati Verſionem hanc, qualem noſtra ætate habemus, adornatam circa ætatem Ptolemæi Philometoris, ſexti poſt Ptolemæum Lagi, & quinti poſt Philadelphum Regis.

Non deſunt qui autumaverint, Verſionem Septuaginta nomine nunc inſcriptam, non genuinum eſſe opus, ſed in odium Chriſtianorum fraude Judæorum corruptum (3), vel ſorte Textum Hebræum, qualis hodie ſupereſt, alterum eſſe a genuino & vetuſto. Suſpicati ſunt alii, Judæos Alexandrinos eo conſilio inductos, ut Verſionem hanc procurarent, quod ignorarent Hebræum; ut autem authoritatem Operi ſuo conciliarent, nomen Septuaginta præfixiſſe, quaſi ſcilicet juſſu 72. Patrum magni Synedrii adornatum fuiſſet, vel ſaltem eorum authoritate probatum.

Tanto Judæorum Ægyptiorum aſſenſu exceptam hanc Verſionem refert Philo de vita Moſis l. 2. ut ejus rei memoriam annuo feſto inſtituto conſecrarent. Spectare licet, ait ille, ſingulis annis affluentem, non ex Judæis tantum, ſed ex advenis pariter turbam in Inſulam Pharon, obſequii ſui ſpeciem exhibituram loco illi, ubi Verſio Septuaginta primum paruit, & gratias pro accepto beneficio, veluti ſi tum primum exciperent, acturi. Poſtquam factum Religioni ſuæ ſatis eſt, plena gaudii & pietatis convivia inſtruunt, alii ſub tentoriis in litore maris, alii ſub dio, majori plane voluptate, quam ſi in Palatiis magnificentiſſimis celebrarent. Hæc Philo.

Sed hebraizantes Judæi ingrate adeo Verſionem illam acceperunt (4), ut jejunium in ejus rei deteſtationem inſtituerent die 8. Thebet, Decembri noſtro reſpondentis: tantus nimirum inſedit horror de audacia Helleniſtarum, qui prophanis litteris Sacra Scripta tradere auſi fuerant. Fatalem profecto Iſraeli fuiſſe diem hujus Verſionis cenſent (5), perinde ac illam, qua vituli aurei, Jeroboami ſcelere, conſecrati ſunt; & ad ſacrilegii illius crimen Cœlum triduanis tenebris exhorruiſſe. Judæorum nonnulli (6) narrant, miſſos Alexandriam 5. Interpretes, alii 72. malunt; S. Hilarius in Pſ. 2. cui Baronius accedit, viros fuiſſe Principes & Synagogæ Doctores, nempe Sanhedrinos Patres aſſeruit. Joſeph Gorionides l. 3. c. 2. teſtatur, Summum Sacerdotem, cujus ſilet nomen, miſiſſe 70. Presbyteros, inter quos ſpectabatur Eleazarus, ſenex ille, tolerata in perſecutione Antiochi Epiphanis morte celebratiſſimus.

Sunt qui credant, Verſionem hanc e Chaldæo expreſſam (7); ſunt qui ex Syriaco (8); ſunt qui e Samaritano (9); ſunt tandem qui ex Hebræo parum emendato. Alii variantia plura inter Septuaginta & Hebræum animadvertentes, ſuſpicantur, Interpretes illos invitos ad ſuſcipiendum Opus coactos, nihil ſatis exacti tradere voluiſſe. Alii vero id factum a viris illis Sapientibus arbitrantur, quod indignum reputarent, prodere Religionis ſuæ myſteria, & Patrum ſuorum errata viris prophanis. S. Hieronymus (10), parum alioqui Septuaginta illis favens, ita de Verſione illa conſtituit; *Poſt Septuaginta nihil in ſacris literis poteſt immutari vel perverti, quin eorum translatione omnis fraus & dolus pateſiat.* Hæc variæ de Septuaginta Interpretibus ſententiæ.

Quo igitur ordine aliquo procedamus, neque præſcriptas tranſgrediamur Diſſertationi metas, demonſtrandum ſuſcipimus nobis; 1. Verſionem Septuaginta, qualis noſtra ætate ſupereſt, ipſiſſimam eſſe, quam Apoſtoli & Patres legerunt pariter & laudarunt; 2. Magnam ejus fuiſſe, & tunc etiam eſſe, in Eccleſia authoritatem; 3. Hiſtoriam Septuaginta apud Ariſtæam fabellam in multis ſapere; 4. Facile ex Hebræo in Græcum Pentateuchi ſolummodo Libros ſub Ptolemæo Philadelpho verſos fuiſſe, ceteris variis deinde temporibus, & Scriptoribus tranſlatis; 5. Criticam hujus Verſionis dabimus, ſententias pariter ea de re doctiſſimorum Criticorum referentes.

Quæ inſtituta eſt adverſus Judæos, veluti Textus Septuaginta corruptores, accuſatio, ex eo repetitur, quod loca nonnulla aliter olim in Græco lecta credantur, quam quæ modo pareant. Ita illud Pſal. 95. 10. *Dicite in nationibus, quia Dominus regnavit a ligno*, legi in Textu Septuaginta totidem verbis aſſerit S. Juſtinus, ſed dolo malo a Judæis ſubductum *a ligno* (11). Expunctum pariter dicit locum Eſdræ; *Et dixit Eſdras ad populum: Hoc Paſcha Salvator noſter eſt, & refugium noſtrum. Cogitate & aſcendat in cor veſtrum, quoniam habemus humiliare eum in ſigno, & poſt hæc ſperabimus in eo, ne deſeratur hic locus in æternum tempus* (12). Addit inſuper, eodem fallendi ſpiritu truncare in quibuſdam Exemplaribus tentaſſe illud Jeremiæ: *Ego quaſi agnus, qui portatur ad victimam. Cogitaverunt ſuper me conſilia, dicentes: Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus ejus nomen de terra* (13): ſed detecto conſilio integer locus ſervatus eſt. Tandem ex eodem Propheta ſubductam ſententiam illam aſſerit: *Et commemoratus eſt Dominus Sanctus Iſrael mortuorum ſuorum, qui dormierunt in terra ſepultionis, & deſcendit ad eos evangelizare ſalutem, quæ eſt ab eo, ut ſalvaret eos* (14).

Tertullianus vitio Judæis vertit (15), quod e Canone expunxerint Librum Henoch, ſicut & ceteros de Jeſu Chriſto agentes. Corruptæ in Textu Septuaginta illius ſententiæ: *Peccatum Juda ſcriptum eſt ſtilo ferreo*, ut relinquerent tantummodo: *Peccatum eorum ſcriptum eſt &c.* accuſat Origenes hom. 12. in Jerem. Addit inſuper (16), ab illis truncata plura, & integros etiam Libros ſuppreſſos, quo & probrum ſuum & patrum ſuorum crimina occultarent, Patia exprobrat S. Hieronymus; corruptos ab illis de induſtria Prophetarum Textus, ut oracula Jeſu Chriſti demerent queritur S. Chryſoſtomus hom. 5. in Matth.

Verum ne apologiam modo Judæorum in omnibus inſtituamus, & ne pariter eorum crimen defendamus in omnibus, non raro enim lectiones, quæ minus faverent Meſſiæ illi æquioribus aliis ſubſtituerunt; non raro inſuper quorumdam locorum apertos de Meſſia ſenſus alio detorſerunt, ne, inquam, hæc omnia moremur; vix tamen poſſimus in animum inducere, eo uſque fallendi conſilio proceſſiſſe, ut Textum Septuaginta corrumperent. Namque 1. Si quid tale

(1) *Vide. Iren. & Clem. Alexandr. loc. cit. Anatol. in Comput. Paſch. Theodoret. præfat. in Pſal.* (2) *Bochart. de Animal. ſacr. l. 1. c. 18. Uſſer. Syntag. de Septuaginta Interpr.* (3) *Salmeron. Proleg. 5. 6.* (4) *Scalig. not. ad Chronic. Euſeb. ad A. 1734. pag. 134.* (5) *In Maſſecht. Sopherim.* (6) *Ibid.* (7) *Ita Philo l. 2. de vita Moſis, R. Azarias in Meor-Enarraim.* (8) *R. Gedalia in Schalſchet. Cabala.* (9) *Ita Samarit. Chronic. Selden. Peſtell.* (10) *Præfat. in quatuor Evang.*

(11) *Juſtin. Dialog. cum P. Tryphone.* (12) Hunc locum facile tenuit Juſtinus e 4. Eſdræ apocrypho; nihil enim tale in duobus canonicis Eſdræ legitur. Inde autem facile irrepſiſſe potuit in 1. Eſdr. 6. 19. 20. 21. (13) Vide *Jerem. 11. 19.* Nihil alicujus momenti deeſt. (14) Fruſtra hæc quæras in Libb. Canonicis. *S. Irenæus* interdum tamquam Iſaiæ, ſæpius vero tamquam Jeremiæ laudat. (15) *De habit. mulier. lib. 1. cap. 2. 3.* (16) *Epiſt. ad Jul. Afric.*

tale in odium Chriſtianorum committere auſi ſunt, factum id poſt Jeſu Chriſti adventum. Fruſtra autem tunc fraus ſucceſſiſſet, niſi forte in Exemplaribus quæ in eorum manibus verſabantur; quin & in illis *incredibile eſt*, ait S. Auguſtinus de Civit. l. 15. cap. 13. *Judæorum gentem, tam longe lateque diffuſam, uno conſilio conſpirare potuiſſe in hoc conſcribendo mendacio, & dum aliis invideant authoritatem ſibi abſtuliſſe veritatem*. Tunc autem Chriſtianorum Exemplaribus ſalva fuiſſent omnia.

2. Si quid fraudis in oracula de Meſſia committere tentaſſent, id maxime adverſus apertiſſima & luculentiſſima molituros pronum eſt ut credamus. Sed plura ejus generis intacta adhuc perſeverant. 3. Opportunum maxime ad eam rem fuiſſe cenſendum eſt, ut e Textu Hebræo expungerent pariter quæ in Septuaginta truncaverant. Vix autem commodum fuiſſe; duos ſimul Textus corrumpere, adnitentibus cum ceteris & Judæorum pluribus, quorum unicum ſemper fuit ſtudium, ut integritatem Sacrorum Librorum ſervarent inviolatam (1). 4. Fac Judæos incredulos in dolum conſenſiſſe; quid non timendum e Chriſtianis judaizantibus, apud quos ſacra illa Volumina in lingua orientali?

Tandem ſi ad trutinam ſeverioris criticæ loca apud S. Juſtinum ceteroſque Patres expendantur, deprehendemus ſtatim, vel numquam apud Septuaginta, & Hebræum extitiſſe, vel ſaltem ſtructam ex illis accuſationem nulli idoneo teſtimonio niti. Si vero interpretes illi, ſive poſt ipſos Judæi, textus quoſdam Patribus ſuis minus faventes vel expunxerint vel minus congrua interpretatione eluſerint, factum id potius credimus ante Jeſum Chriſtum; ſed ex multis ejus generis pauca deſiderantur, plurima ſervantur intacta. Ex quo illud mihi jure cenſeo ſtatuendum, Textum Septuaginta noſtræ ætatis ipſum plane eſſe, quem Judæi ante Jeſum Chriſtum ſervabant, & ab illis Chriſtiani traditum receperunt; quamquam nec inficiari audeam, menda occurrere interdum, & ordinis inverſione, ſive incuria, ſive audacia Amanuenſium, ſive longioris temporis vitio ſubrepentia.

Uſſerius (2), poſt S. Hieronymum, reputat priorem Verſionem ſub Philadelpho non niſi 5. Moſaicos Libros retuliſſe, quibus cetera deinde Sacra Scripta quarto anno Ptolemæi Phyſconis alio nomine Philometoris (*), tranſlata, ſub eodem Septuaginta nomine, acceſſerint. Summo plauſu a Judæis excepta Verſio iſta, in Bibliotheca inſtructiſſima Alexandrina repoſita fuit, ubi Origenis etiam ætate viſebatur, qui plane Origenes illam in ſuis Hexaplis inſeruit, e regione alterius eodem Septuaginta nomine inſcriptæ, quam *communem* & *vulgarem* ideo appellat, quod minus licet correcta, magis tamen vulgari uſu excepta eſſet. Hæc Uſſerius.

Dabimus quidem Uſſerio, Legem Moſaicam Græcis literis traditam fuiſſe ſub Philadelpho; ſed vix illi aſſentimur, optimis probari documentis, novam quamdam Verſionem univerſæ Scripturæ ſub Evergete ſive Philometore adornatam fuiſſe, ſilent enim ea de re Veteres. Vix etiam probaretur, ante Regnum Phyſconis Græcis literis traditum unum tantum Pentateuchum obtinuiſſe, & multo etiam ægrius demonſtraret Uſſerius, Verſiones in Hexaplis Origenis inſertas, alias ab iis fuiſſe, quas ſub Septuaginta nomine omnis ætas agnovit, vel univerſas, vel ex parte tantum circa Philadelphi ætatem adornatas.

Quo vero authoritatem hujus Verſionis demonſtremus, nullum afferri poteſt efficacius argumentum, quam quod S. Hieronymus Epiſt. 101. ad Pammachium: *Jure obtinuit in Eccleſiis, vel quia prima, & ante Chriſti adventum, vel quia ab Apoſtolis, in quibus tamen ab Hebraico non diſtat, uſurpata*. Veteres quidam, nec ſane rari, autumarunt, afflante Spiritu S. ſcriptam; & uſque ad Verſionem Latinam S. Hieronymi ſola regnavit in Eccleſia; quemadmodum & Canonica habetur hodie uſque in Eccleſia Græca. Quin & in Eccleſia Latina expreſſus e Græco Septuaginta Latinus Pſalmorum Textus, authenticus in Concilio Tridentino declaratus eſt.

Inſigni divinæ Providentiæ miraculo deputat S. Chryſoſtomus homil. 4. in Geneſ. barbarum Regem, a vera Religione alienum, veritatis & populi Dei adverſarium (Philadelphum ſcilicet) id commiſiſſe, ut Græcam curaret Bibliorum Verſionem, qua data via omnibus per orbem Gentibus ad veritatem pervenire pronum eſſet. Gemina habet S. Auguſtinus (3): *Libri, quos Gens Judæa ceteris populis, vel religione, vel invidia prodere nolebat, credituris per Dominum Gentibus miniſtra Regis Ptolemæi poteſtate tanto ante proditi ſunt*. Quid deeſt authoritatis huic Verſioni, ait S. Hilarius (4), ante Jeſu Chriſti adventum adornatæ, quo tempore nulla poterat creari aſſentationis erga eumdem Chriſtum invidia; ejus Authores nullæ accuſari ignorantiæ, quod Doctores eſſent & Principes Synagogæ, Doctrinæ Moſaicæ veluti depoſitarii? *Non poterunt non probabiles eſſe arbitri interpretandi, qui certiſſimi & graviſſimi eſſent authores docendi*.

Si quis conferat Veteris Teſtamenti ſententias in Evangelio & Epiſtolis Pauli laudatas, cum Textu Septuaginta, congruere intelliget omnia. Hæc potiſſimum obſervata debemus Origeni (5), & S. Hieronymo (6), duobus ſcilicet ætatis ſuæ viris ſapientiſſimis, idoneis, ſi quis alius, earum rerum judicibus; quippe qui non Græcum tantum, ſed & Hebraicum callerent, ac Verſionem cum Originali conferre per ſe poſſent. S. Matthæus, qui Hebraice, ſeu potius Syriace ſcripſit, laudat non raro ſententias V. T. ex Hebræo (7); verum S. Lucas, S. Joannes, & S. Paulus plerumque Textum Septuaginta præferunt; & S. Irenæus l. 3. c. 25. generatim obſervat: *Apoſtoli conſonante prædicta interpretationi, & interpretatio conſonat Apoſtolorum traditioni*.

Addit autem vir idem Sanctus: *Unus enim idemque Spiritus Dei, qui in Prophetis quidem præconavit, quis & qualis eſſet adventus Domini; in Senioribus autem interpretatus eſt bene, quæ bene prophetata fuerant; ipſe & in Apoſtolis annunciavit plenitudinem temporum adoptionis veniſſe*. Confert autem adornatæ hujus Verſionis a Septuaginta rationem cum illa, qua abolitas in captivitate Scripturas Eſdras reparavit (8).

S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. & Theodoretus Præfat. in Pſſ. pari argumento paria adſtruunt; ac Patres generatim omnes, ſive Philonem ſecuti, ſive cum S. Juſtino perſuaſi, Septuaginta Interpretes in cellulis ſeorſum ſcribentes ne verbo quidem inter ſe diſcrepaſſe, perſuaſum habent pariter, nonniſi S. Spiritus afflatos viros illos ſe contuliſſe ad ſcribendum, uti prodigioſo illo conſenſu ſatis demonſtratum arbitrantur.

S. Hilarius in Pſ. 131. num. 24. in locis illis, in quibus Interpretes variant, ſemper ceteris præferenda eſſe cenſet, quæ apud Septuaginta; quippe quorum Verſio & vetuſtiſſima eſſet, & Eccleſiarum uſu probata. Neque enim ſive illam abjicere, ſive ab ea recedere integrum eſt nobis, addit (9); ejus enim Authoribus nec ſcientia deerat, nec authoritas, nec

(1) *Joſeph. contr. Appion. l. 1. pag. 1037.* (2) *Uſſer. Syntag. de ſeptuag. Interpp.* (*) *Ann. M. 3865. ante Chr. 139.* (3) *De Doctrin. Chriſt. c. 15. & ſerm. 68. in Joannem.* (4) *In Pſ. 2. Vide, ſi lubet, & Euſeb. l. 8. Præpar. c. 1.* (5) *In cap. 15. & 10. Epiſt. ad Rom. & in Joan. Vide & Cyrill. Jeroſol. Cathech. 4.* (6) *In quæſt. Hebr. in Geneſ. & alibi.* (7) S. Hieronym. in Libro de Scriptoribus tamquam certum ſtatuit, S. Matthæum Hebræum numquam non laudare. Sed alibi generatim fatetur, Evangeliſtas plerumque Textum Septuaginta ſequi. (8) *Eſdr. 24. 19. 20. 21.* Hanc tamen ſententiam cum veritate non cohærere demonſtravimus in Diſſertatione de hoc argumento, Libro Eſdræ præfixa. (9) *Idem in Pſal. 118. lit. 5. nu. 13. Sed nos, ſicut oportet, ſequimur Septuaginta Interpretum religioſam antiquam authoritatem. Vide & in Pſ. 118. lit. 4. num. 6. Sed neque nobis tutum eſt tranſlationem Septuaginta Interpretum tranſgredi.*

nec cetera tandem, quæ ad fidem conciliandam valent. S. Auguſtinus de Doctrin. Chriſt. l. 2. *Septuaginta Interpretum, quod ad Vetus Teſtamentum attinet, excellit authoritas; qui jam per omnes peritiores Eccleſias tanta præſentia Spiritus Sancti interpretati eſſe dicuntur, ut os unum tot hominum fuerit.* Addit, tunc pariter divino inſtinctu inductos fuiſſe credi oportere, cum ab Exemplaribus Hebraicis recedunt; ita nimirum Spiritu Sancto, cujus ſequebantur ductum, egente, ut congrua hominum neceſſitati, & Gentilium captui, quibus maxime ſcribebant, ab iis traderentur.

Et lib. 2. de conſenſu Evangeliſt. cap. 66. *Cur tanta authoritas interpretationis Septuaginta multis in locis diſtet ab ea veritate, quæ in Hebraicis Codicibus invenitur, nihil occurrere probabilius exiſtimo, quam illos (Septuaginta) eo Spiritu interpretatos, quo & illa, quæ interpretabantur, dicta fuerant: quod ex ipſa eorum mirabili, quæ prædicatur, conſenſione confirmatum eſt. Ergo & ipſi nonnulla in eloquio variando, & ab eadem voluntate Dei.... non recedendo, nihil aliud demonſtrare voluerunt, quam hoc ipſum, quod nunc in Evangeliſtarum quatuor concordi quadam diverſitate miramur; quia nobis oſtenditur non eſſe mendacium, ſi quiſquam ita diverſo modo aliquid narret, ut ab ejus voluntate, cui conſonandum & conſentiendum eſt, non recedat.*

Verum cum hæc, de inſpiratione Septuaginta, ſententia parum aſſertæ authoritatis, ne quid gravius dicam, hiſtoriæ innicatur; quod ſcilicet Interpretes illi in ſingulis ſcribentes cellulis, nihilque inter ſe habentes commercii, eadem tamen omnes & ſentirent & ſcriberent; non eſt cur religioni ducamus, ſi ruenti inhærentem fundamento opinionem everſſemus. Quare S. Hieronymus, tantus Criticus, numquam in animum induxit, ut Prophetas crederet Septuaginta (1); meros tantum habet Interpretes, & poſt relata loca nonnulla, in quibus recedere illos ab Hebræo conſtat, obſervat: *Ubicumque ſacratum aliquid Scriptura teſtatur de Patre & Filio & Spiritu Sancto, aut aliter interpretati ſunt, aut omnino tacuerunt, ut & Regi ſatisfacerent, & arcanum fidei non vulgarent.*

Invehit deinde adverſus primos cellularum Authores, venditantes; in ſingulis illis ſcribentes Septuaginta, Verſionem ſuam ſingulos ſeorſum dediſſe. Ad fabellas totam eam rem amandat, quippe quod neque Ariſtææ nota eſſet, nec Joſepho, nec Philoni, quorum conſenſu conſtaret: *In una Baſilica congregatos contuliſſe,* (nempe Interpretes illos ſcripta ſua) *non propheta ſſe. Aliud eſt enim vatem, aliud eſt eſſe Interpretem.*

Sed ad infirmandam Verſionis Septuaginta aſſertam olim apud Eccleſiam authoritatem hæc nihil valent; ratam enim illam habet ubique S. Hieronymus in ſuis Operibus (2); ſed ne quid nimis jubet. Tolli enim abuſum omnem edicens: numquam id cenſet committendum, ut vel in pari cum Originali conſtituatur gradu, vel S. Spiritu afflante udotuatu cenſeatur; neque enim repugnantia ſibi docere poteſt Spiritus S. ut quæ in Hebræo expreſſerat, abjecta vellit in Græco: numquam error dictanti illi ſubreperet, cum tamen ſubrepſiſſe reipſa quandoque Interpretibus illis conſtet. Quæ tandem hiſtoria Veterum credulitati fucum fecit, nullius eſt in Eccleſia authoritatis; quare tanto dogmati ſtatuendo impar eſt.

Si quæ vero hiſtoria de Verſione hac Septuaginta melioris fidei cenſenda eſſet, hoc ſane privilegium in nullam aliam melius, quam in Ariſtææ quadraret. Sed hæc pariter, etſi S. Hieronymo facile probata, ſuſpicionis habet plurimum. Quare potiori jure ſuſpicionis nota inurenda ſunt cetera hiſtoriæ Ariſtææ veluti adſcititia ornamenta, aliena fraude adjecta.

Hæc autem Ariſtæas perſonam gerens viri Gentilis, & inter corporis cuſtodes Ptolemæi Philadelphi, a quo miſſum ſe dicit Jeroſolymam ad Eleazarum Summum Sacerdotem, poſtulatum ab illo viros Græce & Hebraice doctos, quos vertendis Sacris Judæorum Libris addiceret. Itineris ſui omnia exponit, & quid ejuſdem itineris ſuſcipiendi fuerit in cauſa, de omnibus fratrem ſuum Philocratem faciens certiorem. Narrat igitur, Demetrium Phalereum, Regiæ Philadelphi Bibliothecæ Cuſtodem, cum omnem poſuiſſet operam colligendis ex univerſo Orbe Libris, interrogatum ſemel a Rege quot tandem comparaſſet, ad 200000. reſpondiſſe; ſperare ſe tamen eum numerum brevi ad 50000. & ultra auctum iri. Significavit inſuper relatione aliorum didiciſſe, Judæorum ſcriptas Leges non indignum ſibi locum inter Bibliothecæ Libros vindicaturas; curandum proinde actutum, ut ex Hebraico in Græcum transferrentur. Nec mora: Rex ſcribendas edixit ea de re epiſtolas ad Summum Sacerdotem Judæorum.

Tunc Ariſtæas, qui forte aderat, opportunam ſibi offerri occaſionem cenſuit, ut mentis ſuæ arcanum, tamdiu apud ſe celatum, communicatumque antea cum Soſibio Tarentino, & Andrea, duobus viris Principibus inter Regii corporis cuſtodes, Regi ipſi tandem aperiret. Agitabat ille animo libertatem Judæorum, quos olim Ptolemæus Lagi, pater Philadelphi, dum in expeditione eſſet Syriæ & Phœniciæ, in Ægyptum adduxerat captivos. Centum millia erant numero, e quibus ſelectos 30000. Arcium ſuarum cuſtodes diſpoſuit; reliqui una cum uxoribus & filiis victoribus militibus captivi permiſſi ſunt.

Hanc igitur nacti occaſionem Ariſtæas, Soſibus, & Andreas cum Rege pro Judæis egerunt, demonſtrantes, leges illas, quas in Græcum vertere meditabatur, ad Judæos pertinere: iniquum autem eſſe, ut ab illis Legum ipſorum interpretes expoſceret, quorum genere captivam teneret. E Regis eſſe munificentia & liberalitate, ſi beneficio illos libertatis donatos, ad propria remitteret. Interrogavit Rex, ecquot numero eſſent in ſuo Regno Judæorum captivi: cum ultra 100000. ab Andrea intelligeret, nihil tamen de tanta captivorum multitudine abſterritus eſt; ſed omnibus libertatem ſancivit, adjecto inſuper munere 20. drachmarum in ſingulos, quo damnum captivitatis tanto beneficio compenſaretur. Impenſa ea occaſione a Rege ultra 600. talentorum (3): lata inſuper pro ea libertate edicta, quibus etiam in ejuſdem beneficii communionem admiſſos voluit Judæos omnes, non tantum a Patre ſuo in captivitatem translatos; ſed & ceteros ex ea gente ab aliis quibuſque libertate privatos.

Juſſus ſimul Demetrius Phalereus in ſupplici libello conſilium ſuum omne exponere, & quo ordine ſingula procederent; paruit illico, & Rex, datis ad Eleazarum Summum Sacerdotem litteris, virum rogavit, ut Libros mitteret, & Viros illis in Græcum vertendis idoneos.

Deſtinati in eam rem Legati, & ditiſſima Templo Domini munera. Impoſitum id officii Andreæ, & Ariſtææ, qui tanto ſucceſſu juſſa complerunt, ut a Summo Sacerdote impetrarent 72. Judæos, Græce & Hebraice doctos, ſex e ſingulis duodecim Tribubus, (nec nomina, nec Tribus ſingulorum præterit) ut ſecum venientes una cum Sacris Legis Libris ac Epiſtolis ad Regem, pietatem ejus & munificentiam in Templum etiam atque etiam commendantibus, operi ſeſe accingerent. Alexandriam venientes ſumma honoris & humanitatis tum & lætitiæ ſignificatione excepit Philometor. Summa etiam Religione pronus ſeptiea adoravit divina Oraculorum Sacrorum Volumina; admiratus eſt autem plurimum membranæ elegantiam, cujus tam ſcite folia alterum alteri jungebantur, ut nec junctura appareret; laudavit vividos ejuſdem

(1) *Præf. in Pentateuc. ad Deſider.* (2) *In Iſai.* 58. *p.* 492. *nov. edit.* & *in lib.* 2. *Apolog. adverſus Ruffin. pag.* 431. *nov. edit. Ego ne contra Septuaginta Interpretes aliquid ſum locutus, quos ante annos plurimos diligentiſſime emendatos meæ Linguæ ſtudioſis dedi? quos quotidie in conventu Fratrum ediſſero, quorum Pſalmos jugi meditatione decanto?* &c. (3) Nempe 1440000 *librarum, pro ſingulis talentis* 2400. *libris computatis.*

dem membranæ colores, qui ulterem addebant aurum ſcriptis literis. Gratiſſimo etiam animo excepit miſſa ſibi a Summo illo Præſule munera, tum & Viris illis ſignificavit, ſingulis vitæ ſuæ annis feſtum adventus eorum, veluti rei ſibi fauſtiſſimæ ſe celebraturum. Cum autem ea ſimul die gaudium geminaret celebrata memoria victoriæ navalis a Rege adverſus Antiochum relatæ, voluit una ſecum Viros illos cœnare, commiſſo interim Aulicis ſuis munere apparandi ſedem illorum in loco arci Urbis continuato. Stata igitur cœnandi hora accubuit cum hoſpitibus convivii Philadelphus, totaque animi voluptate pluribus quæſtionibus tentatos illos audivit. Mane alterius diei iterum convivas adhibuit; quod & per ſeptem continuos dies præſtitit, volens ſingulos auſcultare.

Poſt triduum Demetrius Phalereus Hebræos hoſpites duxit in Inſulam Pharos, per aggerem maris ſeptem ſtadiorum, ac trajecto ponte in domo ſplendide extructa illos conſtituit. Sita autem erat domus ad Septentrionem Inſulæ in litore maris, ab omni tumultu & ſtrepitu, quo melius vertendorum Sacrorum Librorum otio vacarent, remota. Continuo ſeſe ad opus accinxerunt; & quidquid negotii interpretantibus faceſſeret, non prius ſcriptis redigebant, quam ut communi diſcuſſione digererent; digeſta vero deferebant ad Demetrium, qui tranſcribenda curabat ab Amanuenſibus (1). Singulis diebus operi inſtantes uſque ad horam nonam, nempe ad tres horas ante occaſum ſolis, ſimul conferendo perſeverabant. Tum in Urbem pedem referentes, quidquid neceſſarium eſſet ad vitam abunde habebant præparatum. Mane poſt ſalutatum Regem iterum ad Inſulam; & poſt lotas manus, ac oblatas preces rurſus ad opus. Perſeverarunt in labore ad 70. vel 72. (2) ſolidos dies.

Abſolutam tandem Verſionem remiſerunt in manus Demetrii, qui in cœtu Judæorum Alexandrinorum & coram Interpretibus totam perlegit, acceptam non ſine unanimi & ſolemni approbatione eorum, qui judicium ferre de conſonantia Verſionis cum Textu per ſe noſſent. Judæi maxime ingentis gaudii ſignificatione teſtati ſunt, nihil ſe habere in illa quod non laudarent; laudes etiam plenis manibus contulerunt in Demetrium, cujus conſilio hæc omnia præſtita, Interpretes, qui rem executioni mandaverant. Poſt hæc omnia dira in eos apprecati ſunt, qui ſcripto illi ſive addere aliquid, ſive detrahere, ſive ordinem pervertere auſi fuiſſent.

Hæc omnia Rex non ſine ingenti gaudii ſignificatione excepit, quam admiratio etiam de ſapientia Legiſlatoris cumulavit, poſtquam Verſionem illam coram ſe lectam auſcultaſſet. Interrogavit poſt hæc Phalereum, cur nec Hiſtoricus aliquis, nec Vates tam eximii Operis unquam meminiſſet. Reſpondit ille, abſterritos omnes a Legum illarum ſanctitate pariter, & majeſtate; quippe quæ ſupra captum hominum eſſent. Adjecit, audiviſſe ſe referentes, Theopompum, cum in ſuam hiſtoriam aliquid ex illis transferre tentaſſet, deductum ex vetuſtiori quadam Verſione parum exacta, temeritatis ſuæ pœnas luiſſe, ſubito correptum morbo, quo emotæ mentis ultra 30. dierum ſpatium factus eſt: morbi autem ſui eandem cauſam intellexiſſe; certiorem a Deo per ſomnum factum, quod res ſacras & divinas in publicum efferre meditatus non ſatis illas obſervaſſet. Luminibus captum Theodectum Poetam Tragicum, quod in carmina ſua derivare aliquid e Sacris Libris commiſiſſet; ſed agnito errore, & pœnitentia eluto actutum convaluiſſe.

Hic auditis Rex Opus ſacrum ex Interpretum manibus religioſa veneratione excepit, juſſitque magna cura & obſequio ſervari, laudatos vero Scriptores, rogatoſque, ut ad ſe inviſendum venirent identidem, ac tandem ditiſſimis muneribus, cum pro ſe ipſis tum pro Summo Sacerdote auctos ad propria remiſit. Hæc Ariſtæas, unde hiſtoriam deduxit Joſephus, quamquam ad ſuum genium Ariſtæam detorquens, ſicut & quæ e Textu Ariſtæ ad verbum exſcripſiſſe dicit (3), Epiſtolas tum Regis Ptolemæi ad Eleazarum, tum Eleazari ad Regem ſtilo ſuo traditas reformavit.

Meminit etiam Verſionis Septuaginta Philo Alexandrinus de vita Moſis l. 2. viciſſim autem & Ariſtæam & Demetrium Phalereum ſilet. Sunt autem illi Septuaginta Interpretes viri Spiritu Sancto afflati, qui ſeorſum ſcribentes, non in re tantum, ſed in verbis etiam conveniſſe deprehenſi ſunt, ut verba Originalis Chaldæi eadem voce ſinguli redderent; nihilque non perfectiſſime reſpondens Originali in Verſione ſua exprimerent; quemadmodum ex collatione utriuſque Textus inſinuatur. In reliquis Philo cum Ariſtæa quadrat; ut vel ab illo Hiſtoricum conſultum, vel Hiſtoricum Philonis Textum præ oculis habuiſſe, intelligamus. Poſteriorem hanc ſententiam probat D. Vandale (4); ratus facile hiſtoriam Philonis ſub oculis habuiſſe Ariſtæam, cum fabellam ſuam ſcriberet: qua in re e communi omnium ſententia recedit vir doctus; una enim perſuaſione creditur Philo Ariſtæam ſecutus.

Idem D. Vandale (5) tuetur, præter Ariſtæ hiſtoriam, cujus conſpectum exhibuimus, alteram obtinuiſſe alterius Ariſtæ Auctoris Chriſtiani, unde narrationem ſuam de hac Verſione S. Epiphanius derivarit (6). Hæc igitur S. Epiphanius. Ariſtæas in hiſtoria Septuaginta Interpretum refert, Ptolemæum Philadelphum Bibliothecam inſtruxiſſe Alexandriæ in loco, cui nomen Bruchium, quam Demetrii Phalerei curæ tradidit. Cum autem, ait, ſemel Rex Cuſtodem Bibliothecæ interrogaſſet, ecquantum nam comparaſſet Librorum, audiſſetque ad 5480. multo autem plures colligi potuiſſe, ſi vertendos Græcis literis mandaret Libros Ethyopicos, Indicos, Perſicos, Elamiticos, Babylonicos, Aſſyrios, Chaldæos, Romanos, Phœnicios, & Syriacos, & illos pariter, qui in manibus eſſent incolarum Græciæ (quo olim nomine Latini non Romani appellabantur) (7). Adjecit tandem eſſe in Judæa & Jeruſalem divinos Libros, a Prophetis deſcriptos, de Numine, mundi productione, aliiſque rebus utiliſſimis tractantes, quos Rex ſiquidem voluiſſet, ſcriptis ad Judæos literis impetrare facile poterat.

Hæc intelligens Philadelphus, Epiſtolam dedit ad Judæos apud S. Epiphanium recitatam, rogans concedi ſibi Sacros Libros, ad Bibliothecæ ſuæ decus & ornamentum. Miſerunt actutum Judæi Scripturas omnes ſuas, aureis literis exaratas, nempe 22. Libros V. T. Hebraicos, ſicut & 72. Libros Apocryphos. Hæc Opera, quod Hebraica eſſent, cum Rex legere non poſſet, rogavit iterum per nuncios ea de re miſſos, ut Interpretes, Græcis Literis eoſdem Libros tradituros, concederent. Novam Regis Epiſtolam recitat pariter S. Epiphanius. Porro umbræ illæ multum diſcrepant ab aliis, apud Ariſtæam legendis, ſicut & nuſpiam apud S. Epiphanium occurrit epiſtola Regia ad Summum Sacerdotem, nec viciſſim Sacerdotis ad Regem. Altum etiam de eodem Summo Sacerdote apud S. Virum ſilentium. Miſſi ergo actutum 72. ſelecti Viri, Græce & Hebraice docti, quorum ſex Tribus ſingulæ ſuffecerunt, ut honoris prærogativa æqua ſingulis cederet. Verterunt autem illi Libros antea tranſmiſſos ex Hebræo in Græcum; quorum Verſio, ut eſſet exactior, hac ſibi præſtandum cautione Philadelphus arbitratus eſt; juſſit igitur 36. cellulas in Inſula Pharo fabricari, quarum ſingulæ binis ex eo numero viris deſtinatæ ſunt, aſſignatis inſuper in obſequium ſingulorum miniſtris, Amanuenſibus pariter & Notariis, qui dictantium verba compendiariis notis exciperent. Lucem accipiebant cellulæ ex aperto in ſuperiori parte hiatu; feneſtris enim, ne quid cum accedentibus extra haberent com-

(1) *Ariſteas de 70. Interpp.* (2) *Ita Ariſteas, Joſeph in verſione Rufin. Euſeb. Cyrill. Alexandr. Cedren.* (3) *Antiq. lib. 12. cap. 2. pag. 389. 390.* (4) *Diſſert. de Ariſtea cap. 5.*

(5) *Ibid. cap. 1. & 6.* (6) *Epiph. de ponder & menſur. nn. 9. 10. 11.* (7) Obſcurus eſt Textus S. Epiphanii. An forte indicare vult Græcos Italiæ, ſive magnæ Græciæ?

Digitized by Google

commercii, carebant. In ſingulis cellis vertendus ſingularis Liber tradebatur, ut e. g. primæ cellulæ bini Interpretes Libro Geneſis adlaborarent; ſecundæ Libro Exodi, & ſic de ſingulis. Exactum vero in prima cellula Opus ad ſecundam tranſmittebatur, accepto viciſſim ab illa Libro Exodi, quo iterum verteretur. Factum inde, ut univerſa Scriptura 36. vicibus ex integro Græce redderetur; ſinguli enim Scripturæ Libri in gyrum per ſingulas cellulas tranſmittebantur.

Intra clauſtra a mane uſque ad veſperam perſeverabant; ad veſperam autem 36. diſtinctis cymbis, ſingulæ ſingulis virorum paribus, vecti tranſmittebantur ad Aulam, una cum Rege cœnaturi. Poſt cœnam bini in ſingulis conclavibus cubabant. Mane eadem cautione iterum ad opus.

Abſolutis omnibus, Rex Throno aſſidens, legi ſibi a 36. Lectoribus, ſingulis verſionis Græcæ exemplar tenentibus, Librum audivit. Erat & diſtinctus alius Lector originale Hebraicum conferens. Cum unus elata voce legeret, alii Verſionem ſuam cum lectione conferebant; factumque eſt divino plane miraculo, quod Verſiones omnes ita convenirent, ut ſi quid detruncatum in Textu alicujus Interpretis, vel adjectum deprehenderetur, paria etiam ſpectarentur in aliis; detractum vero nihil eſſet, quod cetera non cenſeretur ſuperfluum. Luculento hoc argumento univerſo cœtui perſuaſum eſt, viros illos afflante Spiritu Sancto ſcripſiſſe. Secundum hæc recondi Libros in Bibliotheca *Bruchium*, quæ veluti mater ſecundæ alterius, *Serapeum* dictæ, habebatur, Rex imperavit. Ad ſecundam illam Bibliothecam amandati ſunt deinde plures alii Libri, ac potiſſimum Verſiones Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis poſt 550. annos adornatæ.

Quæ inter hanc S. Epiphanii & Ariſtææ illam hiſtoriam ſpectatur diſcrepantia, argumento eſt apertiſſimo alia Viro Sanctiſſimo ad manus fuiſſe, quam hodie vulgata ſunt Ariſtææ exemplaria. Non aliis quam S. Epiphanii uſi videntur S. Juſtinus Martyr (1), S. Irenæus, & S. Auguſtinus (2): ſicut viciſſim vulgaribus Joſephus, & Euſebius (3); ac tandem S. Irenæus lib. 3. c. 25. S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. & Tertullianus (4), breviores ſunt, quam ut unde hæc deduxerint, hiſtoriam deſignent.

Hæc autem S. Juſtinus: Ptolemæus Rex Ægypti certior factus, ſervari apud Judæos Hebraica ſcriptos gentis illius Commentarios, accitis e Jeruſalem 72. viris Græce & Hebraice doctis, vertendorum illorum Librorum negotium commiſit. Quo vero expeditius & majori otio rem perficerent, omnes miſit in Inſulam Pharos, incluſos cellulis, quot erant numero viri; ne quidquam ſcilicet ſecum ipſi communicarent, ac de fide ſingulorum certiori argumento doceretur. Porro illi tam uniformia ſcripſiſſe inventi ſunt, ut non verba tantum eadem apud omnes recurrerent, ſed & verborum numerus eſſet in omnibus idem; quod maximæ fuit Regi admirationis, ejuſque munificentiam excitavit, ut ditiſſimis muneribus ornatos ſummo honore ad propria remitteret. Id autem reputavit Ptolemæus, numquam ſine divino prodigio tam felix opus abſolutum fuiſſe; quare ſumma religione divinos illos Libros obſervans, in ſua Bibliotheca Alexandrina Deo conſecravit. Addit vir Sanctus, ſe, cum Alexandriæ verſaretur, in Inſula Pharo ſpectaſſe cellularum ruinas, quas olim cellulas tenuerant Interpretes.

In ſecunda ſua Apologia multum plane ab his diſcrepat Vir Sanctus, de Verſione illa habens ſermonem; narrat enim, Regem Ptolemæum parare inſtructiſſimam Bibliothecam cogitantem, certioremque factum, ſervari apud Hebræos Prophetarum Libros quamplures, communicari ſibi, datis ad Herodem Judæorum Regem litteris, illos poſtulavit. Miſit actutum Herodes: ſed cum Hebraice ſcripti nulli eſſent Ptolemæo uſui, mitti iterum poſtulavit viros, vertendis Græce Libris idoneos. Quibus ab Herode miſſis, veros deinde Libros Rex in Bibliotheca repoſuit; ſunt autem, addit, hodie uſque in Judæorum manibus.

Non Græcam tantum Verſionem, ſed & Hebraice Originalia in Regia hac Bibliotheca depoſita, inſinuare videtur Tertullianus Apologet. c. 18. pag. 18. *Hodie apud Serapeum Ptolemæi Bibliotheca cum ipſis Hebraicis literis exhibentur*. Meminit etiam ſeptuaginta cellularum pro numero Interpretum S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi 4.

Facile, quantum arbitror, intelligimus hiſtoriæ hujus apud varios Patres Authorem fuiſſe unum eumdemque Ariſtæam, quamquam variis apud varios circumſtantiis narratio veſtitus. Inſigni autem anachroniſmo errat S. Juſtinus Martyr, miſſos ferens e Ptolemæo ad Herodem viros, ut ab illo Sacros Judæorum Libros impetrarent. Teſtatur Philo (5), penes Summum Sacerdotem Judæorum ſacram & civilem poteſtatem fuiſſe; quod cum Hiſtoria Judæorum plane non congruit; parebant enim tunc Ægypti Regibus. Nec minus oſcitanter ſcripſerunt S. Clemens Alexandrinus, & S. Irenæus, Judæos ejus ætatis paruiſſe Regibus Macedonum, ſeu potius Regibus Ægypti, Alexandri Magni ſucceſſoribus.

Adeo vero parum congruunt narrationi Ariſtææ, Joſephi, Philonis, Euſebii, aliorumque poſt ipſos, quæ de 36. cellulis apud S. Epiphanium, vel 72. apud Juſtinum Martyrem, S. Cyrillum Jeroſolymitanum, S. Irenæum, S. Auguſtinum, & S. Chryſoſtomum leguntur, ut alterutros deſerere neceſſe ſit. S. Hieronymus ad ſabelles, ne dubius quidem cellularum commenta rejicit: *Neſcio quis primus author ſeptuaginta cellulas Alexandriæ mendacio ſuo extruxerit.*

Utrumque Talmud (6) 72. cellulas agnoſcit; ſed aſſerit Regem Ægypti accitos a 72. ſenes in ſingulis ſingulos clauſiſſe, quid a ſe Rex exigeret, ignaros. Incluſis deinde ſingulis mentem ſuam aperuiſſe; ſed Deum ita ſingulorum calamum mentemque direxiſſe, ut paria ſinguli ſcriberent.

Samaritani, qui moribus ſuis Judæos exprimere numquam non ſtuduerunt, referunt in ſuo Chronico, Philadelphum Alexandriam appelleſſe Aaronem Summum gentis ſuæ Sacerdotem, cum viris ejuſdem gentis ſelectiſſimis; ſimul autem accerſiſſe Doctores Judæorum, cum Eleazaro Summo populi Sacerdote; quo ſcilicet utrique Legem Dei ex Hebræo in Græcum vertendam ſuſciperent. Cum autem adornata a Samaritanis Verſio ab altera Judæorum certis quibuſdam in locis diſcreparet, Rex judicio ſuo Samaritanorum opus probavit; quos pariter ingentibus auxit muneribus, interdictis viciſſim Judæis, ne ſacrum Garizim Montem pede contingere auderent.

Tanta ſententiarum rerumque inter Ariſtæam, S. Epiphanium, S. Juſtinum, Talmudiſtas, & Samaritanos varietas argumento eſt apertiſſimo, non circumſtantias tantum, ſed & hiſtoriam ipſam fidei eſſe ſublestæ: quod ipſiſſimum eſt doctiſſimorum Criticorum Judicium (7). Porro viri illi docti, ceteris aliis rejectis, deprehendiſſe ſe confidunt in Ariſtæa plura genuinis hiſtoriis plane repugnantia. Ita e. g. cum Ariſtæas aſſerit, Verſionem hanc adornatam ſub Philadelpho filio Ptolemæi I. filii Lagi; ſed Irenæus (8) Ptolemæum Lagi præfert; & S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 1. aſſerit, ab aliis quidem ſub Filio Lagi, ab aliis ſub Philadelpho aſſignari. Author eſt Vitruvius (9), Bibliothecam Alexandrinam non niſi poſt alteram Attalorum Regum Pergami cœpiſſe; vivebant autem A. M. 3835. & quo tempore Ariſtophanes Byzantinus florebat, nempe ſub Ptolemæo Evergete, ſive Ptolemæo Epiphane ejus ſucceſſore. Porro Philadelphus pater erat Evergetis, & avus Epiphanis.

Non ergo ſub Philadelpho Bibliotheca Alexandrina cœpta eſt inſtrui; erat enim Philadelpho ipſo recen-

(1) *Admonit. ad Gent.* (2) *De civit. Dei l. 18. c. 42.* (3) *Præpar. l. 8.* (4) *Apologet. c. 18. pag. 19.* (5) *De vita Moſis l. 2. pag. 658.* (6) *Jeroſol. & Babyl. tit. Megillat.* (7) *Bellarm. de Verb. Dei l. 2. cap. 6. Maſius Præfat. in Græc. Joſue. Reuclin. l. 3. de arte Cabaliſtica, Joſeph. Scaliger. Henric. Valois, Humfred. Hody, Vandale, alii paſſim.* (8) *Iren. l. 3. c. 21. nov. edit.* (9) *Architect. Præfat. in l. 7. Vide Vandale de 70. Interpretibus.*

tior. Uſſerius (1), & poſt ipſum Bochartus (†), contendit, Verſionem Septuaginta Epiphane & Evergete etiam recentiora tempora ſpectare, nec niſi poſt Philometorem, uti ſupra demonſtravimus, paruiſſe. Eorum tamen nec rationes adoptamus omnes, nec epochas, nec adſcriptiones temporum, ſed recitamus tantummodo, quo ad ſenſum demonſtretur, quantum mereantur fidei ea omnia, quæ de Verſione Septuaginta a Ptolemæo Philadelpho procurata narrantur.

Ariſtæas & ceteri qui Authorem illum (2) ſequuntur, ita de Philadelpho agunt, quaſi de Principe religioſiſſimo æque & Legis Dei cognoſcendæ ſtudioſiſſimo, cui ad virtutes morales & politicas nihil eſſet reliqui: ſed prophanorum Authorum quicumque melius noſſe virum poterant, virum ipſum tamquam corruptiſſimum hominum depingunt, impium, omnia in licentiam fræna laxantem, qui ſororem ſuam duxerit uxorem, geminos fratres interemerit, concubinarum greges aluerit (3), in ſuperſtitionem Serapidis ferretur impotenter, conſecrare inter Deos ſororem ſuam & uxorem Berenicem poſt ejus mortem tentaverit (4).

Demetrius Phalereus, quem Ariſtæas Bibliothecæ Alexandrinæ cuſtodem aſſignat, cujus, ſi virum illum audiamus, inſignis erat pietas, & in legem Dei obſequium, ut ad Regem Ptolemæum diceret, divinam hanc eſſe Legem, quam proinde nemo uſpiam neque Poeta neque Hiſtoricus aliquis prophanus in ſua ſcripta derivare potuerit; Demetrius, inquam, iſte vir erat crapula potens (5), ad exceſſum prodigus, turpibus obſcœniſque amoribus implicitus, effœminatus, fucatus pigmentis, facie pariter & coma unguento delibutus, & quo tempore Rempublicam Athenienſem moderabatur, legumque urgebat obſervantiam, ipſe tamen licentiæ, & crapulæ totus erat addictus. Invitus tandem Athenis ſeſe proripiens, Thebas primum confugit, tum in Ægyptum apud Ptolemæum Soterem filium Lagi, Philadelphi patrem, ubi longo temporis ſpatio manſit (6). Author fuit Soteri ut filiis ſuis ex Euridice Regni hæreditatem relinqueret: ſed ille Philadelphum prætulit e Berenice natum. Quare poſt obitum Patris Philadelphus rerum potitus, Demetrium egit extorrem, atque ſub cuſtodia detineri præcepit, quoaduſque aliter de illo diſponeret.

Exilii tædium non ferens Demetrius, aſpidis morſu exitum ſibi exilii pariter & vitæ procuravit (7). Hæc Hermippus apud Laertium & Suidam. Quis porro credat, Philadelphum Bibliothecæ ſuæ curandæ munus Phalereo commiſiſſe? Bibliothecæ, inquam, tanto librorum numero inſtructæ? Ejus favore Principis pollere potuiſſe virum, & eo uſque pollere, quo Ariſtæas deſignat? virum ſcilicet illum, qui transferre a Philadelpho in alterum Regnum molitus fuerat? Quomodo hæc omnia cohæreant cum viri exilio, de quo tam expreſſe Hermippus apud Laertium, Suidam, & Ciceronem (8), non uno in loco?

Negotium etiam in Hiſtoricum faceſſunt ex numero voluminum, quæ comparaſſe ſe Demetrius venditabat: ad 200000. enim ſe collegiſſe dictitans, eum etiam numerum ad 500000. ſe aucturum pollicebatur. S. Epiphanius eum numerum reformat ad 54800. Joſephus Gorionides minuit, reddens 995. quibus, addit ille, quinque alia jungere Rex ille optavit, ut chiliadem haberet. Verum ſuggerentes Ariſtæas & Andreas, ut Sacros Judæorum Libros vertendos committeret, certum illum numerum provexerunt. Aulus Gellius l. 6. c. 17. in Bibliotheca Alexandrina, quo tempore ſub Julio Cæſare ſæviente bello Ægyptiaco arſit, recondita dicit ad 700000. voluminum; Seneca (9) habet 400000. Conſtat autem poſt Ptolemæum Philadelphum uſque ad ea tempora plura acceſſiſſe Bibliothecæ illi volumina. Inconſtans hæc de numero Librorum narratio, cum maxime ſatis repugnet hiſtoriis ceteris, conjecturam adverſus ejus hiſtoriæ ſinceritatem ſuppeditat. Unus eſt enim & uniformis veritatis character.

Si quis in unam pecuniæ ſummam conferat quidquid a Ptolemæo auri impenſum eſt in ea Verſione procuranda, ad 1200. talentorum ſupputabit, quibus conficiuntur librarum 2880000. pro ſingulis talentis 2400. libris computatis; quæ pecuniarum immenſa vis eſt pro ea re & ætate. Subolet etiam fabellam Feſtum illud a Philadelpho inſtitutum, ut memoriam rei feliciſſimæ, nempe receptorum Librorum, perennaret; ſicut etiam nonniſi errando aſſeruit Ariſtæas, incidiſſe pariter in eam diem triumphum acceptæ a ſe navalis Victoriæ in Antigonum, ſive quod eadem die exceptum fuiſſet nuncium ejuſdem victoriæ ſive quod annua ejus recurreret memoria; neque enim ad Ptolemæum Philadelphum referenda eſt victoria illa, ſed ad Ptolemæum filium Lagi, ejus patrem, qui poſt devictum Antigonum ad 22. annos vitam prorogavit.

Fabulam etiam demonſtrat perſona, quam in univerſo opere illo ludit Ariſtæas; ita enim ſe exhibet, quaſi ortu & Religione Paganum; cum interim in ſingulis paginis Helleniſtam ſe Judæum præferat, nec veri Dei nec Legum ignarum. Hebraiſmis ſtilus ejus undique ſcatens, inter Hebræos adoleviſſe virum prodit. Scriptæ a Philadelpho ad Eleazarum, ſicut viciſſim Eleazari ad Philadelphum litteræ, ac tandem ſupplex Demetrii Phalerei libellus eumdem ſtilum ſapiunt: quæ tamen ex originali tunc deſcripto accepiſſe ſe Ariſtæas profitetur. Quis plane non ſentiat ſuppoſitionem, cum fieri vix poſſit, ut tria variorum Authorum ſcripta ſtilum habeant uniformem? Supplex ille Phalerei libellus, utpote Scriptoris elegantiſſimi, & puriſſimi eloquii, nihil tamen refert dignum tanto Teophraſti diſcipulo. Ex his omnibus recta conſecutione deducitur, Ariſtææ ferme omnia ſuſpicioſa eſſe; & multo etiam minus perſuadibilia tradidiſſe S. Epiphanium, & S. Juſtinum Martyrem; & proinde quæ ex hiſtoriarum hujuſmodi authoritate deducta ſunt ad probandam Divinam Verſionis hujus inſpirationem, falſa eſſe vel ſaltem incerta.

Primi illi Authores, qui de Septuaginta habuerunt ſermonem nihil referunt, niſi de Verſione Legum Judaicarum, nempe totius Pentateuchi. Ariſtæas Libros Hiſtoricos & Propheticos ſilens, lectas tantum narrat coram Rege *Scripturas Legis*. Nec plura Philo; Joſephus vero aſſerit, non omnes Scripturas, ſed Libros tantum Legis Regi communicatos (10); quod opportune animadvertit S. Hieronymus (11): Ariſtæas, inquit ille, Joſephus, & omnis Judæorum Schola aſſerit verſos a Septuaginta tantum quinque Libros Moyſis. Et in Michæam ſcribens dicit, Textum Septuaginta loci illius, quem diſcutit, adeo ab Hebræo diſcrepare, ut fruſtra conciliarentur; ſi tamen, addit ille, Verſio iſta Septuaginta tribuatur, quibus nonniſi Legis Verſionem deberi aſſerunt cum Joſepho Judæi. Ubique autem alibi eum univerſæ Scripturæ Verſionem tribuere videtur Septuaginta, ſemper dubitans loquitur.

Patres nihilominus (12) & vulgo Chriſtiani Scriptores de veritate hiſtoriæ Septuaginta perſuaſi, tenent, Veteris Teſtamenti Scripturam omnem (nempe Libros Hebraice ſcriptos) Viris illis deberi. Docet inſuper S. Epiphanius (13), præter ſacros Libros Græce

(1) *De Septuag. Interpp.* (†) *De Animal. Sacr. l.* 2. *c.* 18. *pag.* 226. *num.* 30. 40. (2) *Vide Philonem lib.* 2. *de Vit. Moſ. Epiphan. de ponder. & menſ.* (3) *Pauſanias lib.* 1. *ſeu Attic. pag.* 12. *Athenæus Dipnoſoph. lib.* 13. (4) *Plin. lib.* 34. *cap.* 14. (5) *Duris lib.* 6. *Attic. apud Athenæum lib.* 12. *Dipnoſoph.* (6) *Hermippus apud Laertium lib.* 51. *Ita & Suidas in Demetrio.* (7) *Cicero pro Rabir. Aſpide ad corpus admota, vita eſſe privatum. Laert. loc. cit.* (8) *De Finibus lib.* 5. *& orat. pro Rabirio.* (9) *Senec. de Tranquill. animi c.* 9. *Quadringenta millia Librorum Alexandriæ arſerunt, pulcherrimum Regiæ opulentiæ monumentum.* (10) *Proœm. Antiq.* (11) *In Ezechiel. cap.* 5. *& Mich.* 2. (12) *Iren. Tertull. Clemens Alexandr. Epiphan. Hilar. Auguſt. alii paſſim.* (13) *De ponder & menſur.*

Græce pariter ab illis redditos 70. vel 72. Libros Apocryphos, facile illos, de quibus in quarto Eſdræ (1). Nec eo numero contentus Cedrenus aſſerit, Græce ab illis reddita ad 100000. Librorum Chaldaice quorumdam, aliorum Hebraice, Ægyptiace, & Latine ſcriptorum. Addit, in Verſione Hebraicorum Librorum impenſos 72. dies: rotundum numerum, nempe 70. ſervant Ariſtæas, Euſebius, & S. Cyrillus Alexandrinus.

Conſtat profecto Verſionem Pentateuchi multo exactiorem eſſe, quam ceterorum Scripturæ Librorum (2), ut diſtinctum Interpretem apertiſſime prodant. Diſcrepant profecto in ratione ejuſdem Hebraicæ vocis reddendæ, in Verſionis adornandæ methodo, cum alii litteræ Textus religioſe inhæreant, alii liberiorem ament Verſionem; non raro in Textu originali aliter legerunt, ac nos hodie; quorum lectio noſtra interdum correctior eſt, interdum minus. Conſule ea de re ingens Opus Ludovici Capellii, inſcriptum *Critica Sacra*, in quo infinitis pene congeſtis exemplis, receſſiſſe frequenter Septuaginta ab originali Textu demonſtrat. Criticorum alii uti D. Clericus (3), animadvertunt, non raro illos fortuito caſu, & per conjecturam vertere; inconſtantes eſſe maxime in reddenda una eademque Originalis voce; addere interdum, emendare, truncare aliquid e Textu, certas non ſemel voces omittere, aliquas ſupplere; Textum illum frequentiſſime corruptionem præferre, gloſſematis infercirı: quæ quidem omnia vitio interpretationi illi verterat S. Hieronymus non ſemel.

In pluribus Scripturæ Libris, ſive Septuaginta, ſive eorum Amanuenſes ordinem turbaruut adeo, ut cauſam ejus rei nemo divinaverit. Occurrunt in Pentateucho loca, ubi plenior eorum Textus, effuſior quam Hebraicus Judæorum; alia viciſſim, in quibus Textus Samaritanus potius, quam Hebræus præfertur (4); unde Viris doctis ſuſpicio nata (5), in Verſione ſua illos expreſſiſſe Textum Samaritanum; alii vero Samaritanorum Textum ad Septuaginta recenſitum, alii tandem ex pluribus inter Hebraicum Textum & eorum Interpretationem variantibus ſuſpicati ſunt, præ oculis habuiſſe illos Chaldæum (*), vel Syriacum. In Libro Joſue plura addunt Urbium nomina, quæ fruſtra in Hebræo (6). In Libris Regum, Proverbiorum, Eccleſiaſtæ, Job, & Prophetarum, ordo turbatus maxime, & variata plura; quarum rerum congruas rationes nemo adhuc uſque tradidit. Ordo etiam in minoribus Prophetis in Hebræo ſervatus, alter eſt in Septuaginta. Quarum ſane immutationum tanta eſt antiquitas, ut in vetuſtiſſimis etiam Mſs. appareant, ſicut & in editione Romana omnium abſolutiſſima, in qua tamen Critici [7] nonnulla obſervant, ab iis, quæ ex Septuaginta laudarunt Patres, diſcrepantia.

Nihil hic ego addendum cenſeo de notiſſimis illis additamentis in exordio Geneſeos, in quo Patriarcharum ætatem adeo Septuaginta deformarunt, ut, juxta eorum ſupputationem, mundi ante Jeſum Chriſtum duratio 2000. annis major eſſet, quam ferat Textus Hebraicus (8). Hæc porro non caſui, neque errori Amanuenſium credimus referenda, ſed induſtria adducta ſunt a ſcribentibus; quamquam plura alia occurrunt, ſive audaciæ, ſive incuriæ Amanuenſium deputanda; quæ facile emendarentur, ſi quis vellet variis collectis lectionibus optimas ſeligere, ut Textum reſtitueret.

Tredecim varia loca a Septuaginta de induſtria variata deſignant Judæi (9); ſed certo hoc numero multum abeſt ut credamus complexos illos ingentem inter duos hoſce Textus variantium farraginem. Aliquid ſibi aſſerendum cenſet S. Hieronymus (10), quod, ſi valido inniteretur argumento, fidei Septuaginta plurimum labis inferret; contendit enim viros illos doctos parum conſonam interdum originali interpretationem ſecutos, metu ne myſteria Paganorum auribus importabilia revelarent. Ita cum loca aliqua nacti eſſent, ubi de Patre, Filio, Spiritu Sancto apertior mentio, metu ne de multiplicitate Deorum accuſarentur Judæi, rem totam omiſerunt, ſive alio ſenſu reddiderunt. Hujus aſſertionis ſuæ documentum exhibet illis verbis Textus: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, quæ apud Septuaginta deſiderantur.

Sed hanc S. Hieronymi regulam generatim veram non eſſe fateamur oportet; & ſi quando vim originalis Textus minus referunt in ſua Verſione, adſcribendum id ſive rei obſcuritati, ſive ſcientiæ defectui, potius quam ex induſtria factum credimus. Vir ipſe Sanctus in Iſai. 17. obſervat, plurimum intercedere diſcriminis inter munus prophetandi & interpretem agendi, plurimum etiam cum interpres agitur ante Chriſti & poſt ejus adventum. *Illi interpretati ante adventum Chriſti, & quod neſciebant, dubiis protulere ſententiis; nos vero poſt paſſionem & reſurrectionem ejus non tam prophetiam, quam hiſtoriam ſcribimus.*

Idem vir Sanctus (10) alibi obſervat, Septuaginta interdum parum exacte vertiſſe, ne gentis ſuæ probra & minorem in Deum fidem proderent. Alio in loco (11) defendit, caviſſe illos ſedulo, ne Sacra Scripturarum myſteria, & quæ maxime ad Jeſu Chriſti ortum pertinent, revelarentur Philadelpho, viro Platonicis myſteriis initiato; metuentes inſuper, ne occaſionem darent Pagano illi ſuſpicandi, Judæos ſecundum Deum aliquem credere. Alibi etiam (12) abſterritos illos dicit, ne redderent verba illa Textus: *Vocabitur admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Quæ nominum majeſtate*, ait, *perterritos Septuaginta, reor non eſſe auſos de puero dicere, quod aperte Deus appellandus ſit.* Addit (13), eos Præceptorum Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſu prorſus deſtitui in verſione Danielis, qui præferendam editionem Theodotionis, parum emendatæ Septuaginta reputabant.

Tandem obſervat [14], Evangeliſtas & Apoſtolos cum ſententiam aliquam Scripturæ laudant, ſi nihil eſt inter Hebræum & Septuaginta diſcriminis, plerumque ſeu verba ipſa Septuaginta referre vel ſenſum; ſi quæ autem eſt inter utrumque diſcrepantia, tum Hebraicum præferre. Claudit hæc omnia tandem: *Æmuli noſtri doceant aſſumpta aliqua de Septuaginta teſtimonia, quæ non ſint in Hebræorum litteris, & finita contentio eſt.*

(1). 4. *Eſdr.* 14. 45. 46. *Poſteriores vero 70. conſerva, ut tradas eos Sapientibus in populo tuo. In his enim eſt vena intellectus, & ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen.* (2). *Hieron. proleg. in qq. Hebraic. in Geneſ. Quos nos quoque confitemur pluſquam ceteros cum Hebraicis conſonare.* (3). *Comment. in Pentateuch. & in libros Hiſtoricos in Indice, v. Septuaginta.* (4). *Vide Geneſ.* 4. 8. & 19. 12. & 20. 16. & 23. 2. & 24. 55. 62. & 26. 18. & 29. 27. & 35. 29. & 39. 8. & 41. 16. 43. & 43. 26. & 49. 26. *Exod.* 8. 3. &c. (5). *Selden. Poſtell. apud Vandal. c.* 22. *in fine.* (*). *Phil. l.* 2. *de vita Moſ. R. Azarias l. Imre Binach.* (6). *Vide Joſue* 15. 59. & 21. 36. 37. (7). *Vide Serar. proleg. c.* 17. *q.* 21. *Bonfrer. proleg. in S. Scriptur. c.* 2. *ſect.* 8. *Morin. exercit.* 9. *c* 3. (8). Ab exordio Mundi uſque ad Jeſum Chriſtum ſupputamus 4000. annos, cum juxta Septuaginta recenſendi eſſent 5856. Diluvium conſignamus juxta Hebræum ad annum 1656. & juxta Septuaginta ad 2256. (9). *Talmud Jeroſolym. tit. Megilla. Item Talmud Babyl. ſub eodem tit.* (10). *Prolog. in Pentateuc. ad Deſider.* (11). *In Iſai.* 17. (12). *In Prolog. quæſ. Hebraic. in Gen. Vide in Iſai. c.* 2. *pag.* 30. *nov. edit.* (13). *In Iſai.* 8. *ad fin. l.* 3. *pag.* 86. (14). *In Daniel.* 4. *pag.* 1088. *nov. edit. & Apolog. contra Rufin. l.* 2. *pag.* 431. *Quorum (Septuaginta) ſi in iſto libro editionem dixi multum a veritate diſtare, & recte Eccleſiarum Chriſti judicio reprobatum, non eſt mea culpa; qui dixi, ſed eorum qui legunt.* (15). *In Iſai. l.* 15. *Proœm. & Apolog.* 2. *contra Rufin.*

DISSERTATIO
IN VULGATAM.

Vulgatæ ſeu *Editionis Vulgatæ*, aut *Vulgatæ Latinæ* nomine deſignamus Latinum Bibliorum Textum, quem Concilii Tridentini oraculum declaravit authenticum, & cujus eſt apud nos in ſcribendis Libris & concionibus ad populum habendis uſus: uno verbo, Verſio eſt omnium familiariſſima in omnibus Romanæ Communionis Eccleſiis, quæ Latinorum Officium ſequuntur. Cum Libri omnes utriuſque Teſtamenti Hebraice vel Græce ſcripti fuerint, brevi factum eſt, ut propagata, vel coaleſcente primum Chriſtiana Religione, quo tempore Romanorum Imperium, cui Latinus ſermo maxime omnium vernaculus, ſuperiora obtinebat, brevi, inquam, factum eſt, ut ſacri Libri maximum Religionis noſtræ momentum Latinis litteris traderentur. Et ſi enim Græcæ linguæ uſus familiariſſimus Provinciis Romanæ ditionis pariter habebatur, nec Romæ eſſet extraneus, plures nihilominus in iis regionibus occurrebant, apud quos præter Latinum idioma ignota omnia, ut eorum ignorantiæ nova in Latinum Sacrorum Bibliorum Verſione ſuccurrendum fuerit.

Sed quando, & a quo Verſio illa? Id ſane numquam exacte definiretur. Judæi, frequentiſſimi licet Romæ & in Italia ante invectam Chriſtianam Religionem verſantes, numquam tamen commiſerunt, ut Latinam Veteris Teſtamenti Verſionem traderent; vel ſaltem nullo argumento tradidiſſe demonſtrarentur. Primi igitur, quos noverimus, Authores Opus ſuum e Græco expreſſerunt; cum interim Judæus aliquis interpres ex Hebræo duxiſſet. Ad hæc, Judæi omnes, cum e Græcia & Oriente veniſſent, & una ſecum Græcæ linguæ uſum retuliſſent, erat enim poſt victorias Alexandri Magni Græcæ linguæ uſus in Oriente familiaris; quid habuiſſent opus Latina aliqua Verſione? Porro illi tum familiaribus, cum domeſticis ſermonibus Græce loquebantur, quemadmodum hodie uſque apud illos obtinet, ut domi ſaltem, & cum ſuis ſermonem retineant earum regionum, unde venerunt, familiarem. Quare ſi minus poterant Hebraicas Scripturas legere, Græcas ſaltem non habebant impervias; ut nihil illis opus fuiſſet Latinæ alicujus Verſionis. Valet etiam in eam rem inſitum Judæorum ingenium, qui communicare exteris Divinas Scripturas refugerent, veriti ne nota aliqua majeſtati & dignitati Divinorum oraculorum irrogaretur, ſi Verſiones facile multiplicarentur. Quid non obmurmuraverunt Judæi hebraizantes in Græcam Verſionem? Nec ſane niſi pleni diſcriminis res eſt, ſi tanti momenti Libri vulgatim manibus permittantur: quanta quanta enim ſit Interpretis fides, ſemper tamen aliquid ab Originali deficit.

Verum Apoſtoli eorumque Diſcipuli, alterius Spiritus ductum ſecuti, cum ſumma tenerentur quidem in Libros Sacros veneratione, ſed zelo pariter propagandi veram Religionem arderent, non in eo tantum operam contulerunt ſuam, ut Jeſum Chriſtum annunciarent, ſed hoc maxime ſtuduerunt, ut traditis vulgari linguæ Divinis Scripturis, veritatem magis magiſque promoverent. Hinc inundans ille Verſionum Latinarum torrens in prioribus Eccleſiæ ſæculis: *Qui enim*, ait S. Auguſtinus de Doct. Chriſt. l. 2. c. 11. n. 16. *Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari poſſunt, Latini autem Interpretes nullo modo.*

Ut enim cuique, proſequitur vir idem Sanctus, *primis fidei temporibus in manus venit Codex Græcus, & aliquantulum facultatis ſibi utriuſque linguæ habere videbatur, auſus eſt interpretari.* Numquam ætate illa ſuccurrit, ut ex Hebraico fonte pro Veteri Teſtamento potarent; minus enim Hebræum vel Judæi ipſi callebant: minus etiam indigere ſe Originali perſuadebantur veteres illi Fideles, quibus ad manus erat Verſio Septuaginta, Apoſtolorum uſu & authoritate Synagogarum totius mundi, Palæſtinæ etiam & Jeruſalem probata. *Ex hac Septuaginta Interpretatione etiam in Latinam Linguam interpretatum eſt, quod Eccleſia Latina tenens* (1).

Hac Verſionum totidam Authorum multitudine per omnes late regiones Latini ſermonis inundante factum eſt, ut ad promovendam veræ Religionis cauſam multum id eſſet adjumenti. Quæ enim antea intra anguſtos tantummodo Judaicæ Religionis limites continebatur, veritas per omnes late gentes diffuſa eſt. Sed commodum illud non minori incommodum repenſatum; cum multitudine Verſionum & Exemplarium plura gliſcerent in Sacris Libris menda, Amanuenſium oſcitantia, & audacia Scriptorum inducta. *Cum apud Latinos*, ait S. Hieronymus Præfat. in Joſue, *tot ſint Exemplaria fere quot Codices, & unuſquiſque pro arbitrio ſuo vel addiderit, vel ſubtraxerit, quod ei viſum eſt.*

Sed inter affluentia ejus generis Scripta, ſemper tamen ſingularis unius Verſionis ubique obtinentia authoritas præſtabat. Hanc Veteres diſtinguebant nomine *Italica*, vel *Itala* (2), *Communis* (3), & *Vulgata* (4), & quæ deinde, poſt inductam a S. Hieronymo novam ex Hebræo Verſionem, *Vetus* appellata eſt (5). Porro Itala hæc Verſio e Græco adornata, inter cæteras *Verborum erat tenacior, cum perſpicuitate ſententiæ.*

Quamquam autem hæc communi probaretur aſſenſu, & ad primum facile Eccleſiæ ſæculum pertinceret, de genuino tamen ejus Authore nihil huc uſque exploratum eſt; certe quidem ſive Apoſtoli alicujus, ſive e prioribus illorum Diſcipulis cujuſpiam credimus. Nec niſi veriſimiliter perſuaderemur, plurium Scriptorum opera totum illud Opus coaluiſſe, ut e. g. alius Hiſtoricos Libros, alius Pſalmos, & Libros Sapientiales verteret. De ſtili uniformitate judicium tum maxime ferri poteſt, ſi integra ea Verſio noſtra ætate reſtaret; ſed cum nihil de illa, niſi Pſalmi, Libri Sapientiæ, & Eccleſiaſtici, ac errantia quædam fragmenta in Libris Patrum & in Mſs. nonnullis ſuperſint, via tutum duceretur ex illis judicium. Pſalmi in Latinis Bibliorum noſtrorum Codicibus veterem Vulgatam ſatis exacte non referunt; hanc enim ſemel & iterum, ad Pſalmos quod attinet, recenſuit S. Hieronymus, cujus correctionis portionem adoptavit Eccleſia, & in Pſalterio retinuit; reliqua cum veteri Italica congruunt. Conſule Diſſertationem noſtram in Textum & Verſionem ſingulorum Pſalmorum.

Vetus Italica Pſalmorum Verſio manſit in Eccleſia Romana uſque ad Paulum V. qui Vulgatam ſubſtituit. Sed vetus Romanum Pſalterium perſeverat hodie uſque in Eccleſia Vaticana, & S. Marci Venetiarum. Quod canitur Pſalterium in Eccleſia Mediolanenſi nec Vulgatæ noſtræ, nec Veteri Italicæ congruit; ſed Verſio eſt alia, ad Romanam magis, quam ad Vulgatam accedens.

Manent etiam e veteri Vulgata Liber Sapientiæ, Eccleſiaſtici, gemini Macchabæorum, Prophetia Baruch, Epiſtola Jeremiæ, additamenta ad calcem Eſther, ſicut etiam tertiumdecimum, & decimum quartum caput Danielis, Canticum trium puerorum, quod in Hebræo & Chaldæo deſideratur. Credimus autem

(1). *Auguſt. l. 18. de Civit. c. 43.* (2). *Auguſt. de Civit. l. 18. c. 15.* (3). *Hieronym. Epiſt. ad Pammach.* (4). *Oroſ. Apolog. de liber. arbitr.* (5). *Gregor. Magn. Præfat. in libb. Moral. in Job.*

autem non inviti, uni eidemque Authori deputandam Libri Sapientiæ & Eccleſiaſtici Verſionem; cujus rei non levis conjectura ducitur ex ſingulorum verborum & phraſium utrinque affinitate: ita *honeſtus* uſurpatur pro divite, *honeſtare* pro ditare; *reſpectus* ſive *viſitatio*, eſt Dei ultio & pœna inflicta; *ſupervacuus*, noxius; *ſupervacuitas*, vanitas; *monſtra*, miracula; *interrogatio*, punitio. Porro Author illo ita litteræ inhæret, ut verbo verbum reddat, ſermonis ornamentis & Latinæ linguæ cultu penitus neglectis. Ita nec genus nominum ſatis obſervat, ut in illo Sap. 1. 7. *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis*. Poſtquam enim Græcum *Pneuma* quod neutri generis eſt, reddidiſſet Latine *Spiritum*, qui generis eſt maſculini, de Spiritu, tamquam ſi neutrius eſſet generis, ſermonem proſequitur. Author Verſionis Eccleſiaſtici plura inſerit in Textum, ſive gloſſas de ſuo additas maluerit, ſive geminatas ejuſdem ſententiæ interpretationes, eo forte conſilio adjectas, quod ne unica verſione ſatis reddidiſſet ſenſum Textus Originalis, ambigeret.

Ad novum Teſtamentum quod attinet, Verſio Italica ante S. Hieronymum obtinens quatuor Evangeliorum in Mſ. quondam Corbejenſi nobis occurrit: manca quidem in Evangelio S. Matthæi, cui uſque ad caput 12. omnia deſiderantur; in reliquis vero integra. Noſtræ defectum ſupplet Evangelium S. Matthæi ex eadem Verſione ad tria vetera Mſs. collatum, quod publici juris fecit R. P. D. Martyanæus. Teſtatur Lucas Brugenſis [1], in Mſ. Abbatiæ Malmedy ſupereſſe ejuſdem Verſionis Italicæ S. Pauli Epiſtolas. Epiſtolam S. Jacobi, & Tobiam pariter ac Judith vulgatas habemus ex editione P. Martyanæi; ex quibus veluti prælndiis ſpes datur aliquando futurum, ut integrum utriuſque Vulgatæ Opus, vel ſaltem Novi Teſtamenti omnino teneamus.

In Libro quatuor Evangeliorum, cujus varias lectiones dedimus ad calcem noſtri Commentarii in Apocalypſim, plura occurrunt non levia ſane momenti varientia, quæ pariter in vetuſtiſſimis Græcis Mſs. recurrunt. Ita e. g. Matth. 20. 28. legitur: *Vos autem quæritis de puſillo creſcere, & de majores minores eſſe: intrantes autem & rogati ad cœnam, nolite recumbere eminentioribus locis, ne forte clarior te ſuperveniat, & accedens qui te vocavit ad cœnam, dicat tibi: Adhuc deorſum accede, & confundaris. Si autem in loco inferiore recubueris, & ſupervenerit humilior te, dicet tibi qui te vocavit ad cœnam: Accede adhuc ſuperius; & erit hoc tibi utilius*. Poſt S. Matthæum ſuccedit Evangelium S. Joannis, ubi variantia non levia momenti; e. g. diſcrepat hiſtoria mulieris adulteræ, in verbis tamen, quamquam reipſa congruit: cap. 21. 22. legit: *Si ſic volo eum manere donec venio, quid ad te?* 23.... *Sed volo manere donec veniam, quid ad te?* Excipit Evangelium S. Joannis S. Lucas vel Lucanus, ita enim Mſ. Inter variantia plurima animadverſione pariter dignum eſt illud duorum Diſcipulorum iter habentium ad vicum 60. ſtadiis a Jeruſalem (2); alterius nomen exprimit Cleopham alterius Emmaum; quod pagi nomen viro collatum Amanuenſium incuria videtur. Fateamur tamen oportet hanc lectionem vetuſtiſſimam eſſe, quippe quam ſequitur non ſemel in ſuis Operibus S. Ambroſius (3).

Veteris hujus Vulgatæ ſtilus impolitus eſt maxime, nec eam præſefert eloquii Latini puritatem ſæculis illis, quibus edornata creditur, peculiarem; unde quorumdam ſuſpicio, recentiorem eſſe quam vulgo creditur. Sed incompti hujus ſermonis gemina afferri poteſt ratio: 1. Simplicitas, & ſi fas eſt dicere, barbaries Originalium, quæ Latino ſermone exprimebantur: etſi enim Hebraica Originalia e. g. totam referant aviti ſermonis elegantiam, inconditam tamen referunt barbariem, ex quo ad litteram

Diſſert. Calmet Tom. II.

in Græcum ſive Latinum transformantur: quo enim eleganti Latino ſermone elegans aliquod ſcriptum reddatur, & genius & phraſes omnes deſerendæ ſunt. Hanc vero ſibi libertatem numquam ſibi permiſſam cenſuit Sacrorum Librorum Interpres, neſas eſſe ratus, ſi ut aures delicatulorum mulceret, veritatem interpretationis ſuæ fidemque in diſcrimen revocaret.

2. Temnebant pariter Apoſtoli, & primi eorum Diſcipuli omnem humanæ ſapientiæ & eloquii pompam; ex quo factum, ut pedeſtrem illi & vulgarem ſtilum præferrent. S. Paulus, cujus ſponte fluens, & nulla arte exculta eloquentia omnium in ſe admirationem convertit; etſi poſſet ingenii ſui præſtantia primas tenere, qua in eloquentia, qua in granditate conceptuum, caviſſe ſe tamen profitetur, ne in prædicatione Evangelii veritatem traderet: *in ſapientia verbis, ut non evacuetur crux Chriſti*: ne ſcilicet eloquentiæ pellectu, & non potius crucis virtute traxiſſe ad ſe auditores crederetur (4).

Addit, Deum in Eccleſiæ ſuæ conſtitutione ſtultam feciſſe ſapientiam hujus mundi; nam *placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes. Quia quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*. Addit: *Stulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt, deſtrueret*. Eodem animati Spiritu priores illi Fideles omnem humanæ eloquentiæ pompam & nimis affectatum verborum delectum perinde habuerunt, ac nihil. Qui enim in ceteris illorum omnibus obtinebat ſimplicitatis, paupertatis demiſſi animi, & contemptus mundi ſpiritus, idem pariter referebatur in eloquio.

Apoſtoli plerumque e cenſu pauperum & rudium, quantum ad litteras humanas pertinet, ſelecti ſunt; Diſcipuli item a Præceptoribus non diſſimiles; & quare illi ſapientia hanc ſibi methodum in Verſionem Librorum Sacrorum prætulerint, eventu monſtrante intelligimus. Plus enim ſimplicitate ſua & eloquii ruditate reducendo ad fidem orbi ac perſuadendis viris doctiſſimis valuerunt, quam ſi omni Philoſophorum & Oratorum eloquentia perorarent. Sentimus nos etiam hactenus, quantum trahendis animis plus valeat ſimplex Scripturarum ſtilus, quam ſi eloquii & phraſium elegantia veſtitus ad ſui amorem invitaret.

D. Mille, qui 30. annorum ſtudium contulit expendendo Textui & Verſionibus Novi Teſtamenti, animadvertit, veterem Italicam non unius Interpretis opus fuiſſe, ſed ſingulis Scriptoribus ſingulos ejus Libros deberi. Aſſerit, Interpretem S. Matthæi ad ſervitutem uſque Textui inhæſiſſe, ut non verbum tantum verbo redderet, ſed & ſyntaxim ipſam, genus nempe, caſum &c. Græci Textus retineret, ut illud: *Si fuerit homini* 100. *oves* (5), pro *Si fuerit*; & *Dominantur eorum & principiantur eorum*, & *Repleta ſunt nuptiæ diſcumbentium* (6). *Non nubunt neque nubuntur* (7); quæ omnia ſyntaxeos habenda ſunt Græcæ potius quam Latinæ.

Porro Scriptor iſte, quicumque tandem fuerit, alius videtur ab Interprete S. Marci, qui poſterius Græcam eamdem vocem aliter reddit, & Latini paulo tenacior eſt. Interpres S. Matthæi reddit Græcum *Nymphonos*, Sponſi, S. Marci vero: *Nuptiarum*. Primus habet: *Quid labores præſtatis?* Alter: *Quid moleſti eſtis* [8]? S. Matthæi Interpres legit: *plantavit*, S. Marci 12. 1. *pertinavit*. Barbara quædam illi objicit D. Mille, ut: *Accuſabant eum multa*: &, *Majus horum aliud mandatum non eſt*: &, *communitare*, pro inquinare. Interpres S. Lucæ adhuc pariter e geminis illis alter eſt, quamquam eodem cum prioribus conſilio & Textui ſerviat, & Latinæ Syntaxeos leges negligat ſæpiſſime. Reddit, *diverſorium*, (9), quod Interpres S. Marci habet, *Refectio*; &, *amphora*, quod ille Lagena; &, *Multis paſſeribus differtis*

(1). *Profat. in Annot. Bibl. t. 4. par. 2. pag. 32. col. 2. nov. edit.* (2). *Luc.* 24. 13. (3). *Ambroſ. Apolog. David. l. 2. c. 8. p. 513. in Lucam* 12. *pag.* 148. *in Symbol. c. 29. de tempore ſerm. 19. pag. 15. C.* (4) 1. *Cor.* 1. 17. *&c.* (5). *Matth.* 18. 12. (6) *Matt.* 22. 10. (7). *Matth.* 22. 30. (8). *Marc.* 14. 6. (9). *Luc.* 22. 11.

vos, quod Interpreti S. Matthæi eſt, *Multorum paſſerum ſuperpoſitis vos*. Ad barbariſmos quod attinet, obſervat: *Cœperunt ab una omnes ſe excuſare* (1); & *Illuminare his, qui in tenebris &c.* &, *Nihil vos nocebit*; &, *Vapulabit multus*.

D. Mille eadem cenſet de Interprete S. Joannis ac de Interprete S. Lucæ, inhæſiſſe nimirum ad ſervitutem uſque Textui, delectum & elegantiam ſermonis neglexiſſe; diſcrepaſſe autem a ceteris, quod Græca verba aliter reddat.

Suſpicatur autem, Interpretem Actuum Apoſtolorum cum Interprete S. Lucæ confundendum; reſpondet enim utrimque methodus & eorumdem verborum interpretatio, ac tandem interpretandi ſtudium idem. Majorem in ſcribendo diligentiam & exactiorem vertendi curam obſervat in Interprete Epiſtolarum S. Pauli; cum tamen ea ætate nulla eſſet in Græcis Scriptoris accentuum & punctorum ratio; ex quo facile in errorem Interpretes adducti ſunt, quos accurata accentuum & punctorum methodus indicaſſet. Defuiſſe credit omnia, ingenium ſcilicet, & exacte ſcribendi diligentiam, ac tandem Græci Exemplaris accuratam Scripturam Interpreti Epiſtolæ ad Coloſſenſes. Nec minora exprobrat Interpreti Epiſtolarum ad Titum & Timotheum, quem Textui ſuo non ſemper inhæſiſſe accuſat, & aliquando ſenſum potius quam verba reddidiſſe. Alter eſt ab his omnibus Author Verſionis Epiſtolæ ad Hebræos, quamquam non alius ab illis characteribus diſtinctus; Textui nempe ad religionem uſque ſerviens, Syntaxeos negligens, & eloquii nitorem ſane non affectans. Viciſſim autem ſummis laudibus celebrat Apocalypſis Interpretem, veluti exactiſſimum, & Textui ſumma fide inhærentem.

Quæ S. Hieronymo ſub exitum quarti ſæculi novæ inſtituendæ Verſionis conſilium ingeſſit, alia ſane fuit ratio, quam Latinæ Verſionis pedeſtris & barbarus ſtilus: ipſe enim S. Doctor certe nec ſelectui verborum ſtuduit, id unice ſpectans, ut ſenſum Textus exactiſſime redderet. Ita ipſe ea de re pluribus in locis (2). Ut igitur id ſuſciperet laboris, plurium Scripturæ ſcientia inſignium Virorum precibus inductus, eſt; quorum pariter authoritati id ponderis acceſſit ad perſuadendum, quod Exemplaria Latina plerumque mauca eſſent, & corrupta, ut ſenſum & ſpiritum Originalis raro admodum exprimerent. Verſionum parum inter ſe cohærentium multitudo, & eorum audacia, qui eum recenſendos iterum ſacros Libros ſuſcepiſſent, addere & mutilare plurima (3) auſi ſunt, tantam in Exemplaria tum confuſionem tum corruptelam induxit, ut huic malo tandem occurrendum viris quibuſdam in Eccleſia ampliſſimis videretur.

Alia ſe pariter cauſa inductum ad opus ſuſcipiendum ſignificat S. Hieronymus, quod ſcilicet Judæi Chriſtianis exprobrarent malam in Scripturis fidem, quippe qui non niſi ex Textu Septuaginta illas laudarent (4). In diſceptationibus Judæorum cum Chriſtianis Judæi ſemper Textum Originalem crepabant; quare arma illis tollere viſum eſt, expreſſa ad Textum originalem Verſione: *Ne Judæi de falſitate Scripturarum Eccleſiis Dei diutius inſultarent* (5). Manum ad opus admoventi non parum laborandum fuit, quod ſycophantarum calumniis impeteretur, quod pariter virorum quorumdam ſapientium incurriſſet invidiam, ne quid crearetur incommodi ex nova ejus Verſione in authoritatem Septuaginta metuentium; obtinebat enim tunc temporis apud multos perſuaſio, divinam eſſe Verſionis hujus authoritatem, ejuſque depoſitum velut ab Apoſtolis acceptum ſancte ab Eccleſia ſervari. Porro vir ille Sanctus tot inſtrvis conſilii ſui, multis improbati, apologias, quot ad ſingulos Libros præfationes.

Cum autem S. Doctor precibus tantum amicorum ſollicitatus ad ſcribendum ſeſe conferret, tantum ſingulis vicibus vertebat, quantum amici precario impetraſſent; quare nec continuato labore opus ſuum abſolvit, nec a prioribus Scripturæ Libris exorſus eſt. Primum omnium ſuſcepit correctionem Pſalterii ad Græcum; ſuſcepit autem Romæ verſans ſub Damaſo Pontifice circa, annum 382. 383. Cum vero priſtina recitandorum Pſalmorum juxta veterem lectionem habitudo ſupra novam correctionem S. Hieronymi invaluiſſet, nihil ferme ex ejus labore acceſſit commodi. Quare, rogantibus Paula & Euſtochio, poſt aliquot annos cum Bethlehem moraretur, circa annum 389. opus iterum exorſus eſt. Quo vero utilius illud redderet & correctius, obelis & aſteriſcis, ad imitationem Origenis, Verſionem ſuam notavit, ut quid abundaret, quid deeſſet in Septuaginta ſupra Hebræum, indicaret. Porro obelis deſignabatur, quid deeſſet in Hebræo; aſteriſcis, quid abundaret in Septuaginta. Huic Sancti Viri labori, quamquam par fructus non reſpondit, ſua tamen fuit utilitas, quod ſcilicet majoris momenti erratis Textus Pſalmorum expurgaretur. Ex hac ejus correctione & Veteri Italica compingitur editio Vulgata Pſalmorum, qui uſu quotidiano cantantur, & in noſtris Bibliis ſervati ſunt. Verum purus ille, qualis ſub lima S. Doctoris, Textus ſervatur tantummodo in vetuſtis quibuſdam Mſs. ex quibus editiones quædam adornatæ, nuſpiam vero in Bibliis.

Præter correctionem Pſalterii ad normam Septuaginta, recenſenda pariter duxit Proverbia Salomonis, Eccleſiaſtem, Canticum Canticorum, Librum Job, & Paralipomena; quos tantum Libros deſignare illum conſtat ſubinde, dum aſſerit, generatim correxiſſe ſe Textum Septuaginta (6). Sed ejus correctionem minus curamus in præſentia, quam Verſionem Veteris Teſtamenti ex Hebræo, & Novi ex Græco; qui ſcilicet S. Viri labor ſub Vulgatæ nomine innoteſcit.

Reddidit ille primo quatuor Libros Regum (7), quos appellamus; ſive Libros Samuelis & Malachim quemadmodum nuncupant Hebræi; rogantibus SS. Paula & Euſtochio. 2. Vertit Librum Job, deſtinatum, quantum capimus, Marcellæ matronæ Romanæ. 3. Inſtantibus SS. Paula & Euſtochio conceſſit majores & minores Prophetas, & aliquandiu poſt Libros Eſdræ. 4. Tradidit ex Hebræo Pſalterium, quod Græce vertendum commiſit Sophronio. 5. Ad Hebræum expreſſit Libros Salomonis, ſcilicet Proverbia, Eccleſiaſtem, & Canticum Canticorum, urgentibus impellentibuſque geminis Epiſcopis Heliodoro & Chromatio. 6. Poſcente Deſiderio, ex amicis intimo, vertendos ex Hebræo ſuſcepit Libros Pentateuchi; quod tamen Opus prolixum ſatis, non niſi pluries intermiſſum, tandem abſolvit. 7. Euſtochium obtinuit illo precario Verſionem Joſue, Judicum, Ruth, & Eſther. 8. Tandem Librorum Paralipomenon debemus Chromatii ſollicitationibus.

Exactum ſingularum Verſionum tempus definire fruſtra laboraremus. Illud tamen conſtat, quatuor Libros Regum, Job, Majores & Minores Prophetas, Pſalmos, & Libros Salomonis prævertiſſe annum J.C. 340. Libri Eſdræ, & Geneſis, temporis ſpatio inter annum 392. & 394. Latine redditi ſunt; nec ante annum 404. vel 405. abſolvi potuit reliquum Pentateuchi, nempe liber Exodi, Levitici, Numerorum & Deuteronomii (8). Circa eadem tempora, nempe poſt annum 404. vertit Libros Joſue, Judicum, & Ruth. Verſionem Paralipomenon non abſolvit niſi anno 396. Hæc omnia inſinuant Epiſtolæ, & Præfationes S. Doctoris, ut proinde epocha noſtræ Vulgatæ conſtitui poſſit ſub exitum quarti, & quinti ſæculi initium.

Tanto

(1). *Luc.* 14. 18. (2). *Præfat. in Chronic. Euſeb. Vide & in cap.* 40. *Ezech.* (3). *Hieron. Præfat. in Paralipp. Item Præfat. in Eſdr. in Job in Joſue.* (4). *Vide Hieron. ad Chromat. Præfat. in Paralip. & ad Sophron. Præfat. in Pſalt.* (5). *Præfat. in Iſai.* (6). *Vide ſecundum Prolegomenon ad novam Editionem S. Hieronymi.* (7). *Vide Prolog. Galeat. in Libb. Reg. & R.P.D. Joan. Martian. Proleg.* 11. *in nov. edit. S. Hieronym.* (8) Hæc Opera non abſolvit niſi poſt obitum S. Paulæ quæ diem clauſit anno 404. *Vide ejus præfationem in Joſue.*

Tanto Operi ſuſcipiendo contulit vir Sanctus ingens in linguis Græca Hebraica & Chaldæa ſtudium (1): paraverat ſuſuper inſtructiſſimam in Bethlehem Bibliothecam, atque non infimam poſuerat curam, ut Sacros Textus omnes, & omnes pariter antiquas Verſiones colligeret. Profecto dum ejus Latina Editio cum vetuſtiſſimis Verſionibus Aquilæ, Symmachi & Theodotionis comparatur, intelligimus ſtatim, quantum eorum labore, & maxime Symmachi, quem ducem ſæpiſſime ſequitur, Vir ſanctus profecit. Laboranti erant ad manus Hexapla Origenis, uno oculorum conſpectu exhibentia cum Hebraico Textu quatuor illas Verſiones, Septuaginta, Aquilæ, Symmachi, & Theodotionis; quæ omnia loco eſſe poterant noſtrorum Polyglottorum, Dictionariorum, & Interpretum. His adjumentis non difficili negotio viro eruditiſſimo & linguarum ſcientia exculto, qui doctiſſimos Judæos conſulebat (2), nec deſtitutus erat optimis Chriſtianorum Scripturæ Interpretibus, non difficili, inquam, negotio opus ſucceſſit ea felicitate, qua aliud numquam. Itaque affirmandum jure ſuſcipimus, hanc S. Hieronymi e Græco & Hebræo Verſionem Opus eſſe in ſuo quidem genere abſolutiſſimum; & oblatrantibus licet in illam ejus adverſariis, ſummum tamen habebit in mentibus præjudicio vacuis, & rerum cognitione præſtantibus, locum. Agente adhuc in vivis S. Doctore, Verſionum illius ex Hebræo portionem Græcis literis tradidit Sophronius (3): & viri alii non infrequentes, inter quos S. Auguſtinus, inſtiterunt vehementer, rogaruntque, ut adornatas ad Textum Septuaginta interpretationes alias daret: *Ut tanta Latinorum Interpretum, qui qualeſcumque unſi ſunt, quantum poſſumus, imperitia careamus* (4). Ejus Pſalterium ad Hexapla correctum, ſummo favore exceperunt Romani (5); & S. Auguſtinus in ſuis ad Job animadverſionibus non veteres Græcos Interpretes, ſed Latinam ad Græcum S. Hieronymi Verſionem ſecutus eſt.

Majori etiam ſtudio excepta eſt in Eccleſiis Latinis ejus ex Hebræo Verſio. Vitio S. Doctori vertit Rufinus, quod Opus illud ſuum mitteret ad Urbes, Pagos, Eccleſias, & Monaſteria (6); ſatis id argumenti ad inſinuandum ſummum omnium in Verſionem illam ſtudium, & quantum e veteri illa æſtimatione pro authoritate Interpretationis Septuaginta deceſſiſſet, cum multum inter illam & Hebraicam veritatem diſcrepare, palam omnibus factum eſt.

Teſtatur S. Auguſtinus (7), Africæ quoſdam Epiſcopos jam inde ante an. 403. inſtituiſſe, ut in Eccleſiis ſuis Verſio Latina S. Hieronymi legeretur. Lucinius Hiſpanus, vir in Scripturas Sacras religioſiſſimus (8) ſex Notarios ſuos Bethleem anno 394. miſit, quo traditas compendiariis notis ejus Verſiones & cetera opera excipientes, ad ſe referrent. Heſychius Presbyter Jeroſolymitanus ejuſdem ætatis circiter, Græce licet ſcriberet (9), Verſionem tamen S. Hieronymi ex Hebræo laudat; & S. Auguſtinus, quamquam huic S. Doctoris Operi olim iniquior, adeo deinde probavit, ut *Speculum* ſuum, Opus conſertis pluribus moralibus Scripturæ ſententiis congeſtum, quo Fidelibus a vulgo lectioni totius Scripturæ imparibus ſerviret, non ad aliam, quam ad Hieronymi Interpretationem adornaret.

Philippus Presbyter, S. Hieronymo coævus, in ſuo Commentario in Job Verſionem præfert S. Doctoris. S. Gregorius Magnus (10) teſtatur, utramque Verſionem, veterem nempe e Septuaginta, & S. Hieronymi ex Hebræo, familiarem fuiſſe in Eccleſia Romana; ipſe vero, quamquam in Commentario in Job Verſionem Hieronymianam ſequitur, interdum tamen & de Verſione Septuaginta repetit teſtimonia: *Nunc novam, nunc veterem per teſtimonia aſſumo, ut quia Sedes Apoſtolica utraque utitur, mei quoque labor ſtudii ex utraque fulciatur*. Satis tamen luculenter exprimit, primum ſe locum dare Verſioni S. Hieronymi, cum omnium fideliſſimam affirmet (11); & alibi pariter aſſerat (12), oportere fidem illi adhibere, utpote quæ congruat Originali.

Ita veluti per gradus aucta Hieronymianæ ex Hebræo Verſionis authoritas, ſola tandem obtinuit in Eccleſia, quemadmodum paulo recentior S. Gregorio S. Iſidorus Hiſpalenſis (13) inſinuat: *Cujus Editione* (Hieronymi) *omnes Eccleſiæ uſquequaque utuntur*. Porro S. Iſidorus florebat circa annum 630. annis circiter 25. ab obitu Sancti Gregorii; non ſatis tamen ille ſua ætate deſiiſſe prorſus veterem Vulgatam luculenter affirmat, cum fieri utique poſſit, ut *omnium Eccleſiarum* nomine nonniſi Hiſpanas, quibus ſcribebat, deſignaret. Sed illud conſtat, paulo poſt S. Iſidorum in Eccleſiis Latinis ſolam S. Hieronymi ex Hebræo Verſionem invaluiſſe, excepto Pſalterio, quod juxta Editionem Septuaginta cantabatur.

Aſſerit Hugo Victorinus (14) Eccleſiæ Latinæ decreto conſtitutum, ut ſola tandem teneretur Verſio S. Hieronymi ex Hebræo: ſed nec locus ejus decreti, incogniti alioqui, nec tempus determinat; unde non levis conjectura, conſuetudine potius & tacito Eccleſiarum conſenſu, quam peculiari lege inductum fuiſſe, ut ea præ ceteris Verſio obtineret.

Adeo vero ejuſdem Verſionis authoritas invaluit, ut ceteras prorſus aboleret; quare cum Stephanus Abbas Ciſtercienſis II. reformanda volumina Bibliorum ſuorum ſuſcepit, id ſibi cenſuit præſtandum, ut ad Textum Hieronymianum recenſeret. Accitis ergo Judæis injunxit, ut ſedulo notarent, quidquid eſſet in Hebræo, quo ſimul expungeretur e Textu Bibliorum Latinorum S. Hieronymi, quidquid præpoſtere adjectum fuiſſet; *Hoc enim*, dicebat, *plena docet ratio, ut quod ab uno Interprete, videlicet Beato Hieronymo, quem, ceteris Interpretibus omiſſis, noſtrates jamjamque ſuſceperunt, de uno Hebraicæ veritatis fonte tranſlatum eſt, unum debere ſonare* (15).

Sed in ea S. Hieronymi Verſione ita plane conſtituendum non eſt, quaſi ſcilicet nova ſint omnia, nihilque e veteri ſuperſit. Quantum enim pro viribus valuit phraſes omnes, quas Hebræo conformes nactus eſt, cenſuit ſervandas (16), metu ne populi veteri lectioni aſſueti, ſcandalo afficerentur, neve in ſe crearet invidiam, quaſi ſcilicet veteri Scripturarum loquendi ratione immutata, manus injicere in Religionem & Fidem videretur.

Factum eſt etiam non raro, ut longa illa in veteri lectione vetuſtiſque ex Italica Verſione ſententiis habitudo ſubdictas illas a S. Hieronymo, ipſo tamen invito, in Textum revocaret. Sexcenta ejus rei ſuppetunt exempla, maxime in Libris Regum, & Proverbiis, quæ diligentiſſime annotare viſum eſt in recenti Operum S. Hieronymi editione. Plura

(1). *Vide Hieron. Præfat. in Dan. Epiſtol. 2. ad Rufin. & Epiſt. 65. Auguſtin. l. 18. de Civit. c. 43. & l. 2. adverſus Julian.* (2). *Vide Hieron. Epiſt. 65. Item Præfat. in Job & Daniel. & Paralip. & Iſai. 22.* (3) *Hieron. de Scriptor. Eccleſ. Sophronius vir apprime eruditus, Opuſcula mea in Græcum eleganti ſermone tranſtulit; Pſalterium quoque & Prophetas, quos nos de Hebræo in Latinum vertimus.* (4). *Auguſt. Epiſt. 82.* (5) *Hieron. Apolog. contra Rufin. l. 2.* (6) *Rufin. l. 2. Invect. in Hieron.* (7). *Epiſt. 71.* (8). *Hieron. ad Lucin. Bætic.* (9) *Commentar. 2. in Levit. c. 4. 30.* (10). *Præfat. in lib. Moral. in Job.* (11). *Greg. Magn. l. 1. hom. 10. n. 6. in Ezech.* (12). *Idem. l. 20. cap. 30. Moral. in Job. c. 32. num. 62.* (13). *De Offic. Eccleſ. l. 1.* (14). *De Scriptur. Sacr. c. 9. Quia Hebraicæ veritati concordare magis probata eſt, idcirco Eccleſia Chriſti per univerſum Latinitatem pro ceteris omnibus tranſlationibus, quas vitioſa interpretatio, ſive prima de Latino in Græcum, ſive ſecunda de Græco in Latinum facta, corruperat, hanc ſolum legendam & in authoritate habendam conſtituit.* (15). *Stephan. Abb. Ciſter. 2. cenſura de aliquot locis Bibliorum ad calcem t. 4. Oper. S. Bernardi a Mabillon. edit.* (16). *Hieron. Præfat. in Evangel. ad Damaſ. ſed & veterum quæ ne multum a Lectionis Latinæ conſuetudine diſcreparent, ita calamo temperavimus, ut his tantum, quæ ſenſum videbantur mutare, correctis, reliqua manere pateremur, ut fuerant. Vide & Ep. ad Sunniam & Fretellam*

etiam ſuppetunt in Pſalmis; in aliis vero Libris rariora.

Suſpicati ſunt etiam Viri Doctiſſimi, S. Hieronymum, promiſſionibus licet ſeſe obſtringentem Verſionem V. T. ex Hebræo adornandi, receſſiſſe tamen non raro ab Originali. Hiſce tamen reponimus, 1. Textum Hebræum, qualem olim legebat S. Hieronymus, diſcrepaſſe forte nonnihil a noſtro, uti reipſa contigiſſe conſtat aliquando. 2. Cum Hebraicæ linguæ indoles ea ſit, ut plurium vocum ſenſum habeat æquivocum, & indeterminatum, eum, qui ſibi optimus videretur, ſelegit S. Doctor; quamquam alioqui alius ſit ille a ſenſu Rabbinis noſtratibus probato. 3. Tandem S. Doctoris ætate lectionem Hebræam nulla vocalia puncta determinabant; quare nihil eſt quod miremur, ſi aliter legerit, ac nos hodie, cum ſcilicet punctis vocalibus ad lectionem manu ducimur; ex quo recta ſatis conſecutione infertur, aliter illum vertere debuiſſe ac recentiores Interpretes. Tandem numquam ratum conſtituit Eccleſia, S. Hieronymum in ſua Verſione adornanda Divino Spiritu aſſlante ductum fuiſſe; quare illum decipi interdum; & Originalis ſenſum minus aſſequi facto poſſibile reputamus.

Etſi enim Vulgatam Verſionem authenticam declaravit Concilium Tridentinum, numquam tamen ab omni immunem labe pronunciavit. Hæc Tridentini Seſſ. 4. cap. 2. definitio; *Sacroſancta Synodus conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis Editionibus Sacrorum Librorum, quæ jam pro authentica habenda ſit, innoteſcat, ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus, pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.* Nemo igitur illam rejicere permittitur: ſed alias aliquando, cum neque de Fide, neque de rebus maximi ad Religionem momenti agitur, illi præponere, nemini pariter arbitror interdictum. Ad Originale recurrere, ejuſque fidem ſequi ſi quis valeat, per Concilium licet. Uno verbo, juxta Pallavicinum, nihil aliud voluerunt Patres ea definitione, quam nihil in Vulgata fidei repugnans contineri.

Quemadmodum autem inſita eſt quædam & velut intima in Libris Sacris authoritas, quod ſcilicet Spiritu Sancto dictante ſcripti ſint; ita pariter ſuam ex illis repetunt authoritatem Verſiones, quando Originalibus cohærent. Alia inſuper accedere illis poteſt authoritas, veluti extrinseca, ex ipſa Eccleſiæ adoptantis probantiſque authoritate. Apud Patres Concilii nihil de Textibus Originalibus: illam ſolummodo inter Latinas Verſiones ſeligendam cenſuerunt, quam optimam & tutiſſimam judicarunt, utpote quæ nihil contra fidem & bonos mores tot ſæculorum experientia ſe continere probaſſet. Fruſtra Eccleſiæ adverſarii (1) Patres illos accuſant, quaſi ſcilicet Verſionem originali prætulerint. Nonniſi ſumma impudentia hæc de viris illis doctiſſimis aſſeruntur, qui nihil tale in ſua definitione prætulerunt. Non hoc agebatur in Concilio, ait Salmeron (2), qui præſens adfuit, ut de Originalibus quærerent; ſermo fuit tantum de optima inter plures Verſiones Latinas ſeligenda, idque ſane privilegium concedere viſum eſt Vulgatæ, quam probatam agnoſcebat Eccleſia; eaque omnium optima ac tutiſſima conſtituta eſt, nihilque adverſus fidem & mores præferens; digniſſima proinde, ut fidem illi noſtram integram afferamus (3).

Convenit inter omnes, Amanuenſium & Typographorum incuria pariter & audacia factum eſſe, ut plura in Textum Vulgatæ menda gliſcerent; addita etiam plura & detruncata, quæ ſtatim legentibus apparent, cum veteres Editiones inter ſe comparantur. E re igitur cenſuerunt Patres Tridentini Seſſ. 4. ut edicerent: *Vetus & Vulgata editio quam emendatiſſime imprimatur.* His ſemel in Concilio conſtitutis, Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. imprimi Romæ mandarunt vulgatam, examini prius & correctioni doctiſſimorum Theologorum commiſſam, qui exemplum ſecuti Sanctorum Patrum, recenſendam cenſuerunt ad Textum Hebraicum, Verſionem Græcam, & vetera Mſs. in his ſcilicet locis, in quibus ſive Exemplaria variarent, ſive Latinus ſenſus ambiguus eſſet & multiplex. Hæc profitetur in Bulla ſua Sixtus V. præfixa Editioni Latinæ, adornatæ anno 1589. & ann. 1590. vulgatæ. *In iis tandem, quæ neque Codicum, neque Doctorum magna conſenſione ſatis munita videbantur, ad Hebræorum Græcorumque Exemplaria duximus confugiendum &c.*

Nec ita reputandum eſt, quaſi menda omnia, quæcumque valuiſſent Romani illi Editores ſubduxerint: monent enim in Præfatione Editioni vulgatæ præfixa, loca ſe plurima, quamquam alioqui correctione indigerent, intacta reliquiſſe, ne quo ſcandalo populus afficeretur, longa jam habitudine Veteri illi lectioni aſſuetus, perſuaſi etiam alioqui fieri potuiſſe, ut Veteres, quibus lectio illa probaretur, melioribus & correctioribus uterentur Exemplaribus, quam quæ ad nos nonniſi corrupta tranſmiſſa ſunt. Cardinalis Bellarminus, unus e correctoribus Vulgatæ hujus Editionis, litteris ad Lucam Brugenſem datis (4) gratias viro agit de recepto ex illo Libello correctionum Bibliorum Latinorum ab eo adornato; cum addit: *Scias velim, Biblia Vulgata non eſſe a nobis accuratiſſime caſtigata; multa enim de induſtria juſtis de cauſis pertranſivimus.* Confitetur Joannes Bandinus Vaticanæ Typographiæ curator: *Fateor in Bibliis nonnulla ſupereſſe, quæ in melius mutari potuiſſent (5).*

Editionem Bibliorum Vulgatam Romæ juſſu Sixti V. anno 1590. ejuſdem Pontificis ſupremo, recenſuerunt repurgaruntque, craſſioribus mendis ſubductis, tum Pontifex ipſe, tum Theologi, quibus id muneris ab illo commiſſum; ſed plura etiam corrigenda reſtiterunt, quod in conſulendis Originalibus & criticæ regulis adhibendis minorem poſuerint curam, eo potiſſimum intenti, ut inter Textus vulgatæ tunc Editionis correctiſſimum, quantum fieri poſſet, exhiberent.

Meliorem ſibi præſtituens methodum Clemens VIII. meliori ſucceſſu dedit Biblia Latina, quæ typis Vaticanis commiſſa paruerunt anno 1592. ex quo factum, ut neglectis Bibliis Sixtinis, numquam recuſis. Opus illud Clementis VIII. quod iterum prodiit anno 1593. levioribus nonnullis immutatis, tamquam norma & exemplar haberetur Textus Vulgatæ, tot iterum in locis ſæpiuſque recuſæ, & omnium nunc in manibus verſantis. Hæc Editio juxta Bullam Clementis VIII. ipſiſſima tenenda eſt Vulgata, quam authenticam Concilium Tridentinum ante plures annos habitum (6) declaravit.

Sed nec ipſa poſtrema Editio a mendis prorſus eximitur; illi enim qui Præfationem ante Communem Editionem inſtruxerunt, ultro fatentur, nihil omiſſum, ut correctiſſimum pro viribus Opus daretur; numquam tamen in ſe ſuſcipere ut nihil ejus perfectioni deeſſet; ſancte tamen affirmarent; nihil ad id uſque purius & correctius prodiiſſe. Thomas James, vir inter Proteſtantes Anglos, Librum dedit inſcriptum, *Bellum Papale*, in quo variantia omnia congerit inter Biblia Sixtina & Clementis VIII. eo ſcilicet conſilio, ut duos illos Pontifices velut inter ſe committeret; nec ipſe minus, quam 2000. circiter variantia loca congeſſit.

P. Henricus Bukeotop (7) Recollectus ipſe pariter hanc Spartam, quamquam alio plane conſilio, ador-

(1). *Vide Sixtin. Amama Cenſur. Vulgat. Edit. Colon. anno.* (2). *Proleg. 3.* (3). *Bellar. de Verbo Dei l. 2. c. 11.* (4). *Bellarm. litter. Capua dat. 6. Decemb. 1603.* (5). *Joan. Bandin. Epiſt. data prid. Kalend. Auguſ. 1604. ad Moretum, apud Franciſ. Luc. Brug. Præfat. in Annot. N. T.* (6). Concilii decretum datum eſt ann. 1546. ex quo uſque ad ann. 1590. intervallum eſt 44. annorum. (7). *Lux de Luce l. 3. c. 5.*

adornans, plura etiam adjecit a Jamesio omiſſa: quorum tamen lectione facile intelligimus, nihil in illis occurrere ſive Fidei, ſive bonis moribus repugnans, ſed omnia ad incuriam quamdam majorem minoremve refundi.

Franciſcus Lucas Brugenſis (1) ultra 4000. loca indicavit, quæ correctionem deſiderarent in Bibliis vulgatis Clementis VIII. Ejus ſedulitatem non laudavit tantum Bellarminus, ſed & perſuaſum habuiſſe omnes, datis ad ipſum litteris, ſcripſit; plura ſupereſſe in Vulgata menda. Gemina legas apud doctiſſimos Criticos & Theologos noſtræ ætatis abſolutiſſimos.

Hæc licet vera fateamur; æque tamen fateri neceſſe eſt, Vulgatam Eccleſiæ Romanæ & Catholicæ probatam, Verſionum omnium utriuſque Teſtamenti caſtigatiſſimam eſſe, quod doctiſſimorum etiam Proteſtantium confeſſione tenemus. Quis quantuſque vir in linguarum Orientalium peritia fuerit Ludovicus de Dieu, neminem arbitror ignorare. Porro vir ille, idoneus, ſi quis alius, ejus rei teſtis, conferens Vulgatam cum Verſionibus Latinis N. T. per Bezam & Eraſmum (2), nihil ſe præpoſtere judicaturum teſtatur, ſi Authorem Vulgatæ, quicumque tandem fuerit, doctiſſimum & ſapientiſſimum pronunciet; ſcire ſe erraſſe illum quandoque, barbariſmis horrere interdum; ſed admirari pariter & bonam ejus fidem, numquam non ſe prodentem, & judicium etiam, cum maxime barbariem refert. Ipſe pariter Ludovicus in ſuis Animadverſionibus ad utrumque Teſtamentum lectionem Vulgatæ præfert, & contra ejus obtrectatores tuetur. Quid fuerit in cauſa, cur Vulgatam ſelegerit, exponens Grotius Præfat. in annot. in V. T. ait. *Vulgatum Interpretem ſemper plurimi feci, non modo quod nulla dogmata inſalubria continet, ſed etiam quod multam habet in ſe eruditionis.* Vulgatam hanc, quamvis in locis etiam ab aliis intactis reprehendat Beza, rejiciendam tamen prorſus improbandamque non cenſet. (3); & Paulus Fagius tamquam ſemidoctos impudenteſque traducit, quicumque celeberrimam hanc Verſionem dilacerent (4).

Concilium Tridentinorum Patrum, authoritatem Vulgatæ decreto ſuo aſſerentium, laudat Druſius (5), quod ſcilicet recentiores Verſiones priſcam illam non ſuperent, & facile etiam ſuperentur. Tandem D. Millius de Veteri Italica & nova S. Hieronymi Verſione agens, hæc plane animadvertenda promit. Summo nos obſequio veneramur veterem Italicam, utpote expreſſam e primigeniis illis Originalibus, quorum vel minima fragmenta auro contra penſamus. Cavemus autem nos, ne quid adverſus Editionem Vulgatam S. Hieronymi mutiamus, quamquam alioqui correctio in illa noſtra quidem ætate deſideretur. Optandum utique fuiſſet, Sanctum hunc Doctorem curam potius ſuam impendiſſe, reſtituendæ ad primigeniam integritatem veteri Italicæ, ope Manuſcriptorum ſua adhuc ætate manentium: cum tamen illi viſum fuerit ad Græca Originalia recenſere, præclarum accidit nobis, ut ſerviendum ſibi pro viribus cenſuerit Veteri Textui, quo Originalibus illam redderet maxime conformem. Hoc noſtrum eſt de Vulgata judicium, tantumque abeſt ut cenſeamus reformari illam oportere ad Græcum aliquod impreſſum Exemplar, quin potius e re futurum arbitramur, ſi caſtiganda ad vetera Mſs. ſuſcipiatur, quo ſcilicet reddatur conformior Verſioni illi qualis e manibus S. Hieronymi primum exiit (6).

Hæc Scriptorum teſtimonia eo libentius collegimus, quod cum alienæ ſint a noſtra communionis, alieni pariter cenſendi ſunt ab aſſentationis ſuſpicione; ſicut viciſſim nec imperitiæ accuſarentur, quippe quorum eruditionis fama longe lateque ſeſe diffuderit. Numquam tamen probaremus nimium illud Theologorum quorumdam Catholicorum, clariſſimæ alioqui eruditionis, zelum, qui Vulgatam præferendam cenſent Textibus Originalibus; Concilii Tridentini definitionem in ſuam hanc ſententiam trahere adnitentes (7). Authenticam, inquiunt, declararunt Concilii illius Patres, eorumque ore S. Spiritus Verſionem hanc rejiciendam nullo unquam prætextu cenſuit, & qualis nunc eſt Editio, habendam juſſit tamquam ſacrum aliquod & inviolabile; cum interim Hebraicum Textum & Verſionem Græcam Septuaginta rejicere integrum cuique permittat, ubi vel mendum aliquod, vel repugnans quid Vulgatæ occurrerit. Si vero, addunt, SS. Patres, veluti S. Hieronymus (8), & S. Auguſtinus (9), in dubiis & ambiguis ac Verſionum & Editionum diſſidio confugiendum cenſuerunt ad Originalium fidem; hæc pro eorum quidem ætate valebant, cum Hebræi & Græci puri adhuc fluerent latices: frustra tamen hæc modo, cum inter omnes ſat conſtet, ſive Judæorum fraude, ſive Amanuenſium incuria corruptionem in Textum Hebræum & Verſionem Septuaginta invectam fuiſſe.

Hæc tamen omnia facile eluimus, reponentes, 1. Numquam fieri poſſe, ut Verſio majorem habeat authoritatem præ Textu Originali, ſiquidem ille penitus non corrumpatur. Non niſi temere ſtatuerent adverſarii, Textum Hebræum penitus eſſe corruptum: mendis ſcatet quidem, ultro damus, ſed vetuſtiora ſunt illa plerumque ætate Septuaginta, & S. Hieronymi: alia poſt hæc irrepſerunt. Sed numquid propterea Vulgata a mendis eſt defæcatiſſima? An vitia illa tanta ſunt tantique momenti, ut diſcriminis aliquid afferant Fidei, bonis moribus & Religioni? numquid correctionem omnem ſuperant? Si quis recenſendum ſuſcipiat Hebraicum Textum, quomodo factum conſtat in Vulgata, conſultis ſcilicet Mſs. vetuſtis Interpretibus, atque adhibitis ſanioris criticæ regulis, plura ſane tollerentur, & caſtigatior forte efficeretur Textus, quam Vulgata. Statuendum eſt enim ratumque tenendum, nullum unquam Textum præ Hebræo majori fide & integritate ſervatum fuiſſe. Non idem facile privilegium Græco manſit; ſed a mendis craſſioribus, & fidei ac morum puritati officientibus, immune utique cenſendum eſt.

2. Quid ſenſerit Concilium Tridentinum, e teſtimonio illorum, qui præſentes adfuerunt, judicium repetendum eſt. Adfuerunt autem Salmeron (10), & Vega (11); quorum teſtimonio intelligimus, nullam in Concilio factam Vulgatam inter & Originalia collationem: res erat tantum de Latinis Verſionibus tunc obtinentibus cum Vulgata conferendis: viſum eſt autem Patribus, ceteras omnes poſthabere Vulgatæ, utpote præ aliis defæcatiſſimæ, magiſque ad fidem Originalium, nihilque præferentis Fidei ac moribus abſonum. Ejus rei teſtem laudat Vega Cardinalem S. Crucis, Pauli III. ad Concilium Legatum, qui deinde ſub Marcelli II. nomine Pontificiam & ipſe cathedram tenuit, vivebat autem ille, quo tempore Vegam ſcriptis iſta mandantem falſitatis arguere, ſi quid veritati contrarium aſſereret, utique potuiſſet. Tandem Bellarminus (12) mendacii reum agit Calvinum, accuſantem Tridentinos Patres, quaſi ſcilicet præcluſerint purioris laticis fontes haurire volentibus (13), errorem veritate ipſa refutaturi. Nihil tale factum a Concilio aſſerit Bellarminus; nihil enim apud Patres illos de Originalibus, ſed

(1) *Præfat. in Annot. in N. T.* (2) *In notis ad Evangel.* (3) *Præfat. in N. T.* (4) *Præfat. ad collat. tranſlat. V. T.* (5) *Ad loca difficill. Pentateuc.* (6) *Mill. Proleg. in N. T. G. pag. 142.* (7) *Canus l. 2. c. 13. & 15. de locis Theologicis, Valent. lib. 8. cap. 5. Analyſ. Suarez in 3. part. D. Thom. q. 7.* (8) *Hieron. Epiſt. ad Sunniam & Fretellam. Sicut in novo Teſtamento ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur; recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum Inſtrumentum ſcriptum eſt; ita in Veteri Teſtamento, ſi quando inter Græcos Latinoſque diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem.* (9) *De Doctrin. Chriſt. cap. 11. Latinæ Linguæ homines Hebrææ & Græcæ linguæ opus habent, ut ad Exemplaria præcedentia recurrant, ſi quam dubitationem intulerit Latinorum interpretum varietas.* (10) *Prolegom. 3.* (11) *Andr. Vega, lib. 15. cap. 9* (12) *De Verbo Dei lib. 2. cap. 10. 11.* (13) *Calvin. in Antidot. ſeſſ. 4.*

ſed de Verſionibus tantum Latinis tunc obtinentibus, quibus omnibus ſingularem Verſionem præferentes, authenticam illam & canonicam declararunt.

Declaraverint licet Concilii Patres, ſub ipſo S. Spiritus ductu Vulgatam veluti authenticam, edicentes inſuper, ne quis illam in publicis diſputationibus rejicere audeat; an proinde continuo ſive præferendam cenſuerunt Originalibus, ſive menda, quibus forte adhuc ſcatet, definitione hac ſua pariter conſecranda cenſuerunt? Concilii afflante S. Spiritu definitio infallibilis eſt utique & inconcuſſa; ſed Vulgatam ſimul omnem reſpicit, non verba ejus ſingula & periodos. Salva Concilii & Vulgatæ authoritate, integrum eſt cuique ad Originalia illam recenſere, & ſive mendoſam corrigere, ſive Originalibus illis cohærentem defendere, vel tandem Originalia ipſa ad Vulgatam reformare, cum defæcatior illa & correctior apparet; quod non raro contingere norunt omnes, qui accuratiorem ſedulitatem & ſcientiam ad ſtudium Scripturæ Sanctæ contulerunt.

DISSERTATIO
DE NATURA ANIMÆ.
Et ejus poſt mortem ſtatu ex ſententia Veterum Hebræorum.

Articulus Primus.

Inter corpus, animam & Spiritum diſcretio.

A*Nimæ* nomen in Veterum ſcriptis ambiguum eſt maxime, interdum enim ſonat rem aliquam ſimplicem, ſpiritalem, incorruptibilem, immortalem, quæ cogitat in nobis. Aliquibus vero eſt res quædam, ſubtili, tenuique, aerea, lucida materia conſtans, qua veluti corpora veſtitur *Spiritus*, cogitandi & ratiocinandi in nobis fons & origo. Anima, poſteriori illo ſenſu accepta, ex Veterum plurimorum ſententia voluptatum pellectu trahitur, odoribus, dulci inſtrumentorum muſicorum ſuavitate mulcetur, circa ſepulchra divagans ſpectandam ſe præbet, victimarum cruore paſcitur, ac tandem ex alio in alium generatione propagatur. Hæc non apud Philoſophos Paganoſque Poetas tantum, ſed & apud veteres Eccleſiæ Patres legas, ſicut & Libris apocryphis ſub ipſis Eccleſiæ crepundia probatis. Tria ab illis in homine diſtincta: *corpus*, craſſum nempe illud, materia compactum, & obnoxium corruptioni; *anima*, aerea, tenuis, ad luminis naturam dotemque accedens; & *ſpiritus* vel *mens*, ſpiritalis illa naturæ vis, in anima veluti in vagina condita.

Reſoluto corporis cum anima per obitum nexu, illa vel ſupra Lunam cum ſpiritu evolat, vel ſi exactæ vitæ ſcelera repoſcant, ad inferna ſuppliciorum loca detrubatur. Proborum igitur animas, cum ſupernas tenuerint ſedes, mors altera manet; fracto enim animæ clauſtro, *ſpiritus* cum Sole jungitur; *anima* vero Elyſiis illis in ſedibus ſub Luna ſubſiſtens, nihil ſibi facit ad voluptatem reliqui, ſemper tamen affinem illam retinens ad cognatum corpus formam, ad priſtina in terra ſtudia propenſionem, ad arma ſcilicet, æquos tractandos, jura reddenda.

Parent hæc maxime in ſcriptis Homeri, ſummi illius Theologiæ Græcorum Coryphæi; agens enim ille (1) de Patrocli anima, ſpectandam ſe per viſum Achilli præbente, ſimilem per omnia formam ac Heros ille, cum olim inſedarat, retuliſſe dicit. Et Odyſſ. L. v. 600. Ulyſſes ad Inferos vidiſſe ſe dicit *Herculis Idolum*; (Animam ſcilicet) *ipſe vero*, addit, *apud mortales Deos oblectatur in conviviis* (ſpiritus videlicet). Et Dido Apud Virgilium Æneid. 4. de anima ſua poſt obitum canit.

Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.

Quamquam hæc ſatis per ſe abhorrent a doctrina fidei in Scripturis tradita; in ipſa tamen Scripturarum phraſi neſcio quid non diſſimile tranſlucet. Animam a Spiritu ſive mente utcumque diſtingui, ſat conſtat, cum anima ipſa, in Scripturis nuncupata *Nephesch* ſive *Neſchamah* vel etiam *Ruach*, homini æque ac brutis tribuitur. Deus aquis præcepit, ut producerent *reptile animæ viventis & volatile ſuper terram*. Et paulo infra (2) ſuffeciſſe dicitur Deus hominibus, & cunctis animantibus terræ, & omnibus, *in quibus eſt anima vivens*, herbas ad veſcendum. Et Geneſ. 9. 10. ſolemni ſe fœdere obſtringit Deus cum hominibus, & *omni animæ viventi*, nempe cum animantibus omnibus: ita pariter, immiſſis diluvii aquis, perdidit *cuncta, in quibus ſpiraculum vitæ eſt* (3). Et adhuc: *Ego interficiam omnem carnem, in qua ſpiritus vitæ eſt*. (Hebraice *Ruah*). Ac tandem: *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis* (4). Vide pariter Eccl. 3. 19. 20. 21.

Sed Spiritus (*Ruah*) ſine addito, vel mens (*Binah*) vel duo illa ſimul, *ſpiritus intelligentiæ* (5), uni tantum homini tribuuntur. Porro hæ loquendi phraſes in eam forte perſuaſionem veteres Hebræos adduxerunt, animam illam, hominibus eamdem ac brutis communem, quam in ſanguine reſidere tradit Scriptura Levit. 17. 11. 14. *Anima carnis in ſanguine eſt: & anima omnis carnis in ſanguine eſt*, materia quadam conſtare, & alterius plane eſſe a mente, numquam brutis in Scriptura tributa, naturæ. Luculenter ſane animam ſenſilem & rationalem diſtinguens Philo (6), ait vitalem illam animam ipſam eſſe, qua vivimus; rationalem vero, qua ratiocinandi facultate utimur: illam habere nos cum brutis communem, hanc peculiarem. Deus, ait, rationalem illam animam non creavit quidem, ſed ſubjectam habet nihilominus; quippe qui omnis rationis ipſe principium ſit & origo. Deteriorem illam animam, brutis etiam communem, nihil eſſe aliud ſcias, quam ſanguinem; rationalis vero particula eſt & portio Divinæ mentis; ſpiritalis quædam ſubſtantia, & ſpiritus pariter, alterius plane ab aere moto & agitato naturæ, exemplar tandem & imago divinæ Virtutis. Hæc Philo.

Inſinuat alibi, animam materia quadam compingi, propoſita enim ſibi quæſtione, cur anima videri oculis non poſſit (7); reponit, non eſſe inde recta conſecutione inferendum, animam nequaquam exiſtere; eſſe enim per univerſas mundi partes diffuſas animas,

(1) *Iliad*. 26. (2) *Gen*. 1. 20. (3) *Gen*. 7. 22. *Vide & Deut*. 20. 16. *Joſue* 10. 40. *&c*. (4) *Num*. 27. 16. & 26. 22. (5) *Job* 20. 3. & 28. 8. (6) *Lib. Quod deterior. inſid. pag*. 170. (7) *De Gigant. p*. 285.

mas, in aere, in igne, in terra; aſtra etiam ſuis animabus cieri; Angelos vero, animas, & Dæmones nomine tantum differre (1). Si vero exprimit alibi quaſi Angelos haberet incorporeos (2), illud tantum inſinuat, non corporis cujuſdam materialis clauſtro teneri illos, ſicut hominum animas. Legit autem, quemadmodum Septuaginta; *Videntes Angeli Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus, quas elegerant*. Hæc autem, ad allegoriam licet detorta explicet de corporis cum anima conjunctione, ponit tamen ut certum, animas ſive Angelos per aera circumvolitos, naturali quadam in corpora propenſione ita ferri, ut in unum tandem cum illis coaleſcant; quæ ſane habitudo non niſi in ſubſtantia quadam materiali reſidet. Cum tamen nihil ſatis expreſſum de corporea animarum natura habeat Philo, judicium de ejus ſententia ſuſpendo.

Reipſa tamen Joſephus (3), & Author Veteris Libri Henoch (4) autumarunt, Angelos, ac proinde & animas, quas ejuſdem naturæ conſtituunt, a corpore ſecretas non eſſe. Non ſemel animam a Spiritu diſtinguit Author Libri Henoch: *Spiritus & animæ hominum ſuſpirant*; & paulo infra: *Spiritus animarum hominum morte jam functorum, ad portas uſque Cæli ſuſpiria eorum pervigerunt*; & c. 9. *Gigantes, a ſpiritu & carnis copula procreati, erunt Spiritus nequam* (Dæmones) *Spiritu e corpore carnis ſua deſerente*. Agnoſcas poſtremis hiſce verbis ſententiam in Rabbinorum quorumdam ſcriptis (5), & in S. Chryſoſtomo pariter legendam (6), animas ſcilicet impiorum interdum in Dæmones tranſmutari; quæ ſane cum iis congruunt, quæ tradit Joſephus de Bello l. 7. c. 25. & poſt ipſum S. Juſtinus Martyr Apolog. 2. Dæmonum in hominum corpora infeſtationes ab ipſis quandoque effici impiorum animabus e corpore ſeparatis.

Tribuunt etiam Rabbini animabus poſt relictum corporis contubernium ſubtile aliud corpus, quod *Vas animæ* appellant. Habent enim perſuaſum, impiorum animas poſt obitum veſtis cujuſdam genere circumfundi, quibus inductæ tormenta perpetiantur; ſicut viciſſim juſtorum animas ſplendido quodam paludamento & fulgenti corpore veſtiri, quo pariter felicitatem & fulgorem beatitudinis omnem capere aſſueſcant (7). Veſtigia quædam ejus opinionis deprehendimus in Apoſtolis (8). S. Thomas numquam ſe fidem additurum Apoſtolis, qui ſpectaſſe ſe corpus Jeſu Chriſti affirmabant, profeſſus eſt, niſi ſuis manibus fixuram clavorum & vulnerum in ejus pedibus, manibus, ac latere exploraſſet; quaſi ſcilicet ambigens, num imago corporis Jeſu Chriſti vel ejus anima, qua ſpiritus tamquam veſte induebatur, fucum ſociis feciſſet.

Animam a ſpiritu diſtinguere viſus eſt Daniel (9), cum ad laudes Domini invitet ſpiritus item & animas: *Benedicite Spiritus & animæ juſtorum Domino*; neque enim ille ſpirituum nomine Angelos, & Beatos deſignare poteſt, quos antea ad eadem ſtudia invitaverat; ſicut etiam *Virtutes Cælorum & Spiritus Dei*, nempe ventos validos. Confer Dan. 3. 58. 61. 65. 86. Author Libri de Aſſumptione Moyſis (10) narrat, Joſue in ipſo monte, ubi Moyſes diem clauſerat, verſanti obvios factos geminos Moyſes, quorum alter inter medios Angelos ſuperas Cæli ſedes petebat, alter in terra ſubſiſtens conditus eſt: prior Moyſes erat Viri anima, alter craſſum ejus corpus. Sadducæi Spiritus omnes & Angelos negantes (11), admittebant reipſa tamen rationalem quamdam animam, in ejus tantum immortalitatem iniquiores; reſidere illi quidem in homine fatebantur recogitans aliquid, hoc ipſum tamen immortale eſſe pariter, & Spiritum negabant.

ARTICULUS II.

Animæ immortalitas.

Immortalitatis animæ dogma conſtanti ſane religione tenuerunt non Hebræi tantum, ſed Chaldæi pariter, Indi, & Ægyptii, antequam Græci quidquam de illo noſſent. Primos ejus Authores Ægyptios aſſerit Herodot. l. 2. c. 123. addens quoſdam ſe noſſe apud Græcos, qui ejus conſtituti primitus honorem alii quidem ſerius, recentius alii vindicarent; noſſe ſe tamen eorum vel nomina indicare, ut illorum honori utcumque conſulat. Quibus verbis tacite forte deſignantur Thales Mileſius (12), & Pherecides (13), quos Græci primos hujus dogmatis Anthores arbitrantur; conſtat tamen receptam ab aliis doctrinam illos Græcis tradidiſſe.

Pauſanias (14) ejus originem refert ad Chaldæos, & Indiarum Magos, ex quibus derivatam dicit in Græcos, & in Platonem potiſſimum. Sed vera ejus origo non niſi apud Hebræos quærenda, in Moyſe ſcilicet ceteriſque Scripturæ Libris, in Patriarchis ac in eorum familiis, a Deo electa, non traditio tantum conſtans & certa dogmatis de immortalitate animæ occurrit, ſed & hujus argumenta, ac veluti fundamenta rei, cui velut tota Religionis moles incumbit. Moyſes vetuſtiſſimus omnium, cujus ſcripta ſuperſint, narrat, Deum poſt compactum hominis corpus, inſpiraſſe *in faciem ejus ſpiraculum vitæ* (15). Cum vero de ceteris animantibus agit, nihil habet ſimile.

Spiraculum hoc vitæ aliud ſane habendum eſt, ac ſenſibile aliquod & materiale; conſtat enim Deum purum eſſe ſpiritum, nec Hebræos unquam ſive anima Deum ipſum conſtare, ſive corpore compactum, tenuiſſe. Eſt ergo ſpiritale aliquid, & mens ipſa, ſive animus rationalis, tunc in hominem inſlatus. Hunc eumdem ſpiritum retrahit ab homine, cum viventem perimit (16); hoc pariter intelligendi facultate inſtruimur (17); hoc vita donamur (18); Lampas eſt ſeu *lucerna Domini, ſpiraculum hominis*, juxta Proverb. 20. 27. Inde vero Platonici (19), & Veterum alii deduxiſſe cenſendi ſunt, animam hominis effluvium eſſe quoddam & Dei ipſius portionem, ex ejus ore ſpiraculum. *Divinæ particulam auræ* (20). Cum data hominibus anima tamquam portio ſit divinitatis, ait Cicero, Tuſc. qq. l. 5. num. 38. nulli, præterquam Deo, valet comparari: *Ratio nihil eſt aliud*, ait Seneca epiſt. 66. *quam in corpus humanum pars divini Spiritus merſa*.

Cum Deus creandi Adam conſilium agitaret, *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram* (21). Porro nulla eſt corporis cum Deo ſimilitudo, ſed in anima tantum & ratione. Cum pariter Deus ipſe immittere diluvii aquas ſtatueret (22), *Non permanebit*, ait, *Spiritus meus in homine, quia caro eſt*. Quis autem Spiritus iſte, morte hominis à Deo reductus (23), niſi Spiritus ille divinus, qui juxta illud Pſalmi 77. 39 *Spiritus eſt vadens & non rediens*? De hoc pariter Spiritu dictum eſt Eccl. 12. 7. *Revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum*.

Fatemur nos quidem, eas interdum loquendi phraſes occurrere in Scriptura, quæ brutorum & hominum naturam æquare videntur; quaſi ſcilicet ambo hæc eodem ſpiritu, & Divini oris ſpiraculo animarentur. Communia hæc vocabula *Anima, Spiritus, Spiraculum*, datas utrique huic creaturarum generi communes animas deſignant; hominum & brutorum interitus iiſdem non raro vocibus exprimitur: *Auferet Deus ſpiritum ex omni carne* (24), cibum

(1) *Ibid. p. 286.* (2) *Idem de conf. ling. p. 345. &c.* (3) *Antiquit. l. 2. c. 4.* (4) *Cap. 4.* (5) *Vide Bartolocc. t. 1. p. 35.* (6) *Homil. 29. in Matth. p. 282.* (7) *Vide Rab. Abd. Saphorn. in Or. Haſchem. p. 91.* (8) *Jo. 20. 25. 26. 27.* (9) *Dan. 3. 86.* (10) *Apud Clem. Alex. l. 6. Strom. Evod. ad Auguſt. Ep. 259. inter Aug.* (11) *Act. 23, 8.* (12) *Cheril. apud Laert. l. 1. p. 16.* (13) *Tull. Tuſcul. quæſ. lib. 1. cap. 16.* (14) *Meſſen. cap. 4.* (15) *Geneſ. 2. 7.* (16) *Job 34. 14.* (17) *Job 32. 8.* (18) *Job 33. 4.* (19) *Plato in Phedr. pag. 78. 86. 81. 95. & in Timeo pag. 99.* (20) *Horat. lib. 2. ſatyr. 2.* (21) *Geneſ. 1. 26.* (22) *Gen. 6. 3.* (23) *Pſal. 103. 29.* (24) *Pſal. 103. 29.*

cibum & vitam omnibus æque animantibus ſuppeditat; ſi faciem avertat, omnia turbantur: *Auferes ſpiritum eorum, & deficient.* Deus diluvii aquis immiſſis interfecit omnem carnem, *in qua Spiritus vitæ eſt* (1); terris & aquis injungit, ut producant *animam viventem*, ſeu animantia vita & anima donata (2); & poſt diluvium fœdus init *cum omni anima vivente* (3); ac tandem animam eſſe in ſanguine, habetur Levit. 12. 17. Quibus omnibus loquendi phraſibus inſinuari videtur ambiguas eſſe maxime phraſes illas *Anima Spiritus Divini, ſpiraculum*: nec ſatis apte immortalitatem animæ probare, quippe quæ mortales brutorum animas æque deſignent.

Nihil tamen eſt quod faceſſat nobis negotii vocum iſta affinitas, quemadmodum nihil facit, dum familiari ſermone ſolemus interdum iiſdem vocibus exprimere rationalis animæ operationes, quibus & brutorum motus ac ſenſilis animæ functiones. Quis enim recte inferat ex hac vocum cognatione cognatas pariter eſſe utriuſque generis animas? Dum occaſio repoſcit, ſatis exacte definimus, quid nobis, quid brutis conveniat. Eadem pariter cautio in Scriptura. Si populares quandoque voces uſurpans, homines a brutis diſtinguere non ſatis videtur, cum tamen res ipſa poſcit, quid homines inter & bruta diſtet, ſatis luculenter exponit. Aſſerit peculiaria quædam de homine, quæ numquam de belluis affirmaret; & ſi quando paria de utriſque loquitur, ſermo tunc eſt tantum de vita corporis, de anima ſentiendi facultate inſtructa, quam brutis æque ac hominibus vindicant omnes. Quare in brutis anima, ſpiritus, ſpiraculum a Deo datum reductumque ad arbitrium, nihil eſt aliud, quam vita corporis, in ſanguine potiſſimum reſidens. In homine vero vocibus illis interdum deſignatur anima ſenſilis, æque & rationalis; non raro etiam rationalis tantum &c. quod ex ſermonis contextu ſatis diſcernitur.

Legimus e. g. Abrahamum ſenio confectum obiiſſe, & *congregatum eſſe ad populum ſuum* (4). Ad quem, rogo, populum? an ad Thare, Nachor & Heber? Numquam profecto ille. In Chaldæa & Meſopotamia viri illi ſepulturæ mandati, corpore ab illo diſcreti manſerunt; cum in ſpelunca, pretio ab ipſo comparata, in Chanaanitide Abrahami cadaver jacuiſſe conſtet. Anima ergo viri Sancti patrum ſuorum animas convenit, una pariter cum illis reſurrectionem in loco deſtinato opperiens.

Jacob, accepto de nece filii ſui Joſeph nuncio, ejulans clamabat: *Deſcendam ad filium meum in infernum* (5), in ſepulchrum ſcilicet. Numquam ſane duo ſimul cadavera, ſuum nempe & filii, jungi poſſe norat mœſtiſſimus pater, ratus non aliud conceſſum chariſſimo filio tumulum, quam carnivoræ cujuſdam belluæ ventrem; ſed alterius vitæ cum illo conſuetudinem ſuſpirabat.

Cum Deus ad Moyſem locutus edicit: *Pergat Aaron ad populos ſuos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Iſrael* (6); & cum pariter ad Moyſem (7): *Conſcendens* (montem Nebo) *jungeris populis tuis*; hæc ſane ad literam numquam exponerentur; conſtat enim *Hor* ubi Aaron, & *Nebo* ubi Moyſes diem clauſerunt, montes eſſe, illum Arabiæ Petrææ, hunc Moabitidis, diſſitos plane a Meſopotamia, Chaldæa & Chanaanitide, ubi avita illa patrum Hebræorum ſepulchra. His ergo phraſibus apertiſſime inſtruimur, alterius vitæ, in qua ſimul omnes convenirent, ſpem inditam Patriarchis; qua pariter lactatus David dolorem ſuum in obitu filii ex Bethſabee nati ſolabatur (8): *Ego vadam ad eum, ille non revertetur ad me.*

Deus e rubo ardenti Moyſem affatus, dixit (9): *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob.* Non eſt ille profecto Deus mortuorum, juxta ac Jeſus Chriſtus obſervat (10); vivebant ergo, ſed altera plane vita, Patriarchæ. Core, Dathan, & Abiron hiſcente terra abſorpti, *Deſcenderunt vivi in infernum* (11); quibus verbis tacite inſinuatur, quarum ſapimus, ſuperſtites adhuc raptos illos in loca ſuppliciorum, data proportione ut olim Henoc & Elias in amœniſſimum locum, ſuperſtites pariter, tranſlati ſunt. Satis autem his omnibus inſinuatur, receptam fuiſſe apud Hebræos tum de altera vita, cum de animarum immortalitate perſuaſionem. Confer loca parallela ſæpe in Scriptura (12).

Jacob ad obitum decumbens, morbi tædium ſolabatur ſpe ſalutis & redemptionis: *Salutare tuum expectabo Domine*: aliam plane ſalutem in æternitate ſperabat. Cur Balaam tantis votis optabat, *Moriatur anima mea morte juſtorum* (Iſraelitarum nempe,) *& fiant noviſſima mea horum ſimilia* (13)? cur inſuper poſt longa expectationum tempora viſurum tandem ſe Liberatorem Iſrael, quem veluti a longe venientem proſpicit? cur, inquam, hæc omnia, niſi tandiu in altera vita ſuperſtitem ſe futurum expectat, quandiu ſpei illius tempora impleantur. Quid tandem factum eſt de promiſſionibus illis, quibus ſe Deus obſtrinxit Abrahamo: *Ego ero merces tua magna nimis* (14)? quid, inquam, contulit Deus magnificis hiſce promiſſionibus ſatis dignum, & tanto Remuneratore par in hoc mundo? Sperandum ergo ſupererat animæ ejus Patriarchæ præmium illud, ſane poſt obitum in altera vita.

Aliud argumentum, intentum conveniens, ex eo deducitur, quod Hebræi mortuos ad vitam revocandos crederent; quod per viſum mortalibus apparerent interdum; quod de futuris eventibus conſulerentur mortui. De mortuis ad vitam revocatis (15), ab Elia & ab Eliſeo (16), cujus etiam poſtremi Prophetæ cadaver defuncto alterius corpori vitæ fuiſſe & ſaluti (17), legas in ſacra Scriptura. Anna mater Samuelis, Dei eſſe virtutis dicit *deducere ad Inferos & reducere* (18). De reditu e captivitate Babylonica & Hebraica liberatione ſub reſurrectionis nomine & emblemate agunt Prophetæ non infrequenter (19). Porro de reſurrectione dogma ubique apud Judæos; exceptis Macchabæorum ætate Saducæis, conſtat inter omnes. Sicut & Jeſu Chriſti reſurrectio Judæorum quampluribus probabatur: ac tandem Lazarus ſub ipſis, fere dicam, omnium Iſraelitarum oculis redit ad vitam; ſicut & alios ante illum nonnullos Jeſus pariter ſuſcitaverat. Fruſtra autem expectaretur reſurrectio mortuorum, ſi unus eſſet animæ & corporis interitus.

Mortui per viſum ſpectati non infrequenter in Veteri Teſtamento leguntur; quorum luculentiſſimum eſt exemplum Samuel a Pythoniſſa excitatus (20); Jeremias pariter Judæ Macchabæo ſpectandum ſe per viſum obtulit (21). Gradientem ſuper undas maris nocte intempeſta Jeſum ſpectantes Apoſtoli phantaſma judicarunt (22); ac tandem Jeſus ipſe poſt reſurrectionem ſuam ſeſe offerens Apoſtolis, *Videte*, ait, *& palpate, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet.* Perſuaſum habebant Rabbini, numquam aſſignatas ſibi ſedes obtinere animas poſſe; ſive in Paradiſo ſive apud inferos, niſi prius ſepulturæ corpus mandaretur; quin & ad conditum in terra corpus inviſendum ventitare illas frequenter, quid cum illo fieret, certiores ſe facturas (23), tenent autem, duodecim primorum a morte menſium ſpatio factum eſſe, ut Pythoniſſa animam illam Samuelis, quæ redit ad corpus, revocaret; fruſtra enim ea temporis periodo elapſa, Samuele jam in Paradiſum recepto, mulier illa laboraſſet. Ad Necromantiam quod attinet, cavet Moyſes Levit. 19 31. & 20. 6. 27. ne interrogentur illi, qui mortuos conſulunt; quod capitale eſſe, tam interrogantibus, quam ariolis illis, decernit. In his omnibus

leeta

(1) *Gen.* 6. 17. & 7. 15. (2) *Gen.* 1. 20. 21. 27. (3) *Gen.* 9. 10. (4) *Gen.* 25. 8. (5) *Gen.* 37. 12. (6) *Num.* 20. 24. (7) *Deut.* 32. 50. (8) 2. *Reg.* 12. 23. (9) *Exod.* 3. 6. (10) *Matt.* 22. 32. (11) *Num.* 16. 30. 33. (12) *Prov.* 1. 12. *Deglutiamus eum ſicut infernus viventem.* Et *Pſalm.* 54. 16. *Veniat mors ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes.* Et *Pſal.* 9. 18. *Convertantur peccatores in infernum.* (13) *Num.* 23. 10. (14) *Gen.* 15. 1. (15) 3. *Reg.* 17. 20. 23. (16) 4. *Reg.* 4. 34. 35. &c. (17) 4. *Reg.* 13. 20. 21. (18) 1. *Reg.* 2. 6. (19) *Ezechiel* 37. 1. *Oſee* 13. 14. (20) 1. *Reg.* 28. 13. &c. (21) 2. *Macc.* 15. 14. (22) *Matth.* 14. 20. 26. (23) *Bereſchit Rabb.* c. 22. *Talmud tract. Sanhedrin.* c. 4.

locis uſus eſt voce *Ob* ſeu Oborb, quæ pariter recurrit 1. Reg. 28. 3. ad deſignandam Pythoniſſam, quam Saul conſulit, quæque ejus Regis precibus Samuelis animam revocavit. Cautum eſt pariter in Deuteronomio 18. 11. (Vide & Iſai. 8. 19.) ne quærant a *mortuis veritatem*.

Aperta ſunt hæc ad demoſtrandam Hebræorum perſuaſionem de animarum poſt obitum vita & immortalitate. Quicumque autem in Synagoga animæ immortalitatem negarent, veluti Saducæi; & qui pariter ſolvi, & in nihilum abire illas tenebant, uti Maimonides, & Kimchi (1), veluti hæreſis nota inurebantur, utpote qui contra receptum apud gentem dogma pugnarent. Fit inde, ut ex ipſis immortalitatis animæ adverſariis argumentum deducatur ad adſtruendam communem Judæorum pro eadem ipſa immortalitate ſententiam; qua etiam in re valet impiorum hominum illud apud Eccleſiaſtem 3. 18. 19. 20. *Unus interitus eſt hominis & jumentorum; ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur; ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius; cuncta ſubjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum. & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum?* Quorum cavillationes iſta vir ſapiens exſufflat Eccl. 12. 7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat; & ſpiritus redeat ad Deum, qui dedit illam.* Claudit tandem ſermonem (2): *Deum time & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo. & cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum ſive malum illud ſit.*

ARTICULUS III.

Animarum poſt obitum fata.

ANgelum mortis præſidem ſive invitam, ſive ultro parentem animam e corpore reducentem, veteres Hebræi agnoſcebant. Quicumque præcoci & violenta morte interirent, perinde habebantur, ceu victimæ divinæ ultioni, Angelo mortis & exterminii deſtinatæ, pœnas daturæ ſive criminum ſuorum, ſive parentum, ſive Regum. Ita criminum ſuorum merito percuſſi ſunt a Deo *Her* & *Onan* filii Juda (3); primores natu Ægyptiorum gladium ſenſerunt Angeli exterminatoris (4), Iſraelitas murmuris reos, & copias Sennacherib (5) perdidit Angelus mortis; Septuaginta in Job 33. 23. legunt: *Si fuerint mille Angeli mortiferi, unus eorum non vulnerabit eum;* & Job. 36. 14. *Morietur in tempeſtate anima eorum, & vita eorum vulnerata ab Angelis.* Et Salamon Proverb. 17. 11. *Semper jurgia quærit malus, Angelus autem crudelis mittetur contra eum.*

In Vita Moyſis vulgata a D. Gualmino legimus, Samaelem Principem Dæmonum articulum expectaſſe Interitui Moyſis deſtinatum, quo ſcilicet virum perimens, ſcelum auferret animam; Deum vero id officii Gabrieli commiſiſſe. Id muneris, quod tantum non auderet, precario a ſe removit Gabriel; removit & Michael, ac Zinghiel; ſed malus Angelus Samael recuſatum ab omnibus in ſe ſuſcepit. Accedentem bis repulit Moyſes, ac tandem micantis gloriæ ſuæ fulgore oculorum illius lucem extinxit. Tunc Legislator Deum precatus eſt, ne Angeli mortis poteſtati permitteretur; ad quem voti compotem factum ipſe Deus, adhibitis una ſecum Michaele, Gabriele, & Zinghiele, accedens, animam impacto ori ejus oſculo attraxit, juxta illud: *Moyſes ſervus Domini mortuus eſt ſuper os Domini* (6). Sed recta hujus ſententiæ expoſitio eſt, Moyſem juxta Divinorum verborum fidem obiiſſe.

Doctrina eſt Rabbinorum (7), Angelum mortis ægroti vel animam agentis capiti fulgentem quemdam gladium vibrantem adſiſtere. Ejus aſpectu territus miſer os diducit, ſtatimque Angelus tres venenatas guttas gladii ſui cuſpide intra apertas fauces demittit, quarum priore ſtatim æger extinguitur, altera atro mortis colore inficitur, tertia tandem ſolvitur in cineres. Statim poſt peremptum hominem, Angelus ille in primo, quod occurrerit, vaſe aqua pleno venenatum gladium eluit, unde noxia qualitas aquæ communicata. Quare Judæi totam effundunt, forte tunc in domo occurrentem, aquam, metu ne latex ille inficiatur.

Tenent pariter, animam poſt obitum ad viduatum corpus ventitare frequenter; & ne errare in tenebris cogatur, ſeptem dierum ſpatio incenſam aſſidue lampadem in conclavi detinent (8). Illato autem in tumulum cadavere, Angelus mortis monumento aſſidens, revocat iterum animam in corpus momento manſuram, tamdiu ſcilicet, quamdiu ſtare ſemel poſſit. Stantem Angelus catena quadam partim candente, & partim algente bis percutit: ad primum ictum oſſa friantur; ad ſecundum diſſipantur; tertio tandem cædens totum corpus in cinerem diſſolvit. Succedentes tunc boni Angeli diſperſa colligunt oſſa, & corpus iterum monumento reſtituunt (9). Sed nihil tale occurrit, ſive in Scriptura, ſive in priſcis Judæis. Id tantummodo apud Origenem & Theophylactum de reſurrectione Lazari agentes ad Joannem 11. 43. Judæos, & Paganos perſuaſum habuiſſe, animas poſt obitum aliquo temporis ſpatio, illato in ſepulchrum corpori aſſiſtere; cui falſæ prorſus opinioni deſtruendæ clamavit Jeſus: *Lazare, veni foras.*

ARTICULUS IV.

Judicium Dei in animas.

LEgimus Lucæ 16. 22. animam Lazari mendici tranſtuliſſe Angelos in ſinum Abrahami; certumque tenent Rabbini, S. Michaelis manu juſtorum animas Deo præſentari (10). Refert etiam Joſephus (11), receptum eſſe apud Phariſæos, impiorum animas judicium ſub terra ſubire, damnarique ad inferni ſupplicia. Agnoſcunt Judæi duplex quoddam judicium, privatum poſt obitum, & generale poſt reſurrectionem. Prima dies Tiſri, quæ caput eſt anni, judicio Divino in homines reſervatur; quamquam tunc rationes potius ſupputat, ſeu in examen revocat animas ad infernum jam deſtinatas, verius quam judicat.

Talmudiſtæ (12), juxta doctrinam Sameæ, docent, tres hominum claſſes coram judicio, deſtinata ad eam rem die, ſiſtendas, juſtos, impios, & medios quoſdam homines inter juſtos & impios. Priores illi æterna ſtatim vita donantur; impii infernorum ſuppliciis addicti; medii illi homines, ſive Judæi fuerint, ſive Gentiles, ad Inferna una cum corpore deſcendent, ubi aſcendentes & deſcendentes duodecim menſium ſpatio, aſcendentes nempe ad corpora, & iterum inferna loca repetentes, plorabunt. Evoluta hac temporis periodo, corpora abſumentur; amburentur animæ, quas ventorum impetus ſub pedibus uſque juſtorum diſperdet. Sed Hæretici, & Epicuræi, qui Legem negant, & reſurrectionem mortuorum; Tyranni, ſub quibus terra olim tremuit; & illi omnes, qui exemplo Jeroboami filii Nabat populos cogent ad crimen, per ſæcula in infernis punientur. Agnoſcebant ergo Judæi, quantum ex his intelligimus, genus quoddam Purgatorii, qua de re iuſra fuſius. Modo Scripturæ & Veteris Inſtrumenti teſtimoniis conſtituendus eſt locus quem Paradiſum vocant, & Infernum.

ARTI-

(1) *Maimon. & alii quidam, ut D. Kimch. in Pſal.* 1. 5. & 104. 29. (2) *Ibid. ver.* 13. (3) *Geneſ.* 38. 7. 10. (4) *Exod.* 12. 23. 29. (5) *Iſaia* 37. 36. & 4. *Reg.* 19. 35. (6) *Deut.* 34. 5. *Mortuus eſt Moyſes jubente Domino. Hebr. Super os Domini.* (7) *Talmud. Vide Buxtorf. Synag. Jud. c.* 35. *pag.* 507. (8) *Bartolocc. l.* 2. *pag.* 147. *Buxtorf. loc. cit.* (9) *Buxtorf. Synag. c.* 35. (10) *Vide Targ. in Cantic.* 4. 12. & *Reſbith Chochmah c.* 3. (11) *Antiquit. l.* 18. *c.* 2. *p.* 617. *Et de bello, lib.* 2. *c.* 12. (12) *Talmud in Gemar. tract. Roſch Haſchana, c.* 1. *fol.* 16.

ARTICULUS V.

Paradiſi felicitas.

NIhil ſatis luculentum apud Moyſem de vita æterna ac futuri ſtatus felicitate, juſtorum præmio deſtinata: inſinuat tamen hæc omnia non obſcure nec infrequenter. Deus ad Moyſem ait, Exod. 33. 20. *Non videbit me homo & vivet*: quaſi ſcilicet poſt obitum tantum Dei Viſione homo ſit fruiturus. Deus Levit. 18. 5. pollicetur, *Cuſtodite leges meas atque judicia, quæ faciens homo vivet in eis*. Et Deut. 30. 15. 19. *Conſidera quod hodie propoſuerim in conſpectu tuo vitam & bonum* (ſi nempe Dei legibus parueris), *& e contrario mortem & malum* (ſi deteriora exempla ſequeris). Profecto nec ea, quæ in corpore eſt, vita ſatis æquum eſt pro meritis juſtorum, morigeros ſe divinis juſſionibus exhibentium, præmium; neque ſatis reſpondet pœna mortis ſceleri eorum, qui Legem Dei prævertere auſi ſunt. Experientia pariter habemus compertum, viros illos, qui juſtiſſimi habentur in hac vita, non continuo & feliciſſimos eſſe, & diuturnius agere in terris; ſicut viciſſim impiis quandoque omnia veliſicantur; optima nempe corporis habitudo, vita diuturnior. Manent ergo in altera vita æterna præmia & ſupplicia.

Abigail Davidem affata ait (1): *Erit anima Domini mei cuſtodita, quaſi in faſciculo viventium, apud Dominum Deum tuum. Porro inimicorum tuorum anima rotabitur, quaſi in impetu, & faſciculo fundæ.* Quid *faſciculus viventium*, niſi juſtorum in altera vita felicitas? Quid animæ *rotatio*, niſi impiorum in Inferno ſupplicia?

Frequentiſſime in Pſalmis, & Prophetis ſub figurarum emblematis conſtituta viris probis felicitas in altera vita deſignatur; veluti cum juſtorum Animæ potandæ dicuntur torrente voluptatis. Huc pertinet fons vitæ, quo inebriantur; inſtructiſſimum illud convivium, cui aſſident commenſales: terra viventium, quam incolent: Regnum Cœlorum, ad quod invitantur; corona gloriæ, qua rediminuntur: nitor ille & fulgor majeſtatis, quo veſtientur (2).

Martyres ſub Altare Dei exhibet S. Ioannes, Apoc. 6. 6. animas Moyſis & Sanctorum ſub throno Dei collocant Rabbini (3); in ſinu Abraham conſtituit Jeſus Chriſtus (4). Samuel Sauli per viſum ſeſe offerens, objurgat (5): *Quare inquietaſti me?* Jeſus Chriſtus ad Latronem illum probum (6): *Hodie mecum eris in Paradiſo*. Ipſe pariter Jeſus comparat Regnum Cœlorum convivio (7), cui nec fatuæ Virgines, nec impii, nec veſte nuptiali deſtituti aſſidere permiſſi ſunt: ſed rejecti illi in tenebras exteriores projiciuntur, ubi eſt fletus, deſperatio, conſcientiæ angores, & ſtridor dentium. Agit alibi de vitæ hujus felicitate, tamquam de Regno, in quo primas tenent amici & fidiſſimi quique miniſtri (8). His omnibus ſatis inſtruimur, eamdem fuiſſe Hebræorum olim, quæ & noſtri temporis, perſuaſionem, de futuræ vitæ felicitate, quam magnificis verborum emblematis exprimebant.

Quamquam juſtorum in altera vita locus deſtinatus alius plane eſt, & diſſitus maxime ab impiorum carcere: *Inter nos & vos*, ait, *chaos magnum firmatum eſt* (9): cruciat tamen, & maxime cruciat impios ſub eorum velut oculis expoſita juſtorum felicitas & gloria (10): *Hi ſunt*, ita illi inter ſe reputant, *quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter Sanctos ſors illorum eſt. ...... Talia dixerunt in Inferno hi, qui peccaverunt.* Impius ille dives Lazari mendici felicitatem oculatus teſtis ſpectavit (11), rogavitque Abrahamum, ut in mundum mittere Lazarum dignaretur; quo fratres ſuos moneret, ne quid committerent, ut ad æterna hæc ſupplicia damnarentur. Author quarti Eſdræ (12) narrat, juſtorum animas clamare ad Dominum *in promptuariis ſuis* in hæc verba. *Uſquequo ſpero ſic? & quando veniet fructus area mercedis noſtræ? Et reſpondit ad ea Jeremiel Archangelus, & dixit: Quando impletus fuerit numerus ſeminum in vobis*. Quæ ſane plurimum quadrant cum illo Apocalypſis 6. 10. ubi Martyrum animæ ſub Altare poſitæ clamant ad Dominum: *Uſquequo non vindicas ſanguinem noſtrum?* quibus reſponſum eſt, ſuſtinerent adhuc modicum, quoad uſque fratrum & conſervorum ſuorum numerus impleretur; qui omnes vitam ſuam pro Domino eſſent daturi.

ARTICULUS VI.

Infernorum ſupplicia.

INferni locus deſignatur in Scriptura ſub nominibus tenebrarum (13), perditionis, corruptionis, terræ oblivionis, ſilentii (14), profunditatis, procellæ, abyſſi, putei (15), umbræ mortis (16), loci horroris & confuſionis. Moyſes in Iſraelitas adverſus Dominum refractarios invectus, ait (17): *Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, & ardebit uſque ad Inferni noviſſima; devorabitque terram cum germine ſuo, montium fundamenta comburet.* Habemus hic conſtitutum ignem ſubterraneum Inferni, locum perditionis in imo terræ fundo ſub ipſis montium fundamentis, ſub aquarum abyſſo. Hebræi etenim terram & montes aquis imponunt; aquis autem inferiorem collocant Infernum. In imo hoc carcere torti Gigantes ejulant (18): *Gigantes gemunt ſub aquis*. In hunc locum impii veluti morticina in loca quædam immunda projiciuntur (19). Idem pariter locus horroris, incognitus, impervius obtutibus hominum, oculis Dei nudus eſt & apertus (20).

Hæc de pœnis Inferni Iſaias 66. 24. *Cadavera virorum, qui prævaricati ſunt me: Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt uſque ad ſatietatem viſionis univerſæ carni*. Jeſus Chriſtus Matthæi 9. 44. Inferno accommodat hunc Prophetæ locum. Mulieris proſtitutæ vias deducere ad Inferos ait (21) Salomon, ad *ſedes* nempe *Rephaim*, veterum ſcilicet Gigantum, qui vias ſuas ante diluvium corrumpentes, nominis ſui terrorem univerſum concuſſerunt. *Vir, qui erraverit a via doctrinæ, in cœtu Gigantum commorabitur* (22). Ibi poſitos Gigantes nulla manet egrediendi ſpes. Pſalmiſta Pſal. 78. 11. *Aut medici ſuſcitabunt* (Hebr. aut Rephaim ſeu Gigantes reſurgent) *& confitebuntur?* Iſaias 26. 14. *Morientes non vivant, Gigantes non reſurgant: propterea viſitaſti, & contriviſti eos, & perdidiſti omnem memoriam eorum*. Et de Iſraelitis agens, futurum denunciat, ut a Deo in vitam lucidi roris imbre demiſſo revocentur; ſicut viciſſim in eorum adverſarios deturbabit Deus *terram Gigantum*, (Hebr. Rephaim), ſub terra nempe Gigantea claudens, in tenebricoſo quodam carcere (23). Vide etiam Ezechielis 31. 15. *Operui eum in abyſſo*; & Jeremias Threo. 3. 52. *Venatione ceperunt me quaſi avem inimici mei gratis. Lapſa eſt in lacum vita mea, & poſuerunt lapidem ſuper me. Inundaverunt aquæ ſuper caput meum: dixi: Perii. Invocavi nomen tuum, Domine, de lacu noviſſimo*.

Congruunt poſtrema hæc Prophetæ verba cum Pſalmiſta Pſal. 68. 16. Deum rogante, ne unquam permittat ut in abyſſum deturbetur, nec Inferni fauces ſuper ſe claudantur. Nec incongrue eo pariter referretur inſomnium Eri, de quo Plato de Rep. l. 10.

(1) 1. *Reg.* 25. 29. (2) *Dan.* 13. 3. *Sap.* 3. 7. (3) *Vide Vindit. de vita functorum ſtatu ſcit.* 7. (4) *Luc.* 16. 22. (5) 1. *Reg.* 28. 15. (6) *Luc.* 23. 43. (7) *Matth.* 8. 11. *Luc.* 13 28. (8) *Matth* 20 21. (9) *Luc.* 16. 26. (10) *Sap.* 5. 3. (11) *Luc.* 16. 23. *&c.* (12) 4. *Eſdr.* 4. 36. *&c.* (13) *Pſal.* 87. 13. 14. *&* 1. *Reg.* 2. 9. (14) *Pſal.* 94. 17. *&* 15. 17. 3. *in Hebræo.* (15) *Pſal.* 68. 16. (16) *Pſal.* 88 7. 8. *Job* 10. 22. (17) *Deut.* 32 22. (18) *Job* 25. 5. (19) *Pſal.* 49. 15. *&* 141. 7. (20) *Job* 26. 6. *Prov.* 15. 11. (21) *Prov.* 2. 18. *&* 9. 18. (22) *Prov.* 21. 16. (23) *Iſai.* 26. 19.

lib. 10. Vir erat Armenius, qui in prælio tamquam mortuus relictus, integer & incorruptus biduo poſt in ædes ſuas relatus eſt; & cum evolutis 12. diebus pyræ tamquam defunctus imponendus eſſet, ad vitam reverſus, quæcumque in altera vita ſpectaverat in frequenti auditorum corona narrare aggreſſus eſt. Referebat autem, ſe una cum conſerta mortuorum turba, coram Judicibus ſteтiſſe: ad Judicum autem illorum imperium Juſtos Cœli alis teroiſſe, a dextera ſedentes; impios vero rejectos ad ſiniſtram, quos operimentum quoddam aduſque terræ profundiſſima demiſſum tegebat. Addebat, ſe, cum ſuo ordine judicandus acceſſiſſet, audiviſſe a Judicibus, oportere ut annunciandis iis, quæ viderat, regrederetur in terram.

Quibus oneratus juſſionibus ſedulo exinde omnia ſpectavit, quo certiores de illis faceret viventes: animadvertiſſe autem, animas, quæ in Cœlum aſcenderant, quæque ſub terram rejectæ fuerant, per eoſdem veluti canales unde iverant, regredi deinde ſingulas; fulgentes quidem & puras animas, quæ e Cœli plagis venirent; ſordeſcentes vero, quæ ex Inferis aſcenderent. Ut autem veniebant, ſtatim ſe conferebant in ampliſſimum quoddam pratum, quaſi a labore feſſæ ſolatium quoddam capeſſturæ: ibi vero, quæcumque inter ſe conſuetudine quadam ſueverant conjunctæ, amplexu & propriorum eventuum narratione prioris amicitiæ vinculum magis magiſque ſtringebant.

Mulctabantur eo privilegio animæ ſceleſtiſſimorum virorum, tyrannorum, & hominum humano generi pernicioſiſſimorum; cum enim illæ ad oſtium, aditum tentaturæ, accederent, terra renitente, ingentique mugitu reboante, repellebantur. Aderant non longe viri quidam terribiles, ignem ejaculantes ex oculis, qui regredi eo, unde exierant, nolentes reluctanteſque cogebant. Hæc Armenius ille, conſona referens tum præjudiciis, quibus ipſe tenebatur, tum gentis ſuæ de ſtatu animarum poſt obitum perſuaſioni.

In hanc fere ſententiam docent Rabbini, defunctorum animas ire & redire ad Inferna, patentibus illis duodecim priorum menſium ab obitu ſpatio tenebricoſi illius carceris foribus; quamquam ſceleſtiſſimorum animæ ita in ſuppliciis tenentur, ut ne momento quidem vacent a pœna. Liber Henoch narrat, S. Michaelem a Deo juſſum, Semiaz alioſque perduelles Angelos comprehendiſſe, oneraſſe catenis, ad imum terræ fundum raptaſſe, ubi 70. generationum ſpatio torquebuntur; quibus evolutis, ſiſtentur ad judicium, ac deturbabuntur præcipites in chaos ignis æterni, nigro quodam in loco detenti, catenis onerati, æternis cruciatibus addicti. Tandem gemina ferme animadvertas in Apocalypſi 20. 3. Angelus e Cœlo deſcendit clavem tenens abyſſi, Dæmonem arripit, veterem illum colubrum alligat, in abyſſum deturbat, oſtium ſuper ipſum claudit, munitque ſigillo, ut aditum omnem interdicat.

Sed Veteris Teſtamenti documenta, ea occaſione illius ſomnii intermiſſa, iterum reſumamus. Iſaias 14. 9. &c. de Rege Babylonis ait: *Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſu adventus tui, ſuſcitabit tibi Gigantes. Omnes Principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes Principes nationum. Univerſi reſpondebunt & dicent tibi: Et tu vulneratus es ſicut & nos, noſtri ſimilis effectus es. Detracta eſt ad Inferos ſuperbia tua, concidit cadaver tuum; ſubter te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes. Ad Infernum detraheris in profundum laci. Qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque proſpicient: Numquid iſte eſt vir, qui conturbavit terram, qui concuſſit Regna?* Spectare licet in hoc Prophetæ loco Reges & Principes in Inferno dignitatis ſuæ inſignia quædam retinentes, & veluti ſolatium aliquod capientes de conſuetudine ceterorum, quibuſcum morum aliqua erat illis affinitas.

Ezechiel. 31. 15. &c. ad Regem Ægypti loquens, veluti conſolaturus revocat in memoriam, Aſſyrium olim tamquam Cedrum Libani procerum, inſignem, viriditate ſua ſpectabilem, quod tumidi cordis faſtu ſuperbierit, potentiſſimo nationum Deum faſtoſum illum ſubjeciſſe, a quo dejectus & in fruſta concideretur; quo pariter infortunio implicarentur ceteræ circumplantatæ arbores: ad imum terræ dejectæ *inter medios filiorum hominum*, qui in tumulum deſcenderunt: *In die quando Aſſur deſcendit ad inferos* (*ait Dominus*) *induxi luctum, operui eum abyſſo*, (ne ſcilicet egrediatur) *& prohibui flumina ejus, & coercui aquas multas. Contriſtatus eſt ſuper eum Libanus, & omnia ligna agri concuſſa ſunt. A ſonitu ruinæ ejus commovi gentes, cum deducerem eum ad Infernum* (ad ſepulchrum). *Et conſolata ſunt in terra infima omnia ligna voluptatis egregia* (Hebr. ligna Eden, arboria bonorum delicioſiſſimorum) *atque præclara in Libano, univerſa, quæ irrigabantur aquis: nam & ipſi cum eo deſcendent in Infernum ad interfectos gladio, & brachium uniuſcujuſque ſedebit ſub umbraculo ejus in medio nationum. Cui aſſimilatus es o inclyte atque ſublimis inter ligna voluptatis?* (na Eden) *Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram ultimam: in medio Incircumciſorum dormieris, cum eis, qui interfecti ſunt gladio: ipſe eſt Pharao, & omnis multitudo ejus.*

Comparat hic Propheta Aſſyrium cedro Libani, & ceteros ante ipſum Reges in Infernis detentos, arboribus horti Eden, nempe terreſtris Paradiſi. Proſequitur in cap. 32. 19. de Rege Ægypti, qui una cum ſuis ad imum terræ fundum deſcendit. *Deſcende, & dormi cum incircumciſis. In medio interfectorum gladio cadent. Gladius datus eſt, attraxerunt eam, & omnes populos ejus. Ibi Aſſur, & omnis multitudo ejus, in circuitu illius ſepulchra ejus: omnes interfecti, & qui ceciderunt gladio. Quorum data ſunt ſepulchra in noviſſimis laci: & facta eſt multitudo ejus per gyrum ſepulchri ejus: univerſi interfecti cadenteſque gladio, qui dederant quondam formidinem in terra viventium. Ibi Ælam, Moſoch, & Thubal .. Et non dormient cum fortibus, cadentibuſque, & incircumciſis, qui deſcenderunt ad Infernum cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis. Ibi Idumæa, & Reges ejus & omnes Duces ejus. Ibi Principes Aquilonis omnes, & univerſi venatores, qui deducti ſunt cum interfectis, qui dormierunt incircumciſi cum interfectis gladio. Vidit eos Pharao, & conſolatus eſt ſuper univerſa multitudine ſua, quæ interfecta eſt gladio.*

Animadvertiſſe juvat, (*) nullam hic fieri de Iſraelitis mentionem, expreſſis tantum Incircumciſis, Tyrannis, & ſæviſſimis quibuſque Principibus, hominum exitio datis. Sedulo etiam diſtinguunt Rabbini inter Iſraelitas ceteroſque populos. Iſraelitici generis neminem a futuri ſæculi felicitate excludendum autumantes. Vide Ezechiel. 26. 19. 20. ubi de Tyro, tamquam de homine quodam agens, deducendum illum in abyſſum minitatur, diluvii aquis oppreſſum; ac tandem in Infernum raptandum, in imo terræ fundo ad *populum ſempiternum*.

Nec ab iſtis abludunt, quæ legimus apud Joſephum (1). Eſſeni, ait ille, immortalitatem animarum defendunt, docentes, illas vix e corporis laqueo ſolutas, ovantes ad Cœlum veluti longa ſervitute liberatas ſeſe conferre. Juſtorum animæ trans Oceanum tranſlatæ, in locum quietis & deliciarum pleniſſimum, ubi nihil incommodi, anni vices nullæ. Impiorum vero extorres aguntur in loca injuriis aeris expoſita, ubi æterna manent tormenta. Quæ in re eadem ferme ſedit Eſſeniis ac Poetis noſtratibus, cum ſcilicet Tartari & Plutonis Regna deſcribunt, ſententia. Idem Joſephus de Phariſæis teſtatur, habere illos perſuaſum, animas immortales poſt deceſſum deliciis in altera vita frui, facilemque habe-

(*) Ita tamen hæc Rabbinorum deliciis cum Scripturæ phraſibus vulgaribus convenire credimus, ut nihil tamen habeant magis, quam expreſſam e Scripturis doctrinam, repugnans. (1). *De Bello l. 2. c. 12. pag. 787. 788. & Antiquit. l. 18. cap. 2. pag. 617.*

habere in alia corpora regreſſum. Hæc de probis; improbas vero animas tenent æternis pœnis addici.

Ab aliorum Judæorum dogmate quod pœnas impiorum ac juſtorum præmia non recedens Philo (1), æque tamen diſſidet a Paganorum & Eſſeniorum pariter ſententia, quod attinet ad Infernum. Quæcumque enim feruntur de Tantalis, Syſyphis, Ixionibus, ceteriſque ejus ſaporis apud Poetas, ad fabellas amandat, certum conſtituens, Infernum nihil eſſe aliud quam impuram & vitiis fœdiſſimam vitam. Hæc ille quidem allegorice. Ceterum aſſerendum nobis de Authore iſto credimus, nihil ſatis exactum ſcripſiſſe illum, ſive de loco, ubi impiorum animæ torquentur, ſive de ſuppliciorum genere. Quin & hæc omnia tormenta intra illum tantum temporis articulum definire videtur, quo impiorum animæ divortium faciunt a corpore, amarum illis oppido momentum, & ingentium malorum complexum.

Conſtat inter omnes, apertiſſima legi in N. T. de Paradiſo & Inferno, gloria Juſtorum & Impiorum ſuppliciis, beatitudine æternoque igne, utramque paginam implentia teſtimonia. Poſtrema illa Judicii die hanc proferet Jeſus Chriſtus adverſus impios ſententiam (2): *Diſcedite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis ejus.* Juſtos vero hisce conſolabitur: *Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum a conſtitutione mundi.* S. Joannes in Apocalypſi (3) Infernum deſignat nomine *abyſſi, perditionis, & mortis ſecundæ.* S. Judas hæc ſcribit vers. 6. de Angelis, qui non ſervaverunt ſuum Principatum: *In judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine* (Deus) *reſervavit. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ Civitates ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnas ſuſtinentes. Similiter & hi, qui carnem quidem maculant.* Fruſtra in re certa teſtimonia congererentur.

ARTICULUS VII.

Metempſychoſis.

Ut de Metempſychoſi tractemus, & argumenti connexio petit & ſententiæ in eam rem Pharisæorum & Rabbinorum compluriom expoſcunt. Docebant Phariſæi, Juſtorum animabus poſt factum a priori corpore divortium, pronum dari in alia quæcumque corpora aditum (4). Tradit etiam Philo (5), animas ex aere in corpora illabentes, poſt ſolutum corporis vinculum, aerem repetere; ex illis vero aliquas inviſam ſemper habere materiam, nihilque magis metuere, quam ut iterum ad corpora redigatur, alias autem averſa plane ab illis indole, inſita naturæ propenſione, corpora iterum repoſcere.

Quicumque inter Judæos favent metempſychoſi, ſive, ut appellant, animarum circumvolutioni, laudant in eam rem illud Jobi 33. 29. *Hæc omnia operatur Deus, tribus vicibus per ſingulos* (homines); quod illi explicant de triplici revolutione, ſeu triplici regreſſu animarum ad corpora. Alii vero dictum exponunt de triplici anima, quam hominum ſingulis aſſignant. Verus tamen, & genuinus loci ſenſus eſt, Deum ſemel, bis & tertio, i. e. frequenter hominem a diſcrimine liberare.

Pro metempſychoſi etiam afferunt locum Iſaiæ 22. 14. ex Paraphraſte Chaldæo: *Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini:* Chaldæus habet: *Uſque ad ſecundam mortem;* nempe, ut Judæi exponunt, ad ſecundi uſque corporis, ejuſdem animæ contubernii, interitum; quo ſecundo in corpore anima commiſſa priori vita ſcelera luet. Reipſa tamen ſermo ibi eſt de morte æterna, quam nomine ſecundæ mortis S. Joannes ſemel, iterum & tertio in Apocalypſi deſignat (6). Afferunt tandem authoritatem Libri Zohar (7), vetuſtiſſimi & magni inter illos momenti, non obſcure metempſychoſi faventis.

Nihil tamen habent Judæi vetuſtius Joſepho, & Philone, quorum teſtimonia adduximus. Conſtat etiam ex Evangelio, opinionem illam Jeſu Chriſti ætate plurimum apud Judæos invaluiſſe; quærens enim Chriſtus ab Apoſtolis, quis ipſe qualiſque a Judæis reputaretur, reſpondentes audivit (8): *Alii Joannem Baptiſtam; alii autem Eliam; alii vero Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Et Herodes Tetrarcha (9), audita prodigiorum Jeſu Chriſti fama, venit in ſuſpicionem; num Joannes Baptiſta, quem ipſe obtruncaverat, rediiſſet ad vitam. Obtinebat maxime dogma illud in Oriente, & apud Ægyptios potiſſimum, qui conſtanti ſemper fide huic ſe inhæſiſſe jactitabant (10). Obtinebat pariter & apud Philoſophos, ſive Platonicos, ſive Pythagoricos; nec ab aliis facile, quam a Paganis, receperunt Judæi.

Nihil enim ſatis ad illud conducens occurrit in Scriptura; loca enim omnia, ubi ſermo eſt de tranſmigratione ſpiritus ex uno in alterum hominem, explicanda ſunt de Spiritu Sancto, ab uno in alterum derivato, e. g. a Moyſe in Joſue, a Joſue in Othonielem, ab Elia in Eliſeum; cum ſcilicet Deus deceſſoris Spiritum in ſucceſſorem transfundit. Afferunt etiam in hanc rem ſanctionem illam Legis, quæ Iſraelitis mandat, ut viduam fratris ſine liberis decedentis ſuperſtes frater ducat, quo defuncto illi proles ſuſcitetur. Sed quid hæc ad metempſychoſim? Nec ſane magis congruit, quod afferunt ex Gen. 3. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris:* quaſi ſcilicet apertiſſima hæc ſint pro regreſſu animæ ad ſecundam vitam, reſoluto per mortem priori illo ac terreno corpore. Reipſa tamen textus ille exprimit neceſſitatem mortis, homini poſt crimen impoſitam.

Cabaliſtæ, potiſſimi dogmatis hujus aſſertores apud Hebræos, leviſſima plura & minuta ad eam rem afferunt, quorum numerus & ſedulitatem noſtram vincit; & futiliora ſunt quam ut juvet in rem præſentem ſingula expendere: cum maxime ea tantum afferre ſtudeamus, quæ apud veteres Hebræos ſancta erant in hoc argumentum, ut locis quibuſdam Scripturæ ſua aſtruatur. En igitur potiſſimum dogmatis de tranſmigratione fundamentum (11). Ne ulla maneat animas cauſatio, quaſi ſcilicet in mala affecta corpora demiſſæ omnia ſervare Dei præcepta vix ac ne vix quidem valuerint, quippe quarum alia obtigerit corpus melancholiæ humore nimis tetrum, alius bilioſum, alia ad iracundiam pronum, alius ad voluptatem factum. His igitur omnibus tollendis cauſationibus Deus optimus, per alia & alia corpora animas illas traducet, ut ſi forte contigerit, quo ad ſupplicia damnentur, nullam prætendere poſſint pro ſe cauſationem. Ita commodum eſt cuique eum perfectionis gradum, quem in primo corpore attingere non poterat, aſſequi in ſecundo, atque ita tandem ad alterius vitæ felicitatem ſibi deſtinatam pervenire.

Tertio autem hanc animarum tranſmigrationem reperi autumant ab illo Jobi, quod a nobis ſupra laudatum, altero tamen explicari ſenſu demonſtravimus. Ad rationes ceteras ſupra deductas quod attinet, nihil ſane iſtæ minus, quam metempſychoſis neceſſitatem evincunt. Nullam nos quidem juſtam prætendere poſſumus cauſationem, ſi ab officio defuerimus, neque impoſitum nobis perfectionis penſum ſolverimus. Nihil impoſſibile exigit Deus, nec niſi pro meritis ſupplicia decernit.

Mirari autem ſubit, quomodo Judæi in eam perſuaſionem venire potuerint, animam Joannis Baptiſtæ in Jeſum Chriſtum migraſſe, cum Joannes Jeſu Chriſto vixerit coævus, Baptiſmo illum tinxerit, ſuoque teſtimonio commendaverit. Sed certum tenent Rabbini, ad tres uſque animas homini aſſignari, ac fieri utique poſſe, ut unam habenti animam altera deinde ſu-

(1) *De congreſſu quærendæ eruditionis cauſa.* (2) *Matth.* 25. 41. (3) *Apocal.* 2. 11. & 20. 6. 14. & 21. 8. (4) *Joſeph. Antiquit. l.* 18. *c.* 2. *pag.* 617. *Et de bello l.* 2. *c.* 12. *pag.* 788. (5) *Philo de ſomniis pag.* 586. (6) *Apoc.* 2. 11. & 20. 6. 14. & 21. 8. (7) *Zohar, Paraſ. Haje Sara.* (8) *Matth.* 16. 14. (9) *Marc.* 6. 14. 15. 16. (10) *Herodot. l.* 2. *c.* 123. (11) *Menaſſ. Ben Iſrael de Reſurrect. mortuor. l.* 2. *c.* 18.

de ſuperveniat (1); altera, inquam, ſive anteactæ vitæ ſcelera expiatura, ſive novum perfectionis gradum adeptura, ſive officium ſuum majori cura impletura. Tunc ſecunda illa anima veluti ſpiritualis pater habetur illius, quem animat; quo ſenſu cenſent Rabbini Sanctis viris filios eſſe poſſe in altera vita. Commodum itaque fuit animæ Joannis Baptiſtæ, ut poſt obitum in corpus Jeſu tranſmigraret; atque nimis credulis ea perſuaſio induci potuit, Joannem Baptiſtam iterum ad vitam rediiſſe, & miracula coruſcaſſe.

Neque in homines tantum migrare animas putabant; pronas illis eraſt in bruta & in res etiam inanimatas transitus; aſſerit enim Rabbinus quidam noſſe ſe virum quemdam maledicum, cujus anima in arentem quemdam torrentem miſſa fuerit, ſeque illic eam verſantem agnoviſſe. Hanc ille fabellam, quamquam alioqui ſupra fidem, credulis Diſcipulis perſuaſit. Tenebat inſuper, virorum animas ad mulierum corpora interdum migrare; quamquam tunc ſteriles animæ illæ manerent, nec perficerentur; unde, inquiunt, factum eſt, ut Deus non niſi raro poſtremam hanc revolutionem permittat. Sunt tandem quæ transformentur in leones, in angues, in aſinum, ſingulæ juxta pravam illam, quam fovent, indolem (2).

Hanc animarum revolutionem ad allegoriam detorquere viſus eſt Philo (3), ita commentus: Quicumque rationis diſciplina non imbuitur, ille in bruti naturam tranſmutatur, quamquam alioqui nihil illi de priſtina hominis figura decedit. Conſtat tamen Veteres æque & Recentiores metempſychoſim reipſa tenuiſſe; quam pariter in locis ſupra laudatis Philo non obſcure prætérit: quamquam ipſe non meminit niſi de revolutione animarum in corpora humana, quæ omnium eſt communiſſima. Utcumque vero ſentiebant Veteres, nec ad tempora, ſive ad certam revolutionum periodum definiebant (4).

Omnia mutantur, nihil interit. Errat, & illinc
Huc venit; hinc illuc, & quos libet occupat artus
Spiritus, aque feris humana in corpora tranſit
Inque feras noſter: nec tempore deperit ullo.

ARTICULUS VIII.

Purgatorium.

MOdo quid Judæi de Purgatorio ſentirent, inveſtigandum. Profecto noſſe illos aliquid de Purgatorio, toto anno ab obitu hominis perſeverante, ex iis quæ ſupra deduximus, ſatis arbitror conſtare. Eo temporis periodo integrum eſt animabus ex Infernis ad terram aſcendere, corpus ſuum inviſuris, loca, & homines, quibuſcum peculiarem habuerant conſuetudinem. Toto hoc temporis ſpatio pro animarum requie preces offerebant Judæi, ſolaminis aliquid illis, quietis, & a criminibus expiationis ſe allaturos ſperantes.

Veterum Judæorum in eam rem ſententiam luculente ſatis exprimitur 2. Macch. 12. 40. 43. Cum milites quidam Hebræi in certamine necati inter legendà ſpolia invenirentur celata ferre ſub veſtibus idolotita quædam, e manubiis Templi Jamniæ, quod crimeo erat contra Legis ſanctionem apertiſſimum (5): *Omnibus manifeſtum factum eſt, ob hanc cauſam eos corruiſſe.... Atque ita ad preces converſi, rogaverunt, ut id, quod factum erat, delictum oblivioni traderet ..... At Judas facta collatione duodecim millia drachmas argenti miſit Jeroſolymam, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium.* Habebant ergo perſuaſum, in locum quemdam illos emandatos eſſe, ubi levaminis aliquid precibus & ſacrificiis ſentirent: & non in loco detineri, unde egreſſus omnis præcluditur.

Diſſert. Calmet Tom. II.

Tenebant illi, locum, ubi *prævaricatores Iſrael*, nempe qui libertatem a pœnis ſperare poterant, torquerentur; ipſiſſimum eſſe Infernum, locum illum deſtinatum ſuppliciis æternis impiorum, atheorum & ſceleſtiſſimorum, quos nulla maneret ſpes reditus, & libertatis: diſcrimen tamen eſſe inter hos & priores illos reabantur. Primo ad pœnam quod attinet, minoribus ſuppliciis prævaricatores illos torqueri; ſecundo breviori tempore; conſtituta enim in prævaricatores Iſrael pœna ad certam diem determinata erat, quin & levabantur plurimum precibus & oblationibus viventium; impiis æterna omnia.

Fabellas etiam in Libris ſuis narrant, quibus dogma de Purgatorio longe lateque apud illos vulgatum haberi demonſtratur (6). R. Eliſeus, filius Abiæ, ſuperſtes adhuc ſemel in Paradiſum introductus, ingratum aliquid ſpectavit; quare minus lætus pedem inde retulit. Docuit ille duo rerum principia, bonum nempe, & malum, in hæreſim degenerans: nomen pariter immutavit in *Eliſeum-Acher*, id eſt *Eliſeum in alium transmutatum*. Diſcipulum ſuum R. Meir hortatorem habuit, ut tandem reſipiſceret, quod & in exitu vitæ executioni mandavit. Cum autem de viri illius ſalute poſt obitum plures dubii verſarentur, fidem ſuam obligavit Meir, poſt obitum emiſſurum ſe e Præceptoris tumulo fumum, Purgatorii, cui ille addictus eſſet, indicium; quem pariter fumum ſtatim imperio ſuo ceſſaturum edixit Johanan Rabbinus, in ſignum educti hominis e Purgatorio; utroque fidem ſuam liberante, ſalus Eliſei certa conſtitit omnibus.

Narrant pariter (7), R. Akibam per cœmeterium tranſeuntem, in hominem diu antea defunctum incidiſſe, qui ingentem pondere lignorum ſarcinam in humeris deferens, præcipiti curſu rapiebatur. Interrogatus a Rabbino, quis eſſet, num alicujus indigeret opis? reſpondit, ſe quidem damnatum eſſe ad lanium, & carbonarium exercendum: dum viveret, Telonarium egiſſe, non ſine pauperum extorſione, atque ingentium aliorum criminum maleficio. Raptim hæc dicebat, rogans, ne diutius retineretur; moram omnem pœnarum ſuarum prorogationem eſſe cauſatus; ſi quid autem vellet ſibi gratum præſtare, curaret ut uxorem ſuam, quam fœtam reliquerat, conveniret & ſi forte natum ex ea filium intelligeret, fœminam rogaret, ut filium ipſum ad offerendas pro Patre preces inſtrueret in hanc formulam: *Benedicite Dominum, & ſit ille benedictus.* Filium Akiba nactus circumciſione initiavit, docuitque Deum rogare; duxit ad Synagogam, & vix puer ille precem in illa verba concepit, *Benedicite Dominum, & ſit ille benedictus in ſæcula ſæculorum*, Pater e Purgatorii flammis liberatus, per viſum ſeſe offerens Akibæ, de præſtito ſibi pietatis officio grates Rabbino egit quam maximas.

Sabbati dies gratiarum eſt & indulgentiæ animabus Purgatorii, ſi Judæos audias; omnes enim pœnæ ea die ſuſpenduntur. Cui dogmati fidem recuſanti alicui, Rabbinus ad ſenſum demonſtravit, nullum ea die fumum e tumulo Patris ſui efferri oſtendens. Indulgentiæ eſt pariter dies ſolemni Expiationi ſacra; cum enim precibus multas horas impendant Judæi, plurima exerceant pœnitentiæ opera, plurimum id pariter ſolaminis afferri miſeris illis opinantur. Rationes etiam ea die ſingularum animarum ſupputat Deus. Perſuaſum eſt autem Judæis, animas illas in loco Expiationis non niſi 12. menſium ſpatio perſeverare; 12. inquam, menſium, non anni, quod ſcilicet annus 13. interdum menſibus, ſicut intercalaribus accidit, conſtet.

Eſt autem Purgatorium, dicunt illi, in *Gehenna ſuperiori*, quam etiam appellant ſinum Abrahæ, theſaurum viventium, hortum Eden. Infernus eſt autem in *Gehenna inferiori*; in duos enim gradus diſtin-

(1) *Vide R. Iſaac. Lorienſ. de revol. anim. cap. 5.* (2) *Vide Jechiel Malo apud Gaulmin. not. ad vitam Moſis pag. 327.* (3) *De Legib. ſpecial.* (4) *Ovid. Metamorph. lib. 15.*

(5) *Deut. 7. 25. 26. Nec inferes quidquam ex Idolo in domum tuam.* (6) *Vide Cod. Chagigoth, & Iſrael pag. 170. col. 2. Bartoloc. l. 5. p. 258.* (7) *R. Tanchum. Paraſ. Toledoth Noah.*

guunt Infernum (1). Tenent pariter, Iſraelitas omnes partem habere in futuro ſæculo (2), nempe in beatitudine, quo ſtatim poſt obitum, vel ſaltem poſt expiata in Purgatorio crimina reciperentur. Hanc falſam illorum perſuaſionem reprobaſſe credunt Interpretes nonnulli Jeſum Chriſtum in illo Matth. 12. 32. *Qui dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, nec in futuro*, ſicut & in altero Matthæi 3. 9. ubi futurum proteſtatur Jeſus, ut nihil illis proſit quod filii ſint Abrahæ, quo a meritis in altera vita pœnis eximantur.

ARTICULUS IX.

Sententiæ Paganorum cum Hebræis conſonantia.

ANtequam extrema manus huic Diſſertationi imponatur, animadvertere operæ pretium duco, quanta ſit ſententiarum affinitas inter veteres Hebræos & Priſcos e Gentilibus Poetas, atque Philoſophos. De immortalitatis animarum dogmate communis erat perſuaſio, non apud Chaldæos tantum, Ægyptios, Hebræos, Indos, atque Orientales ceteros, ſed apud Latinos pariter & Barbaros, ut tamquam communis generis humani perſuaſio jure meritoque poſſit haberi: *Cum de animarum æternitate diſſerimus, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium Inferos, aut colentium. Utar hac perſuaſione publica*, ait Seneca Epiſt. 2. c. 1. Reputarunt illi animam, tamquam portionem quamdam & dimanationem ſive favillam divinæ ſubſtantiæ (3); autumarunt virorum mortem ab Apolline induci, mulierum a Diana (4). Quæ ſane congruunt cum perſuaſione Hebræorum de Angelo mortis. Tenuerunt, certa manere in altera vita, ſive præmia, ſive ſupplicia. Quæ Eſſeniis de Paradiſo & Inferno ſtetit ſententia, congruit cum opinione Ægyptiorum (5), quam ſibi adoptarunt Homerus (6) & Græci. Gigantes aquarum pondere oppreſſi, audaciſſimi moliminis pœnas luentes (7): ipſis ferme coloribus apud Prophanos (*) ac apud ſacros Sciptores pinguntur.

Hic genus antiquum terræ Titania pubes
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

Judicium apud Inferos Minois & Radamanti (†) reſpondet Dei in mortuos judicio. Metempſycoſis ſententia, longe lateque in Oriente, & Græcia pervagata, communis erat pariter, & ejuſdem ferme ſyſtematis apud Phariſæos, ætate Joſephi. Mercurius animas deducens poſt obitum ad Inferos, expreſſus eſt ad imitationem dogmatis Judaici de Angelo Michaele ad judicium Dei animas ſiſtente. Purgatorium Judaicum occurrit etiam in ſcriptis non Barbarorum tantum, ſed & Græcorum & Latinorum, ſive in opinione metempſycoſis, qua animæ ex alio in alium corpus expiandæ traducuntur, ſive cum animabus multa toleranda docent, ut tandem ad Inſulas fortunatas & Elyſios campos perveniant.

DISSERTATIO
DE TENEBRIS IN OBITU
JESU CHRISTI.

INter potiſſima, in obitu Jeſu Chriſti ſpectata, prodigia ſuum ſibi vendicant locum tenebræ illæ, queis ſolido trium horarum ſpatio mundi facies obducta fuit a meridie adusque tertiam horam veſpertinam. Tunc ſane nullæ intercedere poterant eclypſes, ea anni tempeſtate, qua ſerenus maxime & purus regnat aer, in Palæſtina potiſſimum, ac tandem ea diei hora, cum & Sol maxime fervet, ac vividiori lumine aerem colluſtrat. Hoc quidem prodigium ſpectatores non habuit raros, nec uno in loco factum eſt, ſive parum celebri, ſive ab hominum cognitione remoto. *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*; totum nempe hemiſphærium noſtrum contexerunt; & cum Sol medium diurnum curſum emenſus fuiſſet, quo ſcilicet tempore totam hemiſphærii oppoſiti partem habebant tenebræ: ideo jure meritoque ſuper univerſam terram inductæ tenebræ illius eclypſis dicuntur; niſi forte malueris, ſolemni in Scriptura phraſi, univerſæ terræ nomine Palæſtinam, & regiones finitimas deſignari.

Pervigilium tunc agebatur (vel forte dies ipſa feſta) ſolemniſſimi Judæorum Feſti, cum ſcilicet undique Judæi Jeroſolymam confluxerant, Paſcha celebraturi. Phœnomenon eſt autem non momento temporis ſpectatum, quod brevitate ſua nec videri facile poteſt, nec cauſæ ſuæ pronum exhibet documentum. Tribus integris horis perſeveravit, ut omnium oculis commode exploraretur, omnium ſcilicet ea ætate, qua nihil erat expendendis omnibus attentius. Quibus omnibus prodigii circumſtantiis in unum collectis, ad eum certitudinis gradum res illa pertingit, ut alia in hiſtoriis nulla, vel rara.

Propoſitum eſt autem nobis in hac Diſſertatione naturam ſcrutari, cauſas, effectus, durationem, & amplitudinem celebrariſſimi hujus phœnomeni, omnia expendentes ad normam ſeverioris criticæ, & veritatem adſtruentes teſtimoniis Prophanorum Scriptorum apud quos de illo mentio.

Chriſtiani nominis oſores quidam (8) contenderunt, tenebras illas in obitu Chriſti nihil fuiſſe aliud, quam eclypſim, quam rudes Chriſti Diſcipuli ſpectantes, rei maxime naturali prodigii gloriam vindicarint. Ipſi vero, qui talia objiciebant, argumentum præbebant inſcitiæ ſuæ, & præjudiciis occupati in res noſtras animi. Cum enim Paſcha Judaicum tum temporis ageretur, nullæ poterant eſſe in plenilunio eclypſes. Raræ ſunt etiam totum ſolarem diſcum obducentes eclypſes, quibus totam terræ faciem obumbrent tenebræ: parum durant plerumque, cum noſtra tribus horis perſeveraverit, & ſolis faciem univerſæ terræ interdixerit. *Et ne forſitan videretur umbra terræ, vel orbis lunæ ſoli oppoſitus breves, & ferrugineas feciſſe tenebras, trium horarum ſpatium ponitur, ut cauſantium occaſio tolleretur*, ait S. Hieronymus.

Paria obſervat Origenes in Matt. 27. tract. 35. addens

(1) *V. Vindeo de vita functor. ſtatu ſect. 8.* (2) *Judæi in Talmud frequenter.* (3) *Ita Plato in Phædone, Philo de mundi opif. Cic. de ſomn. Scipion. Virgil. Ovid. Horat.* (4) *Homer. Iliad. & Odyſſ. plus ſemel.* (5) *Diodor. Sicul. l. 1. pag. 58. ſeu 82. 83. 86. 87.* (6) *Homer. Odyſſ. lib. 10. & 24.* (7) *Job 26. 5.* (*) *Virgil. Æneid. 6. Heſiod. Theogon.* (†) *Vide Tertull. Apolog. cap. 47. Lact. Juſtit. lib. 1. cap. 20. Vide Homer. Plato. Virg.* (8) *Apud Origen. in Matth. tract. 35. & Hieronym. in Matth. 27.*

addens inſuper, Evangeliſtarum in referendo ſinceritate factum eſſe, ut talia objicerentur. Habent quædam S. Lucæ Exemplaria (1), terram tenebris nigricaſſe, *deficiente* ſole: reponit autem ille, phraſim hanc *deficiente ſole* deeſſe in optimis Exemplaribus; at quæ illam præferunt, piam fraudem ſentiant indocti cujuſdam Chriſtiani, qui ſubſtituendam cenſuerit perſpicuitatis gratia; ſive invidi cujuſpiam & doloſi, qui hanc ſibi calumniandi Eccleſiam anſam præbuit, quaſi ſcilicet redarguens Evangeliſtas, obtrudentes eclypſim alieno maxime tempore. Utcumque autem res habuerit ſeſe, conſtat, nulla modo Exemplaria hanc lectionem ſervare: *Deficiente ſole*. Legitur in nonnullis, & in omnibus S. Lucæ: *Et obtenebratus eſt Sol*.

Idem Origenes (2) perhibet, viros quoſdam hujus ſæculi ſapientes aliud habere, quod veritati hujus prodigii opponant. Qui fieri potuiſſet, inquiunt illi, ut portentum adeo & ſupra fidem prodigium nemini niſi Chriſtianis innotuerit, non Græcis, non Barbaris illis Scriptoribus, non publicos Annales, non ſimilis generis fabellas digerentibus? Sunt iſta quidem per ſe valida; multo autem validiora, quod ex Origenis ætate recens adhuc memoria ejus rei perſeverare potuiſſet, cum nonniſi 180. annis poſt Chriſtum Origenes floreret (3). Hoc plane ſilentium rei veritatem revocat in ſuſpicionem, atque de Evangeliſtarum fide minus recte ſentire homines cogit.

Duo ad hæc reponit Origenes; 1. Fieri potuiſſe, ut tenebris illis non tota quidem univerſi facies, ſed Jeroſolymæ tantum & circumjacentis regionis tegeretur. 2. Mentionem de illis occurrere apud Phlegontem Paganum Scriptorem. Ego vero, addit, illud repetaverim, ut, quemadmodum cetera in obitu Chriſti prodigia nonniſi Jeroſolyma ſpectavit, ibi enim ſciſſum eſt velum Templi, ibi rupes confractæ, aperta ſepulchra; ita pariter tenebris nonniſi Judæa vel forte Urbs Jeruſalem obduceretur: nec enim novum eſt in Scriptura, ut univerſæ terræ nomine Judæa deſignetur (4). Non eſt igitur, cur e Paganorum Authorum ſilentio ſiniſtri aliquid de Evangeliſtis ſuſpicemur.

Meminit quidem, addit ille, Phlegon in Annalibus eclypſis cujuſdam ſub Tiberio, ſed in plenilunio contigiſſe ſilet. Quid eſt autem monſtri, ſi extra plenilunii tempus ſpectetur eclypſis? Si pergant, & urgeant, proſequitur Origenes. Unde ergo tenebræ niſi ea eclypſi? Reponit ille, ſermonem eſſe tantum apud Evangeliſtas, de tenebris terræ faciem tenentibus, nihil de ſole, ſive eclypſi; unde facilis conjectura, denſiſſimarum nubium objectu ſolares radios prohibitos, ne Judæam, ſive Jeruſalem colluſtrarent.

Nec abs re cenſet, tenebras illas ejuſdem eſſe cauſæ ac Ægypti tenebras ſub Moyſe (5), quibus caligo offuſa eſt Ægypto, regione interim Hebræorum puræ lucis ſereno fruente. Ægypti tenebræ triduo durarunt; tenebræ Jeruſalem tribus tantum horis; prioribus illis noſtris hiſce præluſum eſt; ſicut enim Moyſes tenebras in Ægyptum inducturus elevatis ad Cœlum manibus Dominum invocavit; ita pariter Jeſus Chriſtus caliginem offuſurus in Judæam ſive Jeruſalem, manus ſuas extendit in Cruce ad populum ingratis vocibus clamantem: *Crucifige, crucifige eum*. Porro caligo iſta, atra licet & obſcura non niſi emblemate quodam deſignabat tenebras; in quibus hodie errare coguntur Judæi; puræ lucis, e ſola juſtitiæ derivatæ, ſerenum Eccleſia interim Chriſtiana hauriente. Hæc ferme Origenes.

Paſchaſius Radbertus in Matthæum 27. lib. 12. poſt relatam, ſuppreſſo tamen nomine, Origenis ſententiam, defendit contra illum, tenebras in obitu Chriſti non Judææ tantum, ſed univerſæ terræ faciem te-

nuiſſe, inductas vero illas non objectu nubium inter ſolem & lunam, quemadmodum in Ægypti tenebris ſub Moyſe factum eſt, ſed vera & genuina eclypſi, quamquam contra naturæ leges; alienum eſt enim ab eclypſibus plenilunii tempus. Porro ſol ipſe, juxta phraſim S. Lucæ 23. 45. *obſcuratus eſt*; quibus verbis ſatis determinavit ambiguas aliorum Evangeliſtarum voces (6): *Tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*. Recta inde conſecutione deducitur, lumen ſuum negaſſe tunc Cœlum mundo univerſo, ut ad litteram impleretur illud Amos 8. 9. *Occidet Sol in meridie, & tenebreſcere faciam terram in die luminis*. Aſſertores ejus rei laudat Oroſium, Phlegontem, & Dionyſium Areopagitam, apud quos de tenebris in obitu Chriſti mentio.

S. Chryſoſtomus hom. 80. in Matth. tunc primo factum cenſet, ut Jeſus poſtulantibus Judæis *ſignum de Cœlo*, in documentum miſſionis ſuæ (7), concederet. Ad Crucem & ad exitum uſque vitæ expectavit, ut virtutis ſuæ argumentum exhiberet illuſtre. Tenebris univerſam terræ faciem obduxit, quemadmodum & in Ægypto præſtiterat, quo tempore primum Paſcha celebrandum fuerat a Judæis, paulo ante quam ex ea regione pedem referrent. Nec prætereunda temporis circumſtantia, quo prodigium illud ſpectatum eſt; meridies enim agebatur, quo tempore terra univerſa, vel ſaltem noſtrum hemiſphærium luce ſolis colluſtrabatur; qua prohibita, totam iſte terram tenentibus tenebris, univerſi oculos inſolitum prodigium attraxit.

Nec ad eclypſim tamen totam redigendam probat caliginis hujus ſive duratio, ſive etiam amplitudo. Parum enim durant eclypſes, addit ille, nec mundum tenent univerſum. Nunc vero contraria omnia; trium horarum ſpatium tenebris per univerſam terram offuſis datum eſt. Sed unde ad inuſitatum hoc phœnomenon tanta in hominibus ſtupiditas & incurioſitas? Ejus rei cauſa repetenda eſt ſive ex obfirmata in malitia hominum corde, ſive ex mortalium incurioſitate & ignorantia. Aliis etenim de cauſis ne ſciſcitari quidem ſuccurrit; alii rem totam deputarunt eclypſi, nihil ultra quærentes; Judæi prodigii teſtes, ſive alteri potius, quam Jeſu Chriſto, deputarent, ſive incurioſis oculis ſpectarent hæc omnia, quemadmodum & cetera a Jeſu Chriſto patrata prodigia. Brevioribus verbis eadem ingerunt Euthymius, & Theophylactus.

S. Gregorio Nazianzeno, S. Cyrillo Alexandrino, Theodoreto, S. Hieronymo, & S. Hilario nec eclypſes, nec nubes probantur. Habent autem perſuaſum, ſolis ignem ea occaſione extinctum fuiſſe, ſive radios ſuos in ſe recepiſſe fulgentiſſimum aſtrum, ut ſine luce, & ſine fulgore, ſeu luctum ageret pro obitu Servatoris, ſeu horrorem præferret pro ſcelere & parricidio Judæorum. Tenebris nigricaſſe aſtrum ſcribit S. Gregorius Nazianzenus (8), ac deinde priſtinam lucem reſumpſiſſe; lumen ergo antea quodammodo extinctum erat. Lucem & radios intra continuiſſe, ait S. Cyrillus Alexandrinus (9), ne in terram illos mitteret.

Sol non occidit, ait S. Hilarius de Trinit. lib. 3. cap. 11. *ſed refugit. Quid refugiſſe dico? Non receptus in nubem eſt, ſed de curſu operis defecit.* Senſu doloris in obitu Servatoris ſui tactum Cœlum, & conceptum de ſcelere Judæorum horrorem cum alio argumento exhibere non poſſet, tenebris faciem in meridie ſuam obduxit, ait Theodoretus in Iſai. c. 1. p. 6.

S. Hieronymus in illud Joelis (10): *Sol convertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequam veniat dies Domini magna*, habet, ſolem non ſuſtinentem aſpicere Dominum ex infami pendentem patibulo, velaſſe faciem ſuam tenebris, & luctuoſa nocte mundum univerſum, velut ad lugendum invitaſſe. Tunc etiam lunam veluti in ſanguinem transmutatam

(1) Omnia Græca exemplaria habent: *Et obtenebratus eſt Sol*. Quod tantumdem ferme eſt, ac: *Deficiente Sole*. (2) *Ibid.* (3) Obiit J. C. a. 33. Æræ Vulg. & Origenes obiit a. 185. J. C. (4) 3. *Reg.* 18. 10. *Non eſt Gens aut Regnum, quo non miſerit Dominus meus te requirere*. *Luc.* 2. 1. *Exiit Edictum a Cæſare Auguſto ut deſcriberetur univerſus Orbis*. (5) *Exod.* 10. 21. 22 (6) *Matth.* 27. 45. *Marc.* 15. 3. (7) *Matth.* 16. 1. *Marc.* 8. 11. *Luc.* 11. 16. (8) *Greg. Nazianz. Orat.* 42. *ad finem* (9) *Cyrill. Alexandr. in Joel.* c. p. 230. (10) *Hieron. in Joel.* c. 2.

catam fuiſſe, vel ſanguineum prætuliſſe colorem, ut in eclypſibus; quamvis enim nihil tale expreſſerint Evangeliſtæ, hæc tamen oraculi Prophetici para impleta non obſcure crederetur.

Inſinuat Tertullianus Apolog. cap. 21. Solem radios ſuos veluti in ſe recepiſſe, nulla licet nube aerem tegente. Dies ſtatim defecit, ſole licet medium diurnum curſum nondum tranſgrediente. *Eodem momento dies, medium orbem ſignante ſole ſubducta eſt.* Pagani, addit ille, eclypſim reputarunt; ignorantes Prophetico id oraculo olim pronunciatum fuiſſe, in obitu Jeſu Chriſti implendum. Quicumque ejus rei cauſam ſcrutati ſunt, cum certam nullam deprehendiſſent, rem totam negarunt. *Et tamen*, ait, *eam mundi caſum relatam in arcanis veſtris habetis*. Rufinus pariter l. 9. c. 6. ita loquentem ad Paganos inducit S. Lucianum Sacerdotem Antiochenum & Martyrem ann. 312. *Requirite in Annalibus veſtris, invenietis temporibus Pilati, Chriſto patiente, fugato Sole, interruptam tenebris diem*.

S. Leo (1) de hoc argumento: *Denſis tenebris ſplendor ſolis obductus, extraordinaria nocti ſubdidit diem*. Elementa omnia, addit ille alibi, obſequium ſuum Judæis negarunt: *Nobis ſol ſervitutem ſuam diemque ſubtraxit*. Inſinuat autem, non Solem tantum, ſed & aſtra lumen ſuum in horroris argumentum pro obitu Chriſti negaſſe.

S. Auguſtinus, rationem prodigii relinquens intactam, prodigium tamen re ipſa agnoſcit; cum enim plenilunium ageretur, numquam ſane fieri poterat, ut deliquium ſol pateretur (2). Cenſet autem, iiſdem, quibus tunc offundebatur, tenebris mundus in obitu Servatoris, ipſis pariter in exitu mundi recurrentibus, Cœlum & terram, juxta Oraculum Jeſu Chriſti, offuſcanda.

De ratione igitur hujus prodigii tres diſtingui poſſunt ſententiæ. I. tenet interjectu lunæ ſolis radios prohibitos, ne terram colluſtrarent, ut in eclypſibus accidit: ita rem explicant Pſeudo-Dionyſius Areopagita, & Pagani Scriptores illi, qui apud Origenem, & S. Hieronymum invidiam creare ſatagunt in Evangelium. Nec alia plane fedit opinio Phlegonti, & Thallo, rem illam narrantibus, ſi certum conſtituamus, quemadmodum perſuaſum eſt Interpretibus omnibus poſt Origenem, Euſebium, Africanum, & S. Hieronymum, Scriptores illos mentionem egiſſe de tenebris in obitu Servatoris. Huc etiam referendi videntur S. Leo, & Paſchaſius Radbertus; ac tandem, teſte Maldonato (3), *Fere apud omnes jam Catholicos obtinuit*.

Quid tamen recentiores iſti Interpretes reponent authoritati Origenis, S. Hieronymi, S. Auguſtini? Quid Aſtronomorum axiomatibus; quid ſæculorum experientiæ; quid phyſicis rationibus, uno omnibus aſſenſu negantibus, nec contigiſſe, nec potuiſſe pariter contingere, ut eclypſes inducerentur in plenilunio? Opponunt illi hiſce omnibus authoritatem S. Dionyſii, oculati nempe & coævi teſtis, aſſerentis ſuis ſe oculis eclypſim ſpectaſſe, cum in Ægypto verſaretur, factumque narrat miro divinæ virtutis prodigio, ut luna toto hemiſphærio Soli oppoſita, retrogrado curſu delata, inter ipſum & terram ſe mediam conſtitueret: ita plane, ait, ſuperior ætas vidit ſub Ezechia, ſolem retrogrado curſu decem gradus remetientem, ut eo prodigio certum Regi illi receptæ valetudinis argumentum præberet. Judicium permitto Lectoribus, an ſola Pſeudo-Dionyſii authoritas tanta ſit, ut tam ingenti, ſed minus tamen neceſſario, prodigio adſtruendo ſatis habeatur. Prodigium quidem agnoſcimus, ſed unicum, nec plura in uno cogimur fateri.

Secundam explicandi prodigii rationem ſtatuunt S. Gregorius Nazianzenus, S. Cyrillus Alexandrinus, & Theodoretus; atque inter Latinos Tertullianus, S. Hilarius, & S. Hieronymus, autumantes, ſolem radios in ſe ſuos lucemque recepiſſe, prohibito mortalibus omnibus, vel ſaltem Judæis lumine, juxta Oraculum Joelis 2. 10. & 3. 15. *Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*. Quare ipſe ſibi deliquium aſtrum illud induxit, conditoque in ſe lumine ceteris omnibus tenebras affudit.

Hæc tamen non ſupra captum tantum, ſed & impoſſibilia videntur; neque enim lumen adſcititia eſt ſolis qualitas, ut pro arbitrio ducatur reducaturque; ſi lucem extinguat, ipſum ſe extinguere ſolem oportet. Fulgidum eſt natura ſua aſtrum, neceſſario omnia colluſtrans, niſi objectu corporis alicujus opaci emiſſi ab illo radii intercipiantur prohibeanturque, ne terram pertingant, ut in eclypſibus ſpectatur, & cum aer denſis quibuſdam occupatur nubibus, vel cruſta quadam ſolaris diſcus veſtitur. Cum igitur Scriptura & Patres continuiſſe aſtra lumen ſuum ſcribunt, populari phraſi uſos conſtat, qua ſenſu quodam tangi aſtra induuntur, ut eorum abſentia, ſive affectuum ab illis producendorum ſuſpenſio vividius ſentiatur.

Tertiam tandem opinionem adſtruunt Origenes, Theodoretus, Euthymius, aliique, tenentes, denſæ alicujus nubis objectu prohibitis radiis ſolaribus, ſubitis tenebris omnia inhorruiſſe, quemadmodum & in tenebris Ægyptiis factum. Hæc ſane commodior eſt, & facilior concipiendi prodigii ratio; quam proniorem efficies, ſi *univerſæ terræ* nomine Judæam tantum deſignatam agnoſcas. Totum igitur prodigium in eo ſitum erat, ut prompte ea anni tempeſtate, atque intempeſtiva maxime hora, denſæ illæ nubes inducerentur, quæ deinde nonniſi poſt breve trium horarum ſpatium diſſiparentur.

Si quis vero Textum Evangeliſtæ ad litteram exponere voluerit, contendens, *univerſæ terræ* nomine totam hemiſphærii noſtri faciem, vel ſaltem maximam portionem ejus deſignari, illi præſto erunt maculæ ſive cruſtæ, ſolarem diſcum veſtientes; ſicut & in aliis aſtris fieri norunt aliquando viri Docti (4): quibus ſane cruſtis, aſtri facies obducitur, prout craſſiores ſunt, vel tenuiores, omnes ejus radii vel pars tantummodo prohibentur. Tunc plane denſiores fuiſſe, quam pro conſueto more, cruſtas illas oportet; ſed intra tres tantum horas reſolutæ ſunt. Juxta hanc hypotheſim prodigio ab Evangeliſtis narrato via tota manet; ſua etiam ratio aſſeritur legibus a natura conſtitutis; nihil eſt, quod cum teſtimonio Phlegontis non conveniat, aſſerentis, ut infra demonſtrabimus, univerſæ terræ faciem tenebris obductam fuiſſe, ut plena die ſtellæ ſpectarentur. Nec tamen inde prohibiti ſunt Judæi, ut obſervat Maldonatus, & Janſenius, quin rebus & negotiis ſuis pro conſueto more vacarent, vicariam ſoli operam præſtantibus dubio lumine ſtellis, ac ſolaribus quibuſdam igniculis, quos aer circumfuſus cbiberat.

Ceterum res erat præter conſuetas naturæ leges, in ipſo medio diei curſu, alieno ab eclypſibus tempore, aſtrum Solis nigricans prorſus ſpectare: & ſi denſiſſimæ illæ ignorantiæ tenebræ Judæorum mentibus non affuſæ fuiſſent, fieri vix poterat, ut digitum Dei non agnoſcerent, atque ad mentem tandem revocati, ſaniora non reciperent conſilia. Oraculorum veritatem his tandem veluti facibus ſpectaſſent (5), oraculorum, inquam, furorem Dei ac tenebras pleno meridie minitantium; perſuaſi tandem fuiſſent, illum, quem e cruce pendentem extremum ſpiritum agere cernebant, ipſum eſſe Dominum elementorum, qui ſub ſervili habitu, quid poſſet; non obſcuris argumentis demonſtrabat.

Voluit plane Deus majora virtutis ſuæ ſpecimina ab ipſo patibulo crucis, quam reliquo vitæ ſuæ tempore, exhibere, ut ſiniſtram ex aſpectu crucis inditam mentibus Diſcipulorum, ac ceterorum omnium, qui morientem infami mortis genere ſpectaverant,

(1) *Serm. 51. de Paſſ. Dom. cap. 2. Denſarum horrore tenebrarum radios ſolis abſcondit, & ſerm. 59. qui eſt 10. de Paſſ. Dom. cap. 5. Sol ſideraque inſolito defectu tenebrat mundo veſtra cecitatis oſtentant.*

(2) *Auguſt. Epiſt. 199. cap. 10. num. 34.* (3) *In Matth. 27. Vide Corn. a Lapid. in eumdem Matthei locum.* (4) *Vide Regis Phyſic. l. 2. par. 2. cap. 8. Gallice.* (5) *Amos 8. 9. Joel. 2. 10. & 3. 15. Ezech. 32. 7. 8.*

verant, idem contraria elia ingeſta veluti retunderet. Ecquis enim alioqui inducere potuiſſet in mentem, ipſum hunc, quem morientem in ſupplicio ſpectabant, Meſſiam eſſe, Deum fortem, Prophetarum oraculis prænunciatum, niſi latere aliquid ſub illis exuviis Divinum, hoc veluti emiſſo radio indicaſſet? Tanta plane œconomia diſpoſuit Divina Sapientia ortum, vitam, & obitum Jeſu Chriſti, ut cum maxime deprimeretur, tunc etiam maxime majoribus prodigiis extolleretur.

Ceteras omnes, quas afferunt, ejus prodigii rationes, magis quidem valent tum moribus dirigendis, tum ad captum & ædificationem vulgaria populi. E. g. ſolem ad inſuetum parricidii facinus inhorreſcentem, radios ſuos abſcondiſſe, quaſi ſcilicet vultum a tanto ſcelere avertendo. Addunt, intimo veluti doloris ſenſu tactum Solem lumen in ſe ſuum recepiſſe, ac ne pareret, velut in abſcondito, ſeſe continuiſſe, quid Soli Juſtitiæ accidiſſet, eo emblemate deſignantem. Norant pariter, tenebras illas exprimere glomerantes in Judæorum mentibus tenebras, uoſque in obſcuro errantes, tandem miſero lapſu caſuros. Certum pariter erant tenebræ illæ divini furoris argumentum; caligo enim ſoli obducta ſiderum lapſus, nox & tenebræ, non ſemel in Scriptura furori Dei exprimendo afferuntur.

Quoto tempore durarint tenebræ, ſatis luculenter exprimunt tres Evangeliſtæ, S. Matthæus 27. 45. S. Marcus 15. 33. S. Lucas 23. 44. habent enim: *A ſexta hora tenebræ factæ ſunt uſque ad horam nonam*, nempe a meridie aduſque tertiam horam veſpertinam. Solemne erat enim Judæis diem, ſicut & noctem, in duodecim æquales horas ita diſtinguere, ut ſexta diei hora ſemper cum meridie congrueret, ſicut & noctis ſexta cum media nocte. Ceteræ vero horæ non ſemper cum noſtris diurnis horis congruebant; ex inæqualitate enim dierum factum eſt, ut inæquale etiam ſpatium variarum dierum horis reſponderet. Ita hyemalium dierum horæ breviores habebantur, longiores æſtivæ. Cum vero æquinoctium tunc ageretur, & quartadecima lunæ, nona diei hora fere incidit cum tertia veſpertina.

Patres nonnulli inſinuare videntur, tenebras illas ſub ipſo mortis Domini articulo paruiſſe; ſed latius articulus ille accipiendus eſt pro toto eo tempore, quod a meridie aduſque tres inde horas effluxit.

Tenent alii toto eo tempore perſeveraſſe, quo Chriſtus manſit in patibulo: quod ad literam falſum eſt, niſi juxta eorum ſententiam, qui tenent, Dominum Jeſum ſub ipſum meridiei articulum cruci ſuffixum fuiſſe, ſexta nempe diei hora, quemadmodum notat S. Joannes (1). Sed præſtitutum id citius credimus non inveroſimiliter; habet enim S. Marcus 15. 25. in crucem illum ſublatum tertia hora, nempe nona hora matutina, quod ſcilicet tempus ita diſtribuimus. Tertia hora circiter, vel nona matutina agebatur, cum Pilatus mortis ſententiam dixit in Jeſum. Major inde Codicum S. Joannis pars habet, damnatum Jeſum morti *hora quaſi ſexta*; ſed & alia vetuſtiſſima legunt, Hora tertia, ſicut & apud S. Marcum expreſſum eſt. Poſt dictam ergo ſententiam hora illa quaſi tertia, deductus reus ad Calvariam ſuſpenſus fuit in patibulo. Neu ſane momento id totum peractum eſt; quare undecima circiter hora meridiana agebatur, cum elevaretur in crucem. Manſit injuriis adverſariorum expoſitus, uſque ad horam ſextam, vel meridiem; quo temporis articulo inductæ tenebræ perſeverarunt uſque ad nonam, ſeu tertiam horam poſt meridiem, quemadmodum a ceteris Evangeliſtis luculenter expreſſum eſt.

Diſcutiendum eſt modo, quid Pagani ea de re ſcripſerint. Laudatur ſuppoſititia quædam Epiſtola S. Dionyſii Areopagitæ ad S. Polycarpum, qua reſpondet calumniis Apollophanis veteris amici ſui, ſibi exprobrantis, quaſi non ſincera fide teſtimonia Paganorum Scriptorum adverſus Paganicam ſuperſtitionem afferret. Revocat igitur illi ad mentem quæcumque, cum ſimul eſſent in Ægypto, oculari teſtes ſpectaverant (2). Tunc ambo juxta Heliopolim præſentes ſi-
„ mul & adſtantes mirabili ratione ſoli lunam conci-
„ dere cernebamus, neque tamen tempus conjunctio-
„ nis erat; ipſamque rurſus ſub horam nonam ve-
„ ſpertinam diametro ſoli oppoſito ſupernaturaliter
„ reſtitui. Quin etiam in memoriam illi revocat
„ quiddam aliud: ſcit enim, quomodo viderimus
„ illum lunæ occurſum ab Oriente cœpiſſe, & uſque
„ ad ſolis extremitatem perveniſſe, ac tum demum
„ reſiluiſſe, & rurſum non eadem parte occurſum il-
„ lum, & receſſum extitiſſe, ſed adverſo diametri.
„ Hæc ſi fas eſt, ei dicito: tu qua, Apollophanes,
„ refelle, ſi potes, idque adverſum me, qui tunc
„ præſens una tecum adfui, & ſimul aſpexi, & obſer-
„ vavi omnia cum admiratione. Denique tunc ne-
„ ſcio quo ſpiritu afflatus, in divinationem quoque
„ Apollophanes prorupit, & ad me converſus,
Hæc ſunt, o bone Dionyſi, ait, *rerum Divinarum mutationes*.

Legitur etiam alia Epiſtola ſuppoſititia S. Dionyſii ad Apollophanem, ad Chriſtiana ſacra jam tranſlatum (3), in qua Dionyſius hæc habet inter cetera ad Apollophanem: Nobis Heliopoli degentibus,
„ eram tunc annos circiter viginti quinque natus,
„ & tu mihi ferme coævus, die quadam ſexta, &
„ hora itidem fere ſexta Sol horribiliter ſubeunte lu-
„ na obſcuratus, non quod Deus, ſed quod Dei opus
„ in veræ lucis occubitu lucere non quiverit, tum-
„ que ex te ſcitatus ego, quid tibi, vir prudentiſ-
„ ſime, ſuper hoc videretur; tu autem ejuſmodi
„ reſponſum dediſti, quod menti penitus infixum,
„ nulla prorſus oblivione, nulla vel mortis imagi-
„ ne dilabi poſſit. Cum enim totus Orbis tetra te-
„ nebrarum caligine uniformiter obductus fuiſſet,
„ jam repurgari globus ſolis, & reniteſcere cœ-
„ piſſet, tum aſſumpta Philippi Aridæi regula, &
„ contemplatis Cœli orbibus deprehendimus, quod
„ erat alias quoque notiſſimum, non potuiſſe id tem-
„ poris defectionem ſolis evenire: deinde obſerva-
„ vimus Lunam ab oriente ſolem ſubiviſſe, ejuſque
„ radios obſtruxiſſe, donec totum occuleret, quæ
„ tamen alias ab occidente ſolita eſſet occurrere;
„ quin illam quoque notavimus, cum ad extrema
„ ſolis perveniſſet, ejuſque univerſum orbem obte-
„ xiſſet, tum retro Orientem verſus recurriſſe;
„ quamvis id eſſet tempus, quod nec Lunæ præſen-
„ tiam, nec ſolis concurſum poſtularet. Ego igi-
„ tur, multiplicis eruditionis ſacrarium, tanti my-
„ ſterii neſcius cum eſſem, ſic te alloquebar. Quid
„ ſibi vult hoc rei, o doctrinæ ſpeculum, Apollo-
„ phanes? Inſolita iſta portenta cujnam tam ti-
„ bi myſteriorum videntur indicia? Tu autem ore
„ divino magis, quam humanæ vocis ſermone, Hæ
„ ſunt, bone Dionyſi, inquiebas, divinarum rerum
„ mutationes. Denique cum diem annumque adno-
„ taſſem, & tempus illud cum eo, quod Paulus
„ mihi quondam ab ore ſuo pendenti annunciave-
„ rat, ſignis conclamantibus concordare ſenſiſſem,
„ tum & veritati manus dedi, & me falſitatis ne-
„ xibus expedii.

Hæc Auctor, qui ſub ementito S. Dionyſii Areopagitæ nomine diu latuit: noſtro tamen ſæculo detecta veritate, Scriptor quinti vel ſexti ſæculi, qui illuſtri illo nomine authoritatem ſcriptis ſuis conciliarit, agnitus eſt. Nec irrita ceſſit viro fraus; namque conſtanti ad poſtremum uſque ſæculum poſſeſſione, atque apud Græcos & Latinos S. Dionyſii Areopagitæ nomen obtinuit. Hujus igitur Dionyſii authoritas multum valuit ad perſuadendum, tenebras illas in obitu Chriſti induxiſſe miram quamdam & præter naturæ leges eclypſim. Quis enim oculato teſti fidem negaverit?

Modo vero de authoritate Operis, tamquam genuini S. Dionyſii Areopagitæ fœtus, Eruditis plane non imponitur, pertinaſis Lucubrationes illas Scriptori quinti

(1) *Jo. 19. 14. Hora quaſi ſexta. Et ver. 16. Tunc tradidit illum ut crucifigeretur. Alii Codd. Hora quaſi tertia. Ita Cantabr. Vech. Nonn. Petr. Alex.* (2) *Dionyſ. l. 2. epiſ. 7. p. 91.* (3) *In vita Dionyſ. apud Corder. to. 2. pag. 273.*

quinti vel ſexti ſæculi deberi. Ferunt etiam, S. Dionyſium ea occaſione ſtupentem clamaſſe: *Vel Author naturæ patitur, aut totius Univerſi machina diſſolvitur* (1). Alii vero in hæc verba locutum volunt (2): *Deus ignotus carne patitur*: ſeu: *Deus patitur ignoto, cujus cauſa orbis univerſus tenebris offuſus, & turbatione concuſſus eſt.*

Phlegontis, Adriani liberti (3), teſtimonium majus eſt aliquid. Porro vir ille, religione Gentilis, Hiſtoriam Olympiadum 16. Libris complexus eſt, ab origine illarum uſque ad an. J. C. 140. circiter. Narrat autem, anno quarto 202. Olympiadis, cujus erat exitus circa dimidium anni 33. Æræ, Jeſu Chriſti emortualis, eclypſim majorem ſubito ſpectatam fuiſſe, deficiente adeo Sole, ut ipſa meridiana hora ſtellæ apparerent in Cœlo. Quo pariter tempore, addit, valida terræ concuſſione in Bithynia maxima Nicænæ urbis portio corruit. Quo in loco Euſebius hoc Phlegontis teſtimonium laudat, hæc pariter reperiſſe ſe in vetuſtis Græcorum monumentis refert: *Anno Tiberii 18. Solis facta defectio, & tenebræ ſuper univerſam terram. Bithynia terremotu concuſſa, & in urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt.*

Julius Africanus apud Syncellum (4) refert, legi apud Phlegontem, ſub Tiberio in plenilunio eclypſim plenam in Cœlo viſam a ſexta uſque ad nonam diei horam. Eadem legas in fragmento Africani apud Euſebium in Chronico, quamquam ipſe nec Phlegontem laudat, nec de *plenilunio* habet quidquam. Mancus tamen locus videtur in Chronico; ſed vix tamen exinde ſuſpicandi daretur conjectura, hanc plenilunii circumſtantiam in originali non defuiſſe; teſtatur enim Origenes in Geneſ. hom. 35. nihil apertum ea de re præferre textum Phlegontis, quem referentes Euſebius, S. Hieronymus, Philoponus, Chronicon Alexandrinum, omnes æque eamdem lectionem aſſerentes, ſervant nihil de plenilunio.

Poſt Euſebium, & S. Hieronymum, quicumque inter Græcos, & Latinos de teſtimonio hoc Phlegontis aliquid reſciverunt, omnes ferme habuerunt perſuaſum, non alio referendum eſſe, quam ad obitum Jeſu Chriſti, credendi anſam præbente temporis circumſtantia, componitur enim cum anno 18. Tiberii, Æræ ſcilicet vulgaris 33. De eclypſi quidem ſermo eſt apud Phlegontem; quæ autem tenebræ terræ faciem tenuerunt in obitu Chriſti, aliunde ſane quam ex eclypſi repetendæ ſunt: fieri tamen potuit, ut Phlegon in publicis ſub Tiberio monumentis legens hiſtoriam tenebrarum ſub meridiem, quibus tanta orbem occupavit caligo, ut vel Sydera in Cœlo apparerent, nihil ultra diſcutiens, eclypſim reputaverit. Hæc plane circumſtantia, quæ imprudenti viro exciderit, tanti facienda non eſt, ut rejiciendum ſuadeat totam ejus hiſtoriam, teſtimonio Evangeliſtarum in reliquis omnibus ſat conformem.

Hæc autem multo erunt perſuaſibiliora, ſi vera ſint quæ ponit D. Ferrandus (5), nullam reipſa contigiſſe, ſed ne potuiſſe quidem eclypſim ſolis quarto anno Olympiadis 202. ſed unam tantum lunarem ſpectatam ſemihoræ poſt tenebras, de quibus in Evangelio. Porro certus ejus eclypſis temporis articulus fuit paulo poſt deceſſum Jeſu Chriſti; duravit autem 3. horis circiter, medio lunaris magnitudinis diſco occultato (6). Ita factum eſt, ut una eademque die ſol pariter & luna deficerent, atque tenebris veſtirentur, ut ſua de utroque aſtro fides conſtaret Prophetarum oraculis.

Ut autem ad Phlegontem regrediamur, alia ſunt etiam quæ in ejus textu negotium faceſſant. Euſebius, Philoponus (7), Chronicon Alexandrinum, Julius Africanus apud Syncellum, aperte docent, eclypſim, de qua Phlegon, ſpectatam ann. 4. Olympiadis 202. P. Petavius (8) contendit, corruptum eſſe locum, & pro anno quarto legendum annum 2. Olympiadis 202. Nullum pro ſe affert ſive Mſ. ſeu veteris alicujus Scriptoris authoritatem, nec incompatibiles eſſe Chronologiæ characteres cum epocha illa demonſtrat. Obſervat tantum, Euſebium, & Julium Africanum Jeſu Chriſti obitum nequaquam conſignare ad quartum hunc annum, ſed ad ſecundum vel tertium ejuſdem Olympiadis 202. Quis autem ſibi perſuaſerit, teſtimonio Phlegontis illos uti voluiſſe, ſi perſuaſioni ſuæ adeoque intento minime conducens, deprehendiſſent? Habebat ergo Textus Phlegontis non quartum, ſed alterum annum Olympiadis.

Reponimus hiſce, 1. Nefas eſſe, nulla adigente neceſſitate, validis non cogentibus argumentis, veterem lectionem, uniformi omnium Exemplarium aſſenſu confirmatam, corrigere. 2. Quando verum eſſet, deceptos fuiſſe Euſebium, & Africanum in componendo textu illo Phlegontis cum ſyſtemate ſuo Chronologico de anno emortuali Jeſu Chriſti, non continuo tamen deſerendus eſſet & lectio corrigenda, quippe quæ favet epochæ hodie in Eccleſia maxime obtinenti. 3. Tandem Euſebius conſtituit Baptiſmum Jeſu Chriſti per S. Joannem anno 1. Olympiadis 202. & 15. Tiberii, & ejus obitum anno 4. ejuſdem Olympiadis, 18. Tiberii. Sola Græci Chronici Editionis Scaligerianæ lectio ad paginam 202. & in Latina Editione ad pag. 158. docere Lectores poteſt. Addit Euſebius in eodem Libro, hujus ſyſtematis ſui rationem notans, poſt annum 15. Tiberii (primus eſt Olympiadis 202.) Jeſum Chriſtum tres inde annos, juxta S. Joannem, in prædicatione perſeveraſſe; quare ejus obitus neceſſario conſignandus eſt ad ann. 18. Tiberii. Ad Julium Africanum quod attinet (9), notat ille non obſcure annum 2. Olympiadis 202. qui cum Tiberii 16. congrueret, exitum imponere 70. ſeptimanis Danielis.

Præter Phlegontem, laudat etiam Julius Africanus (10) Thallum quemdam Græcum hiſtoricum, qui in tertio Hiſtoriæ ſuæ Libro meminit tenebrarum (eclypſim dicit) in obitu Chriſti. Cum tamen hæc tribuat eclypſi, falli virum notat Africanus, quod nulla ſit ſolis eclypſis in plenilunio. An Euſebius locum hunc Thalli inſinuaverit, cum ſuppreſſo nomine hæc reperiſſe ſe in monumentis Græcis habeat, verſor in incerto. Habet igitur Euſebius: *Anno tertio Olympiadis 202. ſolis facta defectio, & tenebræ ſuper univerſam terram. Bithynia terræmotu concuſſa, & in Urbe Nicæna ædes plurimæ corruerunt* (11). Certa ætas Thalli manet in obſcuro; cum tamen S. Juſtinus (12), & Tertullianus (13) mentionem de illo habuerint, coævus, vel forte ætate vetuſtior Phlegonte ſtatuendus eſt.

Ad Annales Phlegontis & ad hiſtoriam Thalli provocaſſe facile Paganos cenſendi ſunt Tertullianus, & S. Lucianus Martyr Antiochenus (14), ut certiores fierent de prodigio tenebrarum in obitu Chriſti. Suſpicatur autem D. Tillemontius, Phlegontem, & facile etiam Thallum, totam eam hiſtoriam reſciſcere potuiſſe ex relatione, quam Pilatus de obitu Chriſti miſerat ad Tiberium. Utcumque autem res habeat ſeſe, nulla ſuppetit ratio ſatis convincens, quæ deſerere nos cogat celebre hoc teſtimonium, adeo plane conforme & Evangeliſtis & Chronologiæ a nobis conſtitutæ, ac tandem plurimum Religioni noſtræ favens.

Utriuſque igitur teſtimonio adoptato, ſtatuamus oportet, tenebras illas paulo ante Chriſti obitum cauſam ſuam prodigio debuiſſe. Quæ vero Phlegon eclypſim reputavit, hæc referenda potius in cruſtam quamdam ante ſolis diſcum concretam, quæ valide adeo

(1) *Vide Corder. not. in Epiſt. 7. S. Dionyſ.* (2) *Michael. Syncell. Hieroſol. l. 2. Oper. S. Dionyſ. pag. 348. & apud Suidam in Dionyſ.* (3) *Phleg. de Olympiad. apud Euſ. Chron. pag. 202.* (4) *Syncell. Chronic. pag. 322.* (5) *Animadverſ. de Relig. Chriſt. tom. 1. pag. 321. Gallice.* (6) *Vide Toynard. Harmon. Evang. pag. 131.* (7) *Philopon. l. 2. c. 2. p. 88. 89.* (8) *De Doctrina temporum l. 12. c. 21. pag. 438. Vide etiam Tillemont. not. 35. in Jeſum Chriſtum tom. 1. pag. 474.* (9) *Vide ejus Fragm. in Chron. Græc. Euſeb. pag. 77. & apud Syncell.* (10) *Idem ibid.* (11) *Euſeb. Chronic. Græc. pag. 202.* (12) *Cohort. ad Gent. Vide Voſſ. de Hiſtor. Græc. lib. 3. pag. 417.* (13) *Apologet. c. 10.* (14) *Apud Ruſin. Hiſtor. l. 9. c. 6. pag. 149.*

adeo ſolares radios per tres integras horas remdit, ut noctem induceret, vicariam ſolis lucem gerentibus, quæ refulſerunt in Cœlo, ſtellis; tenebras vero illas longe lateque terram tenuiſſe. Nihil autem eſſe quod miremur, ſi in Tabulis Aſtronomicis rei hujus hiſtoria deſit; nec enim tantum ſupra naturam fuit, ſed repugnat etiam naturæ legibus, ut en tempore ſolis defectus contingeret. Hypotheſis nubium, quibus aer occuparetur, numquam congruere poteſt cum opinione ſtellarum in Cœlo ea occaſione apparentium, quas plane ſtellas nubes & caligo terræ offuſa perinde ac ſolis lucem prohibuiſſent. Quæ tandem habet Pſeudo-Dionyſius Areopagita, de cujus authoritate Scriptoribus quamplurimis etiam vetuſtiſſimis, impoſitum eſt, non repugnant tantum hiſtoricæ veritati, ſed & incommodis etiam pluribus ex eo obnoxia ſunt, quod prodigia nulla cogente neceſſitate accumulent.

DISSERTATIO
DE RESURRECTIONE SS. PATRUM,
Quo tempore Chriſtus rediit ad vitam, ad Matth. 27. 51. 52.

VIx extremum ſpiritum egerat Chriſtus, cum *terra mota eſt*, (ait S. Matthæus 27. 51. 52. 53.) *& petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierunt, ſurrexerunt; & exeuntes de monumentis poſt reſurrectionem ejus venerunt in ſanctam Civitatem, & apparuerunt multis*. Veluti ſi Chriſtus eo virtutis ſuæ argumento demonſtrare voluiſſet, victoriam ſe de morte reportaſſe; veniſſe, ſe pariter ad revocandos velut e ſepulchro miſeros illos mortales, qui criminis letho oppreſſi jacebant. Tandem *monumenta aperta ſunt*, ait S. Hieronymus ad Hedibiam Epiſt. 52. *in ſignum futuræ reſurrectionis*.

Cum igitur argumentum verſemus, in quo jucunditatis eſt plurimum multa cum utilitate conjunctæ, ac quæſtiones ex illo plures non inamœnæ formentur; fuſius diſcutiendum ſuſcipimus, quæreoces, quinam potiſſimum redierint ad vitam; quando redierint; qua forma, quo corpore paruerint; an ſecundo obierint, ſive potius aſcenderint cum Chriſto in Cœlum, ut æterna non ſolum animæ ſed & corporis vita fruerentur. Qua in re integrum eſt cuique, ut quamcumque maluerit, ſequatur ſententiam; agitur enim de argumento in utramque partem verſato a Patribus & Recentioribus quibuſque Scriptoribus; neque ullum affert Religioni diſcrimen, modo certa conſtituatur, ut reipſa conſtituitur apud omnes, hiſtoriæ Evangelicæ veritas, tota controverſia ad circumſtantias, rationes prodigii, & quæ prodigium conſecuta ſunt, redacta.

Certus eorum numerus, qui ad vitam revocati ſunt, ſicut & qui potiſſimum revocati ad vitam ſtatuantur, exacte ſatis definiendus, non ſine temeritatis nota ſuſciperetur. Hæc tantum de illis Evangeliſta: *Multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*. Non igitur omnes: & ſiquidem verum ſit uti conſtituunt Interpretes quidam, terræmotum illum & montium ſciſſionem atque diſrupta ſepulchra non niſi Jeroſolymis & in circumjacenti regione ſpectata fuiſſe; recta inde conſecutione inferretur, illos tantummodo e vitis Sanctis ad vitam rediiſſe, qui in iis locis ſepulturæ mandati, digni ſunt habiti, ut a Filio Dei eo beneficio donarentur. Si quis contendat, ſepulchra Sanctorum patuiſſe ſive per univerſam terram, vel ſaltem per Palæſtinam, in tanta terrarum extenſione multo etiam magis in incerto vagabitur mens, ne quid ſtatuat ſatis exactum, ſive de numero, ſive de qualitate eorum, qui ad vitam regreſſi ſunt.

Sunt qui credant, vetuſtiſſimis quibuſque Patriarchis id privilegii collatum fuiſſe, quod ſcilicet rei æquitas poſtularet, ut quicumque longiorem traxerant ſperando Jeſu Chriſto moram, citius pariter ſentirent ejus adventus & Paſſionis præſentiſſimam efficacitatem. Quæ ſi vera ſint, privilegium illud obtinuiſſe opportet Adam, Abelem, Seth, Mathuſalem, Lamech, Noe, Sem, Abraham, Jacob, Joſeph, Moyſem, Joſue, Davidem, Vetereſque ceteros. Cum autem non in veriſimili conjectura credantur, veteres Patriarchæ antediluviani, quin & ceteri omnes ante Abrahamum, vitam egiſſe ac ſepulturæ fuiſſe mandati extra Palæſtinam, arduo plane negotio ad vitam rediiſſe cum Jeſu Chriſto demonſtrarentur, ea perſuaſione admiſſa, ſepulchra nimirum nonniſi in Judæa ſive in circumjacenti Jeruſalem regione patuiſſe. Adde, nonniſi veriſimilia ſuſpicari illos, qui tenent, revocatos fuiſſe potius ad vitam viros Judæis tunc ſuperſtitibus cognitos, vel ab eorum ætate non plane diſſitos, quam veteres illos Patriarchas, quorum nonniſi vetuſtate pene obliterata manebat idea.

Non abs re pariter reputamus, Prophetas adventus, ortus, vitæ, mortis, & reſurrectionis Jeſu Chriſti potiſſimos teſtes, quorum plerique ſanguine etiam ſuo veritatem illam confirmarunt, inter primos habitos fuiſſe, qui fructus obitus & reſurrectionis ipſius ſentirent. Quare præferendi ceteris videntur Moyſes, David, Samuel, Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, ceterique, quorum ſcripta ſuperſunt; præferendi, inquam, videntur ceteris, qui eodem licet Prophetiæ ſpiritu animati, nullum tamen vaticiniorum ſuorum monumentum reliquerunt. Opinantur nonnulli, Jobum, & Jonam, & tres illos juvenes e fornace Babylonis liberatos, veluti Reſurrectionis Jeſu Chriſti typos & figuras (1), Iſaiam veluti Prophetam Evangelicum, Melchiſedechum veluti Sacerdotii Jeſu Chriſti imaginem, Danielem veluti omnium exactiſſime annos adventus Jeſu Chriſti definientem, ante ceteros reſurrectionis beneficio potitos fuiſſe.

S. Epiphanius in Anchorato c. 102. p. 103. mallet, præferendos ceteris viros ætati Jeſu Chriſti viciniores, qui facie noti erant Judæis tunc ſuperſtitibus, quique teſtimonium poſt Jeſu Chriſti adventum de ipſo reddiderant, inter quos Zacharias pater Joannis Baptiſtæ, Simeon grandævus, S. Joannes Baptiſta, & probus ille Latro. Lorinus in Act. 2. 29. fœminas omnes a reſurrectione excludit; habet enim perſuaſum, S. Virginem omnium primam inter fœminas ad vitam revocatam fuiſſe, ſicut & Jeſus Chriſtus *primogenitus* erat *mortuorum* (2). Quaſi ſcilicet Jeſus Chriſtus non mulieribus æque ac viris privilegium reſurrectionis promeruiſſet. Contraria omnia placent aliis (3), ratis, Evam ea occaſione ad vitam & ſane inter primos rediiſſe, quod mater eſſet communis hominum. Verum ſat datum conjecturis & ne quid certi ſtatuamus in re incertiſſima, illud ſolum teneamus, quod ſcribunt Evangeliſtæ, *multa corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*.

(1) *Vide, Pined. in Job 19. 25.* (2) *Coloſſ. 1. 18.* (3) *F. Luc. Brug. in Matth. 27.*

De tempore reſurrectionis hujuſce Sanctorum duplex eſt ſententia. Tenent alii (1), ſtatim poſt obitum Jeſu Chriſti ad vitam rediiſſe Sanctos, ſicut & terræmotu ſtatim poſt deceſſum illius concuſſa ſepulchra patuiſſe. Alii vero malunt, nonniſi poſt reſurrectionem Jeſu Chriſti defunctos ſurrexiſſe e ſepulchris (2), ut ſua veritas conſtet illis Pauli Apoſtoli de Chriſto: *Qui eſt Primogenitus mortuorum*. In ſuffragium utriuſque opinionis vocatur textus S. Matthæi. Priori favet illud, quod ſcilicet poſt actam a Jeſu Chriſto animam, *Terra mota eſt, & monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt*. Nullum hic ponitur intervallum inter obitum Jeſu Chriſti & Sanctorum reſurrectionem. Quibus contraria ſedet opinio, obſervant, Sanctum Matthæum poſt relatam ſanctorum reſurrectionem addidiſſe ſtatim: *Et exeuntes de monumentis, poſt reſurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem & apparuerunt multis*: quibus verbis inſinuatur, nonniſi poſt Chriſtum vel una cum Chriſto reſurrexiſſe Sanctos, quamquam eorum reſurrectio & lapidum ſepulchralium ſciſſio anticipatione quadam narratæ fuerunt. Quid ſane alioqui feciſſent ſpatio illo temporis poſt obitum & reſurrectionem Chriſti, cum nec præbere ſe videndos juberentur, nec reipſa præbuerunt, niſi poſt Reſurrectionem Jeſu Chriſti. Tunc ſane, cum Jeſus Chriſtus rediit ad vitam, munere illi ſuo functi ſunt, ſpectandos ſe in Urbe ſancta præbentes.

Utramque ſententiam in medium adducit S. Auguſtinus Epiſt. 164. nov. edit. ad Evodium num. 9. p. 576. & neutram reprobat, quia nec immoratur in illis diſcutiendis, utpote ab intento ſuo alienis (3). Origenes tract. 35. in Matth. luculenter aſſerit, juſtos illos ad vitam rediiſſe *non ante reſurrectionem primogeniti ex mortuis*. S. Gregorius Magnus ſimiliter homil. 22. in Evangel. num. 6. de Chriſto habet: *Solus mortuus eſt, & tamen ſolus minime ſurrexit*. S. Hieronymus adhuc apertius profert teſtimonium in Matthæum 27. *Quamquam enim*, ait, *in obitu Chriſti monumenta patuerint, tamen non monumenta aperta ſunt, non ante ſurrexerunt, quam Dominus ſurgeret; ut eſſet primogenitus reſurrectionis ex mortuis*.

Inſinuare videtur S. Hilarius in Matthæum cap. 27. reſurrexiſſe illos eo temporis momento quo Jeſus expiravit: *Tunc* ait, *monumenta aperta ſunt*, quod mortis vincula contererentur. Surrexerunt autem mortui, *quia illuminans mortis tenebras, & Inferorum obſcura colluſtrans, in Sanctorum, ad præſens conſpicatorum, reſurrectione, mortis ipſius ſpolia detrahebat*. Quibus verbis inſinuat, Jeſum Chriſtum ad Inferos ſtatim poſt obitum deſcendentem, vitam continuo, antequam ipſe reſurgeret, defunctis reſtituiſſe. Apertius etiam S. Chryſoſtomus aſſerit, Chriſtum in revocandis ad vitam famulis ſuis probe demonſtraſſe Judæis, quam falſa obtruderent, dicentes: *Alios ſalvos fecit, ſeipſum non poteſt ſalvum facere*. Profecto ſi admirationi fuit Lazarus e tumulo revocatus, multo fuit admirabilius ſpectare Sanctos, qui ad vitam revocati videndos ſe pluribus obtulerunt (4). Theophylactus, & Græcorum ceteri, qui S. Chryſoſtomum præceptorem ſibi in omnibus conſtituunt, paria ſentiunt cum illo, tenentes, mortuorum reſurrectionem, antequam Jeſus e cruce deponeretur, factam, in pignus datam fuiſſe & ſignum futuræ eorum liberationis, qui in inferois detinebantur.

Si tamen vera ſint uti nullus eſſe locus ambigendi videtur, animas Patriarcharum non ante ex infernis carcere ſolutas fuiſſe, quam ad illos liberandos deſcenderet Jeſus; neque prius eorum corpora ad vitam revocata, quam animæ ex iis locis, ubi tandiu venientem expectaverant, liberæ abire permitterentur; agnoſcamus plane oportet, reſurrectionem Sanctorum ſerius aliquanto conſignandam eſſe, quam ſtatim ab obitu Chriſti. Quamquam enim momento citius animæ ex uno in alterum locum feruntur, ut quæcumque a Spiritibus ab omni ſecretis, materia geruntur, temporis ſucceſſione non indigeant; vix tamen fieri poſſe concipimus, ut unico temporis momento plura hæc ſimul abſolverentur; Jeſus nimirum ad Inferos deſcenderet; adventum ſuum annunciaret; Sanctos Patriarchas educeret e locis illis; animas corporibus innecteret.

Autumarunt veteres Patres (5), traxiſſe Chriſtum moram aliquam in Inferuis, quippe qui prædicandum ſuſceperit detentis ibi incredulorum animabus, quarum plures revocarit ad fidem. Alia eſt hodie quidem recepta in Eccleſia ſententia; conſtat tamen, eos, quibus iſta perſuadebantur, autumaſſe, Sanctos non niſi poſt aliquid temporis ab obitu Servatoris ad vitam rediiſſe: niſi forte crediderint in dias luminis auras veniſſe illos, antequam Chriſtus ſupra terram regrederetur. Numquam autem legimus, Chriſtum præſentiæ ſuæ ſuper terram ulla exhibuiſſe argumenta, niſi poſt reſurrectionem; quaſi ſcilicet totum illud temporis intervallum egerit in Infernis, Sanctorum Patriarcharum animas ſolaturus (6).

Eſt igitur cur autumemus, nonniſi poſt Reſurrectionem Jeſu Chriſti, ad vitam Sanctos rediiſſe. Sed quis reſurgentium corporis habitus? an omnibus gloriæ & immortalitatis dotibus ornatus, quomodo poſt generalem hominum reſurrectionem expectamus? an mortali corpore circumdati, quomodo factum novimus cum Lazaro, ceteriſque revocatis ad vitam, quibus reddita ſunt mortalia corpora palpanda, & cibi potuſque neceſſitati ſubjecta? an tandem fulgenti quadam, ſed temporaria luce nitebant, ſolvenda brevi, poſtquam ſe videndos obtuliſſent? quemadmodum Moyſis & Eliæ corpora in ipſo transfigurationis Jeſu Chriſti articulo inſigni rutilarunt fulgore, quo brevi diſſipato, in priſtinum ſtatum redierunt. Elias enim ad locum ſuum, ubi Meſſiam opperiebatur, reſtitutus eſt; Moyſis corpus tumulo redditum uſque ad ſecundam peculiarem, vel ſaltem ad generalem corporum reſurrectionem.

Horum ſolutio maxime omnium repetenda eſt ex iis, quæ deinceps diſſerentur, an ſcilicet Juſti illi ad vitam revocati euntem in Cœlum Jeſum comitati ſint, non anima tantum, ſed & corpore; an ſepulturæ iterum corpora illa reſtituta, ad novam reſurrectionem ſint reſervata? Si quis velit, rediiſſe illos ad vitam, numquam deinceps ponendam, ceteras illis beatitudinis dotes nequaquam inviderit neceſſe eſt, tenuitatem nempe, facilem per loca cuncta penetrandi virtutem, & cetera, quæ Beatos decent. Si vero momento tantum, vel ſaltem producta ad horas, vel dies aliquos vita paruerunt, quemadmodum olim Moyſes & Elias in monte Thabor; quæ tunc fuerit mortalium horum corporum indoles, ſatis intelligere omnes arbitror.

Verum enim vero vix datur ambigendi locus, ſedulo diſtinguendum eſſe inter corpora ſimplici, ut ita dicam, reſurrectione donata, ac hominum conſuetudini & vitæ reſtituta, ut conſtat de Lazaro ceteriſque in Veteri Teſtamento, qui præſentiſſimam Eliæ & Eliſæi opem ſenſerunt; & Sanctos illos, de quibus modo, fat ex Evangelio intelligimus, viſos illos non omnium æque mortalium obtutibus ſubjectos fuiſſe, ſed pro arbitrio revelaſſe ſe ſe; quare vix eſt ut negemus, alio circumdatos fuiſſe corpore, quam quo mortales ceteri utuntur; neque enim pro arbitrio intuentium obtutibus nos permittimus denegamuſque. Pſeudo-Juſtinus in Quæſtionibus ad Orthodoxos quæſtion. 85. mediam in hac re viam tenens

(1) *Vide Chryſoſt. & Theophylact. in Matth. 27. Theodoret. Grot. Ligfoot. Ludovic. de Dieu, Heinſium.* (2) *Origen. in Matth. 27.Raban. Maur. Paſchaſ. Rudbert. Beda, Gloſſ. ordinar. Lyran. Cornel. a Lapid. alii plures.* (3) *Reſpondetur hoc dictum per anticipationem, ut monumenta quidem illo terræmotu aperta eſſe intelligantur .... reſurrexiſſe autem Juſtorum corpora non tunc, ſed cum ille prior reſurrexiſſet.* (4) *Chryſoſtomus in Matthæum 27. homil.* 88. (5) *Vide Origen. Clem. Alex. Iren. alios.* (6) *Vide Euſeb. Emiſ. hom. 6. in Paſch. Theophylact. & Burgenſ. in Matth.* 27.

tenens, agnoſcit, viros illos Sanctos ad vitam rediiſſe numquam deinceps ponendam; non tamen Cœli felicitate donatos credit. Data illis corpora nondum de gloria corporis Chriſti participaverant; tranſmutationem enim ſuam opperiuntur; quemadmodum Henoch, & Elias ſuperſtites quidem adhuc, ſed nondum præmio ſuo donati ſunt; ſiquidem, addit ille, unus inter omnes Jeſus Chriſtus ad vitam huc uſque rediit immortalem, & incorruptibilem, veluti primogenitus mortuorum & primitiæ dormientium.

Maneret ergo diſcutiendum, quis hodie ſit corporum Henoc & Eliæ ſtatus. Illos plane corpore a noſtro difformi circumdatos, nihil eſt quod ſuadeat; eo tamen nobis ſunt feliciores, quo corpora illa nullis humanis vicibus & imbecillitatibus obnoxia ſunt. Verum quando de Elia & Henoch conſtatet, dubii tamen ſemper verſaremur, an Authoris hypotheſis ipſa pariter conſtaret cum veritate. Ubi, rogo, locorum degunt Viri illi Sancti, ſi extra Cœlum manent? Hæc difficultatis ſolvendæ ratio difficultates ipſas non minuit, ſed auget; majus faceſſunt, quam quo liberamur, negotium. In re igitur incerta ſuſpenſos manere potius optamus, quam judicare quidquam temere.

Quod vero in tota hac Diſſertatione arduum eſt maxime, illud reputandum eſt, an viri illi Sancti ad Cœlum una cum Chriſto aſcenderint; an in terra ad communem cum ceteris mortalibus ſortem manſerint. Sunt in utramque partem non opiniones tantum, ſed & authoritatum ac rationum non infimi ponderis momenta. Aſcendentem in Cœlum Dominum exhibet Scriptura tamquam victorem quemdam Regem, ſpoliis onuſtum, & captivorum, quos in libertatem aſſeruerat, ſatellitio ſtipatum [1]. Deſcendit ille in mundum: *Prædicare captivis remiſſionem* [2]: Propius igitur vero reputandum eſt, in Cœlum illum rediiſſe, pompam comitante manumiſſa illa captivorum turba; & cum rediret ipſe corpus referens gloria & immortalitate donatum, par equidem videbatur, ut ſimili cum illo gloria fulgerent, potiſſimi reſurrectionis illius teſtes atque amicorum intimi, quos maxime ea de cauſa ad reſurgendum una ſecum invitaverat [3]. An forte æquum videretur, ut eorum animas a corporibus, cum quibus vinculum ipſe ſociaverat, revocaret, ut iterum corpora illa putreſcerent in ſepulchro? Nec ſane potuit abſque intimo doloris ſenſu ſociale illud vinculum diſſolvi; cum tamen dolorem omnem a ſpiritibus beatis abeſſe par ſit. An Deus collata a ſe dona, tactus pœnitudine revocat, & quæ una manu præbet, altera repetit [4]?

Sanctus Ignatius Martyr in ſua ad Magneſianos Epiſtola cap. 9. ita reſurrectionis Prophetarum in obitu Chriſti meminit, quaſi beneficii abſolutiſſimi, neque ſubjectos illos iterum morti vel leviter quidem inſinuat: *Ipſum ut Doctorem expectabant, & propter hoc ipſum is adveniens ſuſcitavit ipſos ex mortuis*. Pſeudo-Juſtinus in Quæſtionibus ad Orthodoxos quæſt. 85. tenet, Patriarchas ad vitam quidem immortalem reſurrexiſſe, ſed in Cœlum receptos non eſſe uti in ſuperioribus obſervatum eſt.

Origenes in Matth. 7. tract. 35. inſinuat, viros illos Sanctos, reſurrectionis Jeſu Chriſti comites, euntem pariter in Cœlum ſequutos fuiſſe. Luculentius tamen in Canticum Canticorum aſſerit, illum e mortuis reſurgentem una ſecum ad vitam revocaſſe, quos mortis captivos detineri comperit; ſecum autem in Cœlum non ſpiritus tantum, ſed & corpora illorum rapuiſſe, uti, ait ille, docet Evangelium, quo plures viros Juſtos vitæ reſtitutos in Sancta Civitate Dei viventis viſos inſtruimur. S. Clemens Alexandrinus [5] obiter tantum rem attingens, habet tamen ſatis aperte, viros Sanctos, poſt Servatoris deceſſum vitæ reſtitutos, in meliorem alteram vitam fuiſſe translatos.

Euſebius Cæſarienſis Demonſtr. Evangel. cap. 12. ſub ipſis oculis vividis coloribus exprimens victoriam a Jeſu Chriſto de morte ea occaſione relatam, addit, Jeſum Chriſtum poſt commendatum Patri ſuo ſpiritum, ſtatim relicto corpore, ne expectato quidem ſupremo mortis ictu, interiiſſe; ſed, ait, mortem moriendo prævenit, trementem ille victor apprehendit, & fugam tentantem retinens, coegit ad pedes victoris accidere, confregit tenebricoſi illius carceris fores, quibus Sanctorum animæ clauſæ detinebantur, eduxit illas, ac in dias luminis auras & animas ipſas, & ſe pariter revocavit; tum nobili illo ſatellitio ſtipatus, in Cœleſtem Jeruſalem triumphantis more ingreſſus eſt. Favet huic opinioni, nec obſcure, S. Hilarius [6] aſſerens, Jeſum Chriſtum regnare in Sion, non terreſtri illa parricidii ſanguine fœdata Urbe, ſed in cœleſti altera, *cujus*, ait, *ut exiſtimo hodieque incolæ ſunt in Paſſione Domini reſurgentes*.

Non ſatis ſibi conſtare hac in re videtur. Sanctus Epiphanius; alicubi enim exponens illud Sancti Pauli 1. Cor. 15. 20. *Primitiæ dormientium Chriſtus*, obſervat [7], ſpectatos quidem una cum reduce in vitam Chriſto defunctos alios in vitam revocatos; nonnullos etiam ad vitam reſtituiſſe Eliam & Eliſeum; Lazarum alioſque nonnullos reſtituiſſe pariter Jeſum Chriſtum; ſed, addit, in eo Chriſti reſurrectio a ceteris diſtinguitur, quod ille ad vitam immortalem redierit, iſti vero omnes ita ad vitam revocati fuerint, ut morti iterum ſubmitterentur. Alibi vero [8] agens de Juſtorum in terra cadaveribus, ex eo numero excipit Sanctos una cum Jeſu Chriſto in vitam revocatos, & cum ipſo in conclave ſponſi introductos, de quibus legimus in Evangelio, veniſſe in Sanctam Urbem, & ſpectandos pluribus ſeſe obtuliſſe. Conſtat enim illos, addit Sanctus Doctor, primo quidem Jeroſolymam terreſtrem ingreſſos, deinde vero in Cœleſtem introductos, cujus fores nemini ad id uſque patuerant.

Ut ſecum ipſe Sanctus Epiphanius concilietur, primus ejus locus explicari poſſet de mortuis, quibus conſuetæ vitæ uſura in corpore mortali & corruptibili reſtituta eſſet; non vero de illis, quibus ſubtile & gloria donatum corpus beneficio divino collatum fuiſſet [9]. Lazarus, ceterique ad vitam per Eliam & Eliſeum revocati, tunc ad vitam reſtituti ſunt, eorum corpora recens in tumulum illata, neque in ſaniem neque in pulverem adhuc diſſoluta fuerunt; mortuos vero jam inde a pluribus annis & in pulverem reſolutos, ſtare vivos juſſit Chriſtus. Priorum caro integrum erat adhuc, & nondum marcidum frumenti granum; nec dum ad germen emittendum paratum: horum vero molleſcens jam & diffluens, aptumque proinde ut germinaret. Caro iſta novo vitæ ſpiritu fota, immortalitati germinavit.

Plus etiam variat Sanctus Hieronymus, & majori negotio ſecum ipſe conciliaretur. In Epiſtola 3. hæc ſcribit. *Poſt Chriſtum Latro in Paradiſum, & idcirco in reſurrectione ejus multa dormientium corpora ſurrexerunt, viſaque ſunt in cœleſti Jeruſalem*. In Epiſtola vero decima ſeptima ad Paulam & Euſtochium habet. *Nec ſtatim Jeroſolyma cœleſtis, ſicut plerique ridicule arbitrantur, in hoc loco intelligitur; cum ſignum nullum eſſe potuerit apud homines Domini reſur-*

---

(1) *Vide Oſee 13. De manu mortis liberabo eos, & ero mors tua, o mors. Pſalm. 67. 19. Aſcendiſti in altum, cœpiſti captivitatem. Epheſ. 4. 8. Aſcendit in altum, cœpit captivitatem, dedit dona hominibus.* (2) *Luc. 4. 18.* (3) *Vide D. Thom. 3. part. quæſtion. 53. artic. 3. ad 2. & Maldonatum, in Matthæum 27.*

(4) *Roman. 11. 29. Sine pœnitentia enim ſunt Dei dona.* (5) *Strom. lib. 6. pagin. 764. Edition. Chronic.* (6) *Pſalm. 2. numer. 26. pagin. 40. Vide, ſi lubet, & in Matth. cap. 33. num. 7.* (7) *Hereſ. 64. num. 65. pag. 594.* (8) *Hereſ. 75. num. 7. pag. 911.* (9) *Vide, ſi placet, eumdem Epiphan. Anchor. cap. 102. pag. 103.*

reſurgentis, ſi corpora Sanctorum in Cœleſti Jeruſalem viſa ſunt.

Vera ſunt iſta quidem, ſi ſtatim in Cœlum recepti viri illi Sancti fuiſſent; qui vero tenent, illos in Cœlum una cum Jeſu tranſiiſſe, habent pariter perſuaſum, ſpectatos illus prius in terreſtri Jeruſalem. Locus enim ille Evangelii, ubi legimus viſos illos in Sancta Civitate triplici ratione exponitur: 1. Juſtos illos ſpectandos ſe ipſa in urbe Jeruſalem præbuiſſe. 2. Typum vero eorum reſurrectione exhibitum ſpiritualis hominum reſurrectionis, qui per fidem, Baptiſmum & proborum operum exercitium in Cœleſti Jeruſalem jus ſibi civitatis promeruerunt, quam expoſitionem ipſe Sanctus Hieronymus Epiſt. 150. ad Hedibiam q. 8. ſuppeditat. 3. Non incongrue arbitraremur, illos ad Cœleſtem Jeruſalem immortali & perpetuo gaudio frituros aſcendiſſe. Triplex hæc Evangelici textus expoſitio legitur tum apud Sanctum Hieronymum, cum etiam apud Interpretes.

In terreſtrem Jeruſalem primum, dein & in Cœleſtem Juſtos illos ſpectandos ducit Beda Venerabilis in Matt. 27. Superſtites adhuc in Cœlum una cum Jeſu aſcendiſſe illos, docent Rabanus Maurus, & Druthmarus in Matthæum. Paſchaſius Radbertus in Matth. l. 12. pag. 1187. quæſtionem agitari notat, an ſcilicet viri illi Sancti poſt reſurrectionem iterum obierint, ut novæ iterum reſurrectioni pararentur, quemadmodum & in Lazaro bis defuncto & bis pariter ad vitam revocando factum ſcimus. Addit, nihil expreſſum ea de re legi in Evangelio; obtinere autem apud pleroſque ſententiam, ita viros illos ad vitam revocatos fuiſſe, ut immortalitate & cœleſti beatitudine donarentur. Porro viros illos credit teſtes fuiſſe aſſertæ fidei de reſurrectione Servatoris, ut proinde non pretantum cenſeri, ſed & credi pariter ad vitam immortalem revocatos fuiſſe: quomodo enim veri reſurrectionis Jeſu Chriſti & noſtræ pariter aſſertores haberi potuiſſent, ſi a mortuis revocati morti iterum deſtinarentur? Nihil ſane, addit ille, talis expreſſum ea de re habetur in Evangelio; ſed nec contraria ſententia ex eodem Evangelio, vel minima quidem conjectura, probaretur.

Agnoſcit Tertullianus [1], perſuaſum eſſe quamplurimis, Patriarchas & Prophetas ad vitam reſtitutos in Cœlum aſcendiſſe *ut appendices Dominicæ reſurrectionis*. Eamdem ſententiam recitat S. Auguſtinus in Epiſt. 164. ad Evod. n. 9. *Scio quibuſdam videri morte Domini Chriſti jam talem reſurrectionem præſtitam juſtis, qualis nobis in fine promittitur.* Neutram ex his opinionibus probat. Sed verus ex eo Auguſtini teſtimonio & celebris in Eccleſia perſuaſio ſatis adſtruitur, quam pariter admittit Ruſinus in Symboli Expoſitione. *Ingreſſi ſunt in ſanctam Civitatem, de qua Apoſtolus ait: Quæ autem ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt &c.*

Accedit his omnibus recentiorum Interpretum turba, quibus perſuaſum eſt, viros illos Sanctos ad vitam immortalem revocatos fuiſſe, & cœleſti beatitudine in corpore pariter & in anima donatos. Hanc ſententiam proponit & nonnullis addoctis argumentis fulcit S. Thomas [2], quamquam ipſe alio divertit. Laudat idem pariter Orationem de Aſſumptione ſub S. Hieronymi nomine vulgatam, in qua res illa in medio relinquitur. Nihil etiam ſatis certi aſſerit ea de re Dionyſius Carthuſianus in Matt. 27. Cornelius a Lapide [3] aſſerit, magis communi & probabili perſuaſione teneri, Sanctos illos in Cœlum una cum Jeſu aſcendiſſe. Ita revocatos ipſos ad vitam, ut ab omni ſecundæ mortis metu liberarentur, inſinuare videtur Rupertus Abbas, cum oppoſitam ſententiam tamquam novam quorumdam opinionem refert: *Qui utique (ut quidam æſtimaverant) iterum moritari reſurrexerunt* [4]. Eximit pariter a morte Maldonatus.

Verum oppoſita huic ſententia, tenens neque immortalitate neque Cœlo viros illos, vitæ reſtitutos, donatos fuiſſe, alteri præſtat, qua Scripturæ Textibus qua Patrum authoritatibus, qua tandem rationum momentis. S. Paulus ad Hebr. 11. 40. habet de Patriarchis: *Non acceperant repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur.* Non adhuc ergo illi in cœleſtem beatitudinem viventia corpora ſua intulerunt; quid enim tunc ſperandum ipſis aliud ſupereſſet?

Idem pariter Apoſtolus de futura reſurrectione agens, aſſerit, Jeſum Chriſtum primitias eſſe dormientium excitandorum ſuo tandem tempore ad vitam. Profecto ſi quis vivens corpus ſuum in Cœlum illaturus fuiſſet una cum Chriſto, nemo ſane præferendus videbatur Davidi, S. Joanni Baptiſtæ, Patriarchis, & Prophetis in Palæſtina ſepulturæ mandatis. Conſtat autem virorum illorum & tumulos & ſacra pariter lypſana in ea regione etiam poſt Aſcenſionem Domini culta fuiſſe; ut proinde fateamur oporteat, numquam fuiſſe commiſſum, ut ad vitam immortalem revocarentur, vel ſaltem aliam fuiſſe ejus regionis perſuaſionem.

S. Petrus ad Judæos Jeroſolymitanos verba faciens [5], habet: *Viri fratres, liceat audacter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus eſt, & ſepultus, & ſepulchrum ejus eſt apud nos uſque in hodiernum diem*: ex quo inferebat Apoſtolus, de Jeſu Chriſto & non de ſe ipſo dixiſſe Davidem: *Non derelinques animam meam in Inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Quæ vis, rogo, eſſet argumenti hujus, ſi David gloria & immortalitate animi pariter & corpore donaretur? Repoſuiſſent tunc certe Judæi, vaticinii hujus oraculum in Davide impletum fuiſſe, qui in tumulum quidem fuiſſet illatus, ſed revocatus iterum ad vitam immortalitate & gloria frueretur.

Si quis reponat, lypſana illa S. Joannis, Samuelis, Eliæ, Eliſæi, ſicut & ſepulchra Abrahami, Iſaac, & Jacob, quæ in Palæſtina, & alibi monſtrarentur, nihil ad probandum intentum valere; fieri enim otique potuiſſet, ut vacua eſſent ſepulchra, & lypſana illa ſuſpecta. Eſto quidem: ſed quicumque de veritate earum rerum certa perſuaſione tenebantur, illis utique contraria immortalitati illorum Sanctorum ſedebat opinio: ex quo adverſus contrariam ſententiam, utpote populorum perſuaſioni oppoſitam, magnum ducitur præjudicium.

Refutat Tertullianus [6] ſententiam illorum, qui Patriarchas, & Prophetas poſt Reſurrectionem Jeſu Chriſti ad Cœlos aſcendiſſe tenent. Imbecillibus ille argumentis probat, animas tantum Martyrum Cœlo donari: aſſerit inſuper, ſcripto a ſe Libro probatum fuiſſe, animas omnes, Martyrum tantum exceptis, in Infernis uſque ad diem Domini detineri [7]. Hæc argumenta rejicimus, ſatis habentes Scriptorem hunc teſtem ſententiæ apud Veteres plurimos obtinentis [8] attuliſſe; Sententiæ, inquam, tenentis ſanctorum animas non prius beatitudine donandos, quam poſt generalem hominum reſurrectionem: quod de omnibus æque ſanctis, ne iis quidem exceptis, qui ad vitam una cum Jeſu Chriſto redierunt, admittunt. Unde facilis conjectura, eos probaſſe quidem illos ſententiam de recepto illorum SS. corpore in cœleſtem beatitudinem.

S. Chryſoſtomus diſerte aſſerit [9], viros illos ad vitam revocatos, cum Jeſus Chriſtus in Cruce adhuc penderet, obiiſſe iterum; & in Homilia 18. in Epiſt. ad Hebr. cap. 11. aſſerit: *Aſſiemo poſt Apoſtolum, SS. Prophetas, & Patriarchas veteris Teſtamenti debitum ſibi premium non adhuc recepiſſe, nolente Deo, ut ante nos retributionem obtinerent.* Inter illos Juſtos recenſet Abelem, Noe, Abrahamum, & ipſum tandem Apoſtolum. Adeo ergo longe aberat Chryſoſtomus ab adſtruenda corporum illorum Sanctorum beati-

(1) *De Anim. cap. 53. p. 304.* (2) *D. Thom. 3. p. q. 53. ar. 3.* (3) *In Matth. 27.* (4) *In Joan. l. 6. Comment. p. 310.* (5) *Act. 11. 29.* (6) *De Anim. cap. 55. pagin. 304.* (7) *Habeo etiam de Paradiſo a nobis libellum, quo conſtituimus omnem animam apud inferos ſequeſtrari in diem Domini.* (8) *Vide in primis Iren. lib. 5. cap. 31. pagin. 332. nov. edition.* (9) *Hom. 40. in 1. Corinth. 15. pag. 690.*

titudine, ut ne animabus quidem concederet. Eadem ferme ſcribit Theodoretus in eumdem locum S. Pauli (1), omnes enim ſanctos, nullo excepto, opperiri ait debitas ſibi coronas, & præmia. Docet Theophylactus viros illos ſanctos ad vitam tantum revocatos fuiſſe, ut reſurrectionis Jeſu Chriſti veritatem adſtruerent: cujus ſignum eſt, ait, quod poſtquam ſe ſpectandos pluribus Jeroſolymæ commorantibus obtulerunt, iterum jacuerunt in ſepulchro (2). Agnoſcit Euthymius in Matth. 27. rediiſſe illos ad vitam, ut fidem adſtruerent prædicantibus Jeſu Chriſti reſurrectionem; ſed iterum obiiſſe affirmat: quæ communis eſt Græcorum perſuaſio, ſententias S. Chryſoſtomi plerumque adoptantium.

Aſſerit non ambigue S. Ambroſius, Jeſum Chriſtum gratiam futuræ reſurrectionis nobis promeruiſſe, *ſed*, ait, *ſolus ipſe adhuc reſurrectione perpetua reſurrexit*. Et alibi (3), temporali reſurrectione viros illos Sanctos ad vitam rediiſſe affirmat; agnoſcens ſimul illis æternæ noſtræ reſurrectionis typum exhiberi.

Patres, quorum teſtimonia huc uſque laudavimus, nonniſi obiter rem attigerunt: ſerio expendit Sanctus Auguſtinus in Epiſtola 164. ad Evodium num. 7. 8. 9. Revocat in examen argumenta fere omnia, ſupra a nobis deducta, & poſt librata utriuſque partis momenta, ſtatuit tandem, minus ſibi perſuaderi, juſtos ad vitam revocatos cum Jeſu Chriſto, ſive eodem, quo ille, tempore, ſive poſt illum (nihil enim ſibi affirmandum ea de re cenſet), ad vitam immortalem revocatos fuiſſe. Alioqui enim credit Auguſtinus numquam aſſeri potuiſſe Chriſto privilegium *primogeniti mortuorum*; vix etiam conſtaret illud Apoſtoli ad Hebræos 11. 40. Deum nimirum providentiæ ſuæ conſilio id voluiſſe, ut Patriarchæ perfectam operum ſuorum retributionem ante nos nequaquam reciperent. Addit tandem, imbecilliorem futuram alioqui vim argumenti S. Petri, qui e ſepulchro Davidis, in Judæa ſua adhuc ætate ſpectando, Judæis demonſtrat, Davidem ipſum a corruptione expertem non fuiſſe, ac proinde ad alium plane ſpectare Textum Pſalmi ſecundi, de quo nos ſupra.

S. Thomas (4), poſt relatas utriuſque opinionis rationes, ſententiam ſuam proferens, docet, Sanctos illos una cum Jeſu Chriſto ad vitam revocatos, nova iterum morte interiiſſe: quam nos pariter ſententiam magis conformem reputamus Scripturæ, Patribus, atque ipſi demum traditioni. Nec ſua reſponſione carent argumenta, quibus ſanctorum æterna reſurrectio probatur. Triumphum Jeſu Chriſti ſatis decorabat ingens illud animarum ſatellitium, quod e longa illa tot ſæculorum captivitate liberatum, ſecum ille triumphantis more in Cœlum tunc primo patens mortalibus deduxit. Æqua enim ratio volebat, triumphatorem illum a ceteris, qui pompam comitabantur, diſtingui, ut glorioſum ejus & immortale corpus omnium primum in gloriam introduceretur; quod ſatis erat ad fidem noſtram confirmandam ſpem erigendam, ſolandos viros Sanctos, qui alioqui futuram corporum reſurrectionem non ſecus ac nos opperiuntur.

Cum autem Prophetæ & Patriarchæ reipſa ad vitam, licet deinde ponendam, rediiſſent, documentum exhibere poterant apertiſſimum de veritate reſurrectionis Jeſu Chriſti; quæ ſi ſemel mortalibus conſtitiſſet, conſtare utique poterat futuræ noſtræ reſurrectionis dogma. Viri illi Sancti, qui corpus receperunt, ut de reſurrectione Chriſti fidem exhiberent, eo jubente corpus illud ſine dolore & dolorum tumultu poſuerunt, ſtatim ac munere ſuo functi ſunt; commodum enim ſibi ducebant, ſi voluntatem cœleſtis Patris implerent. Nec Deus inconſtantiæ vel pœnitudinis in eo argueretur, quod novæ illos morti permiſerit; non enim niſi ea conditione revocavit ad vitam. Hanc illis gratiam plenam utique & abſolutam contulit; nihil autem illum cogebat, ut ſemel ea conceſſa, alteram pariter adderet, ſatis utique diverſam, ut ſcilicet immortalitate corporis & Cœlo donaret.

Patres illi, qui pro immortalitate Sanctorum laudantur, in tres claſſes diſtingui poſſunt. Alii aperto teſtimonio, ſed nullo ſatis valido argumento, rem aſſeruerunt; alii hæſitantes & ambigue rem docent; alii tandem ſibi ipſis non conſtant, eorumque teſtimonia in utramque ſententiam afferuntur. Prioribus illis Patribus alios opponimus, æque clare & expreſſe, ſed melioribus ductis rationibus, oppoſitum affirmantes. Quorum teſtimonia obſcura ſunt & ambigua, ſicut & eorum, quorum pro utraque ſententia momenta valent, auctoritatem non moramur; æque enim pro nobis ac contra nos laudarentur. Ejus plane generis teſtimonia nulla ſunt; & cum Patres & Eccleſiaſtici Authores inter ſe committuntur, æqua ratio poſtulat, ut utriuſque partis momenta expendantur. Perſuaſum autem habemus, Scripturæ Textus illos, quos laudavimus, multo eſſe clariores, quam qui pro adverſa ſententia afferuntur. Accedit inſuper nobis ſuffragium illorum Patrum, qui veluti tres columnæ Theologiæ habentur, nimirum Sancti Chryſoſtomi apud Græcos, S. Auguſtini apud Latinos, & S. Thomæ apud Scholaſticos.

Audacter igitur affirmandum nobis ducimus, Sanctos illos ita rediiſſe ad vitam, ut novæ morti ſubderentur; e qua iterum in novam vitam ſtata die revocandi ſunt. Si minus autem conſtet numerus, ætas, & cetera omnia, quæ ad reſurgentes illos pertinent, conſtat tamen reipſa reſurrexiſſe inſtructos corpore, non omnium quidem intuentium oculis ſubjecto, nec ea forte gloriæ dote aucto, qua tandem fruituri erunt Juſti in gloria Cœleſti; apto tamen ad perſuadendam & præſentem Jeſu Chriſti reſurrectionem, & hominum futuram. Aſſerimus tandem, contigiſſe facile, ut nonniſi poſt Domini reſurrectionem, adeoque poſt reditum ejus ab Inferis (eo enim deſcendiſſe poſt obitum ad liberandas Sanctorum animas in ejus expectationem arrectas, Fides docet) Sanctos illos vitæ reſtitutos; quamquam Textus Sancti Matthæi 27. 52. 53. habet patuiſſe monumenta ſtatim cum Jeſus Chriſtus in cruce ſpiritum emiſit,

DISSER-

(1) *In Hebr. 11. pag. 542.* (2) *Theophylact.* in *Matt.* 27. *pag. 178.* (3) *In Luc. c. 8. Sic & reſurrectio temporalis in Paſſione Domini celebratur, ut perpetua illa credatur.* (4) *D. Thom. 3. p. q. 53. art. 3.*

DISSERTATIO
DE S. JOSEPH S. MARIÆ VIRGINIS CONJUGE.

Quæcumque de S. Joſepho attingit, pauca licet, Scriptura, adeo ad viri gloriam conferunt, & quæ de illo agitantur quæſtiones, tanti videntur momenti, ut peculiari Diſſertatione de inſigni illo viro tractare operæ pretium duxerimus. S. Joſephus germen eſt Davidicæ radicis inſigne, Mariæ conjux, Virginitatis ejus cuſtos, Jeſu Chriſti parens, & altor. Ipſo S. Spiritus organo *Juſti* titulo decoratur. En Viri decora, en agitatas de illo quæſtiones. Quæ Viri genealogia? quod munus? an præter S. Virginem priorem alteram conjugem admiſerit? quomodo ad ejus conjugium pervenerit? cur dimittere illam cogitaverit? quo ſenſu *Juſtus* appelletur? quando obierit? & ubi fuerit ſepulturæ mandatus? Hæc modo nobis diſcutienda.

ARTICULUS I.

Joſeph genealogia.

AD Tribum Juda, & familiam David pertinuiſſe S. Joſephum, tradente Scriptura ſat conſtat. S. Paulus ad Hebr. 7. 14. ſcribit, omnibus exploratum eſſe, Jeſum Chriſtum e familia Juda natum fuiſſe; & Angelus ad Joſephum, Matthæi 1. 20 *Joſeph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam.* Idem tandem Evangeliſta ejus viri genealogiam deducit ab Abraham per Davidem [1].

Plures tam inter Recentiores, quam Veteres autumarunt, S. Lucam [2] eamdem patris Joſephi genealogiam ab Adam uſque ad Heli inſtruxiſſe; ſed quæ negotium faciunt in hac opinione, infra examinabimus. Diſcutiendum eſt prius, an Joſeph unicus eſſet hæres in familia David, quod Erudito cuidam recentiori [3] probatur; ſeu potius ille tantum arctiori quam ceteri omnes neceſſitudinis vinculo necteretur Virgini: quæ cum, juxta plurimorum Patrum ſententiam [4], unica eſſet patris ſui, & familiæ hæres, ex Legis præſcripto [5] conjugi Joſepho fuerit deſtinanda.

Ad primam illam difficultatem quod attinet, duobus illa Textibus præpoſtere expoſitis innititur. Priori illo Angelus Joſephum appellat filium David [6]; ſecundo Gabriel hæc habet ad Mariam: *Dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Hiſce duobus Textibus probatum creditur, Joſephum unicum fuiſſe, ſingularem Davidicæ domus hæredem ſimulque Jeſum Chriſtum in hanc hæreditatem illius ſucceſſiſſe. Statuunt proinde impletum in Jeſu Chriſto fidem oraculi Jacob [7]: *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt.*

Hujus ratiocinii vim me plane non aſſequi fateor. Joſeph filius eſt David; unicus ergo erat in domo ſua, & ſingularis familiæ hæres. Tum & illud: *Jeſus Chriſtus regnabit in Domo Jacob, & ſedebit in ſede David patris ſui;* poſtremus eſt ergo familiæ illius hæres. Tantumdem profecto liceret inferre de Salomone, Roboamo, Joſia, ceteriſque Regibus Juda poſt Davidem. Nonne Jeſus Chriſtus palam manifeſtavit, Regnum ſuum non eſſe de hoc mundo [8]? Nonne legimus, diu poſt ejus obitum Veſpaſianum Imperatorem ſolerter indagari juſſiſſe reliquias Domus Davidicæ, quibus exterminatis, defectionis, & reſtituendæ Monarchiæ anſam omnem Judæis adimeret [9]? Reſtabant ergo e Davide hæredes; nec Jeſus Chriſtus unquam ad temporale aliquod Regnum jus ſibi vindicavit.

Quod attinet ad opinionem præferentem, Joſephum arctiſſimo ſupra ceteros neceſſitudinis vinculo conjunctum fuiſſe cum Maria, unica in Domo ſua hærede, hæc non recens invecta, ſed antiquiſſimos habet aſſertores, S. Hilarium, S. Cyrillum Alexandrinum, Euſebium Cæſarienſem, S. Eucherium, Euthymium, Theophylactum, alioſque plures; ſed rationes promendæ ſunt. Vetuſtiſſima Evangelia Nativitatis B. Mariæ, & Protevangelium S. Jacobi aperte notant, Mariam unicam fuiſſe matris ſuæ Annæ & Joachim; ſed eorum Operum authoritas, præterquam ejus opinionis Vetuſtatem, nihil ſane probat.

Nemo unus apud Veteres S. Virgini fratres adſignavit [10]; qui tamen ſorores tribuerint, plures ſunt profecto. Et quando fratribus omnibus & ſororibus caruiſſet, non ſtatim tamen inferretur, S. Joſephum ſive ad ejus familiam pertinuiſſe, ſive arctiſſimo præ omnibus neceſſitudinis vinculo cum illa conjunctum; numquam enim in Lege interdictum puellis, ad quas hæreditas non pertineret, ut quem maxime vellent, conjugem ſeligerent. Hæredibus tantum, quæ germanis carerent, ſive illæ plures fuiſſent, ſive una ſingularis puella, præceptum fuit, ut in Tribu ſua conjugem quærerent [11]: *Nubant quibus volunt, tantum ut ſuæ Tribus hominibus.* Scriptores Veteres apocryphorum illorum Evangeliorum, quæ ſupra, numquam ferunt S. Joſephum coactum fuiſſe lege propinquioris cognationis ducere ſibi in conjugem Mariam; quin & contraria omnia docent. Nec ſane quidquam habent ea de re Patres, niſi forte unicus S. Epiphanius hæreſ. 78. c. 7. Inferunt tamen plures, S. Virginem ad Tribum Juda & familiam David pertinuiſſe, quod ex illa natus eſſet S. Joſeph; inferunt autem eo ducti, ſed non vero principio, puellas ſcilicet lege coactas nubere viris e Tribu & familia ſua. Nihil enim tale de puellis generatim in Lege, ſed tantum de hæredibus, uti ſupra innuimus.

Statuendum eſt plane, S. Matthæum in capite Evangelii ſui genealogiam S. Joſeph deduxiſſe; an vero eamdem inſtruxerit S. Lucas, ex eo maxime ambigitur, quod ſeries genealogica apud geminos illos Evangeliſtas a Davide uſque ad Zorobabelem, & a Zorobabele uſque ad S. Joſephum Virum S. Mariæ, omnium in ea poſtremum, variat. In S. Matthæo pater Joſepho aſſignatur *Jacob*, in S. Luca *Heli*. An duo hæc nomina duos diſtinctos homines, an unicum & ſingularem deſignant? Reponunt duos eſſe viros, quos ambos diverſa ratione aſſignatos Joſepho parentes volunt; alter enim parens erat juxta Legem ſive adoptione, alter ſecundum carnem & natura-

(1) *Matth. 1.* (2) *Luc. 3. 23 &c.* (3) *Harduin. Chronol. V.T. pag 523* (4) *Hilar. in Matth. 1. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 7. Cyrill. contra Julian. Euthym. q. 2 in Matth. Theophyl. Euthym. in Matth. 1. Vide Maldonat. in Matt. lib. 16. Grot. Brug. alios.* (5) *Num. 36. 6. 7.* (6) *Matth. 1. 20.* (7) *Gen. 49. 10.* (8) *Joan. 18. 36.* (9) *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 3. cap. 12.* (10) *Vide Hieron. in Matth. 27. in He. vid. c. 7. Theodoret. in Epiſt. ad Galat. pag. 268. Petr. Chryſol. ſerm. 48. Beda in Mar. 3. 18.* (11) *Num. 36. 5.*

turalis [1]. Patrem juxta legem appellamus illum, cui ſine liberis decedenti frater ſuperſtes vel propinquior inter cognatos, vidua ejus conjuge ducta, liberos ſuſcitavit [2], defuncto illi aſſignatos. Sed cum iſta mera ſit hypotheſis, utet ex illis, Jacob ne, an Heli, pater eſſet naturalis vel adoptivus non conſtat.

Verumtamen invaluit in Eccleſia vetuſtiſſima quædam traditio, a Julio Africano ſervata [3], quam tenere ſe profitetur a neceſſariis Jeſu Chriſti ſecundum carnem. Fert autem illa, *Mathanum* e Davide per Salomonem prognatum, & *Melchim* e Davide per Nathanum, eamdem conjugem Eſcham alterum poſt alterum duxiſſe: ex qua fœmina Mathano natus eſt *Jacob*, & Melchi genitus *Heli*. Porro Heli uxorem duxit, cujus nomen latet, liberis vacuus deceſſit. Quare juxta Legis præſcriptum [4] Jacob viduam ejus conjugem duxit. E poſtremo iſto conjugio natus eſt Joſeph, ſimul & ſemel filius Jacob ſecundum naturam, & Heli ſecundum Legem.

Hæc difficultatis ſolutio eo magis in pretio habenda eſt, quo magis tamquam domeſticos habet aſſertores; deducta enim dicitur ab ipſa S. Joſeph familia, cujus ſane teſtimonio præ ceteris ſtandum eſſe ambigitur. Sed illud habet incommodi, quod *Melchi* & *Heli* alterum poſt alterum jungit, veluti filium & patrem; cum inter duos illos, nempe inter Melchi & Heli, S. Lucas duos conſtituat, nempe Mathat & Levi. Legiſſe videtur Julius Africanus ceterique illum ſecuti, in ſuis Exemplaribus nomina Melchi & Heli duobus illic intermediis exponctis. Et quidem S. Irenæus l. 3. c. 33. nonniſi 72 generationes ſupputat ab Adam uſque ad Jeſum Chriſtum; cum S. Lucas 74. juxta noſtra Exemplaria præferat. Poſitum ab Africano ſyſtema maxime invaluit apud Veteres [5], nec ſane infrequentes habet laudatores apud noſtrates.

Autumat S. Epiphanius hæreſ. 78. num. 7. Jacob cognomento *Pantheram*, patrem fuiſſe *S. Joſeph & Cleophæ*, S. Joſephum priorem conjugem e Tribu Juda duxiſſe, e qua ſex filios, quatuor nempe mares, & duas fœminas, retulerit. Natu maximum inter filios ſtatuit *Jacobum fratrem Domini*. Paulo aliter rem explicat S. Damaſcenus de Fide l. 4. c. 15. tenet enim *Levi* per Nathanum e Davide prognatum, filios habuiſſe *Melchi* & *Pantherem*; e Panthere natum *Bar-pantherem*; ex hoc vero *Joachimum*, patrem B. Virginis. Ex altero vero genealogiæ ſurculo *Mathan* e Davide per Salomonem filium habuit *Jacob* patrem Joſeph, conjugem B. Mariæ. Nomen *Pantheris* legitur pariter in Origene [6], in Thalmude Babylonico [7] & in Actis Jeſu Chriſti, Judæorum opera vulgatis; habent enim hæc omnia Pantherem veluti parentem Jeſu Chriſti. Verum traditionibus iſtis ut antiquitatis multum, ita fidei parum eſt; procuſæ ſunt enim fabellæ a Judæis, unice ſtudentibus ut invidiam Jeſu Chriſto & Chriſtianæ Religioni crearent.

Expeditiorem conciliandæ utriuſque Evangeliſtæ genealogiæ rationem inire ſe recentiores Interpretes autumarunt [8], ſtatuentes, deductam a S. Matthæo genealogiam S. Joſephi, & a S. Luca alteram Virginis Mariæ. Juxta hoc ſyſtema, Jeſus Chriſtus e familia David natus eſt per utrumque parentem; uterque enim, licet per diverſos canales, ex eadem familia deducitur. Cum autem poſtremam hanc ſententiam peculiari Diſſertatione nos antea firmaverimus, nihil hic ulterius immorandum.

Non defuerunt, qui crederent [9], S. Joſephum jura Sacerdotis & Regis in ſe uno conciliaſſe; quippe qui ſurculus eſſet domus Davidicæ & Aaronicæ. Nihil tamen occurrit ſive in Evangelio, ſive in traditione, quod faveat huic opinioni; neceſſitudine quidem cum familia Sacerdotali juncta erat B. Virgo, cujus dicitur cognata S. Eliſabeth e filiabus Aaron: ſed numquid propterea ad eamdem familiam Joſeph pertinebat? Reputarunt etiam Veteres nonnulli, Jeſum Chriſtum ſimul & ſemel Sacerdotem fuiſſe e genere Aaron, & Regem e ſtirpe David; ſed quando vera hæc ſint de Jeſu, numquid & de Joſepho idem reputandum? Erat juxta Scripturas Jeſus Chriſtus Rex pariter & Sacerdos, Sacerdos tamen juxta ordinem, non Aaronis, ſed Melchiſedech, & Rex alterius plane quam conſtituti in orbe Regni.

ARTICULUS II.

Quodnam S. Joſeph munus exercebat.

VEtus, nec ambigua, traditio tenet lignariam exercuiſſe S. Joſephum. Evangelium apocryphum S. Jacobi ædium ædificatorem fuiſſe docet [10]; addit pariter, quod cum ſemel ſacræ buccinæ ſonitu viri omnes conjuge viduati in Iſraele ad Templum, virgam quilibet ſuam ferentes, invitarentur, Joſephum aſcia relicta [11] procurriſſe cum ceteris. Legimus pariter in Evangelio apocrypho Infantiæ Salvatoris [12], Jeſum Chriſtum una cum S. Joſepho patre ſuo per Urbem diſcurriſſe, quo ad exercitium artis ſuæ appellabantur, nempe ad conficiendas arculas, cribros, januas; & cum forte in lignum aliquod incideret brevius ſive longius, quam oporteret, Jeſus Chriſtus ſolo tactu comparabat ad opus. Non authoritatem moror horum Operum, ſed vetuſtatem & veteris receptæ traditionis teſtimonium.

Refert S. Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, Ieſum parenti ſuo præſto fuiſſe in conficiendis jugis & aratris. Cædendis arboribus, ædibus ædificandis, ſimilibus ceteris exercendis incubuiſſe perhibet S. Ambroſius [13]; ſed ibidem pariter aſſerit, inſtrumenta illum tractaſſe ferramentarii vel fabri ferrarii, quod e Teophylo Antiocheno vir Sanctus deduxit. Refert Theodoretus, & Sozomenus [14] quæſiviſſe olim Libanium a viro quodam Chriſtiano, quid faceret Ieſus Chriſtus: cui alter reſpondit, feretrum Imperatori Iuliano fabricare. Author Operis imperfecti in Matthæum cap. 1. 18. S. Thomas, recentiores fere omnes Interpretes fabrum lignarium illum conſtituunt: quæ ſane traditio eſt totius Orientis, unde deduxit Mahometus, Ioſephum artem ſuam exercuiſſe in Templo Domini.

Cum tamen Græca vox *Tecton*, qua Evangeliſtæ profeſſionem S. Ioſephi exprimunt, deſignet generatim hominem opificem, Veteres plures autumarunt, ferrariam exercuiſſe. S. Hilarius expreſſe in Matthæum 13. habet: *Jeſus fabri erat filius, ferrum igne vincentis*. Hanc ſententiam non reprobaſſe S. Ambroſium, ſupra obſervavimus; ſed ferrariæ lignariam jungit: *Pater Chriſti igne operatur, & Spiritus tamquam bonus animæ faber vitia noſtra circumdolat*. Beda Venerabilis in Marc. 6. ſub allegoriæ ambagibus ſcribit, Ieſum filium eſſe viri, qui per *ignem & ſpiritum* operatur; ipſum vero Jeſum baptizare *in Spiritu & igne*. Eamdem allegoriam ſequitur S. Petrus Chryſologus [15], paraphraſi exponens verba illa Nazaræorum de Ieſu: *Hic eſt Jeſus filius fabri*. Recte illi quidem, ait Chryſologus, quamquam ignorantes, quid dicerent; eſt enim ſervator filius illius Patris, qui mundum fabricavit *non malleo ſed precepto, qui mundi maſſam formavit authoritate non carbone*, qui lucem ſoli contulit *non terreno igne, ſed ſuperno calore*. Idem præfert Textus Hebræus S. Matthæi a Tibin vulgatus.

Hu-

(1) *Vide Ambroſ.* in *Luc. Quidam apud Auguſt. quæſt. in N. T. q. 56. Idem lib. 2. quæſt. Evang. quæſt. 2. Idem de conſenſu Evangeliſt. lib. 2. cap. 2. 3.* (2) *Deuter. 25. 5.* (3) *African. ad Ariſtid. apud Euſeb. lib. 1. cap. 7. Hiſtor. Eccleſiaſt.* (4) *Deuteron. 25. 5.* (5) *Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 7. Ambroſ. l. 3. in Luc. Nazian. Carm. de Chriſti generat.* (6) *Contra Celſum lib. 1. pag. 25. edit. Cantabrig.* (7) *Tract. Sanhedrin.* (8) *Galatin. Janſen. Genebr. Grot. Gemar. Ligfoot. Hor. Hebr. Brug. in Matth. Spanhem. Dub. Evangel. Viſſi de Generat. Chriſt. Toynar. harm. Evang. pag. 3. 8. 13.* (9) *Serm. 3. in Annunciat. Virg. pag. 325. 326. Appendic. t. 5. Oper. Sanct. Auguſt. nov. edit. idem qui ſermone 25. & in Nativit. Domini Appendic. Lovanienſ. pag. 659.* (10) *Protevang. Jacobi 2. & 9.* (11) *Ibid. 2. 9.* (12) *Evangelium Infantiæ 2. 38.* (13) *In Luc. l. 3. n. 2. p. 1314. Ex Theophyl. Antioch. in Matth. 13.* (14) *Theodor. Hiſtor. Eccleſ. lib. 3. c. 18. Sozomen. hiſtor. Eccleſ. lib. 6. c. 2.* (15) *Ser. 48. to. 7. Biblioth. PP. p. 883.*

Hugo Cardinalis, qui aurificem virum facit, in cæmentarium pariter inclinat. Bollandiſtæ ſermonem quintum S. Auguſtini de Nativitate [1]; tandem Cornelius a Lapide laudat alterum locum S. Doctoris, ubi traditur ædes illum fabricaſſe; ſed facile tamquam faber lignarius, non tamquam cæmentarius. Fateri enim oportet, vetuſtiſſimam & maxime receptam opinionem tenere lignariam illum exercuiſſe; & quicumque fabrum ferrarium habuerunt, allegoriam potius ſecuti videntur, quam ſcilicet allegoriam facile ſuppeditat vaga illa & generalis vox *faber*.

ARTICULUS III.

An S. Joſeph Virginitatem ſervaverit.

VIrginem fuiſſe virum toto vitæ tempore defendunt cum Veteribus nonnullis Recentiores plures Interpretes. S. Hieronymus potiſſimus eſt ejus opinionis aſſertor, in Libro contra Helvidium c. 9. [2], ubi continentiam jugiter ſervaſſe illum aſſerit, quo Ieſus Virgo e Virgineo conjugio naſci poſſet. *Etiam ipſum Joſeph Virginem fuiſſe per Mariam, ut ex Virginali conjugio Virgo Filius naſceretur. Maria autem, quam putatus eſt habuiſſe, cuſtos fuit potius quam maritus.* Addit inſuper, nuſpiam legi illum in conjugio vixiſſe Author Sermonis quinti in Nativitatem, in Appendice Operum S. Auguſtini per Doctores Lovanienſes, aſſerit pariter Virginitatis hujus in Ioſepho privilegium. Longius etiam excurrit S. Petrus Damiani Opuſcul. 17. num. 3. *Eccleſiæ fides eſt, ut Virgo fuerit & is qui ſimulatus eſt Pater.* Hæc hodie ſententia invaluit apud Fideles [3]; ſed ad fidem Eccleſiæ plane non pertingit, cum apud Veteres, uno excepto S. Hieronymo, vix obtineat ſuffragatores. Obtinuit quinetiam vetuſtiſſima traditio, Ioſephum conjuge viduatum, S. Virginem duxiſſe. Id non obſcure præferunt Evangelia illa apocrypha, de quibus ſupra [4]. In Protevangelio Ioſephus ne ducat Mariam cauſatur: Senex ego & liberis non careo; illa viciſſim puella eſt; in fabulam Iſraelis illam ducens convertar. S. Epiphanius hæreſ. 51. num. 10. notat, egiſſe illum ætatem 80. circiter annorum, conjuge orbatum fuiſſe, & ſex liberorum patrem. S. Hippolytus Thebanus quatuor illi filios & geminas filias aſſignat [5]; filios nempe Iacobum, Simeonem, Iudam, & Ioſem, filias Eſther, & Thamar. Ejus uxor *Salome* patrem habuit Aggæum, fratrem S. Zachariæ, S. Ioannis Baptiſtæ parentis. Eadem refert Nicephorus l. 2. c. 3. ex S. Hippolyto Portuenſi: ſed facile pro Portuenſi legendum Thebano, quod vitio forte Amanuenſium in textum irrepſit. Porro Iacobum Apoſtolum Fratrem Domini inter filios Ioſephi ex priori conjugio natos, agnoſcit etiam S. Gregorius Turonenſis Hiſtor. Francor. l. 1. c. 21.

S. Epiphanius alio, quam ſupra adducto, loco [6] tradit, S. Ioſephum priorem quamdam conjugem e Tribu Iuda duxiſſe, ex qua nati Iacobus, Ioſe, Simeon, & Iudas, cum Maria, & Salome. Nihil diſcrepat S. Epiphanius a ceteris ſupra adductis, niſi in nomine duarum filiarum Ioſephi. Euſebius agens de S. Iacobo Fratre Domini, inter filios Ioſephi [ex alio plane conjugio natos] illum accenſet. S. Hilarius in Matthæum c. 1. num. 4. agnoſcit pariter, fratres Domini in Evangelio notos patrem habuiſſe Ioſephum, ex priori conjugio natos: *Quaſi Mariæ filii fuiſſent, & non potius Joſeph ex priori conjugio ſuſcepti &c.* Satis communem eam opinionem eſſe fatetur Origenes in Matthæum, deductamque dicit ex Evangelio apocrypho S. Petri, ſive e Libro Iacobi, nec tamen illam refutat; tantumque abeſt, ut credat Ioſephum Virginem fuiſſe, ut probari etiam ſibi demonſtret, Ieſum primum eſſe exemplar & ideam perfectæ virginitatis apud mares, quemadmodum Maria apud fœminas.

De Fratribus Domini ex Evangelio notis, declarat S. Ambroſius [7]: *Potuerunt fratres eſſe ex Joſeph, non ex Maria.* Addit: *Quod quidem ſi quis diligentius proſequatur, inveniet.* Ambroſiaſter, ideſt Hilarius Diaconus Eccleſiæ Romanæ, quarti ſæculi Scriptor, id totum explicat luculenter ad Epiſtolam ad Galatas 1. 19. Iacobum enim Epiſcopum Ieroſolymæ filium Ioſepho aſſignat; ex quo fratrem Domini appellatum arbitratur. Laudantur in eamdem ſententiam S. Amphilochius [8], S. Gregorius Nyſſenus [*], & S. Chryſoſtomus in Matthæum hom. 5. quamquam ipſe ambigue loquitur.

Refutat hanc ſententiam S. Hieronymus in Commentario in Epiſtolam ad Galatas, ſed non iis argumentis, quæ aſſenſum extorqueant: In ipſo limine ad Librum ſuum adverſus Helvidium remittit, tantum addit fratris Domini elogium ſibi promeruiſſe S. Iacobum *propter egregios mores, & incomparabilem fidem, ſapientiamque non mediam.* S. Auguſtinus in Epiſtolam ad Galatas ſcribens ad cap. 1. 19. relinquit in medio, num S. Iacobus parentem habuerit S. Ioſephum, ſive demum ſanguinis aliam conjunctionem cum Ieſu Chriſto haberet. Sed in Opuſculo de idiotiſmis S. Scripturæ, poſt Lucubrationem illa ſcripto S. Iacobum filium Alphæo aſſignat.

Sed peremptoria adverſus hæc omnia de Iacobo, cui pater adſcribitur S. Ioſeph, hæc unica, ratio promitur: quod ſcilicet cum Ieſus morti traderetur, vivebat adhuc Maria mater Iacobi, cujus nomen legitur inter religioſas illas fœminas, quæ præſentes ſpectaculo adfuerunt [9]. Quis autem ſibi perſuaſerit, ſive Ioſephum duas ſimul & ſemel conjuges adſciviſſe, nimirum Mariam Iacobi, & alteram Mariam Ieſu parentem, ſive e geminis illis unam, i. e. Mariam Iacobi repudiaſſe, ut duceret Mariam Matrem Ieſu, qua de re altum eſt in Scriptura, Hiſtoria, & Traditione ſilentium? Quod etiam multo erit abſurdius, ſi quis cum Patribus non infrequentibus ſtatuat, geminas illas fœminas ſorores fuiſſe [10]. Cavet enim Lex ne talia inceſta connubia ineantur [11]. Iudicium ergo de virginitate Sanctus Ioſeph ſuſpendendum eſt; & fateamur oportet, ambiguum eſſe maxime quidquid de adſcita ante B. Virginem priori aliqua conjuge relatiſque ex illa infantibus traditum eſt.

ARTICULUS IV.

Quamdo S. Joſeph connubium inierit cum Virgine.

VEteres illi & apocryphi Libri [12], de quibus ſupra, & Patres nonnulli, eorum fidem ſecuti docent, Sacerdotes Templi Ieroſolymitani volentes conjugem aliquem quærere Virgini Mariæ, ſeu potius Virginei illius pudoris teſtem, virum tanto munere dignum, omnes uxore viduatos e Tribu Iuda uocaverunt in Templum, injungentes inſuper, ut virgam quilibet ſuam deferret, exploraturi cujuſnam virga floreret, ejuſque virgæ S. Spiritus in columbæ forma inſideret; quo indicio Mariæ deſtinatus conjux agnoſceretur. Cum igitur omnes conſenſiſſent, virga Ioſe-

(1) *Belland. 19. Martii.* Non legitur ſermo iſte in nova editione S. Doctoris, ſicut nec in editione Lovanienſi, nihil tale lego, niſi forte in ſecundo ſermone ad articulum Epiphaniæ, ubi Author alludens ad nomen *Artifex*, illud exponit cæmentarium, architectum, fabrum lignarium. (2) *Vide & in Matt. 13.* (3) *Vide Bollandiſtas ad 19. Martii.* (4) *Protevang. Jacob. n. 9. Vide & Evangel. de Nativ. Mariæ num. 7.* (5) *Chronic. pag. 59. Edit. Fabric.*

(6) *Hæreſ. 28. cap. 7. & 78. 7.* (7) *De Inſtit. Virg. c. 6. n. 43. pag. 260.* (8) *Hom. 4 pag. 56.* (*) *Hom. 2. in Reſurrect. pag. 412 413.* (9) *Marc. 16. 1. Luc. 24. 10. Matth. 27. 56. Jo. 19. 25.* (10) *Hieron. in Matth. in Helvid. & Epiſ. 150. Theodoret. in Galat. Beda in Marc. Chryſoſt. ſerm. 480. Theophyl. in Matt.* (11) *Levit. 18. 18. Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus illa vivente.* (12) *Evangel. Nativit. B. Virg. Item Evang. B. Jacobi, num. 9.*

Joſephi florem emiſit, & S. Spiritus e ſummitate virgæ volitans, capiti ejus inſedit. Nec mora, & Virginis conjux, & S. Puellæ cuſtos ſalutatur. Hanc traditionem ſecuti vulgo Pictores, exhibent S. Joſephum floſcentem virgam manu tenentem, cujus ſummitati inſidet columba; ita, inquam, exhibent S. Virum ineuntem cum Virgine coram Summo Sacerdote connubium. Gemina ferme tradunt Euſtathius Antiochenus in Hexaemeronem, Gregorius Nyſſenus Orat. in Nativit. Chriſti, & Epiphanius hæreſ. 78. num. 8. Nihil enim moramur in commentitiis hiſce fabellis variantia quædam minoris momenti. Nihil pariter habet apud nos authoritatis recepta apud Pictores conſuetudo, neſcio quæ traditione fulta, exhibens Prophetam Agabum, qui ductam ab altero Virginem dolens, virgam ſuam frangit, tum & Carmelitarum cucullum, uti deſperantes ſolent, induit.

ARTICULUS V.

Joſephus, cum prægnantem Virginem intellexit, oppignoratam ne ſibi illam vel conjugem habebat?

Sine ambagibus quæſtionem hanc determinare videntur Scripturæ illis verbis Matthæi 1. 18. *Cum eſſet deſponſata mater ejus Maria Joſeph, antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto. Joſeph autem vir ejus, cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* S. Lucas pariter de Joſepho habet c. 2. 4. *Cum Maria deſponſata ſibi:* Cum autem Græcum Verbum, quod redditur *deſponſare*, æque pariter uſurpetur de conjugali nexu, Patres & Interpretes ea in re committuntur inter ſe; alii enim pro conjugio, alii pro ſponſalibus tantum decernunt. Pſeudo Evangelium Nativitatis Mariæ habet, Joſephum *nuptiarum jure de more in Templo celebrato*, receſſiſſe ſe in Bethleem patriam ſuam, rebus domeſticis ceteriſque ad nuptiarum celebrationem neceſſariis diſponendis; Mariam autem cum ſociis puellis in Galilæam apud parentes ſuos diverſiſſe. Protevangelium S. Jacobi legit tantum, Joſephum coactum minis Summi Sacerdotis Mariam duxiſſe, cui dixit: *Maria, ego te hodie recipio in Templo Domini, relinquam te vero in domo (uſquequo regrediar). Quantum ad me, ego ad meam profeſſionem regredior, ædibus ſcilicet conſtruendis: Deus ſoſpitet te.* His omnibus ſatis intelligimus, verum conjugium Scriptoribus illis perſuaderi: quamquam non tale conjugium, quod copulam tamquam neceſſariam conſecutionem exigeret; tenent enim & Scriptores illi & Patres [1], S. Virginem Deo religione Parentum conſecratam, caſtitatem ſuam Domino voviſſe. Verumtamen votum hoc a Virgine nuncupatum latuiſſe homines, & ipſum S. Joſephum credendum eſt; Patres enim doctiſſimi monent, Deum Virgini conjugem deſtinaſſe, ut honori ejus conſuleret, & puerperii illius myſterium conjugii velamine celaretur. Sanctus Auguſtinus inſinuare videtur, Joſephum Mariam duxiſſe, tamquam conjuge illa uſurum: *Neque enim cum eam vidiſſet divina fœcunditate donatam, ipſe aliam quæſivit uxorem; cum utique nec iſtam quæſiſſet, ſi neceſſariam conjugem non haberet: ſed vinculum fidei conjugalis non ideo judicavit eſſe ſolvendum, quia ſpes commiſcenda carnis ablata eſt.*

Modo ut ad propoſitam quæſtionem regrediamur, an ſcilicet Virgo conjugii, vel tantum ſponſalitio vinculo alligata eſſet S. Joſepho, cum de myſterio Incarnationis ab Angelo reſcivit; quæ opinio conjugium defendit, nititur Scripturæ illis verbis [2], *Joſeph autem vir ejus &c.* & *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam* [3].

Affert etiam S. Ambroſius [4] illud Evangelii de Joſepho, qui voluit Virginem remittere: *Qui volebat dimittere*, ait, *fatebatur acceptam*: Et quidem nullum eſt niſi in conjugio divortium. Sed numquid non & ſponſam infidelem integrum eſt Sponſo dimittere? Docent Authores Judæi, oppignoratas puellas perinde ac conjuges haberi, ut nonniſi per litteras divortii repudientur [5]. Origenes & Author Operis imperfecti in Matthæum [6], ſicut & Theophylactus, aliique plures volunt, Textum Evangelii: *Cum eſſet deſponſata &c.* conjugium ipſe deſignare.

Sed adverſa opinio & rationum momentis, & authoritate multum ſuperat. Textus Græcus ad literam ſonat ſponſalia. Ad hæc, Angelus ad S. Joſephum ait: *Ne timeas accipere Mariam conjugem tuam*; non ergo antehac acceperat. Pſeudo-Origenes hom. 1. & 3. in diverſa loca Evangelii, qui exſcripſiſſe videtur S. Hilarium, & ſubinde etiam S. Hieronymum, eorum opinionem de conjugio ſeu potius de ſponſalibus S. Joſephi cum Virgine adoptans, ſcribit, ante ortum Jeſu Chriſti Mariam ideo tantum conjugem Joſephi appellari, ut myſterium Incarnationis Diabolo occultaretur, & Mariæ Virginitas Judæis. S. Hilarius in Matth. 1. verum conjugium inter illos nonniſi poſt natum Chriſtum agnoſcit: *Ergo & conjugii nomen ſponſa ſuſcepit, & poſt partum recognita tantum, Jeſu Mater oſtenditur.* Apertius S. Hieronymus in Matthæum de S. Joſepho: *Pene licentia maritali futuræ uxoris omnia noverat.* Et aliquanto poſt ait de S. Joſepho: *Cum virum audis, ſuſpicio tibi non ſubeat nuptiarum.* S. Epiphanius hæreſ. 78. num. 7. 8. ſcite obſervat, Evangeliſtam numquam ſcripſiſſe, Virginem nupſiſſe S. Joſepho, ſed tantum illam ſibi virum hunc ſanctum deſpondiſſe, nec ductam illam, ut conjux haberetur, ſed ut ſanctæ fœminæ vir ſanctus eſſet cuſtos.

Deſponſa licet tantum Joſepho, adhuc tamen cum ſponſo Virgo morabatur; quod juxta S. Chryſoſtomum [7], Authorem Operis imperfecti & S. Bernardum [*], *Mos Judæorum erat, ut a die deſponſationis ſuæ uſque ad tempus nuptiarum, Sponſis Sponſæ traderentur cuſtodiendæ.* Sed conſuetudo iſta vix Authorum Judæorum teſtimonio probaretur: id tantum ſcimus, longum conſtitui ab illis intervallum inter ſponſalia & nuptias; cujus rei documentum exhibent Scriptura, Judæorum Libri [8], & hiſtoria ipſa, de qua agimus; cum trium menſium ſpatio Virgo oppignorata manſiſſet S. Joſepho, antequam conjugium celebraretur. Obtinet hodie pariter apud Judæos, ut puellæ oppignoratæ maneant interdum ſex menſium ſpatio, quin & anno ac ſæpe biennio, antequam conjugium ineatur; quo temporis intervallo ſi forte pudorem ſuum violaverit ſponſa, adulterii rea habetur, uti Thamar exemplo intelligimus.

ARTICULUS VI.

Cur S. Joſeph dimittere S. Virginem meditabatur?

Si Joſeph de pudore Sponſæ ſuæ ejuſque innocentia optime perſuadebatur, ut Authoribus quamplurimis viſum, cur prægnantem illam intelligens, dimittere meditabatur? Si ream credebat, cur, *juſtus cum eſſet*, occulte dimittere illam meditabatur, & non potius palam denunciavit, ne connivere crimini videretur? An ignorabat, Deum non criminis tantum reos punire, ſed & criminis conſcios [9]? Reponitur huic objectioni, in Lege quidem permitti, ut fœmina adulterii rea ſiſtatur judicio [10]; nihil tamen

(1) *Vide Nyſſen. Orat. de Nativit. Domini p. 779. Ambroſ. de Inſtitut. Virg. c. 5. Epiphan. hæreſ. 78. c. 24. &c.* (2) *Matth. 1. 19.* (3) *Matth. 1. 20.* (4) *In Luc. l. 2. n. 5. p. 1283.* (5) *Vide Selden. Uxor Hebraic. l. 2. c. 1. & 8.* (6) *Origen. in Matth. Opus imperfect. in Matth. hom. 1.*

(7) *In Matth. hom. 4.* (*) *Hom. 2. num. 12. in Miſſus eſt.* (8) *Selden. Uxor Hebr. Leo Modena, Carem. Judæor. part. 3. cap. 3. Buſnag. hiſtor. Judæor. lib. 5. cap. 19. num. 12. Vide & Grot. in Matth. 1. 18.* (9) *Rom. 1. 32.* (10) *Levit. 20. 10.*

Digitized by Google

tamen ea de re præcipi. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius*, ait Sapiens Prov. 18. 22. Non tamen ſuſtinuit S. Joſeph, ut SS. Virginem quam fœtam norat, incertus tamen quomodo, & forte vi oppreſſam ſuſpicans [1], apud ſe retineret: forte etiam ambigere poterat, num antea concepiſſet, quam ſibi oppignoraretur. Profecto nihil aptius ſuccurriſſet illi, quam opportunum hoc dimittendi conſilium. Potuiſſet ille quidem rem totam a Maria quærere; ſed numquid rem plane miram affirmanti credidiſſet? S. Viri angorem intelligens Maria, potuiſſet rem totam ita exponere, ut illi perſuaderet; maluit tamen in ſilentio Deum opitulantem & ambages Sponſi tollentem opperiri.

Tenent nonnulli, Joſephum myſterium Incarnationis probe noſſe, & profunda erga pudorem Virginis veneratione prohibitum fuiſſe, ne ſe cum tanta Virgine jungeret, ſatiuſque duxiſſe, ut clam illam dimitteret. Docet S. Baſilius l. 1. hom. 25. Joſephum veritum, ne conjux haberetur mulieris ceterarum conditiones adeo tranſcendentis, clam omnibus illam deſerere meditatum fuiſſe. Reputat Author quidam, ſub Origenis nomine latens [2], Joſephum myſterium aliquod ineffabile in Maria intelligentem, indignum ſe reputaſſe, ut tantæ rei ſibi incognitæ particeps admitteretur; quare ſeceſſionem agitaſſe apud ſe eadem fere ingeminantem, quæ S. Petrus Luc. 5. 8. *Recede a me Domine, quia homo peccator ſum*. Fuſius eamdem ſententiam proſequens S. Bernardus, ex Patribus tenere ſe illam profitetur: *Accipe in hoc non meam, ſed Patrum ſententiam. Videbat & horrebat divina præſentia certiſſimum geſtantem inſigne; & quia myſterium penetrare non poterat, volebat dimittere eam* [3]. Gemina ferme promit S. Hieronymus in Matt. 1. *Joſeph ſciens Mariæ caſtitatem, & admirans, quod evenerat celat ſilentio, cujus myſterium neſciebat*. Vetus Evangelium S Jacobi n. 13. 14. tradit, Joſephum poſt ſex circiter menſium a domo abſentiam, regreſſum tandem, cum fœtam Virginem intellexit, mente turbatum fuiſſe illud ſecum reputando: Quid faciam? quomodo me ſiſtam coram Domino, qui cum Virginem hanc e Templo Domini receperim, minus caute illam cuſtodii? Tunc ad Mariam converſus: O tu in Sancto Sanctorum innutrita, manu Angelorum paſta, quid feciſti? Plorans ad hæc mulier; Nullum ego admiſi crimen, nullum hominem vidi. Cur ergo, ait Joſeph, prægnantem video? Tum illa: Vivat Deus meus, unde hæc mihi contigerint, ignoro. Ad hæc verba obſtupeſcens Joſeph, reputabat intra ſe: Quid faciam? Si crimen ejus abſcondo, criminis ego adverſus Legem Dei damnor: ſi illam accuſo coram populo, ne juſtitiam lædam, innoxiam poſcens ad pœnam, metuo: Paria ferme e veteri hiſtoria accepiſſe ſe profitetur Author Operis imperfecti in Matth. hom. 5.

Sed nihil tale in Scriptura; ex qua pariter intelligere videmur, caviſſe Joſephum, ne ambages ſuas Sponſæ proderet, pudori ipſius & mœrori conſulturum. S. Auguſtinus Epiſt. olim 54. nunc 153. ita de hac re philoſophatur. *Cum eam comperiſſet eſſe prægnantem, cui ſe noverat non eſſe commixtam; & ob hoc nihil aliud, quam adulteram eſſe credidiſſet, puniri tamen eam noluit, nec approbator flagitii fuit. Nam hæc voluntas ejus etiam juſtitia deputatur*. Idem vir Sanctus alibi celebrat juſtitiam S. Joſeph, qui cum prægnantem Sponſam intelligeret, non poterat non adulterii ream ſuſpicari: *Reſtabat itaque certa adulterii ſuſpicio*; in quo tamen reum articulo plurimum cavit, ne miſeram diffamaret: *Voluit enim prodeſſe peccanti, non punire peccantem* [4]. Gemina ferme habet S. Chryſoſtomus in Matth. hom. 4.

ARTICULUS VII.

Quo ſenſu Joſeph appellatur Juſtus?

JUſti elogium ita exponunt Patres [5], ut reddat hominem virtute excultum, probum, æquum, & viri perfecti dotibus omnibus ornatum. Hanc enim ideam ſubdit Scriptura hominis Juſti, ut referat hominem perfectum & Deo gratum. Nec ſane ambigendum eſt, virtutes omnes morales ſummo loco fuiſſe apud S. Joſephum, virum a Deo tantæ rei miniſtrum electum, Incarnationis nempe conſortem, cui Jeſus Chriſtus educandus committeretur.

Strictius tamen alii nomen *Juſti* accipientes, de viro intelligunt æqua omnibus referentem, & malis puniendis & virtuti præmio donandæ æque intento [6]. Intelligens Joſeph Sponſam ſuam concepiſſe, fidem illis ſponſalitiam ſervare nullatenus acquievit, juxta illud Proverb. 18. 22. *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt & impius*. Cœpit ergo conſilium ream dimittendi; ſed occulte peccantem noluit Legis rigori ſubdere, & palam diffamare. Clam ergo dare libellum repudii, ſive alia quacumque ratione dimittere viſum eſt: omnia ad exactas juſtitiæ regulas. Prægnantem manifeſto tenebat Mariam, quod ſatis erat ſuperque ad ſuſpicionem adulterii concipiendam, ac ream dimittendam. Cum vero fieri potuiſſet ut invita opprimeretur, morte dignam minime cenſuit; quare cavendum ſibi duxit, ne ream ſiſteret in judicio, Legis rigore puniendam.

Nomen tandem *Juſti* alii accipiunt veluti mitem, bonum, clementem, miſericordem, quod oppoſitum eſt rigori & ſeveritati juſtitiæ. In eum ſenſum non raro uſurpatur in Scriptura nomen *juſti*, & *juſtitiæ*; ac favent expoſitioni S. Chryſoſtomus [7], S. Ambroſius [8], & S. Auguſtinus [9]. *Noli eſſe juſtus multum*, ait Salomon Eccleſ. 7. 17. ideſt, juxta Doctores Hebræos, noli eſſe nimium clemens & alienæ miſeriæ compatiens, ut Saul in Agag Regem Amalecitarum. Et Iſaias, poſtquam Judæos hortatus eſt ad miſericordiam & eleemoſynas, intulit tandem [10]: *Tunc anteibit faciem tuam juſtitia tua, & gloria Domini colliget te*. Et Pſal. 111. 9. *Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus* [ideſt miſeratio, eleemoſyna] *manet in ſeculum ſeculi*. Daniel 4. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime*; quo loco legit Chaldæum Originale: *Peccata tua juſtitia redime*. Non ergo laudat Scriptura in Joſepho ſegniorem quamdam indulgentiam, nec pernicioſam clementiam, quæ malum ita tolerat, ut abuſionem permittat. Mitis erat & juſtus, ſapiens, zelotes, nec tamen in ſeveritatem nimiam ſive in rigorem præpoſterum declinabat.

ARTICULUS VIII.

Quando obierit S. Joſeph, & ubi ſepultus?

SUpereſt tantum de viri obitu quæramus. Recepta perſuaſio tenet, antea vitam clauſiſſe, quam Jeſus prædicandum Evangelium ſuſciperet; nuſpiam enim poſthac legitur de illo in Evangelio, quaſi de viro vita jam functo. Ideo Judæi ſecum invicem muſſitabant: *Jeſus filius eſt fabri* [11], ſive idem ipſe *faber eſt*, juxta S. Marcum [12], nec dictum ab illis unquam legimus: Verſatur in medio noſtri ejus pater; ſed tantum: Verſantur mater, fratres, & ſorores [13]. Mater ejus pariter & Diſcipuli ad Canæ nuptias acciti venerunt [14]; numquid & S Joſeph?

(1) *Vide Deuteron.* 22. 24. (2) *Origen. in Divers. hom.* 1. (3) *Homil* 2. *in Miſſus eſt*. (4) *Aug. ſerm* 8. *de verb. Evang. pag.* 444. *Nov. Edit.* (5) *Chryſoſt. loc. cit. pag* 39. *Author Oper. Imperf. in Matth Maldon.* (6) *Brugenſ Piſc.*

(7) *In Matth. hom.* 4. *pag.* 39. 40. (8) *In Pſalm.* 118. 52. (9) *Auguſt. ſerm.* 82. (10) *Iſai.* 58. 8. (11) *Matth.* 13. 55. (12) *Marc.* 6. 3. (13) *Matth.* 13. 56. (14) *Joan.* 2. 1. 3.

ſeph? Ex quo Jeſus duodennis in Templo delituit, & ab utroque parente inventus eſt, nuſpiam alibi de illo. Subjungit Evangeliſta, Jeſum parentibus ſuis obſequentem manſiſſe (1). Tandem Jeſus ſupremum ſpiritum agens, Matrem ſuam Evangeliſtæ Joanni commendat (2); Joſepho potius commiſſurus, ſi in vivis egiſſet, neque enim Jeſus diſſidiis gaudet, ſed concordia & charitate (3).

Autumat S. Epiphanius hæreſ. 78. n. 10. obiiſſe illum 92. annorum ætate grandævum, paulo poſt inventum Jeſum in Templo in Doctorum corona. Pſeudo Auguſtinus defendit, vitam illum egiſſe adhuc cum Jeſus in Cœlum aſcendit (4), in quam rem accommodat illud Geneſis 37. 7. 9. *Vidi quaſi ſolem, & lunam, & ſtellas undecim adorare me*; in ſenſu enim allegorico exponit Solem de S. Joſeph, Lunam de Virgine, & ſtellas undecim de Apoſtolis ea occaſione Dominum Deum adorantibus. Sed talibus argumentis quæſtio facti plane non probatur.

Obiit facile & ſepulturæ mandatus eſt S. Joſeph in Nazareth patria ſua, ubi ſedem fixit poſt reditum ex Ægypto (5), & ubi pariter ſubſiſtebat Jeſus, cum munus prædicationis iniret. Non niſi aliquandiu poſt Capharnaum, contendit; quam Urbem aliqui patriam credunt S. Joſephi, ſicut & Nazareth Beatæ Virginis. Conſtat plane, Joſephum ſat noſſe Capharnaitas; prædicante enim Jeſu veritatem corporis, quod daturum ſe pollicebatur Diſcipulis, muſſitabant inter ſe cives illi: *Nonne hic eſt Jeſus filius Joſeph, cujus novimus patrem & matrem?* Quidquid ſit, tempus mortis, & locus ſepulturæ æque latent. Poſterioribus ſæculis monſtratum eſt Joſephi, uti ferebatur, ſepulcbrum in valle Joſaphat, non procul a Jeruſalem; ſed nihil de illo apud Veteres. Nec ſane credimus eo obiturum veniſſe S. Joſephum, ubi numquam ſuperſtes moratus eſt. Incertum eſſe hunc ſepulturæ locum, ſatis probat ignoratio, qua de Reliquiis ejus verſamur; nullibi enim locorum ſacra ejus oſſa coluntur. Dies obitus ad 19. Martii notatur in Martyrologiis, ultra 800. annos vetuſtiſſimis, quem diem feſtum agit in ejus memoriam Eccleſia Latina; ſicut & vigeſimam Julii in eam rem aſſignant Cophtæ, & Orientales ceteri cum nonnullis Italiæ Eccleſiis. Videſis Bollandiſtas ad diem 19. Martii.

DISSERTATIO
DE SUDORE SANGUINIS
JESU CHRISTI IN HORTO
OLIVARUM ad Luc. 22. 43. 44.

MAlorum, quæ Jeſus Chriſtus toleravit, & Crucis ejus meditatio variorum varie animos affecit. Fideles ædificandis moribus exemplum retulerunt, aſſerendæ fidei ſuæ argumentum: Infideles vero anſam ſcandali & infidelitatis. Uſque ad hanc diem Dominus odor eſt mortis viris perditiſſimis: odor eſt ceteris vitæ in ſalutem [6]: numquam non Jeſus cruci ſuffixus ſcandalum fuit Judæis & pravis Chriſtianis; ſicut & virtus & robur Dei ſinceris fidelibus [7]. *Verbum enim Crucis pereuntibus quidem ſtultitia eſt; iis autem, qui ſalvi fiunt, Dei virtus eſt.*

Angor Jeſu Chriſti in horto olivarum, expreſſuſque e corpore ſudor ſanguineus, tamquam argumentum certiſſimum de veritate carnis illius, humanis infirmitatibus omnibus ſubjectæ, habitus eſt a nonnullis: unde pariter cauſam ſuam roborarunt adverſus illos, qui veritatem ejus Incarnationis negantes, nonniſi ſpecie mala pertuliſſe aſſerebant [*]. Alii vero ſuſpicati, ne Chriſtiani nominis oſores ea hiſtoria abuterentur, ut indigna Jeſu Chriſto incommoda tribuerent, totum Textum ab Exemplaribus ſuis expunxerunt: quemadmodum hodie pariter in multis vetuſtis Græcis Exemplaribus [8], & olim etiam in multo pluribus Latinis deſiderabatur. *Nec ſane ignorandum nobis eſt*, ait S. Hilarius de Trinit. l. 10. c. 41. *& in Græcis & in Latinis Codicibus quamplurimis vel de adveniente Angelo, vel de ſudore Sanguinis nihil ſcriptum reperiri.* Addit nihil inde diſcriminis ſive in veritatem creari, ſive juvari errorem: quod ſcilicet incertum ſit, quæ vera lectio inter tot Exemplarium varietates reputetur: *Ambigentibus igitur utrum hoc in Libris variis, aut deſit aut ſuperfluum ſit (incertum enim hoc nobis relinquetur de varietate Librorum) &c.*

S. Hieronymus adverſus Pelagianos ſcribens [†], aſſerit in nonnullis Exemplaribus Græcis & Latinis legi illud [9]: *Apparuit illi Angelus de Cælo confortans eum; & factus in agonia prolixius orabat: & factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram.* Infert ex his, Dominum noſtrum eo imbecillitatis venire voluiſſe, ut Angeli conſolatione indigeret; tum & ſudoris ſanguinei cauſam repetit ex orandi ardore ac vehementia: *Tam vehementer orabat, ut guttæ ſanguinis prorumperent ex parte, quem totum erat in paſſione fuſurus.*

S. Hilarius loco citato hæc habet: *Sudorem vero nemo infirmitati audebit deputare, quia & contra naturam eſt ſudare ſanguinem; nec infirmitas eſt, quod poteſtas non ſecundum naturæ conſuetudinem geſſit.*

Beda Venerabilis verba ferme omnia Sancti Hilarii exſcribit in Luc. lib. 6. cap. 22. tutus, ſudorem Jeſu Chriſti, prodigioſum omnino, evertere hæreſim illorum, qui phantaſma & ſpeciem tantum hominis in Jeſu Chriſto agnoſcunt: nec ambigit, reipſa ſanguine ſudaſſe, cum ex irrigata ejus ſanguine terra allegoriam deducat, demonſtrantem totum ab ipſo mundum merito paſſionis ſuæ ſalvandum fuiſſe.

Agnoſcit S. Epiphanius Ancorat. cap. 31. locum hunc ex Evangelio S. Lucæ in Codicibus Græcis permultis eraſum fuiſſe pia fraude Catholicorum quorumdam, metu ne quid forte ſiniſtri inde deduceretur; non intelligentes quid diſpendii in veritatem proveniret. Addit, S. Irenæum uſum eo loco in ſuo ope-

(1) *Luc. 2. 51.* (2) *Joann. 19. 26. 27.* (3) *Ambroſ. in Luc. 23.* (4) *Auguſt. 5. Append. pag. 27. ſerm. 1. de S. Joſeph.* (5) *Matth. 2. 23.* (6) *2. Cor. 2. 16.* (7) *1. Cor. 1. 18.* (*) *Vide Epiph. Ancherat. c. 31. 32. 33.* (8) *Deeſt in Mſs. Alex. Bodl. 4. 5. Cod. Leiceſtr. Cophti. Pariſ. 6. Syri quidam, teſte Photio Epiſt. 138. Plurimi Latini, teſtibus Hieron. l. 2. contr. Pelag. & Hilar. l. 10. de Trinit. Plures Græci, teſte Epiph. Ancorat. c. 31. 32. 33.* (†) *Dialog. con. Pelag. l. 2.* (9) *Luc. 22. 43. 44.*

opere adverſus hæreſes ad probandam Incarnationis veritatem (1).

Utitur pariter eodem loco idem S. Epiphanius (2) ad ipſum idem dogma aſſerendum, demonſtrans, lacrymas & ſudorem res eſſe mere corporeas: ſimul autem oſtendit, infirmitati Jeſu Chriſti nequaquam tribuendum, ſi Angeli alloquio confirmatus eſt; non enim Angelorum conſolatione ille indigebat, ad cujus aſpectum cœleſtia, terreſtria & inferna genuflectuntur (3). Suſpicatur Grotius in Lucam 19. 41. hanc Exemplarium correctionem nonniſi Epiſcoporum authoritate inductam; veroſimilius tamen crederetur, ita cum illa contigiſſe, quomodo cum aliis perpulſis, ut Amanuenſium audacia, ſeu nimia Semiſophorum quorumdam religione, putantium locum hunc invidiam Jeſu Chriſto creare, expungeretur; vel ad oram Codicis Textus ille veluti contra legendus adnotatus, anſam dederit ſuppreſſionis in nonnullis Exemplaribus.

Nihil tamen hoc valuit, quin Mſs. pleraque Græca & Latina, ac impreſſa omnia noſtræ ætatis ſarta tecta manerent. Vidimus ſuperius apologiam pro illo S. Epiphanii, in ejus ſuffragium adducentis locum S. Irenæi. Eamdem pariter ſententiam, quam Irenæus refert, etiam S. Hippolytus (4), S. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, S. Chryſoſtomus in Matthæum hom. 84. Ammonius in Concordia, S. Auguſtinus in Libro de concordia Evangeliſtarum, & Patres alii poſt ipſos. Photius ad Thaodorum amicum ſuum ſcribens, monet (*) ne unquam committat, ut quorumdam Syrorum authoritate permotus, locum hunc a Textu S. Lucæ veluti alienum expungentium, illum rejiciat. Porro Syris illis perſuaſerat metus, quod indecorum Jeſu Chriſto videretur, ut eo dolore oppreſſus eſſet, quo Sanguineus ſudor exprimeretur. Syrorum nomine hic Armeni facile deſignantur, quos locum hunc & hiſtoriam fœminæ adulteræ expunxiſſe ex Evangelio, accuſat Nicon, de peſſima Religione Armenorum.

Poſt relatas Petrum ſententias de varietate lectionum eo loci in Exemplaribus Græcis & Latinis occurrentium, modo Textus illius ſenſus eliciendus eſt, juxta varias Interpretum opiniones. Scribit ergo S. Lucas 22. 44. de Chriſto: *Factus in agonia prolixius orabat*, ſive juxta Textum, *Prolixius orabat*, (5). Sed Græcus ad litteram habet: *Rogabat inſtantius*, nempe majori ardore, affectu, & perſeverantia. Agonia Jeſu Chriſti horror erat, ad aſpectum mortis, & inſtantium tormentorum conceptus. Græcum *agonia* ſignificat ad litteram motum quemdam hominis ſtrenui, cui damnum aliquod imminet, nec tamen ad ejus aſpectum deſpondet animis, ſed horreſcit, & conturbatur; & quamquam horrori & cordis agitationi reſiſtit, hoc ipſo angor ejus augetur; agon enim Græce eſt pugna, diſcrimen. Hunc ipſum agonem & luctam ſponte, & cogente nemine, Jeſus ſubierat.

Cenſet Ligfootus (6), Angelum quidem non ante Chriſto apparuiſſe, quam poſt acrem Jeſu Chriſti cum Dæmone luctam. Dæmon enim horrendum quoddam monſtrum præferens, videndum ſe obtulit, totemque in illum rabiem ac furorem excuſſit. Venit tunc Angelus ad confirmandum illum qui contra Dæmonem pugnabat; *In agonia*. Singularis hæc eſt viri ſententia rationibus deſtituta, cum apud quatuor Evangeliſtas altum ſit de viſo Dæmone ſilentium.

Proſequitur S. Lucas: *Factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram*. Plures in hæc verba quæſtiones. 1. Contendunt nonnulli (7), numquam ſatis aperte e Textu S. Lucæ demonſtrari, Jeſum Chriſtum ſanguine ſudaſſe, ſed tantum veluti guttis ſanguinis ſtillaſſe, ideſt ſudorem, uti cæteri quidem omnes, emiſiſſe, ſed multo creſſiorem & majori copia, ut in ejus corpore veluti globulos, guttis ſanguinis ſimillimos, formaret, quod alii corpori adhærerent, alii ad terram uſque diffluerent. Obſervant, S. Juſtinum Martyrem in Dialogo nihil de ſanguine, ſed tantum de ſudore locutum. S. Hippolytus ſemel & iterum ad hunc locum S. Lucæ ſpectans, nonniſi ſudoris meminit. Theophylactus & Euthymius obſervant, S. Lucam non ſcripſiſſe: *Factus eſt ſudor ejus ſanguis*, ſed velut guttæ ſanguinis. Sed Textus S. Lucæ eam expoſitionem non patitur. Vox Græca *Thrombos* ſonat ſanguinem concretum. Ita pariter obtinet apud Græcos, ut *Thrombos* appellent concretum ſanguinem, & parvulum quemdam tumorem poſt eductum e vena ſanguinem aliquandiu apparentem, qui a ſanguine extra vaſa coagulato, & in globulos concreto circa cutum efficitur. Profecto nihil tale ſcimus de ſudore, qui non figitur. Sudor itaque Chriſti humor erat e ſanguine ſudore mixto; ſeu potius ſanguis pariter, & ſudor eodem temporis momento a corpore ſtilſerunt; cum interim concretum ſtatim ſanguinem fluidior ſudoris humor veluti vehiculum ad terram uſque deduxit: ſeu potius ſudor ſanguineus tanta copia manabat, ut ad terram uſque defflueret, quod per ſtillamentum ſudore cutem facile devolveretur; vix autem terram contingens concreſcebat.

2. Reputant alii, ſudorem hunc merum eſſe ſanguinem, quam ſententiam tenuiſſe videtur S. Auguſtinus in Pſ. 91. 11. dum ſcribit: *Toto corpore ſanguis exibat: ita Eccleſia ejus habet Martyres, per totum corpus ejus fuſus eſt ſanguis*. Ita pariter ſenſiſſe videtur Maldonatus in Matt. 26. 37. & Beda Venerabilis.

3. Cenſet Photius (8), verbis S. Lucæ tantum deſignari hyperbole quadam & exaggerata loquendi phraſi intimum doloris ſenſum, & ſupremam J. C. virium & animi deſtitutionem. Proverbiali ille formula utitur, quam nos pariter uſurpamus de homine, qui plurima toleravit, illum enim ſanguine & aqua ſudaſſe dicimus. Ita ergo Evangeliſta ut mœroris immenſum illud pondus, quo Jeſus in horto opprimebatur, vividis coloribus depingeret, ſcripſit ſudaſſe toto corpore, veluti guttis ſanguinis decurrentibus in terram, uno verbo ſudaſſe ſanguine & aqua: *Salſuſque per artus ſudor iit*.

4. Miraculo rem totam tribuiſſe S. Hilarium, ſupra jam obſervavimus; ex quo pariter argumentum ducere non de infirmitate Chriſti, uti Ariani, ſed de potentia divinitatis. *Nec infirmitas eſt, quod poteſtas non ſecundum naturæ conſuetudinem geſſit*.

5. Communis tandem opinio tenet, ſudorem illum ſanguineum naturalem quidem fuiſſe, ſed majori expreſſum vi & copia, quam ſoleat plerumque. Exempla quidem multa ſuppetunt de ſudore ſanguineo, ex inopinato quodam terrore ſeu diſcrimine ſine miraculo educto.

Quid poſſint in omnium corpora paſſiones, ex variis omnibus exploratis exemplis ſatis conſtare arbitror; intime enim adeo ſpiritus corpori nectitur, ut unius motum in alterum redundare neceſſe ſit. Ita animæ paſſionibus commota, movetur & corpus; ſicut turbata corporis œconomia anima pariter angitur. Quid in hominibus pleriſque cenſet puſtularum, ſeu alterius cujuſque contagioſi morbi metus, frequentibus exemplis docemur. Tota ſanguinis maſſa agitata, turbato *oſcillationum* & ſecretionum curſu, contrahitur acutum morbus, & ea ſaluti affert incommoda, quæ raro evitentur. Quid vehemens aliquod gaudium? Nonne ejus vi oppreſſos plures legimus in hiſtoria? Porro nomine paſſionum deſignamus hic emotiones omnes, quas conſenſu quodam turbati ſanguinis & ſpirituum animalium anima patitur.

Porro ab hujus generis paſſionibus Jeſus Chriſtus immu-

(1) *Irenæus l. 3. c. 32.* (2) *Loc. cit. cap. 37. pag. 42.* (3) *Philipp. 2. 10.* (4) *Contra Noet. cap. 18. edit. Fabric. Item ſer. de Reſurrect. apud Anaſtaſ. Sinait. in Hodego, pag. 356.* (*) *Epiſt. 138.* (5) *Grot. Eraſm. Vatabl.* (6) *Hor. Hebr. in Lucam.* (7) *Vide Grot. Hamm. Prito. & Binaeum de morte Chriſti l. 2. 130.* (8) *Ep. 138. ad Theodor.* Vide etiam in hanc ſententiam Euthymium, & Theophylactum.

mmunis non fuit; ſunt enim, ait Damaſcenus (1), *naturales & innexæ*, nempe naturæ humanæ appendices, quibus gratiæ & ſcientiæ profecto omnes cohærere utique poſſunt. Illud tamen intercessit inter Paſſiones Jeſu Chriſti, & noſtras diſcrimen, juxta eumdem Patrem, quod Jeſu Chriſti paſſiones voluntati ejus per omnia obſequerentur, noſtræ vero prævenient voluntatem: & juxta S. Auguſtinum de Civit. l. 4. *Hos motus certiſſimæ diſpenſationis gratia ita cum voluit ſuſcepit animo humano, ſicut cum voluit factus eſt homo*. Si autem paſſionibus hiſce reliquo vitæ tempore obnoxius fuit Chriſtus, negaret utique nemo, totum illarum exercitum Virum invaſiſſe in horto Olivarum, ac omnium maxime mortis metum imminentem, ait enim: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*. Objectus eſt tunc oculis ejus totus probroſæ illius mortis terror.

Præſcientiæ divinæ artificio factum eſt, ut ejus mortis facies omnes Chriſto exhiberentur; certam intellexit, ſenſit ejus opprobria, & indigna omnia, quæ ſe manerent: nihil terribilium mœſtum tunc Jeſum fugiebat, miſer hominum ſtatus, criminis immanitas, ingrati animi vitium, ſævitia, & cæcitas Judæorum, imbecillitas S. Petri & Apoſtolorum: ea ſimul omnia Spiritus ejus agnoſcebat. Cum tandem vis tota Divinitatis veluti ſuſpenſa retineretur, perinde ſe habebat, quaſi a Patre derelictus, ut in eas veluti querelas prorumperet: *Deus, Deus meus, quare me dereliquiſti?* Tantum ſe igitur mœrori conceſſit, tantoque dolore oppreſſus eſt, quantum humanitas vix caperet.

Tot ſimul conſertæ paſſiones curſum animalium ſpirituum intercepérunt, repreſſerunt ſanguinis motum, ac ſecretiones tandem omnes. Verum animus deinde confirmatus Jeſus ab Angelo, ac voluntati divinæ ſe totum ſubmittens, hominum inſuper charitate inflammatus, ad amplectendam mortem animo convolavit. Redditus tunc priſtinus ſpirituum curſus recluſi cutis meatus, ſanguis una cum ſudore defluxit: quemadmodum ſolet ſubjectus in medio amnis alveo agger; tumeſcunt enim aquæ, ac tandem objice diſrupto, impetu majori in arva prorumpunt, ita pariter in acceſſu ardentium ſebrium contingit, in erethiſmo ſolidorum omnium, areſcit enim cutis exſanguis; ſed ſebri reſoluta & violentis illis *contractionibus* remiſſis, effuſo quodam ſudore morbus effluit.

Spectamus hæc non infrequenter, ſi quando aliquis ſubito & inopinato quodam metus terrore opprimitur: palleſcit ore, nutat artubus, & contremiſcit; ſed poſt modicum vel longius aliquod temporis ſpatium pro metus granditate: tandem ſi terror ille perſeveret, vel maxime augeatur, cor palpitat, tum cutis humeſcit, & ſudor ſtillat; nec rari ſunt quibus ſanguis erumpit e naribus vel e ſecretioribus corporis partibus.

Horum porro ſymptomatum in cauſa eſt, quod cum primum inſilit metus, motum ſuum comprimunt ſpiritus animales, ex quo minus validæ & frequentes *contractiones* in corde reſultant: quare minus valide repulſus in arterias & in extremas quaſcumque corporis partes ſanguis, pallentem relinquit faciem, trementes artus & genua labantia. Cum autem nihil vel parum ſanguinis recipiunt arteriæ, ſanguis tamen vel proprio pondere vel periſtaltico ipſarum motu in venas impellitur; ex quo factum, ut ſenſim deſtituantur ſanguine arteriæ, ac venæ magis magiſque redundantes majorem, quam ſoleant, ſanguinis copiam referant ad cor. Cum autem cor ſanguinem arteriis non ſuppeditaverit, ac novum ſubinde, & novum recipiat a venis, ſanguine oppletur, quo proinde ventriculorum membranæ, fibræ & nervi, magis quam pro conſueto diſtenduntur, quare ad majorem etiam contractionem adigitur cor, ut redundantem e venis ſanguinem pellat. Cum autem elaſticum quodcumque corpus ea proportione contrahatur, qua diſtenditur, qui cordis ea occaſione niſus fuerit, judicandum Lectoribus relinquimus.

Si enim integro corporis ſtatu vis contractionis ſeu vibrationis cordis tantum, ut nihil de arteriis dicamus, æquat in ſingulis pulſationibus pondus 3000 librarum (2), quantum ea occaſione vis illa intendatur quis æſtimet? Redundantem igitur ſanguinem depulſurus, contraheret maxime cor; eademque proportione vim ſuam elaſticam exerent nervi pariter & fibræ; quare auctis *oſcillationibus* motus & undulationes in arteriis reſultabunt; quæ cum ipſæ pariter ſint in contractione, maximo profecto impetu ſanguinem ad extremitates capillares propellent, quin & ad ipſa cutis vaſa, nonniſi ad recipiendas ſeroſas ſanguinis partes diſpoſita: ſuccedit inde poſt pallorem palpitatio, & coacta quædam ac præceps tranſpiratio, unde & poſt udorem ſudor.

Facile inde intelligimus, quomodo in vehementi quodam mœrore ſanguineus exprimatur ſudor; quam in rem animadvertendum eſt, 1. In humano corpore diſcurrere venas & arterias; arterias autem cum venis anaſthomoſi ita continuari (3), ut unus ſingularis ſed recurvus canalis vena pariter & arteria reddatur. Eſt autem arteriæ os extremum veluti extremus *coni* angulus (4), eo in loco deſinens, quo incipit extrema cuſpis venæ, quæ pariter in conum deſinit (5); ut proinde arteria latum habens circa cor canalem ſenſim decreſcat, & ſecundum ſuum alveum ramos ad dexteram & ſiniſtram demittat, in quos ſcilicet ramos exonerat albentem ſanguinis partem, ſecretionum omnium, nutritionis occultæ, tranſpirationis, & ſudoris materiam.

2 Sudorem per cutis poros, nempe per orificia glandularum *cutanearum*, effluere; occultam vero tranſpirationem per anguſtiores alios corporis meatus.

3. In imbecilli cordis contractione cum primum opprimit metus, extrema pars nervorum, qui vaſis cutis junguntur, deficientibus animalibus ſpiritibus, laſſeſcere; ſpiritibus, inquam, quibus vis elaſtica ita detinetur, ut nervi tactui ſerviant. Cum autem tunc corporis etiam motus paulo evadat languidior; fit inde, ut meatus corporis magis pateant, eo facilius, quod juxta recentiores exactiſſimos Anatomiſtas (6) detecta ſit in ſingulis poris cutis pellicula quædam ſemicircularis, locumtenens valvulæ, quæ fibras nervorum amplectens, ſtringit & relaxat, pro data opportunitate; ex quibus proinde etiam pori cutis adſtringuntur relaxanturque.

Docet autem experientia, meatus illos ita laxari quandoque, ut non ſanguini tantum via pateat, ſed & ſabuli etiam granulis, ut in arthriticis (7); quin & teſte Vanderlinden (8) ita patuerunt quandoque, ut hordei granum exciperent.

Quibus ita conſtitutis, ſi ingens aliquis terror & probroſæ mortis horror, ſolaminis deſtitutio, ſanguinis & ſubtilium ſpirituum ad motum expeditorum maxima fluiditas ſimul jungantur, nullo profecto negotio naturalem cauſam ſanguinei hujus ſudoris aſſequemur.

Etenim, juxta conſtituta a nobis principia, cor ſubito oppreſſum terrore, motum habens languidiorem, cum ſanguine plus nimio gravaretur, ut incommodum onus repelleret, vim exerens ſuam, ſanguinem illum ſubtilem maxime & ſpiritibus antea repreſſis redundantem, propulſavit in vacuas arterias, dilatari faciles & reſtringi. Facile inde concipitur, quomodo validis hiſce & ingeminatis concuſſionibus, & in maxima arteriarum contractione ſanguis facile majori impetu uſque ad arterias capillares propelleretur. Cum autem ſanguinem reiteratis hiſce cordis & arteriarum contractionibus motum pariter ſuum progreſſivum, & periſtalticum augere neceſſe ſit, fiet inde, ut principia ejuſdem ſanguinis inter ſe confuſa, & admixta fibras omnes diſſolvant, rubicundæ ejus partes attenuentur, atterantur, cum ſe-

(1) *De Fide l. 3. c. 20.* (2) *Borell. de motu animal.* (3) *Bellini de motu bilis p. 146.* (4) *Strom. Theorica nova pag. 38.* (5) *Strom. ibid. pag. 83.* (6) *Malpighius primarius Medicus Innocentii XII. & Verheyen in ſua Anatomia.* (7) *Anton. Benivenius de abditis morbor. cauſis cap. 4.* (8) *In Phiſiolog. c. 26. art. 13. ſect. 24.*

toſis confundantur, in unum cum illis corpus coaleſcentes.

Regurgitans ergo in arteriis ſanguis, & vi cordis atque arteriarum validius impulſus, in arteriæ cuſpidem, quam capillarem arteriam vocamus, impinget; ſed cum anguſtior ſit vaſis hujus hiatus, ac minor, quam ut maſſam regurgitantis ſanguinis capiat, nec ferat impetus urgentis vehementiam, laſſeſcere illud neceſſe eſt in extremitatibus capillaribus, ubi velut agger opponitur ſanguini e corde proſilienti, ex eo maxime, quod anguſtiua contrahantur vaſa illa, quo magis a corde recedunt. Ita ergo per rectam lineam a corde ſanguis impulſus, premente ad latera ſyſtole arteriarum, nec extremitatibus capillaribus liberum meatum præbentibus, cum nec effugium habeat, nec requiem, urgentibus undique omnibus, quærit, ut evadat; quare inſinuare ſe coactus, cum ſeroſitate per vaſa ad latera canalis ſui patentia dilabitur.

Cum autem, ut ſupra obſervavimus, arteria ſecundum canalem ſuum plures emittat ramos ad dextram & ſiniſtram, quibus apta tranſpirationi & ſudori materia ſecernitur, in eos ſe ramos inſinuans ſanguis, per diſpoſitam ſeroſitatis viam ducetur ad uſque glandulas cutaneas, quibus laſſeſcentibus, atque pluſquam par eſt reclusis, deſtitutis pariter animalibus ſpiritibus, ſtillabit e poris illis ſudor quidam ſanguineus. Ita pariter ſpectamus, cum violenta ſubita tuſſi excreatur ſanguis; nec tamen inde ſtatim inferas, ex pulmonis vaſis diſruptis vitium illud induci, (raro enim tunc eo vitio affecti convaleſcerent) ſed violenta quadam pulmonis contractione vaſorum diametra pluſquam par eſt diſtenduntur, unde ſanguis coactus per veſiculas pulmonis inſinuatur. In inflammationibus ocularibus idem pariter recurrit; cum enim vaſa lymphatica, ſuper corneam diſcurrentia, ſanguine regurgitent, oculus momento citius ſanguinis colore inficitur; emiſſo ſanguine ceſſat morbus, quia decreſcens ſanguis in vaſa ſua recipitur, iter ſuum proſecuturus. Nec aliter explicatur contingens ſæpe nutricibus ſymptoma, quarum ubera lacte deſtituta ſanguinem reddunt, (quamquam glandulæ illæ maxime a cutaneis diſcrepant, ſunt enim non glandulæ potius quam glandularum acervuli) (1).

Ex iſtis etiam principiis idea quædam formatur ſæviſſimi illius & recens obtinentis morbi Polonici, quem nos *Plicam Polonicam* appellamus, in quo crines omnes capitis, & corporis pili ſanguine ſtillant. Porro luem hanc Joannes Stadlerus Medicos omnium primus anno 1564. obſervavit, uti tradit Hercules Saxonia Medicus Patavinus (2). Criſpantur in eo comæ, tumeſcunt maxime crines, intricato invicem plexu nectuntur, ut Meduſeam ſpectares, ſive furiarum poeticam comam mille anguium plexu horrentem. Porro, ſi fides ſit Schenkio (3), tumeſcunt ad digiti craſſitudinem interdum crines, & adeo augetur barba, ut ad ventrem uſque non raro deſcendat.

Quæ autem ſingularis hujus morbi eſt indoles, promovere morbum non tollere Medici eſt ſapientis; ſi quis enim radere crinem vel barbam auſus fuerit, ille pro valetudine diſcrimini erit ægroto. Teſtatur enim Aloyſius Sinapius (4) vidiſſe ſe quoſdam intimo capitis dolore affectos, tum oculorum inflammatione, ac deinde cæcitate, quæ omnia funeſtæ erant appendices abſciſſorum crinium. Statim ac ergo aliquis gravi capitis dolore laborat, cum oculari morbo, colicis, & vagantibus quibuſdam articulorum doloribus, hiſce indiciis *plicam* agnoſcas; cujus ſingulare eſt pharmacum, ſi quis caput ægroti defricet mollium quarumdam herbarum decoctione, ac maxime Acorbi ſativi, quo *plica* inducitur. Ex quo morbi vis tota explicatur, ceſſant ſtatim omnia, dolor, & morbus; ægri enim valetudinem reſtituendam ſibi ſumit natura. Si quis autem velit ſive comam pectere, crines ſeu compungere, ſive abſcindere, effluit ſtatim ater, denſus, & abundans ſanguis, ac æger acri quodam dolore ita torquetur, ut non raro mors ipſa ſuperveniat.

Atri hujus morbi cauſa non ea quidem reputanda eſt, quæ olim credita, nempe Polonorum ſordes, ſive humi cubationes, alioqui enim viros locupletes morbus non tangeret; ſed deputanda potius algenti regionis illius aeri, quo facilis tranſpiratio præpeditur; compotationibus immodicis ſpiritus vini, meri Hungarici, cerviſiæ corruptarum aquarum; tum & uſui immodico ſalitarum & aromatibus conditarum carnium, unde proverbium: Polonos edere, & bibere ignem. Fuſius ſingularem hunc morbum expoſui; ſed ipſa rei novitas digreſſionis moram excuſat. Quicumque plura de illo velint, adeant, præter geminos illos Scriptores ſupra laudatos, Joannem Agricolam (5), Rodericum Fonſecam (*), Joannem Collem (6). Janum Abrahamum a Gehema (7), Michaelem Gehlerum (8), Joannem Thomam Minadoum (9), Theophraſtum Veridicum Scotum (10), Honuphrium Bonfilium (11), qui de hoc argumento ſcripſerunt.

Hanc reddimus proniorem, naturalem & phyſicam, ac maxime ſimplicem ſanguinei ſudoris explicationem. Cum autem exemplis magis quam ratiocinationibus, ab exemplis maxime pendentibus, perſuadeamur, exempla ejus rei plura proferemus in medium, qua ex Hiſtoricis fide digniſſimis, qua ex obſervationibus Veterum quorumdam & recentiorum Medicorum.

Suppetunt magno numero exempla ſudoris varii coloris & naturæ.

Subcroceos tum & virides ſpectaſſe tradit Avicennas l. 2. cap. de ſudore, & in alio Libro tramento ſimilem alium ſe vidiſſe aſſerit, cujus erat cauſa in melancholiam referenda (12). Refert Olaus Borrichius oculatus teſtis (13), ſimilem alium ſudorem in fœmina phthiſi laborante, quæ ſudando convaluit. Alaharavius Arabs (14) meminit rubri & arenoſi ſudoris. In Germanis Ephemeridibus legitur ſudor lacteus, oleoſus, virens, violaceus; nec multis ante annis DD. Gelly, & Geofridus, Medici Facultatis Pariſienſis, ſpectarunt ægrotum, qui poſt morbum puſtularem intra viginti dies interiit, ſudans cærulei coloris humore, quo eodem colore panniculi circa ægrotum infecti ſunt. Retenta diutius urina urinaceum ſudorem reddidit; ſicut & excrementorum odore infectus ſudor aliquando expreſſus eſt (15). Apulejus in priori Apologia narrat, Craſſum poſt inſtructiſſimam cœnam lavantem, vinum ſudaſſe. Vidit Franciſcus Zypeus (16) hominem quemdam, poſt epotum Hiſpanum vinum, ſudantem humore, qui vinum colore & odore referebat; cum rhabarbarum guſtaſſet quidam croco ſudavit, uti legimus in Ephemeridibus Germanis ex Chriſtiano Menzelio relatum. Hæc certa fide conſtatoria ſatis probant adverſus Scaligerum fieri potuiſſe, ut ſanguine ſudaretur; contendit enim Scaliger, Ariſtotelem nonniſi imperite locutum de ſudore ſanguineo, quem Scaliger ipſe nec poſſibilem cenſet, nec ſe legiſſe unquam ejus exempla profitetur (17).

Nec minori copia ſuccurrunt exempla ſanguinis, e partibus quibuſque corporis exſudantis. Erumpit interdum ex auribus, ex oculis, e gingivis. Matronam quam-

(1) *Bergerac d. Natur. Hume p. 113. Piccarn. diſſert. p. 29. Ruyſch. Theſaur. paſſim.* (2) *In Tract. de Plica p. 11. Patavii* 1600. *in* 4. (3) *Primo Libr. Obſerv. de capite.* (4) *Abſurda vera, ſeu paradoxa medica in* 8. *Geneva* 1697. (5) *De Helotide ſeu Plica Polonica. Baſilea decad. 4. diſputation. Joan. Genathii in* 4. 1680. (*) *Conſultationes medica ubi de Plica. Venetiis* 1618. *fol.* (6) *Methodus parandi tuenda, ubi de Plica. Venet.* 1628. *in* 4. (7) *De morbo Plica. Haga Comitis* 1683. *in* 8. (8) *De Plica decad. 3. Joan. Genath. Baſilea* 1620. *in* 4. (9) *De corporis turpitudinib. Patav.* 1600. *fol.* (10) *Plicomaſtix. Dantiſci* 1668. *in* 4. (11) *De Plica, Uratislavia* 1712. *in* 4. (12) *In Cantic.* (13) *Act. Hafnienſia Bartholin.* 1672. *t.* 1. *pag.* 155. (14) *Lib. practic. ſect. 2. tr. 31. c. 19.* (15) *Appendix Ephemerid. Germanic. ann:* 1688. (16) *Fundam. Medica Phyſica, par. 2. cap. 3. art.* 27. (17) *In Scaligeranis.*

quamdam vidiſſe ſe refert Bartholinus [1], cujus manus dextera & facies vix tactæ ſanguinis guttis rubebant. Quoties Georgius ille Caſtriotus [2] Rex Illyrici, cognomento *Scanderbegus*, i.e. Dominus Alexander, ad pugnam adverſus Turcas, quorum erat infeſtiſſimus adverſarius, procederat, ſanguine ſtillabat e labiis. Notus eſt etiam ſudor ſanguineus ſub axillis.

Henricus ab Heres [3] refert de Belga quodam, qui ſemel ac Spadanis aquis potaretur, regrediens e fonte mane ſanguinem reddebat ſtillantem ex axillis. Paria refert Peaolandus [4] de viro 66. annis ſene, ex intermediis digitorum pedum ſecto ſudorem amittente. Apud Antonium Benivenium [5] legas de juvane 36. annorum ætatis, egerente ſingulis menſibus ſanguinem per cutis meatum, juxte regionem jecoris; quem cum inviſurus veniſſet Scriptor ille, nec cicatricem ſeu vulnus ullum offendens, de se ipſo primum dubitavit, ſed poſt alterum menſem iterum ad illum ſe conferens, vidit eo loci fluentem uſque ad libræ pondus ſanguinem, & quod mirum eſt, poſt ſanguinem locum obſervans, ſalva omnia invenit. Fernellus [6] Medicus primarius Henrici II. & Medicus iridam Facultatis Pariſienſis, e vaſis capillaribus cutis ad regionem jecoris fluentem ſanguinem obſervaſſe ſe affirmat. Tandem res eſt exploratiſſima, ſæpius etiam ſanguine ſudatum; quod ſive ex cauſis internis ſive externis repetendum eſt.

Caterna hujus cauſa eſt anguis *Hemorrhois*, i. e. ſanguine fluens nomine ex effectu indito. Ejus morſu vehemens primum dolor; tum intime inſinuante ſe veneno, fibræ omnes ſanguinis adeo diſſolvuntur, ut per ſudorem toto corpore effluat [7]. De illo agit Nicander in Opere de theriaca, & Lucanus in Pharſalia l. 9.

.... Sic omnia membra
Emiſere ſimul rutilum pro ſanguine virus.
Sanguis erant lacrymæ: quæcumque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant,
Et patulæ nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.

Jacobus Gravinus Medicus Facultatis Pariſienſis in Tractatu de Venenis 1568. Antuarpiæ in 4. pag. 85. refert, ſerpentem hunc brevi eſſe corpore, e genere viperarum, colore ſubnigro, arctiſſimo collo, & duobus albentibus cornibus diſtinctum.

Legitur pariter apud Georgium Margravium hiſtor. Braſiliæ l. 6. anguis *Ibyara*, cujus morſu ſanguis e naribus, ex oculis, ex auribus, ex ore, ac tandem e poris omnibus provneatur tanta copia, ut raro eo incommodo affectus convaleſcat.

P. Kircher Jeſuita in ſuo *Scrutinio Peſtis* refert, notos eſſe in regione Quito angues bicaudatos, quorum morſus ex omnibus corporis poris ſanguinem provocat. Sunt etiam ſudorificæ quædam plantæ, juxta Galenum [8], quibus ſanguineus ſudor exprimitur; cujus generis credimus *Hemanthem* P. Kircherii, quam Courtaurus in ſua Apologia appellat *Hæmagogam*, ſive herbam Galenicam, non diſſimilem Stachyo; creſcit autem in Pyrenæis, & cuti applicata exprimit ſanguineum ſudorem.

Petrus de Oſma in epiſtola data Peruviæ a. 1568. ad Monardum Medicum, ut refert Marcellus Donatus [*], noſſe ſe dicit Indum, qui pervicaciſſimos morbos depellabat, ſuccum quemdam herbæ applicans, & deſricans ad juncturas, tum vero partem incaleſcentem ſtragulis operiens: quo facto, aliquamdiu poſt ſanguineus ſudor ex articulis omnibus provocabatur. Clymatis etiam mutatio inter externas cauſas referenda eſt; advenæ enim, cum Americam venerint, ex hiatibus omnibus corporis ſanguinem reddunt, quod morbi genus in Martinica appellant morbum Siam [9]; ſudant etiam ſanguine e poris omnibus cutis.

Cauſæ internæ ſunt aer peſtilens; ſed potiſſimum animæ paſſiones. In lue ſudare interdum ſanguine viſi ſunt plures, quod perniciosiſſimum eſt morbi ſymptoma. Narrat Schenckius [10], a. 1554. in lue Miſeni fœminam eo morbo affectam triduo ſanguine ſudaſſe. Conradus Lycoſthenes [†] obſervat a. 1552. fœminam lue infectam e poris capitis omnibus ſanguine ſtillaſſe.

Tandem paſſionum violentia factum eſt interdum, ut ſanguineus ſudor exprimeretur; ut quid enim memorem ſanguineos ſudores relatos ab Ariſtotele [11], Galeno [12], Theophraſto Ereſio in ſuo tractatu de ſudoribus, & Rondeleto [13], Durius in Ephemeridibus Germanicis Obſervar. 579. narrat de juvene, qui in carcere clauſus tanto affectus eſt terrore, ut corpore deficiens, in pectore, manibus & brachiis ſanguineum redderet ſudorem. Refert etiam Roſinius Lentilius in iiſdem Ephemeridibus, puerum quemdam, una cum duobus fratribus ſuis ſuſpendio damnatis, ejuſdem criminis conſortem, cum ſupplicium fratrum ſpectaret, ſanguine toto corpore ſudaſſe.

D. Fagon Medicus Facultatis Pariſienſis, in ſua Theſi 25. Januarii 1665. corollar. 5. *Ergo*, ſcribit, *ſudor ſanguinis a natura vi. Sed & ſenſibus facta fides eſt, conſecratam Virginem impuriſſimis, ſicariis ad eam corrumpendam advolantibus ſtupri horrore mundiſſimum ſanguinem e venis ſudoris ſpecie cum vita profudiſſe.*

Virorum fide digniſſimorum relatione tenere ſe ſcribit Collius [14], a. 1583. virum quemdam carcere detentum Pariſiis ſanguine ſudaſſe. Scribit Maldonatus, hominem robuſtum, & integra ſanitate, cum primum audivit contra ſe mortis ſententiam, ſanguineum ſudorem toto corpore emiſiſſe. Quod pariter de viro morte damnato legimus in Vita Sixti V. [15] per noctem magna copia ſanguine ſudante. Obſervat autem D. Leti ejus Vitæ Scriptor, viros illos, qui propius rem totam examinandam ſuſceperunt, exiſtimaſſe, ſudorem illum nonniſi lacrymas eſſe, dolore & deſperatione e glandulis lacrymalibus expreſſas, & inflammatione rubeſcentes; quod illis ſuccurrebat, perſuaſis nonniſi divino miraculo fieri potuiſſe, ut ſanguis per tranſpirationem e vaſis ſuis eliceratur. Optime illi, ſi nonniſi lacrymæ viri hujus rubeſcerant; ſed non de lacrymis tantum agit hiſtoria. Miſcellanea Hiſtoriæ & Litteraturæ P. D. Bonaventuræ Aragonii Carthuſienſis, vulgata ſub nomine Vignolii Marvillii [16], ferunt de muliere defuncta Pariſiis ex effuſo ſanguinis ſudore, ut ne gutta quidem ſanguinis poſt ejus obitum in vaſis ſupereſſet. Meminit Thuanus Hiſtor. l. 10. Præfecti *Montis marini*, qui captus ab Auguſto filio ſpurio Principis Salutiarum, & morte intentata ni ipſe dederet Urbem, tanto mœrore affectus eſt, ut ſudarit ſanguine & aqua. Continere autem me non poſſum, quin in calce hujus Diſſertationis, ſingularis cujuſdam ſanguinei ſudoris hiſtoriam referam, quæ Genuæ contigit a. 1703. Narratur autem in epiſtola data 5. Decembris ejuſdem anni a D. Sapotitin Medico ejuſdem Urbis; & inſeritur cum nonnullis animadverſionibus celeberrimi D. Valliſnieri, Medicinam Paduæ profitentis, in Ephe-

(1) *De Cruce Hippomnem. 4. de ſudore ſang.* (2) *Marinus Barletius, de vita & morte Scanderbegi, cum epitome Georgii Berthol. Pontani a Breitenberg.* (3) *Obſervat. Medic. varior. ſeu fons Spadanus. Lugd. Batav. in 12. 1685. obſervat. 23.* (4) *Obſerv. Uratislaviæ, 1715. in 12.* (5) *De abditis morbor. cauſ. Baſileæ in 8. 1529. p. 20.* (6) *Patholog. lib. 6. cap. 4. Pariſ. 1567. fol.* (7) *Diodor. lib. 17. p. 560.* (8) *Lib. Medicament. purgant. cap. 4.* (*) *De Medicor. Hiſt. mirabil. Mantuæ in 4. 1596. cap. 2.* (9) Ita vocatur morbus in ea regione, quod relatus credatur navi e Siam ſolventi.

(10) *Obſerv. 138 l. 6. Francof. fol. 1609. Georg. Agric. l. 2. de Peſte.* (†) *Prodigior. ac oſtentor. Chronic. fol. Baſileæ, 1557. pag. 670.* (11) *Hiſt. animal. l. 3. c. 19. & l. 3. partium animal. c. 5.* (12) *De utilit. reſpirat Galeno attribut. Contingit poros ex multo & fervido ſpiritu adeo dilatari, ut exeat ſanguis per eos, & fiat ſudor ſanguineus.* (13) *Lib. de dignoſcend. morbis c. 2. In Juvene ſtudioſo propter venenum excitatam muſculorum illorum laxitatem & ſanguinis tenuitatem.* (14) *Tract. de Sanguine Chriſti in 4. Mediolani, 1617.* (15) *Per Gregor. Leti l. 6. p. 39.* (16) *Tom. 3. pag. 179.*

Ephemeridibus Germanicis a. 1712. centur. 1. obſervat. 20.

Puella 18. ann. ætatis, integra ad id uſque valetudine, poſt levia quædam incommoda, valido ſtomachi morbo arrepta eſt; tum ſanguinem excreavit violenta expreſſum tuſſi non ſine laterum dolore & reſpirandi difficultate. Is morbi ſtatus quatriduo duravit. Excepit deinde ingens capitis dolor, & ſanguinis magna copia e naribus effuſio; nec tamen inde vi morbi remittente, ſanguinis alia emiſſio e brachiis & pedibus facta eſt. Supervenit *cardialgia*, & ſanguinis vomitus; tum ſanguinis e naribus emiſſio, dein iterum vomitus ſanguineus, nequidquam renitentibus pharmacis aſtringentibus & narcoticis a Medico adhibitis. Poſt aliquot dies ſanguis profluxit ex auribus, e ſummis digitis manuum & pedum, ſicut etiam ex umbilico & angulo oculi; poſt hæc ſudor e medio pectore, & interiori ac exteriori utriuſque manus parte, tum ex eo pedum loco, unde ſanguis educitur; ac triduo poſt e mento & naſi extremitatibus, quod 14. diebus duravit.

Teſtatur autem D. Saporitius tot ſanguinis erogationibus nequaquam factum eſſe, ut ægrotans puella multo languidior redderetur; paruiſſe autem in manu tantum ſiniſtra leve quoddam veluti morſus vulnus, cujus tamen ne veſtigium quidem deprehendebatur in pectore, ſive aliis in locis, unde ſanguis effluxerat; nihilque doloris in ea ſanguinis erogatione ſentiebat, niſi cum ex intima manus parte difflueret. Poſt decem dies, ſanguinem multo pallidiorem, quam ſoleret, animadvertit Medicus, & acrior in puella manus dolor; quo indicio egreſſio ſanguinis ex eo loco deſignata. Nec mora, effluxit veluti ſudor ſanguineus, diffluens tamquam ex alte inflicto vulnere, cujus tamen nullum veſtigium ſupererat in cute poſt emunctionem; momento poſt ſanguis e vicino poro diſſiluit, tum ex altero etiam poro; ac poſitus ad languentis ſinum panniculus ſanguine itidem infectus eſt. Hæc oculatum teſtem ſpectaſſe ſe tradit D. Saporitius; aliorum autem relatione tenuiſſe ſcribit, triduo poſt ſanguinem in formas crucis, ſpineæ coronæ, aliorumque myſteriorum Paſſionis Jeſu Chriſti profiluiſſe; facile, ait, quod fluens ſanguis caſu varias figuras, utcumque Paſſioni ſimiles, referret, unde ea credulis perſuaſio inducta.

Poſt hæc exempla neminem futurum arbitror, qui ſanguineum ſudorem naturaliter poſſibilem negans, rem totam in Chriſto divino prodigio deputet. Teſtor autem non invitus, hæc omnia debere me *D. Alliot de Muſſey*, Medicinæ Doctori in facultate Pariſienſi, itemque medicinam profitenti, qui obſervationes ſuas mecum, qua eſt humanitate, communicavit, eo officiorum additamento ut muneris pretium magnopere ex eo augeatur, quod mihi ſua proferenda tribuerit.

DISSERTATIO

De obſidentibus, & poſſidentibus corpora Dæmonibus.

Veteres Chriſtianæ Religionis adverſarii, prodigiorum Jeſu Chriſti, Apoſtolorum, & primorum Chriſtianorum evidentia convicti, cum veritatem in dubium revocare nec auderent nec valerent, vim eludere tentarunt, contendentes, rem totam tribuendam magicæ cuidam operationi, ſive Dæmonum Principi, ſive arcanorum quorumdam verborum vel naturalium rerum virtuti. Opponebant alii Jeſu Chriſti & Apoſtolorum prodigiis prodigia Numinum, Magorum, & Heroum apud Paganos. Pellere Dæmones in nomine Beelſebub Jeſum Chriſtum contendebant Judæi; Pagani vero collatas a Jeſu Chriſto ægrotis ſanitates conferebant cum vulgaris Æſculapii; ſicut & prodigia Apollonii Thyanæi pari habebant gradu cum prodigiis Apoſtolorum. Noſtra ætate ingenia, quæ ceteris ſuperiora ſe jactitant, Philoſophia utuntur, ut prodigiorum, de quibus Sacra Scriptura, vim totam eludant. Sunt enim arcana quædam naturæ, ſimplicum vires quædam occultæ, eſt mira quædam vis phantaſiæ, ſunt præpoſtere inducta infantiæ & educationis præjudicia, ſunt certæ regulæ motuum, ſunt hyperbolicæ quædam loquendi formulæ in Scriptura, quibus omnibus totam vim prodigii viri illi deputant, contendentes omnia ad naturales regulas referri optime poſſe.

Nos hic ea tantum revocabimus in examen, quæ de Dæmoniacis feruntur. 1. An fieri poſſit, ut Dæmones corporibus inſideant. 2. An inſideant reipſa. Afferenda ducimus primo quæcumque in contrarium validiora oppoſita ſunt argumenta; dein congrua illa reſponſione diluemus, adverſam ſententiam firmantes, qua argumentis ex Scriptura, qua ex ratione deductis. Cum autem res nobis ſit cum Philoſophis, Patrum authoritatem Patrum morabimur; tunc tantum illam attuliſſe contenti, cum adductis a Patribus illis rationibus roborabitur.

ARTICULUS I.

Rationes negantes reipſa dari Dæmoniacos.

Quos vocamus Dæmones, naturæ ſunt mere ſpiritales, quibus nulla proxima in corpora actio reſpondet. Sunt ergo impoſſibiles Dæmoniaci. Nihil enim aliud eo nomine intelligimus, quam Dæmones proxime & naturaliter in hominum corpora agentes. Si quis autem reipſa poſſibiles contendat, ſaltem ad prodigium confugere neceſſe eſt; repugnant enim exploratis naturæ legibus. Nulla autem congrua ratio ſuccurrit, cur Deus hanc Dæmoni poteſtatem indulgeat; videretur enim alioqui uno agere conſilio cum iſto qua gloriæ ſuæ, qua humani generis adverſario; ſcandalo propterea eſſet puſillis, plus nimio exaggerans de poteſtate Dæmonis, ideam; Dæmonis, inquam, interdum ludibrio habentis vim exorciſmorum, & quidquid in religione eſt maxime ſacrum; tandem nulla neceſſitate prodigiorum numerus multiplicaretur. Prodigium eſſet enim quod homo a Dæmone poſſideretur, prodigium quod liberaretur ab infeſtiſſimo hoſpite; prodigium tandem quod ab illo non perimeretur.

Tandem ſi quis ſtatuat, Dæmonem reipſa obſidere energumenum, agnoſcere neceſſe erit in uno eodemque homine duo agendi veluti principia, duos ſpiritus, qui ſive alter poſt alterum, ſive ambo ſimul ad agendum illum impellerent, nimirum Dæmonem & animam. Porro duo illa principia, indole inter ſe & voluntate contraria, mutuo committerentur, alterum ab altero diſſiparetur, nec corpus in medio hujus certaminis diutius ſubſiſteret. Quam non exerceret tyrannidem Dæmon, ſi corpus ſibi ſubigeret? Quid non diceret, quid non faceret? Quodnam corpori illi diſcrimen? An conceptæ hac de re ideæ aliquid ſimile reſpondet in hiſtoriis? Quid non aſſequeremur, pandente Dæmone? quid ſcientiæ homines lateret?

Occurrunt interdum pueri ſtatim a Baptiſmo, & homines morum ſanctitate eximii, qui tamen iniquiſſi-

quiſſimo adverſario committuntur poſſidendi. A Deo rem hanc indignam permiſſam quis credat? Nonne ad alteram confugere interpretationem præſtaret, reputantes e. g. vitio id morbi factum eſſe? Neque enim ultionis exigendæ gratia permiſſum id a Deo credi par eſt; ſunt enim moribus caſtiſſimis: nec experimenti de illis capiendi conſilio; ſunt enim ante uſum rationis infantes, qui experimentis illis nihil proficerent. An hæc omnia valuerint ad gloriam Dei promovendam? ut quid igitur non occurrant in omnibus locis & temporibus? cur integras per Orbem Nationes intactas Dæmon relinquit?

Unde vero fit, ut plerumque eo affectas incommodo non offendas, niſi gentes & regiones maxime omnium ſuperſtitioſas, ſive ſpiritu & mente imbecilliores? Numquam profecto ſpectes viros doctos, integra ſanitate, ab omni ſuperſtitionum præjudicio vacuos, in Dæmonis poteſtatem & poſſeſſionem veniſſe. Si quis examine tentet Dæmoniacos iſtos, ſpondeo futurum, ut omnes ad unum deprehendantur tetro quodam melancholiæ humore teneri, vel ſaltem affici morbo aliquo cerebri ſeu partium nobilium corporis, cujus morbi vi ſpiritus labaſcit.

Ea quidam perſuaſione tenentur, quaſi Dæmones citra Religionis diſpendium, citra Scripturæ contemptum negari pervicacius non poſſint. Sed apage terriculamenta puerorum. Maximum potius Religioni præſtatur obſequium, ſi a ſuperſtitionum & fictorum prodigiorum fœculentia repurgetur. Prodigiorum indiſcreta fartago in Religione vera & aſſerta labefactat, & audaciora facit procacia quædam ingenia, ut negent indiſcriminatim omnia. Eſt autem Dæmonis in corpora hominum poſſeſſio prodigium inter maxima: a legibus omnibus naturæ recedit Deus, ut corpus poſſidendum Dæmoni permittat. Quo ſemel poſito miraculo, alterum conſequi neceſſe eſt, ut ſcilicet vis omnis & poteſtas Dæmonis citra necem miſeri illius hominis cohibeatur; nec niſi tertio prodigio ſemel poſſidens corpus illud Dæmon expellitur.

Si quis vero ſtatuat, unum idemque corpus a pluribus ſimul Dæmonibus inſideri, uti de Maria, quam ſeptem Dæmones poſſediſſe legimus Luc. 8. 2. de viro Gadareno, quem legio inhabitabat [1], nova inſuper & nova prodigia cumulabuntur. Si datis temporum intervallis, & veluti iteratis aggreſſionibus, ut in ſingulis lunationibus [2], vel in recurſu morborum corporeorum Dæmoniacus conſtituatur, iterum ad nova prodigia: ex quo enim nova hæc ſupernaturalis aperitur via, numquam per illam proceditur, niſi nova interim & nova interſternantur prodigia. Rationes phyſicæ omnes ad aggreſſiones illas per intervalla explicandas locum cedunt, ſi Diabolo tribuantur, ſuccedunturque ſupernaturalia omnia; eſt enim ſupra naturam Dæmonis in hominum corpora obſeſſio.

Neque e re eſt noſtræ Religionis, ut veritas ejuſmodi defendatur. Nihil enim inde ſive de Nominis potentia demitur, ſive Jeſu Chriſti prodigiis derogatur. Semel enim ac reipſa dari energumeni negentur, non proinde continuo negatur, Deum pro arbitrio tollere, augere, refrænare vim Dæmonis valuiſſe. Id tantum contenditur, Deum ſcilicet adverſus conſtitutas ſibi leges ea indulgentia facturum; repugnaturum pariter commodis Religionis exaggeratis plus nimio prodigiis; ac tandem fræna Dæmoni plus nimio laxaturum; ſicut etiam in veritatem aſſertorum prodigiorum creaturum invidiam, quod ſcilicet ab energumenis multa patrari ſupra vires naturæ, adeoque prodigia autumaremus. Quæ ſi vera ſint, quis demonſtrabit incredulis, prodigia SS. Petri & Pauli non in Dæmonem, ſed in Deum referri oportere? Hanc calumniam ſtruxiſſe Judæos adverſus prodigia Jeſu Chriſti, quæ Beelſebub tribuebant, legimus Jo: 8. 48.

Nec inficiamur plenam eſſe in Jeſu Chriſto poteſtatem, patrandis tot tantiſque prodigiis, quot ſatis eſſent ad aſſerendam divinitatis & miſſionis ſuæ veritatem. Quando ergo negamus oblatos illi Dæmoniacos, e Dæmone reipſa poſſeſſos, aſſerimus illi tamen virtutem Dæmones pellendi, ſi forte opus fuiſſet; aſſerimus factum ab illo prodigium eo morbo depulſo, quo languentium illorum ſeu corpus ſeu mens vel tandem cor ita afficiebatur, ut in eam perſuaſionem venirent. Maximo eſt ſane prodigio, ſi dicto citius valetudo reſtituatur lunatico, ſurdo, muto, quæ omnia incommoda a Dæmone intus agente inducta cenſebantur. Potentiæ Divinæ ſummum eſſet decus, ſi tantum valere demonſtraretur, ut poſſet Mariam ad bonam frugem convertere, & ab ejus corde non ſeptem Dæmones reipſa obſidentes, ſed totidem capitalia crimina, ſeu totidem malas habitudines, quibus ferebatur in crimen, depellere; ſi gratiæ ſuæ virtute contractas ab illa longa aſſuetudine malas propenſiones corrigeret; vel ſaltem ſi ſanitatem reſtitueret e morbo, vel ſeptem morborum complexu; ita enim explicari poteſt ſeptem illud Dæmonum contubernium.

Vetuſtiſſimum intus operantis Dæmonis exemplum in Scriptura Saul occurrit. Nullo autem negotio demonſtraretur, morbum Principis totum ab agente intus melancholico humore repeti. Morbus erat per intervalla inſiliens, & invaleſcens, cui pharmacum erat præſentiſſimum, ſi quis muſico aliquo inſtrumento ludens lætiora Principi inſpiraret. Canebat igitur cythara David, qua paulatim fixum illum humorem diſſipante factum eſt, ut depelli Dæmon crederetur. Hinc S. Chryſoſtomus [3], & poſt illum Interpretes plures [4], totum Regis morbum maniæ & melancholiæ tribuunt.

Nec majori molimine cetera omnia Energumenorum exempla, de quibus in N. T. explicantur. Hic enim occurrit ater & melancholicus humor; hic aduſtus ſanguis & incenſus; hic viſcerum ardor, noxiorum humorum congeries, quibus ſpirituum præcludentibus, epilepſiæ ſimillimus morbus inducitur. Viriata interdum phantaſia perſuadetur aliquis, ut teneri ſe a legione Dæmonum credat; quemadmodum errantis phantaſiæ ludibrio interdum factum eſt, ut transformati ſe homines in bruta, in Reges, in Deos ſibi videantur. Sæpe tandem ex morbo ſurditas, ſeu incommoda aliis caſu vel natura inducta ſatis erant, ut credulus in ſuperſtitionem populus Dæmoniacum eſſe aliquod perſuaderetur.

Hinc ergo, quicumque fuerint, Dæmonibus depellendis, iſtis habebatur vel a morbo valetudo, vel a phantaſiæ vitio ſanitas reddita. Duo hæc ſunt Energumenorum genera, quæ Jeſus Chriſtus in Evangelio ſanavit. Qui poſt alteram a transfigurationе diem Apoſtolis oblatus eſt Dæmoniacus, lunaticus [5], epilepticus [6], & mutus [7], referente Scriptura, ab infantia ſæpius aggreſſorem Dæmonem experiebatur, quo agente adigebatur in terram, & in ignem, ſpumabat ore, clamabat, contorquebatur. Jeſus minitatus eſt Dæmoni; & ſalva ſtatim omnia.

His omnibus exponendis certum illud, quod etiam in Evangelio ponitur, conſtituendum eſt; puerum nempe illum epilepſia ab infantia laboraſſe, perviceſci ſane remediis omnibus morbo, cujus portentoſa ſymptomata facile Dæmoni ab imperitis tribuuntur. Ex re magis viſum eſt, miſerum hunc hominem a morbi hujus tyrannide liberare, quam affectam vulgi phantaſiam, errantem quidem, ſed errore nequaquam pernicioſo, ſanare. Tantumdem affirmandum mihi ſumo de obſeſſionibus, quas ferunt, Dæmonis; nihil enim habendas cenſeo, quam latentes morbos Dæmoni tributos. Ita mulier curvitate jam inde a 18. annis laborans [8], *habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata.*

Energumenorum aliud genus referebant homines vitiis impliciti, quorum merito ſive a Dæmone reipſa miſeri illi torquebantur, ſive conſcientia ejuſdem criminis torquendi illos munere fungebatur. Ex eo numero facile credimus mulieres, quas a contubernio mali

Diſſert. Calmet Tom. II. Y 4

(1) *Mar.* 5. 9. *Luc.* 8. 30. (2) *Matth.* 17. 14. (3) *Hom.* 1. *de Davide & Saule.* (4) *Cajetan. Sanct. Cornel.* (5) *Matth.* 17. 15. (6) *Luc.* 9. 39. (7) *Matth.* 9. 16. (8) *Luc.* 13. 13.

mali ſpiritus liberatas, comites ſe liberatori ſuo dediſſe legimus [1]: nec aliter cenſemus de illis, de quibus in propoſita parabola locutus eſt Jeſus [2]; narrabat enim, immundum ſpiritum ex homine digredientem deſerta loca requiem quæſiturum pererraſſe; ſed ſpe ſua fruſtratum in priorem domum rediiſſe tandem, adhibitis ſecum ſeptem aliis Spiritibus ſe nequioribus, qui omnes venientes ſedem ibi ſuam conſtituerunt, ut fierent noviſſima hominis illius pejora prioribus.

Malus ille ſpiritus, a quo ſeptem priores viri Saræ, filiæ Raguelis, extincti ſunt [3], Dæmon erat, cui permiſſa tantum erat nocendi poteſtas in eos, qui ſe totos voluptatibus addicerent, nihil ad Deum attendentes. Compertum eſt tandem, homines admiſſo mortali crimine mancipia fieri Dæmonis [4], cujus tyrannidi ſubjecti in graviora ſemper, & graviora adiguntur crimina, niſi Deus ab infelici illa ſervitute per gratiam ſuam miſeros relevet. En certam & pernicioſiſſimam Diaboli poſſeſſionem.

De ſpiritu fornicationis frequenter legas in Scripturis [5], ſicut etiam de ſpiritu mendacii [6], de ſpiritu vertiginis [7], de ſpiritu zelotypiæ [8], & ſic de ceteris; quibus phraſibus deſignantur pravæ quædam habitudines, quibus in vitia illa vel rapimur, vel diſponimur. Nec ſtatim hæc omnia Dæmoni auctori tribui neceſſe eſt. Docet S. Jacobus 1. 14. quæri nos tantum oportere de regnante in nobis concupiſcentia, cujus imperio ita ferimur in vitia, ut illis volentes nos ſubmittamus. Non eſt proinde, cur ſtatim reputemus ſupernaturale aliquid ineſſe iis, qui teneri dicuntur a ſpiritu fornicationis, vel ambitionis. Satis habet cor hominis propenſionis in vitia; validum ſatis eſt paſſionum imperium, ut nihil a nobis ducamus alienum, abſque eo quod quidquam agere Diabolus credatur. Sive autem ipſe ſe Diabolus rebus illis immiſceat, ſive non, illud conſtituendum eſt, unum eſſe Deum, qui genus illud Dæmonum pellere valeat. Eccleſiæ quidem & Sanctorum preces id efficere poſſunt, ut Deum miſericordem in homines criminoſos flectant, qui reſipiſcendi gratiam concedat; ſed nihil ad ejuſmodi poſſeſſiones valent adjurationes. Morbi genus illud unicum exigit pharmacum, pœnitudinem, jejunium, eleemoſynam, preces.

Tertium Energumenorum genus conſtituunt hypocondriaci & mania laborantes, qui ſe agi a Dæmone phantaſiæ errore perſuadentur. Totus eſt eorum morbus affectæ phantaſiæ vitium, quæ poſſideri ſe a Dæmone reputans, agit, loquitur, clamat, curſitat, agitatur, ac ſi reipſa ab uno vel pluribus Dæmonibus ageretur. Morbi hujus tota cauſa vel e ſanguine, vel e cerebro, vel ex ſpiritibus, vel ſaltem ab hiſce omnibus ſimul repetenda; quod tamen nos examini Medicorum relinquimus. Ab hoc morbi genere valetudinem tentant illi non raro, nec infelici interdum eventu, ſive naturalibus & refrigerantibus pharmacis adhibitis, ſive opportune ad rem & perſonam remediis adhibitis, ut ad mentem reddantur, & phantaſmatibus evaneſcentibus redditam ſibi credant ſanitatem. Hiſtoriolæ quædam non injucundæ ea de re narrantur; ſed maxime ſerium argumentum quale exigit Religio, ſerio tractandum eſt; quod maxime credimus poſcere noſtrum in Libros Sacros obſequium, in quibus plures ejuſdem generis morbos deprehendiſſe nobis videmur, morbus, inquam, affectæ phantaſiæ, quæ ſe agi a Dæmone, falſo alioqui, credat. Hunc morbum, ſublato virtute & ſapientia Chriſti errore, idem Chriſtus depulit.

Legimus in Evangelio [9], Jeſum Chriſtum cum transfretaſſet mare Tiberiadis, & veniſſet in regionem Geneſareth, duobus Dæmoniacis occurriſſe, quorum alter diu jam a pluribus Dæmonibus agebatur, nudus incedebat, in ſepulchris, in montibus excavatis verſabatur, violentus erat adeo ut nec catenis nec funibus alligaretur. Procurrit ſtatim ad Jeſum ingenti ſublato clamore, quærens ab illo, ac ſi Dæmon ex ejus ore loqueretur, ne ex eo corpore ſe pelleret, vel ſaltem permitteret, ut ex eo digreſſus, in gregem porcorum hac forte per tranſitum euntem inſiliret. Interrogavit Jeſus hominem, tamquam ſi verba faceret ad Dæmonem, quo appellaretur nomine: *Legio*, reſpondit, quod magno hic verſemur numero. Et Jeſus actutum ſeceſſere inde præcepit, indulgens, ut in porcos per vicina arva pererrantes inſilirent. Nec mora; ſues ad 2000. numero magno procurrentes impetu, præcipites ſe dederunt in mare, & vir ille ſtatim convaluit.

Suberit forte mirari, cur hoc potiſſimum exemplum ſelegerimus in affectæ phantaſiæ argumentum; ſed nullum licet expreſſius habeatur in Scripturis, cujus ſingulares adnotentur circumſtantiæ, nullum quod magis faveat in ſpeciem Dæmonum poſſeſſioni; id tamen nobis ſuſcipimus, ut conſtitutis jam principiis rem totam exponamus, nihil Dæmonum poſſeſſioni faventes. Vir ille nullo corporis morbo tenebatur, integra quin etiam valetudine & robore adeo pollebat, ut fruſtra vinculis & catenis alligaretur, ac veſtes omnes diſcerperet. Nihil de commiſſis ab illo criminibus exprobrat Jeſus; & cum poſt obtentam valetudinem comitem ſe Jeſu Chriſto offerret, reſpondentem illum audivit, rediret ſe domum, & recepta a Deo beneficia palam omnibus ediceret; nec unquam legimus monitum illum, quemadmodum cum aliis in paribus rerum eventibus factum conſtat, caveret, ne deinceps peccaret.

En igitur quomodo rem illam totam exponimus. Calenti nimium ſanguine agitabatur vir ille, cujus phantaſiæ œconomia turbata legionem Dæmonum intus agentium exhibebat. Obiter etiam animadvertendum eſt, juxta recepta a Judæis principia, unum & eumdem hominem pluſquam unius animæ ſedem eſſe potuiſſe, multiſque teneri ſpiritibus [10]. Hac ſemel inducta perſuaſione vir ille, tum calente nimium, atque redundante ſanguine agitatus, e ſociorum conſortio ſecedens, Urbium frequentiam ad agrum digreſſus fugiebat, ubi turbato ſpiritui, ſane, uti rebatur, legioni Dæmonum intus agentium ſolatium permiſit.

Quid autem Jeſus ad reddendam ægroto ſanitatem? cavit nimirum ne concepto ſemel errori contrairet, quin potius credere ſe affirmanti in ſpeciem viſus eſt. Quærit igitur ab illo ægrotus, legionem Dæmonum fugaret, facta egredientibus permiſſione, ut gregem porcorum tenerent. Omnia facilis conceſſit Jeſus; ſed cum ad errorem depellendum ſatis hæc non haberentur, argumenta ejus rei exhibenda erant in grege illo porcorum, ut agi re ipſa a Dæmone videretur. Acti proinde in fugam ſues, præcipites ſeſe dederunt in mare. Alto eo argumento perſuaſus ægrotus, quem aliunde opinio non levis tenebat de Jeſu, quaſi vir eſſet prodigiorum inſignis patrator, valetudinem ſibi receptam perſuaſit; ita ſe proinde geſſit in actibus, & in ſermone, quaſi a Dæmone agitante liberaretur.

Nec difficile credimus, Jeſum Chriſtum eodem temporis articulo ſanguinis fervorem compreſſiſſe, reddita ſimul cerebro, humoribus, ceteriſque omnibus œconomia. Prodigium ultro in his omnibus agnoſcimus, non quidem in depellendo Dæmone, quo agitaretur, ſed in reſtituta ad ſanitatem mente, in tranquillo poſitis humoribus, ac tandem in grege porcorum præcipiti acto in lacum ad unam Jeſu Chriſti vocem.

Animadvertiſſe juvat, Dæmones, ſi reipſa ex homine pulſi in gregem porcorum permiſſi veniſſent, commodum illud ſibi contubernium ducentes, ne ſtatim præcipitarentur in abyſſum, Dæmones, inquam, adeo ſibi a regreſſu in inferos metuentes, rebus ſuis male utique conſuluiſſe, ſi gregem porcorum ſtatim egiſſent in mare. Ut quid novas conceſſas ſibi ſedes non cautius ſervaſſent, id agentes, ut ſues illi

(1) *Luc.*8.2. (2) *Luc.*11.24. *Matth.* 12.43. (3) *Tob.*6.14.17. (4) 2.*Petr.*2.19.*Rom.*6.16.*Matth.*6.24. (5) *Oſee* 4.12.& 5.4.*Spiritus fornicationis.* (6) 3.*Reg.*22.22. (7) *Iſai.*19.10. (8) *Num.*5.14.30. (9) *Matth.*8.28. *Marc.*5.1.&c. *Luc.*8.26.&c. (10) *Vide Joſeph. de bello l.*2. *p.*788. & *lib.*7. *c.*25. *p.*981. & *R. Iſaac. Lorienſ. de revolut. animar.*

illi per agros ſpatiarentur, & lanionum manus ſedulo evitarent; ut quid ad montes & deſerta loca illos non adegerunt, ubi tamquam acta a Dæmone animalia ſibi relinquerentur, abſtinentibus ſe omnibus ab illis, quemadmodum rabioſa quæque animalia fugiunt omnes, eaque libere palantur? Sed Jeſus voluit argumentum præbere apertiſſimum & ad ſenſum, quod phantaſiæ hypocondriaci ſeſe altius imprimens, in eam induceret perſuaſionem, ut vacuum ſe ab ea legione crederet; cujus rei numquam ſatis firmam perſuaſionem ille habuiſſet, quamdiu ſues viverent, dubitans num legio illa priſtinas ſedes repeteret. Perpetua erat valetudo reſtituenda demerſis brutis illis in mari.

Ad conſtituta a nobis genera energumenorum exempla, omnia revocanda ſunt, de quibus in Scriptura & Hiſtoria Eccleſiaſtica. Hæc enim repeti commode poſſunt, ſive ex vitio quodam ac redundante humore, phantaſiæ e ſtatu dimotæ morbo, vel tandem acutiſſimis crimino ſæ conſcientiæ ſtimulis. Ita pariter data proportione valetudines omnes Energumenorum explicandæ ſunt.

At enim Jeſus Chriſtus, Apoſtoli, & Eccleſia verſantur in errore, vel ſaltem erroris nobis nec invitis anſam præbent, id agentes, & ſcribentes, veluti ſi re ipſa agi homines a Dæmone perſuaderentur, Jeſus Chriſtus ſermonem habet ad Dæmones, Energumenorum corpora poſſidentes: imperat illis, & ipſi viciſſim parent; argumenta exhibent præſentiæ ſuæ & potentiæ, violentis convulſionibus miſeros diſcerpentes, projicientes in terram, veluti mortuos relinquentes, ac tandem in gregem porcorum inſilientes, quos præcipites agunt in mare. An hæc phantaſiæ ludibria ſunt, & morbi ſymptomata? Offertus Jeſu homo ab agente intus Dæmone loquendi & audiendi facultate privatus. Pulſus eſt Dæmon, & continuo ſalva omnia. Quid minus fucatum? Si depulſa prius ſurditate, tum nobis exactus Dæmon obtruderetur, ſuſpicandi eſſet anſa, num Dæmonis nomine ipſa tantum ſurditas deſignaretur. Sed diſerte admodum Scriptura pulſum antea Dæmonem, ac inductam poſtea valetudinem expreſſit (t). Nonne Eccleſia in precum a ſe inſtitutis formulis & in adjurationibus, obſideri reipſa a Dæmonibus corpora tenet apertiſſime? Ludit, & illuditur profecto, non orat, ſi Dæmoniaci vana ſunt otioſorum commenta.

Hiſce omnibus reponitur, nec Jeſum Chriſtum, nec Apoſtolos, nec Eccleſiam refutandas ſuſcepiſſe vulgi opiniones omnes & præjudicia; nihil pariter moratos tritas jam communi uſu phraſes, parum utique exactas, & veritati minus cohærentes. Notæ ſunt præpoſteræ Judæorum ejus ætatis, tum & Apoſtolorum de Regno Meſſiæ ideæ; ſicut & de futuro ſæculo, ac de aliis pluribus multæ. Jeſus Chriſtus ad finem uſque vitæ rudiores illos indoctoſque pertulit, Spiritui Sancto relinquens, ut præceptis & doctrinis inſtitueret, mentem aperiret, ac cetera omnia doceret, quæ ipſe quidem ſæpe, abſque eo quod illi aſſequerentur, expoſuerat.

Solebant Judæi plerumque, morbos omnes funeſtas eſſe criminum conſecutiones rati, Dæmoni authori tribuere; quorum errorem deſtruere cenſuit Jeſus ſupervacaneum; ne quid dicam de erroribus rerum philoſophicarum & naturalium, quos utique corrigendos nequaquam ſuſcepit. Cum horum omnium ſcientia nihil ad ſalutem conferat, ut docerentur a Jeſu Chriſto, nihil erat. Quot autem ferebantur errores de Angelis & Spiritibus per viſum apparentibus, de malorum ſpirituum poteſtate, de excantationibus, & Magia, quæ omnia Jeſus reliquit intacta? In rebus Anatomicis & Medicis nihil vel parum norant Hebræi, quemadmodum ex verbis illorum intelligimus. An igitur hoſce illorum errores adoptabimus, quod Scriptura, ut legentium captui ſeſe accommodet, in ſuis illam phraſibus inſinuat & veluti conſecrat?

Cum itaque ita loquuntur Sacri Scriptores, veluti ſi ægroti illi, ad ſanitatem a Jeſu Chriſto reſtituti, poſſiderentur reipſa a Dæmone; ſi ponere tamquam certum videntur, Dæmonem miſerorum corporibus inſidere, quæ proinde corpora loquendi & audiendi privat facultate, incurvat, mania cogit laborare, cruciatibus torquet; hæc ad populi præjudicia accommodata ſunt. Quæ ſane præjudicia ſectari interdum coguntur, verba ad populum vel facientes, vel ſcribentes Philoſophi etiam, & Viri quique docti. Si quis Medicum acceſſat ad curandum hypocondriacum, an ille continuo præjudiciis ægroti ſe præbebit adverſarium, quietem ejus conturbans, ſuadens ponere mentis errorem, & ſalva eſſe omnia, neque enim reipſa eſſe quod tamen ipſe de ſe firmiſſima mentis perſuaſione tenet, nempe glaciem, nivem, equum, cuniculum? Sapientis eſt Medici, ut primum ſtatum ſuum reddat humoribus; tum ſi forte artificium aliquod excogitaverit, ut errantem revocet, ſive ut phantaſiam ægroti corrigat, ſtatim adhibet, ea tamen cautione, ut dicta ſua omnia & facta ad circumſtantias & habitudines languentis accommodet. Ita plane Jeſus, bonitatis & ſapientiæ conſilio, non ſine magno patientiæ documento cum Judæis præſtitit.

Ad Eccleſiam quod attinet, inſtitutæ ab illa adjurationes non unius ſunt generis; ſunt enim quædam pro infantibus ad Baptiſmum oblatis, qui cum peccato Originali obnoxii teneantur, ita habentur ab Eccleſia, veluti ſi Dæmonis poteſtati ſubeſſent. Sunt etiam adjurationes ſalis & aquæ, antequam benedictionibus conſecrentur; quod ea perſuaſione præſtitum eſt, veluti ſi ab infernis poteſtatibus, circumfuſum aerem infeſtantibus, imperium aliquod in alia etiam elementa & in fructus exerceretur; quem Eccleſiæ morem, utpote e traditionibus tota vetuſtate probatis repetitum, meritis laudibus proſequimur. Tandem adjurantur homines & loca, quæ a Dæmone infeſta reputantur; qua in re nihil antiquius ducit Eccleſia, quam ut Miniſtros ſuos ſumma circumſpectione uti illis admoneat.

Teneri illa quidem ea perſuaſione videtur, Dæmones interdum ita prævalere, ut homines quoſdam infeſtent, ſive ad exigendam latentium criminum ultionem, ſive exercendæ virtutis illorum, ſive manifeſtandorum operum Dei gratia. Ita loquitur, veluti ſi a Spiritibus teneri corpora, torqueri, ac inſideri autumaret. Sed hæ loquendi phraſes numquid tene vulgari ſermone adoptatæ haberi non poſſunt, quarum tamen expreſſam nimis & litteralem ſignificationem numquam urgeat Eccleſia? Luſtralis aquæ aſperſiones in loca etiam maxime ſacra, ſicut & in homines, docent utique ea perſuaſione teneri Eccleſiam, quaſi ſcilicet Dæmones circumfuſum undique aerem & loca etiam maxime ſancta infeſtent; ſed mos iſte & perſuaſio ineluctabile nihilominus rei argumentum non conficiunt. Religioſæ ſunt conſuetudines e religioſa quadam perſuaſione deductæ, quibus tamen nihil certi nec fide divina explorati ſubeſt. Ita, data proportione, de adjurationibus philoſophandum: illis uti neminem cogit Eccleſia; neminem etiam damnat, ſi utatur: dari reipſa Energumenos non negat, ſed reputare etiam poſſumus, numquam Fideles ad eam perſuaſionem obligare, ſive negantes fidem illis ſuam adjicere numquam condemnare; vel ſaltem raro incommodum illud dari autumat.

Si vero problematica res eſt, neque Eccleſiæ authoritate ad illam credendam tamquam fidei dogma cogimur; præferenda eſt utique ſententia negans dari Energumenos; ea enim arctiores intra fines virtutem Dæmonis cogit, vulgaribus ſuperſtitionibus minus favet, ambigua omnia prodigia e religione ſummoves, ut ſua fides veris probatiſque aſſeratur. Ad hæc, ſimplici & naturali expoſitione Textus plures Sacræ Scripturæ declarat, magnis alioqui difficultatibus implicitos, ac genuinam ſuppeditat rationem, quare in hac ſæculorum luce apud gentes minus credulas minor ſit Dæmoniacorum frequentia, quam in tenebri-

(t) *Luc. 11. 14. Et erat ejiciens Dæmonium, & illud erat mutum; & cum ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus, & admiratæ ſunt turbæ.*

nebricoſis alterius ætatis ſæculis, & apud rudes ac ſuperſtitioſas nationes.

Quas tandem adhibet Eccleſia loquendi phraſes in adjurationibus, ad ſimiles alias Scripturæ referri auſtat; quare ſicut Scripturæ locutiones commode exponi poſſe abſque admiſſa Energumenorum veritate demonſtravimus; ita pariter de Ritualibus Libris Eccleſiæ reputandum. Nunquam Chriſtus diſertis verbis Eccleſiæ ſuæ aſſertam, quamdam & perpetuam authoritatem conceſſit, ſeu vim patrandorum miraculorum, pellendorum nempe Dæmonum, vim, inquam, formulis hiſce alligatam. Sunt ergo adjurationes puræ putæque Eccleſiæ preces cum invocatione nominis Jeſu Chriſti, ad ſolatium ferendum ægrotantibus in corpore, & inducendam valetudinem menti illorum, qui poſſideri ſe a Dæmone autumant.

Quamquam recepta Judæorum perſuaſio favere Energumenorum veritati ſatis conſtet, ex eorum tamen Libris intelligimus, plures ex illis in ſpeciem tantum dari illos autumaſſe. Joſephus Antiq. l. 7. c. 25. diſerte aſſerit, cruciari homines a ſcelaſtorum animabus, quæ paratum ſibi ſuppliciorum locum petere recuſantes, mortale aliquod corpus occupant, angunt, diſcerpunt, nihil relinquentes intentatum, quo mortem induceant. Vulgo Judæi olim tenebant, pelli Dæmones magicis operationibus, ſimplicium quorumdam, & odoramentorum vitente, excantationibus, ac tandem invocatione nominis Dei, & ipſius pariter Beelſebub. Fumo jecoris exenterati piſcis pulſus Dæmon Aſmodæus legitur Tob. 6. 19. & 8. 2. 3.

Carmina quædam mulcendis morbis & adjurationum adverſus Cacodæmones, ut e mortalium corporibus foras agerentur, formulas ſcripſiſſe Salomonem narrat Joſephus Antiq. l. 8. c. 2. Addit pariter, Eleazarum quemdam Judæum Energumenos quoſdam coram Veſpaſiano liberaſſe, ſubjecte naribus radice a Salomone indicata, quam annulo alligatam tenebat, adjecta pariter invocatione nominis ejuſdem Principis, & indicata ab illo precum, vel adjurationis formula. His ſimul omnibus præſtitis, decidebat in terram ægrotus, & ſecedente Dæmone, nullo inde dolore torquebatur.

Jeſu Chriſti adverſarii calumniam in illum ſtruxere, veluti ſi in nomine Beelzebub Principis Dæmonum ſpiritus illos malos depelleret (1). Hæc objicientibus Phariſæis repoſuit ille (2): *Si ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, Filii veſtri in quo ejiciunt?* Ponit ergo inter Judæos notos fuiſſe Exorciſtas, Dæmones aliter ſane pellentes, quam ad invocationem numinis Beelſebub; ex quo facile infertur, alias iniri potuiſſe tunc rationes, quam adhibita opa nominis Beelſebub, ut proinde nonniſi impudentiſſime de uſurpato eo nomine Jeſus accenſaretur.

Legimus Act. 19. 14. filios Sevæ, a Diſcipulis Jeſu Chriſti uſque alienos, id ſibi muneris ſuſcepiſſe, ut Energumenos exorciſmis adjurarent. Sed cum invocatione nominis J. C. quem Paulus prædicabat; Dæmoniacum quemdam aggrederentur, exprobravit ille: *Jeſum novi, & Paulum ſcio: vos autem qui eſtis?* Tum in duos ex illis inſiliens, arripuit, & peſſime adeo excepit, ut vulnerati & ſeminudi fuga ſe ſubducere cogerentur. Ex his omnibus exemplis conſecutiones ſtatim deducam.

Rabbini, & maxime Maimonides, Scripturæ ſtilo aſſueti, ſolent non raro morbis certa Dæmonum nomina tribuere. Ita e. g. *Cordeum* (3), ſive *Cordiacum* appellent Dæmonem, qui muſto ebriis præſidet, vel juxta eorum expreſſionem, iis, *quos muſtum coegit renunciare torculari*. Docet Maimonides, *Cordiacum* genus eſſe morbi epileptici, ex regurgitantibus vaſis cerebri, & turbata ſpirituum œconomia cauſati. Aſſignant alibi (4), nomen *Schibta* Dæmoni, qui infantes in nodo cervicis apprehendens, arentes reddit, & nervis contractos.

Expreſſerunt facile Hebræi veteres Græcorum Philoſophos, & Medicos, nomina interdum certorum Dæmonum tribuentes latentibus quibuſdam, & minus cognitis morbis, uti apoplexiæ. Quem morbum Plato Dæmonem appellavit, alii enim Galeno tribuerunt Lunæ (5). Epilepſiam Græci deſignarunt nomine *morbi ſacri* (6), quod ſcilicet inſuetum adeo & ignotum morbum nonniſi a Diis induci poſſe reputarent.

Juxta has hypotheſes Rabbinorum, & Philoſophorum, Energumenorum numerus magis quam pro communi opinione reſtringitur; rari enim ſunt qui vel errantis phantaſiæ ludibrio, vel morbi cujuſdam vitio, vel turbata humorum œconomia in eam perſuaſionem non venerint, rati hæc omnia, quorum latentes & cauſæ & remedia, ad Dæmonem referri oportere.

Si vero Spiritus homines infeſtantes ipſæ ſunt impiorum animæ, juxta opinionem Joſephi, fruſtra hæc omnia obſeſſionum exempla ad Dæmones referantur; neque enim veritate ſatis congruunt quæcumque ſupra animadverſa ſunt e phraſibus Scripturæ, & loquendi formulis Eccleſiæ ſolemnibus. Multo tamen veroſimilius crederetur, Joſephus ſuam tantum conjecturam ea de re obtendiſſe; cunſtat enim ex Novo Teſtamento Judæorum vulgarem tum opinionem multum Energumenis faviſſe. Sed quid ea de re philoſophabantur Hebræi? Tenebant, Dæmones corpora hominum ſubeuntes, morbos fere omnes iam exterius penetres quam intimos inducere; pelli vero poſſe excantationibus, & magicis aliis arcanis; uno verbo, integrum eſſe Beelſebub Dæmoniorum principi ut ſubjectos ſibi Spiritus pro arbitrio ad homines dimitteret avocaretque; ac tandem Beelzebub ipſum cogi vi magica poſſe.

Profecto ſi pellere Dæmones e corpore magicæ eſt operationis, audacter affirmo nullus dari re ipſa Dæmoniacos: 1. Quod nihil eſt niſi fucatum in Magia; 2. Quod ſi Dæmones corpora obſident, datum id malis illis Spiritibus a Deo cenſendum eſt, permittente Deo, ut ſingularis ille Dæmon ſingularem hunc hominem aggrediatur: quæ ſi vera ſint, nulla eſt in Energumenos Magorum authoritas, nulla Beelſebub; nihil eſt enim, cur imperet Dæmoni, cui Deus, ut hominem obſideat, permiſit; excantationes, herbarum vires, & Dæmones ſimul omnes nihil valebunt adverſus ſummi Dei imperium.

Certo nihilominus conſtat ex Hiſtoria, ſucceſſiſſe interdum Paganis, & Judæis, ſeu potius Veneficis, ut Dæmones pellerent. Commenta ſunt ergo, & ludibria quæ de Energumenis feruntur; ſicuti magicæ artes omnes, quibus illi convaleſcunt, nihil habent ſolidius. Si nunquam apud homines inita eſt ratio pellendi Dæmones corpora obſidentes, id profecto tribuendum eſt virtuti medicinæ, ſeu virorum ſapientum induſtriæ, qui phantaſiæ errorem corrigere noverunt: hoc totum ejus rei prodigium. Utrumque Jeſus non ſine miraculo præſtitit; uno ejus imperantis verbo hæc omnia ſtatim facta ſunt abſque invocationibus, nulla carminum vi, nullo humani artificii invecto, nullo ſtudio, labore nullo.

Iſtæ, quæcumque ſint, Dæmonum intus in corpora agentium infeſtationes, nulla veritatis ſuæ exhibent argumenta, ſive Energumenis ipſis, ſive nobis hæc omnia intuentibus. Indicia ſunt nobis maxime ambigua adeoque incerta; quæcumque enim obſervamus in Dæmoniacis, ipſa pariter non raro ſpectare licet in hypocondriacis, eiulant enim, agitantur, loquela carent, a Dæmone teneri ſe credunt & creduntur, curantur Exorciſmis, ſicut & vividis quandoque impreſſionibus, quibus ſenſus vel phantaſiæ afficiuntur, opportunis adhibitis medicaminibus, ætate, humorum criſi, fraude interdum ſolerti. Nihil eſt ergo ſatis aſſertum, quo de Energumenorum veritate perſuadeamur.

A R-

(1) *Matt. 12. 24. Luc. 11. 15. &c.* (2) *Luc. 11. 19. 20.* (3) *Vide Maim. & alios in Gitten c. 7. §. 1.* (4) *Aruch. in Schibta.*

(5) *Galen. 2. parte Oper. tract. 9. pag. 402. Vide Bekkerum l. 2. c. 27. Mundi excantati.* (6) *Hippocrat. l. de ſacro morbo.*

ARTICULUS II.

Rationes Energumenorum veritatem demonſtrantes.

DAri reipſa Energumenos, aſſerta eſt Scripturæ, Patrum, Judæorum, Paganorum, Veterum, & Recentiorum ſententia. Tantæ authoritati quis repugnet? Ipſe ſe Jeſus Chriſtus & Apoſtoli vel perſuaſos de ejus rei veritate demonſtrant, vel ita loquuntur, veluti ſi ne ambigerent quidem. Tantis teſtibus quid opponatur? Miſſionis ſuæ argumentum exhibens Jeſus Chriſtus gloriatur ſe Dæmones pellere (1); quam pariter virtutem Apoſtolis ſuis communicaturum ſe profitetur (2). Utrique palam omnibus poteſtatem hanc ſuam exercent. Jeſus verba ad Dæmones facit, imperat, minatur, ſilentium indicit, jubet e corporibus faceſſere; & vere loco depuliſſe, indicio valetudinis reſtitutæ e morbis, quos mali illi hoſpites induxerant, ad ſenſum demonſtrat.

Ludibria hæc ſunt, ſi mentes quaſdam humanis ſuperiores attendas. Dæmones ibi nulli, nulli Dæmoniaci, Energumenorum reſtitutæ valetudines nullæ. Vitium erat cerebri, vel errantis phantaſiæ ſiniſtra perſuaſio, quæ fucum miſeris illis faciebat. Jeſus Chriſtus, & Apoſtoli, ſi philoſophantes viros illos audias, prudentes, volentes, libenteſque populos errori ſuo permiſerunt. Satis hæc, ut erratica iſta ingenia ad recta deducerentur.

Negant fieri unquam poſſe, ut ſpiritus ipſe per ſe agat in corpus; nulla eſt enim inter corpus & ſpiritum affinitas. Motui tantum, quieti, & figuræ apta materia, reliquis omnibus functionibus inepta eſt; nihil tale ſpiritus agere poteſt in materiam; quare agendi in materiam ſpiritui nulla eſt facultas. Non ergo valet Dæmon hominis corpus aliquod obſidere, non movere loco, non voces in illo formare.

Repono, Dæmonem numquam propria virtute, authoritate, & inſita a natura vi corpus obſidere; ſed divina id præſtat, conceſſa ſibi, facultate, quæ Dei voluntas ipſa rerum omnium natura cenſenda eſt. Sit hoc, eſto, ſingulare quoddam Dei volentis conſilium; ſit ſupra conſuetas naturæ leges, ſit prodigium. Poſt hæc omnia, miraculum illud, ſi quod eſt, nihil ſuperat ſubjectam noſtris aſſidue oculis unionem animæ cum corpore, & mutuam motuum ac ſenſuum inter utrumque affinitatem, quorum alteri altera occaſionem præbet, & veluti fomentum.

Fruſtra hic miracula miraculis cumulare ſine neceſſitate accuſaremur. Frivolum eſt enim hoc, cum de facto ipſo conſtat; nec ſatis eſt argumenti, etiam ſi de facto ipſo ambigeremus. Neque enim exploratum eſt nobis, quos Deus limites virtuti ſuæ præſcribere conſtituerit; ignotum quæ nobis argumenta præbere velit ſuæ in prodigia virtutis. Numquam exaggerare miracula abſque neceſſitate accuſaremur, quouſque nec nova, nec ficta, ſive incerta adducerentur in medium. Ipſis autem fatentibus adverſariis, quæ narrantur de Energumenis hiſtoriæ, nec recentia ſunt inventa, nec fictæ, nec ambiguæ Ipſorum eſt ergo ut demonſtrent, nullos dari Energumenos, antequam accuſationem ſuam de exaggeratis temere prodigiis ſtruant.

Quid? an multiplicantur nimium Dæmoniaci Jeſu Chriſti ætate, ut de reddita illis ſanitate argumentum pro aſſerenda ejus divinitate ducatur? Potuiſſet ille anguſtiores præſcribere miraculis fines, nemo autem hucuſque illum accuſavit de exaggerata in immenſum abſque neceſſitate prodigiorum copia. Nec nos defendendum ſuſcipimus, infeſtationes Dæmonum vel prodigio tribuendas eſſe omnes, vel reſtitutas Energumenis ſanitates continuo ad prodigium deputari. Valet enim Energumenus ab agente intus Dæmone per adjurationes & inſtitutas Eccleſiæ preces ſine miraculo liberari. Teneri a Dæmone hominem, niſi circumſtantiæ aliæ adjungantur, fieri utique poteſt ſine prodigio. Neque enim conceſſa a Numine malis Spiritibus facultas agendi in corpora, in ſenſus, in organa, quin & in ipſam hominis animam, prodigii loco a nobis habetur, cum nihil adverſetur conſuetis naturæ legibus, ſicut animæ cum corpore unio ac alterius cum altero conſenſio juxta naturam eſt maxime.

Cum ergo poſſideri vere a Dæmonibus corpora notet Scriptura apertiſſimis verbis, & ea perſuaſione tenerentur, vel ſaltem teneri ſe ſignificant verbis & factis Jeſus Chriſtus, & Apoſtoli; cum neque factum id eſſe impoſſibile, nec naturæ legibus repugnans ſatis conſtet, pro earum veritate ſententia jure meritoque ferenda eſt. Huic autem judicio fidem vindicat principium illud, quod ſcilicet ſi forte Textus clarus & apertus Scripturæ aliquid ferat, neque contrarium ſuadeat ſive rei apertiſſima veritas, ſive repugnantia, quæ forte occurrant, ſive abſurdæ aliquæ adverſus Religionem, & veritates revelatas conſecutiones (3), niſi, inquam, hæc omnia adverſentur, pro ſenſu maxime prono judicandum eſt. Nunc autem omnia recurrunt, nihil eſt repugnans, nihil abſurdum, impium nihil; veritas ergo litteræ tenenda.

Opponunt, rem eſſe hanc, de qua tractamus, explicatu difficilem; ſi enim obſideri homines a malis hiſce Spiritibus ſtatuantur, duo erunt agendi in uno eodemque homine principia, duæ velut animæ in uno corpore. Sed nihil eſt in hac re magis arduum, quam quod ſingulis momentis accidere ſpectamus in nobis, ex quo in contraria ſtudia variis & inter ſe pugnantibus paſſionibus diſtrahimur, ſeu ante nos poſitis repugnantibus objectis afficimur. Homo a Dæmone occupatus, non ſemper a Dæmone agitur & movetur. Ditis temporum intervallis ſuperiora tenet in illo voluntas, Dæmoni reſiſtit: reluctatur. Quando ultro admitteremus, liberam agendi facultatem ſuſpendi, & veluti alligari in homine, cum obſidente Dæmone agitur, quid inde conſecutionis inferretur? Nonne per quietem noctis homines & loquuntur, & agunt? nonne gradiuntur, veſtibus ornantur, nihil tamen inde ſentientes, ſopita prorſus cum ſpiritu libertate? Citra prodigium hæc tamen omnia, nec ullum ſequitur abſurdum. Tantumdem & de Energumenis philoſopheris: alto ſopore demerſa anima ceſſat ab agendo.

Si vero Deus diſpoſitionis ſuæ conſilio permittat interdum, ut pueri ſtatim a Baptiſmo, & caſtiſſimis moribus homines Dæmonem habeant contubernalem, valent hæc omnia ad opera Dei ejuſque potentiam manifeſtandam, ut rectiſſime de illis uſurpari poſſit effatum Jeſu Chriſti ad Apoſtolos interrogantes (*): *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus naſceretur?* Quibus ille: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: ſed ut manifeſtentur opera Dei in illo;* ut ſcilicet Jeſu Chriſti viſum illi reſtituentis gloria, tum & virtus, ac miſericordia Dei in illo clareſceret. Non eſt profecto noſtrum, ut limites Deo præſcribamus, neque de operibus illius quæramus rationem. Quando illi qui malo aliquo afficiuntur, proficere inde non poſſent, ſatis eſt, ut de illis documentum aliis præſtetur.

Si ea nobis ſederet opinio, hiſtorias omnes tam ſacras quam prophanas, quæ de Energumenis feruntur, cum veritate conſtare, nos utique urgeret illud adverſariorum, eccur in certis quibuſdam locis, & apud quoſdam ſuperſtitione vacuos homines nihil tale occurrat? Eccur mente plerumque minus ſanis, & tenui imbecillique corporis habitudine, tum vitiatis corpore incommoda illa acciderint? Fatemur enim plurimum eſſe in rebus ejuſmodi inane, falſi plurimum; nec nos defendendam veritatem ſuſcipimus, niſi eorum quæ ſuppeditat Scriptura. Satis habemus demonſtraſſe, dari quandoque ſincera ejus rei exempla, nec niſi præpoſtere omnia indiſcriminatim rejici; ac tandem

dem

(1) *Luc.* 7. 20. 21. (2) *Marc.* 16. 17. (3) *Vide S. Aug. de Doct. Chriſt. lib.* 3. *cap.* 10. 11. 12. & *de Geneſ. ad lit. lib.* 9. *cap.* 12. & *lib.* 11. *cap.* 1. *n.* 2. (*) *Tom.* 9. 2. 3.

dem quæ referuntur in Evangelio, omnes præferre ſinceritatis characteres.

E re quidem Eccleſiæ eſt, ſi ab onere inanium ſuperſtitionum & miraculorum ad arbitrium confictorum relevetur; ſed vera pariter prodigia pervicacius denegare, fidem abnuere hiſtoriis ab Authoribus Canonicis relatis, ſive in ſenſum minime pronum & inauditum illos detorquere, numquam fieret ſine imbecillium offendiculo, numquam ſine Eccleſiæ diſcrimine, quæ detractis armis, & argumentis nuda exponeretur telis adverſariorum. Ecquid eſt aliud pyrroniſmum inducere, atque effrænem in ſententiis licentiam? Singuli pro arbitrio explicandum ſenſum Scripturæ ad ſua præjudicia ſuſcipient: & auguſtiſſima Religionis noſtræ myſteria novis hiſce excogitatis interpretationibus in claſſem rerum maxime communium & pedeſtrium redigentur.

Nec obiter tantum vel ambigue narratæ ſunt in Evangelio Energumenorum hiſtoriæ, non tamquam commune aliquid nullius momenti; ita enim de illis tractatur, quaſi de apertiſſimis miſſionis & divinitatis Jeſu Chriſti argumentis. Documentum illud exhibet Jeſus, quo homines perſuadeantur, non alium expectandum ab illis prædictum ab Oraculis Liberatorem (1); ſpem facit Apoſtolis futurum, ut pellendorum Dæmonum ad invocationem nominis ſui virtute donentur (2). Septuaginta illi Diſcipuli functi miſſionis ſuæ munere, læti inter ſe narrabant malos Spiritus imperio ſuo habuiſſe morigeros (3). Utique profecto Religionis commodis ſervitur, ſi facta hæc omnia ſummoveantur, & Energumeni ſive phantaſiæ ſeu corporis morbo aliquo affecti demonſtrentur.

At enim plus nimio Dæmonis potentia augeretur, nec ipſa patrandorum miraculorum deſtitueretur virtute; non enim niſi miraculo & quidem inſigni deportari poteſt, ſi Dæmon hominem caſtiſſimis ſæpe moribus, & ſigillo Jeſu Chriſti obſignatum, ita in ſuam redigat poteſtatem, ut male illum excipiat, ad blaſphemias cogat quandoque, deſperationem ingerat, impotentiam in homines, agendi & ratiocinandi privet facultate. His enim ſemel Dæmoni conceſſis, nonne in eam ſuſpicionem imbecilliores quædam mentes venire poſſent, Dæmonem ſcilicet ſecundum eſſe a Deo rerum omnium principium, & parem ferme cum illo obtinere in res creatas poteſtatem? Si quis etiam admittat, magicas illas operationes, excantationes, adjurationes in nomine Beelſebob, vel Salomonis in Dæmones valere plurimum, & id præſtare, quod interdum fruſtra adjurationibus Eccleſiæ tentatum eſt; quod, rogo, Fidelibus offendiculum? Nonne magis magiſque abſurda illa opinio firmabitur, Dæmonem virtute pollere plurimum, & ultionem exigere poſſe de hominibus terribilem, tormentis illos crudeliſſimis ſubmittentem?

Reponi hiſce omnibus poteſt. 1. Citra miraculum poſſideri homines a Dæmone, ſupra demonſtratum eſt. Poteſt Deus Dæmoni permittere, ut hominem obſideat; parere cogitur Dæmon, ſalvis naturæ legibus. 2. Augeatur licet in majus Dæmonis in Energumenos poteſtas, immenſo tamen ſemper a Deo diſtabit intervallo; Deo enim aſſenſum negante, adverſarius ille nihil poterit: concedes etiam plurimum Jeſu Chriſto, qui Dæmones imperio ſuo habet morigeros, loco abire, ne reſiſtere quidem audentes, jubet; minus valebit quam Apoſtoli & viri quique Sancti, quorum juſſa revereri cogitur; minus tandem quam Eccleſia, adjurationibus ſuis, precibus, ac cæremoniis in fugam illum agens, & igne gravioribus ſubjiciens pœnis.

Nec eſt quod magis miremur, ſi adjurationibus interdum reſiſtant, quam quod Apoſtolorum virtuti reſtiterit Diabolus in Dæmoniaco epileptico & muto; reſtitit autem, quod, juxta traditam a Jeſu Chriſto doctrinam, genus illud nonniſi oratione & jejunio pelleretur (4). Plura vero ſuccurrunt, cur adjurationibus contumax fiat Diabolus. Deſideratur interdum ſive in Miniſtro, ſive in Energumeno fides: criminibus tandem Energumeni invaleſcit Diabolus, ut alias ejus rei cauſas, in ſecreta Dei conſilia referendas, omittam. Nonne Religionis efficaciſſima remedia, Sacramenta videlicet, vacua efficit interdum prava recipientium habitudo? Si adjurationibus hiſce nulla unquam eſſet ab eventu fides, merito reclamarent adverſarii; cum tamen ſæpe non recidant in caſſum, quod illas urgeant nihil eſt. Si enim nulli eſſent Energumeni, fruſtra ſemper eſſent adjurationes; non enim valent quidquam naturalibus corporis vitiis depellendis, quorum in cenſu Energumenorum incommoda habent adverſarii.

Ut autem Dæmonum infeſtationes iſtæ validius oppugnentur, in tres illas claſſes diſtributas advertimus. Primam tenent pervicaci, & Medicis occulto morbo laborantes. Secundam, quibus vitiatæ phantaſiæ error fucum facit. Tertiam, qui liberioris vitæ licentia perſuaſi, tradi ſe in manus Dæmonum, quibus rapiantur ſive detineantur in vitiis, firmiſſime credunt. Tria hæc Energumenorum genera ſtatuuntur, ad quorum facile cenſum referri poſſe credunt, quæcumque de Energumenis ad ſanitatem reſtitutis feruntur, omni abjecto Dæmonum commento, ſed non omni amoto prodigio; cum maxime agitur de corporis ſeu phantaſiæ valetudine ad nutum & incunctanter reſtituenda, quemadmodum a Jeſu Chriſto factum novimus; qui pariter non ſine prodigio crimina remittebat, malas habitudines corrigebat, obducebat animæ vulnera ſupernaturali virtutis ſuæ pharmaco. Uno verbo, tota objectionis hujus vis in eo verſatur, ut, ſi fieri poſſit, quod Scripturæ verba a prodigio detorqueantur, hæc utique ratio interpretandi præferenda ſit. Damus & nos ultro, hanc eſſe expoſitionem Scripturæ præferendam, ſi quidem omni amoto prodigio, & Dæmonum infeſtatione, maxime naturalis & pronus verborum ſenſus eliciatur; defendimus autem viciſſim, numquam ſatis prono ſenſu exponi Evangelii verba cum omnibus adjectis circumſtantiis, quin interpretatio illa rejiciatur. Ne una quidem Textus non aperte exprimit, Dæmonem in homine quodam inſidentem, miſerum torquere; ubique Jeſus malis hiſce Spiritibus imperat, parent illi, & ſalva ſunt omnia. Si ad tantam verborum lucem integrum eſt cuicumque ſuſpicari, nihil hic ſive de malo Spirito, ſive de Energumenis agi, ſed rem eſſe tantum de morbo & tetro melancholiæ humore; liceret pariter aſſeriſſima etiam prodigia tuto in rerum naturalium cenſum redigere, uti transfretationem Maris Idumæi, Solis ſtationem ad nutum Joſue, Lazari reſurrectionem. Illud enim tunc reputandum eſſet, Scripturam ſcilicet aliter reddendam, quam littera præferat, ut pro eo quod transfretaſſe Hebræi credantur, alveum tantum illius in æſtu maris arentem ſubiiſſe intelligendi ſint; reputandum eſſet pariter non ſtetiſſe quidem reipſa Solem, ſed id præſtitiſſe Deum, ut Joſue maturius rem totam abſolveret, antequam noctis tenebræ ſupervenirent; Lazarum non quatuor ab inde diebus interiiſſe, ſed credulis ſpectatoribus impoſuiſſe ſymptoma quoddam apoplexiæ, ſubito incidens languenti.

Reponent forte, Textus illos Scripturæ & rei circumſtantias omnes eas interpretationes reſpuere. Dictum tenemus; ſed & infeſtationes illæ Dæmonum, de quibus in Scriptura, veras ſe omnibus poſitis circumſtantiis ſatis demonſtrant; fruſtra ergo interpretationes aliæ excogitentur. Nullum ſuadet argumentum, ut valetudo Energumeno collata ab expulſione Dæmonum diſtinguatur. Duo ſunt hæc ſimul juncta, quibus unum efficitur prodigium; Diabolo enim expulſo, ſanitas actutum reſtituitur.

Damus ultro, plures eſſe Dæmonum infeſtationes vel ambiguas vel falſas, quarum tota cauſa ex intimo quodam morbo repetitur. Verum ſi auctæ in immenſum infeſtationes illæ abuſione quadam nocent, nimis quam par eſt eorum numerum extenuare tutum non eſſe arbitror. Non inveroſimiliter creditur, in Saulis morbo majores eſſe melancholiæ quam Diabolo partes tribuendas. Judæi, de natura morborum

(1) *Luc.* 7. 20. 21. (2) *Marc.* 16. 17. (3) *Luc.* 10. 17. (4) *Marc.* 9. 28.

rum parum inſtructi, plura interdum Dæmoni vindicabant, a cauſis naturalibus repetenda: ita epilepticos, lunaticos, hypocondriacos perinde habebant ac Energumenos. Quid autem hæc perſuaſio Judæorum ad Energumenos Evangelii? Admittimus Jeſum Chriſtum vulgares phraſes uſurpaſſe interdum, neque enim ſermonis ſed cordis vitiis corrigendis venerat; nihil illi de falſis Judæorum perſuaſionibus quoad res in medio poſitas. Hæc pariter valent de Apoſtolis, & Evangeliſtis. Quid vero ſuadeat in hoc rerum, de quo tractamus, genere omnes ſive ad decipiendos homines conſpiraſſe, ſive id caviſſe, ne errorem noſtrum tollerent, ut veritas in occulto poſita tandem detegeretur? Numquam eo confugiendum eſt, niſi ſummæ neceſſitatis anguſtiis ad extremum hoc redigamur.

Diſſimulantibus licet ingenue hiſce vulgari ſuperſtitioribus, intelligimus tamen, quid illis faceſſant negotii adjurationes Eccleſiæ, in quibus aperta ejus rei perſuaſio demonſtratur. Neque recens ea ſedet Eccleſiæ cuidem ſingulari ſententia: una eſt populi Fidelis opinio, a primis accepta Eccleſiæ ſæculis. Provocant Eccleſiæ Patres adverſarios, ut Dæmoniacos coram Fideli conſtituant; non enim ſuſtinent Exorciſtarum præſentiam Dæmones, ipſis fatentibus Chriſtianorum obtrectatoribus. Tam alte mentibus omnium ea ſederat perſuaſio, ut vel Judæorum Exorciſtæ nomen Jeſu Chriſti pellendis Dæmonibus uſurparent (t). Si quis dicet, perſuaderi utique poſſe Eccleſiam dari Energumenos, quamquam reipſa non dentur, vel ſuam hanc ſententiam numquam filiis ſuis tenendam proponere, iſte certe alieno ducitur quam Fideles quicumque ſpiritu; morigeri enim Eccleſiæ filii hanc ſibi proponi autumant neceſſitatem credendi, quod matrem Eccleſiam tenere noverunt.

Sunt, fatemur & nos, adjurationes in Ritualibus Fidelium Libris; ſunt, inquam, phraſibus N. T. affines, ex quo magis magiſque ſententiæ noſtræ veritas confirmatur. Si commenta hæc omnia reputaret Eccleſia, alias agendi & loquendi rationes uſurparet: falli autem illam in opinionibus ſuis & ritibus quis dicat? Cum vero inſidentem manentemque in Eccleſia virtutem patrandorum in obſeſſis miraculorum admittere nobis vitio datur, res maxime dubia tamquam certa conſtituitur, Dæmones nempe non ſine prodigio expelli. Ita profecto agitur in præſenti, quemadmodum in aliis Eccleſiæ precibus, quas vacuas interdum, efficaces non raro experimur: vacuas, inquam, ex prava orantium habitudine, vel latentibus aliis & Deo tantum cognitis cauſis. Poteſtatem Dæmones expellendi Jeſus Chriſtus conceſſit Eccleſiæ, ſed non uſque adeo aſſertam, ut effectu ſuo interdum non fruſtretur.

At enim nihil erat diſcriminis inter Energumenos, quibus ſaluti erant adjurationes vel Salomonis nomine conceptæ, vel excantationibus quibuſdam valentes, & eos quos Jeſus Chriſtus & Apoſtoli valetudini reſtituerunt: ex quo ſane colligunt noſtræ ſententiæ oppugnatores, inanem eſſe gentis perſuaſionem, quæcumque de Energumenis feruntur; ſi quid enim ſubeſſet ideæ huic veri, nihil utique valuiſſent excantationes, cum obſeſſiones iſtæ Dæmonum, a Dei voluntate unice pendentes, nonniſi ab ejus ipſius voluntate tollerentur; ageret autem adverſus conſilium ſuum Deus, ſi magiæ obediret, atque veneficis ſeu potius Dæmoni permitteret ea deſtruere, quæ ipſe præceperat. Sed evaneſcunt hæc omnia, ſi duo infeſtationum Diabolicarum genera, vera nempe & in ſpeciem tantum, diſtinguantur.

Magi illi & Exorciſtæ, de quibus in præſenti, valuiſſent utique naturalibus quibuſdam pharmacis adhibitis, quibus accederent ſuperſtitioſi quidam ritus, creduli vulgi perſuaſione in Dæmones efficaces; valuiſſent, inquam, ad ſanitatem revocare credulos illos Dæmoniacos, quibus fucum faciebat ſive corporis ſive ſpiritus ſive tandem phantaſiæ morbus. Valida hac adjurationum impreſſione revocari poterat ad ſanitatem ægrotus, alio errore priſtinum illum errorem de verſante intus in ſe Dæmone depellens. Cum vero res erat non cum ſpectro quodam, ſed cum Dæmone, fruſtra ſe Exorciſtæ illi tunc moliri intelligebant, & frigidis quibuſdam cautionibus removere a ſe moliebantur infeliciter tentatæ rei invidiam. Succedebat interdum, ut audaciæ ſuæ pœnas dare cogerentur, quemadmodum de filiis Scævæ Sacerdotis Judæi legimus Act. 19. 14. Dæmonem etenim illi lueo pellere, invocato Jeſu, quem Paulus prædicabat, nomine, ſatagentes, actutum e Dæmoniaco abrepti, parum abfuit quin ſuffocarentur. Suppoſititios etiam Dæmoniacos ſuos præſto habuiſſe Circulatores illos credimus, cum maxime artis ſuæ experimentum tradere vellent, ac credulis populis perſuadere, eſſe utique in ſua poteſtate, ut a Dæmone inductos morbos depellerent.

Ægre admittunt adverſarii, Dæmonem accepta a Deo facultate agere in ſpiritum, & voluntatem hominis; verum ſi hæc omnia ad nutum Dei agantur, prona ſunt omnia. Profecto male affectæ valetudines, humorum œconomia turbata, ebrietas, phantaſiæ error, & alia ſexcenta manus utique immittunt in omnes enim noſtræ facultates, prohibent, ſuſpendunt; cur ergo tantumdem & Dæmones, id permittente Deo, non valeant? Quod paſſionum ſæpe violentia quotidie fieri intelligimus, ut agitent, angant, torqueant, (quanta eſt enim amoris, odii, & ambitionis impotentia!) id pariter & a Dæmone jure timeretur.

Poſtremum omnium & validius forte adverſus Energumenorum veritatem argumentum inde repetitur, quod indicia ambigua ſunt maxime, tum Energumenis ipſis, cum illis, qui de Energumenis judicant, ſpectatis. Indicia ſunt, inquam, maxime ambigua; nullo enim argumento ſatis certo vera a falſis in hac re diſtinguerentur. Externa omnia ſigna, convulſiones, agitationes, clamores & ſymptomata quæcumque, a Dæmone æque ac a morbo aliquo inducerentur. Occurrerunt etiam interdum ægroti, qui auditi olim ſermonis certa vocabula efferunt; qui futurorum oracula caſu quodam pronunciarunt. Nihil ergo ex his ſatis certi ad Energumenos diſtinguendos.

Reponimus, plures utique Energumenorum characteres magis a perſpicuitate abeſſe, quam pro communi perſuaſione; nec nos veritatem alterius cujuſcumque de Energumenis hiſtoriæ defendendam aſſumimus, quam earum, de quibus in Sacra Scriptura, & in aſſertis aliis Hiſtoriis, quæ ſinceritatis ſuæ ea præferunt argumenta, quæ ne ſuſpicandi quidem de morbo, de phantaſiæ errore aliquo, de fraude & dolo anſam recte judicantibus præbeant. Nihil ad nos de receptis vulgo perſuaſionibus, de immodica Dæmonis poteſtate, de confictis ad libitum prodigiis, ceteriſque creduli vulgi opinionibus. Veritatem tantum defendimus Sacrorum Textuum, non obſcure præferentium, Jeſum Chriſtum, & Apoſtolos Energumenos curaſſe. Aſſerimus enim non in ſpeciem tantum illos a Dæmone infeſtatos, eo innixi principio, hæc incommodorum genera nihil habere repugnans Divinæ potentiæ, præſcriptis naturæ legibus, Dæmonum poteſtati; nec ſine religionis, & obſequii in ſacrum Textum diſcrimine fidem veritatis illi denegari.

Si quis a nobis apertos quærat infeſtationis Dæmoniacæ non fucatæ characteres, reponimus plures dari probabiles tantum, certos etiam plures. Cum uno veluti impetu ſine præcedente aliqua diſpoſitione homo e ſtatu ſuo dimovetur, ut in alium tranſeat longe diverſum, cum alio veluti ſpiritu animatur, angitur, diſcruciatur invitus; cum plura admittit ab inſita ſibi indole longe aliena, ſed ita admittit, ut ſingularia omnia videantur, & violenta, quæ numquam ab homine præſtari poſſe viderentur, uti cum in aera repente ſuſtollitur; cum res ſibi occultas reſerat; cum, inquam, hæc ſimul omnia in uno eodemque homine conveniant, ut virorum, quo-

ſum

(t) *Marc. 9. 36. Act. 19. 14.*

rum ſunt mentes a præjudiciis vacuæ, ſententia aliena eſſe hæc omnia cenſeantur a naturali corporis & animæ hominis illius diſpoſitione, tunc ſincera omnia reputanda ſunt.

At enim hos ſimul omnes characteres fruſtra in Energumenis Evangelii quæras. Utique: ſed duo regerimus. 1. Non omnia Dæmoniacorum ejuſmodi incommoda narranda ſuſcepiſſe Sacros Hiſtoricos; nec raro obſervamus ab altero ſuppleri circumſtantias ab alio prætermiſſas. 2. Omnia ſimul hæc deceptionis pericula ſubmoveri a Scriptura, veritatem ejus infeſtationis aſſerente. Eo teſtimonio ſatis abunde ſuppletur quidquid alioqui ad veritatem demonſtrandam deſideratum eſſet.

Prophanorum Scriptorum, & Hebræorum phraſes, certa quædam morborum genera certis quibuſdam Spiritibus aſſcribentes, ſatis probant communem gentium omnium perſuaſionem, Deum ſcilicet uti quandoque Diaboli miniſterio, malis illis inducendis, quibus interdum affligi mundum animadvertimus. Obſervat Jamblicus (1), numquam Dæmones ſpectandos ſe, vel experimentum ſui hominibus præbere, niſi ad proſtranda corpora, infligendos morbos, & pondere quodam animas ad terrena inclinandas. Defendit Porphyrius (2), malis hiſce Spiritibus accepto referenda eſſe omnia illa, quæ affligendis hominibus immittuntur, peſtem, ſterilitatem, terræ ſuccuſſiones, ſiccitates &c. Minutius Felix in Octavio: *Impuri Spiritus vitam turbant, ſomnos inquietant, irrepunt etiam corporibus occulte, ut Spiritus tenues, morbos fingunt, terrent mentes, membra diſtorquent, & ad cultum ſui cogunt.* Meminit Plutarchus (3) fœminæ cujuſdam, quæ Apollinis ſacris præerat, a Dæmone peremptæ.

Quare etſi verum utique reputari poſſit, interdum humani hunc generis adverſarium, captata morborum & pravarum corporis atque humorum habitudinum opportunitate, in homines inſilire, ac dire torquere, numquam tamen talia audere renuente Deo cenſendus: nec raro ipſi pariter Authori tribuendi ſunt morbi; ipſe corpora & humores, pravis in corpore cauſatis præſentia ſua impreſſionibus, ad morbos excitat, & determinat. Solerter tamen duo iſta mala, Dæmonis nempe infeſtatio, & morbus, quamquam ab una & eadem cauſa repetita, diſtinguenda ſunt. Quæ autem ſedet multis ſententia, obſeſſionem nempe Dæmonis aliud non eſſe quam morbum, ſeu morbi appendicem, errantis phantaſiæ ludibrium, emotæ mentis & melancholia turbatæ phantaſma; commentum eſt apertiſſimum, duo ſimul confundens, quorum alterum cum altero nullam habet neceſſariam affinitatem. Agi a Dæmone poſſunt homines integra etiam ſanitate, & mentis maxime compotes, cum Deus ad juſtitiæ & potentiæ ſuæ gloriam conferre id arbitratur.

DISSERTATIO
DE SIMONE MAGO.

Mirari utique ſubit, cur tanti nominis vir, Simon Magus, ſectæ numero hominum florentiſſimæ author, hominibus ad cultum uſque venerabilis, quem ſtatuæ honore & divinitate Imperator ipſe ac Senatus in tanta ſæculorum luce dignum habuerant: virum, inquam, tantum, qui inter plurimas gentes geſtorum ſuorum gloria claruerat, variis Scriptis Operibus illuſtrem, qui ſe veluti Numen univerſum ipſum moderantem obtruſerat, virum, ut iterum dicam, talem tantumque Paganos Scriptores, quorum ſcripta ſuperſunt, vel latuiſſe, vel ſi non latuit, contemptui habitum fuiſſe, ut ne mentionis quidem dignus in eorum Operibus duceretur. (4)

Prophanorum tamen Scriptorum defectum abunde ſupplet Chriſtianorum ſive numerus, ſive exacta in referendis ejus geſtis, dogmatibus, præſtigiis, & mortis genere diligentia. Poſt authorem Actuum Apoſtolorum, qui ſubdolam ejus ad Fidem converſionem deſcribit, S. Juſtinus Martyr, S. Irenæus, Tertullianus, Euſebius, S. Epiphanius, ceterique de hæreſibus ſcribentes, fuſe admodum proſequuntur ſive dogmata ſive geſtorum ab illo facta potiſſima. Alterum poſt alterum afferemus in medium, lucem affundentes iis, quæ ſive obſcure ſive ambigue dicta reputarentur.

Poſt conſummatum a S. Stephano omnium primo martyrium, motam in Eccleſiam perſecutionem evitaturi Diſcipuli Jeſu Chriſti, Jeroſolyma, ſecedentes, in varia regionis loca diſperſi ſunt, Evangelium annunciaturi qua Judæis qua Samaritanis; non enim ad Paganos adhuc ſalus pervenerat. S. Philippus e ſeptem Diaconis unus venit tunc Samariam (5), ubi plures ad Chriſtiana ſacra convertit; inter quos manus victas dare fidei viſus eſt Simon ille, de quo modo diſſerendum ſuſcepimus (6). Incola erat (7) Urbis Gitthæ ſive Gitton in Samaria; *Samaritanus* enim dictus eſt (8); nec dubitari utique poteſt in Samaria tunc egiſſe, cum S. Philippus in eam regionem veniret. Viri quidam docti contendunt (9), Simonem hunc Magum alium non eſſe a Simone illo Mago Cyprio, de quo Joſephus habet, Felicem Judææ Præſidem ducere in conjugem Druſillam meditantem, Simonem quemdam Cyprium magiam profitentem ad fœminam miſiſſe, ut deſerere virum ſuum Azizum ſuaderet (10). Porro viri iſti Eruditi pro *Gittha* legendum cenſent *Gittiam*, nempe Cittha Urbe Cypri oriundum. Deſunt huic conjecturæ argumenta; nec Joſephus Simonem hunc Cittha oriundum unquam prodit. Patrem noſtri hujus Simonis quidam appellant Antonium, matrem Rachelem. Jactitabat autem inſignis ille ſeductor æternum eſſe ſe, tranſmeaſſe vero per canalem Rachelis, ut ad homines veniret.

Cum ergo Philippus & inſtitutione & Baptiſmate Chriſtianis ſacris imbuiſſet Samaritanos, qui victas manus dederant ad fidem (11), munere ſuo functus, quod Spiritum Sanctum initiatis conferre nequaquam valeret, ad Apoſtolos Jeroſolymæ verſantes ſelectos homines miſit, invitaturus, ut ad conſummandum opus venirent. Contulerunt ſe illico in Samariam Petrus, & Joannes; oblatiſque pro Neophitis precibus, impetrarunt illis Spiritum Sanctum; cujus præſentiæ argumentum luculentiſſimum exhibebat collatum illis linguarum, & chariſmatum privilegium.

Tunc Simon, qui in ſpeciem tantum, juxta Patrum opinionem (12), nomen ſuum dederat inter Fideles, quique prodigia a S. Philippo patrata Magiæ, non Deo tribuebat; Diacono tandem ſanctiſſimo totum ſe dedit in clientelam (13), nihil omittens ſive de piorum operum exercitio, ſive de jejunio & oratione (14); corde tamen ſemper ad priora ſtudia & magiam converſo, id unice intendebat, ut magis magiſque

(1) *De Myſter. ſect. 2. c. 6.* (2) *De abſtinen. pag. 198.* (3) *De defectu oraculor.* (4) Diſcutiemus infra quæ habet Dio, & Svetonius, de viro, qui volatum coram Nerone tentavit; quod vulgo de Simone dictum creditur. (5) *Act. 8. 1. 5. &c.* (6) *Act. 8. 13. Tunc Simon & ipſe credidit.* (7) *Conſtit. Apoſt. l. 6. c. 7. Recognit. l. 2. c. 12. Juſtin. M. Epiphan. alii.* (8) *Ita Authores ſupra cit. Abdias in Petrô, alii.* (9) *Baſnag. Ex. p. 104. 105. D. Le Moine.* (10) *Antiquit. l. 20. c. 5. pag. 693.* (11) *Vide Abdiam in Petro Recognit. Clem. l. 2.* (12) *Irenæ. l. 2. c. 20. Auguſt. Hom. 6. in Joan. Epiphan. hæreſ. Simon.* (13) *Act. 8. 13. Cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo.* (14) *Conſtitut. Apoſt. l. 6. c. 7.*

que nominis ſui gloriam augeret (1). Sperabat vir ille impius aſſecuturum ſe tandem a Philippo inſignium illorum miraculorum patrandorum artem; ſed viſis Spiritus Sancti donis, quæ manuum Apoſtolicarum impoſitione conferebantur, ille pecunia tentare viros aggreſſus eſt, in aures ſubmurmurans (2): *Date mihi hanc poteſtatem, ut cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto, cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. Reſpondens Simon dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, ut nihil veniat ſuper me horum quæ dixiſtis.* Hæc tantum Scriptura de Simone Mago.

Fatemur tamen, Apoſtolum identidem in epiſtolis ſuis declamare adverſus Pſeudo Apoſtolos, inter quos potiſſimo haberi loco Simonis Magi Diſcipulos in loco maxime 2. ad Timoth. 3. 13. viri docti ſuſpicantur; *Mali homines & ſeductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.* Tum & in illo verſ. 8. *Reſiſtunt veritati homines corrupti mente, reprobi circa fidem, quemadmodum Jamnes & Mambres reſtiterunt Moyſi. Sed ultra non proficient; inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.* De illo pariter (Simone Mago) interpretantur illud 2. Theſſal. 2. 8. 9. *Revelabitur ille iniquus, quem Dominus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum. Cujus eſt adventus ſecundum operationem Satanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis iis, qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut ſalvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacium.*

De illo pariter ejuſque Diſcipulis dictum reputari poteſt illud 2. Timot. 3. 1. 2. &c. *Scito, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa; erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.*

S. Judas in ſua Epiſtola verſ. 4. eoſdem pariter Hæreticos ceteroſque priorum ſæculorum ſuggillat: *Subintroierunt quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.* Nec niſi Simonianos præ oculis haberi creditur S. Jacobus, proborum operum ad ſalutem neceſſitatem defendens (3); in nullo enim ſibi ſperandum Hæretici illi ducebant, præter quam in gratia Simonis; in bonis vero operibus nihil (4), quod ſcilicet geſta a nobis omnia in medio poſita eſſe crederent, & inter prava & improba diſcrimen ab Angelis conſtitutum eſſe eo conſilio, ut ſibi homines ſubderent. Hac ſuperſtitione relevati quicumque in Simonem & Helenam ſperabant, libera fruebantur agendi pro arbitrio facultate. Contraria hiſce ſtatuens S. Jacobus, docet, ſine probis operibus fidem prorſus frigeſcere; nec Abrahamum juſtitiam per ſolam fidem ſine bonorum operum exercitio obtinuiſſe; uno verbo, adipiſci homines juſtitiam per bona opera, non per fidem tantum.

Atris profecto coloribus Simonem ceteroſque ejus ætatis hæreticos depingit S. Petrus in ſecunda Epiſtola cap. 2. 1. &c. *Fuerunt vero Pſeudo Prophetæ in Populo, ſicut & in vobis erunt Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem. Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur; & in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.*

Scitum eſt, quanta licentia debaccharentur Simon ejuſque Sectatores. Impius enim ille comitem ſibi adſciſcens Helenam ſuam, nihil ad crimina ſibi faciebat reliquum (5). Hanc fœminam appellabat intelligentiam primam, & rerum omnium parentem (6). Magiſtri ſcelera non exprimebant tantum, ſed ſuperabant etiam Diſcipuli: ipſi enim in ſuis Libris ultro fatebantur, nos, qui expugni ſibi primum myſteria Simoniani dogmatis audirent, ad nefanda ſcelera obſtupuiſſe (7). Nec diutius hæreſim illam & crimina impunita reliquiſſe Deum, infra oſtendemus; demonſtrantes, ideo ſceleſtos illos extuliſſe, ut gravius ruerent.

Proſequitur Apoſtolus Petrus in hæc verba. *Percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem, exiſtimantes diei delicias; coinquinationes & maculæ, deliciis affluentes; in conviviis ſuis luxuriantes, oculos habentes plenos adulterii & inceſſabilis delicti. Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii: derelinquentes rectam viam, erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit.... Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur. Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur.*

Quadrant hæc omnia in Simonem; virum omnium, quotquot unquam fuerint, corruptiſſimum, & ad exceſſum avarum; impium, ſacrilegum, in crapulam effrænem: qui pariter affirmabat, Helenam ſuam proſtitutis eſſe moribus fœminam, emptam a ſe Tyri (8); ipſam vero eſſe Helenam belli Trojani olim incendium affirmabat: inſuper fœminam hanc primam eſſe intelligentiam, per quam creare Angelos Summus Pater decreviſſet, ſed hoc ejus conſilium ſubodoratam Helenam, ad inferiorem regionem delapſam Angelos genuiſſe, quibus Patris ſui nullam indidiſſet cognitionem. Ex his Spiritibus addebat creatum deinde mundum & homines; ſed cum Angeli illi originem ſuam a fœmina illa revelari metuerent, ipſam eamdem intelligentiam apud ſe veluti captivam & indigna plurima ferentem retinuiſſe, reditum omnem ad Patrem præcludentes; immiſiſſe tandem illam in varia mulierum corpora, inter quæ locum habet Helena Menelai uxor; ac tandem poſt varias rerum viciſſitudines in muliere illa, quam ſecum ducebat, conſtitiſſe. Hæc deliramentorum ejus Hæretici portio: modo de impiis ejus dogmatibus aliqua.

Meſſiam ſe jactitabat, e Cœlo ad libertatem Helenæ reſtituendam dilapſum; cum veniret autem, varia percurrentem loca, dominantis in illis intelligentiæ formam induiſſe, metu ne aliqui agnitus detineretur. Denique terram aſſequutus, dicebat, hominis ſpeciem tantum, non rem adoptavi; atque a Judæis in crucem actus, hac ſupplicii ſpecie viros ſimplices fefellit. Gloriabatur pariter, veniſſe ſe tamquam Patrem Samaritanis, tamquam Filium Judæis, & tamquam Spiritum Sanctum Gentibus. E Simonis Libris hæc profert S. Hieronymus: *Ego ſum ſermo Dei, ego ſum ſpecioſus, ego omnipotens, ego Paracletus, ego via Dei.*

Nec alium forte quam Simonem, ejuſque ſectatores ſpectant illa Apoſtoli ad Coloſſ. 2. 8. &c. *Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam, ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.... Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ, aut Sabbatorum.... Nemo vos ſeducat, volens in humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Simonianos eo loco ſuggillaſſe Apoſtolum credunt Eſtius & Petavius (9).

Vix fieri poſſe perſuaderemur, Hæreticos illos cultum aliquem Angelis impendiſſe, a quibus dira perpeſ-

(1) *Chryſoſt. in Act. hom. 18. Aug. in Joan. hom. 6.* (2) *Act. 18. 8. 19.* (3) *Jacob. 2. 14. &c.* (4) *Iren. l. 1. c. 20.* (5) *Juſtin. Apolog. 2. Iren. l. 1. c. 20.* (6) *Iren. l. 1. c. 20.* (7) *Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 13.* (8) *Epiph. hæreſ. 21. Iren. l. 1. c. 20.* (9) *Eſt. in Coloſſ. 2. Petav. in Epiphan. hæreſ. 21.*

perpeſſa Helena eorum mater, nonniſi arte quadam & dolo, at illi quidem narrabant, ab eorum ſe manibus ſubduxiſſet. S. Epiphanius hæreſ. 21. c. 4. luculenter aſſerit, perinde habitos ab Hæreticis illis Angelos, veluti acerrimos Dei hoſtes, & ſiniſtras Poteſtates extra Pleroma conſtitutas. Docebant autem, ab Angelis mundum creatum, Prophetas inſpiratos, iiſdemque Auctoribus obtruſum Vetus Teſtamentum univerſum, cujus unus Liber ab uno ſingulari Angelo, alter ab altero ſcriptus eſſet. Hiſce ſemel perſuaſi docebant, minas omnes & Oracula Prophetarum contemnendas, Legi non tantum non parendum, ſed & ejus obſervationem in diſcrimen mortis & damnationis inducere.

Alieno licet ab Angelis animo Simoniani, cultum tamen Angelis ſuperſtitioſum impendebant (1), fruſtra ſalutem ſperari poſſe aſſerentes, niſi nefandis ſacrificiis Patri per intermedias Poteſtates, & Principatus ſingulorum Cœlorum, oblatis. Coli ergo Angelos jubebat Simon, non auxilii ab illis obtinendi gratia, ſed ut æquiores redderentur, neque hominum in hac vita conſiliis adverſarentur, neve poſt mortem malum illis aliquod molirentur. Eo facile ſpectat illud Apoſtoli: *In humilitate & religione Angelorum, quæ non vidit, ambulans, fruſtra inflatur ſenſu carnis ſuæ.*

Sed in hoc Pauli Textu quædam occurrunt ſuſpicandi argumenta, num alio quam ad Simonianos ſpectarit Apoſtolus. Illi enim, quos ſuggillat, imponere nitebantur Coloſſenſibus *ſecundum traditionem hominum in cibo, aut in potu, aut in parte diei Feſti, aut Neomenia, aut Sabbatorum*: quibus non obſcure ſignificantur vel Judæi vel Samaritani (2). Tamen enim ſcimus Moſaicas Leges a Simone, impietatis illas accuſante, dictitante venisse ſe illis abolendis, earumque dicto obſequentibus damnationem & mortem denunciante. Reponi tamen poteſt, Apoſtolum in eo Textu rem habere non cum Simonianis tantum, qui cultum Angelis ſuperſtitioſum impendebant, ſed cum ceteris pariter Hæreticis, legalem diſciplinam cum Evangelii obſervatione invehere adnitentibus.

Eſtius aliique nonnulli tenent, Epiſtolam ad Epheſios reſpicere potiſſimum Simonem Magum ejuſque Diſcipulos, ex Judæis plerumque & Samaritanis collectos, licentiam qua verbis qua factis commendantes, abſurdam ſuper jactitantes ſcientiam, ſub ignoti ſermonis ſpecie viris indoctis & rudibus imponere nitentes (3). Nec immerito etiam arbitratur ille pariter, eumdem ſibi finem conſtituiſſe Apoſtolum in litteris ad Titum, & Timotheum; quæ ſi propius diſpiciantur, utique ſtatim intelligemus, Apoſtolum refutandos ſuſcepiſſe Hæreticum illum ejuſque ſectatores, quorum infandos mores & crimina tetris coloribus depingit.

Narrat S. Juſtinus, obiviſſe Simonem varias gentium Provincias, erroris ſui dogmata ſpargentem, imponentemque falſis præſtigiis ſuis viris e vulgo rudioribus, ſeque velut Chriſtum obtrudentem (4). Varios ipſe per ſe Libros ſcripſerat (5); alterum addiderunt ejus Diſcipuli inſcriptum: *Prædicatio S. Pauli* (6). Conſtitutiones, & Timotheus Presbyter (7) Conſtantinopolitanus in libello de his, qui ad Eccleſiam accedunt, referunt, Simonem, & Cleobium perniciosa quædam Scripta ad Fidelium deceptionem Jeſu Chriſti & Apoſtolorum nomine ſuppoſuiſſe: meminit etiam Præfatio Canonum Arabicorum Concilii Nicæni, Evangelii cujuſdam a Simonianis fabricati, quod in quatuor partes ſeu tomos, ſingulis mundi cardinibus inſcriptos, dividebant. Auctor Operis de Divinis nominibus (8) plura adverſus fidem ſcripſiſſe Simonem aſſerit, ſub titulo *Antirrhetica* ſive Contradictoria. Sed opportuno ſane conſilio Opera oblivione digna ita ſuppreſſit antiquitas, ut neque reliquum unum ſuperſit.

Cum Tyri verſaretur Simon, proſtitutis moribus fœminam ſibi comparavit Helenam, quam & Selenam, nempe Lunam, appellatam novimus. Hanc, ut ſupra adnotatum eſt, intelligentiam primam nuncupabat, quæ poſt creatos Angelos varieſque rerum viciſſitudines in corpus illud fœmineum veniſſet. Corruptiſſima erat fœmina, cum qua nullo ſe commercio miſceri ſimulabat, re tamen ipſa clam omnibus ita agebat cum illa, quomodo effrænis viri licentia ferebat (9). Cum ipſa arcana cordis ſui & ſcelera communicabat, fidiſſima pariter ille promovendæ hæreſis adjutrice uſus.

Appellabat interdum *Helenam* vel *Selenam*, ideſt *Lunam*, ſeu *Minervam*; interdum etiam *Barbelo*, nempe filiam Baal; tandem *Prunicum* ſive *Pernicam*, ac ſi diceretur *impudica*, *corrupta*. E radice Græca vocem illam derivari notat S. Epiphanius (10), e radice, inquam, deſignante puellam vitiare. Heſychius reddit *Prunicum* pro bajulo. P. Petavius datam e S. Epiphanio expoſitionem non ſatis probat; nec ſane congruum videretur, Simonem plenum invidia nomen indidiſſe mulieri, quam in aliis conſeruerat allatis nominibus. Nec eſt cur ſuſpicemur corruptum eſſe S. Epiphanii Textum, cum ſæpius eamdem interpretationem repetat, neque ſemel norit verbum illud, unde vocis etymologiam deducit.

Cum ceterorum fere omnium nominum, quorum eſt mentio in ſyſtemate Simonianorum, Gnoſticorum, vis repetatur ex Hebræo vel Syriaco ſermone, fieri utique potuiſſet, vocem illam *Prunicos* ex Hebræo *Para*, germinare, fructificare, florere, & *Nakah*, purum eſſe & innocentem, vel *Nachoh*, thymiama derivari. Quidquid ſit, jactitabant Gnoſtici per *Prunicum* colligere ſe vim corporum maris & fœminæ; vis autem illa phraſi Gnoſticorum deſignabat fluxum illum humoris, quem aperto nomine exprimere vetat pudor.

Jubebat Simon ſtatuas ſibi dedicari ſub Jovis figura, Helenæ vero ſub Minervæ; nec Dei figuram tantum, ſed & cultum ſibi ac uxori utriuſque Numinis adſciſcebat. Appellabat Helenam ſuam modo rerum omnium matrem, modo S. *Spiritum*; hanc eſſe dicebat palantem ovem, ad quam reducendam e Cœlo veniſſe ſe (11); hanc e Cœlo in Cœlum dilapſam in terram deſcendiſſe, & hominum figuram induiſſe. Se vero addebat nihil minus eſſe, quam cujus exhiberet figuram, nempe hominis, (12); ſe Meſſiam jactabat, cujus nominis obtentu plures ſibi adſciverat Diſcipulos, quos Chriſtianorum appellatione honeſtabat; tandem in excantationibus ſuis Chriſti nomen ingeminans, incantis & prodigiorum ſuorum præſtigiis ſeductis pluribus perſuadebat.

Nolebat autem Jeſu Chriſti in ſe perſonam agnoſci, ſicut nec Jeſum Chriſtum haberi tamquam Dei Filium (13), quod ſcilicet odio illum proſequeretur, conatus inſuper veris ejus prodigiis falſa præſtigia ſua ita opponere, ut parem cum illo ſibi nominis famam apud homines conciliaret. Magni quidem fuiſſet negotii Jeſum Chriſtum virum moribus ſanctiſſimis, & datæ cœlitus doctrinæ Magiſtrum cum Simone corruptiſſimo viro, & vecordi confundere; ſed magni pariter fuerat negotii inter genuina illius miracula & præſtigia Simonis diſtinguere. Fateor tamen non ſatis aſſequi me, cur Simon doceret ſe non niſi in ſpeciem toleraſſe crucis ſupplicium, ſi perſonam Chriſti induere recuſabat. Sed fruſtra conſtans aliquid in ſyſtemate adeo male compacto quæras.

Vir ille impius, referente S. Irenæo (14), delapſum ſe de cœlis jactabat, non in ſalutem tantum Helenæ ſuæ, palantis illius oviculæ, ſed ad reſtituendam univerſi œconomiam, Angelorum principatum affectantium ambitione turbatam: veniſſe pariter in ſalutem homi-

(1) *Tertull. Præſcript. c. 33. Epiph. hær. 21. c. 4. Theodoret. Hæretic. fabul. l. 1. cap. 9.* (2) *Tillem. art. 4. in Simonem Magum.* (3) *Eſtius Præfat. in Ep. ad Eph.* (4) *Apolog. 2. p. 69. Theodoret. de hæreſ. l. 1. cap. 1.* (5) *Hieron. in Matth. 24.* (6) *Cyprian. de Baptiſmo.* (7) *Lib. 6. cap. 8.* (8) *Dionyſ. divin. nom. cap. 6.* (9) *Epiph. hæreſ. 21. num. 2.* (10) *Hæreſ. 25. l. 2. pag. 73.* (11) *Iren. l. 1. c. 20.* (12) *Epiph. loc. citat.* (13) *Orig. contr. Celſum l. 5.* (14) *Iren. l. 1. cap. 20. Aug. de hæreſ. Epiph. hæreſ. 21. c. 4.*

hominum, quibus ſummum fuerat malorum, quod ſe (ideſt Simonem) non cognoſcerent nec Angelorum jugum ſuſtinerent: Angelorum, inquam, diſcrimen inter bona & prava opera eo conſilio invehentium, ut homines in depreſſione & ſervitute tenerent.

Nihil corporibus ſperandum mahuru ſive de ſalute ſive de reſurrectione dicebat, ſed animæ eſſe omnia; nihil fidendum hominibus in probis operibus, cum ſola ſpes libertatis a ſervitute & jugo per Angelos inducto, in ipſo ſe & Helena ſua ſitaret. Magiſtri doctrinæ plus nimio inhæſerunt Diſcipuli, invidiam in Chriſtianum nomen neſandiſſimis criminibus ſuis æternam creantes (1).

Habebat ſub manu liberationem Prophetarum ab Inferis (2); transgreſſoque volatu aere medium ſe in ignem ita conſtituiſſe dicebat, ut in unum cum illo corpus, illæſus tamen, coaleſceret. Statuas anima donaſſe ſe & motu, lapides transmutaſſe in panem, ſiſtere ſe videndum, & inviſibilem pariter cui maxime vellet, penetrare montes & petras nullo ſibi obice reſiſtente, dare ſe præcipitem e montibus nihil ſiniſtri metuentem, extricare ſe vinculis, quibus forte teneretur, novas ſubito arbores exhibere, metamorphoſim ſibi inducere & mutare oris faciem, ut a nemine agnoſceretur. Narrabat, miſſum ſe olim a Rachele matre ſua ad colligendam meſſem, falci præcepiſſe, ut ſeſe in illam immitteret; quæ ita mandata compleſſet, ut opus quantum decem meſſores egiſſet. Ferebatur de illo, propoſuiſſe olim Neroni, ut clam obtruncari ſe præciperet, pollicitum intra triduum ſe iterum rediturum ad vitam. Rem præſtitit Nero; verum Magus ille ſubſtitutum in locum ſuum arietem obtruncandum obtulit (3); poſt triduum ſpectandum ſe præbens, Simon, ſpeciem quaſi iterum ad vitam rediſſet, exhibuit. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum (4) ficut ex Recognitionum (5), et Pſeudo Abdias (6) docent, Simonem Cæſareæ in Palæſtina verſantem diſceptaſſe cum S. Petro, recepiſſe ſe deinde Tripolim in Phœnicem, et tandem Romam, quo S. Petrus euntem proſecutus eſt. Rerum geſtarum ab impoſtore illo Romæ & diſceptationum cum S. Petro coram Nerone hiſtoriam legas apud Pſeudo Abdiam, & alios, ſeu non diſſimilis furfuris Hiſtoricos, ſi per otium licet.

Major eſt habenda fides teſtimonio veterum Patrum (7), agentium de priori Simonis itinere Romam ſub Claudio, quo rerum potiente Romani ſtatuam inſigni illi impoſtori erexerunt cum epigraphe a *Simoni Deo Sancto*. Sua adhuc ætate, & oculatum teſtem ſpectaſſe ſe illam tradit S. Juſtinus, aſſerens pariter non defuiſſe inter Samaritanos ceteroſque ejus Diſcipulos, qui inter Numina primum illi locum efferrent (8). Idem confirmat S. Clemens Alexandrinus Strom. l. 2. Idem S. Irenæus contra hæreſes l. 1. c. 20. De ſtatua Simonis agunt pariter S. Cyrillus Jeroſolymitanus (9), Tertullianus (10), Euſebius, & Theodoretus. Publica authoritate erectam aſſeris S. Auguſtinus, de hæreſ. c. in loco intra duos pontes Tiberis, vel in inſula ejus amnis conſtitutam deſignat S. Juſtinus. En hiſtoriam apertis adeo documentis aſſertam, ut convelli numquam poſſe videatur. Traditur enim a multis coævis ferme & magni nominis Scriptoribus, quorum aliqui teſtes fuerunt oculati, rem ſua ætate pro certa habitam aſſerentes. Si forte S. Juſtinus, qui omnium primus ſimulacri illius meminit, levitatis & ignorantiæ ſuſpicionem quamdam præbere potuiſſet, ſi obiter, & per conjecturas rem attigiſſet, tolerari utique poſſet, ut aliquis daretur adverſus ejus rei veritatem ambigendi locus; nullus tamen reipſa datur, cum aſſerentem habeat virum ampliſſimum, judicio ingenioque gravem, Paganam Religionem callentem, Romæ, dum ſcriberet, ſedem habentem, tenentem primas in Eccleſia, ac tandem rem illam inſerentem in ſupplici libello coram Imperatore & Senatu exhibendo; rem, inquam illam quæ niſi veritati cohæreret, impoſtoris & nugatoris in Scriptorem invidiam, apud viliſſimos etiam creaſſet. Quibus tunc ſanis non exponeretur odio jam & contemptui habita Eccleſia? An neglexiſſent Pagani putidum illud mendacium oggerere? Quieta fuerunt omnia: nulla ergo data eſt movendi cauſa.

E re ſua pariter cenſuiſſent Chriſtiani, ut locum hunc Apologiæ vel ſupprimerent, vel utcumque excuſarent; ſiquidem S. Juſtinus craſſo profecto errore pro *Semoni Deo Sanco*, quem epigraphem ſimulacro inſcriptam tenent aliqui, legiſſet *Simoni Deo Sancto*. Quid erroneam hanc lectionem ſervarunt S. Irenæus, Tertullianus, Euſebius, S. Auguſtinus, viri nempe omnium in Eccleſia ætate ſinguli ſua ſapientiſſimi? An Tertullianus, an Auguſtinus, quis eſſet *Semo Sancus*, vel ignorabant vel ignorare poterant, ſi de illo quæſiviſſent? vel ſaltem ſoli inter homines Chriſtiani non viderunt, an ſcilicet erectum Romæ ſimulacrum Semoni vel Simoni dicaretur? *Sanci* vel *Sancti*, Numinis Sabinorum, meminit S. Auguſtinus in Opere de Civitate Dei l. 18. c. 19. nihil de Theologia Paganorum latebat Tertullianum; uterque tamen S. Juſtini lectionem ſervat: quin & S. Auguſtinus erectam pariter Helenæ Simonis conjugi ſtatuam teſtatur. Ex ære conſtatum Simonis illud ſimulacrum aſſerit, nec utique a S. Juſtino edoctus, Theodoretus, vir tantæ doctrinæ & ſapientiæ (11).

Nec ſane inficiamur, multum eſſe affinitatis inter illud: *Semoni Deo Sanco*, & aliud: *Simoni Deo Sancto*. Quæ tamen in Inſcriptione Romæ recens invente leguntur, toto plane Cœlo aberrant ab iis, quæ Juſtinus oculatus ſpectavit. 1. Viſum a Juſtino ſimulacrum publico & Imperatoris & Senatus decreto dedicatum fuiſſe, perhibet ille in Apologia 2. (12) cum viciſſim Semonis privato cujuſdam conſilio erectum fuerit. 2. In Romana *Sanci* legitur *Semoni Deo Sanco Fidio*, quæ ſane univerſum S. Juſtini ſyſtema evertunt; notat enim ille *Deum Fidium* vetuſtiſſimum fuiſſe Romanorum fidei in Sacramentis præſtandæ Numen tutelare. 3. Unicum tantum Simoni erectum Romæ ſimulacrum videtur, cum *Semoni Sanco* tam multa olim conſecrata cenſenda ſint, ut duo hodie uſque ſuperſint. Fidem S. Juſtino adſtruunt, ultra Veteres omnes ſupra a nobis laudatos, poſteriorum ſæculorum omnes uſque ad Baronium; & poſt illum, ac ultra illum (13), in eamdem ſententiam conceſſerunt Guillelmus Spencerus (14), Hammondus (15), D. Tillemontius (16), P. Halloxius (17), Grotius (18), D. Fleury, & alii ſexcenti.

His tamen omnibus nequaquam abſterriti viri plures doctiſſimi, relatæ a S. Juſtino hiſtoriæ fidem addicere noluerunt. Viſam quidem a S. Juſtino Romæ inſcriptionem non admodum ab ea, quam recitat, diſcrepantem ita agnoſcunt, ut reipſa tamen aliquanto diverſam fuiſſe teneant: ſpectaſſe pariter aliud quam Simonem Magum, virum quidem apud Sectæ ſuæ homines, tum & apud Samaritanos divinis honoribus parem, ſed numquam in Romanorum Numina vel receptum vel recipiendum, cum ea res eſſet, quæ multo rerum apparatu, tum & Senatus peculiari decreto indigeret (19). Profecto tanti molinimis rem non ſiluiſſent ejus ætatis Scriptores; nam ſi apud vulgum indoctum rudemque aliquid obtinuiſſet præſtigiis ſuis Simon, numquam tamen adeo apud viros ampliſſimos conſcriptoſque Patres in tanta temporum luce invaluiſſet.

(1) *Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 13.* (2) *Tertull. de Anima, c. 57.* (3) *Pſeudo-Marcellus in Actis Petri & Pauli.* (4) *Lib. 6. c. 8.* (5) *Recogn. Clement. l. 2. n. 3.* (6) *In Petro.* (7) *Juſtin. Apolog. 2. p. 69. & 91.* (8) *Idem dialog. cum Tryph. p. 349.* Florebat Juſtinus circa ann. 150. (9) *Catecheſ. 6.* (10) *Apologet. c. 13. Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 14. Theodoret, hæretic. fabul. l. 1.* (11) *Hæretic. fabul. l. 1. c. 1.* (12) *Sub Claudio Cæſare Simon Magus Senatum populumque Romanum in tantum admiratione ſui ſtupefecit, ut haberetur pro Deo, & receptus in Deorum numerum honoraretur dicata ſibi ſtatua.* (13) *Ad an. 44. nu. 55.* (14) *Adnot. in Origen. cont. Celſ. l. 1. pag. 44.* (15) *Diſſert. 2. de Epiſcop. jure.* (16) *In S. Juſtinum not. 2.* (17) *In Juſtin.* (18) *Oper. l. 3. pag. 488.* (19) *Tertull. Apologet. c. 5.*

Si quid humani viris illis Sapientiſſimis accidit, in decernendis ſcilicet divinis honoribus viris nonnullis mortalibus; id tamen illis non error, ſed metus, aſſentatio, & mala cupiditas extorſit. His omnibus nihil valebat Simon, vir obſcurus, nec generis, nec Patriæ, nec nominis celebritate, ſed præſtigiis, quæ non parvi tantum habebant Romani, ſed & Magos legum & pœnarum rigore inſectabantur.

Quis unquam in animum induxerit, Imperatorem & Senatum divinis honoribus cultum voluiſſe hominem, cujus & genus & patriam & res geſtas, quin & vitæ incommoda omnia norant? Conſecraſſe quidem Romanos fateor Cajum, & Domitianum; ſed metu exorta illorum Divinitas nullos habuit cultores ſatis ſinceros. Simonis apotheoſim nihil tale promoviſſet. Divinis honoribus, quin & mactatione victimarum colere Paulum & Barnabam præſto erant Lyſtrenſes: ſed incautos perſuaſit opinio, quod ſub virorum illorum obtentu delapſa cœlitus Numina apparuiſſent; ex quo enim meros puroſque homines agnoverunt, lapidibus perimere illos aggreſſi ſunt (1).

Tandem neque ſuperſtitem, neque poſt mortem conſecratum a Romanis Simonem par eſt ut credamus. Dum viveret, numquam dogmatum ſuorum fidem Impoſtor ille Romanis perſuaſit, vel ſaltem perſuaſiſſe nemo unquam ex Patribus, etiam hiſtoriæ illi faventibus, aſſeruit. Quomodo autem Numen ſibi propoſuiſſent, cujus dogmata non probabant? Poſt obitum, una cum ejus lapſu coram Nerone & Romanis, viri etiam fama concidit; ut proinde in cenſum Deorum, etiam e Claudio relatus, poſt creatam æternam illam ſuo nomini invidiam ab honore prorſus excidiſſet. Interim S. Juſtinus cæterique Patres velut certum conſtituunt, poſt elapſum a Claudio & Nerone ſæculum nihil tamen de viri illius cultu deceſſiſſe.

Omnium ejus rei vetuſtiſſimus teſtis eſt S. Juſtinus Martyr, a quo cæteris poſtea impoſitum; niſi forte quidam rem illam aliorum relatione acceptam aſſeruerint. Vir autem Sanctus, quod citra invidiam ſcientiæ & ſanctitatis illius dictum volo, credula nimis facilitate fidem adhibebat ſuam pluribus noſtra demum ætate, ne quid gravius, dicam ſuſpectis. Narrat ſpectaſſe ſe Alexandriæ Cellulas, Septuaginta Interpretibus Scripturarum Verſioni laborantibus addictas; qua de re plura etiam addit fidei ſuſpectæ (*). Judæos accuſat de vitiatis Sacris Libris, expuncta in odium Crucis Chriſti e ſententia illa Pſalmi 95. 10. *Dominus regnavit a ligno*, voce *a ligno* (2). Non ergo erat ab illo alienum, ut epigraphem *Semoni Sanco* per errorem legeret *Simoni Sancto*, Sabinorum Numine in Magum transformato. Anno 1574. effoſſum eſt Romæ in Inſula Tiberina, quem potiſſimum locum deſignavit S. Juſtinus, marmor ita inſcriptum;

SEMONI SANCO.
DEO FIDIO.
SACRUM.
SEX. POMPEJUS. SP. F.
COL. MUSSIANUS.
DECUR.
BIDENTALIS.
DONUM DEDIT.

In monte Quirinali poſita altera non diſſimilis legebatur. En integram (3).

SANCTO SANCO.
SEMONI DEO FIDIO.
SACRUM DECURIA.
SACERDOTUM.
BIDENTALIUM.
RECIPERATIS.
VECTIGALIBUS.

Tandem Reati in Italia, veteri Sabinorum regione, ubi potiſſimus hujus Numinis cultus, hanc inſcriptionem poſitam legerunt viri docti (4).

SANCO. FIDIO. SEMO. PATRI.

De decuma. Victor. Tibei. Lucius. Muntius. Donum.
Moribus. Antiqueis. Pro. Uſura. Hoc. Dare Semper.
Viſum. Animo. Suo. Perfecit. Tua. Ope. Rogans. Te.
Cogendei. Diſſolvendei. Tu. Ut. Facilia. Faxſeis.
Perficiaſque. Decumam. Ut. Faciat. Verae. Rationis.
Proque. Hoc. Atque. Alieis. Donis. Des. Digna. Merenti.

Appellabatur indiſcriminatim Numen illud *Semo*, *Sancus*, *Sanctus*, vel *Filius*, ut Ovidius in illo Faſt. l. 6. ver. 213.

Quærebam nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi Semo, Pater.

Veteres autem generatim nomine *Semonum*, (quaſi ſemihominum) deſignabant inferioris ordinis Numina. Ita *Semo* dictus eſt Mercurius (5), Hercules (6), Vertumnus, & Priapus (7), nec alius ab Hercule videtur *Semo* ille in Quirinali cultus. Ovid. l. 6. Faſt.

Hunc igitur (Semonem) *veteres donarunt æde Sabini*
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Sed nequid talibus immoremur, ſatis eſt nobis demonſtraſſe, cultum olim Romæ Semonem Sancum, cujus & ſtatua cum epigraphe eo loco poſita ſpectabatur, ubi olim S. Juſtinus Simonis Magi Simulacrum & epigraphem in eadem fere verba conceptam viderat; ex quo plane intelligimus, decipi facile potuiſſe hominem alienigenam, parum Latinis litteris inſtructum, totumque opinione Simonis, quem norat olim præſtigiis ſuis impoſuiſſe Romanis, occupatum. Hanc ſententiam acriter propugnant frequentes Theologi & Critici magni nominis utriuſque communionis, uti D. Valeſius, in notis ad lib. 2. & 3. hiſt. Euſeb. Salmaſius in Spartianum, P. Pagi Critic. in Baron. ann. 42. n. 6. Ciaconius Opuſc. præfix. expoſit. colum. Trajan. P. Mabillon, t. 1. Muſ. Ital. pag. 87. Anton. Vandale de Oracul. Reineſius Diſſert. de Sybillin. Itrigius Diſſert. de Hæreſiarch. Salomon Deylingius Obſervat. Sacr. to. 1. c. 36. Joannes Albertus Fabricius not. in Pſeudo Abdiam pag. 419. de Apocryph. N. T. Author Diſſertationis impreſſæ in relatione Reip. Litter. ann. 1685. menſe Auguſti pag. 844. aliique plures, quorum rationes dubiam ſaltem reddunt fidem illorum, quæ de inſcriptione Simonis Magi a S. Juſtino feruntur.

Cum vir ille impius Romam ſub Claudio veniſſet (8), ſibique plures adſciviſſet Diſcipulos (9), S. Petrus, qui gravis inſtabat viro, præſtigiis ejus diſſipandis, brevi totam ejus famam ſubvertit. Interiiſſe illum circa hæc tempora, & inſinuare videtur Euſebius, & tenet poſt Metaphraſtem D. Valeſius (10); quamquam recepta magis opinio obitum illum conſignat ſub Nerone circa annum Jeſu Chriſti 65. quod ſuffragio ſuo confirmant Sulpicius Severus, S. Auguſtinus, Arnobius, Philaſtrius, S. Ambroſius, S. Maximus Taurinenſis, Teodoretus, S. Cy-

(1) *Act.* 14. v. 11. 13. (*) *Exhortat. ad Gent.* (2) *In Dialog. cum Tryph.* (3) *Apud Gruter. l. c. pag.* 96. *ex Fulvio Urſino.* (4) *Apud Gruter. t. 1. pag.* 96. *num.* 7. *ex Apiano, & Fulvio, aliiſque.* (5) *Auſon. cap.* 19. (6) *Ovid. Faſt. l.* 6. (7) *Fulgent. de vocibus Antiquis.* (8) *Circa ann.* 41. *J. C.* (9) *Euſeb. Hiſt. Eccleſ. l.* 2. *c.* 15. (10) *Not. in dib.* 2. *c.* 15. *pag.* 33.

Digitized by Google

S. Cyrillus Jeroſolymitanus, S. Iſidorus Peluſiota, Baronius, ceterique fere omnes Hiſtorici. Mirari ſubit, cur nihil habeat Euſebius de lapſu Simonis Cœlum petentis volatu, tantæ ſcilicet rei & memoria poſterorum digniſſimæ. Silent etiam vetuſtiſſimi ex Patribus, rerum Simonis non incurioſi indagatores, uti S. Juſtinus, S. Irenæus, Origenes, Tertullianus.

Reliqui Patres jam laudati conveniunt; Simonem Romæ verſantem ſub Nerone per aere volantem, ſpecie quidem quaſi ad Cœlum aſcenderet cum precum Apoſtolorum Petri & Pauli (1) vim non ſuſtineret, corruiſſe præcipitem, & ex lapſu vitæ repagulis diſruptis interiiſſe: Hæc ſatis conſtanter apud illos omnes Scriptores; ſed qua ratione aera petierit Simon qua vita exceſſerit, non ſatis convenit inter illus.

Hegeſippus & Pſeudo Abdias e ſumma Capitolii arce aeri ſe commiſiſſe ſcribunt. Volanti acclamabant Romani, nihil tale a Jeſu Chriſto tentatum unquam. Vim ſuam adverſus impium ut exereret Jeſus, precibus impetravit Apoſtolus S. Petrus, ſimulque malis Spiritibus, quibus vehentibus ferebatur in aera, præcepit, recederent actutum. Nec mora: ſubducentibus ſe Dæmonibus, corruit Simon, implicatus, quas ſibi aptaverat, alis, & ex lapſu mox interiit.

Pſeudo Marcellus in Actis S. Petri refert, Simonem erigi ſibi turrim poſtulaſſe in Campo Martio; qua illum poſtea lauro coronatum conſcenſe univerſo ſpectante populo ad Cœlum ſcandere tentaſſe; ſed & corruiſſe ſtatim ac S. Petrus oravit. Valafridus Strabo ſeu Author Carminis S. Petri (2) ejus turris meminit. Igneo curru, velut Elias olim, elevatum in Cœlum habet Arnobius l. 2. pag. 50. ſed ad nominis Jeſu Chriſti per S. Petrum invocationem diſſipatis præſtigiis, dilapſiſque Dæmonibus vectoribus proprio pondere in terram adactum, cruribus e lapſu confractis, aliorum manibus tranſlatum fuiſſe Brundam, ubi dolorem volneris, & probrum non ferens ex ædibus ſeſe præcipitem egit. Narrant ex Patribus multi (3), geminos Dæmones Magi excantationibus coactos ad officium præſtandum veniſſe; receſſiſſe vero ſtatim ac precibus SS. Petri & Pauli ſeſe impares ſenſerunt. His ſubductis, ſtatim in terram Magus. Locum ejus lapſus deſignant *viam ſacram* Acta Græca D. Cotelerii.

Sunt qui credant *Brundam*, quo relatus poſt lapſum Simon, ipſiſſimum eſſe Brunduſium ad extremas Italiæ oras Græciam verſus; veluti ſi inſignis ille Præſtigiator illatam nomini ſuæ notam tegere affectans, ex Italia in Orientem fugam tentaſſet. Tenent vero alii, Brundam nomen eſſe certi loci in Urbe, nec ſane diſſident Veteres, uno omnes conſenſu aſſerentes (4), obiiſſe illum Romæ, & in Urbis medio, uti notat S. Epiphanius; ac nemo illus ſatis aperte docet, locum ejus obitus fuiſſe ſive Brundoſium, ſive alium quemcumque extra Urbem. Varianteis cetera minoris momenti libens prætereo, uti. S. Petrum ad certamen illud Simonem provocaſſe; quod inſinuare videtur Theodoretus (5), contra fidem Libri Conſtitutionum l. 6. c. 9. non obſcure aſſerentem, a Simone Apoſtolum invitatum.

Certamen illud fuſe proſequitur Author Conſtitutionum Apoſtolicarum loc. cit. referens, Simonem Romæ verſantem & plures ſeducentem, veniſſe olim pleno jam meridie ad theatrum, authoremque fuiſſe populo, ut ad ſpectaculum, petiturum enim ſe aeris ſublimia jactitabat, Petrum acciret. Cum veniſſet igitur Apoſtolus, volatum aggreſſus eſt Magus; acclamarunt veluti ad Numen ſpectatores; ſed verſus in preces Apoſtolus, porrectiſque in Cœlum manibus, & oculis ad Simonem converſis in hæc verba virum petit: Ego ſum vir Dei, & venerabilis J. C. Apoſtolus, non ſicut tu ſeductor; quare ejus nomine infernis Poteſtatibus in aere te ſuſtinentibus edico, ut recedentes actutum ruinæ te, æternoque expoſitum opprobrio permittant. Nec mora, corruit magno impetu Magus, confractis lapſu cruribus & pedum extremis. Acclamare ad hæc populus, unicum eſſe, quem Petrus annunciabat, Deum. Plures exinde Simonem deſeruere, ſed alii nonnulli pervicacius adhuc illi inhæſerunt.

Referunt ad hanc Hiſtoriam illud, quod legitur apud Dionem Chryſoſtomum Orat. 21. Neronem ſcilicet in aula ſua detinuiſſe virum, qui volatu ſe aere petiturum jactitabat. Sicut & illud Svetonii l. 6. c. 12. virum ſcilicet quemdam in publicis ludis coram Nerone volatum tentaſſe; ſed ad prima tentamina corruiſſe præcipitem, reſiliente miſeri illius cruore uſque ad ſpectantis Principis tentorium. Sicut hujus Hiſtoriæ veritatem negare nihil noſtra intereſt, ita nihil certi ſuppetit, cur de Simone ab utroque illo Scriptore agi credamus. Ita vero de hiſtoria illa loquuntur Patres, & Eccleſiaſtici Scriptores, ut tota res geſta cenſeatur e Simone, univerſo populo ſpectante & in Urbis foro, non in theatro, & coram Principe; neque meditato antea conſilio, ſed magicis viribus ſuis ſat fretus Simon, conſilium illud ſtatim inivit, ſtatimque Apoſtolum provocavit ad certamen. Narrat quidem Philaſtrius, Magum coram Nerone in aera ſublatum, ſed de Nerone nemo ante illum quicquam.

Jejunium obſervari ſolitum Romæ ſingulis recurrentibus Sabbatis, Romanorum nonnullos retuliſſe ſcribit S. Auguſtinus, ad inſtitutum eadem die a S. Petro jejunium, ut divinam ſibi opem impetraret in certamine die proxime ſuccedenti cum Simone ineundo; qui mos ut ſervaretur deinceps fecit certaminis illius feliciſſimus exitus. Concludit tandem Auguſtinus: *Eſt quidem & hæc opinio plurimorum; quamvis eam perhibeant eſſe falſam plerique Romani.*

Si quis magis exacte allatas in medium optaret Veterum diſcrepantes ſententias, ad hiſtoriam certaminis S. Petri cum Simone quod attinet, illius certe votum explebit D. Cotelerius in annotationibus ad ſextum librum Conſtitutionum Apoſtolicarum pag. 268. 269. ubi rem totam excutit; ac tandem concludit in hiſtoria tam dubia & parum eſſertis circumſtantiis plenisſima, tutius eſſe judicium ſuſpendere, nihil certi ſive pro ejus veritate ſive contra illam definiendo; quod ſapientiſſimum eſſe in re præſenti cenſemus.

(1) In Conſtitutionibus Apoſtolicis nonniſi Petrus orans inducitur *l. 6. c. 9.* (2) *Apud Caniſ. t. 6. Lection. antiq. pag. 659.* (3) *Vide Arnob. loc. cit. Cyrill. Jeroſolymit. Catech. 6. Ambroſ. Hexaem. l. 4. c. 8. Sulpit. Sever. l. 2. Hiſt. Eccleſ. Iſidor. Peluſiot. l. 2. Epiſt. 13. Theodoret. Heret. fabul. l. 1. c. 1.* (4) *Philaſt. de hæreſ. c. 29. Aug. de hæreſ. 1. Epiph. hæreſ. 21.* (5) *Heretic. Fabul. l. 1. c. 2.*

DISSERTATIO
DE ACTIS PILATI
Ad Tiberium Imperatorem miſſis in cauſa mortis JESU CHRISTI.

TAntus fuit in ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ crepundiis Apocryphorum & pravorum librorum obtrudendorum pruritus, atque licentia, ut monſtri loco haberi non poſſit, ſi tot occurrant viri ſuſpicioſi, plurimum caventes, ne aliquod omnino eorum admittant Eccleſiæ authoritate non receptum, quamquam alioqui ætate illa ſatis vulgatum. Nec ſane, unis exceptis Canonicis Scripturis, plures occurrunt, ſive non interpolati, ſive non ad libitum confícti. Quot falſa Evangelia, Acta Apoſtolorum, Apocalypſes, Oracula Prophetarum, Martyrum & Sanctorum geſta in ipſo Eccleſiæ naſcentis exordio ſuppoſititia? Manus etiam injectæ ab Hæreticis in Evangelia, & genuinas Apoſtolorum Epiſtolas, fœde illas detruncando, addendo, vitiando. Quid laboris impenſum ſit in reſtituendis integritati ſuæ interpolatiſſimis S. Ignatii Epiſtolis, ſat omnibus notum. Quot Martyrum Acta corruptores iſti non perdiderunt? Tot in Eccleſiaſticam eruditionem mala invexit præpoſterus zelus, minus cauta ſimplicitas, opinionis alicujus ſingularis urgendæ amor, ac tandem in erroribus aſſerendis pervicacia.

Acta a Pilato ad Tiberium miſſa in cauſa necis Jeſu Chriſti, ejuſque reſurrectionis, viros noſtræ ætatis doctiſſimos in utramque partem exercent. Sanior illorum pars miſſa cenſet reipſa; an vero Acta illa ipſiſſima cenſenda ſint, quæ Patres laudant, an integra ad nos uſque pervenerint, ſeu potius longa ſæculorum oblivione vel interierint, vel in eo fluxu temporis fœcis plurimum contraxerint, res eſt inter Doctos illos agitata.

Provinciarum Romanarum Præſidibus ſolemne fuiſſe majoris momenti omnia ad Principem referre, docet abunde Plinii, ad Trajanum ſcribentis quid ipſe cum Chriſtianis in Aſia egerit, exemplum (1). Morem illum, certiores nempe Imperatores faciendi, ſi quid novi in Provincia accidiſſet, ne quid illos lateret, a vetuſtiſſimis receptum in Imperio temporibus, obſervat Euſebius Hiſt. Eccl. l. 2. c. 2. Idem vel agnoſcit, vel inſinuat Tertullianus referens, Tiberium de rebus in Palæſtina actis certiorem factum de Jeſu in cenſum Deorum cooptando ad Senatum retuliſſe; non annuiſſe tamen Patres, qui ſibi conſecrandi Numina jus totum arrogantes, gravius ſerebant propoſitum ab Imperatore Numen efferre (2).

S. Juſtinus Martyr in Apologia pro Chriſtianis ſecunda hæc excerpit ex Actis a Pilato ad Tiberium miſſis: *Et cum in Crucem egiſſent eum, aleam ſuper veſtitum ejus luſerunt, & in inter ſe partiti ſunt illum qui crucifigendi ſupplicium peregerunt*. Tum ad Paganos addit: *Atque hæc ita geſta eſſe, cognoſcere ex Actis, quæ ſub Pilato ſunt conſcripta, poteſtis*. Et infra: *Quod inſuper Chriſtum curaturum fuiſſe morbos omnes, & defunctos excitaturum prædictum ſit, verba vaticinii audite.... Et quod iſta fecerit, ex iis, qui ſub Pontio Pilato conſcripti ſunt, commentariis cognoſcere poteſtis*. Fuſius profecto digeſta erant Acta illa, quantum ex duobus hiſce textibus intelligimus.

De Actis a Pilato ad Tiberium miſſis ſermo incidit pariter in Hiſtoria Martyrii S. Ignatii Antiocheni. Legitur enim in illis, datas fuiſſe ad Trajanum litteras, quibus fieret certior, Ignatium Theophorum homines docuiſſe, ut divinis honoribus colerent Jeſum Chriſtum, ſupplicio crucis damnatum a Pilato, *ut ejus Acta docent*. Sed tota hæc periodus non legitur in Actis ſinceris & ſelectis Mſs. D. Theodorici Ruinart, & adſcititiam eſſe tenent viri noſtra ætate doctiſſimi.

Quid ferrent Acta illa, habet non obſcure Tertullianus Apologet. c. 21. Tradebant igitur, Jeſum infeſtantes corpora Dæmones pellere, valetudinem reſtituere, cæcis, leproſis, paralyticis, vitam defunctis elementa & tempeſtates coercere imperio, ſuper inſtructas aquas gradi, argumentis exhibere luculentiſſimis Filium eſſe ſe Dei & rerum omnium authorem. Ad Doctrinæ illius fulgorem perſtrictos Judæorum optimates, graviuſque favorem in illum populi ferentes, renuentem reluctantemque velut coegiſſe Pilatum, ut virum in Crucem ad ſuas ipſorum preces ageret; quod ſupplicii genus ipſum ſibi Jeſum, & veteres de illo Prophetas prædixiſſe. Actum in Cruce magis magiſque potentiam ſuam exeruiſſe, quod ſcilicet non expectato carnificis miniſterio ſpiritum ſuum poſuiſſet, quando ſibi maxime viſum fuerat. Eodem inſtanti ſolem in medio diei curſu nigricaſſe; tum Judæos depoſitum e ſupplicio condidiſſe in ſepulchro, commiſſis ad ejus cuſtodiam militibus, ne forte Diſcipulis Præceptoris ſui cadaver ſuffurantibus, prolato ab ipſo Jeſu de reſurrectione ſua intra triduum oraculo fidem mendacio adſtruerent. Verum tertia ab obitu die ſubito tremore concuſſa terra, ſublatum fuiſſe lapidem ab oſtio ſepulchri, milites inopinato terrore in fugam actos, & Diſcipulis omnibus licet abſentibus, nihil tamen niſi mortui inſtitas in ſepulchro appăruiſſe, ſparſiſſe in vulgus rumorem Judæos optimates, ſuſtuliſſe Diſcipulos Jeſu Chriſti cadaver; ſed illum poſt actos plures dies in Galilæa Palæſtinæ regione, docentem Diſcipulos ſuos quid alios ipſi docerent, tandem relictis iiſdem Diſcipulis mandatis de prædicatione per univerſum mundum obeunda, nube vehente in Cœlum elatum evanuiſſe.

Concludit tandem Tertullianus: *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nunciavit*. Addit inſuper: *Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi autem Cæſares non eſſent ſæculo neceſſarii; aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares*. Ex hoc Tertulliani Textu intelligimus, Epiſtolam Pilati ad Tiberium veluti ſummam complecti Evangelii, ſcribente ad Imperatorem Pilato, quidquid de rebus geſtis Jeſu Chriſti ab exordio ejus prædicationis ad Aſcenſionem uſque reſciverat. Conſecutiones ex hoc noſtras infra deducemus, Illud tantum in præſenti animadvertiſſe contenti, nihil eſſe quod miremur, ſi Tertullianus de Pilato aſſereret, *pro ſua* illum *conſcientia Chriſtianum* fuiſſe; nemo enim Chriſtianus melius rebus Jeſu Chriſti ſcribendo, nemo exactius conſuluiſſet. Et Tiberius de his omnibus certior factus, ſtatim de referendo inter Deos Jeſu Chriſto, quem ſane Numinum Paganorum multo eſſe præſtantiorem noverat, e Pilati teſtimonio retuliſſe.

Tandem Euſebius Cæſarienſis, qui Tertulliani Apologeticum utique legerat, Epiſtolæ Pilati ad Tiberium bis meminit. Narrat enim in Chronico ſub Coſſ. anni J. C. 36. Pilatum certiorem per literas feciſſe Tiberium de Jeſu Chriſto ejuſque doctrina; ac Tiberium viciſſim de recipienda fide Chriſtiana, egiſſe

(1) *Plin. l. 10. Epiſt.* 102. *Tertull. Apologet. c.* 2. (2). *Apologet. c.* 5. *Euſeb. l.* 2. *c.* 2.

egiſſe in Senatu; ſed Patres renuiſſe. Addit in ſua verſione ejuſdem Chronici Hieronymus: *Verum cum ex conſulto Patrum Chriſtianos eliminare Urbe placuiſſet, Tiberius per edictum accuſatoribus Chriſtianorum comminatus eſt mortem.*

Idem Euſebius hiſtor. Eccleſ. l. 2. c. 2. hæc habet: *Interea tam per omnem jam locum de reſurrectione & mirabilibus Domini Jeſu Chriſti, & de Aſcenſione ejus ad Cœlum ſolix ſama loqueretur, ac per omnium aures beati rumoris volveretur opinio; quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Judices, ſi quid forte novi in his, quas regebant, Provinciis accidiſſet, vel Principi vel Senatui nunciarent, ut ne ex his, quæ gerebantur, ignorare aliquid viderentur: de reſurrectione a mortuis Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quæ jam in omnem locum fuerat pervulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de ceteris mirabilibus ejus ac poſt mortem cum reſurrexiſſet, a quamplurimis jam Deus eſſe crederetur. Tiberius quo cumperérat, retulit ad Senatum; Senatus autem ſpreviſſe dicitur. Tamen fertur Tiberium tum eam, quam prius animo combiberat, opinionem firme tenuiſſe, tum nihil abſurdi tenere Chriſti doctrinam ac cognitione quidem melitum eſſe.* Laudat poſt hæc e Tertulliani Apologetico locum ſupra a nobis adductum.

S. Epiphanius hæreſ. 50. num. 1. agens de *Quartadecimanis*, contendentibus diem Paſchæ celebrari oportere ipſa die, qua Jeſus Chriſtus anno obitus ſui celebravit, (tunc erat dies 14. Lunæ) in quamcumque tandem diem Lunæ incidiſſet; S. Epiphanius, inquam, aſſerit Hæreticos illos, opinionis ſuæ potiſſimum fundamentum habuiſſe Acta Pilati, diem obitus Jeſu Chriſti conſignantia 8. Kal. Aprilis, ideſt 25. Martii; itaque Paſcha eadem die celebrabant nihil ad Lunam attendentes. Frequentabant, illi potiſſimum, Cappadociam, eodemque omnes die Paſcha celebrabant.

Verum, addit S. Epiphanius, Actuum ejuſmodi Exemplaria variant; legimus enim in nonnullis 15. Kal. Aprilis pro 8. Kal. ſcimus autem certo, ait, Jeſum Chriſtum obiiſſe 13. Kal. Aprilis (1); licet non deſint, qui craſſo plane errore revocent ad 10. Kal. Aprilis (2).

Nihil aliud diſcriminis obſervat S. Epiphanius in Actis illis niſi in adſcriptione diei Paſchalis: quod argumento eſt apertiſſimo in reliquis omnibus & Epiphanii, & Quartadecimanorum Exemplaria congruiſſe, & pro aſſertis haberi.

Author homiliæ ſeptimæ de Paſchate inter Opera S. Chryſoſtomi tom. 5. edit. Savil. ſcriptæ ann. 672. habet pariter: *Neque ignoratur tempus, quo Servator noſter paſſus eſt: nam Commentarii ſub Pilato compoſiti tempus Paſchatis deſiniunt. Conſtat itaque ex his, quod 8. Kal. Aprilis* (ideſt 25. Martii) *paſſus fuit Servator.* Eadem temporis adſcriptio legitur in calce Evangelii Nicodemi, quod aliqui ipſiſſima Pilati Acta cenſuerunt, de quo Evangelio infra.

Epiſtola Pilati ad Tiberium in Martyrologio Florentinii data eſt 4. Nonas Aprilis, ideſt 2. ejuſdem menſis. Quæ in Hegeſippo legitur, vulgata a Sixto Senenſi, nullam habet temporis adſcriptionem; ſicut nec altera in Apocryphis N. T. D. Fabricii. Cum autem exactiſſimæ aſtronomicæ ſupputationes Chriſti obitum conſiguent ad diem 3. Aprilis ann. 33. Æræ Vulg. ſequitur inde, neque Acta Pilati apud S. Epiphanium, neque cetera alia nobis cognita genuina reputari.

Paulus Oroſius Diſcipulus S. Auguſtini l. 7. c. 4. hæc habet: *Poſtquam paſſus eſt Dominus Jeſus Chriſtus, atque a mortuis reſurrexit, & Diſcipulos ſuos ad prædicandum dimiſit, Pilatus Præſes Palæſtinæ provinciæ ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de paſſione & reſurrectione Chriſti, conſequentibusque virtutibus, quæ vel per ipſum palam factæ fuerant, vel per Diſcipulos ipſius in nomine ejus fiebant, & de eo quod certatim creſcente plurimorum fide, Deus*

crederetur. Tiberius cum ſuffragio magni favoris retulit ad Senatum, ut Chriſtus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non ſibi prius ſecundum morem delatum eſſet, ut de ſuſcipiendo cultu prius ipſe decerneret, conſecrationem Chriſti recuſavit: edictoque conſtituit, exterminandos eſſe ab Urbe Chriſtianos: præcipue cum & Sejanus Præfectus Tiberii ſuſcipiendæ Religioni obſtinatiſſime contradiceret.

Integrum hoc fragmentum exſcribere viſum eſt, ut ejus opinionis contractæ inter fluendum fæces demonſtrarentur, prout a ſuo fonte magis magiſque longius deducitur. Nonnulla enim relatæ a Tertulliano hiſtoriæ, unde ſuam derivavit Oroſius, addere illi ſuccurrit, ut illud de Sejano, & alia. Quæ vero de Senatus edicto, quo exilium ab Urbe Roma Chriſtianis decernebatur, hæc ex verſione Latina Chronici Euſebiani per S. Hieronymum deducta ſatis conſtat.

S. Gregorius Turonenſis hiſt. Francor. l. 1. c. 20. pag. 18. Edit. Ruinart: *Apprehenſus autem & Joſeph, qui* (Dominum) *aromatibus conditum in ſuo monumento recondidit, in cellulam includitur, & ab ipſis Sacerdotum Principibus cuſtoditur, majorem in eum habentes ſævitiam, ut geſta Pilati ad Tiberium Imperatorem miſſa referunt, quam in ipſum Dominum, ut, cum ille a militibus, hic ab ipſis Sacerdotibus cuſtodiretur: ſed reſurgente Domino, cuſtodibus viſione Angelica territis, cum non inveniretur in tumulo, nocte parietes de cellula, in qua Joſeph tenebatur, ſuſpenduntur in ſublimi; ipſe vero de cuſtodia abſolvente Angelo liberatur, parietibus reſtitutis in locum ſuum. Cumque Pontifices cuſtodibus exprobrarent, & ſanctum corpus ab iiſdem inſtanter requirerent, dicunt eis milites: Reddite vos Joſeph, & nos reddimus Chriſtum.*

Omnia hæc ſimul leguntur hodie in Pſeudo-Evangelio Nicodemi, ex quo (niſi ex apocrypho alio malueris) deſumpſit facile S. Gregorius, quæ jam ex illo recitavimus. Scriptum profecto illud nihil minus refert quam miſſæ ad Tiberium Epiſtolæ ſimilitudinem; eſt enim prolixum ſane Opus impolito ac pedeſtri tum & barbaro latino ſermone ſcriptum, in quo puerilia multa & levia, ac, quod caput eſt, non niſi ſerius notum. Sunt qui procuſum ab ipſo eodem S. Gregorio ſuſpicentur, illis ejus verbis ducti (3): *Pilatus autem geſta ad Tiberium Cæſarem mittit, & ei tam de virtutibus Chriſti, quam de Paſſione, & Reſurrectione ejus inſinuat. Quæ geſta apud nos hodie retinentur ſcripta.* Sed numquid his verbis Author Operis Gregorius probatur? Altum eſt de illo apud Veteres ſilentium, prodiitque primum impreſſum in Orthodoxographis Baſileæ ann. 1555. D. Fabricius, qui ſolerter omnium de hoc Scripto agentium teſtimonia collegit (4), neminem profert vetuſtiorem Authore Synaxarii Græcorum, qui relatione tantum aliorum audita refert; inter Latinos omnium primum affert Grynæum in Præfatione ad Orthodoxographos.

Pſeudo-Hegeſippus, Scriptor quarti vel quinti ſæculi (5), omnium primus Pilati ad Tiberium Epiſtolam quamdam recitavit. Habet igitur Scriptor ille:
„ Quamvis Pilatus manus laverit, nequaquam tamen minus extitit reus, qui gloriam Dominicæ agnoſcens Reſurrectionis, prædicare invitus ſtuduit, ſed credere perfidus contempſit; ſicut teſtatur ejuſdem Epiſtola, Cæſari in hunc modum directa: Pontius Pilatus Claudio ſalutem. Nuper accidit, & quod ipſe probavi, Judæos per invidiam ſe ſuoſque poſteros crudeli condemnatione puniiſſe. Denique cum promiſſum haberent Patres eorum, quod illis Deus eorum mitteret de Cœlo ſanctum ſuum, qui eorum Rex merito diceretur, & hunc ſe promiſſum per Virginem miſſurum ad terras: Iſtum itaque me Præſide in Judæam Deus Hebræorum cum miſiſſet, & vidiſſent eum cæcos illuminaſſe, leproſos mundaſſe, paralyticos curaſſe, Dæmones ab hominibus fugaſſe, mortuos

(1) *Ideſt 20. Martii.* (2) *Ideſt 23. Martii.* (3) *Hiſt. Franc. l. 1. c. 23. Vide, ſi lubet, D. Ruinart Præfat. in Gregor. Turon. num. 76.*

(4) *Apocryph. N. T. pag. 213. &c.* (5) *De Excid. Urbis Joroſol. Anacephalæoſi ro. 5. Biblioth. PP. pag. 1211.*

„ etiam ſuſcitaſſe, imperaſſe ventis, ambulaſſe ſiccis
„ pedibus ſuper undas maris, & multa alia feciſſe;
„ cum omnis populus Judæorum eum Filium Dei eſ-
„ ſe diceret, invidiam contra eum paſſi ſunt Princi-
„ pes Judæorum, & tenuerunt eum, mihique tra-
„ diderunt, & alia pro aliis mihi de eo mentientes
„ dixerunt, aſſerentes iſtum Magiſtrum eſſe & con-
„ tra Legem eorum agere. Ego autem credidi ita
„ eſſe, & flagellatum tradidi arbitrio eorum. Ille
„ autem, crucifixerunt eum, & ſepulto cuſtodes ad-
„ hibuerunt. Ille autem, militibus meis cuſtodien-
„ tibus, tertio die reſurrexit: in tantum autem exar-
„ ſit nequitia Judæorum, ut darent pecuniam cuſto-
„ dibus, & dicerent: Dicite quia Diſcipuli ejus cor-
„ pus ipſius rapuerunt. Sed cum accepiſſent pecu-
„ niam, quod factum fuerat tacere non potuerunt.
„ Nam & illum reſurrexiſſe teſtati ſunt, ſe vidiſſe,
„ & ſe a Judæis pecuniam accepiſſe. Hactenus Epi-
ſtola apud Hegeſippum. Sixtus Senenſis, qui eam-
dem in nonnullis levioris momenti variatam recitat,
addit, hanc periodum tamquam ex eadem Epiſtola,
cum Hegeſippus tamquam ſuis verbis illam ferat,
nec *vale* in fine ejuſdem Epiſtolæ apponat: *Hæc ideo
ingeſſi, ne quis aliter mentiatur, & æſtimet creden-
dum mendaciis Judæorum.*

En alteram melioris notæ, & magis ad guſtum an-
tiquitatis a Florentino vulgatam (1). „ Pilatus Ti-
„ berio Cæſari ſalutem: De Jeſu Chriſto, quem ti-
„ bi plane poſtremis meis declaraveram, nunc tan-
„ dem populi acerbum, me quaſi invito & ſubtican-
„ te, ſupplicium ſumptum eſt. Virum hercle ita
„ pium ac ſincerum nulla unquam ætas habuit, nec
„ habitura eſt. Sed mirus extitit ipſius populi co-
„ natus omniumque Scribarum & Seniorum conſen-
„ ſus, ſuis Prophetis, & more noſtro Sibyllis præ-
„ monentibus, hunc veritatis legatum crucifigere;
„ ſignis enim ſuper naturam apparentibus, dum
„ penderet, & orbi univerſo Philoſophorum judi-
„ cio lapſum minantibus. Vigent illius Diſcipuli
„ opere & vitæ continentia Magiſtrum non mentien-
„ tes, imo in ejus nomine beneficentiſſimi. Niſi
„ ego ſeditionem populi prope æſtuantem pertimuiſ-
„ ſem, forſaſſe adhuc nobilis ille vir viveret. Etſi
„ ſuæ magis dignitatis fide compulſus, quam vo-
„ luntate mea adductus, pro viribus non reſtite-
„ rim, ſanguinem juſtum totius accuſationis immu-
„ nem; verum hominum malignitate inique in eo-
„ rum ſamen, ut Scripturæ interpretantur, exi-
„ tium pati, & venumdari. Vale. Quarto Nonas
„ Aprilis.

Hæc Epiſtola ſuppoſititia multis argumentis de-
monſtratur. 1. Datas antea a Pilato ad Tiberium alias
de Chriſto litteras conſtituit; quod quidem nuſpiam
legimus apud Veteres; non ſiluiſſent autem, ſi in
Actis, quæ laudant, aliquid ejuſmodi legiſſent. 2.
Ita de Jeſu (Jeſum Chriſtum appellat) agit, ut ni-
hil præclarius a Chriſtiano quopiam Scriptore deſide-
raretur. 3. Scribas & Seniores in Chriſti necem ani-
maros habuit; ſilet autem Sacerdotes, quos tamen
ſcimus mortis illius authores præcipuos. 4. Prædictum
Sibyllino oraculo Chriſti ſupplicium comminiſcitur;
neque enim Sibyllarum carmina ea de re in medium
allata ſunt, niſi diu poſt Pilatum, & poſt obtruſa
ſcripta quædam Sibyllina, omnium confeſſione ſpu-
ria. 5. Frigida prorſus cauſatione factum ſuum de
ſupplicio in Jeſum decreto excuſat Pilatus, damnaſ-
ſe ſcilicet ſe virum popularis ſeditionis metu; tum
etiam quod Judæorum Scripturæ ferrent, unum ho-
minem pro totius gentis ſalute interiturum. Regiæ
quidem dignitatis affectatæ, tum & ſeditionis in po-
pulo, atque in Cæſarem reum illum agebant Judæi;
quæ ſi veritati cohæſiſſent, morte utique damnan-
dus fuiſſet: ſed cum calumnioſa eſſent omnia, quid
ex illo fuiſſet timendum? Ad hæc Judæi ad mor-
tem illum poſcebant ſecundum Legis ſanctionem:
Secundum Legem debet mori; ſtatimque rationem ſub-
dunt: *Quia Filium Dei ſe facit* (2). Quæ tamen
accuſatio non multum valuiſſe apud Judicem vi-
detur.

Hiſtoriam Jeſu Chriſti miſſam, uti quidem ſcri-
bitur, a Pilato ad Tiberium, & in Jeroſolymitano
tabulario ſub Theodoro inventam recitant Bollandi-
ſtæ ad 4. Februarii; ſed omnium confeſſione apo-
cryphum eſt commentum. Laudat etiam D. Cotele-
rius Græcam quamdam Relationem Pilati ad Tibe-
rium de rebus ante & poſt obitum J. Chr. (3) ſed
viri illius docti judicio futilem adeo ut legere pi-
geret.

D. Fabricius alteram e Colbertino Codice nu. 2493.
vulgavit in Addend. Apocryph. nu. 5. cujus hæc ſum-
ma: *Relatio Pilati Præfecti de Jeſu Chriſto Domino noſtro,
miſſa ad Tiberium Imperatorem verſantem Romæ. Poten-
tiſſimo, Auguſtiſſimo & invicto Imperatori Tiberio, Pila-
tus Præfectus Orientis. Cogor hiſce litteris tibi, potentiſſi-
me Imperator, ſignificare, metu licet plenus ac terrore,
quod nuperi temporis impetus tulerit, & jam collige inde
quid deinceps poſtea futurum ſit.* Poſtea ad rem acce-
dens narrat, Herodem, Archelaum, Philippum,
Annam, & Caipham cum Judæis ceteris in manus ſuas
tradidiſſe Jeſum, quem plurimorum criminum reum
agebant; ſed de nullo prorſus convictum, quin potius
complurium miraculorum, quæ ipſe enumerat, in-
ſignem patratorem. Meminit inter cetera Lazari e
mortuis ſuſcitati, Hemorrhoiſſæ tactu fimbriæ Jeſu
Chriſti ad valetudinem reſtitutæ. Profitetur deinde,
coactum ſe hominem cruce perimendum Judæis permi-
ſiſſe, quamvis nullius criminis reum cognoſceret. In
ejus obitu mira plurima; dehiſcente terra e mortuis
ſurrexiſſe Abrahamum, Iſaac, Jacob, duodecim Pa-
triarchas, Moyſem, & Joannem, qui ſpectandos ſe
multis præbuiſſent. Prima hebdomadæ die (Domini-
ca) in ipſo noctis ſilentio aerem ingenti fragore inſo-
nuiſſe. Cœlum ſeptuplo clariori lumine nituiſſe, &
tertia noctis hora micuiſſe Solem; viſos pariter magno
numero Angelos clamantes: *Jeſus Crucifixus reſurre-
xit.* Lumen illud noctem univerſam illuſtraſſe; patuiſ-
ſe terram ad imos uſque abyſſos, mortuos rediiſſe ad
vitam, & Angelos viſo occurriſſe. Judæorum pluri-
mos terræ hiatum illum abſorbuiſſe; Synagogas Jero-
ſolymæ everſas, actos in fugam milites ad cuſtodiam
ſepulchri Jeſu Chriſti conſtitutos, quibus objectos ſu-
bito Angelos terrorem incuſſiſſe. *Hæc ſunt*, addit,
*quæ præſenti tempore geſta comperi, & ad Poteſtatem
tuam referens quæcumque cum Jeſu Judæi egerunt,
Numini tuo, Domine miſi.* Addit demum Author,
hanc Epiſtolam miſſam ad Urbem tantam in Pilatum
creaſſe invidiam, ut Tiberius actutum, miſſis ap-
paritoribus, adduci Virum catenis vinctum juſ-
ſerit.

Fruſtra hic characteres omnes ſuppoſitionis hujus
epiſtolæ excuteremus; patens enim per ſe. Exagge-
rat præpoſtere quidem Author miracula Jeſu Chriſti,
et cumulatis pluribus in Evangelio incognitis adje-
ctis. Notis & aſſertis nova plurima addit. Tandem
ſtilum inepte inflat, conatus majeſtatem addere rebus
quæ majeſtate ſua plurimum Auctoris phraſes ſupe-
rant. Ad Imperatorem inuſitato per eam ætatem mo-
re loquitur, compellans illum elogio *majeſtatis, di-
vinitatis, Altiſſimi, potentiſſimi, auguſtiſſimi, & in-
vincibilis*: ſe tandem præpoſtero titulo *Præfecti Orien-
tis* jactitat.

Reliquum eſt tandem, ut de Actis Pilati Pagano-
rum fraude procuſis agamus. Maximinus Imperator,
teſte Euſebio (4), vulgari curavit quarto Eccleſiæ ſæ-
culo Acta quædam Jeſu Chriſti, ſub Pilati no-
mine ſcripta. Impia in illis & blaſphema adverſus
Jeſum Chriſtum plurima; e quibus in Chriſtianos
odium hauriens in Schola puer, ſeque ipſos in
dato a Magiſtro penſo exercerens. Hæc per uni-
verſas late Imperii Provincias legi in Scholis &
vulgari, qua in Urbibus qua in agris juſſit Impera-
tor (5); ut nihil tunc frequentius occurreret, quam
cantantes recitanteſque Chriſtianorum & Jeſu Chri-
ſti opprobria. Sed in Opere indigniſſimo procudendo
tam

(1) *Florentin. Martyrol. Vel. p. 113.* (2) *Jo 19. 7.* (3) *Co-
teler. ex Cod. Regio 2438.*

(4) *Hiſtor. Eccleſ. lib. 9. cap. 5. pag. 350.* (5) *Ibid. lib. 9.
cap. 7. p. 352.*

tam parum ſtudii tegendo mendacio adhibitum eſt, ut data conſignaretur Epiſtola ſub quarto Conſulatu ejuſdem Principis (1), nempe anno Imperii ſeptimo; quod apertiſſimum prodebat mendacium: teſte enim Joſepho Antiquit. lib. 18. c. 3. miſſus in Palæſtinam eam poteſtate Pilatus nonniſi anno 12. Tiberii venit.

Ut totam hanc Diſſertationem concludamus, ſtatuendum arbitramur, fieri utique potuiſſe, ut Pilatus pro more ceterorum Provinciæ Præſidum de rebus omnibus ad obitum & reſurrectionem Jeſu Chriſti ſpectantibus Imperatorem faceret certiorem; quod vetuſtiſſimis & graviſſimis Authoribus, S. Juſtino Martyre, Tertulliano, Euſebio Cæſarienſi aſſerentibus, non inviti credimus.

2. Certum etiam ſtatuimus, ex omnibus a nobis ſupra laudatis de re Scriptoribus neminem, niſi S. Juſtinum, Tertullianum, & facile Euſebium comperta ſcripſiſſe: ceteri omnes nonniſi priores illos vel exſcripſerunt, vel redegerunt in compendium. Facile, inquam, & Euſebius Cæſarienſis: ille enim nonniſi ex Tertulliani teſtimonio rem narrat; & animadverſione quidem dignum eſt, Euſebium Acta illa Pilati nequaquam referre, quamquam ſummi ad hiſtoriam illam momenti; nec aliquis ejuſmodi ſcripta incurioſus prætereat. Ex quo ſuſpicandi anſa datur, ſive nulla tunc Acta extitiſſe, ſive eorum, quæ per eam ætatem ferebantur, Euſebii judicio genuina nulla fuiſſe.

3. Conſtat pariter, ex Actis Pilati, noſtra ætate ſervatis, ne unum quidem ſupereſſe non apocryphum. Quæ refert Hegeſippus, Pſeudo-Marcellus, Martinus Polonus (2) Yvo Carnotenſis (3), Siatus Senenſis, aliique Recentiores plures, in re ſingula, & in ſuppoſitionis nota conveniunt. Quartadecimanorum apud S. Epiphanium ſuſpecta ſunt plurimum, ſin minus in alio, certe in temporum adſcriptione: qua in re Exemplaria ſibi non conſtabant. Cum autem S. Epiphanius alia non recitaverit, certius & magis aſſertum de illis ferre judicium non licet. Acta Florentinii ſupra rejecimus. Nihil moramur Pſeudo-Evangelium Nicodemi, Relationes Bollandiſtarum, D. Cotelerii, & D. Fabricii.

4. Si quæ Acta aliquo in pretio haberentur, hoc facile privilegium aſſerendum eſſet Actis, quorum fragmentum ſervat Tertullianus. Sed plura in illis occurrunt, quæ ſuſpicionem ſive de ſinceritate ſua movent, vel ſaltem an originalia fuerint relinquunt incertum. Ubique ſtili Tertulliani character, in phraſibus illis duris, aſperis & Africanis ingeritur. *Cum ille verbo Dæmonia de hominibus excuteret, cæcos reluminaret ..... Paralyticos reſtringeret ..... elementa ipſa famulantes compeſcens procellas, & freta ingrediens .... Parum hoc, ſi non & Prophetæ retro etiam. Tamen ſaſſixus, multa mortis illius propria oſtendit inſignia ... Nihilominus tamen primores, quorum intererat & ſcelus divulgare, & populum vectigalem & popularem ſibi ad fidem revocare &c.* Viri in lectione hujus Scriptoris vel parum exercitati, ſtatim Tertullianiſmum intelligent. Præterea additamenta illa, a Tertulliano in ſua relatione appoſita, quæ ſane Pilato non conveniunt, ut illud: *Oſtendens ſeſe Verbum Dei, id eſt legem, illud primordiale primogenitum virtute & ratione comitatum, & ſpiritu inſtructum, eumdem, qui verbo omnia & faceret, & feciſſet.*

Acta illa Tertulliani revocant geſta omnia, & potiſſima Jeſu Chriſti prodigia; quod vix commiſſum a Pilato credimus, ut ejus viri laudes proſequeretur, quem infami ſupplicio damnaverat. Licet autem fuſius omnia deſcribant, nuſpiam tamen occurrit quod in Actis Pilati S. Juſtinus legerat, nimirum in veſtes J. C. ſortes miſſas fuiſſe. Ad hæc, Acta illa Tertulliani nonniſi poſt Aſcenſionem vel etiam poſt Pentecoſten miſſa leguntur; vix autem perſuademur, vel tandiu diſtuliſſe Pilatum, ut Imperatorem de omnibus faceret certiorem, vel hominem Paganum tam exacte ſcire omnia potuiſſe.

5. Non inviti credimus, Epiſtolam a Pilato ad Principem miſſam, mature ſatis vitiatam fuiſſe, & primos illos viros, cum quibus genuina Epiſtola ab Imperatoris domeſticis communicata, fuit, nonnulla adjeciſſe in gratiam Chriſtianæ Religionis; quibus interpolationibus deinde animadverſis, invidia in ſcriptum illud crearetur, factumque ſucceſſu temporis, ut neglectum penitus interirat: quare Euſebius nullam Epiſtolam ſatis aſſertam, & genuinam poſteritatis memoria ſat dignam noviſſe videtur. Poſt eam ætatem contigiſſe facile potuit, ut vir aliquis ſimile ſcripti genus procudendum ſuſciperet, opponendum forte ſuppoſititiis illis Actis Pilati, Maximini juſſu vulgatis.

Si quis velit Authores in hoc argumentum ſcribentes conſulere, adeat Baronium, D. Tillemontium (4), ceteroſque Eccleſiaſticos Hiſtoricos, D. Baſnagium in ſuis Exercitationibus in Baronium, Antonium Vandale in ſingulari Diſſertatione de hoc argumento in calce Tractatus de Oraculis, Editionis ſecundæ, quod mihi Scriptum, magno futurum adjumento, videre non contigit; D. Tanaquillum Fabrum *l.* 2. *Ep.* 12. Caſaubonum *Exercit. in Baron.* 16. *num.* 154. Ouvenum *lib.* 3. *Theolog. c.* 4. Iſaacium Voſſium de *Oraculis Sibyllinis c.* 21. Le Moine *Varia Sacra* p. 146. D. Fabricium *Not. in Acta Pilati* p. 214. &c. & 972. *Cod. Apocryph. N. T.*

EPISTOLÆ SECUNDÆ

S. PAULI AD THESSALONICENSES

PROLEGOMENON.

ALtera ad Theſſalonicenſes Epiſtola data eſt Corinthi paulo poſt priorem, anno 52. vel 53. J. C. Argumenti in utraque connexio, & res quæ in priori illa propoſitæ in ſecunda hac exponuntur, ac tandem nomina Silvani & Timothei in fronte utriuſque legenda, argumento ſunt apertiſſimo, alteram ab altera nec loco diſtitiſſe nec tempore. Cum enim Apoſtolus 18. menſium ſpatio moram Corinthi prorogaſſet, commode utique de rebus Eccleſiæ Theſſalonicenſis certior fieri, tum & de rebus de quibus conſulebatur a Fidelibus illis, reſpondere valuiſſet. Cum autem datis primo litteris ſignificaſſet, maximo ſe deſiderio inviſendi illos teneri (5), nec pro voto res ſucceſſiſſet, vicarias pro ſe litteras miſit.

Græcæ inſcriptiones ad calcem hujus Epiſtolæ datam ferunt Athenis, quemadmodum & priorem; ſed eum falſo illas enunciare de priori in ejus Prolegomeno demonſtravimus, (receſſerat enim Athenis Paulus, cum Timotheus rediit e Macedonia) idem pariter judicium de poſteriori iſta ferendum eſt, ſcripta utique poſt priorem, cum Apoſtolum Athenas rediſ-

(1) *Idem l. 1. c. 9. p.* 17. (2) *Chronic. l.* 4. *p.* 118. (3) *In excerpt. Chronol.* (4) *Not. in S. Petrum* 19. *p.* 516. (5) 1. *Theſſal.* 2. 17. 18. & 3. 10. *Vide Chryſoſt. in Theſſal.* 1. *hom.* 1. *pag.* 361.

rediiſſe nequaquam cenſeamus. Pſeudo-Athanaſius in Synopſi, Oecumenius, & Græca quædam Mss. (1) Romæ ſcriptam docent: cujus tamen opinionis nulla ſuppetit in Epiſtola conjectura. Neque enim meminit Apoſtolus vinculorum ſuorum; ſicut & ea conſtituta ſententia, altera ab altera Epiſtola nimis prolixo temporis tractu diſtraheretur, cum priorem illam Corinthi ſcriptam certo demonſtraverimus. Laodiceæ Piſidiæ datam, & per Tychicum miſſam habet, ſed temere omnino, Syriacus. Inſcriptiones in Exemplaribus Latinis delatam ſtatuunt per Titum Diaconum, & Oneſimum. Certo tamen conſtat, Oneſimum. Philemonis mancipium diu poſt illud tempus ad Chriſtianos tranſiiſſe.

Novum de hac Epiſtola ſyſtema excogitavit Grotius (2), ſcriptam conſtituens diu ante priorem, quam appellamus, Epiſtolam ad Theſſalonicenſes. Ut autem ſecundo poſt illam loco recenſeretur in cauſa fuiſſe putat, quod vulgaretur, primo ſub Galba poſt extinctam Claudii familiam, ad quam Cajus pertinebat, in eadem Epiſtolâ ſub invidioſo illo nomine *hominis peccati* deſignatus (3). Hujus familiæ metus Chriſtianos homines continuit, ne Epiſtolam ſcriptam adverſus illam vulgarent. Cum vero prodeunte viſum eſt, adornatæ jam Collectioni Epiſtolarum Apoſtoli, quæ ad Eccleſias ſcriptæ erant, poſtrema omnium acceſſit. Hujus Collectionis velut alterum volumen conficiebant Epiſtolæ ad privatos datæ.

Scriptam autem illam cenſet ad Jaſonem Judæum, Silæ & Timothei acceſſarium, eum & ad alios Chriſtianos Judaizantes, qui e Syria & Palæſtina, occaſione perſecutionis in obitu S. Stephani [4], motæ, Theſſalonicam ſeſe receperant. Contendit pariter, alias longe plures Epiſtolas, quam quæ hodie ſuperſint, dediſſe Apoſtolum, e quibus unam innuit illis 2. Theſſal. 2. 14. *Tenete traditiones quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.* Hanc autem Epiſtolam ſecundam ad Theſſalonicenſes ceteras omnes, Apoſtoli ad eos miſſas præceſſiſſe ex eo tenet (5), quod in ejus calce moneat Apoſtolus, ut ſignum ſeu adſcriptionem ſuam ſedulo obſervent, eumque ſe tenere morem in omnibus Epiſtolis ſuis (6); fruſtra autem moneret viros, ad quos jam antea ſcripſiſſet. Addit Grotius, perſuaſum habuiſſe Apoſtolum, extremam Judicii diem in limine eſſe, & ſe etiam ſuperſtite superventuram; reſpexiſſe autem C. Caligulam veluti Antichriſti præcurſorem, & Simonem Magum veluti Antichriſtum, qui nomen ſuum & cultum *ſupra omne quod dicitur Deus*, efferret. Epocham hujus Epiſtolæ determinat ad annum ſecundum Caji.

Prolixa nimis oratione opus eſſet ad evertendum Grotii ſyſtema univerſum; quam etiam provinciam non infelici ſucceſſu occuparunt Scriptores quidam Proteſtantes (7), & hodie, quantum ſcio, nemo in hanc Grotii ſententiam ſecundum omnes ſui partes concedit. Conſtat autem e Textu hujus ſecundæ Epiſtolæ, appendicem eſſe prioris paulo ante ſcriptæ. Demonſtratum eſt autem, priorem illam datam fuiſſe Corinthi, & ſub Claudio; tantumdem ergo de altera ſtatuendum eſt. Vetus Chriſtiana traditio univerſa agnovit in hoc Apoſtoli Textu Antichriſtum poſtremam judicii diem præcurſurum; Grotius vero Caligulam agnoſcit & Simonem Magum, motæ in Eccleſia perſecutionis Auctores, alterum vi, alterum præſtigiis, utroſque vero Jeroſolymitanæ everſionis, quam nomine *diei Domini* (8) deſignatam credit, præcurſores.

Demonſtravimus in Commentario, Neronem, & Simonem Magum typum eſſe, illum *hominis peccati*, qui *myſterium jam operatur iniquitatis* (9), alterum vero illius, qui *adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus* (10). Judæorum vero in Romanos defectionem exprimere gentes adverſus Romanum Imperium rebellaturas, ſicut & Chriſtianos Jeſu Chriſti & Eccleſiæ excuſſuros jugum (11); ac tandem Romanorum in Judæos bellum, Urbis ac Templi everſionem ſymbolum eſſe divinæ adverſus impios in orbis exitio animadverſionis (12). Porro typi illi & figuræ tam longe abſunt, ut veritatem tremendi illius Judicii, quod expectamus, extenuent, ut confirment potius ac magis magiſque aſſeverent. Nihil eſt in Religione Chriſtiana magni alicujus momenti, cui inſigni aliquo Veteris Teſtamenti facto Deus non præluſerit. Ita duo ſunt Oraculorum genera, extremi Judicii veritatem aſſerentia, vaticinia nempe verbalis, & prophetica quædam facta. Verbis probata vaticinia legas in Scriptis Prophetarum, in Evangelio, & in Apoſtolo; prophetica facta ſuppeditat hiſtoria Joſephi, & de Judæorum bello Commentarii.

Porro ſyſtema iſtud ſibi prorſus cohæret. Data eſt ſecunda hæc Epiſtola Corinthi, nonnullis a priori ad Theſſalonicenſes menſibus poſterior, anno 52. vel 53. J. C. & Claudii 13. Jeroſolymitanæ everſionis tempus magis quam pro expectatione Theſſalonicenſium diſtabat; neque enim niſi poſt 17. vel 18. abinde annis impletum eſt. Iniquitatis myſterium operabantur ſub Claudio Nero & Simon Magus, qui deinde impietatem ſuam exeruerunt. Nero in exordio Regni ſui bonus inter optimos Principes, ſub obtentu virtutis ſcelera per aliquot annos occultavit. Prodiit tandem, & myſterium iniquitatis Orbi patuit univerſo. Patuit & in Simone Mago (13), *homine illo peccati, filio perditionis, qui extollitur ſuper omne quod dicitur Deus; itaut in Templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus. Sed hunc tandem Dominus interficiet*, ait Apoſtolus, *ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui* (14). *Poſt hæc Dominus in furore ſuo veniet, ut judicet eos qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati* (15). Hæc in figura quidem ſpectanda erant in ipſa Jeroſolymæ everſione; in re vero imminente, ipſa tandem die poſtremi Judicii.

Hæc potiſſimum præ oculis habebat Apoſtolus in 2. ad Theſſalonicenſes. Animos confirmat deſpondentes quoſdam, quibus terrorem ingeſſerant falſi quidam prioris Epiſtolæ interpretes, aſſerentes in limine eſſe diem Domini, vel forte affingentes illi Epiſtolam, in qua hæc omnia impudentiſſime obtruderentur. Cum viva voce hæc de re illos antea inſtruxiſſet (16), fuſius de illis agere in priori Epiſtola abſtinuerat (17); ſed ſuo illo ſilentio incommoda plura in gentem proveniſſe intelligens, fuſius & apertius rem totam proſequitur in præſenti.

Hortatur, ut quas ab ipſo ſe audierant, doctrinas, & traditiones tenerent [18], ac ſtrenue perſecutiones, quibus pro veritate exponebantur, ſuſtinerent (19). Acrius, quam in priori Epiſtola, illos corripit, qui otio ſe totos permitterent, aliena in ſe ſuſciperent curas, curioſi, inquieti, ex alienis laboribus potius quam ſuo victum quærentes (20). Notare homines ejuſmodi jubet, ex illorum conſortio ſe ſubducere, ut ipſi ſibi ſint horrori, ac de melioribus perſuadeantur. Sigillo ſuo Epiſtolam obſignat (21), monens ut diligenter ſigilli ejuſdem figuram obſervent, ut impoſtorum ſub Apoſtoli nomine Epiſtolas obtrudentium fraudes intelligerent.

DIS-

(1). *Vide var. lect. Mill. ad calcem hujus Epiſt.* (2). *Prolog. in 2. ad Theſſalon.* (3). Sub eo nomine Antichriſtum intelligunt Commentatores. (4). *Act.* 8. 4. *Confer.* 2. *Theſſal.* 2. 12. (5). *Grot. Prolog. in* 2. *Theſſalon.* (6). 2. *Theſſal.* 3. (7). *Vide Bochar. Epiſt. ad D. Sarrav. inter Opera, t. 3. pag. 1044. Edit. Leid. Vide & Henric. Moram l. 2. c. 2. Simplicium pag. 7. Uſſer.* (8). 2. *Theſſal.* 2. 2. (9). 2. *Theſſal.* 2. 7. (10). *Ibid.* 2. 4. (11). 2. *Theſſal.* 2. 3. (12) *Ibid. ver.* 2. (13). 2. *Theſſal.* 2. 3. 4. (14). *Ibid.* 2. 8. (15) 2. *Theſſal.* 2. 12. (16). 2. *Theſſal.* 2. 5. (17) 1. *Theſſal.* 5. 1. 2. (18) 2. *Theſſal.* 2. 14. (19). 2. *Theſſal.* 1. 5. 12. (20). 2. *Theſſal.* 3. 6. 15. (21). 2. *Theſſal.* 3. 17. 18.

DISSERTATIO

AN S. PAULUS EPHESI cum beſtiis pugnaverit?

VIri quidam Eccleſiæ Corinthi recens ad fidem converſi, Philoſophiæ Paganicæ dogmatum plus nimio tenaces, ut mortuorum reſurrectionem crederent, vix poterant in animum inducere. Plures inde de fidei illo dogmate formabant quæſtiones, argumentorumque plexibus ſimplices quoſcumque Fideles illos implicabant. Certior de his omnibus factus Apoſtolus, refutandis revincendisque viris illis audacibus, tranquillum Eccleſiæ ſtatum turbantibus nihil omiſit; non authoritatem, non argumenta e quinque potiſſimum ducta principiis: 1. Jeſus Chriſtus e mortuis, ait idem Apoſtolus, reſurrexit, quod fide certum tenemus; eſt autem ejus reſurrectio noſtræ pariter reſurrectionis pignus, exemplar & argumentum. 2. Si Chriſtus e mortuis nequaquam revixit, nos ergo mendaces teſtes habendi ſumus, vana eſt fides veſtra & in crimine adhuc ſordeſcitis. 3. Si nulla nos manet reſurrectio, quicumque vita hac deceſſerunt, nullam habent ſpem reliquam; infelicem plane noſtram ſortem deploremus oportet; ſi nulla quam hujus vitæ ſpe nos conſolamur. 4. Quid fiet de illis, qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui non reſurgunt? 5. Ut quid tandem nos damus in diſcrimina: *Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt?*

Poſtrema hæc Apoſtoli verba argumentum præbent Diſſertationi, neque enim certaminis hujus veritas ſat conſtat, ſilente maxime S. Luca, nihil eorum cæteroqui omittente, quæ S. Paulus Epheſi pro fide Chriſtana ſuſtinuit; ſilentibus pariter a priſcis Patribus quatuor primorum ſæculorum omnibus, qui Apoſtoli illius geſta omnia traditione accepta ſedulo collegerunt. Negans hoc argumentum adeoque & per ſe imbecille, confirmat maxime prona ex ipſa geſtorum S. Pauli lectione concepta idea: neque enim nos ſe credi potuiſſet, ut quæcumque a Demetrio Argentario Epheſino ac ſociis iniqua in ea Urbe ſuſtinuit Apoſtolus, hæc ille phraſi certaminis cum beſtiis deſignaret.

Viri enim impotentes, brutales, & impii, quales Argentarii illi, merito ſibi quidem vindicant, beſtiarum nomen, ea plane phraſi, qua & Apoſtolus idem ſub emblemate *Leonis* Neronem cenſuit deſignandum (1); ſicut & de Cretenſibus effatus eſt: *Malæ beſtiæ, ventres pigri* (2). S. Ignatius Martyr ad beſtias damnatus, commiſſum ſe dicit manibus decem leopardorum, ut Antiochia Romam deduceretur, a quibus anticipati quoddam ſupplicii genus ſubire ſe dicit, prolixumque certamen continuare, ab Urbe nempe Antiochiæ aduſque Romam. Porro certamina illa, beſtiæ, leopardi, nihil deſignabant aliud, quam milites Martyris in itinere cuſtodes & deductores. Ita pariter S. Joannes, & ipſe quoque Jeſus Chriſtus Judæos appellat *genimina viperarum* (3); ac Prophetæ injuſtos, violentoſque Reges ſuggillant nomine leonum, leopardorum, aquilarum, vulturum; ſicut & impiorum linguæ Pſalmiſtæ phraſi *fovent venenum aſpidum ſub labiis* (4).

Ne tamen ſententiam iſtam ſequamur, cogunt temporum circumſtantiæ ac præſcriptæ Chronologiæ leges, quibus inſtruimur, motam Epheſiorum Argentariorum in Apoſtolum perſecutionem vertente anno poſt ſcriptam ad Corinthios priorem Epiſtolam contigiſſe, nempe anno 56. Quare Apoſtoli cum beſtiis certamen anno 55. initum eſt, quo ſcilicet anno nullam in Apoſtolum commotam perſecutionem ſub ea verborum emblemate deſignandam novimus. Eſt igitur ad litteram Apoſtoli textus ille explicandus; ſi enim alicujus momenti adverſus hanc opinionem cenſendum eſſet ſilentium S. Lucæ, ſilet æque idem Scriptor perſecutionem quamcumque ante annum 56. agitatam. Vis proinde hæc negantis argumenti vel in utramque partem valere cenſenda eſt, vel in neutram.

Fatemur quidem, Apoſtolum 1.Cor. 15. 30. 31. 32. ubi omnia exponit quæcumque priori illo anno a docta Epheſi mora ſibi contigerunt, hæc de ſe ſcribere: *Ut quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior, per veſtram gloriam, fratres, quam habeo in Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Statimque continuat: *Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt? &c.* Verum ſi totum perſcrutatur caput 19. Actuum, geſta omnia S. Pauli Epheſi verſantis anno 55. complectens, nihil occurret, quam Apoſtolicis laboribus par fructus reſpondens, Dei per illum prodigia, quorum pellectu tractæ undique ad fidem gentes; donec tandem excitatam in ſe Demetrii Argentarii perſecutionem declinare, facta ab Urbe ſeceſſione, Apoſtolus coactus eſt. Cum itaque S. Paulus in eo Epiſtolæ capite veluti ſupplementum adjiciat eorum, quæ in Actis prætermiſſa ſunt, conceptiſque verbis exprimat, luctam ſe cum beſtiis Epheſi ſuſtinuiſſe; cur teſtimonium ejus ad litteram non recipiatur, nihil eſt.

Porro Textus iſte pronus eſt adeo in hanc ſignificationem, ut in alium ſenſum detorquere illum nemini ſuccurriſſet, niſi ea invaleſcente perſuaſione, S. Lucam nihil e geſtis Apoſtoli majoris momenti prætermiſiſſe; quod tamen veritati prorſus non congruit. Ipſe enim Apoſtolus plura in Epiſtolis ſuis identidem de ſe commemorat, quæ S. Lucas imprudens omiſerat; nolente Deo divinæ providentiæ ſuæ conſilio, ut ab alio illa quam ab ipſomet Apoſtolo reſciremus. Ita e. g. de raptu S. Pauli in Cœlum nihil habet S. Lucas; ſed teſtimonium de illo exhibet Apoſtolus 2. Cor. 12. 2. 3. 4. ſicut etiam nonniſi ipſo de ſe narrante ſcimus, obitas ab ipſo prædicatione Pontum, Thraciam, Illyricum, & Galilæam (5). Quis reprehenſum a S. Paulo Petrum Antiochiæ, niſi ipſe Paulus Galat. 2. 11. commemoraſſet? quis ſecundum ejuſdem Pauli iter Epheſo Antiochiam circa ann. 55. niſi idem Paulus ſubobſcure 2. Cor. 12. 14. & 13. 1. (6)? quis memorat alius ſcriptas ab ipſo varias ad varias Eccleſiæ Epiſtolas; traductum ad fidem Oneſimum; cum ipſe Paulus Romæ in Vinculis verſaretur, datas circa idem tempus litteras ad Philemonem & ad Philippenſes; naufragium illud ingens, quo integra nocte dieque in mare jactus eſt (7); tum illa naufragia quæ pertulit (8); flagra quinquies a Judæis tolerata (9)? Nihil ergo e S. Lucæ ſilentio certi adverſus hanc hiſtoriam deducitur. Quare litteram Textus cenſemus retinendam, in loco maxime, ubi ſtilus ſimplex nihil minus quam metaphoram audacem adeo & inuſitatam expectare Lectorem admonet. Quid enim audacius quam nomine pugnæ cum beſtiis deſignare luctam cum adverſariis?

At enim S. Paulus ſilet prorſus hanc cum beſtiis Epheſinis luctam in ſecunda ad Corinthios Epiſtola, mala omnia enumerans, quæ pro fide tolerare coactus eſt. Id quidem ultro fatemur; ſed numquid non ſatis eſt ſemel de illa in priori ad Corinthios 15. 5. 10. feciſſe ſermonem? Numquid modeſtiſſimus vir hanc virtuti ſuæ vim inferre cogebatur, ut iterum decora

(1) 2. *Timot.* 4. 17. *Liberatus ſum de ore leonis.* (2) *Tit.* 1. 12. (3) *Matth.* 3. 7. (4) *Pſal.* 13. 3. & 139. 4. *&c.*

(5) *Rom.* 15. 19. (6) *Vide D. Tillemont. not.* 41. *in S. Paulum.* (7) 2. *Cor.* 11. 25. (8) 2. *Cor.* 11. 25. (9) 2. *Cor.* 11. 24.

eota illa ſoa repeteret? Ad hæc, facile luctam illam tacite inſinuant verba 2. Cor. 1. 8. *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus ſupra virtutem, ita ut taderet etiam nos vivere.*

Genuina facile hujus ſilentii ratio inde repetenda, quod nulla memorabilis conſecutio ex eo ſupplicio deducta ſit; forte enim Apoſtolus Judicis ſententia ad ſupplicium damnatus, civitatis tamen Romanæ, quo fruebatur, privilegio immunis ab eadem pœna reipſa declaratus fuit. Animadverſum eſt enim, Civium Romanorum jus aſſertum fuiſſe, ne ſimili perimerentur ſupplicio (1). Niſi forte malueris aliam quamcumque ejus rei aſſignare rationem, ne exponeretur feris; ſive expoſitum ab illis læſum non fuiſſe, uti divino prodigio factum eſſe interdum cum SS. Martyribus legimus (2). Quod præ oculis habens S. Ignatius in Epiſtola ad Romanos ſcribebat: *Utinam fruar beſtiis mihi paratis, quas & opto veloces mihi inveniri, quas & blanditiis demulcebo, ut citius me devorent, non ut quoſdam veriti non attigerunt. Sed & ſi ipſæ volentem nolint, ego vi adigam.*

Accidit interdum, ut expoſiti feris homines primos illarum incurſus vel illæſi, vel levi tantum reſecto vulnere ſuſtinerent; tunc autem ante finitam luctam manu Gladiatorum ad eam rem deſtinatorum perimebantur, quemadmodum de S. Perpetua & Felicitate ceteriſque Africanis martyribus legimus in Actis; ſive ad aliud ſpectaculum reſervabantur, uti de S. Blandina Martyre Lugdunenſi memoriæ proditum eſt. Idem & cum Apoſtolo factum non inveroſimiliter ſuſpicamur, qui cum in diſcrimen ejus ſupplicii veniſſet, ſcribere utique poterat ad Corinthios: *Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnavi Epheſi, quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt.*

Nicephorus Calliſtus laudat in eam rem Librum vetuſtiſſimum inſcriptum: *Itinera S. Pauli* (3); fert autem Liber ille, Apoſtolum Epheſi verſantem tanta eloquentiæ vi ad populum verba feciſſe, ut Hieronymus Principem ibi locum obtinens illum bene quidem & diſerte dicere, ſed non pro temporis opportunitate, teſtatus fuerit: ſed aſperiora conſilia ſecutum populum Apoſtolum illum catenis oneratum, arctaque incluſum cuſtodia beſtiis mox exponendum ſervaſſe. Stata ad ſupplicium die, eductum in illum Leonem immanem corpore, & ferocia non imparem. Sed vix eductam beſtiam & impetu irruentem, ad primum viri ſancti aſpectum, flexam ad obſequium, cecidiſſe venerabundam ad pedes, non diſſimile exemplum aliis demum & aliis productis feris ſequentibus. Ad hæc, ingruentem ſubito ingentem turbinem ſævam adeo grandinis procellam excuſſiſſe, ut opprimeret plurimos, Hieronymi vero Urbis Præfecti utramque aurem reſcinderet. Quibus malis revocatum ad ſaniora virum Fidei victas dediſſe manus. Tandem Leonem, qui Apoſtolo pepercerat, in vicinos montes evaſiſſe, Apoſtolum vero recta contendiſſe in Macedoniam.

Nec eſt quod ſiniſtri aliquid in veritatem hujus hiſtoriæ, addit Nicephorus, e S. Lucæ ſilentio deducamus. Lazari reſurrectionem certam admittimus, quamvis a S. Joanne tantum, ſilentibus ceteris, referatur. Singuli Scriptores Sacri peculiaria quædam referunt ab aliis omiſſa. Porro opus illud, unde hanc hiſtoriam Nicephorus deduxit, & minoris eſſe per ſe authoritatis fatemur, & a Nicephoro licet adoptatum nihil propterea habere, quo perſuadeat. Liber Itinerum S. Pauli vetuſtiſſimus eſt, adeo ut mentio de illo occurrat apud Origenem (4), Tertullianum de Baptiſmo l. 1 c. 17. S. Hieronymum (5), & Euſebium (6): neque enim niſi unum eumdemque credo Librum *Acta Pauli* & *Itinera* ejuſdem. Opus illud proviſum pia quadam in Apoſtolum fraude, melius quam obſequio, Sacerdotis cujuſdam Aſiæ, refert Tertullianus. Hujus criminis, addit S. Hieronymus, convictus Author, a Sacerdotio ſtatim amotus eſt. Nihil ego moror Veteris hujus Scriptoris ceterorumque ejus fidem ſequentium teſtimonium; ſuſpicari tamen licet, ſive textus hujus, quem excutimus, lectionem, ſive deductam ad eam uſque ætatem traditionem Scriptorem hunc ad deſcribendam luctam Apoſtoli cum beſtiis induxiſſe.

Suppetunt ceteroqui majoris fidei & authoritatis in noſtram hanc ſententiam documenta. S. Chryſoſtomus in priorem Epiſtolam ad Corinthios ſcribens hom. 40. nihil allegoricum in loco illo Pauli ſubodoratur; ex quo plane intelligimus, ſimplicem & litteralem interpretationem probaſſe. Et in illa verba, *ſecundum hominem*, perhibet, Deum eduxiſſe Apoſtolum ſuum e diſcrimine, in quo certus illum manebat *ſecundum hominum opinionem* interitus. Certum igitur conſtituit vir ſanctus, Apoſtolum divino prodigio a nece ſervatum. Luculentius aſſerit Theodoretus in 1. Cor. 15. 32. Apoſtolum, ne devoraretur a beſtiis, divino prodigio liberatum fuiſſe. Pelagius in ſuo Commentario in Epiſtolam primam ad Corinthios duas innuit ſententias; quæ de lucta cum beſtiis locum interpretatur, & quæ cum adverſariis pugnam verbis illis deſignatam tuetur. Addit, plura in Epiſtolis S. Pauli hiſtorica facta occurrere, fruſtra in Actis quærenda. Primaſius Commentarium illum Pelagii S. Hieronymi eſſe, juxta receptam ea ætate perſuaſionem, ratus, non ſententiam ejus tantum, ſed verba pene deſcribit. Hilarius Diaconus Eccleſiæ Romanæ, Ambroſiaſter vulgo dictus, quod ejus Opera S. Ambroſii nomen prætulerint in impreſſis, Apoſtoli verba illa ita paraphraſtice exponit: *Si ſecundum humanum ſenſum beſtiis offerri; mori non timui, nihil profeci: ſed non hoc eſt, quia certus de promiſſa vita non ſolum non timuit, ſed & libenter beſtiis offerri ſe paſſus eſt* (7).

Ita Textum Apoſtoli interpretati ſunt Veteres; & R. P. Alexander, quamquam alioqui allegoricum ſenſum defendens, ingenue tamen fatetur in 1. Cor. 15. 32. *Hæc tamen verba, Ad beſtias pugnavi Epheſi, proprio non metaphorico ſenſu antiqui Interpretes intellexerunt.* D. Tillemontius, cujus inclyta eruditio pariter & circumſpectio eſt, noſtram hanc ſententiam acriter defendit contra Baronium, & Eſtium adverſæ opinionis aſſertores (8). Verum ille Græcum *Theriomacheiu*, quo utitur Apoſtolus, non ſignificare tantum certamen ultro cum beſtiis initum, uti Athletæ ſolebant, quod alioquin indignum Paulo viro Chriſtiano & Apoſtolo fuiſſet, cum nec ingenuum Paganum deceret, ſed etiam rectiſſime ad beſtias raptari, quomodo factum non ſemel novimus cum Chriſtianis, ſacrilegii, uti quidem dicebatur, reis (9). Chriſtiani enim onerabantur invidia eorum omnium, quæ in Republica ſiniſtri acciderant. *Si enim*, ait Tertullianus Apologet. c. 40. *Tiberis aſcendit in mœnia, ſi Nilus non aſcendit in arva, ſi Cœlum ſtetit, ſi terra movit, ſi fames, ſi lues, ſtatim Chriſtianos ad leonem, tantos ad unum.*

Obſervaverat Baronius, beſtiarum ſupplicium, quod a Cive Romano fuiſſet alienum, in Apoſtolum Paulum decerni nequaquam potuiſſe. Reſpondet D. Tillemontius, damnari illum facile quin & ſubire ſupplicium illud potuiſſe, quemadmodum Philippis in Macedonia flagris cæſus fuerat, licet Romanæ Civitatis prærogativa ab illis exemptos. Notat inſuper factum non ſemel, ut Provinciarum Præſides privilegium illud nequaquam aſſertum vellent Chriſtianis, humani generis adverſariis, & prærogativa omni mulctandis. Luculentum ejus rei exemplum præfert S. Attalus Martyr Lugdunenſis, & Romanus Civis, quem gratificaturus populo Præſes ad beſtias eduxit.

Præter Veteres in Epiſtolas Pauli Interpretes ſupra laudatos, ſuppetunt etiam alii plures Scriptores & ſcientia & vetuſtate graves, pro noſtra ſententia laudandi (10). Tertullianus in Libro de reſurrectione carnis c. 48. ita diſſerit: *Quotidie morior, utique periculis carnis, per quam & depugnavi ad beſtias Epheſi,*

illas

(1) *Vide Baron. ann. 55. n. 7.* (2) *Vide Act. S. Taraci & ſociorum c. 10. & Euſeb. hiſt. Eccl. l. 8. c. 7. p. 299.* (3) *Hiſt. Eccl. l. 2. c. 25.* (4) *Origen. t. 21. in Joann. p. 298. Edit. Huet. Item l. 2. de Principiis.* (5) *De Scriptor. Eccleſ. in Luc.* (6) *Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 3. & 25.* (7) *Ambroſiaſter in 1. Cor. 15. 32.* (8) *Tillemont. not. 40. in S. Paulum.* (9) *Lege ſancita ad legem Juliam peculatus & de ſacrilegis.* (10) *Euſeb. l. 5. c. 1. Hiſt. Eccleſ.*

illas ſcilicet beſtias Aſiaticæ preſſuræ: ſunt igitur beſtiæ Epheſinæ per Tertullianum mala in Aſia tolerata; ſed metaphorica hac interpretatione litteralem alteram non excludit, namque in Libro de Pudicitia cap. 22. hoc ipſo teſtimonio utitur, ut S. Paulum inter Martyres accenſeat; quod uni cuidam ex ejus Commentatoribus ſatis fuit, ut Tertullianum in ſententiæ noſtræ patronum aſſereret.

Noſtras etiam partes tueri viſus eſt S. Cyprianus (1), illis de Apoſtolo verbis: *Poſt carcerem ſæpe repetitum, poſt flagella, poſt beſtias: circa omnia mitis & humilis perſeveravit.* S. Hilario eadem probantur (2). *Edictiſne Regis Paulus, cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto Eccleſiam congregabat?*

Inter recentiores Interpretes noſtras partes tuentur Cajetanus, Cornelius a lapide, Lutherus, Vorſtius, Piſcator, Zegerus, aliique nonnulli. Sed rationes nos magis Scriptorum quam Scriptores ipſos quærimus; cum maxime fateamur oportet, Commentatorum plane majorem partem aperte negare Apoſtolum in amphiteatro Epheſino beſtiis expoſitum ſpectaculum ſui feciſſe. Quamquam inter poſtremæ hujus ſententiæ aſſertores non ſatis convenit; Oecumenius enim e. g. Remigius Lugdunenſis ſive Autiſſiodorenſis (3), (non enim ſatis conſtat unde eſſet) S. Thomas, aliique nonnulli locum exponunt de perſecutione in Apoſtolum Epheſi verſante a Demetrio Argentario commota (4): ſed tumultum illum poſt ſcriptam priorem ad Corinthios Epiſtolam excitatum ſupra animadvertimus; ex quo ſyſtema illorum penitus evertitur. Exponunt alii Textum de Viris impiis, Hæreticis, & belluina feritate ſævientibus, a quibus plura in Apoſtolum irrogata, ut Apoſtolus ipſe 2. Cor. 8. 9. conqueritur: *Non volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem, ita ut tæderet nos etiam vivere.* Ita tenent Baronius ad ann. 55. num. 7. Eſtius, Grotius Heinſius (5), Ligſootus (6), Calovius (7), Suicerus (8), Baſnage, Beza, Hammondus, Deylingius, & inter Antiquos Sedulius, Scotus, Lanfrancus.

Sed antequam Diſſertationem claudamus, operæ pretium me facturum arbitror, ſi varia certaminum cum beſtiis genera paucis exponam, quibus lux Textui, quem diſcutimus, affundatur. Græca vox *Theriomacheia*, qua utitur Apoſtolus, ſonat ad litteram, Cum beſtiis pugnare; cujus generis homines Latini vocant *Beſtiarios*, Græci *Epithanaticus*, *Teriomachous*, *Parabolons*, ſeu potius *Parabolanos*. Tria ſunt ejuſmodi hominum genera: alii roboris & agilitatis ſuæ ſpecimen daturi, ultro ſe certamini exponebant; alii mercenariam ad id locabant operam, qui proinde tamquam viliſſima hominum capita mercimonium de vita facientes habebantur: *Qui ſe ob aliena gratia voluntatem nundinati ſanguinis jactarum ad mortis ſpectaculum vendunt.* Tertii tandem generis homines referebant ſontes illi, qui beſtiis exponebantur; interdum ab eorum inſultibus defendere ſe criminoſis illis permiſſum, ita tamen, ut a morte non eximerentur; tamdiu enim prorogandum erat illis certamen, quandiu beſtiis non ſuccumberent. Si quis vero ſalvos incolumiſque poſt ſpectaculum ſtaret, ad alterum reſervabatur.

Certaminum primi generis reliquiæ manent in Ludis taurorum, hodie uſque in Hiſpania celebratis; cum ſcilicet viri interdum principes coram Rege ceteriſque ſpectaculum ſui præbent, cum tauris luctantes. Nec abludunt certamina cum beſtiis in Regno Mogorii ſolemnia, in quibus viri principes & virtutis ſuæ ſpecimen exhibent, & viam ſibi ad ſummos honores ſtruunt. Legimus in Hiſtoria Francorum (9), Pipinum Brevem Caroli Martelli filium, ac deinde Galliæ Regem, cum olim certamen beſtiarum ſpectaret, furentem quemdam leonem, qui taurum arripuerat in cervice, vidiſſe, verſum autem ad viros Principes, quos habebat in comitatu, ſignificaſſe opportunum ſe cenſere, ſi capta a leone præda liberaretur. Audacior res viſa eſt quam ut ab illis ſuſciperetur; ſed Princeps inſpectis ſedulo omnibus in caveam ſe dedit, & gladium tenens in manu recta petiit leonem, tantoque ictu feram percuſſit, ut caput præcideret, ſimulque intra tauri collum altum infligeret vulnus.

Ad beſtias damnatos quod attinet, alii nudi & inermes exponebantur; ſicut etiam venatoriis retibus impliciti, quo a feris diſcerperentur. Alii ad mortem uſque luctari cogebantur. Raro tamen contingebat, ut ſpectatores vitam certantis precario obtinerent. Factum id legimus cum Androclo, de quo Aulus Gellius l. 5. c. 14. cum enim ad beſtias damnatus & in Amphitheatro expoſitus, irruentis leonis impetum ſuſtinere cogeretur, agnitus a fera, e cujus pede ſpinam olim extraxerat, illam habuit & demulcentem, & adverſus alias immiſſas feras tuentem. Spectaculi hujus novitate capti adſtantes, Androclo vitam, leoni libertatem popoſcerunt.

Nec quacumque data occaſione ſpectacula illa dabantur; id erat enim ſpeciale quoddam veluti munus ab Imperatoribus & Provinciarum Præfectis populo conceſſum. Smyrneoſibus Civibus S. Polycarpum ad leonem poſcentibus, reſpondit Proconſul, ne eorum votis annueret prohiberi ſe, quod dies ſpectaculis deſtinata tranſiſſet (10); & cum beſtiis Lugdunenſes Martyres exponendi eſſent, ejus generis ſpectaculum populo concedi oportuit. Non abs re itaque ſuſpicaremur, Epheſios popoſciſſe ad beſtias Apoſtolum, quemadmodum & S. Polycarpum deinde repopoſcerunt; nec impar forte ratio utrumque virum a ſupplicio illo exemit.

Cum autem damnati ad ſupplicium Chriſtiani non ſpectaculum tantum darent populo, ſed & ſupplicium tamquam criminoſi ſubirent, quo major ſpectantium oculis terror exhiberetur, non producti tantum ad feras robuſti, valentes corpore ac certaminis patientes juvenes, ſed & imbecilles ſenes ac fœminæ; ſicus etiam venatoriis retibus impliciti, quo defenſionis ratio omnis penitus tolleretur, uti factum legimus cum S. Baldina, inter Lugdunenſes Martyres inclyta (11). Alligabantur interdum palis ſeu ferinis pellibus inſuebantur, ad urſorum & leonum ferociam efferandam: ita Nero cum Chriſtianis de incendio Romano a ſe accuſatis, cujus tamen incendii ipſe, non alius, fuerat author (12), ſævit. Ad palum alligata S. Blandina feris voranda objecta fuit, antequam ad taurum venatoriis retibus implicita educeretur (13). Alia quædam ejus rei exempla ſuppeditat Juſtus Lipſius de *Cruce* l. 3. c. 21.

Ad S. Paulum quod attinet, expoſitum illum feris in theatro Epheſino ne ambigimus quidem, autumantes inſuper, numquam niſi Divino prodigio commiſſum fuiſſe, ut a præſentiſſimo illo diſcrimine illæſus eriperetur; ita enim exponunt S. Chryſoſtomus & Theodoretus illud: *Secundum hominem.* Si quis autem a nobis quærat prodigii hujus rationem, ingenue fatemur nec ſcire nos, & nobiſcum homines æque omnes ignorare. Quæ etenim ex Apocrypho Libro narrat Nicephorus, futiliora ſunt, quam ut fidem mereantur; nihilque præterea certi ab antiquis ſervatum eſt.

DIS-

(1) *Epiſt. 6. Edit. Pamelii.* (2) *Hilar. in Aux. p. 522.* (3) *Remig. Antiſſiod. Bibliot. PP. t. 8.* (4) *Act. 19. 23. &c.* (5) *Exercit. Sacr. fol. 424.* (6) *Hor. Hebr.* (7) *Calov. in hunc loc. 1. Cor. 15. 32.* (8) *Theſaur. Eccleſ. t. 1. p. 1399.* (9) *Pirmit. l. 8. c. 13.* (10) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 4. c. 15.* (11) *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 5. c. 1.* (12) *Tacit. Annal. l. 15. c. 44.* (13) *Euſeb. loc. cit.*

DISSERTATIO
DE PATRIARCHA HENOCH, FILIO JARED, ET PATRE MATHUSALÆ,

PAtriarcha, de quo modo, alter eſt vir ab Henoch filio Cain (1), poſt deceſſum Abelis nato, de cujus nomine Cain conditam a ſe in regione ſeptemtrionali Urbem appellavit Henochiam. Vir eſt enim noſter iſte ætate recentior, e genere Seth, familiæ nempe juſtorum, in qua ſincerus Dei cultus, ſurculus; cum alter ex Cain ad familiam pertineret impiorum, avita reſerentem ſcelera, criminibus ſuis terram univerſam infectantem, ac deinde aquis diluvii exterminatam. Cum autem argumentum fœcundiſſimum tractemus, totam hanc Diſſertationem in tres articulos diſtinguere viſum eſt. Agemus primo de vita Henoch: tum de ejus translatione; ac tandem de ejus in mundum regreſſu.

ARTICULUS PRIMUS.

De rebus geſtis Henoch.

HEnoch filius Jared, natus A. M. (2) 622. ante Æram Vulgarem 3382. cum ætatis annum ageret 65. genuit Mathuſalam (3) A. M. 687. ante Chriſtum 3317. Septimus erat ab Adam, cujus ex patre in filium ducta genealogia ita retexitur. Adam, Seth, Henos, Cainan, Malaleel, Jared, Henoch. Vitam egit in terra pro eorum temporum conditione brevem; translatus eſt enim a Deo ann. 365. ætatis (4) A. M. 987. ante Chriſtum 3017. ſed brevi hoc annorum periodo Sanctiſſimorum virtutes attigit univerſas, ſuoque demonſtravit exemplo, Virtutem & pietatem fructus eſſe laboris, non ſenectutis. Ejus elogium paucis complectitur Sacra Scriptura, aſſerens (5) ambulaſſe illum cum Deo: quibus verbis inſinuat totum ſe ad genium Altiſſimi virtutum exercitio elaboraſſe. Septuagita reddunt: *Placuit Deo*; & Onkelos: *Ambulavit cum Dei timore*. Quæ omnes loquendi phraſes perinde valent ac aliæ in Sacra Scriptura: *Ambulare coram Domino: ambulare in viis Domini; ambulare ſecundum Spiritum: ambulare ad dexteram in veritate, in timore Domini &c.* id eſt juſtitiam, pietatem colere.

Fuerunt tamen inter Rabbinos quidam, Henochum de hypocriſi & levitate in ſervitio Domini accuſantes. Vir erat hypocrita, ait R. Ibbo (6), modo ſe tradens juſtitiæ, modo licentiæ: reputavit autem Dominus: *Educam ergo illum e mundo, quamdiu juſtus eſt*. Gemina ferme habet R. Salomon. Cum Henoch, ait ille, in cultu Domini nutaret, maturandum cenſuit Deus, e mundo illum educens, antequam impiorum conſuetudine corrumperetur. Quod autem in eam perſuaſionem venirent Rabbini, in cauſa facile eſt illud Geneſ. 5. 22. *Ambulavit Henoch cum Deo*; ſive illud: *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. Subduxit, ait Boulducus, ne pravorum Monachorum conſortio vitiaretur (7). Author enim ille opinionum ſingularitate numquam non ſe diſtinguens, perſuaſum habet, Henoch veluti diſciplinæ correctorem & Prædicatorem fuiſſe Monachorum Cinæorum, quorum erant Aſceteria plura in mundo jam inde antediluvium. Cum ergo Patriarcha ille annum 65. ætatis gereret, & filium haberet Mathuſalam, mundo valedicens, inter Cinæos ſeſe adlegit, ac ambulans cum Deo, nempe Monaſticam profeſſus, Religionis exercitiis ſe totum addixit, adſcito tunc primum, uti facile credimus, nomine Henoch, quod redditur, conſecratus, devotus. Tunc Caiuan & Enos, veluti duo Cinæorum & Enoſiorum ſupremi Antiſtites, hominem deſtinarunt prædicationi apud Angelos obeundæ, juxta ac docet S. Irenæus (8); quo nomine deſignantur Viri eximiæ pietatis, apud Moyſem *filii Dei* (9), apud Septuaginta *Angeli Dei* appellati. Poſt actos in Religione 300. annos, Deus hominem ad ſe revocavit, raptum, uti Elias olim, in igneo curru cœlitus demiſſo. Hæc Boulducus; nec ego adverſus ejus ſyſtema quidquam.

Ad teſtimonium S. Irenæi quod attinet, animadvertendum arbitror, S. Doctorem nequaquam illud innuiſſe, quod ejus Interpretibus pleriſque adprobatur, ſanctum hunc Patriarcham prædicationis munere functum apud homines e genere Seth, a Moyſe filios Dei appellatos: cur enim, ſi id tantum intendebat vir ſanctus, animadvertiſſe juviſſet, Henochum merum hominem fuiſſe? *Cum eſſet homo, legatione ad Angelos fungebatur*. Angelorum ergo nomine deſignat S. Irenæus Vigiles illos, qui juxta Librum Apocryphum Henoch, fœminarum amore capti ſe ſe in homines mortales transformarunt, & maritali cum puellis illis commercio juncti genuerunt viros Gigantes. Apud iſtos Angelos Henoch legatione fungens, ad ſaniora revocare conatus eſt.

Damnata ex tunc ab Henoch Idola, & Idolorum cultores arbitratur Tertullianus (10); docet autem alibi de Henoch (11): *Sine dubio potuit Noe in prædicationis delegatione ſucceſſiſſe*. Et S. Judas verſ. 14. 15. non obſcure docuit, Henochum Prophetam ſeu concionatorem egiſſe, verba illa proferentem; *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii*. Ultionis ergo Divinæ metu & Angelos & homines ætatis ſuæ terruit Henochus, quo tandem a criminibus ſuis & impietatibus illos revocaret. His omnibus lux affunditur textui S. Irenæi.

Laudes Henochi non unus tantum inter Authores Sacros Moyſes proſequitur, S. Paulus ad Hebræos 11. 5. *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem; ante translationem teſtimonium habuit placuiſſe Deo*. Author Eccleſiaſtici 44. 16. *Henoch placuit Deo, & translatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam*: & cap. 49. 16. *Nemo natus eſt in terra qualis Henoch; nam & ipſe receptus eſt a terra*. Hunc tandem virum ſpectaſſe videtur Author Sapientiæ illis verbis 4. 10. *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius .... Conſummatus in brevi explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*. Hic & ubique Author conſtituit juſtum, de quo agit, e mundo per mortem translatum, quod ſane alienum eſt ab Henoch, juxta ac pleriquc ex Patribus & Interpretibus obſervant; reputari tamen poſſet, Sacrum hunc Authorem de induſtria confudiſſe characteres viri juſti cum Henocho, abſque eo quod tamen aliquid de obitu Henoch aſſereret: quamquam certum contineret, virum juſtum aorea e vita per mortem translatum, quam in mundo ad lenitom pertingeret.

Liber

(1) *Geneſ.* 4. 17. (2) *Geneſ.* 5. 18. (3) *Geneſ.* 5. 21. (4) *Geneſ.* 5. 23. (5) *Geneſ.* 5. 22. *Vide Joſeph. & Eccleſ.* 44. 16 *& Hebr.* 11. 5. *& Sap.* 4. 10. (6) *In Bereſchit. Rabba*. (7) *Bouldue. Eccleſ. ante Legem l.* 1. *c.* 14. (8) *Iren. l.* 4. *cap.* 30. *Henoch placens Deo, cum eſſet homo, Dei legatione apud Angelos fungebatur*. (9) *Geneſ.* 6. 4. (10) *De Idolol. cap.* 4. (11) *De cultu fœmin. l.* 1. *cap.* 3.

Liber Conſtitutionum Apoſtolorum l. 8. c. 5. Henochum refert inter Patriarchas, a Deo in ipſo mundi exordio docendo populo ſuo conſtitutos; cui pariter Authori aſſignant Hebræi formulam majoris excommunicationis, qua nunc etiam utuntur (1): non interrupta enim ſerie ex patre in filium aduſque ſeros nepotes tranſmiſſam affirmant. Extat apud Seldenum formula illa (2), prolixa utique, & multa ferens Henoch ætate poſteriora. Quid enim cum illa nomina Moyſis, Joſue, Eliſei, Giezi, Barach, Meroz? quid mentio magnæ Synagogæ, Angelorum ſingulis anni menſibus præſidentium, Librorum Legis, in quibus 613. præcepta & Angelorum quorum ignota in Scriptura nomina? Frequenter etiam ad Libros ipſi Moyſi poſteriores alluditur. Quibus omnibus docemur, formulam illam, qualis ſaltem nunc extat, alium referre ab Henocho Authorem. Facile tamen adſcribendum viro cenſuerunt, quod exercuiſſe crederetur munus Sacerdotis Altiſſimi, & Principis totius generis Juſtorum ante diluvium.

Licet autem vir iſte in eo vitæ ſtatu modo conſtituatur, ut neque e juſtitia poſſit decedere, neque admittendi criminis facultatem habeat expeditam, quam nos libertatem noſtro malo obtinemus (3): publicum tamen illi cultum, quemadmodum & Eliæ, deferre opportunum non duxit. Legitur quidem ejus nomen in Calendario ad diem 3. Januarii: datum id tamen ad honorem translationis potius, quam ad cultum aliquem religioſum arbitramur. Ferunt apud Chriſtianos Æthyopes feſtum quoddam ejus viri celebrari, quod *Sabbatum Henoch* appellant, veluti ſi eo ſpeciali honore proſequi ſe oſtenderent ſeptimam hominum generationem: quemadmodum non diſſimili exemplo Judæi ſeptimam a creatione diem conſecrarunt.

Nec Paganos latuiſſe prorſus vir tantus, ejuſque in pietatem ſtudium videtur. Narrant enim, agente adhuc in vivis Annaco, qui vitam ultra 300. annos prorogavit, conſultum ab Iconiis aliiſque finitimis gentibus Oraculum reſpondiſſe, futurum ut omnes morerentur, ex quo vita cedere Annacum contigiſſet. Ingens inde in omnes conſternatio, & ejulatus, ut in proverbium abiret pro ingenti aliquo luctu exprimendo; *Lugere Annacum*. Poſt ejus obitum, Deucalionis diluvium regionem univerſam inundavit, ex quo Oraculi fides liberata eſt. Emicat per oppanſum hujus fabellæ velum lux aliqua veritatis, nempe 1. nomen Henoch, vel Hanoch, juxta Hebraicam pronunciationem. 2. Ejus ætas ultra 300. annos. 3. Diluvium univerſale, quod ſub Noe nepotis illius filio contigit.

Alii tamen originem illius proverbii, *Lugere Annacum*, ſive *Nannacum*, ſeu *Canacum*, aliunde referunt. Vetus erat Phrygiæ Rex Chanacus, qui imminere diluvium intelligens, populum in Templum coegit, ut Numinum a ſe iram averteret (4). Tam calidis illi precibus lacrymiſque Deos fatigarunt, ut locum proverbio illi facerent: ſed vicit ira miſericordiam; quare ſuperveniente diluvio, omnes inundantibus aquis ſubmerſi ſunt.

ARTICULUS II.

Translatio Henoch,

VErba, quibus translatum e mundo Henoch Moyſes expreſſit, pluribus quæſtionibus locum fecerunt. Quæſitum eſt, an re ipſa obierit, vel maneat adhuc ſuperſtes: an in mundo ſit, vel extra mundum; an æterna beatitudine ſeu tranquilla tantum pace fruatur, certum futuræ mortis tempus expectans, ut deinde æterna beatitudine donetur. Hæc tantum Moyſes de illo Geneſis 5. 24. *Ambulavit cum Deo, & non apparuit, quia tulit eum Deus*. In examen hic revocandum eſt, an poſtremis hiſce verbis prodigio quodam translatus, uti Elias, vel tantum e mundo per mortem ſublatus deſignetur. En rationes, quibus inſinuari obitus videtur.

I. Non diſſimili loquendi phraſi mortem exprimit Scriptura. Ita Elias ad Dominum 3. Reg. 19. 4. *Tolle animam meam: ſufficit mihi Domine; neque enim melior ſum, quam Patres mei*. Porro vir Sanctus nil niſi mortem, quemadmodum & Patres ſui, optabat: *Petivit animæ ſuæ, ut moreretur*. Job 21. 16. de iis, qui acerbo erepti ſunt fato, habet: *Qui ſublati ſunt ante tempus*. Et cap. 32. 22. *Neſcio quandiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus*. Jeſus filius Sirach Eccli. 19. 3. *Tolleretur de numero anima ejus* (5). Pſalmiſta Pſ. 48. 16. *Deus redimet animam meam de domo Inferi, cum acceperit me &c.*

Et Pſ. 30. 14. *Accipere animam meam conſiliati ſunt*. Pſ. 72. 24. *In voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me*. Apud Ezechielem 24. 16. Dominus habet: *Ego tollo a te deſiderabile oculorum tuorum in plaga*; (nempe uxorem tuam) *& non plangeſ neque plorabis*. Et 30. 4. *Veniet gladius in Ægyptum, cum ablata fuerit multitudo illius*. Et 33. 4. *Venerit gladius, & tulerit eum*. Jonas 4. 3. *Domine, tolle quæſo animam meam a me*. In omnibus hiſce textibus eadem in Originali vox recurrit, qua Moyſes translationem Henoch expreſſit; intelligimus autem phraſibus illis, tollere aliquem, tollere animam ab aliquo idem deſignare, ac e vita per mortem in alteram transferre. Verba illa, *Non apparuit*, ſive juxta Hebræum, *Non fuit*, vel *non fuit ultra*, non diſſimilem ſenſum ferunt in pluribus Scripturæ locis, uti Geneſis 37. 30. *Puer non comparet, & ego quo ibo?* Et cap. 42. 13. *Alius non eſt ſuper*. Et ibidem verſ. 36. *Joſeph non eſt ſuper, Simon tenetur in vinculis*. Job 7. 8. 21. *Oculi tui in me, & non ſubſiſtam ... ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam*. Et 24. 24. *Elevati ſunt ad modicum, & non ſubſiſtent*. Et 27. 19. *Dives cum dormierit, nihil ſecum auferet*: Pſ. 36. 10. *Adhuc puſillum, & non erit peccator; & quæres locum ejus & non invenies*. Pſ. 36. 37. *Tranſivi, & ecce non erat*. Saadias Author Verſionis Arabicæ reddit: *Henoch defunctus eſt, Deus recepit illum ad ſe*. Cum ergo phraſibus illis naturalis hominis mors frequentiſſime deſignetur, quod a Moyſe translatio quædam prodigioſa exprimatur, ut credamus nihil eſt.

2. Fatemur quidem, in referenda Eliæ translatione eodem verbo uti Sacrum Scriptorem (6): *Filii Prophetarum dixerunt ad Eliſeum: Numquid non noſti, quia hodie Dominus tollet Dominum tuum a te?* Elias ad Eliſeum: *Poſtula quid vis ut faciam tibi, antequam tollar a te .... Si videris me, quando tollar a te, erit tibi quod petiſti*. Sed hæc verba nulla ſane ideam ingererent novæ cujuſdam translationis, ſi minus circumſtantiis aliquibus in Hiſtoria expreſſis juvarentur. Ita prodigioſam translationem ſatis inſinuat, quod Prophetæ translatio antea Divinitus ceteris aliis Prophetis innotuiſſet, quam Dominus Prophetam illum ſuperſtitem elevaturus veniſſet. Elias vero cum aſcenderet, ex humeris pallium ſuum demiſit; filii Prophetarum Præceptorem ſuum quærere volebant, dubitantes ne forte Divino Spiritu raptus Propheta in deſerto quodam loco maneret; ſed fruſtra illi, contra Eliſei monitum agentes. Raptum ergo Prophetam fuiſſe nemo unus dubitat: ſed nihil ſimile in relatione Moyſis de Henoch.

De translatione prodigioſa Henoch minime perſuaſus videtur Author Libri Sapientiæ; habet enim c. 4. 10. *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores translatus eſt. Raptus eſt ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius. ... Conſummatus in brevi explevit tempora multa .... Condemnat autem juſtus mortuus vivos impios .... Videbunt finem ſapientis, & non intelligent quid cogitaverit de illo Dominus*. Quadrant hæc profecto cum Henoch, & Moy-

(1) *Jo: Colerus Vita Spinoſæ pag. 31.* (2) *De jure Nat. & Gent. l. 4. c. 7. ex lib. Colbo pag. 144.* (3) *Aug. l. 6. Oper. imperf. in Julian. c. 30. Hoc eis Dei vatia credimus eſſe conceſſum, ne haberent unde dicerent: Dimitte nobis debita noſtra.* (4) *Vide Suidam in Nannaco, & Hermog. in Phrygiis.*

(5) Deeſt locus iſte in Græco. (6) *4. Reg. 2. 3. 5. 9.*

& Moyſis textum præ oculis habuiſſe Scriptor videtur illis verbis: *Placens Deo factus eſt dilectus, & vivens inter peccatores tranſlatus eſt.*

Luculentius etiam obitum Henoch exprimit Jeſus filius Sirach author Eccleſiaſtici cap. 44. 16. *Henoch placuit Deo, & tranſlatus eſt in Paradiſum, ut det gentibus pœnitentiam.* Deeſt quidem in Græco illud *In Paradiſum*: ſed cum Eccleſiæ authoritas Latinam Verſionem conſecraverit, additamentum illud in Vulgata noſtra ſervatum recepiſſe pariter cenſenda eſt. Ex quo etiam conſtat, Eccleſiæ authoritate non parum momenti ad ſententiam de obitu Henoch confirmandam acceſſiſſe. Etenim Paradiſi ſingulari nomine deſignari certum eſt *Cœlum*, Juſtorum deſtinatam poſt obitum ſedem. Ita Jeſus ad probum Latronem: *Hodie mecum eris in Paradiſo* (1); & Apoſtolus 2. Cor. 12. 4. de ſe teſtatur, *Raptum fuiſſe in Paradiſum*; ac in Apocalypſi 2. 7. Jeſus pollicetur: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in Paradiſo Dei mei.* Quando vero de Paradiſo terreſtri ſermo eſt, tunc plerumque nomini Paradiſi aliud quid adjiciunt ut ſignificatio ex alio ad alium ſenſum transferatur.

Patres etiam nonnulli ſub verborum ſaltem ambagibus eamdem de obitu viri ſententiam inſinuarunt. S. Ambroſius translatum dicit ab illo theſaurum ſuum in Cœlum, ac de ipſo uſurpat illud Sapientiæ: *Raptus eſt, ne cor ejus malitia mutaret* (2). Pſeudo Clemens in Libro Recognitionum l. 4. n. 12. tenet, Deum charum ſibi virum *ad immortales tranſtuliſſe*. S. Cyprianus in Tracto *de Mortalitate* habet, virum hunc probum ſingulari privilegio e contagione hujus Mundi ſubduci meruiſſe; ac Salomonem in Libro Sapientiæ egiſſe de præcoce Juſtorum interitu, quaſi de ſingulari Dei beneficio. S. Hieronymus (3) docet pariter, translatum illum in Cœlum, cœleſti pane nutriri; & in Amos 9. aſcendiſſe ſcribit in Cœlum cum Jeſu Chriſto.

S. Athanaſius translatum aſſerit in Paradiſum (4); & Rabbini (5) Moſaicum illum textum de translatione per obitum interpretantur. Illos ſequitur Calvinus, S. Cyprianus, S. Ambroſius, aliique nonnulli Interpretes Catholici, uti Janſenius, Menochius, Mariana. Volunt alii, Authorem Sapientiæ agere de Henocho, vel ſaltem ejus hiſtoriam verbis ſuis ſpectare, cum ſcilicet obitum Juſti præcocem deſcribit. Hæ majoris momenti rationes pro obitu Juſti.

Quæ vero pro ejus translatione afferuntur rationum momenta; nihil prioribus illis concedunt. Fateor equidem, Moſaicum illum textum non neceſſario prorſus exigere, ut de viro ſuperſtite adhuc, ſive in Cœlum, ſive in alium quemcumque locum mortalibus invium translato explicetur; ſi quis tamen conferat ea, quæ de Henoch habet Sacer Hiſtoricus, cum iis, quæ de ceteris Patriarchis ſcribit, ſatis inde colligimus, e mundo digrediendi aliam plane fuiſſe viro huic quam ceteris aliis rationem. Primo obſervat, virum illum actionum ſuarum merito Dei in ſe favorem conciliaſſe; intulit ſubinde: *Tulit eum Deus*; & cum verba illa non ſatis aperta eſſe intelligeret, adjecit: *Et non apparuit*; quibus profecto inſinuaretur, ſuperſtitem illum adhuc in loco extra mundum verſari.

Plus autem poſtremæ huic ſententiæ quam priori illi favere videtur Siracides, ſive ejus Textum cum additamento Vulgatæ legamus, ſive Græca veritas præferatur. Voces illæ, quibus exitum ejus de mundo deſcribit, eamdem habent vim ac aliæ apud Moyſem; quibus profecto aliquid aliud plerumque inſinuatur, quam communis mortalium interitus. Additamentum illud, *In Paradiſum*, duo ſignificare poteſt, ſive Cœlum, juſtorum hominum poſt obitum ſedem deſtinatam: ſive Paradiſum terreſtrem: quo poſteriori ſenſu admiſſo, vitam pariter agere Henochum admittamus oportet: neque enim terreſtris Paradiſus locus eſt Sanctorum poſt deceſſum. Ad priorem illum ſenſum quod attinet, nequaquam incongruum reputarunt Veteres Patres, ut Henochum, & Eliam in Cœlo reipſa verſari, etiam admiſſa Eccleſiæ ſententia, arbitrarentur, quemadmodum infra etiam examinabimus. Plures etiam inter illos aperte aſſeruerunt, Henochum in Cœlo verſari, quo cum Jeſu Chriſto aſcenderit, quamquam certum conſtituerent ſuperſtitem adhuc e mundo migraſſe.

Cum Author Libri Sapientiæ de immatura Juſti morte diſſereret, poſuerat ille quidem ante oculos narrationem Moſaicam de translatione Henochi. Nec tamen inde cogimur fateri, in ea illum fuiſſe ſententia, ut interiiſſe virum crederet. Cum enim agendum ſibi proponeret de Juſto in primo ætatis flore ſublato, ipſe argumenti ſtatus poſcebat, ut de illo uſurparet quæ Moyſes de Henocho nondum provecta ætate translato, nondum, inquam, provecta, ſi ætatis ejus anni 365. cum nongentis, vel circiter annis ætatis ceterorum Patriarcharum comparentur. Tandem S. Paulus ad Hebr. 11. 5. omnibus remotis ambagibus pronunciat: *Fide Henoch translatus eſt, ne videret mortem; & non inveniebatur, quia tulit illum Deus.* Poſterior igitur hæc ſententia de translatione viri adhuc ſuperſtitis tamquam fide certa tenenda eſt.

Græci pariter & Latini Patres cum Judæis Authoribus pleriſque docuerunt, Henochum ſuperſtitem adhuc in deliciarum locum translatum fuiſſe. Superſtitem in Cœlum elevatum ferunt Paraphraſtæ Chaldæi. Jonathan filius Uzielis habet translatum illum ad Cœlum Dei juſſu, in generatione omnibus Terræ eſſe deſiiſſe: ibi vero appellari Metatron, & magnum Cancellarium. Onkelos apertiſſime: *Et non apparuit, & non occidit eum Deus.* R. Hiſcuni (6), aliique nonnulli tenent translatum illum in anima pariter & corpore, eſſe demum reſtituendum tempore venturi in Mundum Redemptoris.

R. David (7) translatum aſſerit in Paradiſum terreſtrem una cum Elia; quod tenere ſe dicit ex ſententia vulgo apud Judæos & viros doctos Synagogæ recepta. Nec diſſentit R. Gerſon; receptum e mundo, ſicut Eliam, in turbine ignis affirmat Akiba. Per Angelum translatum cenſet S. Chryſoſtomus (8); in igneo curru, nempe ut ipſe explicat, Angelorum miniſterio, ſicut poſtea Elias, habet Author Libri de Trinit. inter Opera S. Ambroſii.

S. Clemens Romanus in priori Epiſtola ad Corinthios docet, Henochum obedientiæ ſuæ & fidelitatis merito translatum fuiſſe, nullibi autem ſcriptum de ejus morte reperiri. Author Conſtitutionum Apoſtolicarum ſemel & iterum ſcribit, noluiſſe Deum ut Henoch guſtaret mortem (9); & cum eam ſententiam reperiat in formula, quam recitat, Liturgiæ, demonſtrat id apertiſſime, quid communis Eccleſiæ ſententia teneret. S. Irenæus (10) translatum Henochum perhibet, & hodie uſque ſervatum, in teſtimonium juſtæ ultionis a Deo de Apoſtaticis Angelis exactæ.

Tertullianus adverſ. Judæos hæc habet in rem noſtram: *Necdum mortem guſtavit, ut æternitatis candidatus.* Et de Anima c. 51. de Henocho & Elia ſcribit *Nec mors eorum inventa eſt, dilata ſcilicet*, ad finem nempe ſæculorum, ut deinde immortalitati reſurgant. Vivere illum adhuc, ne dubitat quidem S. Cyprianus (11). In exitu mundi ſtatuendos in medio Henochum, & Eliam, & ab Antichriſto interficiendos definit S. Hilarius in Matth. c. 20. Vivunt ergo adhuc.

S. Hieronymus in Amos 9. inſinuare videtur, Henochum aſcendentem ad Cœlum Jeſum una cum Moy-

(1) *Luc.* 23. 43. (2) *Ambroſ. Epiſt. Claſſ.* 1. *Ep.* 38. *n.* 7. *Dives Henoch, qui quod habuit ſecum tranſtulit, & omnem illum bonitatis ſuæ cenſum cœleſtibus intulit receptaculis.* (3) *Ad Pammach. Ep.* 61. *pag.* 184. *antiq. edit.* (4) *Athan. l.* 2. *pag.* 693. *orat. de Patriarch. & Prophet.* (5) *Abenezra Salom. Jarchi, & alii apud Menaſſe Ben. Iſrael, lib. de fragil. human. ſect.* 12. *art.* 7. (6) *Vide Druſ. de Henoch, t.* 1. *p.* 2. *pag.* 379. *Crit. Sacr.* (7) *In* 2. *Reg.* 2. 1. (8) *Chryſoſ. t.* 5. *homil.* 238. *p.* 877. (9) *Conſtitut. l.* 5. *c.* 7. (10) *Iren. l.* 4. *c.* 16. *& l.* 5. *nov. edit.* (11) *Cypr. ſeu alius de montib. Sina & Sion adverſ. Judæos.*

Moyſe, & Elia comitatum iniſſe, adeoque æterna ibi gloria donari: ſed & ibidem pariter ſcribit, aſcendiſſe illum una cum S. Paulo, qui ad tertium uſque Cœlum raptus fuit: ex quo ſatis intelligimus, nequaquam egiſſe S. Doctorem de translatione immortalis corporis in Cœlum, cum maxime alibi de Henoch & Elia ita diſſerat (1): *Necdum mortui, & Paradiſi jam coloni, habeat membra, cum quibus rapti ſunt & tranſlati*. Tradit inſuper in Epiſtola ad Marcellam (2), utroſque illos Prophetas necem in exitu mundi manere, qualis in Apocalypſi cap. 11. 3. &c. deſcribitur.

Hilarius Diaconus Author Commentarii inter Opera S. Ambroſii in 1. Cor. 4. 9. ſcribit, Henoch & Eliam in Antichriſti perſecutione interimendos, quorum etiam projicienda cadavera in forum, ut horrori ſint intuentibus. S. Ambroſius, cujus textum ſupra laudavimus, ſubobſcure inſinuantem & Henochi obitum, & tranſlationem in Cœlum, ſatis aperte præfert poſteriorem hanc ſententiam, cum virum illum ſocium adjungat Eliæ, ſuperſtiti utique, nemine refragante (3). Cum autem ambos Prophetas in Cœlo conſtituit, hanc ille ſententiam tenet, quam ante ipſum plures adoptaſſe ſupra animadvertimus.

Et in Lucam l. 3. ad finem ita diſſerit: *Henoch vero nonne manifeſtum pietatis Dominicæ, & divinitatis indicium eſt, ut quod nec mortem ſenſerit Dominus, & ad Cœlum remeaverit, cujus generis author raptus ad Cœlum eſt?* Aſcenſionem Jeſu Chriſti in Cœlum typo quodam exprimere Henochum S. Gregorius Magnus hom. 29. in Evang. num. 6. aſſeruit eadem phraſi, qua Eccleſiaſtici Scriptores frequenter.

S. Auguſtinus de Gen. ad lit. l. 9. c. 6. ne ambigit quidem, virum hunc & ſuperſtitem ex hominibus migraſſe, & modo etiam vitam agere ab omni morborum & ſenectutis incommodo tranquillam; rediturum tandem in Mundum, quo commune mortalium omnium fatum, mortem ſcilicet, ſubeat, reſurrecturum deinde ad vitam immortalem. Et in lib. 1. de Peccator. merit. c. 3. tenet, Henoch & Eliam immortalitate quidem non donari, verum ſuperſtites adhuc, & nulla cibi indigentia laborantes vitam ea plane ratione ſuſtentare, qua Elias in prolixa 40. dierum inedia, vel ſi forte cibos capiunt, ita ſe tamen in eo gerere, quomodo Adam in Paradiſo terreſtri ante crimen admiſſum. Tandem non invitum perſuaderi ſe dicit, tranſlatos illos in hortum Eden, documentum autem exhibere, quid Adam & Evæ ſperandum fuiſſet, ſiquidem in fide Dei jubentis manſiſſent. Poſt allata adeo teſtimonia, fruſtra alia in cauſam adduceremus: quare ſtatuamus oportet, vivere adhuc Henochum, prodigio quodam ex hominibus tranſlatum; frui autem guſtu quodam anticipatæ beatitudinis; mortem extrema die ſe manentem oppetiturum poſtquam ad æternam felicitatem admittetur.

Quonam vero Henoch tranſlatus eſt? Non convenire in loco illo aſſignando Veteres jam animadvertimus. Collocant alii virum in Cœlo, alii in Paradiſo terreſtri, alii judicium ſuum ea in re ſuſpendunt; tuti otioſe admodum ſupervacaneam hanc quæſtionem, nulla ſatis aperta authoritate definiendam, tractari. Latinus Textus Libri Eccleſiaſtici tranſlatum in Paradiſum profert; ſed deeſt illud, *in Paradiſum*, in Græcis Originalium loco habitis: quando autem admitteretur, de ſignificatione hujus nominis ex integro quæſtio reparaٰretur.

Refert S. Irenæus l. 5. c. 5. Diſcipulos Apoſtolorum docuiſſe, Henoch & Eliam vitam agere in horto Eden, ubi olim primi parentes vitam duxerunt tranquillam; *ibi autem manere eos, qui tranſlati ſunt, uſque ad conſummationem*. Hæc ex Diſcipulis Apoſtolorum recepta ſententia obtinuit deinde in Eccleſia. Pſeudo Juſtinus in Quæſtionibus ad Orthodoxos q. 85. habet, viros illos ſanctiſſimos in obitu Jeſu Chriſti revocatos ad vitam, & ab incolis nonnullis Sanctæ Civitatis per viſum ſpectatos (4), vivere nunc etiam in Paradiſo terreſtri, una cum Henoch & Elia generalem reſurrectionem opperientes, poſt quam ad vitam undequaque immortalem transferentur.

S. Auguſtinus, quamquam alioqui maxime cautus in ferenda de rebus dubiis ſententia, aſſerere tamen videtur, Henoch & Eliam in Paradiſum terreſtrem tranſlatos, ibi verſari (5): *Nam quo eos credendum eſt fuiſſe tranſlatos, niſi ubi eſt ipſum lignum vitæ, unde illis ſit poteſtas vivendi, nec ulla moriendi neceſſitas?* Frui autem illos credit omnibus conceſſis olim Adamo privilegiis, quorum pariter in conſortium veniſſent ceteri Adami poſteri, ſi quidem primus ille hominum parens admiſſo crimine duram mortis neceſſitatem ſibi & poſteris non ſubiiſſet. Addit, in eo vitæ ſtatu Deum viros illos ſanctos in innocentia ita continere, ut neceſſario peccatum non admittant, nec illorum exaudiantur illæ voces; *Dimitte nobis debita noſtra*. Nec tamen ita ſe perſuaſum exhibet S. Doctor de mora Henoch & Eliæ in Paradiſo terreſtri, ut quæſtionem illam in utramque partem agitari non poſſe teneat (6). Credimus, ait Auguſtinus, vivere adhuc illos in mortali corpore; integrum autem nobis eſſe ducimus, ut quæramus an in Paradiſo degant, vel alibi.

Pſeudo Iſidorus in Tractatu de vita & morte SS. c. 3. S. Thomas (7), aliique plures (8), tranſlatos cenſent Henoch & Eliam in Paradiſum terreſtrem. Verum S. Athanaſius (9) autumat, Henoch tranſlatum fuiſſe in Paradiſum, quo raptus eſt S. Paulus, & qui Latroni poſt obitum Jeſu Chriſti patuit: tenetur autem, S. Paulum ad Cœlum raptum fuiſſe, eoque pariter introductum Latronem cum Jeſu Chriſto poſt reſurrectionem. S. Ambroſius epiſt. 38. primæ claſſis ſcribit, Henoch divitias ſuas in cœleſtes theſauros tranſtuliſſe. S. Hieronymus (10) aſſerit de Henoch, & Elia, inter cœleſtes cives admiſſos, in Paradiſo verſari, *ubi veſcuntur cœleſti pane, & ſaturantur omni verbo Dei, eumdem habentes Dominum, quem & cibum*. Aſſerit tandem Joſephus Antiq. l. 1. c. 4. ad Deum perrexiſſe illum, ex quo factum, ut ejus mors nullibi ſcriberetur.

S. Gregorius Magnus (11), & poſt illum Rupertus Abbas, nihil ſatis certi determinantes, notant, verſari illum in loco quodam ſancto hujus terræ in tranquillo animæ & corporis; rediturum poſtea in conſummatione mundi inter homines, ut indictum omnibus mortis tributum ſolvat. Tertullianus de Reſurrect. carnis c. 58. de Henoch & Elia habet: *De orbe tranſlati, & hoc ipſo jam æternitatis candidati*. S. Chryſoſtomus ſive de loco ſive de ratione tranſlationis quæſtionem inſtitui curioſius vetat (12): ſatis enim habere nos monet, ſi teneamus ſuperſtitem illum a Deo tranſlatum, verſari in loco quodam Deo tantum noto, ceteris incognito. Eadem obſervat Theodoretus q. 43. in Gen. Satis eſt nobis, ait, ſi illa cognoverimus quæ nobis Deus in Scripturis ſuis revelavit, nec ulterius inquirenda, quæ latere ille nos voluit. Scite admodum ſententiam ſuam ea de re proferunt Theophylactus & Oecumenius (13). Tenemus, inquiunt illi, Henoch tranſlatum fuiſſe, vivere adhuc ſcimus; ſive autem rationem tranſlationis, ſive locum, quo tranſlatus eſt, ignoramus. Nec aliter nobis in re præſenti ſtatuendum eſt. Quæ enim S. Irenæus tamquam a Diſcipulis Apoſtolorum recepta perhibet, de tranſlatione nempe Henochi in Paradiſum terreſtrem, forte aliquid ſapiunt de errore Millenariorum, invaleſcente plurimum in illo Eccleſiæ exordio.

(1) *Adverſ. error. Jo. Jeroſol. Vide & l. 3. cont. Pelag. Hanc communem mortem, qua & bruta ſolvuntur animalia, Henoch, & Eliam needum vidiſſe cognoſcimus.* (2) *Epiſt.* 147. *pag.* 343. *vet. Edit.* (3) *Epiſt.* 38. *pag.* 942. *n.* 7. (4) *Matth.* 27. 53. (5) *Auguſt. contra Julian. l.* 6. *c.* 30. *pag.* 1360. 1361. (6) *De peccat. Origin. contr. Pelag. & Cœleſt. cap.* 23. *num.* 27. (7) *D. Thom.* 1. *p. q.* 102. *art.* 2. *ad* 3. *&* 3. *p. q.* 49. *art.* 5. *ad* 2. (8) *Cedren. p.* 8. *Chronic. Alexandr. Beda de Templo Salom. c.* 19. *p.* 38. (9) *De Synod. Nicæn. decret. p.* 214. *nov. edit.* (10) *In Amos* 9. *& Epiſt.* 61. *ad Pammach. adverſ. error. Joan. Jeroſolym.* (11) *Hom.* 29. *in Evang.* (12) *Homil.* 21. *in Gen.* (13) *Theophylact. & Oecumen. in Hebr.* 11.

dio; quippe cui fidem adſtruxerit authoritas Chriſtianorum ex Judæis, qui ſe Apoſtolorum Diſcipulos jactitabant, quamquam Apoſtolicæ doctrinæ parum omnino tenaces.

Opinionem ſuam de tranſlato Henoch, & Elia in ipſum eumdem Paradiſum, quo raptus olim S. Paulus, & probus iſte Latro introductus, opinionem, inquam, illam accepto retuliſſe videtur S. Athanaſius ex illo S. Irenæi, conſtituentis Henoch, & Eliam cum reliquis Juſtis in horto Eden, quo pariter raptum credit Apoſtolum. Porro horti Eden nomine intelligendus eſt Paradiſus terreſtris, juxta Millenariorum & Veterum etiam complurium ſententiam. Terreſtrem hunc Paradiſum conſtituit Origenes in tertio Cœlo, quo raptus Apoſtolus (1). Origenem ſequitur S. Ambroſius de Paradiſo. c. 3. Moyſes Bar Cepha in ſuo Libro de Paradiſo terreſtri illum conſtruit terram inter & firmamentum medium, eoque introductum probi illius Latronis Spiritum. Idem ſpectes in Lucubrationibus Severiani, & Eulogii, qui non alium locum conſtituunt animabus Sanctorum, quæ ex hoc mundo ſeceſſerunt. S. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis in Geneſim ceaſet, Paradiſum terreſtrem ante creatum mundum ſtetiſſe; collocat ergo eum locum extra mundum; vel ſaltem ita tenent Hebræi. Satis hæc, quantum arbitror, ad excuſandam ſententiam S. Irenæi, & S. Athanaſii: nec alia fuit mens S. Ambroſio, & S. Hieronymo, docentibus, Henoch & Eliam ad Cœlum aſcendiſſe; vix enim perſuaderemur, SS. illos Doctores ſuperſtites adhuc homines, quos ad diem certam manebat interitus, conſtituere voluiſſe in deſtinata Angelis immortalitate, donatis hominibus gloria & ſede.

ARTICULUS III.

De regreſſu Henoch in mundum, in ſæculi conſummatione.

EX his, quæ hoc uſque diſſeruimus, ſatis animadvertiſſe arbitror Lectores acceptam inter Patres ſententiam tenere, Henoch, & Eliam non jugem tantum degere nunc vitam, ſed & ſtatuendos pariter certa die in prælium contra Antichriſtum, ac tandem perimendos ab adverſario illo omnium Sanctorum, reſtituendoſque poſt hæc in vitam & gloriam immortalem. Utrique illa viris accommodant illud Apocalypſis 11. 1. &c. quo Dominus præcepit S. Joanni, ut Templum & Altare cultoreſque illius metiretur, abſtineret autem ab atrio & Templi ambitu, quod ſcilicet Gentium poteſtati relinqueretur, a quibus Urbs ſancta pedibus proculcanda eſſet menſibus *duobus & quadraginta*: Sed adjecit Dominus, *dabo duobus teſtibus meis & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ olivæ, & duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes. Et ſi quis voluerit eos nocere, ignis exiet de ore eorum, & devorabit inimicos eorum .... Hi habent poteſtatem claudendi Cœlum ne pluat diebus prophetiæ ipſorum; & poteſtatem habent ſuper aquas, convertendi eas in ſanguinem, & percutere terram omni plaga, quotieſcumque voluerint. Et cum finierint teſtimonium ſuum, beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet adverſum eos bellum, & vincet illos, & occidet eos; & corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus eſt; & videbunt de Tribubus, & populis, & linguis, & Gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium, & corpora eorum non ſinent poni in monumentis ... Et poſt tres dies & dimidium ſpiritus vitæ a Deo intravit in eos; & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui viderunt eos.*

Frequentes adeo Patres & Interpretes in hanc ſententiam conceſſerunt, ut æſtimari ſatis non poſſit Recentiorum quorumdam audacia, quibus omnia quæ de regreſſu in mundum Henoch, & Eliæ ad exitum ſæculorum feruntur, commenta reputantur. Notat Suicerus (2), Ravanellum in Bibliotheca ſua *v. transferre* ea proferre, quæ fabulam de reditu Henoch apertiſſime exibilant. Ravanellum ego quidem non legi: legiſſe me tamen profiteor Scripta Patrum, & Veterum Eccleſiæ Authorum, quorum neminem apertis verbis rem illam negantem offendi; plures quin etiam luculentiſſime aſſerunt: & quicumque alteram ſibi interpretandi Textum Apocalypſis methodum ſtruunt, duos teſtes interpretantur Eliam & Moyſem, vel Eliſeum, vel S. Joannem Baptiſtam; quorum aſſerta mors in Scriptura; ſive Jeremiam, cujus mortem licet conceptis verbis Scriptura non exprimat, nihil tamen habet ut ſuperſtes credatur. Si quis ergo in mundum iterum rediturus eſt, id profecto privilegium Henoch aſſerendum, quem tranſlatum diſcimus ex Textu Moſaico, ſicut & vitam adhuc agere ne ambigendi quidem ullus eſt locus, poſt Apoſtoli ad Hebr. 11. 4. teſtimonium: *Fide Henoch tranſlatus eſt, ne videret mortem.*

Veteres fere omnes & Recentiores, qui in Apocalypſi ſcripſerunt, uti Andreas, & Aretas Epiſcopi Cæſareæ in Cappadocia (3), Beda, Primaſius, Berengarius, Ambroſius, Auſpertus ſive Anbertus, Haymo Halberſtadenſis, Hugo de S. Caro, Dionyſius Carthuſianus, Vatablus, Vega, Ribera, Cornelius a Lapide, & alii. Quicumque pariter ſcriptis Operibus de Antichriſto diſſeruerunt, uti S. Hippolytus Martyr, Rabanus Maurus, Adſon Dervenſis Abbas in Diœceſi Catalaunenſi, cujus eſt Liber impreſſus in Appendice ſexti tomi novæ Editionis S. Auguſtini, & alii plures; tamquam certa & continuata traditione a priſcis acceptam notant futurum, ut Antichriſtus pugnet adverſus duos teſtes, Henoch, & Eliam, victoſque trucidet; quos teſtes, juxta Apocalypſis teſtimonium, tradunt pœnitentiam gentibus prædicaturos ſacco indutos 1260. dierum ſpatio (4). Poſt dierum illam periodum, inquiunt, duo teſtes in medio Urbis Jeruſalem jugulabuntur, & honore ſepulturæ privati jacebunt, donec recepto vitæ ſpiritu a Deo dias iterum auras ſpirabunt.

S. Irenæus l. 5. c. de Henoch & Elia, in Paradiſo terreſtri verſantibus agens, commoraturos ibi docet *uſque ad mundi conſummationem*. Tertullianus de Anima c. 50. *Ceterum morituri reſervantur, ut Antichriſtum ſanguine extinguant*. S. Hilarius in Matthæum cap. 20. pag. 710. de Moyſe & Elia transfigurationis Jeſu Chriſti teſtibus agens, *Hos quidem*, ait, *eoſdem Prophetas duos prævenientes adventum ejus intelligimus, quos in Apocalypſi Joannes ab Antichriſto perimendos eſſe dicit, licet variæ vel de Henoch vel de Jeremia plurimorum fuerint opiniones, quod alterum eorum, ſicut Eliam, mori oporteat.* Ephrem Patriarcha Theopolitanus, vel Antiochenus apud Photium Cod. 229. tradit, *Henoch, Eliam, & Joannem Baptiſtam* poſt diuturni admodum temporis vitam, morte tandem interituros, ſed inviſa tantum oculis, ut iterum ad gloriam reſurgant. S. Ephrem Syrus, Sermone de adventu Chriſti & Antichriſti, Dei miſerantis pietate committendum dicit, ut Henoch, & Elias Antichriſto opponendi, ejuſque doctrinam refutaturi, minas & ſævitiam repreſſuri, proximum Servatoris adventum annunciaturi, veniant in mundum.

Hilarius Diaconus (5) obſervat, viros ſanctos numquam non perſecutionibus vexari; ut Enoch, & Elias, qui a Deo miſſi adverſus Antichriſtum in mundi exitu pugnaturi ſunt, *quos & perſecutiones pati, & occidi lectio Apocalypſis teſtatur*. S. Ambroſius in Pſalm. 95. n. 21. beſtiam ex abyſſo egredientem, nempe Antichriſtum, adverſus *Henoch Eliam, & Joannem Baptiſtam*, teſtes a Deo pro Jeſu Chriſto mitten-

(1) *Vide Huet. Origenian. l. 2. q. 22. ar. 7.* (2) *Theſaur. Eccleſ. in Enoch. Ita & alii, ut Druſ. in Henoch, & Calviniani.* (3) *Andreas in Apoc. 11. 1. 6. Biblioth. PP. & Aretas in Apoc. 11. 1. 9. Biblioth. PP.* (4) *Apocal. 11. 3. &c.* (5) *Ambroſiaſt. in 1. Cor. 4.*

tendos, uti docet Apocalypſis, pugnaturam teſtatur. Nomen S. Joannis Baptiſtæ legas, quemadmodum in Editionibus nonnullis, ita pariter in Mſs. quibuſdam, quamquam minori numero, uti obſervant Authores poſtremæ Editionis hujus S. Doctoris. S. Joannes in Apocalypſi nonniſi duorum teſtium meminit; & Evangelii authoritate compertum eſt, S. Joannem Baptiſtam capite obtruncatum ab Herode; ejus ergo nomen ſuperfluere in Textu videtur.

S. Hieronymum conſuluerat Marcella (1), an ſinguli homines morti & reſurrectioni deſtinentur, quando juxta Apoſtolum coram Jeſu Chriſto in aera producendi erunt (2). Ambigebat illa, num Henoch & Elias ipſi pariter inter mortuos futuri eſſent; quippe quos occidendos ab Antichriſto notet S. Joannes in Apocalypſi. S. Hieronymus ultro admittens veritatem eorum, quæ de adventu & morte duorum Prophetarum ſcripſerat Marcella, reſpondit, eos qui forte ſuperſtites ad illum Domini adventum pervenient, coram Judice elevandos in corpore, novis dotibus gloriæ & immortalitatis auctos. Paria docet S. Auguſtinus contra Julian. lib. 6. cap. 39. hæc habens de Henoch, & Elia: *Creduntur ad exiguum temporis redituri in has terras, ut etiam ipſi eum morte confligant, & quod primi hominis propagini debetur, exſolvant.* S. Gregorius Magnus (3): *Henoch, & Elias ad mundum revocabuntur, & crudelitatis ſævitiam in ſua adhuc mortali carne paſſuri ſunt.*

Pſeudo Proſper in Libro de Promiſſionibus & Prædictionibus cap. 13. docet, ea plane ratione, qua Moyſes, & Aaron legatione ad Pharaonem functi ſunt, & adverſus illos Jamnem & Mambrem Diabolus oppoſuit; ita pariter adverſus Antichriſtum a Deo miſſi ſtabunt Henoch & Elias, quibus tres Pſeudo-Prophetæ ab eodem Diabolo opponentur. Teſtium agmen claudet Cedrenus, Philippus Solitarius (4), S. Joannes Damaſcenus (5), in Patrum illorum ſententiam concedentes. Tradit enim S. Damaſcenus, venturos in mundum Henoch & Eliam, & ut Antichriſto reſiſtant, & cor Patrum ad filios reducant, id eſt, Synagogam ad Eccleſiam, & Judæos ad Chriſtianos; quo functi munere, ait, ab Antichriſto interficientur, ſtatimque Dominus toto Majeſtatis apparatu, & naturæ humanæ exuviis ad gloriam circumdatus, ea plane ſpecie, qua ad Cœlum aſcendentem viderunt Apoſtoli, in terram deſcendet.

Hanc tamen tot virorum doctiſſimorum ſuffragiis firmatam ſententiam numquam Eccleſia inter articulos fidei recepit, ſive a fidelibus communi aſſenſu probata eſt. Opinio eſt enim Theologica, cui repugnare, ſalvo veterum Patrum & Authorum Eccleſiaſticorum, qui pro illa ſteterunt, obſequio, unquam non licuit. Suſpicantur aliqui, duos illos Teſtes apud S. Joannem, eſſe Moyſem & Eliam, Legem & Prophetas (6). Tenet alii (7), nomine illo duo deſignari Teſtamenta, Vetus & Novum, & utriuſque Doctores ac Prædicatores. Alcazarius ſtat pro Moyſe & Elia, ſapientia nempe & zelo primitivæ Eccleſiæ teſtimonium ferentibus Jeſu Chriſto; Moyſes enim divinam ejus ſapientiam commendat, Elias ſanctitatem & zelum.

De Elia & Eliſeo, ſive Elia & Moyſe dictum explicat Victorinus Petavienſis (8), ſed obiiſſe Moyſem & Eliſeum tam certum eſt, quam quid aliud. Cum de Jeremiæ morte nullibi ſcriptum reperiatur, Veteres omnes autumarunt, ait idem Scriptor, Jeremiam alterum eſſe e Teſtibus S. Joannis. Tres, non duos teſtes aſſignant Ephrem Patriarcha Antiochenus, & S. Ambroſius, nempe Henoch, Eliam, & Joannem Baptiſtam. S. Hilarius ſtare ſe ſignificat pro ſententia, quæ Moyſem & Eliam tenet; quamquam fatetur, aliorum opinionem præferre Henoch ſive Jeremiam. Moyſi & Eliæ favent pariter Gagnæus, Catharinus, Maldonatus in Matth. 17. & Joachim Abbas.

Apocalypſis Oraculum non de futuro, ſed de tranſacto tempore ita intelligunt aliqui, ut duorum teſtium nomine deſignatos credant Jeſum Chriſtum & S. Joannem Baptiſtam. De Sylveſtro Papa & Menna Patriarcha Conſtantinopolitano, conatibus Eutichetis Hereſiarchæ ſeſe opponentibus, exponunt S. Antoninus, Lyranus, & Aurelius (9). Quæ ſententiarum varietas ſatis indicat, amplam cuique dari opinandi in hac re facultatem.

Ex his quæ huc uſque diſſeruimus, ſtatuendum arbitror primo, quamquam nihil certi ſtatui poteſt de tranſlatione Henoch ex verbis Moſaicis, rem tamen extra controverſiam ponere tum Apoſtoli Pauli oraculum, cum Eccleſiaſticæ traditionis authoritatem, quibus utique docentibus intelligimus, tamquam fide certum tenendum eſſe, virum hunc ſuperſtitem adhuc uſque manere. 2. De pietate & virtute hujus viri nullum eſſe ambigendi locum, quidquid ſentiant in contrarium Rabbini: verſari autem modo in eo rerum ſtatu, in quo, licet mortali corpore indutus, nulli tamen cordis corruptioni obnoxius ſit. 3. Quamquam non conſtare ſatis ex diſſenſu Patrum & Interpretum de loco tranſlationis ejus videtur, ſi quis tamen propius eorum ſententias perpendat, convenire ſatis intelliget in aſſignando Paradiſo terreſtri, quem alii in terra, alii in Cœlo collocant. 4. Tandem, quamquam nullos certo opinandi limites præſcribat Eccleſia, in determinandis duobus illis teſtibus in exitu ſæculorum, de quibus in Apocalypſi, fateamur tamen oportet, ſententiam illam, quæ venturum in mundum Henoch & Eliam præfert, multum ceteris præſtare ſive antiquitate, ſive merito & numero Scriptorum.

DISSERTATIO
DE LIBRO HENOCH.

Mirari ſubit profecto, quomodo fieri potuerit, ut priora illa Eccleſiæ ſæcula, Fidelium ſanctitate, & Martyrum numero adeo illuſtria, miraculis & doctrina Apoſtolorum eorumque Diſcipulorum adeo felicia, tantam nihilominus intus & in ſe foverent hæreſum corruptionem; exteros vero hoſtes paterentur adeo perniciosos, molientes calumniis & blaſphemiis invidiam Chriſtiano nomini conflare plurimam. Inde tot falſa Evangelia, tot Pſeudo Actus Apoſtolici, Apocalypſes ſive Revelationes, rerum geſtarum a viris in Eccleſia ampliſſimis Acta corruptiſſima. Inde abominanda Sectarum monſtra, Simonianorum, Nicolaitarum, Gnoſticorum, Carpocratianorum, Baſilidianorum, Menandriorum, aliarumque, quarum ſingulis aſſerendis ſua erant corruptiſſima Evangelia, & ſcripti alieni plane ab Eccleſiæ doctrina Libri.

Aliud tunc temporis emerſit adverſarium genus, quorum licet minor eſſet nocendi voluntas, conſilium tamen maxime obfuit Religioni; Authores nempe Apocryphorum quorumdam Librorum, qui Lucubrationibus ſuis nomina præſcripſerunt virorum, ſive in Synagoga, ſive in Eccleſia, ſive apud Gentiles ampliſſimorum; rati id potiſſimum conducturum, ut ad Religionem Chriſtianam Judæos &

(1) *Hieron. ad Marcellam Epiſ.* 148. *p.* 347. *Ver. Edit.* (2) 1. *Theſſal.* 4. 16. (3) *In Job c.* 18. *l.* 14. *c.* 22. *V. & in Ezechiel. hom.* 12. *l.* 1. *p.* 1295. *n.* 7. 8. 9. (4) *Dioptr. Rei Chr. in Biblio. PP. t.* 21. *p.* 592. 593. (5) *L.* 4. *c.* 27. *p.* 300. (6) *Ari. Montan. & alii.* (7) *Pannon.* (8) *Bibli. PP. t.* 3. *p.* 418. (9) *Ita Ubertin., Michael, & Eiſ{g}inber in Pentaple p.* 109.

Paganos converterent, ſi prædictum a viris apud illos magni nominis Chriſtum demonſtrarent. Ea fuit mens Scriptoribus illis, qui Lucubrationes obtruſerunt ſub nomine Triſmegiſti, Sybillarum, Libri Henoch, quarti Eſdræ, Teſtamenti duodecim Patriarcharum, ſicut & alias ejuſdem generis. Ea fraude impoſitum eſt non raro vetuſtiſſimis Eccleſiæ Patribus, quibus, non ſatis in ea re cautis, tanta virorum nomina fucum fecerunt.

Tanto fuit hujus artificii major pernicies, quanto infallibilior videbatur effectus; ſiquidem vel pernicioſa illa Opera tamquam genuina, & Scriptorum, quorum præferebant nomina, ſincera reputanda erant, ex quo erroribus etiam non infrequentibus in ejuſdem farinæ Operibus fides aſſerebatur non ſuſpecta: ſive rejiciebantur tamquam apocrypha & impoſtorum fraude ſuppoſita; & ea pariter nota præjudicio quodam inurebantur ſincera Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum Opera: unde parum Fidelibus de fraude ſuſpicantibus utilitatis; multa vero obtrectandi ceteris a fide alienis anſa, quippe qui vera a falſis ſecernere ſive nollent ſive non poſſent. Hinc minor etiam in Fidelibus ſicut & in Infidelibus erga ſacrarum Scripturarum authoritatem amor & obſervantia.

Liber Henoch, de quo modo, varie in Eccleſia receptus eſt. Primo illi quidem multum a prioribus Fidelibus delatum, quin & inter Canonicos a nonnullis receptus eſt, vel ſaltem inter Opera Religioni plane non repugnantia, quod teſtimonium ab illo petitum in Epiſtola S. Judæ animadverterint; cum interim tamen alii minus creduli & magis cauti vel fidem ſuam retinerent, vel tamquam apocryphum rejicerent. Porro de ejus authoritate perſuaſi Patres, ſententiam inde ſuam, quæ futilis licet, maxime tamen apud Veteres obtinuit, retulerunt; nempe Angelorum perduellium manum, quod in filias hominum turpi quodam tenerentur amore, excuſſo Dei jugo, junxiſſe ſe cum illis fœminis, iiſque parentibus natos liberos corporis proceritate & criminum granditate apud Veteres ſub Gigantum nomine ſat notos.

De Libro Henoch primus omnium meminit S. Judas; poſt quem laudatur in Teſtamento duodecim Patriarcharum, vetuſtiſſimo illo plane, cujus ſermo eſt apud Origenem hom. 15. in Joſue. Ex eo Libro ſententiam ſuam de connubio Angelorum cum filiabus hominum derivarunt S. Juſtinus Martyr (1), S. Clemens Alexandrinus (2), S. Irenæus (3), Tertullianus (4), Athenagoras Legat. pro Chriſt. S. Cyprianus de diſcipl. & habit. Virg. 3. 54. Lactantius lib. 2. c. 14. Sulpicius Severus hiſt. Sacr. lib. 1. Minutius Felix in Octavio, S. Ambroſius (5), Proclus & Pſellus Philoſophi Chriſtiani. Hujus erroris origo eſt facile Textus Septuaginta, in plurimis Exemplaribus ita ferens: *Angeli Dei videntes filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi in uxores ex omnibus, quas elegerant;* quo loco Hebræus & Vulgata habet: *Videntes filii Dei filias hominum &c.* Præpoſtere igitur intellectus locus Septuaginta fabellæ de Angelorum defectione & connubio materiam ſtruxit & occaſionem.

Integrum Opus periit, fragmenta tantum ſervantur, quibus deſiderium amiſſi operis non ſatis magnum inducitur. Hæc verba e Libro Henoch laudat S. Judas in Epiſtola ver. 14. *Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii.* Hic, ait Apoſtolus, *prophetavit de his* (corruptoribus doctrinæ Jeſu Chriſti, quibus accommodat, quæ de impiis ante diluvium dicta ſunt) *ſeptimus ab Adam Henoch.* Author Teſtamenti duodecim Patriarcharum fragmenta quædam ſervat, quorum potiſſima dabimus infra. S. Irenæus l. 4. c. 30. docet Henoch, *cum eſſet homo*, legatione ad Angelos functum fuiſſe, & tranſlatum fuiſſe. S. Juſtinus, aliique plures, quos ſupra recenſuimus, de impuro quodam Angelorum in filias hominum amore tractarunt. Angelorum perduellium inventa plura recenſet Tertullianus de cultu fœminarum lib. 1. cap. 2. e Libro Henoch. S. Hilarius in Pſal. 132. verſ. 3. tradit, in defectionem contra Deum terribilibus anathematiſmis inter ſe conſpiraſſe, coactos in monte, cui exinde nomen manſerit *Hermon*, ideſt *Anathema*.

Sed majoris momenti, & ad doctrinam præ omnibus conferens, fragmentum recitat Syncellus in ſuo Chronico (6), & publici juris fecit omnium primus Joſephus Scaliger ad Græca Euſebii: hujus autem hæc ſumma. Vigiles, Græce Egregori, (ita ad Danielis (7) imitationem) fœminas turpi deperientes amore, mutuis ſe adhortationibus excitarunt, ut ſibi in conjuges charas quiſque puellas adſciſceret. Semiexas vel Samſai Princeps Egregororum, coactam in celſiſſimi montis cacumen ducentorum manum ita affatus eſt: Vereor ego quidem, ne initi inter nos conſilii vos terreat executio; quare ab incepto deſiſtentes omnes in me unum perduellionis reum Dei vindicis furorem totum convertatis. Optimum proinde factu cenſeo, ut ſacramentis & anathematiſmis nos invicem adigamus ad opus. Nec mora; ſtatim omnes terribilibus ſacramentis & obſecrationibus ſeſe adſtrinxerunt ad propoſiti operis executionem, ex quo monti nomen *Hermon*, i. e. *Anathema*. Supremorum perduellonis Authorum nomina hæc ſunt: 1. Semiexas; 2. Atareuph; 3. Araciel; 4. Cobabiel; 5. Horammamus; 6. Ramiel; 7. Sampſich; 8. Zaciel; 9. Balciel; 10. Azabrel; 11. Pharmatus; 12. Amariel; 13. Amagemus; 14. Thauſail; 15. Samiel; 16. Sarinas; 17. Eumiel; 18. Tyriel; 19. Jumiel: 20. Sariel.

Anno ab orbe condito, ait idem Author, 1170. (8) Angeli ſeu vigiles connubia ſua cum fœminis inierunt, perſeverantes cum illis uſque ad diluvium. Nata ex his trium liberorum genera, nempe *Enakim* filii; *Nephilim* nepotes; & *Eliudim* nepotum filii. *Enakim* ſive Gigantes uxores & coævos ſuos res magicas & venenatorum poculorum uſum docuerunt. Abzazel, ſive Azabzel, decimus inter ſupremos illos Angelos perduelles, inſtruxit homines in rebus Chymicis, liquandorum & parandorum metallorum artem, armorum & bellicorum inſtrumentorum fabricam; rationem expoliendi ad uſum gemmas, & ad fœminarum pellectum muliebrem ſuppellectilem. Semiexas ceterorum Princeps, furoris & ultionis primus incentor, venena ex herbis exprimendi pernicioſam artem docuit. Pharmarus (9), undecimus inter Principes, curioſas artes magiæ & aſtrologiæ invexit. Aeris ſigna explicavit Zaciel; aſtrorum curſum Balciel; Aſtrologiam Cobabiel; terræ ſigna Araciel; ſolis Sampſich; Lunæ ad præſagia futurorum Sariel.

Cum igitur nati Gigantes cibum ſibi ex hominum carne pararent, factum inde ut imminuto plurimum hominum numero, paucitatem ſuam intelligentes, qui inter illos ſupererant, Deum precibus ſollicitarent, ne charos ſibi homines negligeret. Tunc quatuor Principes Angeli, Michael, Uriel, Raphael, & Gabriel coram Domino ſeſe ſiſtentes, verbis plurimis exaggerarunt mala intolerabilia, quibus Angeli perduelles terram vaſtaverant; nec ſiluerunt quæ a Gigantibus per dies ſingulos committebantur; repræſentarunt ſuſpiria emiſſa a ſpiritibus animarum viro-

(1) *Apolog. 1. p. 44. & Apolog. 2. p. 55.* (2) *Strom. l. 3. & 5. & Pædag. l. 2. c. 2.* (3) *Iren. l. 4. c. 30. ſeu c. 16. nov. edit. & c. 70. n. 36.* (4) *De Idolol. lib. 2. c. 9. de cultu fœminar. c. 10. de veland. Virg. c. 7.* (5) *De Noe & Arca c. 4. & de Virg. l. 1.* (6) *Chronograph. p. 11. & 24.* (7) *Dan. 4. 10. 14. 20. Hir. Aquil. Sym. Egregori, Vigiles.* (8) Syncellus *p. 16.* refert, Egregoros e Cœlo deſcendiſſe A. M. 1058. Subinde refert, Henoch divinitus reſciviſſe futurum diluvium A. M. 1423. & translatum illum in Paradiſum A. M. 1488. Deum mortis ſententiam in Egregoros dixiſſe A. M. 2121. Diluvium vero conſignat ad A. M. 2241. Quare poſt adventum Egregororum uſque ad diluvium ſpatium relinquitur an. 1143. (9) Legunt alii Pharmaeus ſive Pharmaceus nempe venena conficiens.

virorum illorum, in quos morte fuerat ſævitum (1); illis in terra exitum plurima admiſſa crimina vetabant.

Tunc Omnipotens Urieli præcepit, iret ſtatim ad Noe filium Lamech, ſuiſque verbis renunciaret diluvium non ita poſt multum temporis inducendum ſuper terram, cujus imminens malum annunciaret hominibus; ſe vero compararet, ut a communi hominum in terra exitium repararet; novumque ſubſtitueret hominum genus, ad exitum uſque ſæculorum permanſurum.

Oneravit pariter mandatis Angelum Raphaelem, ut catenis vinctum Azaelem projiceret in tenebras, ima etiam aperiret deſerti Dudael, ut in profundam obſcuritatem Angelum hunc perduellem conjiceret, ſuper prærupta & acuta ſaxa conſtitutum; terram ab iniquitatibus ſuis omnibus repurgaret; ac tandem cenſum ageret hominum & criminum ſibi commiſſorum.

Tum ad Gabrielem: Conferas te illico ad Gigantes, ſuperbos illos Egregororum filios, commiſſoſque invicem in mutuam perniciem armare te illos jubeo & animare.

Præcepit tandem S. Michaeli, conferret ſe ad Semiexam totius ſeditionis principem, & coactum illum oculatum teſtem ſpectare cædem Gigantum filiorum ſuorum, raptaret ad extrema terræ hujus extorrem, ubi uſque ad ſeptuaginta generationes, nempe ad diem judicii, relegaret. Tunc, ait Deus, præceps agetur in chaos ignis æterni, perpetuo clauderur in carcere cum ceteris perduellionis conſortibus. Adjecit: Ad Gigantes in connubio Egregororum cum filiabus hominum natos quod attinet, in terra tamquam pravi quidam Spiritus pererrantes malorum erunt omnium, cædium, & ruinarum authores; homines poſſidebunt, in terram projicient, ſine cibo vitam tolerabunt, ſpectra formabunt & terriculamenta, augentur ſiti, aggredientur homines, torquebunt pueros. Mons vero ille tanti conſilii & conſpirationis, ac terribilium ſacramentorum infamia, diris ſubjicietur anathematiſmis, nivibus & algenti bruma locus erit horrendus ad diem uſque judicii, tunc flammis abſumptus liqueſcet.

Legitur in eodem Opere, Angelum Urielem, aſtrorum principem, anno Henochi 165. Mundi 1286. a Deo miſſum veniſſe docturum Henoch rationem menſis, anni, & ſolſtitii. Hæc ſumma fragmenti Libri Henoch apud Syncellum. Diſpeſcebatur totum Opus in duos ſaltem libros, cum Syncellus primum laudet.

In fragmentis, quæ reſtant, nuſpiam legitur illud, quod e Libro Henoch S. Judas deſcripſit; nec fuiſſe unquam in Opere viri quidam docti ſuſpicantur. Horum aliqui cenſent non e Libro aliquo, ſed e traditione accepta Apoſtolum retuliſſe: aliis ea ſedet opinio, Spiritus Sancti revelatione didiciſſe Apoſtolum, quid Henoch olim vaticinando effatus fuerit (2): alii tandem cenſent, Authorem Libri Henoch nonniſi ex occaſione loci S. Judæ conſilium ſcribendi Operis ſuſcepiſſe, ratum magnam ex inde Operi ſuo exiſtimationem proventuram, tamquam Apoſtolo noto probatumque.

Sed facile conjecturas has omnes evellam. Patres qui Librum Henoch utique legerant, & præ manibus habebant, ſententiam ab Apoſtolo relatam contineri in illo ſatis aperte teſtati ſunt: nec alia ratione, ait S. Hieronymus in Catalog. Script. cap. 4. *a pleriſque rejicitur*, (Epiſtola Jacobi) *niſi quia de Libro Henoch, qui apocryphus eſt, aſſumit teſtimonium* (3). Viciſſim Tertullianus ex Apoſtoli authoritate Libri hujus authoritatem vindicat (4). Quam ſane vim habuiſſet apud Fideles recens converſos laudatum ab eodem Apoſtolo teſtimonium, ſi vel ex Libro parum aſſertæ fidei, vel ignoto prorſus apud gentem, deductum fuiſſet? Opportune quidem Sacer aliquis Author teſtimonio utitur Pagani Vatis cum Paganis agens, propriis velut armis illos conficiens; opportune illud idem Pagani teſtimonium Fidelibus reduceret in memoriam, eas veritates, quas inculcat, vel Ethnicos non latuiſſe demonſtraturus; ſed ignotum vel minus aſſertum Prophetæ oraculum ad extorquendam fidem, nullis aliis teſtibus productis, quis laudet? Itaque ſtatuendum eſt, Prophetiam Henoch vel litteris tunc traditam, vel traditione ſervatam apud Fideles obtinuiſſe.

Ultro enim admittimus ſervatum tunc apud Judæos traditionum quarumdam, abſque eo quod litteris traderentur, depoſitum. Hujus generis arbitramur quæ refert Apoſtolus de Jamne & Mambre, lateri Pharaonis aſſiſtentibus, & prodigia Moyſis eludere annitentibus (5); inde pariter accepta altercatio S. Michaelis cum Dæmone de Moſaici cadaveris poſſeſſione. Cujus ſane traditionis occaſione factum credimus, ut Liber ſcriberetur, noſtra ætate ſervatus ſub titulo *Petirath Moſe*, ſive *Aſſumptio Moyſi*; ſcriptus utique poſt Jeſum Chriſtum, uti apertiſſime prodit mentio everſionis ſecundi Templi. Alter eſt autem Liber iſte ab *Aſſumptione Moyſis*, Veteribus ſat cognita, qui plura ex ea afferunt, nuſpiam in priori illo legenda. Ex eo pariter traditionum fonte recepta credimus geſta quædam ejuſdem Moyſis apud Joſephum relata (6): cujuſmodi geſta memoriæ poſteritatis commiſſa ſerius plerumque litteris traduntur.

In traditionum ejuſmodi cenſum referenda arbitror oracula Henoch, ex quibus deinde natus Liber ſub ejus nomine. Nihil certi ſtatuere poſſumus, an ante, ſive poſt S. Judæ ætatem adornaretur; neque enim ſatis exacte conſtat ſcriptæ hujus Epiſtolæ tempus. Illud tamen aſſerimus, non antea digeſtum fuiſſe Opus, quam poſt everſionem Templi Jeruſalem per Romanos: de illa enim agit Author in fragmento, quod in Teſtamento Levi ſervatum eſt. Factu autem poſſibile cenſemus, ut S. Judas tandiu poſt Templi everſionem ſupervixerit, ut legere commode potuerit Librum Henoch, Patribus deinde viſum & excerptum; legere, inquam, potuerit, & eo, qui menti affulgebat, divino lumine, vel ſaltem populari traditione inſtructus, veritatem a fabulis diſtinguere, atque ſegregare. Sed conjecturæ omnes.

In ipſa ejus origine breviſſimum fuiſſe Opus illud cenſet Grotius, quod deinde novis noviſque acceſſionibus creverit, uti furtivis & apocryphis ſcriptis contigiſſe non ſemel conſtat. Solemne eſt Judæis, ut traditiones, quas magno numero ſervant, Patriarchis attribuant (7); & ſub tantorum nominum obtentu, Doctores eorum, allegoriis & cabalæ ludentes, varia obtrudunt Opera, fabellis & abſurdis aliis pleniſſima: vel ſaltem nihil de veritate ſolliciti, ea in Libris illis tribuunt, quæ Lectorum aures mulcere arbitrantur. Georgius Sincellus factum reputat, ut Liber Henoch tractu temporis a Judæis & Hæreticis corrumperentur; ſed conjecturas affert argumentis deſtitutas: indicet ille additiones, quibus ſubinde inſertum eſt opus, indicet illarum tempora & Authores.

S. Auguſtinus (8) Scribit: *Scripſiſſe nonnulla divina Henoch, illum ſeptimum ab Adam, negare non poſſumus, cum hoc in Epiſtola Canonica Judas Apoſtolus dicat*. Sed conſulto a Synagoga e Canone Scripturarum rejecta illa arbitratur, & facile *ob antiquitatem ſuſpectæ fidei judicata ſunt*. Reipſa autem occurrunt in Libro Henoch fabellæ quædam ad arbitrium confictæ, ut quæ refert de Gigantibus ex Angelis parentibus natis; unde conjectura ducitur, ab impoſtore quodam Lucubrationem illam ſcriptam, ſive ab Hæreticis, alia plurima ejus generis opera procudentibus, ſuppoſita.

Cenſet itaque Sanctus iſte Doctor, laudatum quidem a S. Juda Librum quemdam Henoch, quod planu

 ex Textu

(1) Vide Diſſertationem de natura animæ juxta Hebræorum ſententiam. (2) *Vide Herman. Witſii Meletem. Leidenſ. pag. 501. & Heidegger. hiſt. Patriarch.* (3) *Vide & in cap. 1. ad Tit.* (4) *De cultu Fœmin. l. 1. cap. 3. Accedit quod Henoch ad Judam Apoſtolum teſtimonium perhibet.* (5) 2. *Timoth.* 3. 8. (6) *Antiq. lib.* 2. *cap.* 5. (7) *D. Simon. hiſt. Critic. l.* 2. *cap.* 21. (8) *De Civit. l.* 15. *c.* 23. *& l.* 18. *c.* 38.

ex Textu Apoſtoli aperte ſatis non intelligimus. Non enim ſcripſiſſe Henoch, ſive legi in Henoch hoc illud dicit; ſed tantum: *Henoch prophetavit*; quod plane illi traditione compertum eſſe potuerat. Sed quando ille aliquid ſcripſiſſet, egregie demonſtrat Auguſtinus, aliam fuiſſe Lucubrationem illam genuinam ab ea, quæ tunc obtinebat; duplici id ratione evincens: 1. Quod Judæi a Canone Scripturarum ablegarunt; 2. Quod futilia multa veritati & fidei repugnantia continet.

Joſephus Scaliger [1] Librum Henoch vetuſtiſſimum arbitratur, ſcriptumque Hebraice a Judæis, ut ſub obtentu magni nominis ſimplicioribus imponerent. Sed non ſatis diſerte de antiquitate illa mentem ſuam explicat, an ſcilicet ante, vel poſt Chriſtum; etſi enim non niſi ſecundo Eccleſiæ ſæculo prodiiſſet, vetuſtiſſimum utique Opus cenſeretur. Vix autem cum illo convenimus in iis, quæ de ſcripto Hebraice Libro aſſerit; ejus enim ſententiæ argumenta nulla ex ipſo Opere deducuntur. Hebraiſmos occurrere in illo non diffiteor; ſed & Hebraiſmos pariter animadvertas in Græcis Helleniſtarum Operibus, uti in Libris N. T. & in Machabæis. Suſpicatur Hottingerus, Græcum eſſe Operis Authorem, cujus rei argumentum exhiberi in nomine Pharmacus, ſive ut ipſe legit, Pharmachus; Pharmacus enim Græce eſt veneficus.

Contendit D. Grabe [2], Librum illum deberi Judæo cuidam Authori ætate J. C. multo vetuſtiori; quod duobus argumentis demonſtrat. 1. Alexander Polyhiſtor apud Euſebium Præpar. l. 9. c. 17. refert, tradi ab Eupolemo Henoch Aſtrologiæ Authorem fuiſſe, cujus rei honor Atlanti a Prophanis tribuitur; Atlantem autem Græcorum eumdem eſſe virum ac Henoch Judæorum. 2. Liber, Zohar, ſcriptus, uti fertur, paulo poſt everſionem Templi per Titum, Librum Henoch laudat; laudat & R. Manahem tertio ſæculo ſuppar.

Hæc tamen ita diluas. 1. Neque Eupolemus, nec Polyhiſtor, vel Euſebius ſcripſerunt, Henoch ſcripſiſſe aliquid de Aſtrologia. Nonniſi traditione apud Judæos vulgare refert Eupolemus; atque vulgatæ opinionis vel traditionis apud eas gentes merus eſt teſtis. Traditiones porro illæ diutius in ore tantum & memoria Vulgi ſervatæ ſunt, antequam ſcriptis traderentur. 2. Quando Eupolemus ſatis diſerte aſſeruiſſet, Henoch omnium primum ſcripſiſſe Libros aſtronomicos, quis aſſerenti crederet? 3. Judæi & Arabes plura viro illi Opera tribuunt; quorum tamen teſtimonia longiſſime abiunt a perſuaſione. Vulgatum eſt apud Arabes, Edrim vel Idrim, qui ipſiſſimus eſt Henoch, omnium mortalium primum ſtuduiſſe Aſtronomiæ [3], miſſaque illi a Deo 30. Volumina, quæ in ſepulchro Adam una cum Libris Seth condiderit; quo excuſſo ſepulchro, Abraham Opera illa Henoch reperiſſe.

Author Hebræus libri Juchaſin [4] comminiſcitur ſcripta ab Henoch omnium primo de Aſtronomia Volumina, quæ ſane de Cœlo, aſtris, & Magia agentia laudant RR. Salomon, Salem [5], vel Sullem, & Schem Tob [6]. Probatur quidem his omnibus traditionis illius vetuſtas, qua Henoch in cenſu doctiſſimorum Aſtronomorum refertur; ſed nihil plane minus aſſeritur, quam quod Henoch ſive aliquid ſcripſerit; ſive ejus Libros ad nos uſque tranſmiſſos; ſive aſſertam referre antiquitatem, ſi forte extant, Libros ab Arabibus & Rabbinis laudatos; ſive eodem hæc ipſa Henoch ſcripta confundenda eſſe cum Libro Henoch, de quo modo Libro, inquam, non plane Aſtronomico, quamquam nonnulla levioris momenti ad illam utcumque referenda continet.

Secundo argumento D. Grabe repono, Librum Henoch laudatum in Opere Simeonis Jochaidæ, inſcripto Zohar [7], & in altero R. Manahem Recinetenſis [8], alium eſſe plane a Scripto Patribus Eccleſiæ noto; loca enim a Rabbinis excerpta nullibi occurrunt in fragmentis a Libro Henoch ſuperſtitibus; nec ſane perſuademur, Judæos Authores Scriptum illud adoptaſſe, in quo adeo clara de Jeſu Chriſto teſtimonia, uti de facto in Libro Henoch occurrunt. Quando autem omnia cohærerent, Librum nempe, cujus meminit S. Judas, & Librum Zohar unum eſſe & eumdem, tantamque vindicaremus Libro huic Zohar antiquitatem, quantam deferunt Judæi Cabaliſtæ, nihil pro remotiſſima Libri Henoch antiquitate inde deduceretur; potuit enim ſtatim poſt Templi everſionem paruiſſe, ac ſubinde a S. Jude & poſt 4. vel 5. annos a Simeone Jochaide laudari. Maxime abſurdiſſimarum ſententiarum portio, quarum eſt mentio in Libro Henoch, recurrit apud Joſephum; uti illud de Angelorum in fœminas amore [9]; de impiorum animabus homines obſidentibus & infeſtantibus [10]; ut nihil dicam de nominibus Angelorum, quæ tanta religione celebant Eſſenii [11]. Porro arcana ille, & recondita Judæorum ſcripta, facile omnia prompſit Author Libri Henoch.

Veterum Patrum, quorum cenſum ſupra retulimus, plerique laudatum fuiſſe a S. Jude Librum Henoch perſuaſi, facile etiam auctoritatem Operi illi conceſſerunt; vix enim alioqui in abſurdam illam opinionem deſcendiſſent, de Angelorum cum mulieribus concubitu, atque Gigantum ortu a parentibus Angelis &c. Si Librum hunc laudavit Apoſtolus, reputabant illi, ſincerum illum cenſuit; vix enim Apoſtolus, Dei Spiritu ductus, id ſibi ſumpſiſſet, ut impoſtoris teſtimonio laudato, errandi offendiculum præberet Eccleſiæ. Nec ſane illi fucum facere potuiſſet Prophetæ ſive Patriarchæ nomen, fabulis refertiſſimo Libro impoſitum.

Fateamur tamen oportet, numquam ab illis in Canonem receptum; quin & certiores eos ubique conſtituere, ablegari illum a Canonicis Hebræorum & Chriſtianorum Libris. Tertullianus inter potiſſimos ejus Libri aſſertores, diſerte aſſerit, de cultu fœmin. l. 1. c. 3. *Scio Scripturam Henoch non recipi a quibuſdam, quia nec in armario Judæorum admittitur*. Laudat identidem Opus illud Origenes, quin & doctrinam in nonnullis probare viſus eſt; fatetur tamen lib. 5. contra Celſ. *Neutiquam pro divinis in Eccleſia habentur*. Et in Nu. 54. hom. 28. *Non videtur apud Hebræos in authoritate haberi*. Ac poſt laudatam ex illo ſententiam, addit, in Jo. t. 8. edit. Huet. *Si cui placet admittere Librum ut ſanctum*. Hæreticos autem illa, ſive remotiſſimæ antiquitatis vitium culpat, ſi a Canonicis Libris ablegetur; quamquam alioqui corruptionem nonniſi in levioribus quibuſdam agnoſcit.

Tertullianus, omnium inter Veteres potiſſimus Operis hujus æſtimator, ſcriptum ſtatuit a Propheta Henoch, afflatu ſpiritus Sancti. *Hæc prævidens Spiritus Sanctus .... præcinit per antiquiſſimum Prophetam Henoch* [12]. Quod autem a Chriſtianis inter Canonicos non reciperetur, hanc affert rationem: *Opinor, non putaverunt illam* (Scripturam) *ante cataclyſmum editam, poſt eum caſum orbis omnium rerum abolitorem ſalvam eſſe potuiſſe*. Quaſi ſcilicet fieri potuiſſet, ait Tertullianus, ut Noe Henoch ex filio nepos, diluvio utique ſuperſtes, & ſervandæ avi ſuæ memoriæ, uti credere par eſt, ſtudioſiſſimus, quique illi in munere concionum ad populum habendarum ſucceſſeret, fieri, inquam, potuiſſet, ut Noe Scriptum tanti momenti & ad Religionem maxime neceſſarium negligeret. Quin & *Noe potuit*, addit Tertullianus, *eam* (Scripturam) *abolefactam violentia cataclyſmi in ſpiritu rurſus reformare. Quemadmodum & Jeroſolymis Babylonica expugnatione deletis, omne Inſtrumentum Judaicæ litteraturæ per Eſdram conſtat reſtauratum.*

Addit idem Tertullianus: *Cum Henoch eadem Scriptura etiam de Domino prædicavit, a nobis quidem nihil*

(1) *Not. ad Græc. Euſeb. pag.* 405. (2) *Not. in Spicileg. PP. tom.* 1. *pag.* 345. (3) *Elmacin. apud Hotting. hiſt. Orient. lib.* 1. *cap.* 3. *Aben Neph. apud Kirch. tom.* 1. *Oedip. p.* 67. *&c.* (4) *Vide Aug. Pfeiffer. exercit. de Henoch c.* 4. (5) *Additam. ad Libr. Juchaſin p.* 134.

(6) *Schem Tob in Lib. Emunoth par.* 3. *c.* 4. (7) *Vide Fabric. Apocryph. V. T. pag.* 508. 509. *not.* (8) *Vide Druſ. de Henoch. & Grab. Spicileg. PP. tom.* 1. *p.* 355. *not.* (9) *Antiqu. l.* 1. *c.* 4. *p.* 8. (10) *De Bello l.* 7. *c.* 26. *p.* 981. (11) *De Bello lib.* 2. *c.* 12. *p.* 786. (12) *De cultu Fœmin. l.* 1. *c.* 3.

nihil omnino rejiciendum eſt, quod pertinent ad nos; eo magis quod de Scriptura legimus, Divini Spiritus afflatu ſcripturam illam inſtruendis moribus aptiſſimam eſſe. Si Scripta illa Judæi abjecerunt, nimis apertum de Chriſto teſtimonium illos avertit. Cum tandem Apoſtolus Judas Operi huic tulerit teſtimonium, probandi illum neceſſitas nobis imponitur.

Hæc Tertullianus de authoritate divina ejus Operis, futilia plane & nullius ponderis. Eſto utique potuerit Henoch Opus ſcribere ante diluvium; ſcriptum illud conſervare potuerit Noe; abolitum reparare potuerit, uti ab Eſdra in Libris V. T. factum dicitur; quid inde? Jeſu Chriſti meminit Liber Henoch, Chriſtianorum Religioni favet; inſtruendis moribus valet plurimum, quid inde? S. Judas Opus probat: hoc utique probandum eſt. Probat ille quidem laudatam a ſe prophetiam, ſed reliqua ejuſdem Libri forte nec vidit unquam.

P. Boulducus Capucinus plus etiam aliquid quam Tertullianus evincit, authoritatem enim hujus Libri reſtituendam, & ſuper modium lucernam ejus imponendam ſuſcipit. Vocat in auxilium veteres Patres, qui Opus non ſine honoris elogio laudantes, Authoris tamen mentem non ſatis, ut ille quidem autumat, aſſecuti ſunt. Veniam rogat a SS. Hieronymo, & Auguſtino, ſi cum illi corruptum, ſuppoſitum, vel confictum putarint, ipſe contraria demonſtret, oſtendens allegoricum eſſe Opus, quo ſub verborum emblemate Scriptor Simpliciſſimam hiſtoriam refert, nec obſcure a Moyſe expreſſam. Vigiles ſive Angeli e Cœlo dilapſi, fœminas deperientes, facta a Deo diſceſſione, parentes Gigantum, authores excantationum, & immodici fœminarum cultus, fuci, armorum, auri, & argenti, Vigiles, inquam, illi ipſiſſimi ſunt *filii Dei* apud Scripturam (1), poſteri Seth & Enos, qui poſt naturæ arcana penetrata, ſcientia ſua abuſi ſunt ſeducendis pellis filiabus hominum, nempe e Caini poſteris natis.

Filii illi Dei, Angeli cœleſtes, vitam monaſticam ſub Cainan & Enos profitebantur; cujus rei merito Angelis ferme pares, tanto demum virtutis culmine excidentes, profeſſionem ſuam deſeruerunt, fœminas ducentes, quarum erant mores corruptiſſimi. Nati ex illis Gigantes, nempe faſtuſi illi homines, qui impietate & licentia ſua vel parentum etiam crimina exceſſerunt. Principes Vigilum, Patres utriuſque Ordinis, Cinæorum nempe, & Enoſiorum, apoſtaſiæ crimine irretiti, ſubjectos ſibi Monachos eadem vitii contagione infeſtarunt.

Hæc allegoricæ hujus hiſtoriæ veritas a Patriarcha Henoch ſcriptæ, & in Arca una cum exuviis Adami protoparentis a Noe ex filio nepote inſerti cura ſervatæ. Forte tamen non omnia, quæ in ejus Libro leguntur, Henochem habent Authorem; ſed ea quæ ad tempus poſt ejus tranſlationem ſpectant, Noe eodem afflatus Spiritu ad inſtitutionem poſteritatis cenſuit adjicienda.

In ſuo hoc ſyſtemate excogitando pompam ingenii exhibuiſſe Boulduccum, facile omnes concedunt; ſed de veritate, non de ingenio eſt quæſtio. Veritati autem aſſerendæ ſolidiora argumenta deſiderantur. Nihil eſſet utique certi in Sacra Scriptura, ſemel hac data via, ſive ut hiſtoriæ vertantur in allegoriam, ſive et allegoriæ in hiſtoriam. Si utique conſtaret, Librum Henochi nomine inſcriptum Sacrum eſſe & Canonicum, hanc deflectendi in allegoriam abſurda quæque in illo expreſſa rationem probaremus. Ita enim factum conſtat, ſi quando occurrunt minus exactæ quædam & populares phraſes in Sacris Libris. Sed Opus nunquam inter Canonica recepit vel Eccleſia vel Synagoga: ut quid igitur pro excuſanda hiſtoria ſupra fidem laboremus? ut quid indigno authoritate Libro authoritatem conciliare tanto animi niſu conemur?

Si Iudæi veluti Canonicum Opus illud recepiſſent, maximo erga illud obſequio utique tenerentur; laudaſſent Sacri Authores, nec ignoraſſent Joſephus, & Philo non indagaſſet de charactere, & ſermone, quo primum fuiſſet ſcriptum? quomodo & qua ratione ad nos perveniſſet? Origenes, Euſebius, & S. Hieronymus Originalium Textuum Sacrorum Librorum diligentiſſimi ſcrutatores, ut quid Textum Henoch neglexiſſent? Eccleſia, & qua tenetur obſervantia erga Henoch & S. Iudam, nunquam in ſitu ſqualleſcere illum permiſiſſet, ſi tanto nomine cenſuiſſet dignum. Invidia utique in S. Spiritum crearat, ſi quis auderet Scriptori illi Divino tam abſurdum, tam futile atque erroribus ſcatens Opus vindicare.

Nec ingenui eſt hominis, ſi quis authoritate & nomine S. Iudæ textum e Libro Henoch excerpentis abutatur. Paganos Vates, & Libros Apocryphos laudavit S. Paulus: quis unquam ſcripta illa Opera cenſuit conſecranda? Laudat, inquam, ille Aratum (2), Menandrum (3), Callimachum ſive Epimenidem (4), excerpit quædam a Libro apocrypho Eliæ (5): *Quod oculus non vidit, nec auris audivit &c.* Et ad Galatas 6. 15. *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed nova creatura*: quæ verba a revelatione Moyſis deducta ſunt. Et ad Epheſios 5. 14. *Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus*: quod legitur in Opere apocrypho ſub Jeremiæ nomine. Nec tamen inde recte inferas, apocrypha hæc ſcripta canonicam habere & divinam authoritatem; ſed Spiritus Sanctus loquens in Apoſtolo illum dirigebat, ut vera a falſis ſecerneret. Nec aliud nos recipere uti ſacrum cogimur, niſi quod Apoſtolus in ſua ſcripta transferens veluti conſecravit (6). *Qui putant totum Librum debere ſequi eum, qui Libri parte uſus ſit, videntur mihi & apocryphum Henochi, de quo Judas in Epiſtola ſua teſtimonium poſuit, inter Eccleſiæ Scripturas recipere, & multa alia quæ Apoſtolus de reconditis eſt locutus.* Hæc S. Hieronymus.

Veteres quidam Patres, quibus grande illud nomen Henochi, & relatum a S. Juda teſtimonium fucum fecerat, Opus illud & laudarunt & probarunt. Si ex illis quidam Canonicis Libris æquare illum viſi ſunt, laudanda eſt doli minime conſcia mens; laudanda obſervantia in nomina S. Judæ & Henoch, da qua ne forte decederent aliquid, ab examinanda regulis criticis veritate abſtinuerunt. Errarunt in facto quodam, non in dogmate; nec ex eorum errore quidquam inferendum eſt. Neminem fore arbitror noſtra ætate, qui aſſerendum hunc Librum Henoch Authori ſuſcipiat; ſi autem alterius eſt ab Henoch impoſtoris, eſt plane illi fides prorſus detrahenda, niſi forte illius nonnulla ab Authore aliquo inſpirato, tamquam a falſis vera ſegregante, probentur.

Cavendum eſt nobis de cetero, ne totam antiquitatem in favorem ejus Operis verſam arbitremur. Doctiſſimi inter Patres ſtudii nihil, contemptus plurimum erga illud exhibuerunt. Origenes, uti ſupra animadvertimus, nec recipi ab Eccleſia, nec a Synagoga teſtatur. S. Hilarius in Pſ. 132. verſ. 3. frigide ſatis de illo: *Neſcio cujus Libri extat.* Hieronymi eſt in Pſ. 132. 3. *Manifeſtiſſimus Liber eſt, & inter apocryphos computatur*; ex eo autem ſententiam ſe produxiſſe dicit, *non in authoritatem, ſed in commemorationem.* Vitio tandem vertit Origeni, quod eo Libro apocrypho uſus ſit, hæreſibus ſuis aſſerendis. S. Hieronymus de Script. Eccleſ. c. 4. agens de Epiſtola S. Judæ: *Quia de Libro Henoch, qui apocryphus eſt, in ea aſſumit teſtimonium, a pleriſque rejicitur.* S. Auguſtini mentem ſupra vidimus; qua enim eſt ſapientia & moderatione vir Sanctus, ita de illo diſſerit de Civitate l. 17. c. 38. *Quorum ſcripta, ut apud Judæos & apud nos in authoritate non eſſent, nimia fecit vetuſtas, propter quam videbantur habenda eſſe ſuſpecta, ne proferrentur falſa pro veris.* Criticorum doctiſſimi noſtræ ætatis minus etiam quam Patres illi ſcripto apocrypho favent.

Si quis autem ex me quærat, cuinam Authori tribuendum? Repono ſtatim; non quidem Henoch, Noe, vel Sacro alicui Scriptori: non Judæo alicui, diu ante Jeſu Chriſti ætatem ſcribenti: non Helle-

(1) *Geneſ.* 6. 4. (2) *Act.* 17. 28. (3) 1. *Cor.* 15. 33. (4) *Tit.* 1. 12. (5) 1. *Cor.* 2. 9. (6) *Hieron. in Epiſt. ad Tit.* c. 1.

niſtæ, qui Græcis literis illud tradiderit. Imposturam credimus viri Christiani ex Judæis, qui Græce ſcripſerit, juxta receptas vulgo apud ſuos traditiones; adjectis nonnullis ad Ieſum Christum conducentibus, ut Iudæis fratribus ſuis ſalutari mendacio faveret. Quod plus nimio Chriſtianiſmum redoleret, ideo a Iudæis rejectum Opus ſuſpicatur Tertullianus de cultu fœm. l. 1. c. 3. *A Judæis poteſt jam videri rejecta (iſta ſcriptura) ſicut & cetera quæ Chriſtum ſonant.*

Sunt equidem in Teſtamento duodecim Patriarcharum fragmenta plura ejus Libri, quæ Chriſtianum Scriptorem ſane produnt. In Teſtamento Levi: *In Dominum manus impenentes in omni malitia, & confundentur in vobis fratres veſtri, & omnibus gentibus fietis illuſio.* Et paulo infra: *Virum, renovantem Legem in virtute Altiſſimi, erroneum appellabitis. Et in fine, ut æſtimabitis, occidetis eum, neſcientes ipſius reſurrectionem, innocentem ſanguinem in malitia ſuper capita veſtra recepturi. Propter ipſum erunt ſancta veſtra deſerta uſque ad pavimentum prophanata, & non erit locus veſter mundus; ſed in gentibus erit maledictio, atque deſperatio auget vos, donec ipſe rurſus viſitabit & miſerens recipiet vos in fide & aqua.*

Et in Teſtamento Nephtali: *Impie agent, & diſperget eos Dominus ſuper faciem univerſæ terræ, uſquequo venerit miſericordia Domini, homo faciens miſericordiam & juſtitiam in omnes, qui longe ſunt, & qui prope ſunt.* Et in Teſtamento Benjamin. *In parte veſtra fiet Templum Dei, & glorioſum erit in vobis. Quoniam ipſe Dominus recipiet Regnum, & duodecim Tribus illic congregabuntur, & omnes gentes, uſquequo Altiſſimus mittat ſuum Salutare in viſitatione Unigeniti. Et ingredietur in primum Templum,* (forte in anteriorem partem Templi) *& illic Dominus injuriam patietur, & contemnetur, & ligno exaltabitur. Et erit velum Templi ſciſſum, & deſcendet Spiritus Domini ſuper gentes, ut ignis effuſus eſt. Et aſcendet ex Inferno, aſcendet a terra in Cœlum. Recordabitur quam fuerit humilis in terra, & quam glorioſus in Cœlo.*

Sola eorum locorum inſpectio Chriſtianum Authorem ſatis demonſtrat; datur etiam ſuſpicandi locus, num ipſiſſimus ſit Teſtamenti duodecim Patriarcharum Scriptor, quod poſtremi hujus Operis Author in laudandis Libri Henoch teſtimoniis moroſitatem plus nimio affectet. Stili utrobique affinitas, barbariſmus, & ruſtica Helleniſtæ phraſis, Hebraiſmi frequentes utrobique, quibus vix unquam deſueſceret Scriptor aliquis Iudæus. Spectare hic licet traditiones & dogmata Synagogæ, ſpectare Ieſum Chriſtum, ejus adventum, paſſionem, mortem, reſurrectionem, ad Cœlum aſcenſionem, ad Inferos deſcenſum, S. Spiritus illapſum, Templi Ieruſalem everſionem, diſperſionem Iudæorum, & æternum illud opprobrium, quo florentis jam gentis facies in pœnam necis Ieſu Chriſto illatæ obducitur; hæc autem omnia hiſtorice magis quam prophetice expreſſa. Scripta hæc igitur credimus poſt factum, a Chriſtiano quodam Authore, zelo quidem, ſed non ſecundum ſcientiam, flagrante, Chriſtiana enim Religio nihil habet cum piis hiſce fraudibus, ſola ſui veritate ad homines pelliciendos ſat potens. Aliam inierunt viam Apoſtoli in Evangelii prædicatione: omni enim metu poſito, Ieſum Chriſtum & hunc crucifixum prædicarunt [1], *Judæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam;* eſt autem *Dei virtus & ſapientia illis, qui fidei donum receperunt.* Si ergo S. Iudas legit Henochi Librum, paulo ſane poſtquam ſcriptus eſt in ejus manus devenit; non enim ejus epocham conſtituendam cenſemus, niſi poſt Templi per Romanos everſionem; qua pariter everſione multo recentiorem Epiſtolam S. Iudæ non arbitramur.

Præter Librum Henoch, de quo hactenus, & triginta illa volumina miſſa, uti quidem ferunt, a Deo ad Edrim, ac ceteros Aſtronomiæ Libros, quos Henocho ſupponunt Judæi, & de quibus nos egimus ſupra; ſub ejus nomine Æthiopes volumen ſervant, de quo hic aliqua libanda, ne ex Operibus tanto viro adſcriptis aliquod prætercam. Gaſſendus in vita D. Peireſki refert, Virum illum doctiſſimum cum reſciiſſet a P. Ægidio Lochienſi Capuccino, qui plures annos egerat in Ægypto, ſervari in ea regione Librum Henoch, literis Æthiopicis ſcriptum, Europæis noſtris prorſus incognitum, nec ſumptibus nec labori pepercisse, ut illo potiretur. Poſt ejus obitum, tranſiit Mſ. illud in Bibliothecam Cardinalis Mazarini, ac deinde in Regiam, in qua theſauri loco ſervatur.

D. Leodulphus Luteriam veniens [2] anno 1683. Mſ. obſervavit; cujus ille famam audierat, atque Authorem Operis prodidit Bahadam Michaelem; eſſe autem aſſeruit Librum fabulis refertiſſimum, illi prorſus ſimilem, qui ſub Libri Henoch nomine laudatur a Syncello; quod poſtremum Opus Michael ille & excerpſit, & fabellis de ſuo plurimis auxit; ita e. g. catalogum longe majorem inſtruit pernicioſiſſimarum artium, quas diſcipulos homines perduelles Angeli docuerunt.

Legitur ibi pariter ſingularis Lucubratio de ortu Henoch, cujus Author inducit Angelum de myſterio SS. Trinitatis ita diſſerentem, veluti ſi Theologus aliquis doceret in cathedra; ad myſterium illud relata loca quædam Scripturæ exponit; ex quo conjectura non levis Chriſtianum Authorem prodit. Poſt hæc omnia refert certamen a S. Michaele cum Setnaele Principe Dæmonum initum. Rideas profecto ad hiſtoriam duorum Imperatorum, &, quæ illis parent, copiarum.

Setnael procerus eſt 100000. Angelicis cubitis, vaſtiſſimum præfert oris hiatum 40. cubitorum, faciem habet ita longam, ut diurni itineris viam exæquet; utriuſque oculi ſupercilia intervallum duorum itineris dierum diſterminat; caput aſſurgit in montem celſiſſimum; oculos habet ita enormes, ut vertendis illis 7. dierum ſpatio ſit opus; fluvium evomit ex ore cum expuit. Hoc ſpecimen Libri Henoch, quem D. Peireſkius tanto molimine ex Ægypto procuravit.

Ex dictis hucuſque ſtatuendum eſt, primo Henoch nullum facile ſcripſiſſe Librum, vel ſane nullum eorum, qui ſub ejus nomine laudantur, viro ſummo deberi. 2. Nihil certi aſſeri poſſe, an ſententiam, quam ſub nomine Henoch laudat S. Judas, e Libro Henoch, cujus ſuperſunt fragmenta, decerpſerit; ſeu potius Libri Author e loco S. Judæ ſtruendi Operis ſumpſerit occaſionem. 3. Librum Henoch non antea ſcriptum, quam poſt everſionem Templi Jeruſalem per Romanos, nempe poſt annum 70. J. C. 4. Authorem illius eſſe Chriſtianum ex Judæo; nec facile alium a Scriptore Teſtamenti duodecim Patriarcharum. 5. Opus illud numquam in Canonem Judæorum vel Chriſtianorum receptum fuiſſe. 6. Nihil certi affirmari poſſe, an Iudæi Opus illud agnoverint; alterius enim eſſe argumenti videntur Libri Henoch, de quibus in Libris Zohar & Inchaſim, ac Rabbinicis, alterius, inquam, ab Opere, cujus fragmenta leguntur apud Patres Græcos, & Latinos. 7. Vetuſtiſſimam obtinere apud Orientales traditionem de Henoch, tamquam Librorum Aſtronomiæ primo Authore; ex quo factum ut ſub ejus nomine Libri plures vulgarentur. 8. Tandem Librum Æthiopicum ex Ægypto allatum, recentiorem eſſe imposturam, contemptu dignam & oblivione.

F I N I S.

TABU-

(1) 1. Cor. 1. 23. (2) *Comment. in hiſtor. Æthyop. pag. 347.*

TABULA CHRONOLOGICA GENERALIS HISTORIÆ BIBLICÆ.

Anno Mundi I. Periodi Julianæ 710.		Anno ante Chriſtum 4000. ante Æram vulgarem 4004.
	Materia, ſive Chaos creatur.	
	I. Dies: Lux creatur.	
	II. Dies: Creatio Firmamenti.	
	III. Dies: Creatio maris, aquarum, plantarum, & arborum.	
	IV. Dies: Sol, Luna, & Aſtra creantur.	
	V. Dies: Creatio Piſcium, & Avium.	
	VI. Dies: Creatio Animalium terreſtrium, & Hominis. Bruta omnia coram Adamo a Deo producuntur, quibus Adam nomina imponit. Dein e latere hominis mulier a Deo creata, eidem Adamo in uxorem traditur. Introducti ambo in Paradiſum terreſtrem.	
	VII. Dies: Deus poſt abſolutum creationis opus quiſcens, requiem Sabbathi ſanctificat.	
	X. Dies: Dæmon ſub ſerpentis exuviis Evam tentat. Eva Dei præceptum tranſgreſſa, criminis ſui conſortem Adamum efficit. Ambo a Deo e Paradiſo ejiciuntur, pauſis poſt creationem diebus, & facile decima die.	
2	Oritur Cain filius Adami, & Evæ.	3999
3	Oritur Abel.	3998
129	Cain fratrem ſuum Abelem occidit.	3871
130	Seth, filius Adami, & Evæ naſcitur.	3870
235	Enos, filius Seth, naſcitur.	3765
325	Cainan, filius Enos naſcitur.	3675
395	Malaleel, filius Cainan, naſcitur.	3605
460	Jared, filius Malaleel, naſcitur.	3540
622	Enoch, filius Jared, naſcitur.	3378
687	Mathuſala, filius Enoch, naſcitur.	3313
874	Lamech, filius Mathuſalæ, naſcitur.	3126
930	Adam, 930. annis natus, obit.	3070
987	Enoch, poſt exactos 365. vitæ annos, transfertur.	3013
1042	Seth, filius Adam, annis natus 912. moritur.	2958
1056	Noe, filius Lamech, naſcitur.	2944
1140	Enos, annis natus 905. moritur.	2860
1235	Cainan, ætate grandævus 910. annorum, moritur.	2765
1290	Malaleel, annis natus 895. moritur.	1710
1422	Jared, annis natus 962. moritur.	2578
1536	Deus Noemum admonens de futuro diluvio, ire jubet ad annunciandam hominibus pœnitentiam, 120. annis antequam ipſum diluvium mittat. *1. Pet.* 3. 20. & 2. *Pet.* 2. 5. *Gen.* 6. 3.	2464
1556	Japhet, filius Noe, natu major, oritur. *Gen.* 5. 31. & 10. 21.	2444
1558	Sem, alter filius Noe, naſcitur.	2442
1651	Lamech, pater Noe, annis natus 777. moritur.	2349
1656	Mathuſala poſt productam diutius, quam cæteri quique homines, vitam, annis natus 969. obit. *Gen.* 5. 27.	2344
1656	Deus Noemum monet, ut ad ingrediendum in Arcam ſe diſponat, ad diem 10. ſecundi menſis, Novembri & Decembri reſpondentis.	2344
	Die 17. ejuſdem menſis, Noe una cum uxore, & filiis, atque tribus uxoribus trium filiorum, in Arcam ingreditur.	
	Pluviæ perpetuæ ſuper terram ruunt 40. diebus & 40. noctibus. Aquæ 150. diebus terræ ſuperficiem operiunt.	
	Die 17. ſeptimi menſis Arca in monte Ararat conſidet. Die prima decimi menſis cacumina montium apparent. *Gen.* 8. 3. 4.	
	Poſt 40. dies Noe corvum dimittit. *Gen.* 8. 6. 7.	
	Poſt 7. dies columba ex Arca a Noe dimiſſa, ſtatim regreditur.	
	Poſt 7. alios dies iterum dimiſſa, ad veſperam regreditur, virentem olivæ ramum in roſtro tenens. Poſt alios ſeptem dies avolans, iterum amplius non redit. *Gen.* 8. 12.	
1657	Noe, ætatis anno 601. prima die primi menſis, tectum Arcæ reducit.	2343
	Die 27. ſecundi menſis Noe ex Arca egreſſus, Sacrificium euchariſticum immolat. Carnes in eſcam hominibus a Deo permittuntur. Deus numquam ſe ultra diluvium univerſale immiſſurum, data in pignus fidei ſuæ Iride, pollicetur. *Gen.* 8. 9.	
1658	Arphaxad, filius Sem, naſcitur.	2342
1663	Septem annis circiter poſt diluvium, Noe plantata vinea, & largius epoto vino, inhoneſto corporis habitu in ſomnum reſolutus, ſub tentorio jacet. Cham patrem irridet; & Noemus e ſomno experrectus, in Chanaan filium Cham, 6. ſive 7. annorum facile puerum, maledictum pronunciat.	2337

A. M.		A. Chr.
1693	Sale, filius Arphaxad, naſcitur.	2307
1723	Heber, filius Sale, naſcitur.	2277
1757	Phaleg, filius Heber, naſcitur.	2243
1770	Circa illud tempus, homines ædificium turris Babelis aggreſſi ſunt; ſed Deus linguis eorum confuſis, abſtinere, atque in varias mundi partes ſe ſe dividere coegit.	2230
1771	Hic etiam exordium ſtatui poteſt Monarchiæ Aſſyriorum per Nemrod *Gen.* 10. 9. 10. Poſt eum annum, uſque ad captam ab Alexandro Magno Babylonem, 1903. anni numerantur; quæ annorum ſumma cum obſervationibus Chaldæorum a Calliſthene ſupputata congruit. *Porphyr. apud Simplic. l.3. de Cœlo.*	2229
	Imperium Ægyptium circa idem tempus authore Cham patre Mezraim cœpit. Duravit autem 1663. annis, uſque ad captam Ægyptum per Cambyſem. *Conſtant. Manaſſ. in Annal.*	
1787	Rehu, filius Phaleg, naſcitur.	2213
1819	Sarug, filius Rehu, naſcitur.	2181
1849	Nachor, filius Sarug, naſcitur.	2151
1878	Thare, filius Nachor, naſcitur.	2122
1948	Aran, filius Thare, naſcitur.	2052
2006	Noe, annis natus 950. moritur.	1994
2008	Abram, filius Thare, naſcitur.	1992
2018	Sarai, uxor Abrami naſcitur.	1982
2083	Abram in Ur Chaldæorum vocatur; quare in Charras, ſive Haran Meſopotamiæ ſe confert. Ibi Thare pater ipſius, annis natus 205. moritur. *Gen.* 31. 31. 32.	1917
2083	Abram in urbe Haran ſecundo vocatus, in Terram Promiſſionis una cum Sarai uxore ſua, & Loth nepote ſuo, ſe conferens, in Sichem ſedem conſtituit.	1917
2084	Abram in Ægyptum deſcendit. Pharao uxorem ipſius rapit; deinde viro reſtituit. Abram ex Ægypto egrediens, a Loth nepote ſuo dividitur.	1916
2091	Reges Sodomæ, & Gomorrhæ a Codorlahomor deſciſcunt.	1909
2092	Codorlahomor, una cum aliis ſibi fœderatis, in deſciſcentes a ſe Reges Sodomæ, Gomorrhæ, alioſque, bellum infert. Rebellibus prælio victis, Sodoma diripitur. Loth captivus ab hoſtibus deducitur. Abram illos inſecutus fundit, ac recepta præda Loth reducit. Melchiſedech victori Abramo benedicit.	1908
	Dominus, inito cum Abramo fœdere, florentem illi poſteritatem pollicetur. *Gen.* 5.	
2093	Sarai famulam ſuam Agar in thorum viri introducit.	1907
2094	Iſmael filius Abram, & Agar naſcitur.	1906
2107	Novum fœdus Dei cum Abram, & nova longæ poſteritatis promiſſio. *Gen.* 17. Deus nomen Abram in Abraham, & Sarai in Saram mutat.	1893
	Abraham tres Angelos ſub itinerantium figura hoſpitio recipit, e quibus orituri Iſaaci ſpes ipſi facta eſt.	
	Sodoma, Gomorrha, Adama, Seboim, dilapſis Cœlitus flammis abſumuntur. Loth præſervatur. In Segor ſeſe recipit. Inceſtum cum geminis puellis filiabus ſuis committit.	
2108	Abraham, e valle Mambre digreſſus, in Berſabee venit.	1892
	Iſaac, filius Abrahami, & Saræ naſcitur. *Gen.* 17.	
2115	Sara, viſo Iſmaele cum Iſaac ludente, pellere e domo Agar, & Iſmaelem virum cogit. Agar Ægyptiam fœminam cum Iſmaele conjugio copulat, ex qua Iſmael plures genuit filios.	1885
2133	Fœdus Abrahami cum Abimelecho Rege Geraræ. *Gen.* 2.	1867
	Abraham filium ſuum Iſaac in holocauſtum Deo offerre parat. *Gen.* 22.	
2145	Sara, Uxor Abrahami, annis nata 127. moritur. *Gen.* 23. 1. 2.	1855
2146	Abraham Oeconomum ſuum Eliezer, ad poſtulandam filio ſuo Iſaaco uxorem, in Meſopotamiam mittit. Eliezer Rebeccam adducit. *Gen.* 24. & 25.	1854
2150	Nuptiæ Abrahami cum Cethura, ex qua plures filios genuit.	1850
2158	Sem, filius Noe, moritur, 500. annis poſt natum Arphaxad.	1842
2167	Rebecca, poſt longam 19. annorum ſterilitatem, tandem, deprecante Iſaaco, concipit.	1833
2168	Jacob, & Eſau naſcuntur.	1832
2184	Abraham, annis natus 175. moritur.	1816
2187	Heber annis natus 464. moritur.	1813
2200	Iſaac Geraram concedit. Deus factas Abrahamo patri illius promiſſiones cum ipſo innovat. Iſaac fœdus init cum Abimelecho Rege Geraræ.	1800
2208	Nuptiæ Eſau cum fœminis Chananæis.	1792
2208	Diluvium Ogygis in Attica 1020. annis ante primam Olympiadem.	1792
2231	Iſmael, filius Abrahami natu major, annis natus 137. moritur.	1769
2245	Iſaac imprudens Jacobo pro Eſau benedicit.	1755
	Jacob in Meſopotamiam ad avunculum ſuum Labanum concedens, Liam primum, deinde Rachelem ducit.	
2246	Ruben, filius Jacobi, & Liæ naſcitur.	1754
2247	Simeon, filius Liæ, naſcitur.	1753
2248	Levi, filius Liæ, naſcitur.	1752
2249	Juda, filius Liæ, naſcitur.	1751
2259	Joſeph, filius Rachelis, & Jacobi naſcitur.	1741
2265	Jacob reditum ad parentes ſuos in Chanaanitidem ſtatuit. Abeuntem Laban proſecutus in montibus Galaad aſſequitur. Eſau obviam venienti progreſſus, amiciſſime illum recipit. Jacob in Sichem pervenit.	1735
2273	Dina, filia Jacobi, ſolemnitates Chananæorum ſpectans, a Sichem filio Hemor rapitur. Acceptam injuriam fratres Dinæ nece Sichemitarum ulti ſunt.	1727
2273	Benjamin, filius Rachelis, naſcitur.	1727
2276	Joſeph, annis natus 17. fratrum crimina ad patrem denunciat; quare invidiam in ſe fratrum concitata, pretio ab illis divenditus, in Ægyptum adductus eſt, ubi mancipii loco a Putiphare emitur.	1724
2276	Circa ea tempora Juda ducit filiam Sue Chananæi, ex qua Her, Onam, & Selam genuit.	1724

Joſeph

A. M.		A. Chr.
2286	Joſeph ab uxore domini ſui Putipharis ad crimen ſollicitatus, reſiſtens in carcerem detruditur.	1714
2287	Somnia duobus Præfectis Regis Pharaonis Joſeph interpretatur.	1713
2288	Iſaac, annis natus 180. moritur.	1712
2289	Joſeph ſomnia Pharaonis interpretatus, e carcere liberatur, & totius Ægypti præfectura donatur.	1711
	Exordium ſeptem annorum ubertatis prædictæ a Joſepho.	
2290	Manaſſe, filius Joſephi, naſcitur.	1710
2291	Ephraim, alter filius Joſephi, naſcitur.	1709
2296	Exordium ſeptem annorum ſterilitatis prædictæ a Joſepho.	1704
2297	Decem fratres Joſephi ad frumentum comparandum in Ægyptum veniunt. Joſeph, retento in cuſtodiam Simeone, ceteros ea conditione dimittit, ut fratrem ſuum Benjamin natu minorem ad ſe adducant.	1703
2298	Fratres Joſephi in Ægyptum regreſſi, Benjamin adducunt.	1702
	Joſeph ſe tandem fratribus prodens, in Ægyptum migrare illos una cum patre cogit, Jacob eo cum tota familia ſe confert.	
2300	Joſeph pecuniam ex universa Ægypto collectam, in Regia Æraria infert.	1700
1301	Joſeph, omnes Ægypti greges, quos Ægyptii, ut eſcas ſibi compararent, divendere coacti ſunt, Regi emit.	1699
1302	Ægyptii agros ſuos omnes, ſuamque libertatem pro recipiendis eſcis Pharaoni vendunt.	1698
2302	Finis ſeptem annorum ſterilitatis. Joſeph greges, & agros Ægyptiis reſtituit, ea conditione, ut quintam omnium proventuum partem Regi pendant.	1698
2305	Jacob extremo morbo decumbens, benedictionem ſuper Ephraim & Manaſſe pronuncians, amborum eventus prædicit. Annis natus 147. moritur.	1695
2369	Joſeph, annis natus 110. moritur; antea tamen egreſſu Iſraelitarum ex Ægypto prædicto, rogat, ut oſſa ſua in Chanaanitidem transferantur.	1631
2385	Levi, annorum 137. grandævus, moritur.	1615
2427	Novus in Ægypto Rex, beneficiorum Joſephi in totam regionem immemor, Iſraelitas perſequitur.	1573
	Circa ea tempora Job florebat, vir ſapientiæ, virtutis, & invictæ patientiæ laude inſignis.	
2430	Aaron, filius Amram, & Jocabed, naſcitur.	1570
2433	Moyſes frater Aaronis in Nilo expoſitus, a filia Pharaonis invenitur, atque in filium Regiæ fœminæ adoptatus, Jocabedæ nutriendus traditur.	1567
2473	Moyſes fratres ſuos inviſens, Ægyptium, qui Hebræum opprimebat, occidit. Pharaonis metu, quem crimen comperiſſe norat, in Madianitidem ſecedens, Sephoram filiam Jethro ducit, ex qua duos filios Gerſen, & Eliezer generat.	1527
2513	Deus in rubo ardenti Moyſi greges ſoceri ſui in deſerto paſcenti apparens, ire jubet in Ægyptum, liberandis ab oppreſſione adverſariorum Iſraelitis.	1487
	Ille in Ægyptum regrediens, Aaronem fratrem ſuum obvium uſque ad montem Oreb venientem habet. Ambo fratres Pharaoni ſe ſiſtentes, Dei mandata exponunt. Pharao non recuſat tantum, ſed & Iſraelitas novis oneribus opprimit. Moyſes varia coram illo prodigia exhibet.	
	Prima Ægypti plaga. Aquæ in ſanguinem tranſmutantur, die 18. ſexti menſis circiter.	
	II. Plaga. Ranæ totam terræ faciem infeſtantes, ædes univerſas invadunt, die 25. ejuſdem menſis circiter.	
	III. Cynipbes, ſive culices, vel ſaltem pediculi, 27. ejuſdem menſis.	
	IV. Muſcæ omnis generis, circa 28. & 29. ejuſdem menſis.	
	V. Peſtis hominum, & brutorum, circa primam diem ſeptimi menſis, qui deinde primus fuit anni Sancti.	
	VI. Ulcera, circa diem 3. ejuſdem menſis.	
	VII. Grando, tonitrua, & ignes e Cœlo, die 4. ejuſdem menſis.	
	VIII. Locuſtæ Ægyptios agros vaſtantes, 7. ejuſdem menſis.	
	IX. Tenebræ palpabiles, 10. ejuſdem menſis. Eadem die Moyſes ipſum menſem primum anni Sancti conſtituit; Paſchatis celebritatem inſtituit, atque ſegregari jubet agnum Paſchalem, quatuor poſt dies immolandum.	
	X. Mors primorum natu, nocte inter 14. & 15. menſis Abiud. Eadem nocte primum Paſcha ab Iſraelitis celebratur, & Pharao faceſſere ex Ægypto populum cogit.	
2513	E Rameſſe moventes prima die venerunt in Socboth; inde in Etham. Deflexo poſtea ad meridiem itinere, caſtrametati ſunt in Pi-hahiroth, inter Magdolum, & Mare, e regione Beel-ſephon.	1487
	Pharao, cum ſe dimiſiſſe populum pœnituiſſet, abeuntes eum exercitu perſecutus, ad Pi-hahiroth aſſequitur. Deus nubis columnam Hebræis aſſignat & in defenſionem, & in ducem itineris. Moyſes percuſſum prodigioſa virga mare diſſiudens, viam per medium ejus ſinum Hebræis aperit. Ægyptii eumdem tranſitum tentantes, omnes naufragio pereunt, die 20. primi menſis.	
	Moyſes in adverſam maris ripam ſuccedens, in deſerto Etham iter facit, atque tridui itinere tandem Maram pervenit, ubi injecto quodam ligno ingratus aquarum ſapor corrigitur.	
	E Mara moventes, veniunt in Elim, locum 12. fontibus irriguum, & 70. palmis amœnum. Poſt hæc, ad Mare Rubrum primum, dein in deſerto Sin caſtrametantur; ubi Deus manna pluit. Poſt hæc ventum in Dapheam, Alus, Raphidim, ubi deductæ a Moyſe e petra aquæ.	
	Circa eumdem locum Amalecitæ Iſraelitas aggrediuntur, & infirmos, qui reliqui exercitus iter perſequi non poterant, occidunt. Moyſes miſſo contra illos Joſue, ipſe interim in montis cacumine manus ad Cœlum protendebat.	
	Die 3. tertii menſis poſt egreſſum ex Ægypto, Iſraelitæ ad radices Sinai caſtra habent, ubi integro anno manſerunt.	
	Moyſi, conſcenſo monte, Deus ſignificat, ineundo cum Iſraelitis fœderi praſto ſe eſſe; ea conditione, ut populus in obſequio maneret. Moyſes populum conveniens, Dei conditiones exponit, atque populum ad fœdus ineundum paratum nanciſcitur.	

Mon-

Montem repetens, populi voluntatem Deo renunciat. Deus deſcendere ad populum jubet, atque indicere, ut biduo ad recipiendam Legem ſe diſponat; ſe interim tertia die ad eamdem Legem ferendam in Montem aſcenſurum. Caveat tamen populus, ne uſque ad tertiam diem ad montem accedat: in tranſgreſſores vero capitali ſupplicio animadvertatur.

Die tertia gloria Dei montis vertici inſidet, omnibus interim tubis, & tonitribus reboantibus. Moyſes ad radices Sinai populum deducit, velut ad exhibendum Deo obſequium. Ipſe montis verticem ſcandit: ſed mox a Deo deſcendere jubetur, ut moneret populum, ne montem conſcendere audeat, mortis diſcrimen alioquin ſubiturus. Moyſes, his executioni mandatis, Deum iterum conveniens, Decalogum recipit.

Deſcendens iterum, receptas a Deo Leges, cum præſcriptis ab eo conditionibus, proponit; atque rebus ab illo propoſitis omnibus, populus acquieſcit.

Regreſſo in montem Moyſi, Deus judiciaria præcepta, quæ potiſſimum ad politiam pertinet, proponit. Ille vero his acceptis, excitatis ad radicem montis 12. altaribus, victimas fœderis confirmando mactari jubet: ſanguine poſtea e victimis defluente, librum Fœderis aſpergendum præcipit; eodemque & populum in fœdus conſentientem aſpergit.

Hinc Moyſes, Aaron, Nadab, Abiu, & ſeptuaginta Seniores Iſraelis, conſcenſo monte gloriam Domini conſpiciunt; ſtatimque eadem die aliis deſcendentibus, Moyſes, & Joſue ſervus ipſius, adhuc ſex diebus, manent. Septima die, Dominus acceſſito ad ſe Moyſi, ideam omnem Tabernaculi, ritus ſacrificiorum, & nova quædam alia, ſpatio 40. dierum, exponit.

His evolutis, Deus poſt traditum Moyſi Decalogum, duabus lapideis tabulis inſcriptum, deſcendere actutum ad populum jubet, quem reum commiſſæ in vitulum aureum idololatriæ denunciat.

Moyſes viſo ſuis oculis populo circum vitulum ludente, excandeſcens ſubita ira, projectas tabulas lapideas frangit.

In caſtra demum advolans, dejectum vitulum comminuit, ac Levitarum gladio in populum idololatram ſæviens, 23000. trucidat.

Mane alterius diei, ſuccedens ad montem, veniam commiſſi a populo criminis a Deo impetrat. Juſſus autem a Deo novas parare Legis tabulas, fidem ab eo numquam deſerendi Iſraelem obtinet.

Præparatis tabulis, Moyſes iterum mane alterius diei montem repetens, gloriæ Dei viſione recreatur. Cum manſiſſet autem in monte 40. diebus, & totidem noctibus, ſcriptas a Deo tabulas Legis, quas antea paraverat, recipit.

Ea dierum periodo evoluta, deſcendens e monte, radiantem intuitu Dei faciem ſe referre ignorat. Obducta velo facie, ad populum loquitur, cui Tabernaculi ædificio propoſito, ad ſpontaneas oblationes invitat.

Injunctum prætererea medii ſicli tributum in ſingulos Iſraelitas, inſtituto in eam rem cenſu, atque 603550. hominibus enumeratis Beſeleel, & Ooliab operibus Tabernaculi dirigendis præficiuntur.

2514 Tabernaculum, & ſingulæ ejus partes eriguntur, die prima primi menſis, anni 2. ab egreſſu ex Ægypto. 1486

Secundus cenſus populi, prima die ſecundi menſis.

Conſecratio Tabernaculi, Altarium, Sacerdotum die 5. ſecundi menſis.

Cenſus ſingularis Levitarum, qui omnes, loco primorum natu Iſraelis, obſequiis Tabernaculi dedicantur.

Die octava a conſecratione Tabernaculi, ſive dedicatione, Principes Tribuum, ſtata quilibet die, munera Tabernaculo offerunt.

Jethro in caſtra venit, paucis diebus antequam Iſrael e Sinai moveat.

Die 20. ſecundi menſis, Majo, & Junio reſpondentis, Iſraelitæ moventes, veniunt Taberam, ſive Incenſionem: inde tridui itinere a caſtrametatione Sinai, ad Kiberoth Avab, ſive ad Sepulchra Concupiſcentiæ perveniunt.

Eldad, & Medad in caſtris prophetant. *Num.* 11. 26. 27.

Deus coturnices ad populum demittit. *Num.* 11. 31. 32.

In Aseroth venientibus, Aaron, & Maria querelam in Moyſem pro Sephora uxore ipſius excitant. Maria ſeptem diebus extra caſtra manet. Succedentes in deſertum Pharan, Rethmæ caſtra habent; deinde in Cadeſ-barne, unde 12. ſelecti e ſingulis Tribubus viri, ad explorandam Chanaanitidem mittuntur.

Poſt 40. dies Exploratores ad caſtra reverſi, in populo ſeditionem excitarunt, vulgantes, regionem illam incolas ſuos vorare. Caleb & Joſue fruſtra rumorem compeſcere conantur: quare Deus interpoſito jurejurando, neminem ſe murmuris illius reum in Chanaanitidem deducturum profitetur, quin & detenturum illos in deſerto ſolidis 40. annis, donec genus illud univerſum deleatur. Præcipit igitur, ut verſo itinere, mare Rubrum petant. Populus obſiſtens, Chanaanitidem petit, ſed ab Amalecitis, & Chananæis in fugam acti, inſtantes a tergo hoſtes Hormam uſque habent.

2515 Populus moram in Cadesbarne diurius trahit; inde verſo itinere mare Rubrum repetit. Hæc nomina ſtationum, de quibus apud Moyſem ſermo.

1. Rameſſe, *prima ſtatio*.
2. Socoth.
3. Etham.
4. Beelſephon.
5. In deſerto Etham.
6. Mara.
7. Elim.
8. Ad mare rubrum.
9. In deſerto Sin.
10. Daphca.
11. Alus.
12. Raphidim.
13. Sinai.
14. Tabeera, ſive Incenſio.
15. *Statio* ad Sepulchra Concupiſcentiæ.
16. *Statio* ad Hazeroth.
17. *Statio* ad Rethmam.
18. Remnon-Phares.
19. Lebna.
20. Reſſa.

21. Ceela-

21. Ceelatha.
22. Mons Sephet.
23. Arada.
24. Maceloth.
25. Tabath.
26. Thare.
27. Methea.
28. Heſmon.
29. Moſeroth.
30. Bene-Jaean.
31. Gadgad.
32. Jethebata.
33. Hebrona.
34. Aſion-gaber.
35. *Statio* ad Moaeroth.
36. Cades, ſive *Aqua Contradictionis*.
37. Mons Hor.
38. Selmona.
39. Phunon.
40. Oboth.
41. Jie-abarim.
42. Torrens Zared.
43. Bamoth Arnon.
44. Puteus.
45. Mathana.
46. Nahaniel.
47. Dibon-gad.
48. Helmon-Deblataim.
49. Mons Phaſga.
50. Kedemoth.
51. Sethim, ſive Abel-Satim.

In caſtris ad Cadeſ-barne facile ſeditio Core, Datan, & Abiron excitata eſt.

2552 Poſt iter 37. fere annorum in deſertis Arabiæ Petræ, & Idumææ, tandem Mozeroth ad Cadet-barne perveniunt, anno 39. ab ingreſſu ex Ægypto. 1448

Moyſes iter per Idumæam, miſſis ad Regem Legatis, poicit: ille samen acquieſcere recuſat.

Iſraelitæ in Cades perveninnt, ubi Maria 130. annis nata moritur.

Iſraelitæ penuria aqnarum murmurant. Moyſes aquas e ſilice educit; ſed cum ille ſimul & Aaron diffidere nonnihil de Deo viderentur, ambo ante ingreſſum in terram Promiſſionis ad interitum deſtinati ſunt.

Poſt Cades, altera ſtatio ad montem Hor habetur; nbi Aaron 123. annis natus, prima die menſis quinti moritur.

Rex Arad Iſraelitas aggreſſus plures captivos abducit.

E monte Hor Selmonam veniunt, ubi erecto æneo Serpente, Iſraelitis veneno anguium alatorum correptis Moyſes medetur. Hæc tamen alii in Statione Phunon contigiſſe credunt.

Succedentes ſtationes ordine ſunt: Phunon, Obhoth, Jie-abarim, Torrens Zared, Mathana, Nahaiel, Bamoth Aron, Dibon-gad, ultra Torrentem Arnon, Helmon-deblataim, mons Phaſga, juxta urbem Kedemmoth.

2553 Sehon Rex Amorrhæorum, tranſitum per regionem ſuam Hebræis negat. Moyſes illum aggreſſus, totam regionem ſubigit. 1447

Og Rex Baſan prælio cum Hebræis inito, vincitur.

Iſraelitæ caſtra habent in agro Moabitico.

Balac Rex Moab, Balaamum ad imprecanda in Iſraelitas mala acceſſit.

Iſraelitæ in fornicationis, & idololatriæ Beelphegor crimen incidunt.

Bellum Madianiticum.

Diviſio regionis Sehon, & Og in Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Tribum Manaſſe

Moyſes fœdus Iſraelitarum cum Domino innovat.

Moyſes annis natus 120. menſe decimo anni Sancti moritur.

Huic Joſue ſuccedit, qui exploratores Jericuntem mittit primo menſe Martio, & Aprili reſpondente.

Populus Jordanis vada die 10. primi menſis trajicit.

Mane Joſue ritum circumciſionis innovat.

Manna pluere ceſſat.

Primum Paſcha poſt tranſitum Jordanis die 25. primi menſis.

Jerico capitur.

Iſraelitæ in monte Hebal altare erigunt, juxta Moyſis præceptum.
Joſue 8. 30. 35. *Deut.* 27. 2. 12. *&c.*

Gabaonitæ fœdus ineunt cum Joſue.

Bellum fœderatorum Regum in Gabaonitas, quos Joſue prælio vincit, precibus ejus ſole, & luna immotis manentibus.

2554 Bellum Joſue in Reges Chanaan; quibus bellis integrum ſexennium impendit. 1446

2559 Devictam regionem Joſue inter Tribus Juda, Ephraim, & dimidiam Tribum Manaſſe dividit. 1441

Promiſſam a Domino portionem Calebo concedit, atque hoſtibus ab ea depellendis opem præſtat.

2560 Arca Domini, & Tabernaculum in Silo urbe Tribus Ephraim ſtatuitur. 1440

Joſue regionis portionem aſſignat Tribubus Benjamin, Simeonis, Zabulonis, Iſſachar, Aſer, Nephtali, & Dan. Ipſe ſibi Joſue ſortem determinat Thamnat Sara in monte Gaas.

Tribus Ruben, Gad, & dimidia Manaſſe regionem ſuam trausjordanicam repetunt.

2561 Joſue fœdus inter Dominum & Iſraelitas innovat. 1439

Joſue moritur, ac vacuam populi adminiſtrationem Seniores, ſpatio triginta annorum, habent: quo tempore bellum Tribus Juda in Adonibeſech contigit.

2562 His Anarchia ſuccedit, cujus temporis ſpatio Danitæ urbem Lais occupant. 1439

Eodem temporis intervallo hiſtoria Michæ, atque data ab ipſius Ephod Idololatriæ cauſa incidit.

Bellum etiam duodecim Tribuum in Tribum Benjamin, in ultionem illatæ in uxorem Levitæ cujuſdam injuriæ.

Deus ſubmiſſis Prophetis aberrantes a recto Hebræos reducere conatur; fruſtra tamen. Quare ſub jugum hoſtium illos agi permittit.

2599 Prima captivitas Iſraelitarum ſub Chuſam Raſathaim Rege Meſopotamiæ. Othoniel, prælio victo Chuſan, populum a ſervitute liberat, 40. annis poſt obitum Joſue. 1402

2662 II. Captivitas ſub Eglone Rege Moab, 62. annis poſt reſtitutum ab Othoniele populum. 1339

Aod.

A. M.		A. Chr.
2679	Aod oppreſſus revelat, 80. annis circiter poſt victoriam Othonielis.	1325
incertn	III. Captivitas Iſraelitarum ſub Philiſthæis. Sangar populum liberat.	
2719	IV. Captivitas ſub Jabin Rege Azor, Deſiit poſt 20. annos authoribus Debora, & Barach. Duravit ab anno 2699. uſque ad 2719.	1285
2752	V. Captivitas ſub Madianitis.	1248
2759	Populo liberando Gedeon a Domino ſuſcitatur.	1241
	Gedeon Iſraeli jura dedit 11. annis, ab an. 2759. uſque ad 2768.	
2768	Abimelech, filius Gedeonis, Regnum ſibi in Sichem penetrat.	1232
2772	Triennio poſt occiditur.	1229
2772	Thola Iſraelem poſt Abimelech judicat 23. annis.	1228
2795	Jair Tholæ, in Transjordanis potiſſimum, ſuccedit; atque 22. annis rerum potitus eſt.	1205
2799	VI. Captivitas ſub Philiſthæis, & Ammonitis.	1201
2817	Iſraelitas Transjordanos Jephte in libertatem revocat.	1183
2820	Urbs Trojæ capitur, 400. annis ante primam Olympiadem.	1180
2823	Jephte moritur, cui Abeſan ſuccedit.	1177
2830	Abeſan moritur, atque Elon rerum potitur.	1170
2840	Obitus Elonis. Abdon præficitur.	1160
2848	Obitus Abdonis, poſt quem Eli Summus Sacerdos Iſraelem judicat.	1152
2849	Samuel naſcitur.	1151
	Sub eo judice, Deus Samſonem ſuſcitavit. Natus eſt Samſon Anno M. 2849.	
2861	Samuel cum Domino agere incipit.	1139
2867	Samſon cum fœmina Thamnatæa conjugio jungitur; unde cœpta occaſio muneris ſui, defenſoris nempe Iſraelis, exercendi.	1133
2868	Meſſes Philiſthæorum immiſſis 300. vulpibus faces trahentibus abſumit.	1132
2887	In poteſtatem Philiſthæorum, urgente Dalila, veniens, ipſe ſibi, concuſſo Templo Dagon, pereunte ſimul ingenti Philiſthæorum turba, necem conſciſcit. Iſraelem defendit ſpatio 20. annorum ab an. 2867. uſque ad 2887.	1113
2888	Bellum inter Philiſthæos, & Iſraelitas. Arca Domini a Philiſthæis capitur. Eli Summus Sacerdos, poſt judicatum Iſraelem 4. annis, moritur.	1112
	Philiſthæi Arcam una cum muneribus remittunt; quæ in Cariat-iarim deponitur.	
2888	Samuel in Ducem, & Judicem Iſraelis eligitur.	1112
2908	Iſraelitæ Philiſthæos vincunt.	1092
2909	Regem a Samuele poſtulant.	1091
	Sauli Regnum ſorte obtingit, & in cœtu populi Maſphæ conſecratur.	
	Urbem Jabes Galaad ab obſidione Ammonitarum Saul liberat.	
2911	Philiſthæos e Machmas depellit.	1089
	Bellum Philiſthæorum in Saulem. Iſraelis copiæ in Galgalis conſectæ viſis hoſtibus terrentur.	
2919	Saul, tanquam tranſgreſſor mandati Samuelis, a Deo rejicitur.	
2930	Jonathas prodigio Philiſthæos vincit.	1081
	David filius Iſai naſcitur.	1070
2941	Bellum Saulis in Amalecitas. Amalecitæ vincuntur; ſed Saul, quod Dei juſſionibus morigerum ſe non præbuerit, ab ipſo rejicitur.	1059
2942	Samuel mittitur a Deo in Bethleem, ut Davidem in Regem Iſraelis inungat.	1058
	Bellum Philiſthæorum in Iſraelitas. David ſingulari prælio Goliat occidit.	
2943	Saul gloriæ Davidis invidens, ejus necem molitur.	1057
2944	David ad Achis Regem Geth confugiens, ibi tamen agnitus, in Moabitidem ſecedit.	1056
	Abimelech, cæterique Sacerdotes a Saule occiduntur; Abjathar ad Davidem tranſit.	
	Ceila obſidione a Philiſthæis preſſa, a Davide liberatur.	
2945	David in deſertum Ziph confugit. Saul copias in illum ducens, accepto ſubitæ Philiſthæorum irruptionis nuncio, abſtinere ab eo perſequendo cogitur.	1055
2946	David in vicinis Engaddi ſe recipiens, Regem ſolitarium in obſcuro antro, ubi ipſe cum ſuis latebat, nactus, illæſum relinquit.	1054
2947	Samuel, 98. annis natus, moritur. Iſraelem ante Regnum Saulis judicaverat 21. annis; poſt Saulem vero ad 38. ulteriores annos vixit.	1053
	David in deſertum Pharan ſecedit. Nabalis hiſtoria, David Abigailem ducit; dein ad deſertum Ziph tranſiens, in tabernaculum Saulis noctu ſeſe inſinuans, lanceam, & vas aquæ ibidem nactus, ſubripit. Tandem ad Achis Regem Geth aufugiens, Siceleg in ſedem ſibi ſuiſque obtinet: ibique anno & 4. menſibus moratur.	
2949	Bellum Philiſthæorum in Saulem. Saul evocari ſibi animam Samuelis poſtulat. Prælio victus necem ſibi infert.	1052
	Amalecitæ, abſente David, Siceleg diripiunt; ſed mox David abeuntes inſequutus, & prædam omnem, & captivos recipit.	
	Isboſeth filius Saulis, agente Abnere, Rex ſalutatur, in Mahanaim urbe transjordana ſedem conſtituit.	
	Davidi a Tribu Juda regnum confertur; qui ſecundo in Regem inungitur. Hebrone regnat.	
2951	Bellum inter Isboſeth & Davidem, quod 4. vel 5. annis duravit.	1049
2956	Abner, relicto Isboſeth, cum David convenit; ſed a Joabo proditione interficitur.	1044
	Isboſeth in ſuo lecto occiditur.	
	Univerſi Iſraelis Regnum Davidi confertur; qui proinde tertio in Regem Hebrone ungitur.	
2957	Jeruſalem, pulſis Jebuſæis, a Davide capta, in ſedem Regni conſtituitur.	1043
2958	Bellum Philiſthæorum in Davidem, Philiſthæi prælio victi ad Baal Pharaſim.	1042
2959	Arca Domini a Cariat-iarim in Jeruſalem David ducendam ſtatuit; ſed in ædibus Abinadabi deponitur. Poſt tres menſes tandem in Regiam Davidis domum transfertur.	1041
2960	David Templi Domini fabricam molitur; ſed a Propheta Nathan monitus, conſilium deponit.	1040

Bellum

A. M.		A. Chr.
	Bellum ſexennale Davidis in Philiſthæos, in Adarezer, in Damaſcum, & Idumæos.	
2967	Bellum Davidis in Reges Ammonitarum, ob acceptam ab ejus Legatis a Rege illarum gentium injuriam.	1033
2968	Bellum Davidis in Syros, qui copiis Ammonitas juverant.	1032
2969	Joab obſidione premit Rabbath Metropolim Ammonitarum. David & in thorum Uriæ & in ejus vitam reus. Rabbath expugnatur.	1031
2970	Poſt natum ex adulterio Davidis cum Beth-ſabee filium, Nathan commiſſum crimen Davidi exprobrat. David peccatum ſuum deflet.	1030
2971	Salomon naſcitur.	1029
2972	Amnon, filius Davidis, Thamar ex patre ſororem violat.	1028
2974	Abſalom, ſororis Thamar injuriæ ulciſcendæ, Amnonem interficit.	1026
2977	Rogante Joabo Abſalom ab exilio revocatur.	1023
2979	Abſalom in aula & coram Davide admittitur.	1021
2981	Abſalom a patre deſciſcit.	1019
	Abſalom prælio victus a Joabo occiditur.	
	Seditio Sebæ filii Bochri opera Joabi extinguitur.	
2983	Ab hoc anno repetitur fames in ultionem injuſtæ necis Gabaonitarum per Saulem, a Deo immiſſa. Ceſſavit an. 2987.	1017
2987	David populi cenſum indicit; cui ambitioni puniendæ Deus tribus illi propoſitis plagis, unam eligere jubet.	1013
2988	Omnia ad Templi ædificium neceſſaria a Davide parantur, quod in monte Sion, in area Ornan, excitandum Divinitus intelligit.	1012
	Roboam, filius Salomonis, naſcitur.	
2989	Abiſag Sonamitis ad fovendum Regem ſenectute frigeſcentem introducitur.	1011
	Adonias Regnum affectat; ſed juſſu Davidis Salomon in Regem ſalutatur. Adonias ad aſylum Altaris confugit. Salomoni Regnum & ab Iſraele univerſo, & ab optimatibus aſſeritur.	
2990	David annis natus 70. moritur, poſt exactos in regno ſeptem annos cum dimidio Hebrone uni Tribui Juda imperans; & 33. annos Jeroſolymæ, in univerſum Iſraelem ditione ſua prorogata.	1010
	Salomon poſt adminiſtratum ſex menſibus, una cum patre, Regnum, ſolus regnat.	
	Adoniam, poſtulantem ſibi Abiſag in uxorem, occidit.	
	Abjatharem a Sacerdotio removens, liberam ſacræ dignitatis adminiſtrationem uni Sadoc, ſoli deinde Pontifici, relinquit.	
	Joab, nequicquam in aſylo Templi ſe continens, occiditur.	
2991	Nuptiæ Salomonis cum filia Regis Ægypti.	1009
	Salomon offerendis ſacrifiiis & precibus Domino Gabaonem ſe confert. Sapientiam a Deo precatio obtinet; ſimulque divitias, ne roganti quidem, Deus concedit.	
	Salomon de controverſia oppreſſi infantis inter duas fœminas, ſe invicem accuſantes, ita judicat, ut inſignis prudentiæ ſibi famam conciliet.	
2992	Hiram Rex Tyri cum Salomone de inito Regno per Legatos gratulatur. Salomon ea occaſione, ligna, & artifices ad ædificium Templi poſtulat.	1008
	Templi fundamenta die ſecunda ſecundi menſis, Majo & Junio reſpondentis, a Salomone jaciuntur.	
3000	Templi moles ſpatio ſeptem annorum cum dimidio abſolvitur; cujus tamen dedicatio, facile quod Jubilæo ſolemnis eſſet, ad inſequentem annum differtur.	1000
3001	Dedicatio Templi Jeroſolymitani.	999
3012	Regalium Ædium, & filiæ Pharaonis, Salomonis uxoris, ædificium abſolvitur.	998
3029	Obitus Salomonis.	971
	Roboamus in Regno ſuccedit; ſtatimque abalienatis a ſe Iſraelitarum animis, decem Tribuum defectionem cauſat. Jeroboam filius Nabat ſuper decem Tribus Rex.	

A. M.	Ante Chr.	*REGES JUDA*	*REGES ISRAEL.*	A. M.	Ante Chr.
3029	971	Roboam bellum in decem Tribus parans, Prophetæ monitu abſtinet.	Jeroboam, filius Nabat, Rex Iſraelis, cultu Dei abrogato, Aureos Vitulos dedicat.	3030	970
3030	970	Sacerdotes, & Iſraelitæ, quibus avita Religio cordi eſt, deſerto Regno Iſraelis, in ditionem Juda migrant.			
3032 3033	968 967	Roboamus fræna laxat vitiis. Seſac Ægypti Rex Jeruſalem vi ingreſſus, Sacros Regioſque Theſauros diripit.			
3046	954	Roboamo fato concedente, Abias ſuccedit.			
3047	953	Abiæ de Jeroboamo victoria.	Jeroboamus commiſſo cum Abia prælio, 500000. militibus amiſſis victus recedit.	3047	953
3049	951	Abias moritur. Aſa ſuccedit. Aſa invectam in Judam Idololatriam depellit.	Jeroboam moritur. Nabad ſuccedit.	3050	950
3053	947	Joſaphat filius Aſæ naſcitur.			
3055 3063	945 937	Victoria Aſæ ex Zara Rege Æthiopiæ, ſive regionis Chus ad Ægyptum.			
3064	936	Aſa Rex Juda arma Benadad Regis Syriæ in Regnum Iſraelis concitat, ut Baaſam Regem Iſraelis ab ædificatione Ramæ arceat. Jo-	Baaſa urbem Ramam ædificandam ſuſcipit, ut tranſitum Iſraelitarum in Jeruſalem impediat. Be-	3064	936

A. M.	Ante Chr.	*Reges Juda*	*Reges Iſrael*	A. M.	A. Chr.
			Beosdad Rex Damaſci in Iſraeliticam ditionem ingreditur.		
			Baaſa defuncto, Ela rerum potitur.	3074	926
			Zamri, occiſo Ela, Regnum invadit; quod tameo ſeptem diebus tantum rcocc.		
			Amri, obſeſſum eumdem Regem Therſæ, incendio ſe in ipſa Regia tradere cogit.		
			Theboi io Amri inſurgena, prælio ub eodem vincitur.		
			Amri Regnum ſolus init, anno 31. Aſæ Regis Iudu, & Mundi 3079.	3079	921
3080	920	Joram filius Joſaphat naſcitur.	Amri conditam Samariam ſedem Regni conſtituit.	3080	920
			Amri moritur, eique Achab ſuccedit.	3086	914
3087	913	Aſa morbo, facile podagroſo, laborans, in Medicorum potius, quam Dei ope confidit.			
		Aſa poſt 41. Regni an nos moritur.			
3090	910	Joſaphat in ſucceſſorem eligitur, qui ſtatim ab inito Regno extraneos omnes coltus lege probibet.	Hoc temporis intervallo Elias Propheta ditionem Iſraelis frequentabat.		
		Ochozias, filius Joram, & Athaliæ, nepos Joſaphat naſcitur.	Elias coram Achabo ſe ſiſtens, Prophetas omnes Baal interficiendi author eſt.	3096	904
			Elias Eliſeum io Prophetam inungit.		
			Benadad Rex Syriæ Samariam obſidens, non ſine cæde ſuorum, re infecta recedit.	3103	897
			Inſequenti anno, rem iterum tentaturus veniens, commiſſo ad Aphek prælio, vincitur.	3104	896
3106	894	Joſaphat in Regni ſucceſſorem filium ſuum Joram deſignans, Proregem conſtituit.	Achab vineam Naboth ſibi per iojuriam vindicat.	3105	895
3107	893	Joſaphat, una cum Achabo, expeditionem in Ramoth Galaad ſuſcipiens de vita periclitatur.	Achab Regium nomen & authoritatem filio ſuo Ochoziæ communicat.	3106	894
3108	892	Claſſem inſtruere mittendam in Ophir molitur. Sed in expeditionis ſocietatem Ochozia Rege Iſraelis admiſſo, Deus totam claſſem naufragio diſperdit.	Inito ad Ramoth Galaad prælio, ſub ementitis ſpoliis latens, ab hoſtibus occiditur.	3107	893
			Regnum ad Ochoziam devolvitur.		
		Circa ea tempora Joſaphat expeditione in Ammonitas & Moabitas ſuſcepta, utroſque populos prodigio vincit.	Sed ille e tecto Regiæ Domus in ſubjectum cœnaculum decidens, gravi contracto vulnere, occumbit.	3108	892
		Elias igneo curru in Cœlum rapitur.	Ioram ejus frater io Regno ſuccedit.		
			Bello Moabitas aggreditur.		
3112	888	Joſaphat filium ſuum Joram io Regni ſocietatem adſciſcit.	Eliſeus victoriam Regi præountiat; utque ſiti laborantibus copia largas aquarum venas aperit.	3109	891
3115	885	Joſaphat moritur.			
		Joram in Regno ſuccedit Idumæi, jugo Regum Juda excuſſo, in libertatem aſſeruntur.			
3116	884	Joram, uxore ſua Athalia inſtigante, cultum Baal in Regnum Juda introducit.			
3117	883	Joram inſanabili viſcerum morbo a Deo percutitur.			
3118	882	Filio ſuo Ochoziæ Regni adminiſtrationem committit.			
		Joram moritur.			
3119	881	Ochozias in Regno ſuccedit. Joram naſcitur.			
3120	880	Ochozias una cum Joram Rege Iſrael obſidionem Ramoth Galaad ſuſcipit.	Benadad Rex Syriæ Samariam obſidet; ſed ſubito terrore in Regem, & in exercitum incuſſo, in fugam per quietem noctis effuſi ſunt.	3119	881
		Ochozias a Jehu occiditur.			
		Athalia, tota Regis familia neci tradita, Regnum invadit. Sed puer Ioas	Eliſeus Damaſcum ſe conferens, & mor-	3120	880

A. M.	Ante Chr.	*REGES JUDA*	*REGES ISRAEL*	A. M.	A. Chr.
		Joas e communi fratrum ſuorum fato ſublatus, in penetralibus Templi enutritur.	mortem Benadad, & Regnum Hazaeli prænunciat. Joram ad obſidionem Ramoth Galaad Ochoziam comitatus, gravi accepto vulnere, in Jezrael delatus eſt.		
3126	874	Jojada Summus Sacerdos Joas in Regem ſalutari, atque neci tradi Athaliam curat.			
3140	860	Amaſias filius Joas naſcitur.	Jehu in Joram deſciſcens, illum interficit.		
3147	853	Joas ſarta tecta Templi inſtaurari procuret.	Jehu moritur.		
3164	836	Zacharias Summus Sacerdos, filius Jojadæ, mandante Joas, in Templo occiditur.	Joachaz ejus filius rerum potitur.	3148	852
3164	836	Bellum Hazaelis in Joas. 4. *Reg.* 12. 17.	Bellum Hazaelis Regis Syriæ in Ioas.	3164	836
3165	835	Altero anno Hazael, reparato in Joas bello, ingentem pecuniæ ſummam ab illo extorquet. 2. *Par.* 24. 23. &c.	Joachaz filius Iehu moritur, cui Ioas ſuccedit.	3165	835
			Eliſeus circa ea tempora e vita migravit.		
		Joas Rex Juda moritur. Amaſias ad Regnum evehitur.	Hazael Rex Syriæ moritur, cui Benadad ſuffectus eſt.	3168	832
3177	823	Expeditio Amaſiæ in Idumæos.	Bellum Ioas in Benadad.		
3178	822	Bellum in Joas Regem Iſrael indicit, in quo tamen ipſe prælio vincitur.	Joas inſigni victoria Amaſiam Regem Iuda proſtrat.	3178	822
3194	806	Ozias, ſive Azarias, filius Amaſiæ, naſcitur.	Joas Rex Iſrael moritur. Ieroboam II. in Regno ſuccedit.		
		Ozias, ſive Azarias rerum potitur.	Sub eo Rege Prophetæ Ionas, Oſee, & Amos clarent.	3222	778
3221	779	Sub eo Rege in ditione Juda Prophetæ Iſaias, & Amos clarent.	Jeroboam moritur.		
			Zacharias II. ejus filius, Regno potitur.		
		Joathan, filius Oziæ, naſcitur.	Chronologicus ordo hic turbatur, nam 4. Reg. 15. 8. 12. mors Zachariæ ad annum 38. Oziæ, poſt exactos in Regno ſex tantum menſes, conſignatur. Si vero totum reliquum tempus uſque ad exitum Regni Iſraelis ſupputetur, five conſtituemus oportet interregnum 9. vel 11. annorum inter Ieroboamum II. & Zachariam, cum Uſſerio; vel Ieroboamo II. 51. Regni annos tribuamus; vel ſaltem initium Regni ejus ad annum 3191. & exitum ad annum 3232. determinemus: qui ſcilicet annus Zachariæ etiam emortualis eſt.		
			Zacharias, poſt exactos ſex menſes in Regno, a Sellum occiditur.	3232	768
			Sellum unius menſis Regnum habet.	3233	767
3246	754	Ozias moritur.	A Manahem occiditur.		
		Joathan in Regno ſuccedit.	Phul, Aſſyriæ Rex, Iſraelitarum ditionem ingreſſus, Manahem tributarium reddit.		
		Iſaias gloriam Domini conſpicit, *Iſai.* 6.			
		Sub Rege Joathan Iſaias, & Oſee prophetarunt.	Obitus Manahem, & Regnum Phaceiæ.	3243	757
3250	748	Ezechias, filius Joathan Regis Judæ, naſcitur.	Phacee filius Romeliæ, ſublato Phaceia, regnum uſurpat.	3245	755
			Arbaces Satrapa Medorum, & Beleſus Babylonius in Sardanapalum Regem Aſſyriæ ſimul conſpirantes, Babylone clauſum illum obſident.	3254	746
3261	739	Raſin Rex Syriæ, & Phacee Rex Iſrael Regnum Juda aggredi incipiunt.	Poſt triennalem obſidionem Sardanapalus injecto in Domos regias igne, ipſe cum omnibus Regiis theſauris ardet. Arbaces ad Regnum evectus, Medos in libertatem aſſerit.	3257	743
3262	738	Joathan moritur, cui Achaz ſuccedit.	Beleſus, alio nomine Baladan, ſive Nabonaſſar, Babylonicum Imperium conſtituit. Hinc repetenda epoche celebratiſſima Nabonaſſaris, incidens in annum ante Chriſtum 743. ante Æram 747.		
		Raſin Rex Syriæ, & Phacee Rex Iſrael Regnum Judæ etiam atque etiam affligunt.			
		Iſaias Meſſiæ nativitatem Achaz prædicit, ſimulque proximæ ab hoſti-	Ninus		

A. M.	Ante Chr.	*REGES JUDA*	*REGES ISRAEL*	A. M.	Ante Chr.
		hoſtibus liberationis ſpem facit. Nec ſane duo Reges hoc anno quidquam in Achaz moliti ſunt.	Ninus junior, in Scriptura Teglatphalaſſar, Imperium in anguſtiores tamen fines contractum, proſequitur; annis 19. regnavit.		
3263	737	Verum inſequenti anno Regionem iterum adorti, totam excurrunt.			
3264	736	Idumæi, & Philiſthæi eamdem Provinciam infeſtant.	Teglatphalaſſar, illatis in Raſin Damaſci Regem armis, illum occidit.	3264	736
		Achaz tributarium Regnum Teglatphalaſſar Regi Aſſyriæ ſubmittit, ea conditione, ut oppreſſum Regnum ab hoſtibus liberet.	Dein ditionem Iſraelis invadens, pluribus captis urbibus, captivorum turbam, ac potiſſimum Tribus Ruben, Gad, & dimidiam Tribum Manaſſe abducit. Hæc prima Judæorum captivitas.		
3277	723	Achaz in Regni ſocietatem Ezechiam filium ſuum adſciſcit.			
			Oſee, filius Ela, ſublato Phacee filio Romeliæ Rege Iſrael, Regnum uſurpat.	3265	735
3278	722	Achaz Rex Juda moritur.	Quietam autem ditionem ſuam habuit ab anno 12. Achaz 4. Reg. 17. 1.	3274	726
		Ezechias Regnum ſolus obtinens, cultum Domini, ſub Achaz pene abrogatum, reſtituit.	Salmanaſar poſt Teglatphalaſſar ad Regnum Ninive evehitur.	3276	724
3279	721	Decimæ, & primitiæ ad ſuſtentationem Miniſtrorum Templi colligi cœptæ ſunt.	Oſee Rex Iſrael, inito cum Sua Rege Ægypti fœdere, a Salmanaſſare deficit.	3279	721
			Salmanaſſar Samariam obſidet, ac poſt trienniom ea expugnata, reliquas Tribus, quas Teglaphalaſſar reliquerat, trans Euphratem traducit.	3280	720
				3283	717
			Ita Regni Iſraelitici poſt 254. annorum ſpatium exitus.		

A. M.		Ante Chr.
3279	Tobias e Tribu Nephtali una cum ceteris captivis in Tranſeuphratea a Salmanaſſare deductus eſt.	721
3290	Ezechias, excuſſo Aſſyriorum jugo, fœdere in Sennacheribum jungitur, cum Ægypto, & Rege Chus.	710
3291	Sennacherib exercitum in Ezechiam ducens, plures in ditione Juda Urbes occupat.	709
	Ezechias morbo laborat; cui Iſaias valetudinem pollicitus, in oraculi ſui fidem umbram ſolis in horologio Achaz retrogradam, prodigio exhibet.	
	Sennacherib Lachim obſidet.	
	Ezechias omni in fœderatos Reges ſpe deſtitutus, oblatis Sennacherib pecuniis, Aſſyriorum arma a ſe avertere tentat; ſed inſtaura in bellum Sennacherib Rabſacem ad obſidendam Jeruſalem mittit; ipſe interim in Taracham Regem Chus ſive Arabiæ copiarum partem ducens. In Judæam tamen exercitum reducente illo, ſubito Angeli Dei incurſu 185000. Aſſyriorum interfecta ſunt. Quare Sennacherib Ninivem regreditur, ubi a duobus filiis ſuis neci traditus eſt.	
3292	Aſſaradon pro Sennacheribo regnat.	708
	Sub id facile tempus Baladan, ſive Merodach-Baladan Rex Babyloniæ de recuperata ab Ezechia valetudine per Legatos gratulans, ſimul de prodigio umbræ Solis retrogradæ inſtrui poſtulat.	
	Micheas Moraſthites, & Nahum ſub Ezechia oracula fundunt.	
3293	Tartan, ab Aſſaradone miſſus, in Philiſthæos, Idumæos, & Ægyptios venit.	707
3294	Aſſaradon Sacerdotem Iſraeliticum mittit, inſtruendis Chutæis Sichem incolentibus.	706
	Ezechias moritur.	
3306	Manaſſes regnat.	694
3323	Aſſaradon, Babylone capta, duo Imperia, Aſſyrium, & Chaldæum in ſe conciliat.	677
3339	Manaſſes a Chaldæis captivus Babylonem traducitur.	661
3347	Holophernes variis gentibus bellum inferens, tandem in Judæa a Judith interficitur.	653
3361	Manaſſes moritur, poſtquam diu ante [incertum tamen quo anno] e captivitate liberatus, in Judæam rediiſſet.	639
	Amon pro Manaſſe regnat, ſceleſtiſſimus Princeps.	
3363	Ammon moritur, eique Joſias ſuccedit.	637
	Sophonias, ineunte Joſiæ Regno, munus Prophetæ auſpicatur.	
3370	Joſias corrigendis populi moribus depravatis laborans, Domini cultum reſtituit.	630
3376	Jeremias, ab anno 13. Joſiæ Prophetam agit.	624
3380	Liber Legis in Ærario Templi ab Helcia Summo Sacerdote invenitur.	620
	Pecuniæ ad Templi reparationem colliguntur.	
	Holda Propheteſs imminentia in Regnum Juda mala prædicit.	
3381	Solemnitas Paſchalis a Joſia una cum univerſo populo celebratur.	619
	Joel claret.	
3394	Nechao Regi Ægypti, copias ad expeditionem in Carchamis ducenti, Joſias reſiſtens, lethali in prælio contracto vulnere, Jeroſolymam tranſlatus occumbit.	606

Joa-

A. M.		Ante Chr.
	Joachaz populi favore ad Regnum evehitur; ſed mox ab expeditione ſua regreſſus, a Nechao amotus, Eliacimo fratri ſuo, & filio Joſiæ Regnum relinquere coactus eſt.	
3395	Sub eo Rege Abacuc prophetiæ dono claret.	605
3398	Nabuchodonoſor ſub Chaldæorum jugo redacta Carchami, redux deinde in Palæſtinam veniens, Jeroſolymam obſidet. Ea expugnata, Joakimum ingenti tributo mulctatum regnare ſinit. Daniel & ſocii Babylonem captivi abducuntur. *4. Reg. 23. 36. & 2. Par. 35. 5. 6. Jer. 26. 1. & 46. 2.*	602
3399	Jeremias oracula ſua ſcriptis mandare incipit.	601
3401	Suſannæ hiſtoria Babylone.	599
	Joakim a Nabuchodonoſore deficit.	
	Nabuchodonoſor immiſſis in ditionem Juda copiis Chaldæis, Syris, & Moabiticis, univerſa vaſtata regione 3023. Judæos captivos Babylonem adducit, anno Joakimi ſeptimo. Vide *4. Reg. 24. 2. Jerem. 52. 28.*	
3402	Nabuchodonoſor ingentem coloſſum per quietem videt; ejuſque ſomnium Daniel interpretatur.	598
3405	Cyrus Cambyſis ex Mandane filius naſcitur.	595
	Joakim, jugum iterum excutiens, in poteſtatem Nabuchodonoſoris veniens, occiditur; ejuſque cadaver ferarum injuriis relinquitur. Annis 11. regnavit.	
3406	Joacim ſive Conias, vel Jeconias, pro Joakimo regnat.	594
3406	Nabuchodonoſor, illatis in Jeruſalem armis, trium menſium, & decem dierum obſidione Urbem capit. E toto vero populo partem captivam Babylonem traducit.	594
	Sedecias, avus Jechoniæ, Rex a Nabuchodonoſore renunciatur.	
	Legati a Sedecia Babylonem mittuntur; qua occaſione Jeremias ad Judæos captivos epiſtolam ſcribit.	
3409	Sarias & Baruch Babylonem a Sedecia mittuntur.	591
3410	Ezechiel Prophetæ munus in Chaldæa auſpicatur.	590
	Jeroſolymam ab hoſtibus capiendam, atque Judæos diſpergendos prædicit. *Ezech. 4. & 5. & 8. & 9. & 10. & 11. & 12.*	
3411	Sedecias cum Rege Ægypti clam agens, defectionem molitur.	589
3414	Tandem in apertam defectionem erumpit. Quare Nabuchodonoſor, illatis in Jeruſalem armis, obſidione illam premit. Audiens tamen Ægypti Regem auxiliares copias ad Sedeciam ducere, obſidione intermiſſa in Ægyptios movet. Poſt hæc iterum urbem ſtringit.	586
	Toto hujus obſidionis tempore, triennii circiter ſpatio, Hieremias ab oraculis fundendis numquam deſtitit.	
	Ezechiel in Chaldæa verſans, obſidionem hanc deſcribit. *Ezech. 11. & 12.*	
3416	Urbs capitur anno 11. Sedeciæ, die 9. menſis quarti, Julio, & Auguſto reſpondentis.	584
	Sedecias noctis favore dilabitur, ſed tandem in hoſtium manus incidens, Reblatam ad Nabuchodonoſorem deducitur. Ejus juſſu cæcitate mulctatus, Babylonem deductus eſt. Ita Prophetiæ conciliantur, quarum aliquæ numquam illum Babylonem viſurum, quamvis ibi diem clauſurus eſſet, prænunciarunt: *Ezech. 12. 13.* aliæ vero viſurum illum ſuis oculis Regem Babylonis, eamque Urbem ingreſſurum aſſerebant. *Jerem. 32. 4. & 34. 3.*	
	Jeruſalem, & Templum die 7. quarti menſis incendio abſumuntur.	
	Judæi Jeroſolymitani, atque ex univerſo Regno captivi in Tranſeuphrateam traducuntur.	
	Is exitus Regni Juda poſt 468. annorum ſpatium, quot ab inito Davidis regno numerantur; ſeu 388. a diviſione Regni Juda, & Regni Jeruſalem.	
	Initium 70. annorum captivitatis, juxta Jeremiæ oraculum. *Jere. 25. 11. & 29. 10.*	
	Godolias reliquiis populi præficitur.	
3417	Jeremias, poſt Godoliæ obitum, in Ægyptum a Judæis invitus ducitur. In Ægypto prophetiæ dono claret. *Jer. 44.*	583
	Ezechiel in Chaldæa contra captivos Juda prophetat. *Ezech. 33.*	
3419	Tyrus a Nabuchodonoſore obſidetur, ejuſque obſidionis ſpatio [tredecim enim annis duravit] Nabuchodonoſor arma in Idumæos, Ammonitas, & Moabitas infert. *Antiqu. l. 10. c. 11.*	581
	Abdias in Idumæam prophetat.	
3432	Tyrus a Nabuchodonoſore capitur.	568
	Bellum Nabuchodonoſoris in Ægyptios.	
3433	Poſt plura bella abſoluta, Babylonem regreditur.	567
3434	Ingentem arborem per quietem videt.	566
3435	In bovem tranſmutatur.	565
3443	In priſtinum reſtituitur.	557
3444	Aureo ſimulacro, a ſe erecto, cultum impendi præcipit.	556
	Tres ſocii Danielis in ſuccenſam fornacem injiciuntur.	
	Nabuchodonoſor moritur, poſt exactos in Regno 43. annos; ab obitu Nabonaſſari patris ſui, qui deceſſit anno 3399.	
3444	Evilmerodach, ejus filius, unius tantum anni ſpatio regnat.	556
3445	Huic filius Balthaſar ſuccedit.	555
	Viſio Danielis quatuor myſticorum animalium. *Dan. 7.*	
3446	Cyrus, jugo ſervitutis excuſſo, aſſertis in libertatem Perſis, Regis titulum aſſumit.	554
3448	Sacrilegum Balthaſaris convivium. Occiditur.	552
	Darius Medus regnat pro Balthaſare.	
3449	Prophetia Danielis de ſeptuaginta hebdomadibus. *Dan. 9. & 10.*	551
3450	Darius, lato edicto, neminem, præter ſe unum, Deum coli præcipit.	550
	Daniel in foveam leonum immittitur.	
3450	Cyrus evertendam Monarchiam Medorum aggreſſus, primo cum Medis congreditur, atque devicto Aſtyagi Regi Medorum, avo ſuo ex matre, Præfecturam Hircaniæ concedit.	550

A. M.		A.Chr.
3455	Poſt hæc in Darium Medum avunculum ſuum movit; antea tamen Darii fœderatos, ac potiſſimum Crœſum Lidiæ Regem ſub jugum mittendum ſuſcipit.	545
3456	Babylonem obſidione premens, tandem capit.	544
3457	Judæos omnes manumittit, liberamque facit poteſtatem in Provinciam ſuam regrediendi, eodem anno, quo ipſe in univerſum Orientem Imperium prorogaverat.	543
3457	Hiſtoria Bel, & Draconis a Daniele occiſi.	543
3458	Judæi e captivitate regreſſi, ſacrificia in Templo Domini reſtituunt.	542
3475	Cyrus 70. annorum ætate ſenex moritur.	525
	Cambyſes regnat, a quo Cuthæi & Samaritani edictum, pro inhibendo Judæis Templi ædificio, extorquent.	
3478	Cambyſes expeditionem in Ægyptum ſuſcipit, quod bellum quinquennale fuit. Fratrem ſuum	522
3479	Smerdim interficit A. M. 3480.	521
3482	Cambyſes moritur.	518
3483	Septem Magi Imperium uſurpant. Artaxata ex illis unus Judæis Templi ædificationem interdicit.	517
	Septem Perſarum Optimates, inita in Magos conſpiratione, illos occidunt.	
	Darius, filius Hyſtaſpis, alio nomine Aſſuerus in Regem Perſarum eligitur. Uxorem habuit Athoſſam filiam Cyri.	
3484	Aggæus prophetiæ munus exorſus, Judæos, quod in ædificatione Templi ſegniores eſſent, reprehendit.	516
3485	Judæi opus Templi reſumunt.	515
	Circa idem tempus Zacharias prophetam agere incipit.	
3486	Darius, iſto pio Judæis edicto, ædificationi favet.	514
	Hoc anno ſeptuaginta anni captivitatis, a Jeremia prædicti, clauduntur, initio facto ab A. M. 3416.	
3487	Convivium Darii, ſive Aſſueri, in quo Regina Vaſthi repudio abjicitur.	513
3488	Eſther ad Regias nuptias ſeligitur.	512
3489	Dedicatio Templi Jeroſolymitani, curante Zorobabele conditi.	511
3495	Aman Regis favore pollere incipit.	505
3496	Excidium Judæorum juratu ſtatuens, edictum Aſſueri ad eam rem impetrat.	504
	Eſther abrogari illud a Rege impetrat.	
	Aman in eamdem crucem agitur, quam Marduchæo paraverat.	
	Judæi de hoſtibus ſuis Suſis, atque in toto late Imperio Perſarum ulciſcuntur.	
3519	Darius, ſive Aſſuerus moritur. Xerſes regnat.	481
3531	Xerſe vita functo, Artaxerſes ſuccedit.	469
3537	Eſdras, una cum pluribus Sacerdotibus, & Levitis gentis ſuæ, ab Artaxerſe Jeroſolymam mittitur.	463
3538	Eſdras tollendis, qui in populum irrepſerant, abuſibus operam impendens, alienigenas potiſſimum uxores dimittendas urget.	462
3550	Nehemias, facta ſibi ab Artaxerſe permiſſione, Jeroſolymam, ad mœnia, & januas ædificandas, ſe confert.	450
	Dedicatio mœnium Jeroſolymæ.	
	Plures familiæ ex agro in Urbem tranſmigrant, agente Nehemia.	
3551	Iſraelitæ tandem ab alienigenis uxoribus recedunt.	449
	Fœdus Iſraelis cum Domino, Nehemia conciliante.	
3563	Nehemias ad Artaxerſem regreditur.	437
3565	Poſt hæc iterum in Judæam ſe reſtituit, ubi variis tollendis abuſibus laborat.	435
	Zacharias, & Malachias, quem aliqui cum Eſdra confundunt, ſub Nehemia prophetant.	
3580	Nehemias moritur.	420
	Eliaſib Summo Sacerdoti ſub Nehemia, Jojada ſive Judas ſufficitur: Judam Joathan excipit; quo in Templo a Jeſu fratre ſuo ſublato, dignitas ad Jaddum, ſive Jeddoan tranſit. Certum obitus horum Sacerdotum tempus ignoratur. Videſis laterculum Summorum Sacerdotum in Diſſertatione, v. *Sacerdotum*.	*Ante Ær. vulg.* 424
3654	Artaxerſes Ochus plures in Ægypto captos Judæos captivos in Hircaniam tranſmittit.	346
3671	Alexander Magnus in Aſiam tranſit.	329
3672	Tyrum obſidione premens, a Jaddo Summo Sacerdote eadem ſibi præſtari, quæ Judæi antea Perſis conſueverant, poſtulat. Jaddus recuſat.	328
3672	Alexander, Jeroſolymam veniens, Summum Sacerdotem obſervat; Judæis favet, eoſque ſingulis annis Sabbaticis a tributis eximit.	328
	Samaritani erigendi Templi in montem Garizim facultatem ab Alexandro impetrant.	
3673	Alexander, poſt ſubactam Ægyptum, cum per Phœniciam regrederetur, ſimilem ac Judæis a tributis ſeptimo quoque anno exemptionem Samaritanis concedit.	327
3674	Darius Codomanus Regum Perſarum ultimus moritur.	326.
3681	Alexander Magnus, primus Monarchiæ Græcorum in Oriente author moritur.	319
	Judæa primum Regibus Syriæ cedit.	
3684	Dein Ptolemæus Lagus jure armorum ſibi illam vendicans, maximam Judæorum copiam in Ægyptum traducit.	316
3690	Antigonus, pulſo Ptolemæo Lago, eamdem Provinciam recipit.	310
3692	Ptolemæus Lagus, Demetrio filio Antigoni ad Gazam devicto, iterum Judæam obtinet.	308
	Poſt hæc priſtinus Judææ ſtatus ſub Regibus Syriæ redit; quibus aliquo temporis ſpatio Judæi tributa perſolvunt; Regibus tamen Ægypti ſub Ptolemæo Philadelpho parent, ſi Hiſtoriæ Verſionis Septuaginta fides ſaltem aliqua conſtet.	
3727	Verſio Septuaginta circa A. M. 3727. adornata fertur.	273
3743	Antiochus Deus, qui Syriæ Regnum inivit Ano. M. 3743. jus Civitatis in univerſa ditione ſua Judæis concedit, quemadmodum & Græci eidem Regi ſubjecti obtinebant.	257
3758	Ptolemæus Evergetes Syriam, & Judæam occupat.	242

Jaddo

A. M.		A.Chr.
3682 3702 3711	Jaddo Summo Sacerdoti vita functo A. 3682. ſuccedit Onias I., cui A. 3702. Simeon Juſtus ſubſtituitur. Ille decedens A. 3711. Oniam II. adhuc ætate imbecillem relinquit; quare Eleazar, patruus ipſius, Sacerdotalibus muneribus præſtandis ejus loco deſtinatur, Eleazar 30. annorum ſpatio Sacris præfuit; eoque Pontifice Verſio Septuaginta adornata fertur.	318 298 289
3744	Poſt obitum Eleazari A. 3744. Summum Sacerdotium ad Manaſſem defertur, fratrem avi Oniæ, & germanum Jaddi.	256
3772	Manaſſe vita functo A. 3771. ad Oniam II. jure poſtliminii dignitas redit.	229
Anno incerto	Onias, non ſoluto 20. talentorum tributo, Ægypti Regem in ſe concitat. Joſephus ejus nepos gratiam Regis iniens, omnia Cœleſyriæ, Phœniciæ ac Samariæ & Judææ tributa conducit.	
3783	Ptolemæo Evergete Ægypti vita functo Ptolemæus Philopator ſuccedit.	217
3785	Onias II. Summus Sacerdos moritur. Simon II. Sacerdotium init.	215
3786	Bellum Antiochi Magni in Ptolemæum Philopatorem.	214
	Victoria Ptolemæi in Antiochum.	
	Ptolemæus Philopator vi in Templum Jeroſolymitanum ingredi tentans, a Sacerdotibus impeditur.	
	In Ægyptum regreſſus, lato in Judæos edicto, vel avitam Religionem deſerere, vel ſub elephantum pedibus proculcatos vita cedere cogit. Deus tamen a præſentiſſimo periculo fidelem ſibi populum prodigio liberat. Vide tertium librum Machabæorum.	
3788	Ægyptiis in Philopatorem deſciſcentibus, Judæi Regem tuentur.	212
3800	Ptolemæus Philopator occumbit. Ptolemæus Epiphanes 3. vel 4. annorum puer rebus præficitur.	200
3802	Antiochus Magnus ditioni ſuæ Phœniciam, & Judæam adjicit.	198
3806	Scopas, Dux exercitus Ptolemæi Epiphanis, captas ab Antiocho Provincias recuperat.	194
3807	Antiochus magnus, poſt relatam de Scopa victoriam, a Judæis Jeroſolymæ excipitur.	193
3805	Simon II. Summus Sacerdos moritur. Onias III. ſacris præficitur.	195
Anno incerto	Arius, Lacedæmoniæ Rex, datis ad Oniam III. litteris, mutuo cognationis vinculo Judæos, & Lacedæmonios adſtrictos agnoſcit.	
3812	Antiochus Magnus datæ in conjugem Ptolemæo Epiphani Regi Ægypti Cleopatræ filiæ ſuæ Cœleſyriam, Phœniciam, Judæam, & Samariam in dotem aſſignat.	188
3815	Antiochus, ſuſcepto cum Romanis bello, prælio victus, maxima Regni ſui portione exſpoliatur. Syriam tamen, & Judæam ſervat.	185
3817	Fato cedens, Seleucum Philopatorem ſucceſſorem relinquit.	183
	Antiochus, deinde Epiphanes dictus, alter ejus filius, obſes Romæ detinebatur.	
3828	Heliodorus a Seleuco miſſus, in Judæam venit, diripiendo Ærario Templi Jeroſolymitani. Sed ab Angelo ſtragis cæſus, ab incepto deſiſtere cogitur.	172
	Onias III. Antiochiam ire compellitur, quo ſe a calumniis ſparſis purgaret.	
	Seleucus filium ſuum Demetrium Romam mittit, ut obſes teneatur pro Antiocho fratre ſuo, qui 14. annorum ſpatio ibidem manſerat.	
	Antiocho in Syriam reduce, Seleucus in inſidias Heliodori, regnum affectantis, incidens, occiditur.	
	Antiochus, vix in Provinciam veniens, tamquam numen aliquod a Syris excipitur: inde viro nomen *Epiphanes*.	
3829	Jaſon filius Simonis II. & frater Oniæ III. Pontificum ejus ætatis, ſupremam Dignitatem pecunia ab Antiocho Epiphane obtinet.	171
	Judæorum plures, avita religione deſerta, ad Græcorum ſacra tranſeunt.	
3831	Antiochus Epiphanes expeditionem in Ptolemæum Philometorem Regem Ægypti parans, ſummo honore Jeroſolymam veniens excipitur.	169
3834	Menelaus pretio a Jaſone oblato 300. argenti talenta adjiciens, ſupremam Sacerdotii dignitatem ſibi ab Epiphane comparat.	166
3834	Sed huic pecuniæ ſolvendæ impar, a Sacerdotio removetur, & Lyſimachus ejus frater ſubſtituitur.	166
3834	Menelaus in ſuas partes pertracto Andronico, qui abſente Antiocho, Antiochiæ Præfectum agebat, Oniam III. Summum Sacerdotem occidendum procurat.	166
3834	Lyſimachus Ærarium Templi Jeroſolymitani diripiens, in eodem Templo interficitur.	166
	Eodem anno, Antiocho bellum in Ægyptum parante, prodigia quamplura in aere ſupra Jeruſalem viſa ſunt.	
	Sparſo de obitu Antiochi in Ægypto rumore, Jaſon coram mœnibus Jeruſalem ſe ſiſtit; ſed non ſine cæde ſuorum pedem referre cogitur.	
	Antiochus audiens, Judæos ſparſum de obitu ſuo inanem rumorem non invitis auribus excepiſſe, Jeruſalem petens, urbem diripit, atque ultra 80000. virorum trucidat.	
3836	Apollonius in Judæam ab Antiocho Epiphane miſſus, mœnibus Jeroſolymæ everſis, in populum ſævit. Arcem vero in monte, ubi Civitas David conſtituta erat, juxta Templum excitat.	164
	Judas Macchabæus, una cum aliis novem in deſertum aufugit.	
3837	Lato ab Antiocho Epiphane edicto, omnes ejus ditioni ſubjecti populi ad religionem Græcorum profitendam adiguntur.	163
	Sacrificia in Templo intermittuntur; & ſimulacrum Jovis Olympici in Altari Holocauſtorum erigitur.	
	Eleazari ſenis, & ſeptem fratrum Macchabæorum una cum matre martyrium Antiochiæ conſummatur.	
	Matthatias ſeptemque ipſius filii ad montes confugiunt, quibus & Aſſidæi junguntur.	
	Circa idem tempus Jeſus filius Sirach author Eccleſiaſtici florebat.	
3838	Matthatias moritur, cui Judas Macchabæus ſuccedit. Judas prælio Apollonium vincit: deinde & Seronem Præfectum Cœleſyriæ.	162

3839 Antiochus Epiphanes exhauſto ærario, ſolvendiſque Romanorum copiis impar, in Perſidem contendit. Nicanor, & Gorgias ſubinde & Ptolemæus filius Dorimenis, in Judæam cum exercitu ingrediuntur. 161

Judas Macchabæus in Nicanorem movens, ejus exercitum in fugam vertit; Gorgias manum conſerere non audet.

3840 Lyſias in Judæam cum exercitu veniens, prælio victus, Antiochiam recedere cogitur. 160

Judas Templum luſtrat, quod triennio ante Gentes violaverant.

3840 Timotheus, & Bacchides, Duces copiarum Syriæ prælio a Juda vincuntur. 160

Antiochus Epiphanes in perſide occumbit. Antiochus Eupator ejus filius novennis puer ſub adminiſtratione Lyſiæ, regnum init.

Judas in hoſtes gentis ſuæ, in Idumæam, & in Transjordanas gentes bellum infert.

Timotheus iterum caſtris a Juda exuitur.

3841 Gentes Transjordanæ, atque Galilæi in Judæos conſpirantes, a Juda, ejuſque fratribus in ordinem rediguntur. 159

Lyſias in Judæam veniens, fœdus cum Juda inire, atque Antiochiam regredi cogitur.

Litteræ Antiochi Eupatoris pro Judæis.

Romanorum Legati, datis ad Judæos litteris, favorem ſuum pro illis apud Syriæ Reges pollicentur.

Illatam a civibus Joppe, & Samariæ injuriam Judas condigna ultione reparat.

Judas bellum in gentes Transjordanas infert. Timotheum, alterum illum ab eo, de quo ſupra, copiarum Syrarum ductorem frangit.

Dein in Idumæam adverſus Gorgiam movet; relataque de illo victoria, ſub Judæorum, qui in prælio ceciderant veſtibus, aurum latens invenit, quod in Fano Idolorum Jamniæ ſubripuerant; quare Sacrificia pro illis Jeroſolymæ indicit.

Antiochus Eupator ipſe per ſe exercitum in Judæam ducens, Bethſuram obſidet, atque poſt leves aliquas cum hoſtibus pugnas, tandem capit. Dein Jeruſalem obſidet.

Hoc temporis ſpatio, cum Philippus, cui Antiochus Epiphanes Regni adminiſtrationem commiſerat, Antiochus Epiphanes Regni adminiſtrationem commiſerat, Antiochiam veniſſet, Lyſias ad ineundam cum Judæis pacem, atque iter Antiochiam quantocyus maturandum, Regi auctor fuit.

Antequam Antiochus regrederetur, Jeruſalem ingreſſus, murum illum dejecit, quem Judas, ne quid incommodi Templum ab Arce pateretur, ſtruxerat.

3842 Menelaus Summus Sacerdos moritur. Alcimus ſacris præeſt. 158

Onias IV. filius Oniæ III., ad quem jure hæreditario Summum Sacerdotium pertinebat, in Ægyptum ſecedens, ibi paulo poſt Templum Onion, ad inſtar Jeroſolymitani, excitat.

Demetrius filius Seleuci, obſes Romæ detentus, fuga ſeſe ſubducens, in Syriam venit; ibique ſublato prius Eupatore nepote ſuo, & Lyſia Regni adminiſtratore, Regnum occupat.

3843 Alcimus dignitatem Summi Sacerdotii, quam ab Eupatore acceperat, a Demetrio ratam haberi poſtulat. 157

Alcimus in Judæam, una cum Bacchide, rediens, Jeruſalem ingreditur.

Inde pulſus, ad Demetrium iterum ſe confert; a quo miſſus Nicanor in Judæam cum copiis, ut virum deduceret. Nicanor cum Juda fœdus init, quocum aliquandiu convenit.

Alcimus Nicanorem apud Regem de proditis ejus rebus accuſat; quare Demetrius, datis ad Nicanorem litteris, ad ſe Judam duci imperat.

Judas rem ſubodoratus, ſecedens, collecta ſuorum manu Nicanorem aggreditur; qua in pugna Nicanor 5000. virorum amiſſis vincitur.

Razias inclytus ſenex, ne in manus Nicanoris vivus incidat, necem ſibi infert.

Alterum, prælium Judæ cum Nicanore, in quo, Nicanore occiſo, plena victoria pro Juda ſtetit.

Bacchides, & Alcimus iterum in Judæam.

3843 Judas, pleriſque ſuorum fuga dilapſis, manus cum hoſte conferens, ſtrenue pugnans in cæterorum a ſe hoſtium ſtrage ipſe tandem exanimis concidit. 157

Jonathas Macchabæus in Ducem populi, & in Summum Sacerdotem eligitur.

Legati ad ineundum cum Romanis fœdus a Juda miſſi, in Judæam regrediuntur.

Bacchides Jonatham inſequitur; qui tamen poſt aliquas cum hoſte velitationes, Jordanis alveum in hoſtium conſpectu natatu tranſgreditur.

3844 Alcimus moritur. 156

3846 Jonathas, & Simon Macchabæi obſidione in Beth-Beſſen ſive Beth-agla clauduntur. Jonathas tamen ex urbe dilapſus, coacta militum manu plures hoſtium copias fundit. 154

Simon, ejus frater, in hoſtes frequenter erumpens, res Bacchidis turbat.

Jonathas pacis conditiones proponit, quas hoſtes acceptant.

Jonathas in Machmas ſedem figit, ibique populo jura dicit.

3852 Alexander Bala, filius ſpurius Antiochi Epiphanis, in Syriam ad Regnum capeſſendum venit. 149

3852 Demetrius Soter Rex Syriæ, datis ad Jonatham litteris, auxiliares copias in Alexandrum poſtulat. Alexander etiam paribus ad Jonatham litteris, amicitiam, atque Summi Sacerdotis dignitatem offert. 148

Jonathas Alexandri conditiones acceptat, purpura induitur, atque Jeroſolymæ munera Summi Sacerdotis primum exercet; ibique ſedem figit. Demetrius Soter novis litteris Jonatham invitat; ſed Jonathas de ejus promiſſionibus diffidit.

3854 Demetrius Soter moritur. Alexander Bala in Syria regnat. 146

Onias IV. filius Oniæ III. Templum Onion in Ægypto inſtar Jeroſolymitani ædificat.

Diſſidium Judæorum & Samaritanorum Alexandriæ cauſa Templorum utriuſque gentis. Samaritani a Rege Ægypti damnantur; & Templum Jeroſolymitanum Templo Garizim præfertur.

Ariſto-

A. M.		A. Chr.
	Ariſtobulus Judæus Peripateticus in Ægypto ſub Ptolemæo Philometore floret.	
3854	Demetrius Nicanor filius natu major Demetrii Soteris, in Ciliciam ad recuperandum regnum patris ſui venit. Apollonius, cui Alexander Bala rerum adminiſtrationem commiſerat, Demetrii partibus contra Balam favet.	146
	Apollonius in Jonatham Maccabæum Balæ faventem movet. Prælio vincitur.	
3858	Ptolemæus Philometor Rex Ægypti in Syriam venit, ſpecie, quidem, ut auxiliares copias Balæ adducat, re tamen, ut illum a Regno deturbet.	142
3859	Alexander Bala cum Philometore, & Demetrio manus conſerens, prælio victus in Arabiam ad Zabdielem Regem confugit, a quo capite plexus eſt.	141
	Ptolemæus Philometor in Syria moritur. Cleopatra ejus uxor, Oniæ, filio Oniæ tertii, Judæo exercitum ducendum committit.	
	Onias in ordinem redigit Ptolemæum Phyſconem, filium Philometoris, qui matrem ab adminiſtratione Regni deturbare conabatur.	
	Jonathas afflictis Syriæ rebus ſub Demetrio Nicanore, occaſione capta, arcem Jeroſolymitanam, quam Syri tenebant, aggreditur.	
	Demetrius in Palæſtinam veniens, muneribus a Jonatha delinitur.	
3860	Demetrius in Antiochenos deficientes movet, cui Jonathas auxiliares copias mittit.	140
	Triphon puerum Antiochum filium Alexandri Balæ ex Arabia reducens, in Regem Syriæ ſalutari procurat; cui Jonathas, relictis partibus Demetrii Nicanoris, favet.	
	Jonathas fœdus cum Romanis & Lacedæmonibus innovat.	
	Proditione a Tryphone captus Ptolemaide, aliquanto poſt occiditur.	
3861	Simon Maccabæus ad regendum populum aſſumitur.	139
	Tryphon, occiſo puero Antiocho Deo, regnum Syriæ occupat.	
	Simon Demetrio Nicanori e regno Syriæ deturbato favens, immunitatem ab illo totius Judææ, atque a jugo gentium libertatem obtinet.	
3862	Syrorum præſidium ab arce Jeroſolymitana recedere, deditione facta cogitur.	138
	Demetrius Nicator, ſive Nicanor in Parthidem cum exercitu venit; ibique a Rege Perfidis capitur.	
	Simon in cœtu populi Jeroſolymæ Dux populi, & Summus Sacerdos ſalutatur.	
3864	Antiochus Sidetes, frater Demetrii Nicatoris, in Syria regnans, cudendæ monetæ privilegio Simonem donat, vetera etiam privilegia Judæis rata habet.	136
3865	Legati Romam ad innovandum fœdus miſſi, in Judæam regrediuntur.	135
3866	Antiochus Sidetes a Simone diſſidens, Cendebæum in Palæſtinam ad regionem excurrendam mittit.	134
	Cendebæus a Joanne, & Juda, filiis Simonis vincitur.	
3869	Simon una cum duobus filiis ſuis proditione interficitur a Ptolemæo genero ſuo in arce Doch.	131
3870	Hircanus, alio nomine Joannes Hircanus, Simoni ſufficitur.	130
	Antiochus Sidetes Hircanum Jeroſolymæ clauſum obſidet.	
	Hircanus inducias octo dierum a Rege impetrat, quo Tabernaculorum Feſtum celebretur. Cum Antiocho componitur.	
3870	Hircanus theſauros a ſepulchro Davidis, ſeu potius e loculis latentibus Regum Juda effodit.	130
3873	Antiochus Sidetes expeditionem in Perſas ſuſcipit, in qua Hircanum habet adjutorem. Victus tamen interficitur.	127
3874	Hircanus, excuſſo Regum Syriæ jugo, plenam Regno vindicat libertatem; quin & varias Syriæ urbes occupat.	126
3875	Illatis in Idumæos armis, ad ſubeundam circumciſionis legem obligat.	125
3877	Miſſis Romam Legatis, fœdus cum Senatu innovat.	123
	Cum ambo Antiochi Syriæ Reges mutuis bellis implicantur, Hircanus in ſuo ſe Regno etiam atque etiam confirmat.	
3894	Samariam anni obſidione capit.	106
3895	Hircanus poſt 29. Regni annos moritur.	105
3898	Sub ejus Regno tres potiſſimæ Hebræorum Sectæ cœpiſſe creduntur: Phariſæorum, Eſſenorum, & Saducæorum; certior tamen earum epocha ignoratur.	102
	Judas, alio nomine Ariſtobulus, poſt Hircanum regnat. In ſocium adminiſtrationis Antigonus alter Regis frater accitur; cæteri vero fratres, & mater in vinculis relinquuntur. Quin & mater in carcere inedia enecatur. Ariſtobulus Regium diadema, & titulum aſſumit.	
	Bellum Ariſtobuli in Ituræos, quos Antigonus prælio victos ad circumciſionem cogit.	
	Regreſſus ab expeditione Antigonus, juſſu Ariſtobuli occiditur.	
3899	Ariſtobulus poſt exactum in Regno annum moritur.	101
	Alexander ejus frater regnat; quo Ptolemaidam aggreſſo, ne Urbs capiatur, Ptolemæus Lathurus in ejus auxilium prompte accurrens efficit. Alexander, reducto exercitu, regionem excurrit.	
3900	Lathurus inſigni victoria Alexandrum frangit.	100
3901	Cleopatra Ægypti Regina Lathurum, ne in Ægyptum veniat, præveniendum rata, Helciam, & Ananiam Judæos cum valido exercitu in illum mittit.	99
3902	Alexander Jannæus Rex Judæorum, fœdere cum Cleopatra inito, urbes aliquas Palæſtinæ debellat.	98
3906	Dein Gazam tentans, urbem capit, & evertit.	94
	Judæorum in Regem ſeditio, qui tamen in ordinem ab illo rediguntur.	
	Proſperis in externos bellis vincit.	
	Sed inteſtinis in ſuos bellis integro ſexennio affligitur; quin & a ſeditioſis Demetrius Eucærus, Syriæ Rex, accitur.	
Incertus horum omnium eſt annus.	Alexander prælio vincitur; ejuſque in ultimam extremitatem redacti aſpectu Judæi commoti, ultro ſe illi ſubmittentes veterem utrinque harmoniam innovant.	
	Demetrius Eucærus in Syriam re infecta redire cogitur.	

A. M.		A.Chr.
3919	Antiochus Dionyſius, Syriæ Rex, irruptionem in Judæam facit. Arabes aggreditur, quos prælio quidem primum vincit, deinde tamen altero prælio ab illis fuſus, interficitur. Aretas Rex Arabum victoria tumens, armis in Alexandrum verſis, ſecundo prælio cum illo congreditur; mox vero fœdere inter utroſque Reges inito, Aretas copias reducit.	81
3920	Alexander Jannæus urbes Dion, Geraſæ, Gaulonis, Seleuci, aliaſque expugnat.	80
3926	Alexander Jannæus moritur.	74
	Alexandra ejus uxor ad Regni adminiſtrationem evocata, Phariſæos ſibi, ſuprema cum illis authoritate communicata, conciliat.	
3933	Ariſtobulus II. filius Alexandri Jannæi, coactis veteranorum militum patris ſui copiis, de matris, & Phariſæorum adminiſtratione alte conqueritur.	67
3934	Deinde matris ægrotantis occaſione captata, potiſſimas Judææ arces occupat.	66
3935	Alexandra vita functa Hircanus ejus filius, natu major, & frater Ariſtobuli in Regem ſalutatur.	65
	Prælium inter Hircanum, & Ariſtobulum, in quo Hircanus vincitur.	
3938	Pax inter utroſque fratres ſancitur ea conditione, ut Hircanus ad privatam fortunam redactus, ſuis bonis quietus fruatur. Ariſtobulo vero ſupremum jus, qua Regium, qua Sacerdotale maneat. Ita Hircanus poſt exactum in Regno triennium, ac totidem menſes, Ariſtobulo ceſſit.	62
3939	Hircanus inſtigante Antipatro, ad Regem Arabum ſecedit.	61
	Aretas Rex Arabum reſtituendi Hircani in Regnum expeditionem ſuſcipit.	
3939	Ariſtobulus, prælio victus, in Templo Jeroſolymitano obſidetur.	61
	Legatos ſuos ad Gabinium primum, deinde ad Scaurum, qui juſſu Pompeji in Syriam venerant, mittit, eorumque animos ingenti pecuniæ ſumma oblata tentat, quo & partibus ſuis favere velint, & Aretæ injungere, ut obſidionem quantocyus ſolvat.	
	Scaurus, miſſis ad Aretam litteris, jubet copias quantocyus reducere, niſi Romanos hoſtes malit experiri.	
	Aretas paret, & recedenti Ariſtobulus inſiſtens, prælio ſecundo de hoſtibus ulciſcitur.	
3940	Pompejus, cum in Damaſcum veniſſet, utroſque fratres coram ſe accitos auſcultat, atque fraterno ſimul animo vivere ſuadet.	60
3941	Ariſtobulus Jeroſolymam ſe recipiens, Pompejo urbem obſidenti reſiſtit. Sed tandem Urbis, & Templum expugnantur: Ariſtobulus in hoſtium poteſtatem venit, & Hircano Sacra, & Regia dignitas reſtituitur, ea conditione, ut a diademate ferendo abſtineat. Judæa in veteres terminos redacta, Romanorum tributaria efficitur.	59
	Alexander filius Ariſtobuli, ex hoſtium manibus, cum Romam duceretur, dilapſus, in Judæam veniens exercitum cogit.	
3947	Gabinius, Romanarum copiarum Imperator, illum aggreſſus, prælio vincit, atque in arce Alexandrio clauſum obſidet. Alexander deditione facta, omnes, quas occupaverat, arces Romanis reſtituit.	53
3948	Ariſtobulus Roma dilapſus in Judæam veniens, arcem Alexandrium reſtituere tentat. Romani, prompte accurrentes, modicis copiis prælium committentem cædunt. Ille Macheruntem confugiens, arcem munitionibus vallare molitur; ſed prompta hoſtium obſidione impeditus, poſt toleratam aliquandiu eamdem obſidionem tandem captus, Romam iterum tranſmittitur.	52
3949	Ptolemæus Auletes, Rex Ægypti, corruptum immenſa auri vi Gabinium adducit, ut ad Thronum Ægypti Romanorum armis reducatur. Antipater annonas Romanis præbet, datiſque ad Judæos Peluſii litteris, aditum facilem parare curat.	51
	Gabinio bello Ægyptiaco implicito, Alexander filius Ariſtobuli Judæam vaſtat; ſed mox Gabinius accurrens, commiſſo ad montem Thaboris prælio, illum vincit, atque diſperdit.	
3950	Gabinio e Provincia excedenti, Craſſus ſufficitur. Craſſus in Provinciam veniens, cum quietam offendiſſet, expeditionem in Parthos ſtatuit.	50
3951	Jeroſolymam veniens, in ingentes Templi theſauros manum injicit.	49
	In Parthos profectus, conſerto cum illis prælio vincitur, atque interficitur.	48
3952	Exercitus Romani reliquias Caſſius per viam ſupra Euphratem reducens, Taricheam capit, atque ultra 30000 Judæorum captiva adducit.	
	Alexandrum filium Ariſtobuli in ordinem reducens, quietum ſe continere cogit.	
3955	Julius Cæſar Summum Romanorum Imperium occupans, Ariſtobulum liberum abire permittit, atque in Syriam reduci duas legiones concedit.	45
	Sed Pompeji fautores clam Ariſtobulum veneno ſubducunt.	
	Scipio capite plectit Alexandrum juniorem filium Ariſtobuli.	
3957	Antipater juſſu Hircani comitem ſe Mithridati adjungens, in Ægyptum ad ducendas Cæſari auxiliares copias, atque Provinciæ debellandæ non inutilem operam præſtiturus, cum illo contendit.	43
	Peracto Ægyptiaco bello, Cæſar in Syriam veniens, Hircano Summi Sacerdotis jus aſſerit.	
	Antigonum filium Ariſtobuli de nece patris & fratris ſui apud Cæſarem querentem Cæſar, ab Antipatro occupatus, negligit.	
	Antipater ſegnioris Hircani animi occaſione captata, Phaſaelo filio ſuo natu majori Urbis, Herodi vero, alteri filio, Galilææ præfecturam committit.	
3958	Herodes ad Tribunal Jeroſolymitanum delatus de Provincia male adminiſtrata mox damnandum ſe intelligens, in Provinciam ſecedit.	42
	Hillel, & Sammeas, celebres Rabbini florent. Sammeas Hillelem diſcipulum habuit. Jonathas filius Uzielis, Paraphraſium Chaldaicarum author, Hillelem audivit. Sammeas, Pollionem audivit, authore Joſepho. Akiba Sammeæ, & Hilleli in ſcholis Hebraicis, ſi S. Hieronymo fides, ſucceſſit.	

Hirca-

A.M.		A.Chr.
3959	Hircanus Legatos ad Julium Cæſarem, ionovando cum Romanis fœderi, mittit. Initum eſt autem felicibus fauſtiſque pro Judæis conditionibus.	41
3960	Poſt obitum Julii Cæſaris, Legati Judæorum in Senatum introducti, poſtulata omnia facile impetrant.	40
	Judæis Aſiaticis vetus privilegium aſſeritur, ne ad bellum unquam cogantur.	
3961	Caſſius 700. talenta a Judæis poſtulat.	39
	Malichus propinato veneno Antipatrum ſuſtulit.	
	Herodes, occiſo Malicho, ultionem de nece patris ſui expedit.	
3962	Felix Phaſaelum aggreditur; ſed mox ab illo in turri clauditur, unde nonniſi compoſitis rebus liber abire permittitur.	38
3963	Antigonus ſecundus, filius Ariſtobuli, coactis copiis in Judæam ingreditur.	37
	Sed Herodes, antequam in Provinciam penetret, promptè accurrens, prælio inito illum diſſipat.	
	M. Antonius in Bithyniam veniens, Judæos nonnullos, Herodem, & Phaſaelum accuſantes, audit; ſed Herodes mox ad illum ſe conferens, ita in ſe animum illius inclinat, ut accuſatores retundat.	
	M. Antonius, Epheſum veniens, Judæos captivos a Caſſio abductos, liberos pronunciat, & agrum Judæis per injuriam ablatum reſtitui jubet.	
	Cum Antiochiam veniſſet, Judæorum Optimates, Herodem, & Phaſaelum accuſantes, offendit; ſed iis auditis, utroſque fratres Judæorum Tetrarchas pronunciat.	
	Facta deinde ad illum Judæorum legatio, 1000. viris totius gentis ampliſſimis conſtans, qui Tyrum ad Antonium ſe conferentes, nihil tamen ab illo impetrant.	
3964	Antigonus, filius Ariſtobuli, Parthorum armis Judææ regnum occupare molitur. Parthi Hircanum, & Phaſaelum captivos detinent; & in Antigoni poteſtatem traduot, Quare Phaſaelus adacto in parietem capite, ſibi necem conſciſcit; Hircanum vero, utraque aure ab Antigono mutilatum, in Transeuphratæa deducunt.	36
	Herodes dilabi Jeroſolyma coactus, Romam ad impetrandum ab Antonio auxilium contendit. Judææ Regnum a Senatu impetrat, acceptiſque ab Antonio ad Præfectos Syriæ litteris, ut ſibi in recipiendo Regno faveant, in Judæam regreditur.	
3965	Primo impetu Joppem occupat, deinde Maſſadam ad ſolvendum ab obſidione Antigoni Joſephum fratrem ſuum contendit, Poſt liberatam ab obſidione Maſſadam, in Jeruſalem movet; ſed hyeme jam procedente, ab inſtituenda obſidione deterretur.	35
	Prædones in antris Galilææ ſe continentes exterminat.	
	Machæra Romanorum Dux, una & Joſephus frater Herodis, juncta ſimul arma in Antigonum inferunt; cum interim Herodes auxiliares copias ad Antonium Samoſatam obſidentem duceret.	
3966	Poſt captam Samoſatam, Soſius una & Herodes ad Judæam debellandam ab Antonio mittuntur.	34
3967	Poſt varias pugnas, Herodes tandem exercitum Jeroſolymæ applicat.	
	Urbs capitur, & Antigonus in fidem Soſii ſe ſe tradit, cui idem Soſius inſultans *Antigonam* pro *Antigono* appellat.	33
	Antigonus captivus Antiochiam deductus, Antonii juſſu capite damnatur.	
3968	Hircanus humaniſſime a Rege Parthorum exceptus, redeundi in Judæam facultatem impetrat.	32
	Cum autem Summo Sacerdotio præſtando impar eſſet, Ananelus Sacris ab Herode præficitur.	
3969	Alexandra mater Mariamnes, & Ariſtobuli, Supremum Sacerdotium Ariſtobulo impetrat.	31
3970	Herodes natantem Ariſtobulum poſt annuum Sacerdotium demergi curat.	30
	Accuſatus vero ea de re apud Antonium, coram illo appellatur.	
3973	Bellum Herodis in Arabes.	27
	Ingens terræmotus Judæam concutit.	
3973	Prælium ad Actium, in quo Auguſtus inſignem de M. Antonio victoriam refert.	27
	Hircanum meditantem ad Regem Arabum ſe recipere, Herodes interficit.	
3974	Romam ad Auguſtum contendit, a quo in Regno Judææ aſſeritur.	26
3975	Auguſtus, in Syriam veniens, per Palæſtinam tranſit, ſummo honore ab Herode exceptus.	25
3976	Herodes uxorem ſuam Mariamnem filiam Alexandræ interficit.	24
3978	Salome ſoror Herodis Coſtobarum repudiat.	22
3979	Fames & peſtis in Judæa graſſantur.	21
3982	Herodes variis ſuſceptis ædificiis, Judæorum religionem offendit. Cæſaream Palæſtinæ condit.	18
3983	Agrippam Auguſti amicum in Aſiam venientem Herodes inviſit.	17
3984	Auguſtus Trachonitidem Herodi donat.	16
3985	Herodes Templi Jeroſolymitani a fundamentis novam fabricam ſuſcipit.	15
3988	Romam ad obſequium Auguſto præſtandum contendit.	12
3989	Duorum filiorum Alexandri, & Ariſtobuli nuptias celebrat.	11
3990	Herodes Agrippam in itinere aſſecutus, Jeruſolymam deducit.	10
3991	Domeſticæ ſimultates Herodis domum turbant. Salome, Pheroras, & Antipater in Alexandrum, & Ariſtobulum animantur.	9
3993	Herodes, Romam tendens, ipſe per ſe accuſationem coram Auguſto in Alexandrum, & Ariſtobulum inſtituit.	7
3994	Solemnis dedicatio novæ Urbis Cæſareæ, quam Herodes in Auguſti honorem condiderat.	6
3995	Auguſtus Judæis Alexandrinis vetera jura, & privilegia aſſerit.	5
	Herodes eruendis, uti ferunt, reconditis theſauris, Davidis tumulum ſuffodit.	
3996	Novæ turbæ in domo Herodis.	4

A. M.		A.Chr.
	Archelaus Rex Cappadociæ, Alexandrum generum ſuum Herodi conciliat.	
	Archelaus una cum Heròde Romam contendit.	
3997	Herodes expeditionem in Arabes ſuſcipit.	3
3998	Herodes coram Auguſto defertur, quod Arabes quamplurimos trucidarit.	2
	Angelus Sancto Zachariæ ſpectandum ſe præbet. Sanctus Joannes Baptiſta concipitur.	
3999	Annunciatio Incarnationis Filii Dei Beatæ Virgini Mariæ.	1
	Herodes ultimo ſupplicio duos filios Alexandrum, & Ariſtobulum damnari curat.	
	Antipater filius Herodis Regnum affectat.	
	Herodes Antipatrum Romam mittit.	
	Mala Antipatri conſilia, atque artes deprehenduntur.	
	S. Joannes Baptiſta, ſex ante ortum Chriſtum menſibus; naſcitur.	
4000	Jeſus Chriſtus die 25. Decembris naſcitur.	A. Chr. 1. Ante Ær. 4.
4001	Die prima Januarii circumciſione initiatur.	Ante Ær. 3.
	Antipater, Roma regreſſus, meditati in Herodem veneni accuſatur, & convincitur.	
	Magi ad obſequium Chriſto præſtandum veniunt.	
	Purificatio SS. Virginis. Jeſus die 2. Februarii, poſt 40. dies a nativitate, in Templo ſiſtitur.	
	Fuga in Ægyptum?	
	Infantes Bethleemitici occiduntur.	
	Antipater juſſu Herodis interficitur.	
	Herodes poſt quinque dies a nece Antipatri moritur.	
	Archelaus ſupremis Herodis tabulis Rex Judææ renunciatur.	
	Jeſus Chriſtus ex Ægypto reducitur. In Nazareth a parentibus enutritur.	
	Archelaus Romam ad Auguſtum ſe confert, ut Herodis ſupremæ tabulæ ejus authoritate ſibi confirmentur.	
	Seditio Judæorum, quos tamen Varus in ordinem redigit.	
	Archelaus Regni paterni portione obtenta, una cum Tetrarchæ titulo, in Judæam regreditur.	
	Impoſtor quidam Alexandri filii Herodis e Marianne perſonam induit.	
4002	Archelaus, remoto a Summo Sacerdotio Joazaro, Eleazarum Sacris præficit.	2. Ante Ær. 1.
4009	Archelaus Viennæ Galliæ exulare cogitur.	9. Ær. 6.
4010	Cenſus Syriæ a Cirenio indictus.	10. Ær. 7.
	Seditio Judæ Gaulonitæ authoris Herodianorum.	
4012	Jeſus Chriſtus 12. annis natus, ad Templum Jeroſolymitanum ſe conferens, triduo ibi, inſciis parentibus, manet.	12. Ær. 9.
4013	M. Ambivius Judææ Præfecturam obtinet.	13. Ær. 10.
4017	Auguſtus Imperator moritur.	17. Ær. 14.
4023	Judæos, atque ſuperſtitiones Ægyptiacas profitentes, omnes Tiberius e tota Italia extorres agit.	23. Ær. 20.
4031	Pilatus Judææ præficitur.	31. Ær. 28.
	Signa, & Imagines Romanas invehere in Jeruſalem tentans, Iudæos ſibi reſiſtentes experitur.	
4032	S. Joannes Baptiſta prædicationis munus auſpicatur.	32. Ær. 29.
4033	Jeſus Chriſtus baptiſmo S. Joannis Baptiſtæ tingitur.	33. Ær. 30.
	In deſertum ſecedit.	
	Poſt 40. dies ad S. Joannem regreditur. Andream, Simonem, Philippum, & Nathanaelem accerſit.	
	Canæ nuptiis intereſt, ubi aquam in vinum tranſmutat.	
	Capharnaum primo, deinde Jeroſolymam contendit, ubi PRIMUM PASCHA poſt baptiſmum celebrat. Paſcha eo anno in diem 15. Aprilis incidebat.	
	Nicodemus noctu Jeſum convenit.	
	Jeſus ad Jordanem ſe conferens, ibi baptizat.	
	Herodes Antipas uxorem Philippi fratris ſui, adhuc ſuperſtitis, ſibi matrimonio jungit.	
	Joannes Baptiſta liberius inceſtum illum reprehendens, in carcerem detruditur.	
	Jeſus in Galilæam ſe recipit, ubi Samaritanam fœminam, alioſque Samaritanos in Sichem ad fidem deducit.	
	In Nazareth fidem annunciat, dein Urbe relicta, ſedem ſibi Capharnaum conſtituit.	
	Simon, Andreas, Jacobus, Joannes ad Apoſtolatum vocantur.	
	Variis prodigiis claret.	
	S. Matthæus vocatur.	
4034	SECUNDUM PASCHA Jeſu Chriſti poſt receptum baptiſmum, & inſtitutam prædicationem.	34. Ær. 31.
	Paralyticum die Sabbati valetudini reſtituit.	
	Judæi perdendi Jeſum Chriſtum conſilium capiunt.	
	Jeſus Chriſtus varia Chriſtianæ religionis officia pro concione in monte exponit.	
	Joannes Baptiſta in carcere detentus, legationem ad Chriſtum mittit, an Meſſias eſſet, quæſiturus.	
4035	Apoſtoli per diverſa Iudææ loca mittuntur.	35. Ær. 32.
	S. Joannes Baptiſta, juſſu Herodis, inſtigante Herodiade, interficitur.	
	Jeſus Chriſtus quinque tantum panibus, & duobus piſcibus 5000. hominum paſcit. Populum autem ſibi regnum deferentem declinat.	
	TERTIUM PASCHA Ieſu Chriſti a baptiſmo.	

Judæ-

Judæam, & Galilæam percurrens, prædicationibus ubique & prodigiis claret.
Traosfiguratio Jeſu Chriſti.
Septuaginta Diſcipuli in varia loca mittuntur.
Jeſus Chriſtus ad Feſtum Pentecoſtes celebrandum Ieroſolymam ſe confert.
Suadentibus cognatis ipſius, ut Feſto Tabernaculorum adeſſet, reſpondet, horam ſuam nondum veniſſe. Ceterum circa Feſti dimidium, nempe quarta circiter die hebdomadæ ſolemnis, eo ſe confert.
4036 Ineunte A. Chr. 36. Lazarus morbo correptus, accumbit. Jeſus e transjordanis veniens, amicum ad vitam revocat. 36. Ær. 33.
Evitandis inſidiis, & malis Judæorum Jeroſolymæ in ſe conſiliis, Jeſus in Ephrem ad Iordanem confugit.
Jeruſalem ſe confert ad ULTIMUM PASCHA, quod ſibi in vita mortali maneret.
Die Dominica 29. Martii, & 9. Niſan, Bethaniam veniens, apud Simonem Leproſum convivio excipitur.
Mane alterius diei 30. Martii, Ieroſolymam triumphantis habitu ingreditur.
Die Martii 31. feria ſecunda, iterum Ieroſolymam ſe conferens, inter eundum ſterilem ficum nactus, maledictione arborem perimit.
Die Mercurii 1. Aprilis, Sacerdotes, & Scribæ de ratione Ieſum capiendi deliberant.
Succedenti die, 2. Aprilis, Jeſus ad montem Olivarum tranſiens, ire jubet Petrum, & Ioannem ad Urbem, quæ neceſſaria eſſent Paſchali convivio, inſtruendis.
Veſpere ejus diei in Urbem ingreſſus, ſuprema convivia cum Apoſtolis cœnans, Euchariſtiam inſtituit. Dein ad hortum in monte Olivarum una cum illis omnibus ſe confert, quo etiam Iudas datas ſibi a Principibus Sacerdotum cohortes ducit.
Jeſus ad Annam eadem nocte deducitur; Annam ſcilicet Socerum Caiphæ Summi Sacerdotis.
Mane diei Veneris, 3. Aprilis, & 14. Niſan, ad Pilatum adductus accuſatur, damnatur, & in crucem in monte Calvarii agitur.
Sub veſperam, antequam requies Sabbati iniret, e Cruce depoſitus, & balſamo conditus, tumulo infertur.
Sacerdotes ſuo ſigillo, atque appoſitis cuſtodibus ſepulchrum muniunt.
Tota nocte diei Veneris, totoque Sabbatu, atque parte noctis ſuccedentis, Chriſtus in ſepulchro jacet.
Mane diei Dominicæ e mortuis reſurgit.
Mulieres religioſæ, quæ ad ſepulchrum venerant, de Reſurrectione ab Angelo certiores fiunt.
Jeſus Chriſtus ipſa ſe videndum præbet, 1. Mariæ Magdalenæ ſub hortulani ſpecie, 2. ceteris piis fœminis a ſepulchro regredientibus. 3. Petro. 4. Diſcipulis euntibus Emmaum, 5. omnibus Apoſtolis in cœnaculo Ieroſolymitano congregatis, abſente tamen Sancto Thoma. Hæc eadem Reſurrectionis die Dominica contigerunt.
Octo poſt dies, Diſcipulis eodem in loco ſpectandum ſe præbet, atque ſui ipſius argumentum certum Thomæ exhibet. Secundum hæc, Apoſtoli in Galilæam regreſſi, non ſemel Ieſum vident.
Poſt exactos 28. dies in Galilæa, Apoſtoli iterum Ieroſolymam ſe reſtituunt.
Menſæ aſſidentibus die 14. Maji ejuſdem anni, Ieſus ſpectandum ſe præbens, omnes ſecum extra Urbem ad montem Olivarum adducit, ibique, illis ſpectantibus, quadrageſimo a reſurrectione die, in Cœlum aſcendit.
Decem poſt dies, celebritate Pentecoſtes recurrente, miſſus a Ieſu Spiritus Sanctus in igneis linguis ſupra ſingulos ſedet.
4037 Septem Diaconi ſeliguntur. 37. Ær.
Martyrium Sancti Stephani. 34.
Saulus, ſive Paulus Eccleſiam inſectatur, deinde ad Fidem adducitur.
Pilatus de morte Ieſu Chriſti Tiberium per litteras certiorem facit.
S. Jacobo minori Ieroſolymæ Epiſcopatus defertur.
S. Philippus Diaconus Eunuchum Reginæ Candacis baptiſmate initiat.
Apoſtoli per omnem late terram diſperguntur.
4038 Junior Agrippa ære alieno in Iudæa oppreſſus, iter Romanum ſtatuit. 38. Ær. 35.
4039 Romam veniens, partibus Caji, qui deinde ad Imperium evectus eſt favet. 39. Ær. 36.
4040 A Tiberii favore excidens, in vincula conjicitur. 40. Ær.
Pilatus in Italiam revocatur. 37.
Tiberio vita functo, C. Caligula regnet.
Agrippa in libertatem reſtitutus, ſummis honoribus cumulatur.
Apollonius Thyanæus labente Tiberii regno claret.
Circa idem tempus, S. Petrus Antiochiam veniſſe creditur.
4041 S. Paulus e Damaſco ſe recipere coactus, in ſporta per muros Urbis demittitur. 41. Ær.
Jeroſolymam veniens; a Barnaba ad Apoſtolos, ceteroſque Diſcipulos deducitur. 38.
Tharſum Ciliciæ patriam ſuam contendit.
Agrippa junior, impetrata a Caligula Tetrarchia Philippi patrui ſui, Iudæam repetit; atque Alexandria tranſiens, a civibus ludibrio habetur.
Seditio Alexandrinorum in Iudæos, inſtigante Flacco.
4042 Flaccus comprehenſus, Romam mittitur; atque inde juſſu Tiberii Caligulæ exilio damnatur. 42. Ær. 39.
Herodes Tetrarcha ab Imperatore aliqua pro ſe impetraturus, Romam petit; ſed Caligula ab Agrippa jam præoccupatus, virum Lugdunum proſcribit.
4043 Caligula Petronium mandatis onerat, ut ſimulacrum ſuum in Templo Ieroſolymitano conſtituat; ne tamen quantocyus Imperatoris juſſa executioni mandentur, Iudæi a Petronio dilationem impetrant. 43. Ær. 40.

Agrip-

A. M.		A.Chr.
4044	Agrippa ab eodem conſilio Imperatorem removere conatur, ac tandem ingentis beneficii loco impetrat, ne ſtatua in Templo collocetur.	44. Ær. 41.
	Philo Iudæus pro Iudæis Alexandrinis Legatione apud Caligulam fungitur.	
	Coram Imperatore introductus, in ultimum vitæ diſcrimen venit.	
	Hiſtoria duorum fratrum Aſinæi, & Anilæi. Judæi, relicta Babylone, Seleuciam aufugiunt.	
	Circa idem tempus Helena Regina Adiabenorum, & Izates ejus filius ad Iudæorum ſacra tranſeunt.	
	C. Caligula fato concedit. Claudius regnat, cui, ut delatum ab exercitu Imperium retineat, Agrippa author eſt. Claudius ejuſdem Agrippæ ditioni Iudæam, & Samariam addit.	
	Agrippa in Iudæam regreſſus, amoto a Summo Sacerdotio Theophilo filio Anani, Simonem Cantharam ſacris præficit.	
	Paulo poſt, exauctorato Canthara, Matthiam promovet.	
4045	S. Petrus ſub Claudio Romam venit; incertum tamen quo anno.	45. Ær. 42.
4046	Agrippa, depoſito Matthia, ad ſupremam dignitatem Elionæum filium Cithæi elevat.	46. Ær. 43.
4047	Sanctum Jacobum minorem in vinculis detineri jubens, tandem capitali ſupplicio damnat.	47. Ær. 44.
	S. Petrus ejus juſſu in carcerem detruditur, ſed mox ab Angelo liberatur.	
	Aliquanto poſt, Agrippa cum Cæſaream veniſſet, quod aſſentatis ſibi populi laudibus indulſerit, a Domino percuſſus inter ſummos cruciatus animam efflat.	
	Paulus & Barnabas Fidelium Antiochenorum eleemoſynas Ieroſolymam deferunt.	
	Antiochiam repetituri ab Eccleſia prædicando Gentilibus Evangelio intimo Sancti Spiritus ductu deputantur.	
4048	Cuſpius Fadus Iudææ præfecturam obtinet.	48. Ær. 45.
	Dira fames per Iudæam graſſatur.	
	SS. Paulus, & Barnabas in Cyprum petunt, deinde in Pamphiliam, Piſidiam, & Lycaoniam.	
	Lyſtrenſes ſacrificiis illos tamquam Numina colere parant.	
4049	Antiochiam redeunt.	49. Ær. 46.
	Prima S. Petri Epiſtola.	
	Circa idem tempus S. Marcus Evangelium ſcriptis mandat.	
	Cuſpio Fado revocato, Tiberius Alexander in Provinciam mittitur.	
4051	Herodes Rex Calcidis Pontificiam Dignitatem a Ioſepho filio Camithi in Ananiam Filium Nebedæi transfert.	51. Ær. 48.
	Herodes Rex Calcidis moritur. Ventidius Cumanus in Præfectura Iudææ Tiberio Alexandro ſubſtituitur.	
4052	Judæa ſub Cumano turbatur.	52. Ær. 49.
4054	Fideles quidam judaizantes legalium oneribus Fideles ex Paganis ſubjiciendos contendunt.	54. Ær. 51.
	Concilium Ieroſolymitanum, cujus decreto Fideles ex Gentibus a Legalium obſervantia abſolvuntur.	
	S. Petrus Antiochiam veniens, a S. Paulo reprehenditur.	
	SS. Paulus, & Barnabas a ſe invicem occaſione Ioannis Marci recedunt.	
	S. Timotheus Paulo adhæret, & circumciditur.	
	S. Lucas tum temporis etiam comes Apoſtolo jungebatur.	
4053	Apoſtolus ex Aſia in Macedoniam tranſit; inde Athenas.	55. Ær. 52.
4055	Athenis digreſſus Corinthum venit.	56. Ær. 53.
	Judæi ſub Claudio Roma pelluntur.	
	Cumano e Provincia diſcedenti Felix ſuccedit.	
	Prima Epiſtola S. Pauli ad Theſſalonicenſes.	
	Altera ejuſdem ad eoſdem populos, aliquot menſibus a prima.	
4057	Apoſtolus poſt 18. menſium Corinthi moram, Ieroſolymam navigans, Epheſo pertranſit	57. Ær. 54.
	Apollo Epheſum venit, ibique Evangelium annunciat.	
	S. Paulus, poſt perſoluta religionis ſuæ officia Ieroſolymis, Antiochiam contendit.	
	Galatia deinde, & Phrygia excurſis, Epheſum ſe reſtituens, triennio ibidem manet.	
	Claudius Imperator fraudibus Agrippinæ veneno perimitur.	
	Nero regnat.	
4058	S. Paulus Epiſtolam ad Galatas ſcribit.	58. Ær. 55.
4059	Prima Apoſtoli ad Corinthios Epiſtola.	59. Ær. 56.
4060	Seditione a Demetrio argentario Epheſi excitata, Apoſtolus ex ea Urbe depellitur.	60. Ær. 57.
	In Macedoniam divertit.	
	Secunda ad Corinthios Epiſtola.	
4061	Epiſtola ad Romanos.	61. Ær. 58.
	Fidelium eleemoſynas Apoſtolus in Palæſtinam defert.	
	In Templo Ieroſolymitano captus detinetur.	
4062	Aliquanto poſt, vinculis oneratus Cæſaream transfertur.	62. Ær. 59.
	Iſmael filius Phabæi in Summo Pontificatu Ananiæ ſuccedit.	
	Seditio inter Judæos Cæſarienſes cum civibus ejuſdem Urbis.	
4063	Felici e Provincia excedenti, P. Feſtus ſuſficitur.	63. Ær. 60.
	S. Paulus Imperatorem appellat, quare navigio impoſitus Romam mittitur.	
4064	Naufragium Pauli ad Inſulam Melitam.	64. Ær. 61.
	Romam veniens, biennio ibi in vinculis detinetur.	
	Judæi excitato muro, proſpectum in Templum Agrippæ prohibent.	

Iſmael

A. M.		A. Chr.
	Iſmael Summus Sacerdos exauctoratur.	
	Joſeph, cognomento Cabæi, Sacris præficitur.	
4065	Epiſtola S. Pauli ad Philippenſes.	65. Ær.
	Epiſtola ad Coloſſenſes.	62.
	Martyrium S. Jacobi minoris Epiſcopi Jeroſolymitani.	
4066	Apoſtolus, vix a vinculis liberatus, Epiſtolam ad Hebræos ex Italia ſcribit.	66. Ær.
	Albinus ſucceſſor Feſti in Provinciam venit.	63.
	Diſſidium Sacerdotum Jeroſolymæ pro decimis.	
	Levitæ Cantores lineas tunicas in Templo deferre, inſtar Sacerdotum, permittuntur.	
	Jeſus filius Anani per urbem clamitat: *Væ Urbi &c.* nec unquam ceſſavit uſque ad cœptam per Romanos obſidionem.	
4067	S. Paulus ex Italia in Judæam veniens, per Inſulam Cretæ, Epheſum, & Macedoniam pertranſit.	67. Ær. 64.
	E Macedonia primam ad Timotheum Epiſtolam ſcripſiſſe creditur.	
	Epiſtola S. Pauli ad Titum.	
	Jeſu filio Gamalielis a Sacerdotio ab Agrippa amoto, Matthias filius Theophili ſufficitur.	
	Geſſius Florus in præfectura Judææ Albino ſuccedit.	
	Nero Romanam urbem incendio abſumere tentat; ejuſque facti invidia Chriſtianos onerans, perſecutionem in illos indicit.	
	S. Petrus ſecundam Epiſtolam, facile Romæ datam, ſcribit.	
4068	In ſolemnitate Paſchali hujus anni varia prodigia Jeroſolymæ viſa ſunt.	68. Ær.
	Sanctus Paulus poſtremo itinere Romam contendit, ubi una cum Sancto Petro carcerem ſubit.	65.
	Epiſtola S. Pauli ad Epheſios.	
	Secunda ejuſdem ad Timotheum epiſtola.	
	Apollonius Thyanæus Romam venit.	
	Martyrium SS. Petri & Pauli Romæ.	
4069	Vacuam S. Petri Cathedram S. Clemens tenet, quamquam nonniſi poſt obitum S. Lini Eccleſiæ adminiſtrationem ſuſcepit.	69. Ær. 66.
	S. Marcus, iterum Alexandriam ſe conferens, martyrium ibidem conſummat.	
	Ceſtius Syriæ Præfectus Jeroſolymam veniens, populum ad Feſtum Paſchale convenientem recenſet.	
	Turbæ Cæſareæ, & Jeruſalem.	
	Florus Judæos bene multos perimit.	
	Seditio Judæorum in illum. Seditioſi præſidium Romanorum Jeroſolymis trucidant.	
	Judæi Cæſareæ in Palæſtina cæduntur.	
	Judæi omnes Scythopolitæ eadem nocte mactantur.	
	Ceſtius Syriæ Præfectus in Judæam venit.	
	Templum Jeroſolymitanum obſidet; ſed prælio victus a Judæis, pedem referre cogitur.	
	Fideles Jeroſolymæ verſantes, incundum jam Judæorum cum Romanis bellum intelligentes, Pellam urbem Transjordaniam in ditione Agrippæ ſe receperunt.	
	Veſpaſianus ad ſuſcipiendam Judaicam expeditionem a Nerone ſeligitur.	
4070	Joſephus Galilææ Præfectus renunciatur.	70. Ær.
	Veſpaſianus filium ſuum Titum Alexandriam mittens, ipſe interim Antiochiam venit, ubi validum exercitum inſtruit.	67.
	Veſpaſianus Judææ fines ingreſſus Galilæam debellat.	
	Joſephus Jotapatæ obſidionem ſuſtinet.	
	Urbs capitur, & Joſephus in fidem Romanorum ſe tradit.	
	Tiberias, Tarichæa, quæ ab Agrippa defeciverant, Veſpaſiano ſubmittuntur.	
	Diſſidia in Urbe Jeruſalem.	
	Zelotæ Templum occupant, & per Urbem infeſti diſcurrunt.	
	Amoto Theophilo, Phanniam ad Summum Sacerdotium promovent.	
	Zelotæ ad defendendam Jeruſalem Idumæos appellant.	
	Ananum, & Jeſum filios Gamaræ, & Zachariam filium Baruch interficiunt.	
	Idumæi Jeroſolymis recedunt.	
4071	Nero moritur. Galba regnat.	71. Ær.
	Veſpaſianus omnia Judææ itinera circa Jeruſalem occupat.	68.
	Simon Gioræ Judæam & Idumæam meridionalem vaſtat.	
4072	Galba vita functo, Otho ad Imperium effertur.	72. Ær.
	Otho moritur. Vitellius ſufficitur.	69.
	Veſpaſianus ab exercitu Imperator ſalutatur; mox vero Oriens univerſus copiarum Romanarum exemplum ſequitur.	
	Joſephus in libertatem aſſeritur.	
	Joannes Giſcala e Zelotis Dux eligitur.	
	Eleazarus filius Simonis tertiæ in Urbe factionis author eſt, ſuiſque adhibitis fautoribus, intima Templi, ſive Atrium Sacerdotum occupat.	
4073	Titus ad Urbem ſuccedens, obſidione illam claudit. Venit autem paulo ante Feſtum Paſchale.	73. Ær. 70.
	Seditioſi vires in Romanos jungunt: mox vero iterum inter ſe diſſentiunt. Romani primum mœnium ambitum occupant; deinde ſecundum; poſtea muro excitato totam urbem claudunt, quæ ad ultimas famis extremitates redigitur, ut mater filio ſuo occiſo paſcatur.	
	Die 17. Julii Sacrificium perpetuum in Templo ceſſat.	
	Romani in atrium populi evadentes, injecto in porticus igne, omnia abſumunt.	
	Romanus Miles injecto igne Templum incendit, quod ne fieret, Titus antea nequidquam prohibuerat.	
	Romani Urbe, ac Templo captis, Sacrificia gratiarum actionis Diis ſuis offerunt.	

Inci-

A. M.		A. Chr.
	Intimus Urbis ambitus pervaditur.	
	Joannes Giſcalæ, & Simon filius Gioræ nequidquam effugio tentato in cloacis latitant.	
	Titus funditus everti Templum imperat.	
	Paria & in Urbem jubet, turribus tantum Hippici, Phaſaeli & Mariamnes relictis.	
4074	Titus Romam rediens, de Judæis una cum Veſpaſiano patre ſuo triumphat.	74. Ær. 71.
	Baſſus legati munere auctus in Judæam mittitur.	
4075	Poſt Baſſi mortem Fulvius Sylva ſuccedit, qui ceteras arces Judææ in Romanorum poteſtatem reducit.	75. Ær. 72.
	Templum Onion in Ægypto a Romanis clauditur.	
	Judæi Cyrenenſes a ſcurra quodam ſeducti, in ultimum diſcrimen veniunt.	
	Veſpaſianus reliquias Davidicæ domus exquiri omnes jubet.	

Finis Tabulæ Chronologicæ in Hiſtoriam Biblicam.

A D-

ADDENDA

AD DISSERTATIONEM

DE

PRÆSTANTIA HISTORIÆ

HEBRÆORUM &c. tom. 2. pag. 259.

TABULA CHRONOLOGICA

REGUM ASSYRIÆ.

A. M. 1770 ante Chr. 2230 ante Æram vulg. 2234

NEMROD filius Chus, & Chami ex filio nepos Aſſyriam Monarchiam fundavit circa tempora conſtructæ Babelicæ turris, ideſt 114. annis poſt diluvium, circa A. M. 1770. Succeſſores poſt illum plures in variis Catalogis recenſentur, ſed incerti omnes; ſicut & geſtorum ab illis reſciſcitur nihil.

2682 BELUS Aſſyrius regnum init an. 2682. regnat 55. annis.

2737 NINUS ejus filius, quem Perſæ Imperii hujus authorem conſtituunt; regnum auſpicatur ab anno M. 2737. & ante Chriſtum 1263. ante Æram vulg. 1215.

2831 SEMIRAMIS uxor Nini regnat 42. annis, obit circa A. M. 2831. ante Chr. 1169.

2870 NINIAS annis circiter 39. Rex, obit A. M. 2870. ante Chr. 1130. ante Ær. 1134.

Poſt hunc longo ordine deducti Aſſyriæ Reges incerti ſunt omnes uſque ad Phul in Scriptura notum, qui facile alius non eſt a Patre Sardanapali. Phul Iſraeliticam ditionem infeſtavit A. M. 3233. obiit anno 3237. ante Chr. 763. ante Ær. 767.

SARDANAPALUS ejus filius rerum potitur 20. annis, ab anno 3237. uſqae ad 3257.

ARBACES Satrapa Medus, & Beleſas, alio nomine Nabopolaſſar, in Sacris Libris Hebræorum Baladan, Satrapa Babyloniæ, defectione a Sardanapalo facta, Regem illum coegerant in Regiis Ædibus ultro ſe igne perimere A. M. 3257. ante Chr. 743. ante Ær. 747.

3257 NINUS junior, Sardanapali in Ninive ſucceſſor, ipſiſſimus eſt Teglat-Phalaſſar, de quo 1. Par. 5. 6. 26. & 2. Par. 28. 20. & 4. Reg. 15. 29. & 16. 7. 10. Regnat 19. annis; obit A. M. 3278. ante Chr. 724.

3278 SALMANASAR poſt 14. Regni annos obit A. M. 3290. ante Chr. 710.

3290 SENNACHERIB regnat 4. annis; obit an. 3294. ante Chr. 706.

3294 ASSARADON rerum potitur in Aſſyrios & Chaldæos 13. annis, obit A. M. 3336. ante [illegible] ante Ær. 668.

3336 SAOSDUCHIN, alio nomine Nabuchodonoſor in Judith, regnat 20. annis; obit A. 3356. ante

3356 Chr. 644. ante Ær. 648.

3378 CHINALADAN vel SARACUS 22. annis Rex; obit A. M. 3378. ante Chr. 622. ante Ær. 626.

NABOPOLASSAR & Aſtyages arcta obſidione coactum Chinaladan in Ninive, Regno expolia-

3399 runt. Aſtyages deinde in Medis, & Nabopolaſſar in Ninive regnant ab A. M. 3378. uſqae ad 3399. Nabopolaſſar filium habuit Nabuchodonoſorem Regem Chaldææ, vel Babyloniæ.

3399 Nabuchodonoſor, Rex Chaldææ & Aſſyriæ, Regnum init Anno 3399. in maniam incidit A. 3435. tum ferino more agit inter beſtias ſeptennio, ad mentem redit A. 3442. obit poſt 43. Regni annos A. M. 3442. ante Chr. 558. ante Ær. 562.

3442 EVILMERODACH biennio Rex ab A. 3442. uſque ad 3444.

3444 BALTHASAR quatuor annis regnat; obit A. M. 3449.

3449 DARIUS Medus ſuccedit, & regnat Babylone 16. vel 17. annis, obit A. M. 3466. relicta Cyro

3466 Imperii hæreditate, qui Imperii Perſici Author eſt.

TABU-

TABULA CHRONOLOGICA
IMPERII PERSICI

A M
3466 CYRUS regnat Babylone 19 annis ab A. 3466. uſque ad 3475. ante Chr. 525. ante Ær. 529.
3475 CAMBYSES regnat 7. annis & 5. menſibus, obit A. 3482.
3482 OROPASTES, perſonam aſſumens Smerdis filii Cyri & fratris Cambyſis, Regnum uſurpat menſibus 5.
3483 DARIUS filius Hyſtaſpis regnat. Ipſe eſt Aſſuerus Scripturæ, ducta in conjugem Eſther notus. Imperium tenet 36 annis, obit A. M 3519. ante Chr. 481. ante Ær. 485.
3519
3531 XERXES I. 12 annis Rex; obit A. 3531. ante Chr. 469 ante Ær. 473.
3579 ARTAXERXES cognomento *Longimanus*, regnat 48. annis; obit A. 3579. ante Chr. 421. ante Ær. 425.
3580 XERXES II. regnat annis 1. obit A. 3580. ante Chr. 420. ante Ær. 424.
SECUNDIANUS, vel Sogdianus ejus frater regnat ſeptem menſibus.
3600 OCHUS tertius filius Artaxerxis, alio nomine Darius Nothus, Rex 19. annis; obit A. 3600. ante Chr 400. ante Ær 404.
3643 ARTAXERXES Mnemon regnat 43. annis; obit A. 3643. ante Chr. 357. bellum ſuſtinuit a Cyro juniore fratre ſuo illatum.
3666 ARTAXERXES Ochus regnat 23 annis, obit A. 3666. ante Chr. 334.
3668 ARSEN triennio Rex, occiſus eſt a Bagoo A. 3668. ante Chr. 332.
3674 DARIUS Codomanus, victus ab Alexandro Magno A. 3674. ante Chr. 326. ante Ær. 330. poſt decem Regni annos.

Perſarum Imperium duravit annis 208.

MONARCHIA CHALDÆORUM.

SCriptorum plerique tenent, Nembrodum authorem eſſe Imperii Chaldæorum, cujus Sedem Babylone conſtituerit. Vide Gen. 10. 10. & Mich. 5. 6. Syſtemate iſto poſito, vide quæ ſupra notavimus de Monarchia Aſſyriorum, quæ non raro cum Chaldæa confunditur.

Qui tenent a Nembrodo Imperium Aſſyrium conſtitutum, nullam habent quem primum Chaldaicæ Monarchiæ authorem aſſignent; ſed notus eſt ſub Abrahamo Amraphel Rex Sennaar, Gen. 16. 1. A. M 2092 ante Chr. 1908. ante Ær. 1912.

2092 Evechout Rex Chaldæorum iniviſſe Regnum A. 224. ante occupatum Regnum illud ab Arabibus, dicitur a Julio Africano & Euſebio. Incidit annus iſte cum A M. 2952.
2952
2466 Arabes armis in Chaldæos illatis, illos ſubegerunt A. M. 2466. Rerum potiti ſunt in Chaldæa 216. annis uſque ad Belum Aſſyrium.

Ex Arabibus primus regnavit Mardocentes, facile Merodach, quem Numinis loco gentes illæ coluerunt. Res habuit 45. annis, obiit A. 2511. ante Chr. 2489.
2511
BELUS Aſſyrius Regnum Babylone inivit A. M. 2682. Periodi Julianæ 3392. ante Chr. 1318. Regnavit 55. annis, obiit A. 3737. ante Chr. 1263. Succeſſores habuit Ninum, Semiramidem, Niniam, cæteroſque, de quibus actum eſt ſub Imperio Aſſyriorum.

BELESUS, alio nomine Baladan, vel Nabopolaſſar, defectione facta in Sardanapalum poſtremum
3257 Aſſyriæ Regem ex ſucceſſoribus Beli A M 3257. Periodi Julianæ 3966. ante Chr. 743. novum Chal-
3323 daicum Imperium conſtituit; quod exinde uſque ad A. M. 3323. ſubſtitit, donec ſcilicet Aſſaradon Rex Aſſyriæ ditioni ſuæ illud adjiceret. Succeſſores habuit Saoſduchin, Chinaladan, Nabopolaſſarem, Nabuchodonoſorem, Evilmerodachum, & Balthaſſarem, ut ſupra jam in Iſterculo Regum Aſſyriæ exhibuimus.

MONARCHIA MEDORUM.

A. M.
3257 ante Chr. 743 ARBACES, vel Orbaces, aut Pharnaces, Satrapa vel *Præfectus* Mediæ, avulſos a Sardanapalo Medos A. M 3257. in libertatem aſſeruit. Regnavit ſeu præfuit in Media ad obitum uſque, cujus incertus annus 3270. Ejus obitum excipit interregnum uſque ad A. M. 3270. ante Chr. 730.
3222 DEJOCES Rex conſtituitur A. 3278. regnat 52. annis; obit A. M. 3222. ante Chr. 678.
3222 PHRAORTES ejus filius poſt ſubactos Perſas ipſe viciſſim ab Aſſyriis ſubjugatus eſt. Ipſiſſimum credimus Arphaxad, de quo Judith 1. 1. victum a Nabuchodonoſore, alio nomine Saoſduchin, Aſſyriæ Rege, A. M. 3347 poſt 22. Regni annos ante Chr. 653. ante Ær. 657.
3347
3387 CYAXARES I. regnat 40. annis, obit A. M. 3387. ante Chr. 613.
3422 ASTYAGES Rex Medorum regnat 35 annis: obit A. M. 3422. ante Chr. 578.
3449 CYAXARES II. vel Darius Medus filius Aſtyagis, ſuccedit Balthaſari in Regno Babyloniæ A. M.
3466 3449. obit A. M. 3466. Poſt illum regnat Cyrus.

F I N I S.

NOI RIFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOA.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. *Tommaſo Maria Gennari Inquiſitore* nel Libro intitolato *Prolegomena, & Diſſertationes in Omnes, & Singulos Sacræ Scripturæ Libros Authore R. P. D. Auguſtino Calmet Tomis duobus*, non v'eſſer cos'alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Criſtoforo Zane Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padoa.

Dat. 10. Ottob. 1732.

(
(*Alviſe Piſani Kav. Proc. Rif.*
(*Pietro Grimani Kav. Proc. Rif.*

Agoſtino Gadaldini Segret.

YA1 1526872

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

161 g 32

Digitized by Google